Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVI
F
36
NAPOLI

ADM. R. P.
F. LAVRENTII
DE PEYRINIS
GENVENSIS
Ordinis Minimorum
S. FRANCISCI DE PAVLA,
In Prouincia Genuenſi olim Vice Generalis:

Necnon Sanctiſsimæ Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem Vicarij,

PRIVILEGIA
REGVLARIBVS, PRÆSERTIM MINIMIS
per Summos Pontifices Sixtum IV. vſq; ad Vrbanum VIII. conceſſa.

Denuò ab Auctore in hac Tertia Editione recognita, & concinnata, ac nouiſſimis Additionibus Conſtitutionum SS. D. N. Vrbani P P. VIII. & Sacræ Congreg. Decretorum aucta.



VENETIIS, *Apud Iuntas, & Baba.* M. DC. XLIX.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible]

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI
IOANNI BAPTISTAE
R O N C H Æ

à Placentia

TOTIVS MINIMORVM ORDINIS
APOSTOLICO GENERALI.

Fr. Angelus Vigus Minimus D. D. D.

ATlantem, antiquitatis ingenioſum commentum, cuius fortitudini tantum à Poetis tributum eſt, vt Mundum ipſum poſſet immota ſuſtinere ceruice, febricitantium velut deliramentum, ab eruditis auribus procùl arcendum exiſtimarem, niſi Sapientiſſimos vates non ignorarem fabularum integumentis ſapientiæ miſteria velare ſolitos, vt cum voluptate hominum mores informarent, ac virtutum decora commendatiora redderent, ijs ab inſipienti vulgo adeò nobili ſurreptis inuento. Ingenioſum planè potius, quàm commentum, antiquioris eruditionis arcanum. Atlantem enim fortiſſimum, Orbis machinam humeris ſuſtinentem exiſtimauerim ego ſapientia præditum virum in dignitate conſtitutum, Præſulem numeris omnibus abſolutum, qui capaciſſimæ mentis intelligentia, ac prudentiæ robore ſuæ complectitur, & ſuſtinet Machinam Religionis. Viuida nimirùm virtus eſt, ſuis ipſa fundamentis honeſtatis innixa, & diuino corroborata munimine, laboribus non ſuccumbit, ſed enutritur, ſudoribus irrigatur, contemptu voluptatum inualeſcit, honeſtati immobiliter adhærens honorem paritèr, fœlicitatemque rebus præclarè geſtis affectat, difficillima quæque aggreditur, & perficit: victrix debellat ignauiam, inertiæ tenebras ſua luce diſpergit: Ei nihil arduum, cælum ipſum ſuſtinere facillimum.

†

Digitized by Google

limum. Hæc autem omnia cum in te vnum ſingula iam à principio confluxiſſe conſpicuum ſit, quis admirationi locus eſſe poteſt, ſi Eccleſiaſtici Orbis Vniuerſi Rector, Pontifex Summus Vrbanus VIII. Minimitanum cælum tuis humeris ſemel, & iterum commendauerit ſuſtinendum? Scilicet canoro te famæ plauſu perceperat ad eum meritorum euectum apicem, qui ſummæ in Religione dignitati debebatur. Nouerat Te pro Conuentu Placentiæ primum ad Prouincialia, deinde pro Lombardiæ Prouinciæ ad Generalia Comitia deſtinatum Commiſſum: Octies in eadem Prouincia Correctoris bis Prouincialis Collegæ, & ſemel Correctoris Prouincialis officio functum: ſemel in Genuenſem ab Eminentiſſimo Protectore, & iterum in Venetam Prouinciam à Reuerendiſſimo Patri Generali Viſitatorem tranſmiſſum: Hiſcè verò muneribus adeò præclare functum, vt multò plus à te acceperint, quàm Tibi contulerint dignitatis, & laudis. Nouerat Te poſt hæc, vt quam in tot obeundis prouincijs præluxeras, prudentiam, ac morum integerrimam honeſtatem in alios effunderes, ad Nouitios informandos deputatum, & veluti animatum exemplar tyronibus propoſitum. Non eum latebant eximia animi tui dotes, non frequentia in ſacris, pius affectus in precibus, ſollicitudo in officijs, vel ſolertia in miniſterijs. Ecquis tandem poterat ignorare vrbanitatem tuam in moribus, quæ te omnibus fecit amabilem? Quis vigorem mentis, qui te præſtitit in laboribus indefeſſum? Quis in dignitatibus non modo non appetendis, ſed etiam eludendis, fugiendiſq; conſtantiam, & perpetuam à te benè actæ vitæ rationem, nunquam in ſuſceptis conſilijs æſtuantem? At meum non eſt in præſentiarum tua referre encomia, præconia tibi recitare: Volebam Priuilegia Ordini noſtro à Summis Pontificibus conceſſa, opera, & ſtudio R. P. Laurentij de Peyrinis amiciſſimi tui, dum viueret, ac Prouinciæ meæ ſplendoris explicata, ac illuſtrata Paternitati Tuæ Reuerendiſs. offerre, vt dum beneficijs in me collatis beneficia intexis, & beneficiorum vinculis beneuolentiæ vincula connectis, ipſe aliquid grati animi pignus perſoluerem; ſed neſcio quo raptus enthuſiaſmate calamus in tuas laudes eruperat: fortaſſe putauit modica de innumeris virtutibus, meritiſq; tuis attramento deducta ſcribens occurrere ardentiſſimæ cupiditati meæ, qua teneor, vt ex iſta tam exigua laudum enarratione cumulatas in te vno virtutum omnium præclariſſimas dotes agnoſcant omnes, atque ſuſpiciant. Quis enim contempletur hoc tempore dignitatem tuam, nec obſeruet eam religioſius? Quis in faſtigium illud, ad quod, non comite fortuna, ſed virtute duce olim euectus, nuper ad triennium à Summo Pontifice Deo inſpirante confirmatus, defigat oculos, nec lætetur vberius, teſteſq; lætitiæ voces liberius non emittat? Quamobrem inter effuſas noſtrorum hominum gratulationes, quæ ex vniuerſi Orbis partibus ad te conuolant, ego tibi hoc munere ſtatuo gratulandum. Suſcipe interim, Reuerendiſſime P. & excipe opus, & me tuis ſub auſpicijs qualicunq; modo lucubrantem, ac noſtri Ordinis incremento viuas phæniceos annos.

AD

AD LECTOREM.

TAndem aliquando recuſſum vides, Lector amiee, opus adeò exoptatum, tamdiù deſideratum, in quo Priuilegia Regularibus à Summis Pontifieibus conceſſa dilucidiſſimis Commentarijs explicantur, exornantur. Opus experieris à prima impreſſione ab ipſo Auctore, adhue inter nos agentem loeupletatum: multò ſanè vberius locupletandum, niſi eum nobis mors præpropera rapuiſſet: Nec enim quæ tibi ad calcem offero, Pontificia Decreta Commentariorum luee orbata prodirent ad lucem. Scilicet ingenuo, ac liberali animo Auctor erat, qui Senecæ illud valdè probaret, *In hoc gaudeo aliquid ſcire vt doceam: ſi cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enuntiem, reijciam:* cumque ei alta mente repoſitum maneret Eecleſiaſtici illud, *Sapientia abſconſa, & Theſaurus inuiſus; quæ vtilitas in vtriuſque?* Apoſtolos ſatagebat imitari, qui S. Freneo doeente, *Simpliciter, & nemini inuidentes ea, quæ didicerant ipſi à Domino, hæc omnibus tradebant.* Tarditatis verò meæ cauſam ante nouiſſimè additas Pontificias Conſtitntiones tibi aperio: Commentaria autem in noſtram Minimorum Regulam ab ipſomet Auctore compoſita, quæ in primo tomo promiſeram, cùm ſint iam ad lucem aſpiciendam parata diù, vt ſpero, non deſiderabis. Vale.

Epiſt. 6.

Cap. 20. lib. 3. c. 14.

A V C T O R

AD MINIMOS.

EN, reuerendi Patres, Priuilegia, noſtro Ordini conceſſa à Pyrrho vſq; ad Vrbanum VIII. Quid fecerim licèt euidenter conſtet intuenti; breuiter tamen aeeipite. Addidi in primis multa prætermiſſa à Paſſarello ex Iulio II. Leone X. Clem. VII. Paulo III. Greg. XIII. Sixto V. omnia ſumma fide decerpta ex authenticis Archiuij noſtri Romani apud P. Zeloſum. Ea, quæ erant hinc inde diſperſa, per Regulam præſertim, huc congeſſi. Adieci etiam Conſtitutiones eorum Pontifieum, qui à Gregorio XIV. vbi Paſſarellus reliquit, hucuſque nobis, vel Mendicantibus in communi aliqua, vel concesſerunt de nouo, vel antiqua confirmauerunt, eo ſemper ordine ſeruato, vt prius quæ noſtro Ordini, deinde quæ alijs, vel in particulari, vel in communi conceſſa ſunt, collocentur. Adiunxi quamplurimas celebriores ſaerarum Congregationum Concilij, & Regularium declarationes. Notis quoque ditaui, quibus innoteſcit, quæ priuilegia nunc valeant, quæ non, quæ reuocata, quæ limitata, quæ ampliata, quæ declarata, quæ contra Trid. quæ illi conformia, quæ præter illud. In quibus notis ferè omnia Regularium priuilegia, omnemque priuilegiorum materiam incluſi. Innumerabilibus denique grauiſſimiſq; mendis, ſenſum, vel obſeurantibus, vel penitus tollentibus, vel retorquentibus expurgaui. In quo opere (quod certè laborioſum fuit) me maximè iuuit F. Franciſcus Maria de Agritolijs. Hæc feci. Quæ faxit Deus, vt vobis, reliquiſque Regularibus proſint, & proderunt, ſi æquo animo, bonaque voluntate legantur. Sed quoniam ſcio, multos priùs contemnere libros, quàm legerint, immo quàm viderint; ideò per charitatem rogo

Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſita fideli,
Intellecta priùs quàm ſint, contempta relinquas.

Ne de ijs verificetur dictum Hieronym. in proœm. lib. 9. Eſaiæ, ignorantes, quid audiant, & quid loquantur, de eo audent iudicare, quod neſciunt, & antè deſpieiunt, quàm probent, eruditoſque ſe exiſtimant, & diſertos, & in eo ſe ſcire aliquid arbitrantur, ſi de cunctis ſcriptoribus detrahant. *Proba igitur Lector, & iudica; ego enim me libenter illorum correctioni ſubmittam, qui in huiuſmodi periti, prudenter, & charitatiuè iudicauerint. Vale.*

D. Hieron.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

Nos Fr. Io. Baptiſta Roncha totius Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Corrector Generalis Apoſtolicus P. Fratri Angelo Vigo Noſtri Ordinis Theologo Salutem in Domino.

VIrtute præſentium concedimus facultatem tibi ſupradicto Patri, & ad meriti augmentum etiam præcipimus, vt quàmprimum commodè poteris, typis iterum mandare cures Priuilegia Regularium à P. Laurentio de Peyrinis iam impreſſa, declarata, & illuſtrata vnà cum Additionibus, tam ab ipſo Auctore adhuc viuente factis, quàm à te: modo hæ prius à P. F. Thoma à Vezzano noſtri Genuenſis Collegij ſtudiorum Regente; & à P. Iacobo Antonio Marcheſio Theologiæ Moralis Lectore, examinentur, & approbentur; & accedat facultas eorum, ad quos ſpectat. Datum Neapoli in Noſtro S. Ludouici Conuentu, die 10. Menſis Maij 1642.

Fr. Io: Baptiſta Roncha Minimus Generalis Apoſtolicus.

A P P R O B A T I O.

ADditiones à R. P. Peyrinis adhuc viuentis ad ſua in Regularium Priuilegia Commentaria, necnon P. Angeli Vigi breuiſſimæ notæ ad Conſtitutiones, & Declarationes nouiſſimè addita, quas ego infraſcriptus, mandante Reuerendiſſimo P. F. Io: Baptiſta Ronca noſtri Ordinis Minimorum Correctore Generali Apoſtolico, attentè vidi, nihil prorſus continent, ob quod digniſſimæ non ſint publica typorum luce donari. Ita ſentio. In quorum fidem, &c. Datum Genuę, In Collegio Minimorum Ieſu Mariæ die 20. menſis Auguſti 1642.

Fr. Io: Thomas à Vezzano, S. Theologiæ Lector, & in prædicto Collegio Studiorum Regens.

A P P R O B A T I O.

EX Commiſſione Reuerendiſs. P. F. Io: Baptiſtæ Ronchæ Ordinis Minimorum Correctoris Generalis Ego infraſcriptus R. ad P. F. Laurentij de Peyrinis fel. mem. typis iterum mandanda opera, tres nimirum Priuilegiorum Regularium, præſertim Minimorum, tomos, pluribuſque notis, ſeu additionibus ab ipſo auctore, & nunc à R. P. F. Angelo Vigo eiuſdem Ordinis Theologo illuſtrata perlegi, in quibus cum nihil, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus obſit, repererim: imo omnia ad mentem Eccleſiæ conformia, & Religioſis omnibus vtiliſſima fore exiſtimem, typis digniſſima cenſeo. In quorum fidem, &c. Datum Genuę in Ieſu Mariæ Collegio, 20. Septẽbris 1642.

F. Iacobus Antonius Marcheſius Theol. Mor. Lector.

NOS F. SIMON BACHELLIER; TOTIVS ORDINIS MINIMORVM S. Franciſci de Paula Corrector Generalis, &c.

Dilecto in Chriſto R. P. F. Laurentio de Peyrinis Prouinciæ noſtræ Genuenſis Prouinciali Salutem.

VT ea, quæ præparaſti de priuilegijs noſtris ad totius Ordinis vtilitatem, quamprimum typis mandare poſſis, concedimus licentiam P. F. Ioanni Ponce, noſtri inſtituti Theologo, & Concionatori, vt ea videre, legere, & approbare valeat, aſſumpto ſibi a ſe eiuſdem noſtri inſtituti, vel alterius Ordinis Theologo, qui eius opinioni ſubſcribat. Et in fidem, &c. Datum Romæ in noſtro Conuentu SS. Trinitatis, die 7. Februarij 1626.

F. Simon Bachelier Generalis.

A P P R O B A T I O.

P. F. IOANNIS PONCE DE LEON, LECTORIS PRIMARII. Theologiæ, & Regentis ſtudiorum huius Conuentus Ieſu Mariæ Ordinis Minimorum Genuenſis Vrbis.

IVſſus, vt cenſoriam proferrem ſententiam, de mandato Reuerendiſs. P. N. F. Simonis Bachelier, totius noſtræ Religionis Minimorum Generalis, Vidi librum compoſitum a R. P. F. Laurentio de Peyrinis, Prouinciali eiuſdem Ordinis in hac Genuenſi Prouincia, cuius titulus eſt *Priuilegia Sacro Ordini Minimorum*, opus ſane incredibili eruditione refertum, & ingenioſo labore perpolitum: mihi attentè legenti viſum eſt, & ſuo dignum Auctore, & quòd ſi in lucem edatur, in maximum Dei honorem, & vniuerſæ Religionis noſtræ bonum cedet. Nam, vt doctrinæ candorem omittam, illuſtre admodum argumentum, integrè, & longè pleniùs, quàm alij, Auctor proſequitur, exornatque,

natque,tum quampluribus,& quidem non vulgaribus Pontificum decretis, tum præclariſſimis Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper Concilium Tridentinum declarationibus, atq; grauium aliorum Doctorum teſtimonijs. Attexit etiam ad maiorem pulchritudinem, & iucundiſſimam varietatem ſingularia non pauca ex Iure Cæſareo, & Canonico. Expargit denique ſuæ Theologiæ moralis flores ex arido diſputationum moralium campo ſelectos,ſed qui ſuauem, ſecurum, & religioſum odorem efflant,& noua quadam luce veſtiti ſapientum oculos paſcunt,in eoque, velut in ſpeculo,pietas,& Auctoris eruditio,acumen,& ſecuritas iudicij prudentialis mirificè reſplendent. E quibus omnibus emergit,opus id eſſe,in quo nihil mutandum,nihil delendum, aut cenſura, ſed laude dignum, omni dubio ſemoto, iudicandum ſit, de quo ſecurè proterre poſſum id, quod Plinius Iunior inſtantèr dicere ſolebat cuidam amico ſuo,rogans vt ſua opera in commune bonum lucem aſpicerent; *Effinge aliquid, & excude, quod ſit perpetuò tuum*, quod in hac fertiliſſima librorum ætate de paucis verificari poteſt. Cenſeo igitur,poſſe hunc librum typis mandari; tum in communem omnium vtilitatem, tùm in Religionis noſtræ perpetuum decorem. Prætertim cùm in nullo à Chriſtiana morum deuiet honeſtate, vel Orthodoxæ fidei diſſentiat, immo in omnibus cum illa mirificè cohæreat. In hoc Conuentu Minimorum Genuenſis Vrbis, die 4. Menſis Aprilis, Anni Dominicæ Incarnationis 1626.

F. Ioannes Ponce de Leon, Lector Primarius, & Regens.

A P P R O B A T I O.

De commiſſione reuerendiſs. P. N. F. Simonis Bachelier, totius Ordinis Minimorum generalis Correctoris.

INfraſcriptum Volumen commentariorum in Religionis priuilegia, denuò elaboratum à religioſiſſimo,& erudito P.F.Laurentio de Peyrinis Genuenſi,eiuſdem Religionis alumno, in hoc olim Collegio Ieſu Mariæ primario Moderatore, nunc autem digniſſimo Prouinciali Genuenſis Prouinciæ,ſedula,qua potui,cura perlegi,accurratèque euolui, cognouique opus ſane hoc nulla cenſura reprobandum,ſed laudibus potiùs,& encomijs eſſe celebrandum, cum in eo nihil catholicæ fidei diſſonum,nihil bonis moribus contrarium, immo illud ſacrorum Conciliorum actis, & S.R.E.ritibus,necnon ſacræ Scripturæ ſententijs, & Patrum dogmatibus mirificè conſonum inuenerim. Solidam quoque doctrinam,breui ſtylo,compendioſam tamen animaduerti. Vnde ſcripta hæc Auctoris ſui pietatem inſignem,vitæ candorem,eruditionem eximiam, ſacrarumque litterarum notitiam ſatis oſtendunt. Quapropter,ipſis in publicum editis, maximam inde fidelibus, & potiſſimum Regularibus vtilitatem ſecuturam haud leuiter exiſtimo. Quarè quòd typis tradantur,mihi digniſſimum viſum eſt. Datum Genuæ in Conuentu Ieſu Mariæ, die 24. Menſis Maij, anno 1626.

F. Chriſtophorus Rengel, Lector Primarius ſacræ Theologiæ.

Facultas Reuerendiſs.P.Generalis.

F. Franciſcus à Longobardis totius ſacri Minimorum Ordinis SS. Patris noſtri Franciſci de Paula Corrector generalis.

REuerendo P.F.Laurentio de Peyrinis eiuſdem Ordinis Theologo facultatem facimus, vt poſſit typis mandare librum, qui inſcribitur: *Additamenta, ſeu Tomus tertius Priuilegiorum Regularium*; dummodò diligentèr examinetur,& approbetur à duobus Theologis, ſiue noſtris, ſiue alterius Ordinis,nominandis à Reuerendo Patre Prouinciali noſtræ Prouinciæ Genuen., & adſit etiam facultas aliorum, ad quos pertinet. In quorum, &c. Datum in noſtro Conuentu S. Andreæ de Frattis de Vrbe, die 2.Octobris 1632.

F. Franciſcus à Longobardis indignus Generalis.

Commiſſio Adm.R.P.Prouincialis.

F. Io: Chryſoſtomus Malaſpina Ordinis Minimorum, & in Prouincia Genuenſi Minimus Corrector Prouincialis.

CVM P.F.Franciſcus à Longobardis noſtri Ordinis Generalis,fecerit nobis facultatem nominandi duos Theologos,qui diligenter examinarent librum, qui dicitur, *Additamenta, ſeu Tomus tertius Priuilegiorum Regularium*, Adm. R.P.F. Laurentij de Peyrinis. Nos hanc Prouinciam commiſimus R.P.F.Hieronymo Trimarchi,noſtri Ordinis inſigni Theologo, & ſacræ Theologiæ, ac iuris canonici Lectori,& P.F.Franciſco Mariæ de Agrifolijs Lectori Theologiæ in hoc Ieſu Mariæ Collegio. In quorum fidem,&c.Datum Genuæ, die 27.Ianuarij 1633.

F. Io: Chryſoſtomus Malaſpina Prouincialis.

APPROBATIO.

EX commiſſione Admodum Reuer. in Domino Patris F. Ioannis Chryſoſtomi Malaſpinæ Ordinis Minimorum S. Franciſci à Paula, huius Genuenſis Prouinciæ Prouincialis, vidi ego intraſcriptus opus Admodum Reuerendi Patris Laurentij de Peyrinis, eiuſdem Ordinis Theologi doctiſſimi, qui olim non ſemel, ſed bis, atque iterum ſaltes Prouincialatus geſſit, quod opus inſcribitur, *Additamenta, ſeu Tomus tertius Priuilegiorum Regularium, præſertim Minimorum*. Et ea, qua potui, diligentia attentè conſideraui, & nihil inueni, quod catholicæ fidei ſit contrarium, vel quod bonis moribus non ſit conſonum, ac conſentaneum. Imò omnia pietatem, ſacram doctrinam, omniſque eruditionis plenitudinem redolent. Et miratus ſum Auctoris virtutem, ſimplicitatem, tot ſociatam meritis, religioſam grauitatem, mira conditam ſuauitate, Religioniſque noſtræ zelum. Vellem ego ipſe hic recenſere multa pro Italia, gratitudinis ergo, in laudem tanti Patris, ſed ſileo, vt eius congenitæ modeſtiæ potius faueam. Itaque opus iudicio digniſſimum, quod typis mandetur, & diu manebit, florebit, vigebit, & cum religioſa, & chriſtiana vſura reddet acceptam è publico lucem. Et ita atteſtor, Genuæ in Conuentu Ieſu Mariæ Idibus Decembris, Anno à Virginis partu ſexcenteſimo trigeſimo tertio ſupra milleſimum. Ita opto. Ità ſpondeo.

Ego F. Hieronymus Trimarch., Meſſanenſis, Siculus, ſacri Minimorum Ordinis S. Franciſci à Paula in Gymnaſio Mamertino eiuſdem Ordinis ſacræ Theologiæ Lector, ac Iuris Pontificij Profeſſor.

APPROBATIO.

INæſtimabilis ſcientiæ gemma pulchrior videtur, ſi videatur, & glorioſior, ſi ſe in eius aſpectu detineat mens hominum. Beatior, feliciorq; doctrinæ roſa fragrantiſſima cum in anguſto memoriæ ſinu collectum decus in libris oſtentat, & quæ ſibi decori, cæteris etiam eſt voluptati, odorem ſpirans. Quàm ſuaue redolet noſter hic auctor Adm. R. P. F. Laurentius de Peyrinis librorum fructu iucundiſſimo? Qui, ne ſcitum illud inane videatur Hebræorum Sapientis illuſtre pronunciatum, *Faciendi plus libros nullus eſt finis*, poſt aliquot fœcundiſſimæ mentis labores in lucem elatos poſt vnum, & alterum Priuilegiorum volumina poſteritati tranſmiſſa, tertium nunc emittit ſuperiora coronans. Cui quidem librando (ſi librare fas ſit, non potius venerari, diſcipulo) Reuerendiſs. P. F. Franciſci à Longobardis Ordinis noſtri Generalis mandato, a R. Adm. P. F. Ioanne Chryſoſtomo Malaſpina, Genuæ Prouinciali, datus iudex, in eo attentè perlecto, nil à catholicæ fidei regula, boniſque moribus alienum ſpondeo me reperiſſe: ſacri quinimmò Theologi, Doctoriſque aſcetici partes tam piè pro moribus, tam doctè pro veritate tueri conſpexi, vt ad rerum moralium intelligentiam lumen afferat non exiguum. Difficultatum verò floſculis tam varijs, ac mirificis, tamque ſingularibus librum conſpergit, & quod mirabilius eſt, practicis quæſtionibus ita leges attexit, ac induxit, vt multi licèt laboris negotium ſit libros ſcribere, eamque ob rem ſacratiſſimo Exuli, qui de ipſo Dominici pectoris fonte potauerat, dictum ſit, ſæpiuſque repetitum, *Scribe*, nil ampliùs tamen ad cumulatiſſimam veri ſcriptoris laudem hic exoptari poſſe videatur. Doctrinæ ſileo robur, ac fœcunditatem, quæ non de areſcentibus riuulis, ſed fontibus ipſis ſenſim potata. Quid in ſcribendo facilitatem, claritatem, breuitatemque commemorem: vt eo in genere vix quemquam habeat ſuperiorem? Abſolutiſſimam mitto rerum tractationem, vt in hoc, atq; alijs operibus vix quidquam intactum, vel vllam penè conſimilium ſtudiorum ſegetem poſteritati relinquat? Ingenij prætereo ſimplicitatem, fidelitatemque vt ſi error quiſpiam in editis iam libris irrepſerit, fateri non pudeat. Aliud putaui, deceptus ſum; ac tandem, quod ingenui pudoris eſt, in æris alieni cumulo creditoris nomen libentiſſimè profiteatur. Quæ quidem omnia mente reuoluens, tam eximium ſcriptoris opus prælo committendum exiſtimo, vt quæ ſpiritualibus anguſtijs capi non poteſt ampla doctrinæ ſuppellex, in aperto orbis theatro perſpecta ſapientium oculos paſcere queat; ac probatiſſimi demum, lectiſſimique Auctoris lucubrationes, in quibus humana exultauit induſtria in omnem poſterorum memoriam conſecrentur. In quorum fidem, &c. Datum Genuæ, in noſtro Ieſu Mariæ Collegio, die 28. Auguſti 1634.

F. Franciſcus Maria de Agrifolijs Genuenſis, Ord. Minimorum S. T. L.

APPROBATIO.

EGo Franc. Briandata ſacræ Theologiæ Magiſter de mandato Reuerendiſs. P. Io. Baptiſtæ Boſſij generalis Inquiſitoris in toto dominio Genuæ, perlegi librum inſcriptum, *Additamenta, ſeu Tomus tertius Priuilegiorum Regularium, præſertim Minimorum*, Auctore Adm. R. P. F. Laurentio de Peyrinis eiuſdem Ordinis Profeſſore. Et nihil inueni, quod fidei catholicæ, aut bonis moribus aduerſetur, imò dignum cenſeo, qui quamprimùm ad communem vtilitatem in lucem prodeat. Genuæ die 22. Nouembris 1634.

Imprimatur. *Ita eſt. Franc. Briandata manu propria.*

Fr. Vincentius Pretus à Serraualle, S. Theologiæ Magiſter Ordinis Prædicatorum Vicarius generalis S. Officij Genuæ.

INDEX
PONTIFICVM
ET CONSTITVTIONVM.

Quæ in hoc Volumine continentur.

Adrianus VI.

Conſtitutio vnica. Vniuerſis. *Quæ eſt viuæ vocis oraculum, in quo conceditur fratribus noſtris, vt tartarucas, ſeu teſtudines comedere licitè poſſint.tom.1.* pag.157

Alexander VI.

Conſtit. 1.Meritis. *Approbat primam Regulam,& mutat nomen Eremitarum in nomen Minimorum.tom.1.* pag.37

2 Conſiderantes. *Concedit,quòd tertiarijs noſtris poſſimus Euchariſtiam,etiam in die Paſcha, & extremam vnctionem miniſtrare.tom.1.* pag.38

3 Ex parte veſtra.*Quæ eſt Alexandri IV. Mandat,quòd ad Epiſcopatum, ſeu alias dignitates extra Ordinem aſſumpti,reſignent omnia,quæ tempore aſſumptionis habere continget,Superioribus Ordinis.tom.1.* pag.39

4 Vt in veſtris. *Quæ eſt Alexandri IV. Concedit, quòd famuli ſeruitijs fratrum deputati, & Procuratores, & operarij non poſſint excommunicari; & quòd poſſint intereſſe diuinis tempore interdicti.tom.1.* pag.39

Clemens VII.

Conſt. 1. Conqueſtionem. *Mandat Ordinarijs,& alijs in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, vt electi in Conſeruatores aſſiſtant defenſioni fratrum aduerſus moleſtatores,& tradit eis modum procedendi.tom.1.* pag.158

2 Libenter. *Approbat, & confirmat ex certa ſcientia officium, & miſſam S. P. N. Franciſci; & concedit indulgentias illud recitantibus, & miſſam propriam celebrantibus.tom.1.* pag.160

3 Deuotionis. *Declarat,& de nouo concedit,quòd conceſſa vni domui intelligantur conceſſa omnibus conſtructis, & conſtruendis.tom.1.* pag.160

4 Saluatoris. *Concedit viſitantibus Eccleſiam S. Ludouici de Neapoli ſextis ferijs cuiuslibet hebdomadæ centum dies de indulgentia.tom.1.* pag.161

5 Exponi. *Concedit,quòd Generalis, & Prouincialis poſſint concedere licentiam alienandi res, quæ non excedunt valorem 100. ducatorum auri de Camera, cum conſenſu duarum partium Conuentus,cuius ſunt bona.to.1.pag.* 162

6 Exponi. *Concedit facultatem Superioribus damnandi fratres ſcandaloſos ad triremes.tom.1.* pag.162

7 Conqueſti.*Quæ eſt viuæ vocis oraculum. Prohibet ſub pœna excommunicationis,cum reſeruatione, mulieribus ingreſſum in noſtra Monaſteria; & declarat,quænam debeant dici Fundatrices.tom.1.* pag.163

8 Iniunctum.*Quæ eſt viuæ vocis oraculum. Indulget,vt moniales poſſint cantare, & quòd in earum Monaſteria poſſint intrare Generalis cauſa viſitationis, confeſſarius cauſa adminiſtrationis Sacramentorum, Medicus, & Chirurgus cauſa infirmitatis, & cæmentarij cauſa ædificij. tomo 1.* pag.164

9 Vniuerſis.*Quæ eſt viuæ vocis oraculum.Concedit,quòd Generalis quolibet triēnio poſſit indulgentiam plenariā fratribus,et ſororibus tertiarijs,ac Fundatoribus,Procuratoribus,& Conſeruatoribus concedere,& quòd dicti poſſint ſibi eligere confeſſorem in Ordine profeſſum,qui eos abſoluat à caſibus Epiſcopis reſeruatis.tom.1.* pag.164

10 Vniuerſis.*Quæ eſt viuæ vocis oraculum.* Concedit *Superioribus Ordin.Minim.& primis eorum ſocijs, & ſpecialiter fratribus omnibus domus SS. Trinit. de Vrbe,in certis diebus facultatem celebrandi miſſas ad liberandum animas de Purgatorio.tom.1.* pag.165

11 Ex parte veſtra. *Quæ eſt viuæ vocis oraculum* Concedit,*quod fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua.tomo 1.* pag.166

Clemens VIII.

Conſt. 1.Iniuncti.*Confirmat priuilegia Minim.ex certa ſcientia,& de Apoſt.poteſtatis plenitudine.tom.2.* pag.228

2 Tutte l'elettioni. *Ordinationi, auuertimenti, e ricordi, che ſi danno dalla Santità di N. S. Clemente Papa VIII. alli Padri del Capitolo generale di S. Franceſco di Paola,radunati in Genoua queſt'anno 1596.tom.2.pag.229*

3 Exponi. *Concedit Generali Ordin. Minim. vt poſſit*

examu-

examinare rehabilitationes fratrum priuatorum voce actiua, & paſſiua, obtentas à ſacris Congreg. ſeu etiam à Papa ipſo.tom.2. pag.234

4 De omnium. Concedit, vt, decedente aliquo fratre ſeu aliquo ex parentibus alicuius fratris, vel aliquo habente literas fraternitatis, vel qui fratres ad hoſpitium recipiunt, poſſint fratres illius loci, in quo vna ex talibus perſonis deceſſerit, miſſam vnam celebrare pro anima dictæ perſonæ defunctæ, quæ illam liberet à Purgatorij pœnis, tomo 2. pag.234

Gregorius XIII.

Conſt.1. Regimini. Confirmat, & innouat de plenitudine poteſtatis Minim. priuilegia, cum clauſula, Non obſtante Concil. Lateranen.tom.2. pag.218

2 Ex paſtoralis. Statuit, quòd Generalis Ord. Minim. poſſit deputare quoſcumq; Viſitatores in omnibus Prouincijs; & appellantes ad tribunalia ſecularia, & ſe dictis Viſitatoribus opponentes ſint excommunicati.tom.2. pag.219

3 Muneris. Decernit, quòd deſcendentes ex genere Iudæorum, & hæreticorum in Religione recipiantur, & ad dignitate admittantur; non tamen deſcendentes ex dictis relapſis, vſque ad quartam generationem incluſiuè.tom.2. pag.221

4 Ad augendam. Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſias Ordin. Minim. in die S.P.N. Franciſci tomo 2. pag.222

5 Exponi. Concedit, quòd electiones factæ in Capitulis generalibus à deputatis valeant.tom.2. pag.223

Gregorius XIV.

Conſt. vnica. Ordinem. Confirmat, & innouat priuilegia, & ſtatuta Minim.tom.2. pag.227

Gregorius XV.

Conſtit. Iniuncti. Confirmat priuilegia Minimorum. tomo 2. pag.257

2 Inſcrutabili. Moderat exemptorum priuilegia circa animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, ſanctimonialium Monaſteria, & prædicationem verbi Dei, tom.2. pag.257

3 Romanus. Reuocat conceſſiones quaſcumque viua vocis oraculo, non tamen S.R.E. Cardinalibus factas, vel ipſorum manu firmatas.tom.2. pag.260

4 Vniuerſi. Eſt contra confeſſarios ſollicitantes pœnitentes in confeſſionibus.tom.2. pag.261

5 Sanctiſſimus. Dat formam eligendi Conſeruatores; & decernit, de quibus cauſis cognoſcere poſſint.to.2. pag.266

6 Cum aliàs. Quæ eſt decretum ſacræ Congreg. Concil. In quo ſtatuit, quod non fundentur noui Conuentus, niſi in ijs poſſint ſuſtentari duodecim fratres; & quòd alij Religioſi ibi habitantes vocentur.tom.2. pag.274

7 Cum nos. Concedit, quod Reuerendiſſ. P. F. Franciſcus de Mayda electus in Epiſcopum Lauellenſem, poſſit continuare in officio Generalatus vſque ad Capitulum generale. tom.3. pag.371

8 Cum aliàs. Mandat, vt nullus eligatur in Commiſſum ad capitulum generale deſtinandum, qui per tres annos continuos, immediatè antecedentes dictam electionem, non fuerit localiter commoratus in Prouincia, in qua eligendi ſunt Commiſſi, tom.3. pag.371

Innocentius VIII.

Conſt. vnica. Paſtoris. Confirmat priuilegia Pyrrhi, & Sixti IV. ex certa ſcientia.tom.1. pag.36

Iulius II.

Conſt. 1. Dum. Confirmat omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus nobis conceſſa, & quam plurima de nouo concedit. tom.1. pag.40

3 Virtute. Eſt Mare magnum noſtræ Religionis, in quo plurima nobis concedit.tom.1. pag.58

3 Exponi. Concedit, quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua in genere.tom.1. pag.81

4 Aliàs. Declarat irrita pacta, facta abſque conſenſu Generalis, vel Capituli generalis; & quæ ſint perſonæ fruentes priuilegijs fratrum; Denique quæ ſit Conſeruatorum poteſtas.tom.1. pag.81

5 Sacer. Concedit multa priuilegia P. Binet, qui fuit primus poſt S. Franciſcum in Religione Generalis; & in ſpecie, quòd nouem collectæ valeant pro nouem miſſis. tomo 1. pag.85

6 Licèt. Confirmat de nouo Regulam, approbat declarationes illius, factas à Cardinali Senogallenſi: Prohibet cantum, & ingreſſum mulierum non Fundatricum intra ſepta noſtrorum Monaſteriorum.tom.1. pag.88

7 Pijs. Concedit, quòd poſſimus ſumere Conuentus, & ædificare, etiam non diſtantes ab alijs per cannas 140. tomo 1. pag.93

8 Exponi. Confirmat electionem Generalis Germani Lionet, & acta Capituli generalis Thuronenſis; & concedit, quòd Generalis præſideat in Capitulo generali, vſque ad nonam futuri Generalis electionem; & quòd acta in vno Capitulo generali, in ſequenti approbari, vel reprobari poſſint.tom.1. pag.94

9 Ex iniuncto. Concedit, vt duo ex Prælatis Congregationis Monachorum B. M. montis Oliueti, cum conſenſu Capituli, poſſint alienare in euidentem vtilitatem. tomo 1. pag.95

10 Conceſſit. Excommunicat impedientes, & moleſtantes eos, qui ex ſeculo ad Religionem confugiunt. tomo 1. pag.100

11 Etſi. Concedit multa Ordini Eremitarum S. Auguſtini, præſertim quòd fruatur omnibus priuilegijs conceſſis alijs Ordinis Mendicantium.tom.1. pag.100

12 Aliàs. Declarat, quomodo ſit intelligenda communicatio priuilegiorum inter Ordines Minorum, & Prædicatorum.tom.1. pag.101

13 Conſiderantes. Concedit Generali, vt poſſit priuilegia declarare: Quod confeſſionalia ſine licentia Superioris non valeant: Et quod tertiariæ collegialiter viuentes poſſint tria vota emittere.tom.1. pag.102

14 Exponi. Declarat, quòd per publicationem bullæ Cœnæ non derogatur ijs priuilegijs, quę caſuum illius abſolutionem expreſsè concedunt: Et quòd tertiariæ viuentes collegialiter profiteantur obedientiam, &c.tom.1. pag.103

15 Ex-

15 Expoſuiſti. *Prohibet appellare à ſententijs Superiorum; & concedit, quòd Generalis poſſit eximere Conuentus à iuriſdictione Prouincialium.tom.1.* pag.104

16 Exponi. *Prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ fratribus Minimis, ne poſſint recipere, aut retinere fratres Minores.tom.1.* pag.105

17 Vobis. *Quæ eſt viuæ vocis oraculum: In quo declarantur quædam puncta noſtræ Regulæ.tom.1.* pag.105

18 Vniuerſitati. *Quæ eſt viuæ vocis oraculum. In quo datur forma tonſuræ gerendæ ab omnibus choro deſtinatis; & aſſignatur forma profeſſionis à tertiarijs faciendæ. tom. 1.* pag.107

Iulius III.

Conſt, vnica. Cum. *Recipit Minimos, & bona ipſorum ſub protectione Sedis Apoſtolicæ; & confirmat omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus conceſſa.tom.2.* pag.185

Leo X.

Conſt.1. Ea. *Concedit tertiarijs Ordinis noſtri, vt gaudeant immunitate, & alijs priuilegijs, quibus tertiarij Ordin. Minorum.tom.1.* pag.109

2 Paſtoris. *Concedit indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum viſitantibus noſtras Eccleſias in feſto omnium Sanctorum, Aſſumptionis, & Annunciationis B.M.æ in die Pentecoſtes. Et concedit Correctoribus licentiam deputandi ſex, aut plures confeſſores, qui dictis diebus, & præcedenti poſſint abſoluere à caſibus epiſcopalibus, & vota omnia commutare, exceptis quatuor, tom. 1.* pag.110.

3 Illius. *Concedit, quòd ſingulis annis die 2. Aprilis poſſit celebrari officium, & miſſa in Eccleſijs noſtri Ordinis, in honorem B.Franciſci de Paula; & quòd illius imago in noſtris Eccleſijs depingi poſſit.tom.1.* pag.111

4 Ijs. *Confirmat omnia priuilegia conceſſa à ſuis prædeceſſoribus, & approbat de nouo Regulas fratrum, ſororum, & tertij Ordinis; ac concedit, quòd famulis inſeruientibus in noſtris Monaſterijs in habitu ſeculari poſſimus miniſtrare Euchariſtiam, etiam tempore Paſchatis, & in articulo mortis, ac reliqua ſacramenta præſtare, & in noſtris Eccleſijs ſepelire.tom.1.* pag.114

5 Expoſcit. *Confirmat, & de nouo concedit priuilegium, quòd nouem collectæ dictæ ad beneplacitum, & deuotionem ſacerdotis valeant pro totidem miſſis de Requiem. tom.1.* pag.115

6 Quamuis. *Mandat ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ſibi abſolutionem reſeruando, ne fratres Minimi poſſint tranſire ad alium quantumuis priuilegiatum Ordinem; quam etiam vult incurrere retinentes, & retentos non dimittentes.tom.1.* pag.116

7 Solet. *Confirmat indulgentias conceſſas ab ipſo ſupra in conſtit. eius 2. cum omnibus clauſulis in ea contentis. Et addit, quòd per bullam Cruciatæ dictæ indulgentiæ numquam intelligantur ſuſpenſæ; Quapropter concedit, vt poſſint liberè, & licitè vbique publicari.tom.1.* pag.117

8 Etſi. *Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſiam SS. Trinit. de Vrbe omnibus Dominicis Quadrageſimæ, & diebus Aſcenſionis, &c. & omnibus diebus à media Quadrageſima vſque ad Octauam Paſchæ indulgentias S.M. de Populo; & omnibus diebus Dominicis totius anni concedit 30. annos, & totidem quadragenas, cum poteſtate deputandi confeſſores dictis diebus, qui abſoluant ab omnibus caſibus, etiam Papæ reſeruatis, exceptis contentis in bulla Cœnæ.tom.1.* pag.119

9 Licèt. *Præcipit ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, abſolutionem ſibi reſeruando, quòd nullus audeat habitum noſtri coloris deferre.tom.1.* pag.122

10 Exponi. *Mandat Archidiacono, & Cantori Eccleſiæ maioris Conſentinen. ne ſinant, fratres noſtros moleſtari à Parochis ſuper quarta funeralium, &c.tom.1.* pag.123

11 Quamuis. *Concedit, quòd tempore interdicti ordinaria auctoritate appoſiti poſſimus, ianuis apertis, diuina celebrare.tom.1.* pag.124

12 Etſi. *Concedit, quòd tempore interdicti etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti poſſint noſtri fratres non ſolùm in proprijs, ſed etiam in alienis Eccleſijs, & etiam in itinere, ianuis clauſis, celebrare diuina, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis.tom.1.* pag.125

13 Exhibita. *Concedit facultatem Generali, & Prouinciali, ac alijs Superioribus Ordin. Minim. capiendi apoſtatas, & fugitiuos, & mandat excommunicari eos retinere præſumentes.tom.1.* pag.126

14 Licèt. Concedit, *quòd Generalis poſſit deputare quoſcumque Viſitatores cum plenaria poteſtate. Reſiſtentes excommunicat, abſolutionem ſibi reſeruando.tom.1.* pag.128

15 Cum. *Concedit, quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua in genere.tom.1.* pag.130

16 Excelſus. *Eſt Canonizatio S. Franciſci de Paula Ord. Minim. Fundatoris.tom.1.* pag.131

17 Licèt. *Mandat celebrari feſtum S. Franciſci de Paula ſub ritu duplici, & in Eccleſijs Ordinis noſtri cum Octaua. tom.1.* pag.138

18 Religionis. *Concedit, quòd ſi requiſitus Epiſcopus diœceſanus pro noſtrarum Eccleſiarum conſecratione recuſauerit, eas conſecrari facere poſſimus à quocumque Epiſcopo; & quod Superiores poſſint Eccleſias, & ornamenta pro eis neceſſaria benedicere, & Eccleſias, & cæmeteria reconciliare.tom.1.* pag.138

19 Cum. *Concedit, quòd poſſint expelli ab Ordine, qui fuerunt maculati in ſeculo grauibus delictis, & moniti in profeſſione ea tacuerunt.tom.1.* pag.139

20 Cum. *Concedit, quod dicendo vnam miſſam ſatisfaciant Regulares omnibus eleemoſynis acceptis pro pluribus celebrandis, ſi hæ ſummam vnius Iulij Papalis non excedant. tom.1.* pag.140

21 Intelleximus. *Concedit, quòd vtriuſque ſexus fideles ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ, audiendo miſſam in Eccleſijs fratrum Mendicantium.tom.1.* pag.141

22 Nuper. *Declarat, quòd ſorores tertij Ordinis vouentes etiam ſimplicem continentiam, gaudeant priuilegijs, etiamſi in proprijs domibus habitent.tom.1.* pag.141

23 Romani. *Prohibet ſub pœna excommunicationis ipſo facto, ne Religioſi poſsint conueniri coram iudice, qui de Ordine ſuo non ſit; & quòd non poſsint appellare à correctione ſuorum Prælatorum.tom.1.* pag.142

24 Cum. *Concedit facultatem alienandi de conſenſu duarum partium Conuentus in euidentem vtilitatem. tom. 1.* pag.143

25 Dudum. *Declarat, quòd indulgentijs S. M. de Populo poſſint gaudere fratres Mendicantes, ac moniales, & tertiarij, ac eorum familiares, non autem ſeculares. tom. 1. pag.144*

26 Dum. *Eſt moderatio priuilegiorum Mendicantium facta in Concil. Lateranen. tom. 1.* pag.145

27 Vniuerſitati. *Statuit, Correctorium eſſe addendum Regulæ, & ſecundùm illud, & iſtam omnia in Religione debere definiri; & concedit, quòd in Capitulis generalibus poſſint fieri ſtatuta, non tamen contra Regulam, nec contra* Correctorium*; quæ tamdiu durent, quò fuerint per ſequens Capitulum generale reuocata. tom. 1.* pag.153

28 Vobis. *Statuit, quòd fratres, non obſtante Kalendario Ordinis poſſint feſta municipalia celebrare; & quòd Capitula prouincialia poſſint anticipari, & differri. tom. 1. pag.154*

Paulus III.

Conſt. 1. Regimini. *Confirmat in ampliſſima forma ex certa ſcientia omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus Minimis conceſſa tàm in genere, quam in ſpecie, & ea extendit ad omnes, & ſingulos Conuentus Religionis tàm conſtructos, quàm conſtruendos. tom. 2.* pag.171

2 Supra. *Concedit viſitantibus* Capellam *S. Franciſci de Paula Conuentus S. Aloyſij* Neapolis *omnes indulgentias, quas Leo X. ſupra, conſt. eius* 8. *conceſſerat viſitantibus Eccleſiam SS. Trinit. de Vrbe. tom. 2.* pag.175

3 Cum. *Mandat ſub pœna excommunicationis poſt debitam monitionem ipſo facto incurrenda, ut extra Ordinem degentes in locis, in quibus non ſunt Conuentus Ordinis noſtri, non deferant caputium noſtro ſimile. tom. 2.* pag.178

4 Sinceræ. *Confirmat acta Capituli generalis Paulæ celebrati; & derogat quibuſdam priuilegijs Apoſtolicis contra Regulam impetratis. tom. 2.* pag.179

5 Exponi. *Declarat, quòd vota ſororum, & fratrum tertij Ordinis collegialiter viuentium ſolemnia ſint. tom. 2. pag.181*

6 Honeſtis. *Eximit fratres, & ſorores à ſolutione cuiuſcumque portionis legatorum. tom. 2.* pag.182

7 Nuper. *Concedit, quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua. tom. 2.* pag.183

8 Iniunctum. *Erigit Monaſterium monialium tertij Ordinis Minim. tom. 2.* pag.184

Paulus IV.

Conſt. 1. Cum. *Recipit Minimos, & bona ipſorum ſub protectione Sedis Apoſtolicæ; & confirmat omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus conceſſa. tom. 2.* pag.185

2 Ingens. *Declarat, quomodo tractandi, & recipiendi ſint apoſtatæ ad Religionem reuertentes. tom. 2.* pag.186

Paulus V.

Conſtit. 1. Iniuncti. *Confirmat priuilegia Minimorum. tom. 2. pag.236*

2 Alias. *Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus noſtras Eccleſias ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis; & dictas Eccleſias viſitantibus ſingulis alijs ſextis ferijs totius anni 7. annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentijs. tom. 2.* pag.237

3 Nomen. *Mandat celebrari feſtum S. Franciſci de Paula ſub ritu duplici. tom. 2.* pag.237

4 Cum. *Extendit Generalatum Ordin. Minim. ad ſexennium. tom. 2.* pag.238

5 Admonemur. *Mandat Superioribus Ord. Minim. ſub meritò ſanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis maioris ipſo facto incurrenda, ne ad inſtantiam quarumcumq; perſonarum extra Ordinem exiſtentium, dignitates ſuis ſubditis conferant, nec pœnas remittant; quibus pœnis ſubiacere vult etiam ſubditos fauores procurantes. tom. 2.* pag.239

6 Inter. *Probibentur fratres tertij Ordinis S. Franciſci portare habitum noſtri coloris. tom. 2.* pag.240

7 Romani. *Decernit, quòd Conuentus SS. Trinit. de Vrbe regatur, & inhabitetur per Patres Gallos; & quòd ſolùm ſit ſubiectus P. Generali, ac eius oculato Viſitatori. tom. 2. pag.243*

8 Romanus. *Reuocat omnes indulgentias Regularibus conceſſas, & alias de nouo concedit. tom. 2.* pag.250

9 Romanus. *Mandat Superioribus Regularium, ne cognoſcant cauſas ſuorum ſubditorum, ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis pertinentes. tom. 2.* pag.252

Pius V.

Conſt. 1. Super. *Decernit, quòd ad Capitulum generale Ordin. Minim. non teneantur accedere Collegæ Prouincialium, nec duo Commiſſi ipſius Prouinciæ, ſed tantùm Prouincialis, cum vnico Commiſſo cuiuslibet Prouinciæ; & quòd in poſterum non celebrentur Capitula prouincialia intermedia, niſi dumtaxat per ſingulos Prouinciales cuiuslibet Prouinciæ, vnà cum Definitoribus eiuſdem Prouinciæ capitulariter eligendis in primo anno cuiuslibet triennij. tom. 2.* pag.187

2 Sedis. *Capuccini non poſſunt transferri ad Ordinem Minim. nec è contra. tom. 2.* pag.189

3 Apoſtolicæ. *Declarat, Ordinem Minim. inter* Mendicantes *eſſe connumerandum; eique omnia priuilegia* Mendicantibus *conceſſa communicat. tom. 2.* pag.189

4 Romanus. *Declarat, quod Ordines tàm S. Dominici, & S. Franciſci, quàm Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, ac Seruorum B. M. ſunt verè, & propriè Ordines religioſi* Mendicantes, *etiamſi in communi bona, quamuis immobilia, poſſideant, eorumque gratijs omnibus perfruuntur. tom. 2.* pag.191

5 Regularium. *Reuocat omnes licentias conceſſas mulieribus ingrediendi* Monaſteria *fratrum, & probibet tales ingreſſus ſub pœna excommunicationis ipſo facto, poſtquam harum literarum notitiam habuerint, abſolutionem ſibi reſeruando; introducentibus verò apponit pœnam priuationis, & ſuſpenſionis à diuinis. tomo 2. pag.194*

6 Circa. Mandat *omnibus monialibus clauſuram, etiam tertiarijs, & alijs, qui nec eam promiſerunt, nec vmquam ſeruauerunt; prouidet, quòd per Conuerſas colligantur eleemoſynæ pro ipſarum monialium ſuſtentatione; quas tamen Conuerſas in ipſis* Monaſterijs *recipi vetat; quòd ſi eleemoſynæ per Conuerſas collectæ non ſufficiãt, prouideant Ordinarij colligi per alias perſonas pias, nec plures moniales recipiantur, quàm quæ commodè ſuſtentari poſſunt. tom. 2. pag. 194*

7 Etſi.

7 Etſi. *Numerat 40. grauamina illata Mendicantibus ab Epiſcopis, & Parochis, à quibus eos liberat, multa loca Concilij Trid. declarando; poſtremò confirmat omnia Mendicantium priuilegia. tom. 2.* *pag.* 204

8 Summi. *Concedit nouitijs monialibus in articulo mortis cōſtitutis, vt profeſſionem poſſint emittere ante annum probationis expletum, dummodò ſint in ætate legitima conſtituta, ijſque etiam indulgentiam plenariam concedit in forma iubilæi. tom. 2.* *pag.* 213

9 Debitum. *Concedit, quòd Superiores regulares in vnaquaque Prouincia poſſint conſtituere etiam plures ſui Ordinis fratres ab eis approbatos, in Notarios publicos pro intimandis mandatis, & reſcriptis Apoſtolicis, publicam, & priuatam dicti Ordinis vtilitatem concernentibus. tom. 2.* *pag.* 214

10 Romani. *Statuit, quòd Religioſi non poſſint vti bulla Cruciatæ, nec alijs indultis particularibus quò ad electionem confeſſorum, & quò ad abſolutionem à reſeruatis; poſſunt tamen abſolui, & diſpenſari à ſuis Prælatis, ſicut poſſunt* Clerici, *& ſeculares à ſuis Epiſcopis per Concilium Trid. tom. 2.* *pag.* 217

Pyrrhus Archiep. Conſentin.

Conſt. vn. Decet. *Eximit Ordinem Minim. à ſua iuriſdictione, & illum immediatè ſubijcit Sedi Apoſtolicæ, illumque approbat, multa priuilegia concedendo. tom. 1.* *pag.* 1

Sixtus IV.

Conſt. 1. Ijs. *Mandat Epiſcopo S. Marci, vt ſumpta informatione de nobis conceſſis à Pyrrho, ea auctoritate Apoſtolica approbet, & confirmet. Communicat priuilegia conceſſa F. Petro de Piſis. tom. 1.* *pag.* 11

2 Sedes. *Confirmat ex certa ſcientia priuilegia Pyrrhi, & de nouo concedit. tom. 1.* *pag.* 13

3 Apoſtolicæ. *Concedit, vt qualibet vtriuſque ſexus perſonæ ſepeliri poſſint cum habitu noſtro; & excommunicat Curatos, & alios contradicentes, ſibi abſolutionem reſeruando. tom. 1.* *pag.* 26

4 Sacri. *Iſta eſt bulla, quæ communiter dicitur aurea, in qua ſanctus Pontifex Sixtus confirmat omnia priuilegia iam conceſſa à ſe, & ſuis prædeceſſoribus fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, & de nouo multa concedit, eiſque communicat omnia conceſſa cęteris Mendicantium Ordinibus. tom. 1.* *pag.* 27

5 Quoniam. *Reuocat particulam bullæ aureæ, idest 4. huius Pontificis §. 6. ſuper abſolutionem, & diſpenſationem fratrum obtinendam à Generali ſolùm, & dictam facultatem eos habere decernit, qui eam habebant, antequam dicta bulla aurea emanaſſet. tom. 1.* *pag.* 35

6 Supplicari. *Concedit, vt fratres, cum itinerauerint, vel extra Conuentum erint de licentia ſuorum Prælatorum, poſſint confiteri Sacerdotibus quibuſcunque ſecularibus, vel regularibus. tom. 1.* *pag.* 36

Sixtus V.

Conſt. 1. In cæli. *Mandat, feſtum S. Franciſci de Paula celebrari ſub ritu duplici, & in Kalendario Romano aſcribi. tom. 2.* *pag.* 225

2 In his. *Transferent celebrationē Capituli generalis, quæ fiebat in die Aſcenſionis, ad diem Pētecoſtes. to. 2. pag* 225

3 Etſi. *Concedit, vt quilibet Prouincialis cum tribus ſuis Socijs, etiam extra Capitulum generale, & prouinciale, poſſit nouitios ad Religionem admittere. Additament. pag.* 341

Vrbanus VIII.

Conſt. 1. Iniuncti. *Confirmat priuilegia Minimorum ex certa ſcientia. tom. 2.* *pag.* 275

2 Apoſtolicam. *Concedit, quòd fratres Minimi ſe poſſint obligare ad ſuffragia perpetua. tom. 2.* *pag.* 276

3 Ad augendam. *Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſias Minim. ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis. tom. 2.* *pag.* 277

4 Conſeruationi. *Iubet ſub pœna excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ne ex Bibliotheca Genuenſi Ordinis Minim. extrahantur quomodolibet libri. tom. 2.* *pag.* 278

5 Exponi. *Reducit onera miſſarum perpetuarum ad rationem ſcutorum quinquaginta monetæ Romanæ. tom. 2. pag.* 278

6 Inter. *Statuit, quòd Collegium, ſeu Conuentus S. Franciſci de Paula Ordinis Minimor. ſitum in regione Montium iuxta palatium Monaſterij Sancti Petri ad Vincula, & per bonæ mem. Io: Pizzullum Presbyt. Calabrum ex Oppido Reginæ Biſinianen. Diœc. oriundum fundatum, perpetuis futuris temporibus à Religioſis dicti Ordinis ex Prouincia Calabriæ tantùm, & non ab alijs ex quacumque alia Prouincia, & natione gubernetur, & adminiſtretur. tom. 2.* *pag.* 279

7 Humanæ. *Prohibet fieri inueſtituras bonorum iuriſdictionalium, ad Eccleſias inferiores ſpectantium in vniuerſa Italia. tom. 2.* *pag.* 283

8 Sacra. *Quæ eſt decretum Congreg. Concil. editum de mandato Vrbani VIII. in quo prohibetur Regularibus alienatio. tom. 2.* *pag.* 285

9 Cum. *Quæ ſunt decreta Congreg. Concilij, iuſſu Vrbani VIII. edita de celebratione Miſſarum, & numero fratrum vnicuique Conuentui deſignandorum. tom. 2.* *pag.* 285

10 Sacra. *Quæ ſunt decreta* Congreg. *Vrb. VIII. iuſſu edita; in quibus agitur de Regularibus apoſtatis, & eiectis, alijſque ordinationibus ad ipſos Regulares pertinentibus. tom. 2. pag.* 290

11 Vt ea. *Dat formam eligendi Generalem Minimorum in caſu mortis Generalis præteriti. tom. 3.* *pag.* 374

12 Iniuncti. *Annullat electiones Generalis,* Collegarum *& Zeloſi Ordinis Minimorum Barcinone factas, & prouidet de nouo. tom. 3.* *pag.* 380

13 Romanus. *Reuocat omnes licentias, & priuilegia ſumendi nouos* Conuentus *contra formam* Conſt. Clem. *VIII. & decretum* Congreg. *Concilij de mandato Gregorij XV. tom. 3.* *pag.* 381

15 Secretis. *Prohibet omnibus Epiſcopis Italiæ ſub pœna priuationis exercitij Pontificalium per annum, ne quemquam Vltramontanum ſine literis dimiſſorijs ſui ordinarij, recognitis à Vicario Papę ordinent etiam ad minores, aliter autem ordinatis pœnam ſuſpenſionis perpetuæ imponit. tom. 3.* *pag.* 383

16 Apo-

16 Apoſtolatus. *Statuit, quod non ordinatus celebrans, aut confeſſiones audiens, puniatur iuxta conſtit. Clem. VIII. non obſtante, quòd non fuerit conſtitutus in ætate 25. annorum, modò 20. annum compleuerit. tom. 3.* pag. 384

17 Religioſos. *Statuit, quòd Religioſi, qui fecerunt profeſſionem in Conuentibus non deſignatis pro nouitiatu, ad profeſſionem, nullo nouitiatu de nouo emiſſo, denuo recipiantur. ibid.* pag. 385

18 In ſpecula. *Statuit, quòd bulla Cruciatæ Sanctæ Regularibus non proſit quoad Sacramentum pœnitentiæ. ibid.* pag. 387

19 Apoſtolatus. *Reuocat omnes licentias à quibuſcumque conceſſas, præterquam ab ipſomet, habendi, & legendi libros quoſcumque prohibitos. ibid.* pag. 387

20 Cum. *Statuit, quòd conſtitutiones apoſtolicæ in concernentibus fidem catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & impoſterum etiam ſuper quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, niſi in edendis ſpecialiter excipiantur. ibid.* pag. 388

21 Commiſſi. *Statuit, quòd Fratres Diſcalceati Ordinis SS. Trinitatis non poſsint tranſire ad aliam qualemcumque Religionem, excepta Carthuſia, abſque licentia Romani Pontificis. Et hoc ſub pœnis apoſtaſiæ, infamiæ, ac excommunicationis latæ ſententiæ. ibid.* pag. 389

22 In ſuprema. *Statuit, quòd eccleſiaſtici omnes, etiam Regulares, aureas, vel argenteas monetas tondentes, fabricantes, vel colorantes, degradentur, & curiæ ſeculari vltimo ſupplicio afficiendi tradantur: dictas autem monetas ſcienter retinentes, aut præfatos in præmiſsis quomodolibet adiuuantes, per decennium ad triremes damnat, ac huiuſmodi cauſarum cognitionem, etiam quò ad Regulares quantumlibet exemptos, ad Ordinarios locorum, ac in terris Papæ ad Legatos, & Prolegatos pertinere decernit priuatiuè quoad omnes alios, etiam proprios Regularium Superiores. Excommunicat, ac alijs pœnis afficit Superiores, qui præfatos Ordinarios quoquo modo impedire præſumpſerint. Habet autem hæc conſtitutio ſolùm locum in partibus Italiæ. ibid.* pag. 390

23 Sanctiſſimus. *Decernit, quòd ſingulis annis, id eſt, Feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis B.M.V. Superiores regulares ſub pœna priuationis officij, & vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, in publica menſa, ſeu capitulo ad hoc ſpecialiter conuocato, & in quolibet capitulo generali, vel prouinciali, ſeu conuentuali, teneantur commonere ſuos ſubditos de obſeruantia conſtitutionum apoſtolicarum ad officium Inquiſitionis pertinentium, & in ſpecie de his, quæ hic notantur. ibid.* pag. 392

24 Cum. *Concedit facultatem Generali Minimorum ſupprimendi conuentus tenues, eorumque bona in conuentus maiores transferendi cum oneribus annexis. ibid.* pag. 393

25 Paſtoralis. *Reuocat omnia priuilegia conceſſa Fratribus particularibus in Regnis Hiſpaniarum, propter quæ ab obedientia ſuorum Prælatorum eximuntur. ibid.* pag. 394

26 Cum. *Reuocat omnia priuilegia audiendi confeſsiones abſque examine, & approbatione Ordinarij. ibid.* pag. 395

27 Inſcrutabilis. *Contra Aſtrologos iudiciarios, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vita Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum iudicia facere, necnon eos qui illos deſuper conſulere præſumpſerint, cum innouatione ſimilis conſtitutionis Sixti PP. V. ibid.* pag. 396

28 Alias. *Reuocat omnia viuæ vocis oracula, etiam à Cardinalibus obtenta, & eorum manu ſubſcripta. ibid.* pag. 397

29 Cum aliàs. *Eſt Decretum Sacræ Cõgregationis Rituum, in quo conceditur Abbatibus Caſsinenſibus, vti tribus feſtiuitatibus anni balchino. ibid.* pag. 399

30 Nuper. *Concedit, quòd Regulares non poſsint prohiberi aſſociare corpora defunctorum; & quòd Curati non poſsint cogere hæredes defunctorum celebrari facere Miſſas in ſuis Eccleſijs Parochialibus. ibid.* pag. 399

31 Sacra. *Eſt Decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos à S. Rituum Congregatione de ordine S.D. N. Vrbani Papæ VIII. emanatum die 23. Martij 1630. ibid.* pag. 400

INDEX CONSTITVTIONVM EIVSDEM VRBANI VIII.

& Sacræ Congregationis Decretorum, quæ in Nouiſſimis Additionibus continentur.

Conſtit. 1. CVm. *Electo in Epiſcopum Guardien. Illuſtriſſimo, ac Reuendiſſimo D. Raphaele Pizzurno Ordinis Minimorum Correctore Generali, deputat Generalem Reuerendiſſ. P. F. Ioannem Baptiſtam Ronca.* pag. 414

2 Paterna. *Celebrationem Capituli Generalis Ordinis Minimorum, & Reuerendiſſimo Patri Ioanni Baptiſtæ Ronca munus Correctoris Generalis prorogat ad triennium.* pag. 414

3 Cum. *Prorogat officia Collegarum Generalium Ordinis Minimorum RR. PP. FF. Franciſco Giurba, & Petro Guerret.* pag. 415

4 Religionis. *R. P. Petro Vaſquez in offitio Collegatus continuare nolente, eligit in Collegam Hiſpanũ Generalem R. P. Paulum Torreno è Prouincia Hiſpalenſi.* pag. 415

5 Religionis. *Prorogat Zeloſatum, ſeu officium Procuratoris*

toris Generalis Ordinis Minimorum Reuerendo Admodum P. Fratri Laurentio de Spezano. 416

6 Cum. *Concedit moderno Correctori generali, ac cæteris in perpetuum futuris Correctoribus Generalibus Ordinis Minimorum, vt poſt expletum Correctoris generalis officium votum conſultiuum, deciſiuum, & electiuum in omnibus capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Intermedijs habere, necnon aliquem Conuentum, à quo non poſſint amoueri, ac vnum Fratrem Ordinis præfati oblatum, ſiue laicum arbitrio ſuo in ſuum ſocium eligere libere poſſint, & licitè valeant.* 417

7 Exponi. *Confirmat decretum emanatum in fauorem FF. Laicorum Ordinis Minimorum, quod ipſi vnà cum Sacerdotibus poſſint ſuffragium ferre pro acceptatione Nouitiorũ: Sancta Obedientia præcepto ijs, ad quos ſpectat, & inſuper priuationis tum vocis actiuæ, & paſſiuæ, tum officiorum ſuorum, ac perpetuò inhabilitatis ad illa pœnis appoſitis pro huiuſmodi Decreti obſeruantia.* 417

8 Quoniam. *Excommunicat omnes, & ſingulos, qui vel dicunt Fratres conuentuales, viuentes iuxta Conſtitutiones Vrbanas non eſſe veros Regulæ S. Franciſci obſeruatores, vel dicunt, eoſdem viuentes iuxta Regulam declaratam, mitigatam, relaxatam à Summis Pontificibus non eſſe veros, ac germanos filios S. Franciſci, eiuſq; Sanctiſſimæ Regulæ Profeſſores.* 419

9 Nuper. *Confirmat decretum S. Congregationis, quod Laici profeſſi Capuccinorum, inter eũdum, & ſedendum, & in publicis, & priuatis actionibus, ſemper, & vbique nouitijs Clericis, nondum profeſſis præcedere poſſint, & debeant.* 419

10 Cæleſtis. *Declarat, & confirmat decreta edita circa proceſſus pro beatificatione, & canonizatione Sanctorum conficiendos.* 420

11 Inter. *Mandat vt inter fratres minores S. Franciſci reformatos nulli competat ius, præcedendi ſiue honoratioris loci niſi ſuperioribus actualibus, eorum tantum officio durante, & ijs, qui Miniſtri Generalis, vel Commiſſarij generalis, Ciſmontanæ familiæ officio functi fuerint, qui immediate poſt ſuperiores actuales locum habeant.* 422

12 Iniunctum. *Prohibet ſub cenſuris, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis, Fratribus Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum ne viuant, ſeu maneant extra clauſtra locorum dicti Ordinis, abſq; Sanctæ Sedis, & Superiorum eiuſdem Ordinis licentia.* 423

13 Romanum. *Declarat Clericos Regulares ſcholarum piarum non comprehendi in decretis generalibus editis à Clemente VIII. & à Sanctitate ſua confirmatis, quibus cæteri Clerici Regulares non comprehenduntur.* 424

14 Cum. *Statuit quod Regulares, vbi vltra vota ſolita etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda, extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, ſeu habitus priuationem aut dimiſſionem à voto huiuſmodi nullatenus liberantur.* 424

15 Cum. *Concedit licentiam Generali Ordinis Minorum Conuentualium ſupprimendi, & extinguendi Conuentus Pauperes.* 426

16 Exponi. *Confirmat Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quod nullus ex Fratribus eiuſdem Ordinis audeat tractare aliquod negotium per ſe, vel per alium in Romana Curia, niſi per Procuratorem Generalem Ordinis, vel de eius ſciẽtu.* 426

17 Nuper. *Confirmat decreta, & literas à S. Congregatione Regularium negotijs præpoſita emanatas ſuper præcedentia inter Regulares diuerſarum Religionum.* 427

18 Exponi. *Confirmat decretum Sacræ Congregationis rituum, quod Imagines SS. Auguſtini, Nicolai de Tolentino, & aliorum SS. Ordinis Sancti Auguſtini à Fratribus Diſcalceatis impreſſæ, vel depictæ cum habitu, quo ipſi Diſcalceati vtuntur ſuſpendantur, & aboleantur, & talia amplius non peragantur.* 428

19 Cum. *Statuit quæ obſeruanda ſint circa Iubilationem Lectorum in Ciſmontana familia Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia.* 429

20 Cum. *Mandat Ordinarijs locorum, vt decernant, ne Parochi plus percipere poſſint in Sepulturis, quæ fiunt in Eccleſijs Regularium, quam in eis, quæ fiunt in proprijs, ſeu aliorum Clericorum.* 430

21 Cum. *Declarat, & decernit quod Conuentus, ſeu Hoſpitalia Religionis B. Ioannis Dei, in quibus duodecim Religioſi non exiſtunt, non comprehendantur decreto à Sanctitate ſua edito ſubijciente huiuſmodi Conuentus omnimode iuriſdictioni ordinarij loci.* 430

22 Alias. *Confirmat decretum Sacræ Congregationis Cõcilij Tridẽtini interpretum, quod in Eccleſijs Parochialibus, quæ ſunt membra Monaſteriorum Congregationis Caſſinenſis, aut alias ab ipſis dependentes, cura animarum exerceri poſſit, etiam per Monachos ad nutum ſuorum Superiorum amouibiles.* 431

23 Cum. *Mandat locorum Ordinarijs, ac nuntijs Apoſtolicis, ne permittant quemquam deferre tunicam ſimplicem, oblongam, cum mantello, vel ſine mantello Fratrum Minorum de Obſeruantia, abſque licentia in ſcriptis Superiorum prædictæ Religionis; Habitum verò prædictum cum capucio tunicæ, ſeu mantello conſuto, nec etiam cum licentia cuiuſuis Superiorum dicti Ordinis.* 432

24 Cum. *Statuit non ieiunandum in vigilia Sancti Ioannis Baptiſtæ, quando contingit in die Solemnitatis Corporis Chriſti.* 433

25 Nuper. *Confirmat decretum S. Congregationis Rituum, quod Monachi Caſſinenſes non ſunt vllo modo cogendi accedere, niſi ad proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti.* 433

26 Cum. *Confirmat, & declarat literas pro bono regimine Prouinciæ S. Ioãnis Baptiſtæ Fratrum Diſcalceatorũ de obſeruantia: & alia ſuper de nouo concedit.* 434

27 Cum. *Concedit fratribus Conuentualibus Ordinis Minorũ, vt in Conuentibus, in quibus non eſt facta reductio Miſſarum, fieri poſſit in primo Capitulo talis reductio ad rationem 60. ſcutorum pro qualibet Miſſa quotidiana.* 436

28 Exponi. *Decernit, quod Miniſterium Redemptionis Captiuorum in omnibus ſpectet Fratribus Calceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede dumtaxat, & nullatenus ad Diſcalceatos.* 437

29 Militantis. *Statuit nonnulla pro reſtituendo, ac conſeruando in Ordine fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia diſciplinæ regularis candore.* 438

30 Nu-

30 Nuper. *Confirmat declarationem Conſtitutionis Clementis Papæ VIII. de largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdicta.* 440

31 Cum. *Prohibet omnibus ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ ſumptionem Tabacchi in Eccleſijs, earumque atrijs, & ambitu ciuitatis, & Diœceſis Hiſpalenſis.* 443

DECRETA

SACRÆ CONGREGATIONIS

Eminentiſſimorum Cardinalium.

DECRETVM PRIMVM.

INcorrigibiles intrà annum è carceribus fugientes, ob fugam puniendi, & carceribus detinendi. Nec Commiſſi impediti Procuratorem valeant conſtituere. 445

2 *Generalis Minimorum Romæ pro eijciendis incorrigibilibus vltra tres Collegas, loco Prouincialis, & duorum huius antiquiorum Collegarum, poteſt aſſumere Zeloſum, ac Superiorem, & primum Seniorem Conuentus.* ibid.

3 *Concedit facultatem Correctori Generali Ordinis Minimorum diſpenſandi ſuper ſtatuto eiuſdem Ordinis Maſſiliæ celebrato* 1635. *ad ordinem Presbyteratus ſuſcipiendum cum illis Clericis tantùm, qui triennium in ſtudijs abſoluerint.* 446

4 *Quod nouus Conuentus Rhegij Fratrum Reformatorum de Obſeruantia Sancti Franciſci ad formam hoſpitij reducatur.* ibid.

5 *De poteſtate Epiſcopi circa clauſuram Monialium.* 447

6 *Statuit modum ſeruandum in recipiendis Informationibus pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum ſeruorum Dei.* ibid.

7 *Circa declarationes eiuſdem Sacræ Congregationis.* ibid.

8 *Pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus ſolemniter in Pontificali cum Baldachino celebrantibus.* 448

9 *Circa Sepulturam in Eccleſijs Regularium.* ibid.

10 *Pro Sepultura Defunctorum.* 449

11 *Contra Religioſos, & Eccleſiaſticos quoſcumque quæſtuoſas artes in Vrbe, eiuſque diſtrictu exercentes pro ſæcularibus.* ibid.

12 *Super forma ab Ordinarijs locorum obſeruanda in procedendo contra Religioſos B. Io: Dei; ſi quando aliquis intra Clauſtra degens, extra ea ita notoriè delinquat, vt populo ſcandalo ſit.* 450

13 *De tempore legendi Conſtitutionem Vrbani VIII. circa publicationem decretorum ad S. Officium ſpectantium.* ibid.

14 *De tempore legendi Conſtitutionem de celebratione Miſſarum.* ibid.

15 *De Confeſſionibus Superiorum Congregationis Somaſchæ.* 451

17 *De Poteſtate Epiſcopi circa electionem Abbatiſſæ.* ibid.

17 *De electione Sepulturæ liberè facienda pro filijs à parentibus.* 457

18 *De exemptione bonorum per Eccleſiaſticos poſſeſſorum.* ibid.

PYRRHVS ARCHIEPISCOPVS CONSENTINVS

CONSTITVTIO VNICA.

Eximit Ordinem Minimorum à ſua iuriſdictione, & illum immediatè ſubijcit Sedi Apoſtolicæ, illumque approbat, multa priuilegia concedendo.

PYRRHVS

Miſeratione diuina Archiepiſcopus Conſentinus, Dilecto nobis in Chriſto filio F. Franciſco de Paula, eremitę noſtrę Conſentinę Diœceſis, tuæq; Congregationis fratribus eremitis præſentibus, & futuris, ac vniuerſis, & ſingulis ſalutem in Domino ſempiternam.

Proęmiū. *DEcet nos ex officio, quo Archiepiſcopali Eccleſiæ Conſentinæ, præſidemus, vigilanti cura, ſingularique ſollicitudine circa ea, quæ in laudem, & gloriam omnipotentis Dei, cui ſoli cura eſt de nobis, & à quo bona cuncta procedunt, ac in augmentum ſanctæ fidei Catholicæ, noſtræque Chriſtianæ Religionis, ac plurimorum animarum ſalutem cedunt, ac in multorum bonum exemplum, inſudare; ac quantùm cum Deo poſſumus, ea, quæ iuſta, rationabilia, ſalutifera, & à iure diuino, ac Sanctorum Patrum institutionibus penitùs, & omninò non diſcrepantia gratioſè concedere, & ijs fauorabiliter annuere.*

Supplicatio. §. 1. *Dudùm ſiquidèm ad tuæ ſupplicationis inſtantiam ſuper finibus, & poſſe dictæ terræ Paulæ, quoddam Oratorium, ſeù Eccleſiam ſub vocabulo S. Franciſci per te erigi fecimus, in quo diuina officia audire, & eccleſiaſtica ſacramenta recipere, ac orare poſſes. Tu, qui dictum Oratorium, ſeù Eccleſiam cum ſingulari diligentia vnà cum quodam paruo dormitorio fabricaſti, ac fabricari feciſti, ac in dies fabricas, & amplias, vitamque auſteram eremiticam per 20. annos, vel circa, & ſanctè, & iuſtè, & religioſè vixiſti, ac de bono in melius ſemper perſeueraſti, pro vt ducis viuis, & perſeueras de præſenti, ibidèmq; Deus ſolita clementia, diuerſa, & crebra miracula per te operatus eſt, & operatur in dies, propter quæ multorum creuit deuotio populorum, & ad te confluit populi multitudo, multique ſub habitu eremitico, & tecum viuere decreuerunt, & Deo continuò præſtare famulatum. Et vt tu, ipſique quietiùs, ſanctiùs, & deuotiùs viuere, & Deo feruentiùs famulari valeatis, tu, & F. Balthaſar Sacerdos, cæterique Clerici, & Laici ſub habitu eremitico ibidem vitam ducentes, nobis humilitèr ſupplicaſtis, vt dictum Oratorium, ſeù Eccleſiam S. Franciſci de Paula ab omni iuriſdictione, & ſuperioritate matris Eccleſiæ terræ Paulæ, & ab omni alia iuriſdictione, & ſuperioritate, etiam noſtra eximere, & liberare, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ totaliter relaxare, dictumque Oratorium, ſeù Eccleſiam vnà cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, tibi, tuæque Congregationis eremiticis fratribus, præſentibus, & futuris conferre, & in perpetuum concedere, & prouidere de eodem; teque (pro vt ipſi ſupplicarunt) in eorum Patrem, Superiorem, & Priorem deputare, huiuſmodique Fratribus eremitis poteſtatem, baliam, auctoritatem te F. Franciſcum, & alios quoſcumque in eorum ſuperiores, & officiales canonicè eligendi dare, & concedere, tibique, & alijs per vos eligendis omnem iuriſdictionem, & poteſtatem in ſpiritualibus, & temporalibus, vndè & ſuper omnibus locis, perſonis, & rebus huiuſmodi, cum poteſtate miſſas, & alia diuina officia celebrandi, Confeſſiones audiendi, Euchariſtia, & alia eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrandi, & recipiendi; malefactores, rebelles, & inobedientes puniendi, incarcerandi, condemnandi, & abſoluendi: & pro huiuſmodi, vitæ obſeruantia ſtatuta, & ordinationes iuri diuino, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus conſona faciendi, & de bono in melius reformandi, ac alias opportunè in omnibus concedere, dare, & prouidere dignaremur.*

§. 2. *Nos verò, qui ex vera ſcientia, & experientia iam longo, & continuo tempore te cognoſcimus, operaque tua & nobis manifeſta ſunt, & te religio-* Motiua.

ſum, & ſanctum hominem, ac Deo gratum, & acceptum fore, & eſſe demonſtrant, conſiderantes, quod bona opera, pia, ch ritatiua, an Deo grata, & multis ſalutifera, inibi, & vbiquè per te, tuamque Congregationem ferueutiùs, ac quietiùs, & deuotiùs operari poterunt, ſi priuilegijs munamini, ac fauoribus, & gratijs proſequamini opportunis, veſtris iuſtis, & ſanctis deſiderijs, & ſupplicationibus annuentes, & inclinati; huiuſmodi Oratorium, ſiuè Eccleſiam vna cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis tibi, tuæque Congregationi in perpetuum damus, tradimus, aſſignamus, cedimus, & conferimus, at tenore præſentium prouidemus de eadem.

Eligit P.N. in ſuperiorem Religionis.

§. 3. Teque in Superiorem huiuſmodi tuæ Congregationis, Patrem, Rectorem, & Priorem, ſeù quouis alio nomine nuncupandum damus, & deputamus, cui præſis, ac vita, & exemplis proſis, tuiſque monitis, mandatis, & præceptis ſalubribus omnes huiuſmodi Congregationis perſonæ obedire, & parere debeant, ipſique tuis eremitis fratribus te in ſuum Superiorem, & Priorem, ac vnà tecum alios quoſcumque Superiores, & Officiales canonicè eligendi poteſtatem, & auctoritatem.

Concedit facultatem ſtatuta cōdendi.

§. 4. Nec non ſtatuta, & ordinationes pro huiuſmodi vitæ obſeruantia, à iure tamèn diuino, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus non deuiantia faciendi.

Dat ſuperioribus poteſtatē ſuper fratres.

§. 5. Tibique, & huiuſmodi officialibus, & ſuperioribus ſic eligendis omnimodam iuriſdictionem ordinariam in ſpiritualibus, & temporalibus Congregationis huiuſmodi perſonarum, etiamſi Sacerdotali, ſeù quauis alia præfulgeant dignitate, & locorum, iuriſdictionum, animalium, & rerum omnium ad te, tuamque Congregationem quomodolibèt ſpectantium, & pertinentium.

Concedit auctoritatē delinquentes caſtigādi.

§. 6. Cum poteſtate quoſcumque rebelles, & inobedientes, omnium huiuſmodi Congregationis perſonarum delinquentium peccata, delicta, & cuiuſcumque generis maleficia, & crimina (pro vt iuris fuerit) puniendi, huiuſmodique delinquentes incarcerandi, condemnandi, diſciplinandi, liberandi, abſoluendi, cæteraque faciendi, quæ in præmiſſis, & circà præmiſſa vobis videbuntur fore neceſſaria, & opportuna, & quæ nos met facere poſſemus.

Sacerdotes poſsūt miſſam antè diem cum altari portatili celebrare, & ſacramenta miniſtrare.

§. 7. Sacerdotibus verò huiuſmodi Congregationis, ſeù ſæcularibus, vel regularibus per vos eligendis, miſſas etiam antè diem, & in quocumque loco ad hoc congruo, & honeſto cum altari portatili celebrandi, Euchariſtiæ, & alia quæcumque Sacramenta eccleſiaſtica liberè, & licite cibi, huiuſmodique tuæ Congregationis perſonis, quotiès deuotio ingruerit, & neceſſitas poſtulauerit, abſque quacumque Superioris licentia miniſtrandi, ad quæ ſuſcipienda extrà loca huiuſmodi compelli non poſſitis.

Confeſſiones audire, & à caſibus abſoluere.

§. 8. Confeſſiones audiendi, & ab omnibus caſibus, excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, ac ſuper quacumque irregularitate, nobis tàm à iure, quàm à nobis reſeruatis, & permiſſis, totiès quotiès abſoluendi, & diſpenſandi, votaq; quæcumq; permutandi, & relaxandi, ac pænitentiam ſalutarem iniungendi.

Loca recipere.

§. 9. Loca, Oratoria quæcumque, & Eccleſias licitè accipiendi, & retinendi.

Quibuſcūque venientibus habitum tradere.

§. 10. Quaſcumque etiàm perſonas eccleſiaſticas, & ſæculares ad vos venientes, & vobiſcum moram trahere, & habitum, quem geritis, profiteri, & recipere volentes acceptandi, & recipiendi ad habitum, & promiſſionem obſeruantiæ caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, veſtraque huiuſmodi ſtatuta, & ordinationes facere poſſint, & valeant, ac poſſitis, & valeatis, poteſtatem, baliam, & auctoritatem tenore præſentium damus, concedimus, & indulgemus, ac vobiſcum ſuper his opportunè diſpenſamus.

Communicat priuilegia S. Franciſci.

§. 11. Omnibuſque priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus fratres S. Franciſci, cæteriq; Mendicantes fruuntur, & vtuntur, frui, & vti, auctoritate noſtra in Ciuitate, & Diæceſi Conſentinenſi poſſitis, & valeatis.

Eximit Religionem à ſua iuriſdictione.

§. 12. Huiuſmodi Oratorium, ſiuè Eccleſiam, ac alia quæcumque loca, Oratoria, & Eccleſias per vos in poſterum acquirenda, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, eremitiſque, & perſonis, rebuſque omnibus, ad vos, veſtraque loca quomodolibèt ſpectantibus, & pertinentibus, perſoniſque huiuſmodi inibi degentibus ab omni iuriſdictione, ſubiectione, & ſuperioritate matrum Eccleſiarum, ac noſtra, noſtræq; Conſentinæ Eccleſiæ, cæterarumq; perſonarum (ſalua tamèn ſemper quarta omnium legatorum, quam omninò nobis, & ſucceſſoribus noſtris, pro vt iuris eſt, ſoluere teneamini) ex certa noſtra ſcientia, motu proprio, & de plenitudine noſtræ dignitatis, quantùm cum Deo poſſumus, in perpetuum eximimus, & totalitèr liberamus, ac ſub protectione, ſubmiſſione, iuriſdictione, & ſuperioritate Sedis Apoſtolicæ totalitèr, ſpecialitèr, & ſingularitèr, & expreſsè remittimus, & relaxamus, præſentibus, perpetuis, futuriſque temporibus valituris.

Subſcriptione, & ſigillo corroborat.

§. 13. In quorum omnium, & ſingulorum roboris firmitate, & teſtimonium præmiſſorum per manus Philippi Figadij de Buxem Cancellarij noſtri præſentes fieri fecimus, noſtrique maioris ſigilli appenſione munitas, & noſtræ propriæ manus ſubſcriptione roboratas.

Datum in noſtro Archiepiſcopali Caſtro S. Lucidi Anno 1471. die vltimo Nouembris, quartæ Indictionis, ſub Pontific. Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli Papæ II. Anno Septimo. Amen.

CIRCA CONSTITVTIONEM

1 Noto 1. quòd Archiepiſcopus Pyrrhus per conceſſionem horum priuilegiorum modum viuendi inſtitutum à B. P. N. approbauit, & per conſequens confirmauit (hæc enim duo verba pro eodem ſumuntur in iure ca. vnico de Religioſis domibus in 6. §. fin. vbi Gloſſa in ſum. & habent Azor to. 1. inſtit. moral. li. 11. c. 24. q. 5. & Vaſq. 1. 2. diſp. 165. c. 4. n. 38. Rodriq. to. 1. qu. regul. q. 17. art. 2. Quod annotare libuit propter aliquos, qui ſunt imaginati, hæc duo verba differre, non enim priuilegia conceſſiſſet, niſi modum viuendi quaſi antecedenter prius approbaſſet, & confirmaſſet.

2 Noto 2. poſſe quempiam hic dubitare, & meritò, qua auctoritate dictus Archiepiſcopus potuerit noſtram Religionem approbare, cum hoc ad Romanum ſpectet Pontificem?

R. Antiquitùs ad Epiſcopos pertinuiſſe Religionum approbationem; cùm enim Epiſcopi, qui loco Apoſtolorum ſucceſſerunt, vt dicitur Cap. In nouo, diſt. 21. & in Trid. ſeſ. 23. de Sacram. Ord. cap. 4. iuriſdictionem ſpiritualem à Chriſto Domino acceperint, vt dicitur Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,*

Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo; ſubiectam tamen ſupremæ iuriſdictioni Summi Pontificis. Religiones tamdiù potuerunt approbare, quamdiù non fuerunt impediti à ſupremo Paſtore. Ità Azor, & Vaſq. loc. cit. Sanchez 5. in decal. c. 1. num. 15. & 20. Vndè cum tempore Pyrrhi dicta iuriſdictio nondùm fuiſſet, neq; iure, neq; vſu, vel conſuetudine ablata, potuit doctiſſimus Archiepiſcopus naſcentem Minimam noſtram Religionem confirmare.

3 Si dicas, quòd iàm erat multò antè ſublata hæc facultas Epiſcopis, vt videre licet in Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 13. & refertur cap. vlt. de Religioſis domibus, & habetur in c. vn. eod. tit. in 6. Vide Leſſium lib. 2. de iuſt. cap. 41. num. 12.

℞. Illa capita non loqui de Epiſcopis, ſed de inuentoribus Religionum, neque tollere ab Epiſcopis auctoritatem Religiones confirmandi, ſed ſolùm prohibere, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, ſed quicumq; voluerit Religioſus eſſe, vnam de approbatis ingrediatur. Ità Vaſq. loc. cit. & patet clariſſimè ex textu dictorum capitum. Adde, quòd conſtitutio cap. vn. de Relig. dom. in 6. propriè videtur loqui de ijs Religionibus, quæ non poſſunt habere proprium, neque etiàm in communi, nec extendi ad illas, quæ proprium poſſunt habere, vt Io: Andreas dicto cap. ſtatim in princ. paulò antè à num. 1. Vndè licèt contendant aliqui, dicta conſtitutione prohiberi Epiſcopis Religionum approbationes, quod dicimus eſſe falſum, adhùc tamen potuit ſuo iure dictus Archiepiſcopus noſtram Religionem confirmare, quià noſtra Religio proprium habet in communi.

4 Vbi autèm prohibita exiſtat Epiſcopis Religionum approbatio, diſcrepant inter ſe DD. Quidam putant dictis cap. de Relig. dom. vt Azor loco cit. & Sanchez etiàm cit. num. 15. Meliùs Vaſq. loc. cit. Qui ait, id longo vſu & conſuetudine iamdiù obtentum fuiſſe, quæ conſuetudo tempore Pyrrhi nondùm erat introducta. Et conſtat, quià Sixtus IV. deindè approbauit, & confirmauit dictam approbationem Pyrrhi, quod certè non feciſſet, ſi Pyrrhus iuriſdictionem Romano Pontifici ſoli debitam vſurpaſſet.

5 Dico igitur, quòd ſicùt olim licitum fuit Epiſcopis in ſuis Diœceſibus Sanctos canonizare, vt latè probat Bellarminus to. 2. debeat. & canon. Sanct. controu. 4. de Eccl. triumph. lib. 1. & diffusè Garcia de canon. Sanct. p. 2. c. 1. per multa, & nunc etiam liceret, niſi id illis prohibitum eſſet in cap. 1. de reliq. & vener. Sanct. Ità etiàm licitum olim fuiſſe Epiſcopis Religiones approbare, quod modò licitum non eſt longo vſu, & inueterata conſuetudine. Et ſicùt Epiſcopi ſolum canonizabant pro ſua Diœceſi, ità ſolùm pro eadem approbabant. Pro vniuerſa verò Eccleſia, tàm canonizatio, quàm approbatio ſempèr pertinuit ad Rom. Pontificem tamquàm ad vniuerſalem Paſtorem.

6 Si quæras vlterius, quo iure potuit dictus Archiepiſcopus nobis tot priuilegia concedere?

℞. Quod ille ſolus poteſt priuilegium dare, qui poteſt legem ferre. Cum enim priuilegium lex quædam priuata ſit, ab eo ſolo poteſt ferri, qui habet legiſlatiuam poteſtatem. Ità Antonin. p. 1. tit. 19. cap. 1. ſtatim in princ. Sylu. verbo Priuilegium, q. 2. Angelus qu. 3. Tab. qu. 2. Roſel. q. 2. Armil. num. 3. & Suar. lib. 8. de legib. cap. 8. Vndè patet, quòd cum Epiſcopi poſſint leges ferre, poſſunt etiàm proportionaliter ad eas, vel à ſe, vel à ſuis prędeceſſoribus latas, priuilegia concedere, quod in ſpecie docent omnes cit. DD. & præſertim Suar. nu. 9. Docent etiàm Canoniſtæ in cap. Olim, el 2. de priuil. Quod cum ità ſit, mirari nõ debemus, ſi dictus Archiepiſcopus hæc nobis priuilegia conceſſerit. Et licèt verum ſit, quòd nequit Epiſcopus concedere priuilegiũ contrà ius commune, vel Pontificium, vel latum à ſuo Superiore, vt docet idem Suar. (licèt n. poſſit ſuper illis aliquandò diſpenſare, id tamèn non eſt per ſe, ſed quatenùs iure, vel conſuetudine illi conceſſum eſt) verum etiam eſt, ſi benè omnia trutinentur, hæc priuilegia nobis à Pyrrho conceſſa, eſſe vel iuri communi conformia, vel præter illud.

7 Et aduerte, quòd non eſt neceſſarium, quod priuilegium ſemper ſit contrà ius commune, ſed ſatis eſt, ſi ſit prætèr, vel vltrà illud, vt ſunt multa priuilegia, quæ verè, & propriè dicuntur talia, conceſſa Regularibus abſoluendi, & diſpenſandi, quæ non ſunt contraria iuri communi, ſed aliquid vltrà illud addunt; vt Suar. lib. 8. de leg. cap. 1. num. 5. Sufficit etiàm, ſi iuris communis ambiguitates tollat, certitudinem addat, vel admoneat, mentem Principis eſſe, vt tali ius commune ſeruetur, vt Suar. loco cit. num. 7.

8 Noto 3. quòd iſta priuilegia Pyrrhi fuerunt confirmata à Sixto IV. Iulio II. & alijs Summis Pontificibus ex certa ſcientia, & extenſa ad omnes Diœceſes. Quarè iàm ſunt facta propria Summi Pontificis; vndè non poterant poſt prædictam confirmationem ampliùs à prædicto Pyrrho, vel eius ſucceſſoribus reuocari, vt benè Syluestr. verbo Priuilegium, q. 10. & Suar. 8. de leg. c. 37. num. 13. Ideò explicanda vt Summi Pontificis propria.

§. III.

9 NOto, quòd iure potuit Archiepiſcopus Pyrrhus inſtituere Sanctiſs. Archimandritam noſtrum in Superiorem ſuorum ſubditorum, iiſque tribuere facultatem eum, & alios eligendi; nam nulla Congregatio poteſt habere formam, nec vigorem Religionis, niſi ſit ab habente auctoritatem approbata. Ex quo ſequitur, quòd approbans ſit Religionis caput; Vnde optimè dixit Henriq. lib. 7. de indulg. c. 24. numer. 4. in commento, littera B. & nu. 7. in comm. l. E. quòd Papa, ad quem pertinet generalis Religionum omnium confirmatio, ſit illarum proprius Generalis, cum liberum ſit illi approbare, vel non approbare, facere Religionem, vel non facere. Quarè Religio nullam habet iuriſdictionem, niſi illi ab habente auctoritatem per confirmationem, & approbationem tribuatur, & in illius poteſtate eſt dare tantam, vel tantam; & Sicùt poteſt approbans retinere apùd ſe omnem iuriſdictionem, & eſſe caput Religionis approbatæ, ità poteſt hanc iuriſdictionem capitis tribuere cuicumque voluerit, Quod quamuis fiat ex conſenſu etiàm ſubditorum, qui voluntariè ſe ſubmittunt inſtitutori, & regulæ inſtitutæ per vota, id tamen efficaciam non habet, niſi ab habente in Eccleſia poteſtatem accepterus. Quarè optimè ſequitur, potuiſſe dictum Archiepiſcopum P. N. Generalem inſtituere & tribuere fratribus poteſtatem eum, & alios eligendi. Hæc ex Vaſq. prima 2. diſp. 165. c. 4. num. 41. & 42. & Sanchez lib. 5. in decal. c. 1. numero 20.

§. IV.

10 NOto, quòd nullus Superior, nequè etiam Capitulum Generale poteſt facere ſtatuta contrà ius commune, vt dicam latiùs in recollectione Actuum, ſi recolligere Religio mandauerit. Ità Nauar. lib. 3. conſil. de regul. conſ. 26. num. 4. Habetur expreſsè in cap. Quod ſuper his, de maiorit. & obed. vbi Panor. & alij Canon. Habetur etiàm in Cap. Inſtitutionis 25. qu. 2. Idem docet Io. Andr. c. fin. de appell. in 6. à num. 9. & c. fin. de off. Archipresb. nu. 7. Poſſet tamèn dictum Capitulum Generale conſtitutiones iuris communis declarare, innouare, & vbi pœna deficit apponere, vel veterem prò aliqua rationabili cauſa augere, quià hoc non eſt ius commune ſubuertere, ſed illud adiuuare, quod licitum eſſe dicitur in cap. 1. de nou. oper. nunciat. Poſſunt etiàm Capitula Generalia ad correctionem motum, ius commune ſupplendo, ſtatuta facere præceptoria, prohibitoria, atque pœnalia, quod habetur in cap. Prodeſt. 23. qu. 5. Docet idem Io. Andr. dicto cap. fin. de off. Archipresb. & eo ipſo quòd ſunt prædicto modo facta, ſunt Apoſtolica auctoritate confirmata per priuile-

uilegium Clementis Septimi Congregationi Clericorum Regularium, & Pauli III. Societati Ieſu, vt refert Peregrinus prima parte ſui compendij, tit. Conſtitutiones. Nec ſolum poteſt Capitulum adiuuando prędicto modo ius commune, pœnas apponere, ſed etiam idem poteſt facere in iure diuino, & ſimiliter in iure naturali. Ità Maſſobr. in praxi, tract. de ſynodo, dubio 48. & colligitur ex ca. A nobis, el 1. de ſent. excom. Nec ſolum id poteſt Capitulum, ſed etiam ſolus Generalis, & ſolus Prouincialis & ſolus Corrector. Idem Maſſobr. & colligitur ex eodem cap.

§. V. & VI.

11 NOto, quòd Prælati noſtri habẽt iuriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos, tùm ſpiritualem, tum temporalem, quià iuriſdictio manãs ex conceſſione perpetua facta alicui ratione dignitatis ab habente poteſtatem, eſt ordinaria, vt Gloſſa in ca. fin. de off. Iud. ord. Vbi Baldus hæc habet præcisè. *Quæritur, Vtrum commiſſio faciat quem ordinarium, ſeu delegatum.* ℞. *Si eſt commiſſio perpetua, facit ordinarium, ſi autem temporalis, facit delegatum.* Ità Paſſarel. in not. priuil. notab. 15. Sanchez li. 2. de matrim. diſp. 40. n. 14. Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 17. art. 6.

12 Nec ſolum habent dicti Prelati iuriſdictionem ordinariam in profeſſos, ſed etiàm in nouitios, quià multa priuilegia habent dicti Prælati circà nouitios, quæ ſunt perpetua, vt conſtabit ex dicendis, & habet Rodriq. loc. cit. art. 11.

13 Nec ſolùm habent auctoritatem ordinariam ad cauſas regulares, ſed etiàm ad extraneas, quales ſunt lites, quas habent ſæculares aduerſus Regulares, ſiuè ſint ciuiles, ſiuè criminales. Ità Nauar. comm. 2. de reg. num. 63. Archidiac. in cap. Nullam 18. q. 2. n. 3. Rodriq. loc. cit. art. 6.

14 Ex quo deducitur primò, quod priuilegia, quæ concedunt aliquid Prælatis, poſſunt ab ijs ſuis fratribus communicari. Quia iuriſdictio eſt Principis priuilegio competens non perſonæ alicui determinatæ, nec circa perſonas determinatas, ſed perpetuò dignitati, & in genere reſpectu ſubditorum ordinaria eſt, & delegabilis. Sylu. verbo Delegatus, q. 8. nu. 10. & 11. Sanchez lio. 2. de matrim. diſp. 40. num. 14. Et habetur in cap. fin. de off. deleg. Quę communicatio per mortem ipſorum Prælatorum, vel priuationem ab officijs, vel ipſorum functionem non expirat, cum ſit gratia, quæ morte concedentis non expirat, cap. Si ſuper gratia, de offi. deleg. in 6. & cap. Si cui, de præben. eodem libro. Nec turberis ex eo, quod dicta Capita loquantur de Papa, in quo eſt ſuprema auctoritas. Nam non fundantur in ipſa ſuprema Papæ auctoritate, ſed in natura gratiæ, quam, vt ait Pontifex d. cap. Si cui, decet eſſe manſuram. Atque ità docent Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 3. dub. 1. concl. 3. verſu Si arguitur ſecundò. Suar. lib. 8. de legib. cap. 32. num. 9. Quarè ſi Prouincialis alicui fratri commiſerit particularitèr, & expreſsè diſpenſationem cum inceſtuoſis; vel cum his, qui poſt ſimplex votum caſtitatis matrimonium inierunt, vel poſſe aperire literas Sacræ Penitentiariæ, non erit opus ab alio Prouinciali, vel Generali, poſtquam concedens officio functus fuerit, vel priuatus, vel mortuus, dictam auctoritatem petere. Ità in ſpecie Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 17. art. 11. Innoc. in cap. Quod translationem, de off. leg. num. 2. Panorm. in cap. Cum ad hoc, de clerico non reſid. num. 9. Gutierr. lib. 2. can. quæſt. c. 17. num. 6. 7. & 8.

15 Secundò colliges, quòd, niſi aliqua particularis conſtitutio obſtet, quando Prouinciales, & Generales concedunt, ſeù etiam Epiſcopi, vel eorum Vicarij alicui poſse abſoluere à caſibus ſibi reſeruatis, quòd iſta licentia ſempèr durat, etiamſi Prouinciales, Generales, & Epiſcopi functi ſint officijs, vel mortui, nec eſt opus eam ab alio Superiore petere. Ità expreſsè tenet Cruz lib. 2. de ſtatu relig. cap. 3. dub. 1. concluſ. 3. verſu. Si arguitur 2. Sa verbo Gratia, n. 4. Suarez to. 4. in 3. p. diſp. 26. ſect. 3. n. 9. & lib. 8. de leg. cap. 32. n. 9. Neq. hoc eſt inferre præiudicium ſucceſſori, nam illi ſatis eſt, quòd poſſit dictam gratiam reuocare. Nec priores Pręlati poſterioribus poſſunt præiudicium inferre, quià par in parem non habet imperium, Cap. Innotuit, §. Quamuis, de elect.

16 Tertiò colliges, quòd gratiæ factæ à Prælatis tempore viſitationis per modum ſtatuti fratribus aliquibus particularibus, iuſtis ſuadentibus rationibus, v. g. quòd aliquis, vel cauſa infirmitatis, vel ſtudij, ſit exemptus à choro, &c. durant etiam poſtquàm dicti concedentes officio functi fuerint. Panor. in cap. Nemini, de off. leg. num. 2. Sylueſt. verbo Deleg. q. 6. num. 7. Gloſſa in capit. *A nobis*, verbo, *Non niſi ſubditi*, de ſent. excom. Immò etiamſi non ſint factæ per modum ſtatuti, ſed ſimpliciter, cum cauſa tamen rationabili. Panor. in ca. Cum ad hoc, de cleric. non reſid. n. 9.

17 Aduertè etiàm, quòd ſubſequens Prælatus non debet ſinè iuſta cauſa priuare ſubditum priuilegijs illi conceſſis à ſuo anteceſſore, quòd ſi fecerit, tenet quidem factum, ſed ipſe peccat, argumento Regulæ Decet, quæ eſt 16. de regul. iur. in 6. & ſignificatur in capit. Suggeſtum, de decim. Quod peccatum de ſe non eſt quidem lethale, poterit tamèn eſſe ratione ſcandali, vel odij. Ità Suar. lib. 8. cap. 37. num. 10. Immò addo, quod nequè ab eo, qui conceſſit, debet ſinè cauſa priuilegium reuocari, vt Panor. loc. cit. & Gloſſa in cap. Cum ex eo verbo Septennium, de elect. in 6. Quæ exemplificat in eo, qui obtinuit priuilegium ſtudendi per ſeptem annos, quo antè illud ſeptennium ſinè cauſa priuari non poteſt, etiàm ab eo, qui conceſſit. Nec inferior Prælatus poteſt dictas gratias reuocare, niſi ſit eiuſdem auctoritatis cum eo, qui conceſſit. Clem. Ne Rom. de elect. cap. Inferior, d. 21.

18 Aliter autem dicendum eſt de grauaminibus, Nàm ſi Prælatus imponat alicui, v. g. vt quotieſcumq. non interfuerit veſperis, dicat culpam in publico, vel quotieſcumque repertus fuerit extrà cellam hora ſilentij comedat panem, & aquam dumtaxat, tunc, Prælato functo officio, vel per mortem, &c. non tenetur ſubditus ampliùs vigore dicti præcepti ea exequi, nàm hic ſumus in odioſis, quæ ſtrictè ſempèr ſunt interpretanda, iuxtà regul. Odia, quæ eſt 15. de regul. iur. in 6. Niſi per ſententiam definitiuam dictus Prælatus talia dicto ſubdito impoſuiſſet, nàm tunc, etiam Prælato officio functo, tenerentur ea exequi, vt Innoc. loc. cit. num. 3. & Panor. etiàm cit. nu. 9.

§. VII.

19 NOto 1. quò ad id, quod conceditur, vt poſſimus miſſas antè diem dicere, quòd in Concil. Trident. Seſs. 22. decr. de obſeru. & vit. in celebrat. miſſæ, præcipitur, quòd miſſa debitis horis celebretur, cum derogatione priuilegiorum in contrarium. Horæ autèm debitæ ſunt illæ, quæ præcipiuntur a Miſſali Rom. in quo §. 15. de hora celebr. miſ. habetur, *Miſſa priuata quacumque hora ab aurora vſquè ad meridiem dici poteſt.* Quò decreto ſinè dubio derogatur huic, & alijs inſtà ponendis priuilegijs; Quicquid dicat Rodriquez tom. 1. qu. regul. qu. 43. art. 5. contendens, Concilium non reuocare priuilegia, ſed tantùm præcipere Ordinarijs, vt, non obſtantibus priuilegijs, compellant Regulares in foro exteriori cenſuris, & alijs remedijs opportunis, ne facultatibus in ipſis priuilegijs conceſſis vtantur; vndè putat, quòd ſi Epiſcopi non impediant, poſſunt Regulares ſuis priuilegijs ſinè aliquo ſcrupulo vti. Verùm alij communiter tutiùs putant, per illa verba Concilij, *non obſtantibus priuilegijs, &c.* ſatis fuiſſe priuilegijs conceſſis antè dictum Concilium derogatum. Ità A Sorbo in compend. priuil. verbo Miſſa, in princ. Azorius, tomo 1. inſtitut. moral. libro 10. cap. 25. quæſt. 4. Nauar. in manu. cap. 25. numero 86. Immo idem Rodri-

quez

Digitized by Google

quez hoc etiàm concedit in explicatione bullę Cruciatæ, §.13.num.9. Addo, quòd Pius V. per vnam conſtitutionem datam anno 1570. quæ incipit, Quò primùm,& refertur à Cherub. tom.2. bull. in Pio V. conſtit.eius 106. pag. 313. præcipit ſub merito ſanctæ obedientiæ omnibus Sacerdotibus tam regularibus,quàm ſæcularibus, vt miſſas celebrent iuxtà ritum Miſſalis Rom. & idem Pontifex anno 1566. per ſuam conſtit. quæ incipit Sanctiſſimus, & refertur à Cherub. loc.cit. conſtitut. eius 4. pag. 178. præcipit omnibus Sacerdotibus ſub merito ſanctæ obedientiæ, ac pœna perpetuæ ſuſpenſionis à diuinis, ne miſſas quocumq; prætextu veſpertino tempore dicere præſumant. Et Azor refert declarationem Illuſtriſs. Cardinalium, quæ ſic habet, *Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet, etiam vigore priuilegiorum à Sede Apoſtolica antè Concilium Tridentinum conceſſorum*. Itaquè vigore priuilegiorum ante Concilium Trident. conceſſorum nulli Regularium licet miſſas antè auroram, nec poſt meridiem celebrare.

20 Verum tamèn eſt, quòd Gregor. XIII. Anno II. ſui Pontificatus conceſſit ſacerdotibus Congregationis Sanctæ Iuſtinæ, vt dùm in itinere fuerint, poſſint miſſam celebrare antè auroram, & poſt mediam noctem, & hoc viuæ vocis oraculo facto Illuſtriſs. Alexandro Farneſio Cardinali, illius Ordinis Protectori, & refertur in compend. fratrum S. Hieronymi in Hiſpania, fol.50. Ità referunt A Sorbo, & Azor loc.cit. Eamdem conceſſionem fecit, & pleniorem dictus Gregorius præsbyteris Soc. Ieſu, per eius bullam, quæ incipit, Quanta in vinea Domini,apùd Rodriq. in bull. in Gregorio XIII. bulla eius 22. addito nimirùm, quòd poſſint celebrare per horam antè auroram, & infrà horam poſt meridiem cauſa itineris, vel alteriùs legitimi impedimenti. Et Sixtus V. anno Domini 1586. per ſuam conſt.quæ incipit,Decet Romanum Pontificem, & refertur à Naldo verbo Confeſſio,num. 39. conceſſit Congregationi Oratorij, vt poſſint per dimidium horæ ſpatium antè auroram, & poſt meridiem,eueniente caſu, miſſas celebrare. Multa alia ſimilia refert Cruz lib.2. de ſtatu Relig. cap.5.dub.6.concl. 2. Quibus priuilegijs gaudent omnes participantes.

21 Noto 2. quòd citrà priuilegium non poteſt miſſa celebrari antè auroram, vt dictum eſt. Sed dubium eſt quid nomine auroræ intelligatur, non enim intelligitur per auroram ortus Solis, ideſt aſcenſus corporis ſolaris ſuprà noſtrum Orizontem; ſed initium crepuſculi diei,ſeu prima lucis irradiatio, vndè Gabriel lect.14. in Canon. & Scotus in 4. diſt.13.q.2.dicunt,licitum eſſe inchoare miſſam vna hora,& quarta parte alterius antè ortum Solis. Quę tamèn mathematica menſura ad res morales nimia eſt. Non erit itaquè peccatum hora, & dimidia antè ortum Solis ſacrificare. Ità Suarez tom.3.in 3.p. diſp.80.ſect.4.Paulò ſtrictiùs Vaſq.tom.3. in 3. p. diſp.232.cap.3.nu.27. Atquè ita Regulares, qui habent priuilegium, vt per horam antè diem celebrare poſſint, cum huiuſmodi priuilegium intelligi debeat antè auroram, quòd eſt tempus determinatum, à quo ſinè priuilegio miſſa poteſt inchoari, poterunt inchoare miſſam per duas horas cum dimidia antè ortum Solis.

22 Miſſæ autèm noctis Natiuitatis Domini poſſunt omnes tres celebrari antè auroram. Ità Vaſq. loc. cit. nu.32.Suar.dicta ſect.4. quæſito 3.

23 Tempus verò legitimum, intrà quod miſſa debet abſolui, vel inchoari, eſt meridies. Ità communiter DD. Suar.loc.cit.concl.2. Vaſq.c.4.Singularem opinionem in hoc tenuit Nauar.in Sum c.25.nu.85.& de orat. miſcell. 76. putans, licitum eſſe cuilibet Sacerdoti miſſam celebrare vſquè ad horam nonam diei, quæ eſt tertia poſt meridiem,ceſſante ſcandalo, & ſuadente aliqua honeſta cauſa. Quam opinionem dicit non eſſe tutam in praxi Suarez loco cit. & nihil habere probabilitatis aſſerit Vaſq. Itàq; abſquè priuilegio cenſent cum multis, quos citant, per ſolam Eccleſiæ alicuius particularis conſuetudinem non poſſe miſſas poſt meridiem inchoari, inchoatas autem finire eſt ſine difficultate debitum.

24 Duos tamèn caſus excipit Suar. quibus etiàm ſine priuilegio licitum eſt poſt meridiem miſſas inchoare, nimirum in aliquo ſolemni feſto, in quo miſſa publica,& concio non finiantur,niſi ad vnam,vel duas horas poſt meridiē,tunc enim durãte ſolemni miſſa, & etiàm paulò poſt, quià parùm pro nihilo reputatur, poterunt inchoari miſſæ priuatæ,quià totum illud tempus in illo caſu cenſetur legitimum,& debitum. Ità Vaſq.n.37. & Suarez, qui alium addit caſum, nimirùm ſi ratione itineris occurrat neceſſitas celebrandi in die feſto paulò poſt meridiem,dummodò vnius horæ tempus non excedatur. Quæ omnia probabiliſſima ſunt, & in praxi tutiſſima, & obſeruantur de facto.

25 Si roges, an liceat in triduo hebdomadæ ſanctæ, celebrare,

℞. Breuitèr, in Feria V. licitum eſſe omnibus Sacerdotibus celebrare,abſquè populi tamen frequentia, & ſecluſo ſcandalo, ſi quod eſſet, ſed in ſecreto, vt celebrius ſit ſacrificium illius diei. Ità Suar.to.3.in 3.p.diſp. 80. ſect.2.Sotus in 4.diſt.13.q.2.art.2.ad 2.Gutierrez li.1. canon.q.cap.30.n.36.Scortia de Sacrif. miſ.li.2.c.5.nu.9. & alij.Quia id nullo iure prohibetur, nequè eſt vlla introducta conſuetudo,quæ vim legis habeat. In die autem Paraſceue peccatum mortale eſt,ſiuè in publico,ſiuè in ſecreto celebrare.Ità omnes cit.& habetur in cap. Sabbatho,de conſecr.diſtint.3. In die Sabbathi Sancti, Nauar.in ſum.c.25.n.88.& alij putant,peccatum mortale eſſe celebrare plùs quàm vnam miſſam publicam. Citati tamen DD. & alij apùd ipſos cenſent,peccatum non eſſe priuatim, & in occulto celebrare ob rationabilem cauſam,præſertim ab ea hora, in quà incipit, vel incipere poteſt ſolemne,& paſchale officium, & ſic cap. illud Sabbatho quò ad hoc eſſe cõſuetudine antiquatũ.

26 Aduerte deniquè, quòd Regulares poſſunt dicere miſſas in diebus Dominicis, & feſtis quacumque hora debita, etiàm antequàm Rector parochialis Eccleſiæ celebrauerit. Et ità declarauit Sacra Congregatio nu. 5. in declarationibus,quas pono infrà in conſt. 7. Pij V. circà §.10.n. 14. Immò id expreſsè conceſſit dictus Pius V.in dicta conſt.§.10.

27 Noto 3. quò ad id, quod conceditur in hoc §. vt poſſimus celebrare miſſam in quocumque loco honeſto cum altari portatili,ſeù viatico, quòd hoc idem nobis conceſſit Iulius II. conſtit. eius 2.§.7. & conceſſum erat per ius commune Prædicatoribus, & Minoribus, cap. In his, de priuil. Sed hæc iam ſunt antiquata per Concilium Trid. ſeſſ.22.decr.de obſeru.& euit.in celebr. miſſ. illis verbis, *Neue patiantur in priuatis domibus vel extrà Eccleſiam &c*. Ità Nauar.in man.cap.25.num. 82. A Sorbo in comp.verbo Miſſa,in princ. Azor. tom. 1.inſtit.moral.lib.10.cap.26.quæſt.7.Suar.tom. 3. in 3.p. diſput.81.ſect.3.except.4.Reginald. in praxi lib. 29. numer. 178.

28 Sed Gregor. XIII. conceſſit presbyteris Soc. Ieſu, quòd, non obſtante deciſione Concilij Triden. ſeſſ. 22. cit. poſſint presbyteri dictę Societatis in miſſionibus, quæ à Superioribus fiunt, ſeruata aliàs forma conceſſionis Pauli III. (videlicèt cum debita reuerentia, & honore) ſacrificium miſſæ cum altari viatico celebrare, vbique gentium,etiam in caſtris militum,modo loca, &ſi communia,& profana,tuta,& honeſta ſint, & Præpoſitus generalis, aut per eum Prouinciales præpoſiti eo tunc vtendum fore iudicauerint. Poteruntq; ibi ipſi presbyteri ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus,ad illud ſumendum debitè præparatis. Ità referunt to.1.qu.regul.q.43.art.4.Henriq. lib. 9. de Sacrif. miſſæ, capitulo 27. nu. 2. in comm. lit. S. Azor, ferunt Cherub. tomo 2. bull. in Gregorio XIII. conſtit. eius 57. pag. 433. incipit Vſum altaris, Rodriquez Reginal. & Suar. loc. cit. Qui quidem Suar. ait, hoc priuilegium non participari ab alijs,quià conceditur perſonis, non locis. Sed verè non prohibetur com-

municatio, vt patet ex dicto priuilegio relato à Cherub. & quandò Papa non vult priuilegium communicari, expreſsè dicit, vt conſtat ex priuilegio conceſſo ab eodem Gregorio eidem Societati, quod poſſint ordinari extrà tempora, & non ſeruatis interſtitijs; Quod refert Cherub.loc. cit. in Gregorio conſt. eius 77. incipit, Pium & vtile, pag. 460. Et priuilegium illud conceſſum ab eodem Gregorio presbyteris dictæ Societatis, quod ſub hac forma refert Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 59. art. 5. *Gregorius XIII. conceſſit, quod confeſſarij Societatis Ieſu, ac Prædicatores ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & à ſuis Superioribus ad eiuſmodi munera deputati quandocumque, ſiue in mari, ſiue in terra iter faciant, poſſunt, non repugnantibus tamèn Curatis parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi fidelium confeſsiones audire.* Priuilegium, inquam, hoc equidem locale non eſt, ſed perſonale, tamèn Rodriq. loc. cit. ait, illud communicari confeſſarijs ordinum Mendicantium, Idem docent Henriq. lib. 7. de Indulg. c. 28. nu. 2. A Sotbo in comp. verbo Abſolutio quò ad fratres, & ſæculares, concluſ. 11. pag. 57. Miranda tom. 1. Man. quæſt. 45. art. 8. Immò & ipſe Suar. tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 7. num. 13. Sed dicendum eſt, quòd Suar. non dicit, hoc priuilegium non communicari alijs, alias communicationem habentibus, ſed quòd alij Sacerdotes dictos presbyteros Societatis ſociantes, qui regulares non ſunt, ſeù communicationem non habent cum dicta Societate, non poſſunt in dicto altari viatico celebrare, eo quià non altare eſt priuilegiatum, ſed perſona celebrans. Sicùt è contrà quãdo eſt priuilegiatus locus, poſſunt omnes, & priuilegiati; & non priuilegiati ibi celebrare, vt de Oratorio deputato à Prouinciali dicam modò. Fruuntur ergò omnes Mendicantes dicto priuilegio, quià Mendicantes communicant in priuilegijs conceſſis dictę Societati per conceſſiones Pontificum, non ſolùm antè, ſed etiàm poſt Concilium Trid. vt Rodriq. tom. 1. qu. regul. q. 55. art. 17. Atque ità docet Vaſq. to. 3. in 3. p. diſp. 233. cap. 1. n. 7. Fagund. in præcept. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 13. n. 17.

29 Aliud verò priuilegium conceſſum ab eodem Gregorio eidem Soc. Ieſu, vt in ſuis domibus in priuato Oratorio à Prouinciali approbato poſſint dici miſſæ ſine alia Epiſcopi approbatione; non obſtante Concilio Trid. quod referunt Rodriq. tom. 1. qu. regul. q. 43. art. 4. Suar. to. 3. in 3. par. diſp. 81. ſect. 3. except. 4. Naldus in ſum. verbo Miſſa, n. 32. Reginald. in praxi, lib. 29. nu. 178. Participatur ab omnibus Regularibus abſque controuerſia, vt docent omnes citati; & præterea Azor to. 1. inſtit. moral. lib. 10. ca. 26. q. 9. Et ſimiliter participatur ab alijs Regularibus priuilegium Nicolai Franci Legati de latere Sixti IV. conceſſum Ordini S. Benedicti Vallisoletani, vt in Monaſterijs, tam in infirmarijs, quàm in alijs quibuſcumque locis honeſtis intrà ſepta eorum poſſint Fratres habere altaria portatilia ad celebrandum. Ità refert Rodriq. in ſuo bull. in Sixto IV. conſt. eius 44. n. 2.

30 Sed poſſet hic quæri; an in grangijs Monaſteriorum, ſeù in prædijs ipſorum, vtilitatis, & recreationis cauſa acquiſitis, poſſint fieri Oratoria, in quibus diuina officia celebrentur ſinè licentia Ordinarij, Rodriq. hanc quæſtionem proponit tom. 1. q. regul. qu. 75. art. 1. & reſpõdet, quòd ſic, allegando priuilegium Alexandri VI. conceſſum Ordini Ciſtercienſi, vt Monachi illius Ordinis poſſint grangias conſtituere, inibique Eccleſias, Capellas, & Oratoria, in quibus officia diuina celebrari poſſint, ſine loci Ordinarij, vel Diœceſani, ſeù alteriùs cuiuſcumque licentia ædificare, vbi vaſallorum, colonorum, incolarum ibidem commorantium confeſſiones audiri, & eiſdem pœnitentia ſalutaris iniungi, Euchariſtiaque, & alia Sacramenta ſinè Parochiæ præiudicio, per Monaſteriorum Abbates, & ſuos Monachos ad id deputatos, miniſtrari liberè, & licitè valeant. Refert etiam ib. Rodriquez viuæ vocis oraculum Pauli III. conceſſum Monaſterio B. Mariæ de Guadalupe, & extenſum deindè ad omnia Monaſteria illius Ordinis per Pium IV. & Pium V. & conſequentèr ad omnes Mendicantes communicationem cum illis habentes, quod ſic habet, *Antonius Cardinalis, & Pœnitentiarius Pauli III. Pont. eiuſdem anno I. XIII. kal. Febr. de eiuſdem Pontificis speciali mandato, viuæ vocis oraculo ſupèr hoc ei facto, auctoritate Pontificis indulſit, & conceſſit, quod omnes fratres Presbyteri prædicti Monaſterij B. Mariæ de Guadalupe, tam intrà, quam extrà illud in Capellis, Oratorijs, grangijs, & locis alijs eiuſdem Monaſterij (non contradicente Priore, aut in eius abſentia, aut Sede vacante, Vicario) poſſint adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, etiam in die Paſchatis ſubditis eiuſdem Monaſterij, vel ab eo dependentibus, & alijs illo confluentibus vtriuſque ſexus, Diœceſanorum, locorum, Curatorum, aut Rectorum ad hoc licentia minimè requiſita, & ſic præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant non obſtantibus contrarijs quibuſcumque.* Et art. 2. eiuſdem q. 75. refert idem Rodriq. aliud priuilegium Eugenij IV. quod ſic habet. *Eugenius IV. conceſſit, quod grangiæ monaſteriorum Ciſtercienſium, ſicut Eccleſiarum atria, à prauorum hominum incurſu, & violentia liberè, & quietè debent eſſe, ità vt nemo in eis hominem capere, ſpolium, aut ruinam exercere præſumat in virtute Spiritus Sancti inhibendo ſtatuit.*

31 Quæ priuilegia per Concilium Trid. non eſſe derogata docet idem Rodriq. loc. cit. quia Concilium ſeſs. illa 22. decr. de euit. &c. ſolùm vult tollere, vt in domibus priuatis non erigantur Oratoria ſine licentia, & approbatione Ordinarij, in quibus poſſit ſacrificium miſſæ celebrari, non autèm videtur tollere, quin poſſit in dictis grangijs, quæ domus priuatæ non ſunt (vt conſtat ex dicto priuilegio Eugenij illis immunitatem concedente) dicta Oratoria fieri, & ibi cum altari portatili celebrare; Sicùt neq; etiàm tollit, quin poſſint dicta Oratoria intrà clauſtra Regularium in infirmarijs V. G. fieri, & ibi celebrare, quià extrà Eccleſiam omninò non ſunt, cum nomine Eccleſiæ veniant etiàm Religioſorum clauſtra, vt colligitur ex cap. Abbati, §. Hac autèm, diſt. 54. & cap. Alma mater. de ſent. exc. in 6. vbi Gloſſa verb. Monaſterij. Sed de hoc iàm nulla eſt difficultas poſt priuilegium Gregorij XIII. de quo dixi num. 29. Conſtat etiàm ex his, quòd non ſolum in grangijs, quæ ſunt in prædijs, poſſunt conſtitui Oratoria pro celebratione miſſarum, ſed etiam in illis, quæ fiunt in Ciuitatibus, & ſeruiunt pro infirmitorijs, illorum præſertim Conuentuum, qui valde diſtant à Ciuitatibus, vel Oppidis. Quod ſupponens Clemens VIII. conceſſit viuæ vocis oraculo (de quo teſtatur Cardinalis de Auila apud Rodriq. in bullar. in Clem. 8. p. 546.) vt Religioſi infirmi in dictis infirmitorijs exiſtentes poſſint frui omnibus indulgentijs, quibus fruerentur, ſi eſſent in dictis Conuentibus, dummodò in dictorum infirmitoriorum Eccleſijs, Capellis, ſeu Oratorijs ea omnia exequantur, quæ pro prædictis indulgentijs conſequendis tenerentur exequi, ſi in Conuentibus degerent. Concedit etiam, quòd morientes in dictis infirmitorijs potiantur iiſdem priuilegijs, ac ſi in proprijs Conuentibus obirent. Cautè tamèn, & prudentèr, ac ſine ſtrepitu, ne Parochi, & Ordinarij conquerantur, illis priuilegijs vtendum, quò ad adminiſtrationem Sacramentorum ſæcularibus extraneis & illo communionis in die Paſchatis præſertim non vtendum ſinè maxima, & grauiſſima neceſſitate.

32 Aduerte etiam, quòd illa verba poſita ſupra in conſt. Alexand. VI. *Sinè parochiæ præiudicio* fuerunt declarata, vt notant Rodriq. loc. cit. art. 1. & Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 5. dub. 7. concl. 2. à Sixto IV. nimirùm, quòd præiudicium, quod debent vitare fratres celebrando, prædicando, &c. eſt ſolùm circà decimas, & primitias Clericis à laicis exhiberi ſolitas, quaſi dicat Pontifex, Dummodò in Eccleſijs parochialibus non ſequatur prejudicium quò ad exactionem decimarũ, & primitiarum poſſunt prædicti fratres ſuperiùs conceſſa tacere.

33 Aduerte etiam quòd occupantes, infringentes, vel

ali-

aliquam violentiam facientes prædictis grangijs, vel alijs locis fratrum, ſunt ipſo facto excommunicati, & abſolutio eſt reſeruata Papæ per priuilegium Leonis X. de quo Rodr. loc. cit. Et Iulij II. de quo nos infrà in Iulio II. conſtit. eius 1. §. 17. Et Pauli V. de quo in comp. Congreg. S. Mariæ Fulienſis, tit. Bona Congregationis, §. 6. Videatur Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de reform. Et aduerte, quòd ad iſtam excommunicationem incurrendam requiritur, quòd occupantes, &c. ſint moniti huius priuilegij.

34 Aduerte etiam, quòd omnibus, & ſingulis Regularibus tàm viris, quàm fœminis, quibuſuis infirmitatibus pro tempore detentis, quibus ob huiuſmodi infirmitates, vel per medicum, aut Superiorem ſuum è cubiculis ſuis exire prohibitum fuerit, conceſſum eſt, vt durantibus infirmitatibus tantùm, miſſam in proprio cubiculo ſupèr altari portatili, in loco tamen decenti, & honeſto, per aliquem Sacerdotem, per eos ad ſuum libitum eligendum celebrari facere, illique intereſſe, & eam etiàm in ipſorum cubiculis iacentes audire, Sacramentumq; Euchariſtiæ confeſſi, & contriti, liberè, & licitè ſuſcipere poſſint, Ordinariorum locorum, ſeù quorumuis aliorum licentia deſupèr minimè requiſita, ipſiq; ac Sacerdos ſic per eos eligendus miſſam huiuſmodi reſpectiuè audiendi ac celebrandi plenam, & liberam licentiam, & facultatem habent.Ità conceſſit Pius IV. Canonicis regularibus S. Saluatoris Lateranenſis die 18. Maij 1565. Pont. ſui anno VI. vt habetur in eorum priuilegijs, pag. 536. & refertur in comp. priuil. Congreg. S. Mariæ Fulienſis, tit. Infirmi, §. 5. cum clauſula, Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, nec non in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus conſtitutionibus, & etiàm per nos quomodolibèt factis, & conceſſis. Per quam clauſulam derogatur etiam, in quantum opus eſt, decreto Concilij Trid. ſeſſ. 22. de celebr. miſ. Refert etiam Peregrin. in comp. priuil. Congreg. Cler. reg. tit. Infirmi, §. 2.

35 Aduerte tandem, quòd propter neceſſitatem iure communi permiſſum eſt celebrare abſquè Epiſcopi licentia ſub dio & extrà Eccleſiam, ac Oratorium deſignatum, vt ſi Rex; aùt Dux ſit in exercitu, vel claſſis Chriſtianorum appellat ad terram, qui iamdiù miſſam non audierint, vel ſi in itinere Eccleſia deſit, vel cũ magna multitudo hominum in aliquo die feſto ad paruam aliquam Eccleſiam concurrit, modò tamen ſempèr adſit altare viaticum, ſeù portatile ab Epiſcopo conſecratum, ſine hoc .n. numquàm permiſſum eſt vlla de cauſa celebrare. Altare autèm hoc viaticum, ſeù portatile, vel ara, vt vocant, eſt tabella quædam lapidea conſecrata ab Epiſcopo, quæ facilè pro itinere quouis loco defertur. Ita docent D. Th. 3. p. q. 83. art. 3. Nauar. in ſum. cap. 25. num. 82. Vaſq. tom. 3. in 3. p. diſp. 233. c. 1. nu. 6. Henriq. lib. 9. c. 27. nu. 2. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 81. ſect. & except. 3. Guttierez lib. 1. canon. q. cap. 30. num. 26. Et probatur ex can. 1. & can. Concedimus, de conſecr. diſt. 1.

36 Numquàm tamèn licet proptèr quamcumque neceſſitatem celebrare ſuprà mare, ſeù flumen in naui proptèr periculum effuſionis ſanguinis ex motu nauis. Ità Sylu. verbo Miſſa, q. 5. dicto 2. Angelus eod. nu. 40. Vaſq. loc. cit. num. 4.

§. VIII.

37 NOto 1. quòd in Eccleſia eſſe hanc poteſtatem caſus reſeruandi ſtatuit Trid. ſeſſ. 14. de ſacr. pœnit. c. 7. & id poſſe non ſolùm ſummum Pontificem, ſed etiàm Epiſcopos, docet idem Concilium; Poſſe autèm & Prælatos regulares, innuit idèm Concilium non obſcurè illis verbis. *Sed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſoluerentur.* Et quia, vt probabimus, habent iuriſdictionem quaſi epiſcopalem. Et quià id etiàm expreſsè ſtatuit Clem. VIII. in decr. pro regul. reform. quæ ponam infrà in Vrbano VIII. conſtit. eius 10. Et aduerte, quòd priuilegium, de quo hoc §. loquitur de abſolutione in ordine ad fratres, vt patet ex litera §. anteced. vndè eſt in ſuo vigore.

38 Noto 2. Qui ſint caſus iure Epiſcopis reſeruati, & qui conſuetudine. Iure, dicunt aliqui, quòd quinque ſunt caſus reſeruati Epiſcopis in extrauag. Intèr cunctas, de priuil. 1. eſt, quandò delictum habet ex iure annexam publicam pœnitentiam. 2. quando habet annexam excommunicationem maiorem. 3. quando habet annexam irregularitatem. 4. eſt peccatum incendiarij. 5. publica blaſphemia. Nauar. in ſum. cap. 27. nu. 262. dicit tantùm peccatum incendiarij eſſe reſeruatum; Sequitur Capeauille de caſ. reſeru. p. 1. cap. 5. q. 2. Sed in hoc mihi maximè probatur doctrina Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 29. ſect. 3. num. 6. qui ait, ex ſolo iure communi, ſecluſa conſuetudine, nullum eſſe reſeruatum Epiſcopis, & probat diſcurrendo per omnes dictos caſus, & in ſpecie, quià dicta extrauagans Intèr cunctas eſt reuocata per Clem. Dudùm, de ſepulturis, illis verbis. *Nos eam omninò caſſantes.*

39 De generali autèm conſuetudine dicunt Nauarr. & Capeauille loc. cit. quòd reſeruantur etiàm Epiſcopis alij quinque. 1. eſt homicidium voluntarium, aut realis membri abſciſſio. 2. eſt crimen falſi, quandoquis vitiat literas, vel ſcripturas, vel dat falſum teſtimonium, aùt tacet veritatem coràm Iudice, quandò debet illam dicere, aùt recipit pecuniam, ne teſtimonium dicat, aùt cùm Aduocatus, Procurator, Notarius oſtendit inſtrumenta vnius partis alteri. 3. eſt violatio eccleſiaſticæ libertatis, qua iniuſtè perſonæ, & res eccleſiaſticæ grauantur, ſed hodie iſte caſus eſt papalis, reſeruatus in bulla cœnæ. 4. eſt violatio immunitatis eccleſiaſticæ, qua in Eccleſia, vel loco ſacro, vel priuilegiato, proximus in perſona, vel rebus offenditur. 5. Eſt ſortilegium, & diuinatio. Addit 6. Nauarrus, nimirùm peccatum retinendi aliena incerta. De conſuetudine ſpeciali ſinguli Epiſcopi reſeruant ſibi eos caſus, qui magis videntur neceſſarij pro ſua Diœceſi.

40 Inhærendo itaquè ſententiæ Suarez dico, quòd nullus caſus eſt iure communi Epiſcopis reſeruatus, niſi conſuetudine legitima ſit approbatus, & cum omnes, & ſinguli Epiſcopi reſeruent ſibi aliquos ſpeciales, & particulares caſus, dico (loquendo de caſibus epiſcopalibus) omnes confeſſarios poſſe abſoluere ab omnibus caſibus, præterquam ab illis, quos in ſinguiis Diœceſibus ſibi Epiſcopi ſpecialitèr reſeruant, conceſſum enim videtur, quòd prohibitum non eſt, vt habet Gloſſa in cap. Nupèr, de ſent. excom. & colligitur ex dicto cap. Nupèr, §. In ſecundo. Atq; ità conſuetudinem hucuſq; id obtinuiſſe, & in praxi ità de facto obſeruari, quòd ſolùm illi caſus ſint reſeruati, qui ab Epiſcopo nominantur, ac deputantur, vt pro talibus habeantur, vel qui de conſuetudine præſcripta, notoria, & manifeſta, de qua in indice dictorum caſuum fiat mentio, docet Floronus p. 1. c. 2. §. 1. num. 5. verbo Septimò, & citat Poſſeuinum de off. curati, cap. 7. & Homobonum p. 1. cap. 3. verſu Quò ad caſus verò.

41 Noto 3. Quam auctoritatem habeant Epiſcopi abſoluendi à caſibus reſeruatis Papæ, dicitur in Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6. in hæc verba. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in ſua Diœceſi per ſe ipſos, aut Vicarium ſpecialiter ad id deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere, &c.*

42 Vbi aduerte, quòd hic occultum non ſumitur pro eo, quod à nemine ſcitur, ſed pro vt contradiſtinguitur à publico, & famoſo, etiamſi probabile ſit; proptereà enim additum eſt. *Exceptis alijs deductis ad forum contentioſum.* Dicitur autèm delictum publicum, ſtatim ac denuntiatum eſt, aùt accuſatum apud legitimum Iudicem. Ita Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 41. ſect. 2. num. 6.

43 Ad-

Digitized by Google

43 Aduerte etiàm, quòd illa verba *in foro conſcientiæ*, ſignificant, quòd habens poteſtatem abſoluendi aliquem in foro conſcientiæ, vtitur illa poteſtate in ſalutem animarum, vt dicta abſolutio valeat coràm Deo, & non coràm Eccleſia, & licèt ſi hæc abſolutio detur coràm aliquibus, non per hoc deſinit eſſe in foro conſcientiæ, nàm fit ſine ſtrepitu iudicij, & ſine præiudicio ſeitu, ſeu fisci. Operatur autem huiuſmodi abſolutio, vt ità abſolutus poſſit licitè coràm Deo celebrare abſq; eo quòd irregularitatem aliquam coràm ipſo Deo incurrat, & quòd omnes actus ab ipſo exerciti validi ſint quò ad naturam, & ſubſtantiam ipſorum, licèt in foro exteriori aliter iudicabuntur. Ità Rodriq. tom. 1. qu. regul. q. 61. art. 10.

44 Sed hic quæritur à DD. an vigore huius capitis poſſint Epiſcopi nunc abſoluere à caſibus in bulla cœnæ contentis. Tractant ex propoſito hanc quæſtionem Sanch. lib. 2. in Decal. cap. 11. num. 26. & Ricciullus de iur. perſon. lib. 5. cap. 14. & citant Doctores ex vtraque parte grauiſſimos. Hanc quæſtionem tractat diffusè Garcia de benef. part. 11. cap. 10. à nu. 115. Quòd non poſſint, tenent Toletus in ſum. in bulla cœnæ, excom. 14. fine. Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 30. ſect. 2. nu. 11. & tom. 5. diſp. 21. ſect. 3. num. 5. Sanch. loc. cit. num. 27. fine, Bonac. de cenſuris, diſp. 1. q. 3. punct. 2. num. 1. verſ. Primò hoc decretum, Ricciul. loc. cit. num. 13. Azor tom. 1. inſtit. moral. lib. 8. cap. 10. q. 10. Filliucius tom. 1. tract. 16. c. 12. q. 3. Nituntur, quià dicunt, id ſæpius fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione Concilij, immò à ſummis Pontificibus Gregorio XIII. & Clemente VIII. Quòd verò poſſint, tenent Nauarrus lib. 1. conſil. de conſtit. conſ. 1. qu. vlt. & lib. 5. de priuil. conſil. 11. q. 1. & in ſum. cap. 27. nu. 260. Sà in aphoriſ. verbo Epiſcopus, num. 27. Vega p. 1. ſum. cap. 125. caſu 11. Henriq. lib. 6. de Sacr. pœnit. cap. 14. num. 7. Mordicùs defendit D'Aluinus de pot. Abb. &c. cap. 27. num. 4. In tanta perplexitate illud puto certiſſimum, vigore publicationis bullæ cœnæ, quæ ſingulis annis fit, non fuiſſe derogatum huic capiti Concilij quò ad abſolutionem à caſibus in dicta bulla reſeruatis, nàm cù bulla ſingulis annis publicetur, non eſt credendum, Patres Concilij dediſſe illam auctoritatem Epiſcopis, cui ſtatim derogandum erat, nec talem fuiſſe mentem Pontificum, qui decreta dicti Concilij approbauerunt. Poteſt quidem eſſe, quòd longo vſu, & praxi Curiæ Romanæ, atq; etiàm declarationibus dictorum Pontificum, ſit derogatum quò ad caſus in dicta bulla contentos. De praxi Romanæ Curiæ teſtatur Ricciull. vir doctiſſimus, & qui Romæ ſcripſit, & habitat, Declarationes illorum Pontificum, & Congregationis Concilij ſi eſſent veræ, res eſſet ſinè controuerſia; Sed nihil authenticum videre potui.

45 Quòd confeſſores in vim priuilegiorum Cruciatæ Sanctæ eligendi, neminem ab incurſu, & lapſu in hæreſim abſoluere poſſint, ſtatuit Gregorius XIII. apùd Cherub. tom. 2. bull. in Greg. conſtit. eius 37. pag. 405. incipit, Officij noſtri.

46 Aduerte etiàm, quòd eamdem facultatem, quam habet Epiſcopi ergà ſuos ſubditos, tàm eccleſiaſticos, quàm ſæculares in ſuis Diœceſibus, habent Prælati regulares, Generalis quidèm in tota Religione, & Prouincialis in ſua Prouincia ergà ſuos. Sed dubitant Doctores, an vigore huius capitis liceat. Negat Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 41. ſect. 2. nu. 7. & tom. 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 5. Affirmant Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 2. num. 12. (licèt id deindè neget 2. in decalogum, cap. 11. num. 7.) Beia 4. part. caſuum, caſu 27. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. qu. 61 art. 9. D'Aluinus cap. 27 num. 2. & citat. P. Canart Doctorem Sorbonicum, ambo ex noſtra Religione, Fineſius de caſ. reſeru. c. 7. num. 17. Io. Valerius verbo Regularis, differ. 6. num. 5. qui ait, Gregorium XIII. expreſsè extendiſſe hanc facultatem ad Correctores, ſeù Priores conuentuales. Et videtur verior opinio; tum quià Prælati Regularium habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt docent Nauar. lib. 1. conſil. de temp. ordin. conſil. 37. num. vn. & in ſum. cap. 12. num. 75. Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 3. n. 9. Gloſſa in Clem. 1. de reb. eccl. non alien. verbo Proprij; & habetur expreſsè in cap. Abbates, de priuil. in 6. Illud *Quaſi epiſcopalem* excludit tantummodò ea, quæ ordinis ſunt epiſcopalis; vt conficere chriſma, conferre ordines, &c. Gloſſa in dicto cap. Abbates, verbo Quaſi Epiſcopalem; tùm quià non debent eſſe peioris conditionis ſubditi Prælatis regularibus, quàm ſint ſubditi Epiſcopis; tùm quià hæc facultas competit Capitulo, Sede vacante, vt probat Sanch. loc. cit. num. 10. Et Beia, verbo Tùm etiam quià ſi non. Sed quicquid ſit de hoc, dico, quòd eamdem prorſus auctoritatem habent Prælati regulares in ſuos ſubditos, quàm habent Epiſcopi in ſuos, per ſpeciale priuilegium Pij V. quod pono infrà in Pio V. conſtit. eius 10. §. 3. & ità docent Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 30. ſect. 2. nu. 7. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 61. artic. 9. Sanch. 8. de matr. diſp. 2. num. 13. & 2. in decal. cap. 11. num. 7. Beia 4. p. caſuum, caſu 37. Vega 2. p. ſum. cap. 70. caſu 2. & 1. p. c. 125. caſu 12.

§. IX.

47 NOto 1. quòd ſimile, & amplius priuilegium nobis conceſſum eſt à Iulio II. in conſtit. eius 1. §. 20. Et ab eodem Iulio Auguſtinienſibus, in conſtit. eius 11. §. 1.

48 Noto 2. quòd Bonifacius VIII. vt habetur cap. vn. de exceſſ. Præl. in 6. præcepit, vt Mendicantes non poſſent acquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare abſquè ſpeciali licentia Papæ, de illa conſtitutione mentionem faciente. Et Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 3. ſtatuit ad meum propoſitum duo. Primum, *quòd in ſingulis Monaſterijs is tantum numerus Religioſorum conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.* Secundum, *quòd Monaſteria non erigantur ſine Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.* Quò ad primum extat etiàm conſtitutio Pauli V: quæ incipit Sanctiſſimus, & refert Cherub. tom. 3. bull. in Paulo V. conſtit. eius 9. fol. 187. qua præcipitur omnibus Superioribus Regularium, vt benè ventilatis, & perſcrutatis, & eleemoſynis omnium, & ſingulorum Conuentuum ſibi ſubiectorum, is tantùm numerus in vnoquoq; conſtituatur, qui ex dictis redditibus, & eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſit. Qui quidèm numerus non poſſit quacumq; de cauſa à dictis Superioribus augeri, & hoc ſub pœna priuationis officiorum, quæ tunc obtinebunt, & vocis, actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum ipſo facto. Extat etiàm pro Conuentibus, in quibus aluntur Nouitij, conſtitutio Clementis VIII. quæ incipit Sanctiſſimus, quam pono infrà in Vrbano VIII. conſtit. eius 10. §. 77. Nouiſſimè exijt decretum Congregationis ſub Vrbano VIII. quod habes infra in eodem. conſtit. eius 9. §. 8. Vide circà hoc quæ dico tom. 1. Religioſi, q. 2. cap. 2. §. 2. verſu In particulari. Quò ad 2. extat conſtitutio Clementis VIII. quæ incipit, Quoniàm ad inſtitutum, quam refert Cherub. tom. 3. bull. in Clemente VIII. conſtit. eius 99. fol. 146. qua præcipitur, quòd Epiſcopi non poſſint dare licentiam Regularibus ad noua Monaſteria erigenda, niſi vocatis Regularibus commorantibus in loco, in quo fundandum eſt Monaſterium, & alijs intereſſe habentibus. Quam Regularium citationem ſuſtulit Paulus V. per ſuam conſtit. quæ incipit, Ad Eccleſiæ militantis, apùd Cherub. tom. 3. bull. in Paulo V. conſtit. eius 10. pag. 188. & per aliam, quæ incipit, Miniſterio apud eumdem Cherub. ibid. pag. 242. & per aliam, quæ incipit, Eccleſiæ militantis, apùd eumdem ibid. pagin. 254. Quibus conſtitutionibus ad ſolam Ordinariorum licentiam, iuxtà Trid. decreta, reſtituit nouorum Conuentuum fundationem. Sed poſteà exijt decretum ſacræ Congregationis ſub Gregorio XV. quod pono infrà in eo, conſtit. eius vlt. In quo ſtatuitur, quòd de cætero nullum Monaſterium in quocumq; loco erigatur, niſi in eo poſſit ſuſtentari numerus duodecim fratrum,

cui

cui additum eſt per decretum Congregationis cit. ſub Vrbano VIII. Quòd ſi in poſterum recipiantur aliqui Conuentus, in quibus non poſſint dicti duodecim fratres competentèr ſuſtentari, dicti Conuentus ſubiaceát viſitationi, correctioni, atquè omnimodæ iuriſdictioni Ordinarij loci. Dicitur etiàm in prædicto decreto Gregorij XV quòd Epiſcopi, priuſquàm licentiam nouos Conuentus erigendi concedant, teneantur vocare omnes Regulares, & alios intereſſe habentes, non ſolùm in prædictis locis, ſed etiàm in circumuicinis per quatuor millia paſſuum. Vbi verò alij Conuentus non reperiuntur, tenentur Ordinarij inquirere ab incolis, & illorum conſenſum requirere, an velint, & valeant dictum numerum duodecim fratrum manutenere, & alere.

49 Et aduerte, quòd dictio illam *Commodè*, quæ ponitur in Concilio Trid. & in conſtit. Pauli V. ſignificat, quòd tot debent eſſe redditus, ſeù eleemoſynæ ordinariæ, quæ victum, & veſtitum, iuxtà conſuetudinem loci, & perſonarum in dicto Conuentu degentium qualitatem, fratribus ibi commorantibus tribuant, abſque eo quod neceſſe ſit eos importuna mendicitate dicta ſibi quærere, habita etiàm conſideratione aliorùm onerum, ad quæ tenetur Monaſterium, vt inſtaurationis ipſius, reparationis Eccleſiæ, hoſpitalitatis, ratarum Superioribus debitarum, &c. Itaq; Monaſterium, quod non poteſt prædicta omnia facere, non poteſt commodè ſuſtentare ſuos fratres. Dicta autem particula in decreto Congregationis ſub Gregorio XV. non eſt appoſita, ad ſignificandum, quòd non intendebat dicta Congregatio obligare Regulares ad non erigenda Monaſteria, niſi in ijs locis, in quibus commodè poſſent duodecim fratres ſuſtentari, ſed illi ſufficiebat, quòd poſſent ibi primo ingreſſu ſuſtentari vtcumque ideſt ſine penuria .ſ. quòd non neceſſitentur fratres ad victum, & veſtitum ſibi quærendum, indecentia ad ſtatum religioſum exercere, munia Religioſorum propria prætermittere, diſciplinam regularem relaxare, domos ſæcularium, Ciuitates, & Oppida continuò circumcurſare. Colligitur ex cap. 1. de inſtit. & ex Gloſſa in Cap. Periculoſo, §. Sanè. verbo Abſquè penuria, de ſtatu regul. in 6. & clarè etiàm patet ex decreto Congregationis ſub Vrbano VIII. Vbi dicitur, quòd non ſumantur in cæterum Conuentus, in quibus competentèr ſuſtentari non valeant ad præſcriptum decreti fel. record. Gregorij XV. duodecim fratres particula. n. illa *Competenter* ſignificat vel mediocritèr, vel vt par eſt, vel ſufficientèr, vt ex Ambroſio Calepino dicta dictione. Videatur Sanchez 7. in decalog. capit. 23. numero 2. qui num. 3. addit, peccare mortaliter Superiores iſta decreta non obſeruantes, quià ſunt in materia graui.

§. X.

50 NOto, quòd non poſſunt omnes indifferentèr ad noſtram Religionem admitti, non enim poſſumus Capuccinos recipere, per Breue Pij V. quod habes intrà in Pio V. conſtit. eius 2. neque Minores, per conſtit. 16. Iulij II. neq; ære alieno grauatos, nec reddendi rationibus obnoxios, neq; criminoſos per bullas Sixti V. quas refert Quaranta verbo Monaſteria Regularium. Quę bullæ licet reductæ ſint ad terminos iuris communis quò ad validitatem profeſſionis à Clemente VIII. per ſuam conſtit. quæ incipit, In ſuprema, apùd Cherub. tom. 3. bull. in Clem. conſtit. eius 83. pag. 129. pœnæ tamen contrà Superiores recipientes ſeruatæ ſunt in ſuo robore, nimirum priuatio officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ. Vide omninò quæ dico tomo 1. Religioſi, quæſtione 1. cap. 25. §. 3. verſu Ad 3. interrogationem, vbi probo, an profeſſio iſtorum ſit valida, quando poſſit à Religione expelli. Vide etiàm intrà in conſtitutione ſecunda Sixti Quinti, & circà qualitatem recipiendorum, modum recipiendi, & in quibus locis, & à quibus, & quibus præuijs, extant decreta Clem. VIII. quæ pono intrà in Vrbano VIII. conſt. eius 10. à num. 77.

§. XI.

51 NOto 1. quòd etiàm Iulius II. in conſt. eius 1. §. 14. conceſſit nobis communicationem omniũ priuilegiorum Mendicantium, & quòd poſſimus tranſſumptare quæcumq. priuilegia alijs Ordinibus conceſſa, quibus ſic tranſſumptatis eadem fides adhibeatur, ac ſi pro Ordine noſtro principalitèr emanaſſent, mutatis nominibus Pontificum, & Religionum, in nomina Iulij II. & Religionem Minimorum. Idem Iulius ibid. §. 35. & Pius V. in conſt. eius 4. in qua numerat Ordinem noſtrum intèr Religiones mendicantes, id quoquè indulſit.

52 Noto 2. quòd priuilegia iàm alijs primò, & principaliter conceſſa, ſolent alijs deindè concedi, vel ad inſtar, vel per communicationem. Priuilegium ad inſtar nihil eſt aliud, quàm ad imitationem, & æqualitatem illius, ad cuius inſtar conceditur, ità vt menſuratum adæquetur menſuræ, & nec ſuperet illam, nec ab illa deficiat. Ità Suarez lib. 8. de leg. capit. 15. num. 2. qui addit num. 3. quòd hoc priuilegium ad inſtar, aucto exemplari, non augetur, niſi id expreſsè explicetur, quia cum ſit ad imitationem, imitatur illud, quòd iàm exiſtit, non illud, quòd futurum eſt. Nec ſimilitèr, aucto exemplato, augetur exemplar; quià ſunt ſimplicitèr diuerſa, nec, abrogato, & deſtructo exemplari, cenſetur abrogatum, & deſtructum priuilegium ad inſtàr illius conceſſum; quià priuilegium ad inſtar eſt re ipſa diſtinctum a ſuo exemplari. Ità Suar. num. 4. & 5. & Panor. in cap. vlt. Ne Clerici, vel Monachi, num. 6. Nec ſimilitèr, reuocato priuilegio ad inſtar reuocatur aliud, ad cuius inſtar fuerat conceſſum, quià eſt omninò priùs, & abſolutum, & independens à poſteriori. Ex quo infert Panor. quòd quandò conceditur priuilegium ad inſtar alicuius iuris, vel poteſtatis, licèt poſteà reſtringatur exemplar, non propterea reſtringitur priuilegium ad inſtar. Et ponit exemplum in Clem. Dudùm, de ſepult. vbi declaratur, priuilegium abſoluendi conceſſum Mendicantibus legitimè præſentatis, ſeù approbatis ab Epiſcopis, extendi ad omnes caſus, præterquã ad eos, qui reſeruantur à iure reſpectu Parochorum; ait enim quòd licèt poſteà Epiſcopi caſus reſeruent Parochis ſibi ſubiectis, nihilominùs priuilegium Religioſorum non reſtringetur, quia eſt conceſſum ad inſtàr illius poteſtatis, quam habebant Curati eo tempore, quo priuilegium fuit conceſſum. Quam ſententiam ſatis communem dicit Suar. loco cit. n. 5. & latè eam probat Rodriq. to. 1. q. regul. qu. 61. art. 2. Sed hæc opinio hodie omninò vacat in Italia, & extrà Vrbem, per decretum Congr. ſub Clem. VIII. Priuilegium verò per cõmunicationem eſt illud, quod communicatur ità alteri in propria perſona, vt fiat illius proprium, non minùs quàm ſi tali perſonæ, vel rei fuiſſet primariò conceſſum. Atque ità hæc communicatio eſt veluti conceſſio noui priuilegij, quià illi, cui priuilegium cõmunicatur, nouum priuilegium conceditur, quòd anteà non habebat, & hoc modo priuilegium communicatum nihil differt a priuilegio ad inſtàr, & ſic illi conueniunt omnes eius conditiones quò ad augmentum, vel diminutionem, ſeù corruptionem, niſi aliud addatur in communicatione, nimirùm, quòd extendatur communicatio ad conceſſa, & concedenda. Ita Suar. lib. 8. de leg. cap. 16. Addo denique circà communicationem priuilegiorum, quòd quandò conceduntur aliqua priuilegia alicui Religioni cum hac limitatione, vt Religioſi illius non poſſint dictis priuilegijs vti, niſi mediante Prælato, vt ſunt priuilegia conceſſa Societati Ieſu, quià hic modus eſt accommodatus regimini dictæ Religionis, & ad illius obſeruantiã valde cõducẽs. Si alteri Religioni deindè communicentur dicta priuilegia, vel communicata per communem participationem intelligantur,

non

non per hoc cenſetur communicata illa reſtrictio, quæ ad illius perfectam obſeruantiam nihil facit. Ità Rodriq.tom.1.quæſt.regul.qu.55.art.17.Suar. loco cit.c.17. nu. 5. & 6. Tandèm aduerte, quod ſi Pontifex priuilegium concedens prohibeat fieri communicationem, tunc per clauſulas generales ſequentis Pontificis non fiet talis communicatio,ſed erit neceſſaria clauſula ſpecialis, vt docent Suar. loc. cit.n.8.licèt ſufficere clauſulas generales dicat Rodriq.loc.cit. verſu At circà hunc.

§. XII.

53 NOto, quòd Epiſcopus non poteſt in totum eximere Eccleſiam à iuriſdictione ſua. Ità Innoc.in ca. Conſtitutus,de relig.dom.n.2.Io. Andr. ibid. nu.6.Panor.ibid. nu.10. Gloſſa dicto cap. Conſtitutus, verbo. A quocumq; Vndè patet; quàm prudentèr ſe geſſerit doctiſſimus Archiepiſcopus Pyrrhus in eximẽdo à ſua iuriſdictione, & ſubiectione Oratoria noſtra, nam non exemit totalitèr,ſed reſeruauit ſibi, & ſucceſſoribus ſuis ius quartæ legatorum, ne dictis ſucceſſoribus Eccleſiæ Conſentinenſis præiudicium inferret.

54 Noto 2. circa quartam legatorum,quòd iſta quarta legatorum piis locis factorum à teſtatore pro ipſius anima,debetur Epiſcopis iure communi, cap. Officij, cap. Requiſiſti,& cap. vlt. de teſtam.& Clem.Dudùm, §. Verùm,de ſepult.Vide Molfeſ.tom.2. ſuæ ſum. tract. 13.cap.9.n.17.Azor.tom.2.lib.9. cap. 12.& 13. Sed à ſolutione iſtius quartæ, & etiam aliarum quartarum Parochis debitarum liberati ſumus per priuilegium Iulij II.vt infrà in conſt.eius 1.§.13. & conſt.eius 2.§.26.& refert Rodriquez priuilegia alia ſummorum Pontificum conceſſa alijs Ordinibus to. 1. quæſt.reg. quæſt. 39. art. 2.Multa etiàm refert Molfeſius loc. cit. num. 28. Habemus etiam ad id priuilegium Leonis X.vt infrà in Leone,conſt. eius 10. Et Pij V. infrà conſt.eius 7. §. 14. Sed quià Concilium Trid.ſeſſ. 25.de refor.c.13.ſtatuit,quòd *in locis, in quibus antè annos quadraginta ſolita erat perſolui quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, & parochiali Eccleſiæ, ac poſteà fuerit ex quocumq; priuilegio Monaſterijs conceſſa, poſthàc integro iure, & eadem portione perſoluatur,* oriebantur in dies multæ controuerſiæ inter Regulares, & Epiſcopos, vel Curatos, recurrendum fuit ad ſacram Congregationem Concilij, quæ, inſtante Religione noſtra,declarauit, vt infrà. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſ. Domini. Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula ſacra Religio à ſuis primordijs gaudet quodam Apoſtolico priuilegio per fel. mem. Iulium II. Pontificem maximum Anno Domini 1506. Sui vero Pontificatus III. Beato Franciſco de Paula Patri, & Fundatori prædicti Ordinis tunc in humanis agenti, & ſuæ Religioni benignè conceſſo, in quo indultum extitit, Monaſteria, Domus, & Conuentus dicti Ordinis, tàm conſtructa olim, quàm in futurum conſtruenda, nedùm decimas ex noualibus prædijs, hortis, verùm etiàm nullam Parochis Eccleſiarum quartam funeralium teneri debere perſoluere, vt in dicto priuilegio ſatiùs eſt videre ad huius effectum huic ſacræ Congregationi præſentatum. Et quia, licet hoc non obſtante, aliquibus in locis prædicti Eccleſiarum Parochi, & Rectores perperàm forsàn intelligentes ſacri Concilij Trid. ſeſſ. 25. capit. 13. ſenſum ſeu illum in eorum fauorem retorquentes, nituntur à prædictis fratribus huiuſmodi funeralium portionem, ſeu quartam extorquere, quotiès cadauer aliquod apud ipſorum fratrum Monaſteria ſepeliri contingit, magnas pro ea fratribus moleſtias inferentes aſſiduè, Ideo P. Petrus à Menna Prouincialis miniſter dictæ Religionis Minimorum S. Franciſci de Paula in Caſtella Prouincia Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dominationibus veſtris humiliter ſupplicat, vt ad ſedanda ſcandala, & euitandas lites, dignentur declarare, an per dictum ſacrum Concil. Trid. huiuſmodi priuilegio derogatum veniat quò ad ſolutionem prædictam,vel, decreto ipſius Concilij non obſtante, debeat obſeruari, & fratres dicti Ordinis ab ea ſolutione immunes, & liberos cenſeri, quas Deus opt. max. & cet. Congregatio Concilij cenſuit, huiuſmodi priuilegio antè quadraginta annos ante Concilium, vt proponitur, conceſſo minime derogatum eſſe eiuſdem Concilij decretis.* Quæ declaratio habetur authentica in Conuentu S. Ludouici de Neapoli Ordinis noſtri, vt refert Quaranta verbo Priuilegia Regularium,pag.mihi 516. & in Archiuio noſtro Romano apùd P. Zeloſum, ſeù Procuratorem generalem noſtræ Religionis. Et licèt dicta declaratio ſolùm loquatur de quarta parochiali, intelligitur tamèn etiam de quarta epiſcopali,quià priuilegium Iulij II. concedit, quòd quartam ſoluere teneamur,vt patet ex eius conſt.1.§. 33. Et docet ità Molfeſ.par.2.ſum.tract.13.c.9.n.51.Rodriq.to.1.quæſt.regul. qu.39.art.2.qui refert aliam declarationem dictæ Congregationis in forma authentica tenoris ſequentis. *Congregatio Concilij cenſuit, non comprehendi in decreto Concilij Monaſteria ædificata quadraginta annis citrà, aut quæ in dies ædificantur,vel in futurum ædificabuntur, præſuppoſito, quòd huiuſmodi Monaſteria ſint eius Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit vt quartam funeralem non debeant ſoluere Epiſcopo.* Quam declarationem refert etiàm Miranda tomo 2. manual. quæſt. 48. artic. 7. & eam canonizauit Paulus V. in ſua conſtitut. quæ incipit, Decet Romanum Pontificem, apùd Cherubin. in Paulo V. conſtitut. eius 4. pagin. 179. his verbis. *Accepimus, quòd Ordini B. & Glorioſæ, ſemperq; V. Mariæ de Monte Carmelo diuerſi Romani Pontifices conceſſerunt, illius Domos, ſeu Monaſteria antè annos quadraginta ædificata non teneri ad ſolutionem quartæ funeralium, idque etiàm à Concilio Trid. de prædicto, & alijs ſacris Ordinibus decretum fuit. Cum autem quæreretur, an eadem poſteà à quadraginta annis ædificata deberent dictam quartam ſoluere, Venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, decretorum dicti Concilij interpretes, cenſuerunt, Monaſteria ædificata à quadraginta annis citrà non teneri ad ſolutionem quartæ funeralium huiuſmodi, ſi modò ſint eius Religionis, cui à dicta Sede antè quadraginta annos indultum ſit, vt eamdem quartam non teneantur ſoluere Epiſcopo. Quarè ne dicti Ordinis Carmelitani Monaſteria, ſeu Domus in diuerſis Mundi partibus à quadraginta annis ædificata indebitè cogantur ſoluere dictam quartam funeralium, eorumq; indemnitati proſpicere cupientes, ac tenores literarum conceſſionum huiuſmodi forsàn confectarum præſentibus pro expreſſis habentes, dilecti filij Procuratoris generalis dicti Ordinis Carmelitarum illius nomine nobis porrectis ſupplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & ſingula huius Ordinis B. M. de Monte Carmelo Monaſteria, ſeu Domos in quibuſcumque Mundi partibus à quadraginta annis ædificata, illorumq; Conuentus, & fratres nullo modo, nullàtè ratione teneri ad ſolutionem dictæ quartæ funeralium, & ob non ſolutionem huiuſmodi aliquas ſententias, cenſuras, & pœnas incurrere poſſe. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis,& parochialium Eccleſiarum Rectoribus,ac alijs, quos id concernit, ne ab ipſis fratribus Monaſteriorum, ſeu Domorum à quadragita annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani quartam funeralium huiuſmodi quoquo modo exigere, aut eos deſuper moleſtare audeant, ſeu præſumant. Quòd ſi quis contradicere præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius nouerit ſe incurſurum.*

SIXTVS

Digitized by Google

S I X T V S I V.

Italus Genuenſis, ex Ciuitate Sauonę, Franciſcus antè dictus, Leonardi de Ruuere natus, Ordinis Fratrum Minorum conuentualium profeſſor, anno 1471. die 9. Auguſti ad Papatum aſſumptus, dedit Ordini noſtro infraſcripta priuilegia.

C O N S T I T V T I O I.

Mandat Epiſcopo S. Marci, vt ſumpta informatione de nobis conceſſis à Pyrrho, ea auctoritate Apoſtolica approbet, & confirmet. Communicat priuilegia conceſſa F. Petro de Piſis.

S I X T V S E P I S C O P V S,

Seruus ſeruorum Dei. Venerabili fratri Epiſcopo S. Marci ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proęmiũ. *IIS, quæ piorum locorum, perſonarumque quarumlibet, præſertim ſub humilitatis ſpiritu Altiſſimo ſua vota exhibentium commodo, & vtilitati piè proceſſiſſe comperimus, vt illibata perſiſtant, libentèr, cum à nobis petitur, mandamus Apoſtolici muniminis adijci firmitatem.*

Supplicatio. §. 1. *Exhibita ſiquidèm nobis nuper pro parte dilecti filij Franciſci de Paula eremitæ Conſentinenſis Diœceſis petitio continebat, quod dudùm poſtquàm venerabilis frater noſter Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus ſibi, vt quoddam Oratorium, ſiue Eccleſiam ſub vocabulo S. Franciſci in tenimento de Paula prædictæ Diœceſis ædificare poſſet, licentiam conceſſerat, præfatus Franciſcus Oratorium huiuſmodi proprijs manibus & expenſis cum dormitorio pro vſu, & habitatione ſua, & ſuorum pro magna parte ædificauit, & nonnullos ſocios vitam eremiticam ducentes recepit, ipſeque Archiepiſcopus prædictum Oratorium, ſiuè Eccleſiam vnà cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis prædicto Franciſco, eiuſque Congregationi in perpetuum donauit, & nonnulla alia eorum deuotioni, & ſaluti conuenientia, ſalutifera, & opportuna conceſſit, fecit, & ordinauit, pro vt in literis dicti Archiepiſcopi deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quarè pro parte Franciſci, & eremitarum prędictorum aſſerentium, quod Oratorium, ſeù eremitorium prędictum adhuc pro ſufficienti habitatione ipſorum perfectum omninò non eſt, illudque ex pijs Chriſti fidelium eleemoſynis cum dormitorio, & alijs neceſſarijs officinis continuè ędificant, ampliant, & exornant, nobis fuit humilitèr ſupplicatum, vt conceſſioni prędictę, ac omnibus, & ſingulis in dictis literis contentis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Cauſæ cõmiſſio. §. 2. *Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ſi, & poſtquàm vocatis, qui fuerint euocandi, tibi de præmiſſis legitimè conſtiterit, conceſſionem, & literas prædictas, ac omnia, & ſingula in dictis literis contenta, pro vt ea concernunt, auctoritate Apoſtolica approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forsàn interuenerint in eiſdem.*

§. 3. *Nos enim ſi approbationem, & confirmationem huiuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, vt præfertur, eidem Franciſco, & eremitis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, & gratijs, quibus F. Petrus de Piſis nuncupatus, cæterique eremitæ potiuntur, & gaudent, vti, & gaudere pariformitèr, & abſque vlla differentia, libere, & licitè poſſint, & valeant, concedimus per præſentes.* Concedit priuilegia Petri de Piſis.

§. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque Dat. Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1473. tertiodecimo Kal. Iulij, Pontific. noſtri anno 2.* Derogat contrarijs.

CIRCA CONSTITVTIONEM

1 NOto, quòd iſta eſt propriè reſcriptum Apoſtolicum, quod nihil aliud eſt, quàm reſponſum Principis ſcripto relatum ad iuris obſeruantiam, aùt ad gratiam obtinendam. Vt Tabiena, & alij Summiſtæ verbo Reſcriptum, Hoſtienſis in ſum. lib. 1. tit. de reſcript. §. Quid dicatur. Et eſt duplex ſecundùm Suarez lib. 8. de leg. c. 2. num. 7. & ſeq. Vnum dicitur reſcriptum iuſtitiæ, quod datur vel ad explicandum ius, vel ad lites, ſeù ad dicendum ius inter partes. Aliud eſt reſcriptum gratiæ, quòd eſt ad conferendum beneficium, vel donum aliquod gratis collatũ, quod dici poteſt potiùs reſcriptum facti, quàm iuris. Datur etiàm aliud reſcriptum, quod vocatur mixtum, quià participat de iuſtitia, & gratia, de quo Molfeſ. 1. p. ſum. tract. 9. c. 10. n. 21. Quæ reſcripta diſtinguuntur à priuilegijs. Primò quidem, quià reſcriptum iuſtitiæ datur ſecundùm ius commune, vel ad interpretationem eius, vel ad debitam executionem. Priuilegium autèm datur potiùs contrà, vel vltrà ius. 2. reſcriptum gratiæ differt à priuilegio, quià non eſt lex priuata, nec dat propriè facultatem operandi aliquid contrà, vel vltrà legem, ſicùt dat priuilegium.

§. 1.

2 NOto circà illam clauſulam, *dicitur plenius contineri*, quòd iſta clauſula differt ab ea, *dicitur ple-*

Digitized by Google

plenius contineri, quià hoc 2. modo onus probandi incumbit impetranti, non primo. Vt Nauar. in capit. Si quando de reſcript.except.3.n.2.10.4.

§. II.

3 NOto 1. circà Commiſſarium huius reſcripti, quòd eſt directum Epiſcopo S.Marci ſub titulo dignitatis,nõ ſub titulo perſonæ,vndè ſi fuiſſet mortuus Epiſcopus S.Marci,antequàm mandata in reſcripto fuiſſet exequutus, poterat re integra per eius ſucceſſorem electum,& confirmatum,licèt,non conſecratum,exequi quià non eſt in hoc electa induſtria perſonæ,ſed dignitas epiſcopalis. Atquè ità fuiſſe deciſum à Rota Romana tradit theſaurus Pan. in verbo Reſcriptum,& ipſa Rota coràm Seraphino decif. 1058. nu.3. Goſredus in ſum.lib.1.de off.deleg. verſu Sed quæritur quem vide etiam paulò inferiùs, verſu Item quid ſi committatur. Abbas p.1.conſil. conſil. 93.n.1. Tuſchus verbo Dignitas,concl. 434.n.1.Habetur in ca.Quoniam Abbas,de off.deleg.

4 Noto 2.circà illam clauſulam *vocatis qui fuerint euocandi*, quòd iſta clauſula ſignificat, iudicem cum illa datum, teneri obſeruare formam iudicialem, & non eſſe merum executorem, ſed mixtum .i.partim executorem,& partim iudicem; vndè tenetur partes iudicis aſſumere. Et debent virtute huius clauſulæ vocari, & citari omnes,quos negotium tangit,vel ſpecificè,ſi certò ſciantur, vel per edictum publicum, ſi ignorentur. Ità Panor.in c. Exhibita,de iud.nu.6.

5 Noto 3.circà illam clauſulam, *ſi tibi de præmiſſis legitimè conſtiterit*, quòd iſta clauſula, & aliæ ſimiles nimirùm,*ſi ità eſt*,*ſi præmiſſa vera ſunt*, *ſi ità reperiris*, vel *ità inueneris*, vel *ſi preces veritate nitantur*, vel *cognita veritate*, vel *iuſtitia mediante*, vel *ſicut de iure fuerit*, vel *quod canonicum*, *& quod iuſtum*, ſemper intelliguntur in reſcriptis datis ad inſtantiam partis, etiamſi non apponantur expreſsè, vt dicitur in cap. 2. de reſcript. vbi Abbas nu.3. quæ clauſulæ in idem recidunt, & ſignificant, quòd iudex cum vna ex illis datus debet partes citare,& impetrator tenetur omnia ſupradicta probare,clauſula enim illa ad omnia ſuperiora refertur,vt dicitur in ca. Olim.§.vlt.de reſcrip.& ſenſus illius eſt, quòd ſi conſtiterit, impetrantem verum dixiſſe,inuita parte,vel opponente, iudex nihilominus procedat, & mentem Sanctiſſimi exequatur. Atq; ità docent Panor.n.1.3.& 9. Felin. à n.6.ad 15. Io. Andr. n. 1.dicti c.2.de reſcrip.Azor.to.1.inſtit.moral. lib.5. capit. 24.quæſt.3.

6 Noto 4. quod illa dictio *legitimè* ſignificat ordine iuris,& forma reſcripti ſeruata,vt Io.Andr.loc.cit. nu.3.

7 Aduerte etiàm, quòd reſcriptum prohibens cauſæ cognitionem, eſt de falſitate ſuſpectum, vndè Commiſſarius poteſt ſuperſedere. Habetur dicto cap. 2. de reſcrip. & docet Felin.nu. 15. ſimilitèr ſi deuiat à communi ſtylo Curiæ,& ratione naturali. Abbas n 4. Multas quæſtiones de reſcriptis dilucidat Azor loco cit.

8 Noto 5. quò ad illam clauſulam *ſuppleaſq; omnes,& ſingulos defectus*, quòd iuris defectus alij ſunt ſubſtantiales,alij accidentales,alij naturales. Defectus ſubſtantiales ſunt, quòd reſcriptum impetrans ſit excommunicatus,ca.1.de reſcrip.in 6.quòd ſit irregularis, Anton. Gabr.tit.Clauſula,concluſ.2.n.44. Si ſit impetratum per ſurreptionem .i. quando tacetur verum, & per obreptionem,ideſt quando exprimitur falſum, ſeu per ſurreptionem.i.quandò exprimitur falſum,ſiuè tacetur verum, aut per obreptionem .i. quandò ſub inuolucro verborum ſic inuolutè ſupplicatur, quòd Papa nõ percipit veritatem,licèt hi duo termini aliquandò confunduntur,vt Graff.p.1.deciſ.lib.4.ca.18.n. 88. Defectus accidentales ſunt, qui ad iuris pertinent ſolemnitatem, V.G. quòd in alienatione non ſint ſeruata omnia, quæ ad eam requirunt iura, quòd ſententia ſedendo non ſit lata, quòd in die feſto, &c. Defectus naturales ſunt qui conſequuntur ex natura rei,vt partis citatio in cauſis damnum tertij concernentibus.

9 Si quæras, quos ex iſtis defectibus ſuppleat iſta clauſula.

R. Quòd apponitur in reſcriptis duobus modis. 1. ſimpliciter,2.ex motu proprio,& de plenitudine poteſtatis, 1. modo ſupplet ſolùm defectus accidentales. 2. modo ſupplet etiàm defectus eſſentiales, ſi eos non ignoret Papa, vel ex contentu reſcripti ſatis colligatur mens concedentis,quià tunc cenſetur diſpenſare. Defectus naturales numquàm ſupplet iſta clauſula, quià Princeps non poteſt tollere defenſionem, quæ eſt de iure naturali. Colliguntur hæc ex his, quæ ſatis intricatè dicunt Tuſchus in verbo Clauſula, concl.343. Felin.in cap. Ad audientiam, el 1.de reſcrip.Panor.in c.1. de confirm. vtili, vel inut. Nauar.in cap. Si quando,de reſcript. excep.1.10. num.4. Suar. lib.8.de leg.c.20.num. 12.& cap.12.num.8.quæſt.10.Ricciul.de iur. perſon.lib. 4.cap.6.num.6.7.& 8.Lud.Gome.in comp. vtriuſque ſignat. pag. mihi 166.

§. III.

10 NOto, quòd Eugenius IV. conceſſit nonnulla priuilegia Petro de Piſis fundatori eremitarum S. Hieronymi ſub regula S. Auguſtini prout refert Cherub.tom.1. bull. in Eugenio, conſtit. eius 12. pag. 279. quæ nobis concedit Sixtus IV. in iſto §. & ſunt. Quòd poſſimus eligere Confeſſores,& Sacerdotes,qui in locis noſtris miſſas celebrent, & ſacramenta nobis miniſtrent, ac nobiſcum ſuper quacumq; irregularitate diſpenſent, maculamq; infamiæ etiam abolere poſſint. Et quòd poſſimus conuerſari cum excommunicatis,& interdictis,ſeu quauis cenſura ligatis pro eleemoſynis dumtaxat acquirendis ad vitæ ſuſtentationem. Et quòd poſſimus cum altari portatili in noſtris Eccleſijs acquiſitis,& acquirendis celebrare. Et quòd loca noſtra pro fratribus noſtris ſepeliendis poſſint benedici, & conſecrari. Et quòd poſſimus recipere à quocumq; Antiſtite ordines, requiſita tamen priùs, & obtenta licentia proprij Epiſcopi, quod tamèn quò ad iſta licentiam iam eſt antiquatum per multa iura, & priuilegia pontificia, vt videbimus in ſequ.

§. IV.

11 NOto,quòd declaratio iſtius clauſulæ *Non obſtantibus, &c.* difficillima eſt, & intricatiſſima, nec ſatis conueniunt Doctores in ea explicanda. De ea agunt Io. And. in cap. vn.de exceſſ. præl.in 6. Panor.in cap. Nonnulli, de reſcript.à nu.10. Felin.ibi opulentiſſimè à num.2. Rodriq. tom.1. quæſt. regul. qu.8.art.11. Latè Suar.8. de leg. c.14. per totum. Hic ſolet quæri, an, & quandò reſcriptum, & priuilegium,ſeu conſtitutio debeat facere mentionem de iure, contrà quod emanat. Sed quia res eſt valdè intricata, hic ponam clariùs quàm potero aliqua dicta Doctorum prædictorum ex quibus dictæ clauſulæ intelligentia facilè colligetur.

12 Felinus loc.cit. num.2. ponit hanc regulam. Vbi lex canonica,vel ciuilis habet clauſulam derogatoriam ad reſcripta, non valet reſcriptum, niſi faciat mentionem de illa ſpecialiter, vel ſaltèm per verba æquipollentia, V. G. in cap. Nonnulli,de reſcrip.dicitur,quòd illud caput non intelligatur reuocatum, niſi de eo fiat expreſſa mentio; vndè vt illi derogetur, non ſufficit, quòd dicat Papa,Non obſtante lege in contrarium,ſed oportet,quòd dicat,Non obſtante cap.Nonnulli,de reſcript. vel Non obſtantè conſtitutione Innoc. III. quæ incipit. Nonnulli, ſeu per verba æquipollentia, puta, Non obſtante conſtitutione Concilij generalis de duabus dietis; Idem etiàm intelligendum eſt in priuilegijs habentibus clauſulam derogatoriam ad alia priuilegia, quià ad hoc vt tollantur per priuilegium contrarium non ſufficit generalis clauſula Non obſtantibus priuilegijs,ſed debet fieri ſpecialis. Felinus num.4.

13 Fallit tamen prædicta regula,ſi in reſcripto ſit iſta clauſula, Non obſtante legè in contrarium faciente etiamſi de ipſa oporteret facere ſpecialem mentionẽ de

verbo

verbo ad verbum, cuius tenorem hic pro expreſſo haberi volumus. Vel ſi ſit iſta Non obſtante quocumq; priuilegio ſub quacumq; forma verborum conceſſo. Nam iſta verba ſuffiiunt in reſcripto ad derogandum legi, vel priuilegio contrario habentibus clauſulam derogatoriam ad reſcripta, licèt non ſint nominata in indiuiduo. Felin.loc.cit.nu.6. Nauar.in cap. *Si* quando de reſcript.except.1.n.1. Suar.lib.8.de leg.c.38.n. 2.Pan. in c. Cum inſtantia, de cenſ.nu.5. Facit textus in extrau. Rem non nouam, de dolo, & contum.

14 2. Regula à Felino poſita eſt, quòd reſcriptum contra legem, etiam non habentem clauſulam derogatoriam, non valet. Hanc ponit nu. 9. niſi ſaltèm in genere in reſcripto fiat mentio de iure communi, per verba. Non obſtante quocumq; iure in contrarium. Ità etiàm Abbas in cap. Nonnulli, de reſcript. num. 10. Quià tunc preſumitur reſcriptum extortum propter nimiam importunitatem petentis; Quæ regula intelligenda etiàm eſt de priuilegijs clauſis in corpore iuris, nàm de ipſis eſt facienda mentio, ſicùt de iure communi. Nec ſufficeret in reſcriptis dicere, Non obſtantibus priuilegijs, niſi dicatur, Etiàm in iure communi inſertis. Felin.nu.9.ampl. 1. Quando enim ſolùm dicit: Non obſtantibus priuilegijs, non intelligit de inſertis in iure communi. Valet etiàm hæc regula in ſtatutis inferiorum, niſi enim eis derogetur expreſsè in reſcripto per verba, Non obſtantibus ſtatutis talis Eccleſiæ, vel æquipollentia, non intelligitur reuocatum, nàm in dubio non præſumitur Princeps velle eis derogare, iuxtà c.1.de conſt.in 6.Felin.c.Nonnulli de reſcr. n.9.ampl.2.

25 Fallit tamèn iſta 2. regula, ſi in reſcripto dicatur Non obſtante quacumq; lege, etiamſi non addatur. Quæ in contrarium loqueretur, quià ſubintelligitur. Felin.loc.cita.n.10. aduert.2. Fallit etiam quando Princeps procedit per viâ priuilegij, quià hoc ſemper operatur aliquid contra, vel vltra ius commune. Fel. nu.11. fall.2. Quod intellige, niſi ius commune habeat clauſulam derogatoriam ad priuilegia, vt c.vn.de excell.præl. in 6. vel niſi ſit in præiudicium tertij. Fallit etiam quando reſcriptum emanat contra ius motu proprio, vel ex certa ſcientia, vel de plenitudine poteſtatis. Fel. loc. cit. fall. 4. & 5. Quià tunc Princeps operatur vt ſupremus Dominus legibus ſe non ſubijciens. Et etiam quando reſcriptum eſt geminatum. Fel.n.14. Quià tunc præſumitur habere ſcientiam.

CONSTITVTIO II.

Confirmat ex certa ſcientia priuilegia Pyrrhi, & de nouo concedit.

SIXTVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filijs F. Franciſco de Paula, cœteriſque fratribus eremitis eremitorijs, ſeù Oratorij S. Franciſci de Paula Conſentinenſis Diœceſis præſentibus, & futuris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmiū. *SEdes Apoſtolica æqua in omnibus ſempèr diſtributrix, ea, quæ pro diuini cultus augmento, ac piorum locorum, & perſonarum, præſertim ſub humili, & religioſo habitu in eis degentium commodo, & vtilitate piè facta ſunt, vt illibata perſiſtant, libentèr, cum ab ea petitur, Apoſtolici muniminis conſueuit adijcere firmitatem, ac benigno fauore ea, quæ ſunt pro animarum ſalute concedere, illiſq;, vt eò deuotiùs, quò quietiùs Altiſſimo famulari poſſint, munimen impartiri.*

§. 1. *Dudùm ſiquidèm pro parte Franciſci prædicti nobis expoſito, quòd olim poſtquàm venerabilis frater noſter Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus tibi, vt quoddam Oratorium, ſiuè Eccleſiam ſub vocabulo S. Franciſci in tenimento de Paula Conſentinæ Diœceſis ædificare poſſes, licentiam conceſſerat, tuq; Oratorium huiuſmodi proprijs manibus, & expenſis cum dormitorio pro tuis, & ſociorum tuorum vſu, & habitatione pro magna parte ædificaueras, & nonnullos ſocios vitam eremiticam ducentes receperas. Ipſeq; Archiepiſcopus prædictum Oratorium, ſiuè Eccleſiam vnà cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis tibi, tuæque Congregationi in perpetuum donauerat, & nonnulla alia tua, & ſociorum tuorum deuotioni, & ſaluti conuenientia, ſalutifera, & opportuna conceſſerat, fecerat, & ordinauerat. Quodque Oratorium, ſiuè eremitorium prædictum adhùc pro ſufficienti habitatione tui, & eremitarum prædictorum perfectum omninò non erat, illudque pijs Chriſti fidelium eleemoſynis cum dormitorio, & alijs neceſſarijs officinis tu, ac eremitæ tui ſocij huiuſmodi continuè ædificabatis, ampliabatis, & exornabatis.* Expoſitio.

§. 2. *Nos tunc tuis, & eremitarum prædictorum in ea parte ſupplicationibus inclinati, venerabili fratri noſtro Epiſcopo S. Marci, eius proprio nomine non expreſſo, per alias noſtras literas dedimus in mandatis, vt ſi, & poſtquàm vocatis, qui forent euocandi, de præmiſſis ſibi legitimè conſtaret, conceſſionem, & literas dicti Archiepiſcopi, ac omnia, & ſingula in ipſis literis contenta, pro vt ea concernebant, auctoritate Apoſtolica approbaret, & confirmaret, ſuppleretque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forsàn interueniſſent in eiſdem, & in euentum approbationis, confirmationis, & ſuppletionis huiuſmodi, vobis prædictis eremitis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, & gratijs, quibus F. Petrus de Piſis nuncupatus, cæterique eremitæ potiebantur, & gaudebant, vti, & gaudere pariformitèr, & abſque vlla differentia liberè, & licitè poſſetis, & valeretis, conceſſimus, pro vt in eiſdem noſtris literis deſupèr confectis pleniùs continetur.* Memorat literas ab ipſo datas Epiſcopo S. Marci.

§. 3 *Cum autèm, ſicut exhibita nobis nupèr pro parte veſtra petitio continebat, venerabilis frater noſter Goffredus Epiſcopus S. Marci prædictus ad executionem prædictarum noſtrarum literarum, illarum forma ſeruata, procedens (quià ſibi, vocatis vocandis, de à nobis expoſitis legitimè conſtiterat) licentiam, donationem, conceſſionem, ordinationem, & literas Archiepiſcopi prædicti, omniaque, & ſingula in eis contenta, pro vt ea concernunt, auctoritate Apoſtolica approbauerit, & confirmauerit, ſuppleueritque omnes, & ſingulos defectus, qui interuenerunt in eiſdem, pro vt in quodam publico inſtrumento deſupèr confecto dicitur pleniùs contineri. Quòdque Pyrrhus Archiepiſcopus prædictus inter alia per eum vobis tunc conceſſa, prædictum eremitorium, ſiuè Eccleſiam S. Franciſci, & alia quæcumque loca, Eccleſias, & Oratoria per vos in poſterum recipienda, cum omnibus iuribus, & pertinentijs, eremitiſque, & perſonis inibi pro tempore degentibus, ac rebus omnibus ad vos, locaque veſtra quomodolibèt pertinentibus, & ſpectantibus, ab omni iuriſdictione, ſubiectione, &* Supplicatio.

ſuperioritate matrum Eccleſiarum, ac ſua, ſuæque Eccleſiæ Conſentinenſis, cæterarumque perſonarum in perpetuum exemit, & liberauit, ac ſub protectione, ſubmiſſione, & iuriſdictione Sedis Apoſtolicę ſpecialiter, & expreſsè remiſerit, & relaxauerit.

Numerat priuilegia conceſſa à Pyrrho.

§. 4. Et, ſicùt eadem petitio ſubiungebat, à nonnullis aſſeritur, noſtras prælibatas literas, ac confirmationem, approbationem, & defectuum ſuppletionem, cæteraque omnia alia, & ſingula per prædictum Goffredum Epiſcopum S. Marci illarum vigore facta, & inde ſequuta quæcumque viribus non ſubſiſtere, pro eo quod Archiepiſcopus prædictus per ſuas prædictas literas te F. Franciſcum in Superiorem huiuſmodi tuæ Congregationis, Patrem, Rectorem, & Priorem, ſeù quouis alio nomine nuncupandum dederit, & deputauerit, cui Congregationi præeſſes, ac vitæ exemplis prodeſſes, tuiſque monitis, mandatis, & præceptis ſalubribus omnes Congregationis huiuſmodi perſonæ obedire, & parere deberent. Ipſiſq; tuis eremitis fratribus facultatem conceſſit, te in ſuum Superiorem, & Priorem, ac vnà tecum alios quoſcumque Superiores, & Priores, & Officiales canonicè eligendi. Nec non ſtatuta, & ordinationes pro huiuſmodi vitæ obſeruantia, à iure tamen diuino, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus non deuiantia faciendi. Tibique, & huiuſmodi Officialibus omnimodam iuriſdictionem ordinariam in ſpiritualibus, & temporalibus Congregationis huiuſmodi perſonarum, etiamſi ſacerdotali, ſeù quauis alia præfulgerent dignitate, ac locorum iuriſdictiones, animalium, & rerum omnium ad te, tuamque Congregationem quomodolibèt ſpectantium, & pertinentium. Quoſcumque quoquè rebelles, & inobedientes, omniumque huiuſmodi Congregationis perſonarum delinquentium peccata, & delicta, & cuiuſcumque generis maleficia, & crimina, pro vt iuris foret, puniendi, huiuſmodique delinquentes incarcerandi, diſciplinandi, condemnandi, liberandi, abſoluendi, cæteraque faciendi, quæ in præmiſſis, & circà præmiſſa vobis viderentur fore neceſſaria, & opportuna, & quæ ipſemet Archiepiſcopus facere poſſet. Sacerdotibus verò huiuſmodi Congregationis, ſeu ſæcularibus, vel regularibus per vos eligendis, miſſas etiam ante diem, & in quocumque loco ad hoc congruo, & honeſto cum altari portatili celebrandi, Eucharistia, & alia quæcumque eccleſiaſtica ſacramenta liberè, & licitè, tibi, huiuſmodique tuæ Congregationis perſonis, quoties deuotio ingrueret, & neceſſitas poſtularet, abſque quacumque Superioris licentia miniſtrandi, ad quæ ſuſcipienda extrà loca huiuſmodi compelli non poſſetis. Confeſſiones audiendi, & ab omnibus caſibus, excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, ac ſuper quacumque irregularitate eidem Archiepiſcopo, tàm à iure, quam ab eo reſeruatis, & permiſſis, totiès quoties opus foret, & eſſet abſoluendi, & diſpenſandi, votaque quæcumque permutandi, & relaxandi, ac pænitentiam ſalutarem iniungendi. Loca, Oratoria quæcumque, & Eccleſias licitè accipiendi, & retinendi. Quaſcumque etiam perſonas eccleſiaſticas, & ſæculares ad vos venientes, & vobiſcum moram trahere, & habitum, quem geritis profiteri, & recipere volentes, ad habitum, & profeſſionem obſeruantiæ caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ acceptandi, & recipiendi. Nec non vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus fratres S. Franciſci, cæteriq; Mendicantes fruuntur, & vtuntur, frui, & vti poſſetis, & valeretis, ac poſſent, & valerent, indulſit, ac vobiſcum ſupèr his opportunè diſpenſauit. Huiuſmodique Oratorium, ſiuè Eccleſiam S. Franciſci de Paula, ac alia quæcumque loca, Oratoria, & Eccleſias per vos in poſterum acquirenda, & acceptanda cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, eremitiſque & perſonis, ac rebus omnibus, & ſingulis ad vos, veſtraque loca quomodolibèt ſpectantibus, & pertinentibus, perſoniſque huiuſmodi inibi pro tempore degentibus, ab omni iuriſdictione, ſubiectione, ſuperioritate matrum Eccleſiarum, ac ſua, ſuæque Eccleſiæ Conſentinenſis, cæterarumque perſonarum ex certa ſua ſcientia, & motu proprio in perpetuum exemit, & totalitèr liberauit, ac ſub protectione, ſubmiſſione, iuriſdictione, & ſuperioritate Sedis Apoſtolicæ prædictæ totaliter, ſpecialiter, ſingulariter, & expreſsè remiſit, & relaxauit, pro vt in literis dicti Archiepiſcopi plenius continetur. Et de eiſdem nihilominùs conceſſionibus, gratijs, & indultis vobis ſic, vt præmittitur, per prædictum Archiepiſcopum conceſſis, in dictis alijs noſtris literis ſpecialiter, & ſingulariter mentio facta non fuerat, ſed ſub clauſula generali dumtaxàt, videlicet dicendo, Nonnulla alia veſtræ deuotioni, & ſaluti conuenientia, ſalutifera, & opportuna. Et ſimilitèr ſub eadem clauſula, & non facta alia expreſſione, per dictum Goffredum Epiſcopum S. Marci prædicta omnia, & ſingula probata, & cum ſuppletione defectuum confirmata fuerant, pro vt in noſtris, ac dicti Archiepiſcopi literis, ac inſtrumento publico deſupèr confecto plenius continetur.

Supplicatio pro approbatione literarum Pyrrhi, & Goffredi.

§. 5. Pro parte veſtra nobis fuit humilitèr ſupplicatum, vt omnia, & ſingula præmiſſa, conceſſiones, gratias, & indulta vobis per Archiepiſcopum prædictum conceſſa, facta, & indulta. Necnon approbationem, confirmationem, defectuumquè ſuppletionem, cæteraquè omnia, & ſingula per prædictum Goffredum Epiſcopum vigore noſtrarum literarum prædictarum deſupèr facta, & indè ſecuta quæcumquè rata, & grata habentes, approbare, confirmare, ac omnes, & ſingulos defectus, qui interuenerunt in eiſdem, ſupplere; ac aliàs in præmiſſis, & circà ea vobis de opportuno remedio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Annuit Papa ſupplicatis.

§. 6. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, donationem, conceſſionem, ordinationem, conſtitutionem, remiſſionem, relaxationem, indulta, gratias, & literas prædicti Archiepiſcopi, omniaquè & ſingula in eis contenta, noſtras alias, ac dicti Archiepiſcopi literas, ac approbationem, confirmationem, & defectuum ſuppletionem per prædictum Goffredum Epiſcopum factas, ac proceſſus deſuper habitos, & indè ſecuta quæcumque omniaque & ſingula, quæ in prædictis noſtris, & prænominati Archiepiſcopi literis, & proceſſibus, & inſtrumentis publicis deſuper habitis contenta pro

ſuffi-

ſufficienter expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur, rataque & grata habentes, auctoritate Apoſtolica, ac ex certa noſtra ſcientia laudamus, approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, qui interuenerunt in eiſdem. Decernentes, noſtras prædictas literas, ac proceſſus deſupèr habitos, & indè ſecuta quæcumque valere, ac roboris firmitatem tenere, proindè ac ſi omnia, & ſingula vobis per prędictum Pyrrhum Archiepiſcopum conceſſa, & ipſius Archiepiſcopi literis contenta in ſæpe nominatis noſtris literis ſpecialiter, ſingulariterque narrata, & expreſſa fuiſſent.

Eximit Ordinem à iuriſdictione Ordinariorum.

§. 7. *Et inſuper vos, & veſtrum quemlibet, ac eremitorium, ſiuè Eccleſiam Sancti Franciſci de Paula prædictum, cæteraque omnia, & ſingula eremitoria, Eccleſias, & loca per vos in quibuſcumque Ciuitatibus, & Diœceſibus ac vbilibèt hactenùs recepta, & in poſterum recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, eremitaſque & perſonas in illis pro tempore degentes, ac res, & bona quæcumque mobilia, & immobilia, ad vos, & eremitas, & perſonas, ac veſtrum quemlibet, ac loca, eremitoria, & Eccleſias huiuſmodi quomodolibèt, communitèr, vel diuiſim ſpectantia, & pertinentia, ab omni iuriſdictione, dominio, poteſtate, viſitatione, correctione, & ſuperioritate prædicti, ac pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Conſentini, & aliorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Ordinariorum, Iudicum, & Superiorum quorumcumque, etiam illorum, in quorum iuriſdictione, Ciuitatibus, & Diœceſibus, eremitoria, loca, Eccleſiæ, vos, & eremitæ, ac perſonæ, res, & bona huiuſmodi conſiſtunt, & conſiſtere poterunt quomodolibèt in futurum, auctoritate, & ſcientia prædictis, de ſpeciali gratia tenore præſentium prorsùs eximimus, & totalitèr etiàm liberamus, ac ſub B. Petri, & Sedis memoratæ, ac Romanæ Eccleſiæ, & noſtra protectione ſuſcipimus, ac exempta, & immunia eſſe volumus, nobiſque & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ac dictæ Sedi immediatè ſubiacere. Itaque Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, Iudices ſupradicti ratione delicti, ſeu contractus, aùt rei, de qua ageretur, vbicumque committatur delictum, vel ineatur contractus, aùt res ipſa conſiſtat, nullam in vobis, ac eremitorijs, locis, & Eccleſijs, eremitis, & perſonis huiuſmodi, ac rebus, & bonis prædictis iuriſdictionem, poteſtatem, & dominium poſſint quomodolibèt exercere, ſed dumtaxat coràm dicta Sede, vel eius Legatis vos, & eremitæ, ac aliæ perſonæ in locis, Eccleſijs, & eremitorijs huiuſmodi pro tempore degentes teneamini de iuſtitia reſpondere.*

Concedit quod poſſimus priuilegijs conceſſis vti abſq. cuiuſq. licentia.

§. 8. *Et inſupèr vobis omnibus, & eremitis, ac perſonis, locis, Eccleſijs, ac eremitorijs huiuſmodi, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, conceſſionibus, gratijs, indultis, cæteriſque omnibus, & ſingulis in præſentibus, & alijs noſtris, & ipſius Conſentinenſis Archiepiſcopi literis ſæpè dictis, ac per eas habitis proceſſibus prædictis contentis, vobis, ac eremitorijs, Eccleſijs, & locis huiuſmodi conceſſis, & concedendis in quacumque Ciuitate, & Diœceſi, ac vbiquè, & in quocumque loco auctoritate Apoſtolica prædicta vti, & gaudere, eaque omnia, & ſingula in huiuſmodi noſtris, ac alijs, & prædicti Archiepiſcopi prænominatis literis, & proceſſibus deſupèr habitis contenta, cuiuſuis Superioris ſupèr his, aut aliqua præmiſſorum licentia minimè requiſita, ac quibuſcumque etiàm contradictionibus, exceptionibus, & impedimentis remotis, prędicta auctoritate Apoſtolica liberè, & licitè exercere poſſitis, & valeatis.*

Derogat contrarijs.

§. 9. *Quę etiàm omnia, & ſingula in pręſentibus, & alijs noſtris, ac dicti Archiepiſcopi literis ſępè dictis, & proceſſibus deſupèr habitis contenta, auctoritate, & ſcientia prędicta de ſpecialis dono gratię concedimus, & indulgemus per præſentes felic. rec. Innocentij Papę IV. prędeceſſoris noſtri contrà exemptos, quę incipit, Volentes, & qualibet alia conſtitutione Apoſtolica contraria non obſtante.*

Cap. Volentes, de priu. in 6.

Declarat nullas ſententias cõtià exemptionem datas.

§. 10. *Decernimus quoquè ex nunc, omnes, & ſingulas excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, aliaſque eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas, ac proceſſus, quos, & quas contra vos, & eremitas, ac perſonas, Eccleſias, eremitoria, & loca huiuſmodi, & veſtrum quemlibet promulgari contigerit, vel haberi, irritas, & irritos, & inanes, ac nullius exiſtere firmitatis, vel momenti.*

Apponit pęnas contrafacientibus.

§. 11. *Nulli ergò omninò hominum liceat hanc noſtram paginam noſtrę laudis, approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, decreti, exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, voluntatis, conceſſionis, & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum anno incarnationis Dominicę 1474. Sexto Kalend. Iunij, Pontif. noſtri anno 3.*

§. IV.

1 NOto, quòd poſtquam S. P. N. obtinuit bullam Pyrrhi & confirmationem auctoritate Apoſtolica à Goffredo Epiſcopo Sancti Marci factam, dixerunt aliqui, quòd dicta confirmatio Goffredi non ſubſiſtebat quò ad omnia conceſſa à Pyrrho. Quia de priuilegijs ab eo conceſſis, in literis Papæ, & Goffredi non erat facta ſpecialis mentio, ſed ſolùm ſub clauſula generali, videlicet dicendo *Nonnulla alia veſtræ deuotioni conuenientia, &c.* Et poterant fundari in hoc; nam clauſula generalis ſequens ea, quæ ſpecialiter ſunt præmiſſa, reſtringitur regulariter ad ea, quæ ſunt ſimilia expreſſis, non ad diuerſa, neque ad maiora. Quæ regula colligitur ex cap. Sedes, de reſcript. vbi latè Fel. numero ſecundo. Ideò cum in reſcripto directo Goffredo ſolùm facta fuerit mentio, quòd Pyrrhus conceſſerat P. N. Oratorium in perpetuum, alijs eiuſdem priuilegijs non expreſſis, ſed incluſis ſub generali clauſula, confirmatio ab eodem Goffredo facta ſolùm ad hoc punctum, vel quid ſimile ſe extendebat. Quarè cum inſtituere P. N. in Superiorem ſuorum confratrum, & cætera priuilegia ibi conceſſa longè ſint ab illo diuerſa, meritò dubitatum eſt, an P. N. auctoritate Apoſtolica eſſet Superior ſuorum fratrum, & an vigore confirmationis Goffredi poſſet priuilegijs Pyrrhi frui.

2 Aduerte etiam, quòd iſta priuilegia nobis à Pyrrho conceſſa, poſtquam fuerunt à Papa confirmata, non

Digitized by Google

potuerunt ampliùs à Pyrrho reuocari. Vt Syluest. verbo Priuilegium, quæſt. 10. d. 7. Suar. lib. 8. de leg. c. 37. nu. 13. Ex quo forma generalem regulam, quòd priuilegium ab inferiori conceſſum, & à ſuperiore confirmatum, ab inferiori amplius reuocari non poteſt, ſi confirmatio fuit ex certa ſcientia.

§. VI.

3 NOto, quòd priuilegia ſolent à Pontificibus duobus modis confirmari. 1. in forma communi, de qua in cap. Quià diuerſitatem, de conceſſ. præb. 2. ex certa ſcientia, de qua in cap. Sicùt graue, de tranſact. ibi *viris pleniſsima notionis*, & notat Gloſſa in cap. Veniens, eod. tit. verbo Confirmatam. Et aduerte obiter, quòd iſta ſcientia, quæ dicitur certa, de qua loquimur, intelligitur eſſe ſcientia facti, nam ſcientia iuris ſemper ſupponitur in cõfirmatione, cum Princeps dicatur habere ius in pectore, cap. 1. de conſt. in 6. Quando confirmatur priuilegium cum perfecta notitia illius, & tenoris eius, & omnium illius circumſtantiarum, dicitur confirmatio ex certa ſcientia. Quando verò confirmatur cum ſola cognitione confuſa priuilegij, quod ſimpliciter proponitur vt antea conceſſum, ſiue alio examine, vel diſtinctiori notitia illius, dicitur confirmatio in forma communi. Vnde quando in ipſa confirmatione adduntur aliqua verba, quibus ſufficienter ſignificatur, præceſſiſſe examen, ſeu cognitionem perfectam, erit ex certa ſcientia. Quando vero in cõfirmatione nihil ſpeciale inuentum fuerit, erit in forma communi. Signa autem, quod fuerit confirmatio facta cum exacta cognitione ſunt hęc. 1. Si inſtrumento confirmationis inſeratur totus tenor prioris priuilegii, nam tunc conſtat, Papam habere illius perfectam cognitionem, & patet ex c. Venerabiles, de confirm. vtil. vel inutil. vbi Gloſſa. 2. Si in confirmatione expreſsè dicatur Ex certa ſcientia: ſeu De plenitudine poteſtatis: vel Non obſtante lege diſponente in contrarium. Nam tunc, licèt non inſeratur tenor priuilegii, confirmatio erit ex certa ſcientia, quià cùm per tale verbum affirmet Papa, ſe ita confirmare, illi credendum eſt. Omnis itaque confirmatio, in qua non erit vna ex prædictis particulis, vel illis ſimilis, & æquiualens, erit in forma communi. Ita Suarez li. 8. de leg. cap. 18. à num. 4.

4 Modò confirmatio in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, ſi erat inualidum, nec vllum præiudicium infert tertio, vt Panorm. in cap. Dudùm, de decim. num. 8. Sed eſt ſolùm pura roboratio, ſumitur ex cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. præb. & ex cap. 1. de confirm. vtil. vel inutil. Atque ita parùm valet iſta confirmatio, vt dicit Gloſſa illo cap. 1. de confirmat. &c. Panorm. part. 1. conſil. conſil. 102. num. 3. Sed adiicit ſolùm robur auctoritatis, quia Papa cõfirmãdo, V. G. Acta capitularia in forma communi, de non ſuis facit ſua, vt dicitur in l. 1. Cod. de veter. iur. enucl. vbi habetur, *ſuperiorem id facere ſuum, quod auctoritate ſua confirmat*. Et habetur etiàm in capit. Si Apoſtolicæ, de præb. in 6. & docet Suar. loc. citat. n. 10. Confirmatio autem priuilegii ex certa ſcientia habet vim nouæ conceſſionis, vt colligitur ex cap. 1. & cap. Veniens, de tranſact. habet enim vim validandi actum inualidum. Ita Suarez loc. cit. num. 12. Si eſt abſolutè, & ſimpliciter abſque aliqua limitatione data; nam ſi limitata, tunc limitatio attendenda eſt. Cum itaque Papa hic ex certa ſcientia confirmet priuilegia Pyrrhi, & literas datas ad Goffredum, & confirmationem ipſam Goffredi, nullum eſt dubium, quin dicta priuilegia Pyrrhi ſint in eo robore, ac ſi à Papa ipſo, vt ipſemet Sixtus declarat, fuiſſent ſpecialiter, & nominaliter conceſſa.

§. VII.

5 NOto 1. quòd eximere Religioſos à iuriſdictione Ordinariorum in vniuerſali ad ſolum Papam pertinet tamquàm ad ſupremum Paſtorem, cap. Frater noſter. 16. quæſt. 1. cap. Conqueſtus, 9. quæſt. 3. Henriq. lib. 7. de indul. cap. 24. num. 3. Tab. verbo Exemptus, in princip. Et ſic multi Pontifices exemerunt Ordines mendicantes, & alios à iuriſdictione Ordinariorum, vt videri poteſt in comp. Caſarub. verbo Exemptio. Nouiſſimè Paulus V. per ſuam conſtit. In ſupereminentis, quam Cherub. tom. 3. in Paulo V. ſub conſtitut. eius 23. pag. 206. concedit Congregationi S. Mariæ Fulienſis, vt perſonæ eius, etiàm Nouitii, à quopiam quauis auctoritate nõ poſſint excommunicari ſuſpendi, vel interdici, & eximit dictos à quacumque ſuperioritate Ordinariorum & excommunicat ipſo facto, abſolutionem ſibi reſeruando, quoſcumque Prælatos eccleſiaſticos, dictos fratres, & illorum familiares, ac illis inſeruientes ſuper dicta exemptione, & decimarum ſolutione moleſtantes.

6 Noto 2. quòd Pontifex eximens noſtrum Ordinem à iuriſdictione Ordinariorum, & immediatè illum ſubiiciens Apoſtolicæ Sedi, conſtituit ſe, & ſucceſſores ſuos immediatum Superiorem, iudicemque ordinarium noſtræ Religionis. Ac proindè ſinè licentia Papæ nobis non licet huic priuilegio renunciare, vt habetur in cap. Cum tempore, §. fin. de arbitr. & in cap. Cum veniſſent, §. Nos igitur, de in integrum reſtit. Tuſchus verbo renunciare, concl. 171. numer. 9. Barboſa de poteſt Epiſc. part. 3. allegat. 123. num. 42. Cum enim iſta exemptio ab Ordinariis reddat Monaſteria immediatè ſubiecta Apoſtolicæ Sedi, ſi aliquod Monaſterium, huic priuilegio renunciando, Ordinariis ſe ſubiiceret, in damnum, & iniuriam id vergeret Sedis prædictæ. Et multò minùs poteſt huic priuilegio renunciare frater aliquis priuatus, & in cauſa aliqua particulari Ordinario ſe ſubiicere, vt colligitur ex cap. Significaſti, de foro compet. & habet Felinus in ca. P. & G. de off. deleg. n. 1.

7 Noto 3. quòd poteſt Religioſus priuatus de licentia ſui Prælati ſubiicere ſe Epiſcopo ad vnum, aut alterum effectum vtilem, V. G. vt abſoluatur à caſu occulto, ſeu cenſura Sedi Apoſtolicæ reſeruata: Vel vt diſpẽſetur in occulta irregularitate: vel inhabilitate, in qua fortè eius Prælatus non poteſt, aut non audet ſe intromittere. Ita Henriq. lib. 7. cap. 25. numero 2. Naldus verbo Exemptio, num. 4. Sanch. lib. 4. in decal. cap. 39. num. 32. qui rem pro dignitate tractat à nu. 27. & multos Doctores citat. Quapropter dixit Papa in fine huius §. quòd non teneamur de iuſtitia reſpondere, niſi coram Apoſtolica Sede, ac ſi diceret, Verùm in fauorabilibus ad vnum, aut alterum caſum de veſtrorum Prælatorum licentia non eſtis prohibiti Ordinariis locorum vos ſubiicere.

8 Noto 4. quòd exemptio eſt triplex. 1. eſt perſonalis, qua ſ. eximitur perſona, vt à nullo, neque etiam Legato Sedis Apoſtolicæ, vel Iudice delegato excommunicari, ſuſpendi, vel interdici poſſit. 2. eſt localis, quæ fit Loco, ſeu Monaſterio, vel Eccleſiæ, ita vt non ſolùm Monaſterium, ſeu Eccleſia ſit exempta, ſed etiam res Monaſterio, & Eccleſiæ annexæ, & propriæ. 3. eſt exemptio vniuerſalis, quæ perſonas, res, loca eximit ab Ordinariorum iuriſdictione, & ſubiicit immediatè Papæ. Ita Hoſtienſis in ſum. lib. 5. tit. de priuil. §. Quot ſpecies Syluest. verbo Exemptio numero 2. Henriq. loc. cit. numero 4. Et cum nomine Ordinariorum intelligatur Legatus etiam de latere, ſeu Nuncius Apoſtolicus, vt Henriq. loc. citat. numero 3. ab iſtorum etiam iuriſdictione exempti ſumus, vt Naldus in ſum. verbo Exemptio, numero 5. Sed verius puto, Regulares non eſſe exemptos à iuriſdictione Legati à latere. Docet Molina tractat. 5. de iuſtit. diſput. 9. numero 10. Colligo ex cap. Si Abbatem, de elect. in 6. & huiuſmodi Legatum excepit Clemens VI. quando exemit fratres Minores à iuriſdictione Ordinariorum, vt refert Caſarub. in comp. verbo Exemptio, num. 9. & conſtat manifeſtè ex iſto §. 7. in fine, & ex exemptione Pauli V. data Congregationi S. Mariæ Fulienſis, de qua dixi num. 5.

Digitized by Google

num.5.& ita tenet Rodriq. tomo 2.quæſt. regular.q.63. art.4.& Romanus ſingul. 513. Et dato etiam, quòd priuilegia exemptionis Legatos de latere comprehenderent, per literas tamen legationis ſufficienter derogantur. Et cum hæc exemptio ſit vniuerſalis, vt patet, ſequitur, quòd Ordinarius nullam habet in noſtrum Ordinem iuriſdictionem, nec mediatam, nec immediatam, nec principalem, nec acceſſoriam per mandatum, ſtatutum, aut punitionem; quià vt ea relinqueretur, deberet nominatim excipi ab vniuerſali exemptione, cap. Cum olim, el 1.§. Nos verò, de priuil. vbi Gloſſa verbo Diœceſani, & Panorm. nu. 6. Nec poteſt circà debiti ſolutionem ſe intromittere, nec negligentiam Prælatorum regularium ſupplere. Henriq. lib.7. de indulg. cap. 25.

9 Si quæras, an delinquens in Monaſterijs Regularium ſubijciatur pęnis ab Epiſcopo impoſitis, V.G. Archiepiſcopus Genuenſis ſub pœna excommunicationis ipſo facto prohibuit ſuis Clericis, ne taxillis ludant; ludunt hi in Monaſterio aliquorum Regularium. Quęritur, an pœnam ab Archiepiſcopo impoſitã incurrant.

℞. Quòd non. Naldus in ſumm. verbo Exemptio, n. 5. & verbo Statutum, nu. 16. qui teſtatur de communi. Sylu. verbo Excommunicatio 2. n. 12. Zerola 1.p. praxis, verbo Excommunicationis cauſa materialis, §. 4. verſu Secundò an ſubditus. Azor.to. 1. inſtit.moral.lib. 5.cap.25.quæſt.4. Et ratio fundatur in exemptione loci, nàm Monaſteria Regularium licèt ſint in Diœceſi Epiſcopi, ac etiàm de Dięceſi illius, ſunt tamen extrà illius iuriſdictionem, ac proindè quò ad hoc perindè ſe habent ac Parochiæ, & Monaſteria extrà Diœceſim exiſtentia. Vnde ſicùt verum eſt, quòd Clericus Genuenſis ludens in Diœceſi Sauonenſi, in qua non ſit iſta excommunicatio, eam non incurrit, quià ſtatuta territorialia, ſeù Diœceſana, & localia, extrà territorium, Diœceſim, & locum non obligant, vt eſt communis ſententia; Ità cum ludit in Monaſterijs Regularium, quæ licèt materialitèr non ſint extrà Diœceſim, ſunt tamèn extrà eam formalitèr, non incurrit dictam excommunicationem.

10 Noto 5. Circà illam clauſulam *Prorſus eximimus, ac totalitèr liberamus*, quòd per iſtam derogatur priuilegijs conceſſis non ſolùm priuatæ perſonæ, ſed etiam vniuerſitati in genere, vel in ſpecie, ſub cuiuſcumq; tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, vel de plenitudine poteſtatis, aùt per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui. Henriq. lib.7.de indulg.c.27. num. 4. Et iſta clauſula geminata excludit omnem interpretationem in contrarium. Henriq.loc.cit.in com. litera F. Et docent Doctores in l. Baliſta, ff. ad trebel. In ſpecie Gloſſa verbo Etiam fructus.

11 Noto 6. circa illam clauſulam, *Nobis, & ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus, &c.* quòd licèt omnis, qui erit verus ſucceſſor huius Pontificis, canonicè in Pontificatum introibit; additur tamèn illa particula *canonicè intrantibus* ad innuendum, nos non debere obedire, nec ſubijci illi, qui non per oſtium, ſed aliundè intrudetur in ouile Domini, nec huic intendere Papam nos ſubijcere, ſed tantummodò ei, qui illi legitimè ſucceſſerit per Cardinalium electionem, qui tunc dicetur canonicè intrare. Illa verba *Ac dictæ Sedi* innuunt, nos, Sede vacante, Apoſtolicæ Sedi, ſeù Collegio Cardinalium tunc immediatè etiam ſubiacere, nec per hoc, quòd Papa caremus, carere etiàm Superiore, quià tunc loco Papæ ſtat Apoſtolica Sedes, ſeù Collegium Cardinalium.

§. X.

12 NOto 1. quòd Papa annullat, & irritat omnes, & ſingulas ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti contra nos latas, & omnes alias ſententias, & proceſſus, ſi quæ tentarent Ordinarij cõtrà nos facere, aut pronunciare. Quod idem conceſſerat Minoribus Clemens VI. vt eſt apùd Caſarub. verbo Exemptio, n.9. Et Paulus V. Congregationi S. Mariæ Fulienſis, vt dixi nu. 5. Et aduerte, quòd iſta irritatio afficit iudicem etiam ignorantem. Henriq. lib.7.de indulg.cap.25.n.5. qui in comm. litera k multos adducit. Aduerte etiàm, quòd cenſura lata contra nos ab Epiſcopo, in neutro foro ſeruanda eſt, cap. ſanè, & cap. Cum ad quorumdam, de exceſſib. Prælat. Nauarr. in ſumm.cap.27.num. 3.& 4. Sylu. excomm.2.n.1. caſu 1. Henriq.loc.cit.nu.7. Et ratio eſt, quià exemptio Religionis eſt notoria populo, & Ordinarijs, capit. Ex parte 1. de priuil.

13 Si quæras, an Epiſcopus poſſit declarare excommunicatos à iure, vel Apoſtolicis conſtitutionibus Regulares priuilegium exemptionis habentes.

℞. Poſſe in illis caſibus, in quibus id illis ſpecialitèr permittitur. vt V.G. ſi extremę vnctionis, & Euchariſtię ſacramenta miniſtrent, aùt matrimonia ſolemnizent, vt habetur in Clem.1.de priuil.§.1. vbi Panorm. num. 22. Cardinalis num.24. Et Henriq. 7. de indulg.cap.25.nù. 7. & in his caſibus poteſt Epiſcopus citare Regularem ad videndum ſe declarari excommunicatum Felin. in cap. Non poteſt, num. 3.de re iudic. Non poteſt tamen ſic declaratos excommunicatos abſoluere; quià non ſunt eius ſubditi, ſed id pertinet ad Superiorem regularem. Abbas in cap. Significaſti, de foro compet. n. 11. Angelus Armilla verbo Exemptio, nu.6.& 9. Piaſecius in praxi Epiſcop.p.2.capit. 3. de viſit. Regul. verſu Ad extremum ponendum, pag. mihi 193. Vide Portel in dub. verb. Epiſcopus numero 5. & in addit. verbo Excommunicatio, numero 1. & verbo Epiſcopus num. 5.

14 Sed quid, Si per edictum ſub excommunicationis pœna prohibiti eſſent Regulares certum peccatum committere, quòd publicè perpetraſſent, poſſet ne Epiſcopus eos excommunicatos denunciare? Nauar.lib.5. conſil.de ſent.excomm. conſil.2.n.2. cenſet, quòd non, & benè; nàm hic caſus non eſt illi ſpecialitèr conceſſus, ſicùt ſunt ij, qui habentur in Clem.1.de priuil.cit. Ratio eſt, nàm in vniuerſalitèr exemptos Ordinarius non habet iuriſdictionem, niſi ei ſpecialitèr in aliquo caſu tribuatur, vt conſtat. Et habetur in Clem. vnica, de exceſ. Prælat. Bariola in aſphor. verbo, Epiſcopus. Videatur Vgolinus de poteſt. Epiſc.c.20.§.10.n.1.

15 Noto 2. quòd ſi Ordinarius citat Regularem, citatio eſt ipſo iure nulla, cùm ſit à iudice non competente, & contra priuilegium notorium. Nec cenſura ligatur, ſi non comparerit: comparere tamen decet, & allegans priuilegium proponere declinatoriam fori, & ſic recedere. Henriq. loc. cit. num.8. Secùs autèm eſt, ſi in citatione exprimatur cauſa, quæ fundet iuriſdictionem Ordinarij, vt V.G. ſi, vocatos Regulares ad publicas proceſſiones, & ipſi venire neglexerint, citet ad comparendum, & in citatione citationis cauſa exprimatur. Quià tunc, cum Trid. ſeſſ.25. de regul.cap. 13. det facultatem Ordinarijs, vt poſſint compellere Regulares ad intereſſendum publicis proceſſionibus, tenebuntur hoc caſu, & alijs ſimilibus comparere. Si verò Ordinarius velit agere de iure, & viribus priuilegij producti, &, eo reprobato, ferat ſententiam, tunc ſententia eſt ipſo iure nulla. Quia in dubio contra Regulares, an iuriſdictio pertineat ad Epiſcopum non poteſt Epiſcopus de cauſa cognoſcere, ne ſit iudex in cauſa propria. Henriquez loc.citat.n.6. Innoc. in cap. Venerabili, de cenſibus, num.2.

16 Noto 3. circa viſitationem Regularium, quòd olim Epiſcopi habebant ius Regulares viſitandi, & procurationes, ſeu expenſas in viſitatione factas recipiendi. c. Sopitæ, cap. Cum olim, de cenſib. Sed in Regulares exemptos iam nullam habent iuriſdictionem. Et ideò eos non viſitat niſi Prælatus regularis, vt habetur in Trid.ſeſſ.25.de regul.cap.8.& 20.

17 Nec ſolùm non poſſunt Epiſcopi Monaſteria viſitare, ſed nec Eccleſias, pyxidem, aut tabernaculum, in quo aſſeruatur ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum Ità declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, vt refert Quaranta in ſum. bull. verbo Priuilegia Regularium,

pag. mihi 514. & Rodriquez in ſuo bull. in Clemente VIII. in princip. & tom. 1 quæſt. regular. quæſt. 36. art. 4. fine, quæ ſic habet. *Congregatio Concilij cenſuit, Epiſcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiuſuis decreti eiuſdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in Monaſterijs, Domibus, & Eccleſijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum ſæcularium, viſitandi ſacriſtias, paramenta, vaſa ſacra, altaria, & cætera huiuſmodi: aut etiam tabernaculum, ſeu pyxidem, in qua ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum aſſeruatur.*

18 Et cum Archiepiſcopus Genuenſis prætenderet, poſſe dictum tabernaculum viſitare ratione poſſeſſionis, eo quia eius anteceſſor aliquas Eccleſias Regularium exemptorum viſitauerat. Deductum eſt negotium ad ſacram Congregationem Concilij, quæ præfato Archiepiſcopo in hæc verba reſcripſit. *Perilluſtris, ac Reuerendiſs. D. vti frater. Cum actum fuerit in ſacra Congregatione Cardinalium Concilij Trid. interpretum, an liceat Amplitudini tuæ pergere in quaſi poſſeſſione Eccleſias Regularium viſitandi. Illuſtriſsimi Patres, perſpectis ſcripturis hinc ab Amplitudine tua non ita pridem delatis, cenſuerunt, debere eam abſtinere ab huiuſmodi viſitatione Monaſteriorum; atque Eccleſiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum ſæcularium non imminet. Itemq; Monialium iiſdem Regularibus ſubiectarum in his, quæ ad ipſarum clauſuram non pertinent. Reliquum eſt, vt Amplitudo tua ſacræ Congregationis reſponſo promptè, quod ſuis literis pollicetur, adhæreat. Et diu valebit in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ die 26. Ianuarij 1619. Cardinalis Lancellotus. Et non viſo hoc decreto, ita etiam conſueuerant multi apud Dianam tom. 3. tract. 2. reſol. 134.*

§. XI.

19 NOto, quòd Epiſcopus, ſeù Parochus, qui auſus fuerit prædictis priuilegijs contraire, vel nos, ne ijs fruamur, moleſtare, peccat mortaliter, per illa verba, *Indignationem omnipotentis Dei, &c.* per quæ non fertur excommunicatio, vt bene Sayrus lib. 1. de cenſuris, cap. 11. nu. 16. Et quas pœnas incurrat, vide conſt. ſeq. n. 7. & 8. Sed hic Pontifex contra Epiſcopos, & Curatos moleſtare, aut inquietare attentantes Regulares, multas, & graues inflixit pœnas, prout refertur in comp. priuil. Catarub. verbo Exemptio, n. 22. & in mari magno Prædicatorum apud Rodriq. in ſuo bull. in Sixto IV. bulla eius 33. quæ incipit, Regimini, §. 54. ità habetur. *Diſtrictius inhibentes iiſdem locorum Ordinarijs ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, & parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & alijs quibuſcumq; ſub excommunicationis latæ ſentent. & priuationis earumdem parochialium Eccleſiarum, ac omniũ aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinenda pœnis eo ipſo per eos, qui contrafecerint, incurrendis, ne Ordines prædictos fratrum Prædicatorum, & Minorum, ac illorum domos, & profeſſores contra priuilegiorum eis conceſſorum tenorem moleſtare, aut inquietare præſumpſerint.* Et Paulus V. dictos moleſtatores, ſiue ſint Epiſcopi, ſiue alij quicumq; Prælati, excommunicat ipſo facto, & abſolutionem ſibi reſeruat, vt dixi hic ſupra, numer. 5. Pro Regularium exemptione videri poteſt Confettius in ſuo ſumm. toto tit. 5.

20 Sed quoniàm Regularium exemptio in multis eſt limitata à Concilio Trid. de quibus Tamburin. to. 1. de iur. Abbat. diſp. 15. quæſt. 7. Campanil. in diuerſ. iur. rubr. 12. cap. 13. Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 3. allegat. 105. Azor. Paſſar. & nouiſſimè à Gregorio XV. per ſuam conſtit. Inſcrutabili, infrà in eo, conſtit. eius 2. ideò aliqua loca Concilij Trid. hanc exemptionem concernentia, hic ſpeciatim diſcutere operæ pretium duxi. Primò igitur ſeſſ. 5. de reform. capitulo 2. ita habetur. *Regulares verò cuiuſcumq; Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinũ prædicare non poſſint. Cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum Ordinũ nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.* Seſſione verò 24. cap. 4. de reform. ità habetur. *Nullus autem Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.* Gregorius XV. in ſua conſtit. Inſcrutabili cit. §. 8. ità habet. *Ac demum habeat Epiſcopus tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumq; exemptos, tàm ſæculares, quàm Regulares, qui in alienis Eccleſijs, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſq; Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint.* Vnde colligitur, quòd Regulares prædicantes in Eccleſijs, quæ ſui Ordinis non ſunt, tenentur obtinere licentiam ab Epiſcopo. In Eccleſijs verò ſui Ordinis tenentur ſolùm benedictionem ab eodem Epiſcopo petere, quam licèt non obtinuerint nihilominùs prędicare poterunt, non enim dicit Concilium, quòd teneantur obtinere, ſed ſolùm petere. Atq; ità dicitur declaraſſe ſacram Congregationem Concilij. Neque obſtat, quòd Cõcilium dicat, cõtradicente Epiſcopo, Regulares prædicare non poſſe etiàm in Eccleſijs ſui Ordinis, nam intelligitur, quòd non poſſint prædicare, eadem hora, qua prædicat ipſemet Epiſcopus, qui ideò contradicit, quià ea hora ipſe vult prædicare, vel coràm ſe facere ſolemnitèr prædicari. Et quòd ità debeat intelligi Concilium, declarauit Pius V. in ſua conſt. 7. §. 3. infrà. Quæ declaratio per reductionem dictæ bullę ad terminos Concilij Trid. factam à Gregorio XIII. quæ incipit, In tanta, apùd Cherub. tom. 2. bull. in conſt. 9. Greg. pag. 370. non eſt reuocata; tantùm enim reuocauit Gregorius ea, quæ conceſſerat dictus Pius Regularibus mendicantibus contrà Concilium, non declarationes dicti Concilij factas à Sanctiſs. & doctiſs. Pontifice Pio, vt dico in bulla eiuſdem Pij, nu. 3. Ita Rodriq. to. 3. q. regul. q. 32. artic. 1. Mir. tom. 1. manual. q. 50. artic. 3.

21 Licentia autèm prædicandi in Eccleſijs, quæ ſui Ordinis non ſunt, debet obtineri, dicit enim Conciliũ, *Vltra licentiam ſuorum Superiorum, licentiam etiam Epiſcopi habere teneantur;* verbum autèm *Habere* dicit actũ poſſeſſionis. Quo eodem pacto intelligenda eſt dicta conſtitutio Gregorij XV. quæ ſolùm addit, Quòd ſi Regulares prædicauerint in alienis Eccleſijs ſinè licentia Epiſcopi, & in ſuis ſinè benedictione petita, poſſint Epiſcopi contrà eos pœnis, & cenſuris eccleſiaſticis procedere, eoſq; toties quotiès opus fuerit, punire; quòd, antequàm exiret dicta conſtitutio, facere non poterant per declarationem ſacræ Congregationis, quam refert Quaranta verbo Priuilegia Regularium, pag. mihi 513 his verbis. *Congregatio Concilij cenſuit, Regulares, qui abſquè licentia Epiſcopi prædicauerint in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, tametſi decreto eiuſdem Concilij c. 2. ſeſſ. 5. contrafecerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantum à ſuis Superioribus.* Vide, & limita iuxtà hic dicta, quæ dico t. 1. Relig. q. 1. c. 22. præſertim circà 2. 3. & 7.

22 Secundò ſeſſ. 6. ca. 3. de ref. habetur hoc decretum. *Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant, & nemo ſæcularis Clericus, cuiuſuis perſonalis, vel Regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur, quo minus, ſi deliquerit, ab Ordinario loci tamquàm ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.* Ex quo colligitur, quòd Regularis extrà Monaſterium degens abſque licentia ſui Prælati, ſi delinquat, poteſt puniri ab Ordinario. Et quòd hoc decretum intelligatur ſolùm de Regularibus degentibus

Digitized by Google

tibus extra Monaſterium, abſque licentia Prælati, patet, quia in Monaſterio dicitur eſſe Monachus, qui manet in quocumq; loco de Superioris mandato. Vt docent Panor. in c. Ex reſcripto, de iur. iur. n. 5. Sylu. verbo Religio 3. q. 19. verſu Secundò inducitur. Nauar. comm. 4. de regul. num. 74. verſu Aduertendum 3. Paſſarel. in Schol. ex Genuen. n. 21. Henriq. lib. 6. de Indulg. cap. 24. n. 3. in comm. lit. O. Et poteſt confirmari, nàm iuſtum non eſt, vt, qui à ſuo Superiore ordinario quotannis viſitatur, & quoties opus eſt, punitur, alij extraordinario iudici ſubdatur. Ad ſummum ergò puto, habere locū iſtud decretum, quandò Regularis degit in aliquo loco diſtanti admodum à ſuo Conuentu, & ad longum tempus, puta, ſi detur alicui licentia exeundi Conuentum ad ſubueniendum parentibus inopia laborantibus, & hic degeret in loco, vbi non eſſet Conuentus ſuæ Religionis, tunc benè poſſet Ordinarius loci, ſi delinqueret, virtute huius decreti eum punire. Dicunt aliqui, quòd aliter fuit declaratum à ſacra Congregatione, nimirùm hoc decreto comprehendi etiam Regulares degentes extrà clauſtra cum licentia ſuorum Superiorum, Sed ego has declarationes authenticas non vidi, & libri referentes ſuſpenſi ſunt. Si tamen verum eſt, debet intelligi, quando ad longum tempus degunt extrà Monaſteria, & habent extrà illa domicilium ex aliquo priuilegio ſpeciali, & non ſubijciuntur correctioni, & viſitationi annuæ Prælatorum regularium; debent enim tunc habere Superiorem qui eos, quotiès opus fuerit, coercere poſſit.

23 Tertiò ſeſſ. 25. c. 11. de regul. *Regulares curam animarum perſonarum ſæcularium exercentes ſubduntur iuriſdictioni, correctioni, & viſitationi Epiſcoporum in his, quæ huiuſmodi curam concernunt, niſi in dictis Monaſterijs curam animarum perſonarum ſæcularium exercentibus ordinariè reſideant Abbates, Generales, aut Capita Ordinum quorumcunque vel niſi Regulares habeant in dictis locis iuriſdictionem temporalem, nam tunc ſunt à dicta viſitatione Epiſcoporum exempta.* Vide Rotam Romanam coram Seraphino, deciſ. 1067.

24 Et aduerte, quòd dùm Epiſcopus Parochiam Monaſterio annexam viſitat, debet id facere abſquè grauamine, & impenſa Monaſterij. Vt expreſsè declarauit Leo X. in conſtit. eius 26. §. 3. infrà, & habet Henriq. lib. 7 de Indulg. c. 25. n. 11.

25 Noto etiàm, quòd ſi Regularis curam animarum exercens reperiatur deliquiſſe, non debet Epiſcopus eum punire, ſed puniendum tradere ſuo Prælato iuxtà proprias conſtitutiones. Vt idem Leo X. loco cit. & docet Abbas in c. Cum contingat, de foro comp. nu. 22. Henriq. loc. cit. qui in comm. lit. X. multos citat, & ait, id fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione. Facit c. fin. de ſtat. monach. §. 1. Nec obſtat Concilium Trid. quando dicit, quòd perſonæ curam exercentes ſubſint viſitationi, & correctioni Epiſcoporum, nàm intelligitur, mediante Prelato regulari. Linquo, quòd correctio vi nominis emendationem dicit, non punitionem, & precauet malum futurum, non caſtigat præteritum. Et quòd Concilium non intendat, vt Epiſcopi poſſint Curatos regulares per ſe ipſos immediatè punire, patet, quia quandò id intendit, expreſsè ponit verbum punire, vt ſeſſ. 6. de reform. c. 3.

26 Si quæras, an Epiſcopus poſſit viſitare perſonas ſeculares exercentes curam animarum in Monaſterio, in quo reſidet Generalis alicuius Ordinis. Sacra Congregatio reſpondit (referente Zerola 2. par. praxis, verbo Viſitatio, q. 13.) in hæc verba. *In Monaſterio in quo Generalis alicuius Religionis Regularium ſedem ordinariā principalem habeat, licet perſonæ ſæculares ſint in eodem Monaſterio curam animarum exercentes, quantum ad ipſam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectat, nullì viſitationi, ſeu iuriſdictioni Epiſcopi ordinarij Diœceſis, in qua ipſum Monaſterium ſitum eſt, ſubiecta ſint.*

27 Suprà Concilium addidit bulla Gregorij XV. de qua dixi nu. 21. §. 2. *quòd omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati plenè in omnibus ſubijciantur.* Et §. 9. ait, quòd *Epiſcopus poſſit toties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, contrà delinquentes in tali cura per cenſuras eccleſiaſticas aliaſq; pœnas procedere.* Per quæ verba *omnimodè*, & *plenè* dat Papa Epiſcopis ſuprà huiuſmodi Regulares Rectores Eccleſiarum parochialium, quò ad ea, quæ dictam curam concernunt, omnem iuriſdictionem temporalem, eccleſiaſticam, ſpiritualem, ciuilem, & criminalem, ità vt delinquentes poſſint punire non ſolùm monendo, corrigendo, viſitando, ſed etiam incarcerando, & deponendo ab huiuſmodi cura. Ita Gloſſ. in Clem. vn. de foro comp. verſu Omnimodam, Panor. in c. Conqueſtus, de foro comp. n. 4. Atq; ità concedit Epiſcopis ſuprà tales Curatos omnem iuriſdictionem, quam habent Prælati ordinarij ſuprà eos. Quæ iuriſdictio eſt meri, & mixti imperij. Et nota, quòd per merum imperium ſignificatur ſecundùm Canones iuriſdictio quodammodò criminalis, vt depoſitio, perpetua ſuſpenſio, excommunicatio; per mixtum imperium ſignificatur iuriſdictio quodammodo ciuilis, vt admonitio, inquiſitio, correctio, viſitatio. Ita Spec. de iuriſ. omn. iud. à n. 28.

28 Quarto ſeſſ. 7. c. 14. ita habetur. *In exemptorum cauſis conſtitutio Innocentij IV. quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunenſi edita ſeruetur; quam eamdem ſacroſancta Synodus innouandam cenſuit, & innouat. Addendo inſupèr, quòd in ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, Clerici ſæculares, aut regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, etiamſi certum iudicem à Sede Apoſtolica delegatum in partibus habeant; in alijs verò, ſi ipſum iudicem non habuerint, coràm locorum Ordinarijs, tamquàm ad hoc ab ipſa Sede Apoſtolica delegatis conueniri, & iure medio ad ſoluendum debitum cogi, & compelli poſſint, priuilegijs, exemptionibus, conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduerſus præmiſſa nequaquàm valituris.*

29 Pro huius decreti intelligentia aduertendū, quòd in iſto cap. Volentes, de priuil. in 6. quod hic innouatur, ſtatuitur, quod Ordinarius loci poſſit procedere cōtrà exemptos ratione delicti, vel contractus extrà loca exempta factorū, vel rei ſitæ extrà illa. Aduerte 2. quòd Regulares degentes extrà clauſtra poſſunt conueniri coram Ordinarijs in duobus caſibus, nimirùm in ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum. Non dicuntur autem extrà Monaſterium degere, qui cauſa prædicationis, vel confeſſionis, vel eleemoſynæ, vel alicuius rei ad tempus, & non permanenter extrà Monaſterium morantur. Sed extrà Monaſterium degere dicuntur, qui habent domicilium extrà Monaſterium ſpeciali licentia, vel priuilegio. Nam qui ſecundùm regularia inſtituta inſeruiunt beneficio, vel adſciuntur alicui Monaſterio Monialium tales non comprehenduntur in hoc decreto, quià non degunt extrà Monaſterium propriè, cùm non ſint extrà illud ex ſpeciali licentia, ſeu priuilegio, ſed ex inſtituto. Ita in terminis Rodr. tom. 2. q. regul. q. 2. art. 8. Et ſic quò ad vltimùm dicitur fuiſſe declaratum à ſacra Cōgregatione.

30 Noto 3. quòd Regulares intrà clauſtra degentes per hoc decretum in nullo caſu poſſunt conueniri coràm Ordinarijs locorum. Ita Nauar. com. 2. de regul. n. 63. Rodriq. to. 2. q. regul. q. 2. ar. 8. Nequè obſtat dictū cap. Volentes innouatum in hoc decreto Concilij, nam derogatum eſt per noſtra priuilegia, & alia aliorum Mendicantium; & licèt ſit innouatum per Trid. non tamèn derogantur à Concilio priuilegia, quæ contrà dictum decretum conceſſa ſunt, niſi in cauſis tantum mercedum, & miſerabilium perſonarum. Ita Rodriq. loc. cit. Et ſic cenſuit ſacra Congregatio die 19. Iulij, 1573. in hæc verba. *Dubitatum fuit an Regulares poſſint ciuiliter coram Epiſcopo à creditoribus ſuis conueniri. Et fuit reſponſum, quod poſſint conueniri, ſi non ſint ſub regulari obſeruantia; at ſi ſint ſub regulari obſeruantia, non poſſint conueniri coram Epiſcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum ijs commune Epiſcopi propter exemptionem.*

31 Noto 4. quæ ſint miſerabiles perſonæ, de quibus

ho

Digitized by Google

hoc capite; dicuntur enim tales primò viduæ, pupilli, orphani niſi diuites ſint, 2. dicuntur miſerabiles ſenes decrepiti, diuturno morbo fatigati, & omnes, quibus natura mouetur ad miſerandum propter fortunæ iniuriam, etiamſi diuites ſint. 3. dicitur perſona miſerabilis puella nobilis, quæ non poteſt iuueni ſibi nobilitate pari matrimonio iungi. 4. dicuntur perſonæ miſerabiles peregrini, aduenæ, publicè pœnitentes, infantes expoſiti, cœci, & mutilati membris, atque leproſi, ac debilitati, in carceribus coniecti, cruce ſignati, atque hi, qui nunc recenter ad Chriſtianam fidem ſe recepere. Ita Maſchardus to. 2. concl. 1075. Rodriq. tom. 1. q. Regul. q. 65. art. 3. Sed meo videri nulla perſona cēſeri poteſt miſerabilis, ſi diuitijs abundet, quod etiam docet Comel. Benincaſ. de paupert. q. 4. n. 12. tom. 18. tract. cum his enim poteſt commodè per alios facere, quidquid per ſemetipſum, tanti enim nunc æſtimatur aurum, vt in prouerbio iam deductum ſit, *Omnia obedire pecuniæ*, & dixerit quidam, *deficiente pecunia deficere omnia*; & apud Senecam ep. 115. dixit alius. *Sine me vocari peſſimum, vt diues vocer, An diues omnes quærimus, nemo an bonus. Non quarè, & vndè, quid habeas tantum rogant. Aut diues opto viuere, aut pauper mori. Benè moritur, qui dum moritur, lucrum facit, pecunia ingens generis humani bonum.* Et Ouidius ad hoc propoſitum.

Ingenium quondam fuerat pretioſius auro;
Nunc eſt barbaries grandis habere nihil.
Auro pulſa fides, auro venalia iura,
Aurum lex ſequitur.

Et tritum eſt oraculum illud Philippi Macedonum Regis.

Argenteis pugna telis, atquè omnia vinces.

Quare puto, nullam perſonam diuitem, in hoc ſaltem caſu Concilij, poſſe dici miſerabilem. Eas omnes tamen enumeratas dici tales, ſi diuitijs non ſuperabundent. Colligitur ex c. Significantibus de offic. deleg. vbi Barboſ. n. 3. Vide Guid. Papæ q. 160. qui cum Innoc. id relinquit arbitrio iudicis. Videatur Menoch. lib. 2. de arbit. caſu 66. vbi latè, quæ ſint miſerabiles perſonæ.

32 Noto 5. quod circa hoc caput Concilij extat conſtitutio glorioſiſſ. mem. Pauli Papę V. quam refert Cherub. tom. 3. ſui bull. in Paulo V. conſtit. eius 34. pag. 223. tenoris ſequentis. *Religioſorum*, & infrà. *Cum itaque nomine dilecti filij Baſilij Anguſſolæ Procuratoris generalis Ordinis fratrum Carmelitarum in Congregatione venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Trid. Concilij interpretum expoſitum fuerit, in Hiſpaniarum regnis quoſdam Ordinarios locorum contendere, Religioſos intra clauſtra degentes coram ipſis Ordinarijs conueniri debere in cauſis ciuilibus, c. Volentes, de priu. in 6. comprehenſis, propter illius innouationem à Conc. Trid. factam ſeſſ. 7. c. 14. quo præfatos Religioſos, eorum priuilegijs abrogatis, defendunt comprehendi. Prӕterea eoſdem locorum Ordinarios paritèr contendere, eoſdem Religioſos intrà clauſtra degentes in prima inſtantia coram ipſis conuenire debere, ex decreto eiuſdem Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 20. de ref. Cumque ab eodem Baſilio Procuratore generali in eadem Congregatione ſupplicatum fuerit, vt ſuper vtraq; re reſponſa darent. Ab eadem vero Congregatione fuerit reſponſum, neque conſtitutione in generali Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit, Volentes, neque decreto Conc. Trid. ſeſ. 14. c. 7. comprehendi Regulares, ideoq; eos iuxta eorum priuilegia coram ſuis Superioribus, vel Conſeruatoribus eſſe conueniendos necnon decretum eiuſdem Concilij Trid. c. 20. ſeſſ. 24 ad Regulares non pertinere, nec eorum Conſeruatorias imminuere, nec quò ad primam illarum inſtantiam aliquid noui inducere. Ipſeq; Baſilius Procurator generalis nobis humiliter ſupplicari fecerit, vt pro ſui Ordinis quiete ſupradictas declarationes ab eiſdem locorum Ordinarijs ſeruari debere Apoſtolica auctoritate præcipere dignaremur. Nos illius huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis locorum Ordinarijs in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes diſtinctè præcipiendo mandamus, ne fratres, & Religioſos dicti Ordinis Carmelitarum contrà diſpoſitionem declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare quoquo modo audeant, vel præſumant. Irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo piſcatoris, die 24. Auguſti 1607. Pont. noſtri anno* 3. Ita etiam docet Camp. in diuer. iur. rubr. 12. cap. 13. num. 29.

33 Quintò ſeſſ. 23. de reform. c. 8. decernitur, *quòd vnuſquiſque ordinetur à proprio Epiſcopo* & c. 12. dicitur, *Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur.* Circà quæ aduerto vnam declarationem ſacræ Congregationis de mandato S. D. N. Clem. VIII. quam refert Quaranta in ſumm. bull. verbo Ordo, pag. mihi 501. & A Sorbo in comp. priuil. Mendic. verbo Ordines ſacri, verſus finem, pag. mihi 457. Naldus in ſum. verbo. Ordo, nu. 26. his verbis. *Congregatio Concilij cenſuit, Superiores regulares poſſe ſuo ſubdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum nempe illius Monaſterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit. Et ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel Sedes epiſcopalis vacaret* (quod vltimum addidi ex declaratione huius decreti, ab ipſamet Congregatione facta apùd Naldum loc. cit.) *ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit, examinetur quò ad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tēpus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verum cum à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiuſdem S. D. N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Menſis Martij 1596.*

34 Sed quid, ſi Diœceſanus abſens concederet facultatem alicui Epiſcopo tranſeunti per ſuam Diœceſim, vt poſſet ordinationes celebrare, poſſent ne hoc caſu Regulares ad quemcumq; Epiſcopū accedere pro ordinibus ſuſcipiendis? Puto, quòd ſic. Nam hoc decretū eſt contrà priuilegia Regulariū, vndè ſtrictè interpretādū eſt, nec vltra caſus expreſſos ampliandum. Secùs autem eſſet, ſi præſens concederet licentiā Epiſcopo tranſeunti ordinationes celebrandi. Ita etiam tenuit Tambur. me citato to. 2. de pot. Abbat. diſp. 2. q. 19. num. 4.

35 Noto vlteriùs, quòd diſpenſare Regulares ſuper temporum interſtitijs pertinet ad Epiſcopum ordināntem, non ad Superiorem regularem. Ita declarauit ſacra Congregatio, vt refert Quaranta verbo Ordo, pag. mihi 496. his verbis. *Congregatio Concilij cenſuit, Superiores regulares non poſſe diſpenſare ſuper interſtitijs Regularium ordinandorum, ſed id pertinere ad Epiſcopum ordinantem, qui tamen quò ad cauſam diſpenſationis iudicium ſuū formare debet ex atteſtatione Superiorum regularium.* Vide A Sorbo in comp. verbo Ordo quò ad 2. dubium, verſu Et ſic conclude, pag. mihi 454. Et Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 12. à num. 22.

36 Noto etiam, quòd ſi Regulares degant in Monaſterijs ſitis in locis nullius Diœceſis, debent ordinari ab Epiſcopo viciniore, & obſeruare omnia, quæ dicta ſunt in declaratione ſacræ Congregationis ſupradictæ, n. 33. Ita declarauit ſacra Congregatio menſe Decembri, anno 1619. vt refert Naldus loc. cit.

37 Noto etiàm, quòd Regulares non profeſſi, non poſſunt ſacris ordinibus ordinari per conſtit. Pij. V. quę incipit, Romanus Pontifex ſacrorū, quam refert Cherub. to. 2. bull. in Pio V. conſtit. eius 75. pag. mihi 272. in qua conſtitutione extendit Pontifex decretum Concilij Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform. ad Religioſos non profeſſos in communi viuentes. Et mandat Epiſcopis ſub merito ſanctæ obedientiæ, & indignationis ſuæ pena, ne talibus perſonis ſacros ordines impendant, & contrafacientes ſuſpendit per annum ipſo iure ab ordinum

num

Digitized by Google

num præſtatione, & ſtatuit, quòd huiuſmodi Religioſi non profeſſi, qui fuerint contrà ſuam conſtit. & decretum Concilii ordinati, careant executione ordinum ſic ſuſceptorum, nec vllo modo poſſint in altaribus miniſtrare, & miniſtrantes priuilegijs exemptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs Clericis conceſſis omninò priuat, & declarat incurrere irregularitatis, & alias pœnas in dicto Concilij decreto poſitas, à quibus non niſi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo abſolui poſſe decernit. Minoribus autèm ordinibus poterunt Nouitij inſigniri, nàm exceptio firmat regulam in cõtrarium. Aduerte autem, quòd iſta conſtitutio non comprehendit Religioſos Societatis Ieſu, qui ſolùm vota ſimplicia emiſerunt, vt declarauit Gregorius XIII per ſuam conſtit. quæ incipit, Aſcendente, apùd Cherub. tom. 2. bull. in Greg. XIII. conſt. eius 89. pag. 472. & Greg. XIV. in ſua conſt. Eccleſiæ catholicæ, apùd Cherub. in eo, tom. 2. bull. conſt. eius 10. An autem Nouitij habentes conditiones requiſitas à Concilio loc. cit. poſſint ad ordines promoueri, eſt maxima difficultas. Sanch. 6. in decal. cap. 10. num. 19. tenet, quòd ſic; & ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi eſt Nouitius n. 21. Contrarium putant alij apud eumdem, num. 18. Ex iſta conſt. Pij nihil poteſt ſtatui circà hoc, cum ſolùm extendat dictum cap. Concilij ad Clericos non profeſſos. Vndè cenſeo, poſſe cum dimiſſorijs proprij Epiſcopi, & cęteris conditionibus Concilij, cum nullibi id clarè vetitum reperiatur.

38 Noto deniquè, quòd Religioſi Societatis Ieſu habent priuilegium, vt poſſint ordinari extrà tempora à iure ſtatuta, in tribus Dominicis, vel aliis feſtis diebus, etiàm continuis, ad ſacros, etiam presbyteratus ordines. Ità conceſſit Gregorius XIII. vt refert Cherub. tom. 2. bull. in Gregorio XIII. conſtit. eius 77. fol. 460. incipit, Pium, & vtile: quò tamèn priuilegio vetat expreſsè Papa participare alias Religionis communicationem cum ipſa Societate habentes.

39 Solùm poſſet eſſe dubium, an per nouas, & poſteriores conceſſiones factas alijs Religioſis, vt poſſint gaudere priuilegijs dictæ Societatis, cenſendum ſit, dictum priuilegium poſſe ab alijs participari. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 55. art. 17. col. 2. verſu At circà hunc artic. difficile dubium dicit; reſpondet tamèn affirmatiuè, quià, ait, à conceſſione generali non eſt recedendum, niſi vbi conſtat de voluntate concedentis: præcipuè cum hoc ſit beneficium Principis, & conſequenter latè interpretandum. Quarè cum ſucceſſores Gregorij priuilegia Societatis ſinè aliqua limitatione alijs Religionibus, vt Ciſtercienſibus, & Cruciferis communicauerint, cum quibus communicant Mendicantes, clarum eſt, ipſos Mendicantes priuilegijs Societatis Ieſu ſinè aliqua limitatione vti poſſe. Hæc tamèn doctrina Rodriquez non placet Suar. li. 8. de legibus cap. 17. nu. 8. tùm quia ſub clauſula generali non venit id, quod Princeps non eſſet in ſpecie veriſimilitèr conceſſurus; tùm quia generi per ſpeciem derogatur, etiamſi ſpecies ipſa præceſſerit; tùm quià generalis conceſſio caſuum non extenditur ad reſeruatos.

40 Sexto ſeſſ. 23. c. 15. de refor. *Regulares non poſſunt confeſſiones ſecularium audire, niſi fuerint ab Epiſcopis approbati.* Vide quæ dico tom. 1. Relig. q. 1. c. 21. §. 2. verſu Circà autèm, pag. 242.

41 Noto 1. quòd *Congregatio Concilij cenſuit, Regulares ad audiendas in Ciuitate, & Diœceſi ſecularium confeſſiones ſemel ab Epiſcopo, præuio examine, approbatos, iterum ab eodem Epiſcopo non eſſe examinandos, cæterum à ſucceſſore poſſe vtique examinari iuxtà conſtitutionem ſanctæ memoriæ Pij V. datam octauo Idus Auguſti, Pontificatus illius anno 6. Quæ à fel. record. Gregorio XIII. non eſt reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Trid.* Refert ita Quaranta in ſumm. bull. verbo Confeſſor, pag. 235. Vide infra in conſtit. 7. Pij V. §. 4. & num. 8.

42 Aduerte etiam, quòd circà eamdem approbationem Regularium ab Epiſcopis faciendam, eadem ſacra Congregatio anno 1587. die 2. Iulij aliam fecit declarationem in hæc verba. *Regulares, qui quo ad confeſſiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumvè Examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis, certorumvè locorum, aut generis perſonarum admittantur in Diœceſi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorum confeſſiones ex cauſa audierint, ſtatim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confeſſionis pro medico adueniente relinquere.* Pro confeſſariorum approbatione vide Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 6. Et quandò Epiſcopus cenſeatur ex odio nolle Regularem approbare, vide noſtrum Religioſum loc. cit.

43 Attende etiam, quòd admiſſus ad beneplacitum ad confeſſiones audiendas abſque aliqua limitatione, intelligitur ſimpliciter, & vndequaquè admiſſus; quia beneplacitum durat vſque ad mortem concedentis, cap. Si gratioſè, de reſcriptis in 6. Immò putat Antonius Gabriel tom. 2. tit. de præben. concl. 1. §. 33. quòd durat etiam poſt mortem, quia ibi ad beneplacitum intelligitur nomine dignitatis, quod etiam approbat Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 6. num. 7. in comm. lit. G.

44 Si quæras, an ſic admiſſus poſſit ad libitum, & beneplacitum Epiſcopi prohiberi confeſſiones audire. ℞. licèt communiter, quod ad beneplacitum conceditur, poſſit ad libitum concedentis reuocari; in ſubiecta tamen materia puto, quòd non poſſit ad libitum Epiſcopi licentia confeſſiones audiendi ad beneplacitum data reuocari, ſed quòd requiratur iuſta aliqua cauſa, & ad ſacramentum pœnitentiæ pertinens. Moueor, nàm licentia, quæ datur ab Epiſcopis confeſſarijs Regularium ad audiendas ſæcularium confeſſiones, non eſt propriè licentia, ſed potiùs approbatio perſonæ, & quaſi iuſta ſententia, ſeu declaratio, quòd talis perſona eſt idonea ad confeſſiones audiendas, vt patet ex ipſis Concilij verbis ſeſſ. 23. de refor. c. 15. ibi *& approbationem*. Vndè poſtquam Epiſcopi iudicauerint, Regulares eſſe idoneos miniſtros ſacramenti pœnitentiæ, ſtatim Papa illis concedit facultatem dictum ſacramentum miniſtrandi, vt patet ex Clem. dudum, de ſepulturis, §. Per huiuſmodi, ibi *nequaquam intendimus poteſtatem in hoc impendere ampliorem, &c.* Et tenet Molfeſius 1. p. ſum. tract. 7. c. 14. num. 64. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 58. art. 1. Sed ſententia lata ſecundùm regulas iuſtitiæ non poteſt reuocari: *Quod enim ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt* per regulam Quod ſemel, quæ eſt 21. de regulis iuris in 6. Ergò dicta approbatio facta, vt ſupponitur, modis debitis, licèt ſit ad bene placitum, non poteſt ab Epiſcopo reuocari abſquè magna cauſa, & ad dictum ſacramentum pertinente, vt Gloſſa in d. Clem. Dudum, verbo Conceſſerint. Et DD. ibi communiter. Et ſolùm id videtur velle illud beneplacitum, quod in ſimilibus ſibi reſeruant aliqui Epiſcopi. Atq; ita videtur docere Suarez lib. 8. de legibus, cap. 32. num. 9. poſſet etiam citari Gutierrez lib. 1. can. quæſt. cap. 27. num. 23. quatenus diſtinguit inter licentiam audiendi confeſſiones, & approbationem ad audiendas confeſſiones, & ait, quod vnum poteſt eſſe ſinè alio, & vnum concedi ab vno, & aliud ab alio. Adde, quòd approbatio Regularium ad confeſſiones ſæcularium audiendas, ab Epiſcopis facienda, ſolùm eſt quantùm ad literaturam, vt patet ex conſtit. 2. Leonis X. §. 6. infrà. Vndè cum nemo communitèr præſumendus ſit dediſcere, vix poterit dari cauſa, qua ſemel approbatus reprobetur. Facit pro hoc puncto Barth. in leg. de pupillo, §. Si quis ipſi pistori, nu. 13. ff. de nou. oper. nunc. Facit etiam cap. Si delegatus de offic. deleg. in 6. ex quibus colligitur, quod iuriſdictio data ad beneplacitum cenſetur perpetua.

45 Quòd optime confirmat ſolemne decretum ſacræ Congregationis Regularium, quod ſub hac forma

refert

refert Alphonſus Leo in fine 2.partis de Iubil.pag.114. *Cum ſacra Congregationi Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum innotuerit, confeſſarios regulares grauiter conqueri, quòd ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis ab audiendis confeſſionibus quauis de cauſa indiſcriminatim ſuſpendantur, & proptereà ſæpe contingere, vt ab iiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, omnibus ſimul vnius Conuentus confeſſariis confeſſionis audiendi facultas adimatur, Illuſtriſſimi eiuſdem ſacræ Congregationis Patres rati vix fieri poſſe, vt hæc ſine ſcandalo, magnaq; animarum pernicie contingant, re maturè perpenſa, ad omnem ſcandali materiam ſubmouendam, & quò magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur, ſtatuunt, ac decernunt, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ad quos confeſſarios approbandi ius ſpectat, confeſſarios regulares alias ab ipſis liberè approbatos; ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere poſt hàc minimè licere, niſi ex noua cauſa, eaq; ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum, ab ipſis Ordinariis poſitum. Statuunt inſuper, eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorumque Ordinarios confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus regularibus confeſſariis, eadem ſacra Congregatione inconſulta, nullo pacto adimere poſſe.* Quod quidem decretum, *vt iidem Illuſtriſſimi Patres opportunum, & neceſſarium duxerunt, ità inuiolabiliter iubent obſeruari. Romæ 22. Nouemb. 1615. A. Mar. Epiſcop. Hoſtien. Card. Gallus. V. Theatin. Secr.* Quòd ſi, his non obſtantibus aliqui Epiſcopi Regulares confeſſarios abſq; cauſa ad ſacramentum pertinente, vel omnes ſimul ſuſpendant. Puto, quòd non teneantur obedire, ſed poſſunt ſinè ſcrupulo pergere in confeſſionibus audiendis iuxta facultatem ſibi traditam in 1. approbatione, maiori enim ſemper parendum. Nec indigent noua approbatione Regulares ſemel expoſiti ad confeſſiones audiendas in aliqua Diœceſi, ſi inde exeant & iterum reuertantur, vt Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 4. concl. 2.

46 Si quæras, an licentia data ab Epiſcopis Regularibus indefinitè ad audiendas ſæcularium confeſſiones, expiret per mortem concedentis.

℞. Quòd non. Ita Suarez lib. 8. de l. c. 32. numero 9. & tomo 4. in 3. p. diſp. 26. ſect. 3. numero 9. & ſeq. Nauar. in cap. Placuit, de pœnit. diſt. 6. numer. 161. Probatur ex capit. Si ſuper gratia, de off. deleg. in 6. & cap. Is cui nulla, de præb. eodem libro. Et ratio eſt, quia iſtæ licentiæ conceduntur nomine dignitatis, quæ numquam moritur, vnde, ſi à ſucceſſore non reuocentur, ſemper durant.

47 Aduerte etiam, quòd per nouam conſtitutionem Gregorij XV. quæ incipit, Inſcrutabili infrà, in conſtit. eius 2. §. 4. Confeſſores Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, debent ab Epiſcopis approbari, circà quod factæ ſunt à ſacra Congregatione de mandato Vrbani VIII. diuerſæ declarationes, quas habes poſt dictam conſtitutionem.

48 Septimo ſeſſ. 25. de regularibus, c. 4. *Nullus Regularis abſque ſui Superioris licentia poteſt ſe obſequi. alicuius loci, vel perſonæ mancipare. Nec licet Regularibus à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab iiſdem miſſi, aut vocati fuerint.* De his duobus punctis dixi to. 1. Religioſi, q. 1. De primo c. 23. per totum. De ſecundo, c. 20. verſu Ad primum, & c. 26. verſu Nequè eſſe Apoſtatam, vel fugitiuum.

49 Octauo eadem ſeſ. 25. c. 12. *Cenſuræ, & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſeruentur. Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſeruentur.*

50 Hic ſolùm dubitatur, an vigore huius capitis reuocata ſint priuilegia Regularibus conceſſa ad celebrandum tempore interdicti, ianuis apertis. Affirmat Nauarrus in manuali, c. 27. num. 190. & lib. 5. conſil. de priuil. conſil. 6. per totum. Garzia de benef. p. 3. c. 2. num. 260. & p. 5. c. 8. nu. 87. verſ. Ad octauum affert declarationem Congregationis reſpondentis ad Epiſcopum Abulenſem, qui dictam Congregationem ſuper hoc dubium conſulcrat, in hæc verba, *Priuilegia, ſi ante Concilium conceſſa fuerunt, vtrique reuocata exiſtunt.* Et ratio eſt, quia Concilium c. vlt. dictæ ſeſſ. reuocat omnia priuilegia, etiam maris magni, quæ ſunt contrà ſtatuta in dicta ſeſſ.

51 Negant tamèn eſſe prædicta priuilegia reuocata in diebus feſtiuis ſuarum reſpectiuè Religionum, & eorum octauis, & in miſſis nouis per dictum ſtatutum Concilij Henriq. lib. 13. c. 48. §. 1. Rodriquez in bull. Cruciatæ, §. 5. nu. 14. & in addit. num. 13. & 35. & tom. 2. quæſt. regul. q. 112. art. 1. Sayrus lib. 5. de cenſuris, c. 13. num. 24. Bartholomæus Medina lib. 1. inſtruct. c. 11. §. 13. dub. 2. Miranda tomo 2. manualis, q. 37. art. 12. A Sorbo in comp. verb. Interdictum tertiò, verſu Quò ad primum pag. 287. Peregrinus in comp. priuil. cler. regul. tit. Interdictum, in ſchol. verſu Secundò ſciendum eſt. Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 7. concl. 2. dub. 2. Barboſ. de poteſt. Epiſ. p. 3. alleg. 105. num. 44. Et extat declaratio ad hoc Pij V. infrà in conſt. eius 7. §. 7. quæ non eſt reuocata per reductionem illius ad terminos Concilij Tridentini, quia iſtud priuilegium non eſt contrà Concilium, quod ſolùm intendit reuocare illa priuilegia, quæ habebant milites Ieroſolymitani, quibus ad nulla ſeruanda interdicta tenebantur: Et etiam priuilegia nobis à Leone X. conceſſa infrà in eius conſtitut. 11. quibus ad ſeruanda interdicta ordinaria auctoritate poſita nullo modo tenebamur. Ita Medina Miranda, A Sorbo, Peregrinus locis citatis. Et reddit omninò hanc ſententiam certam conſtitutio Clementis VIII. quam refert Rodriquez loc. cit. art. 2. vbi approbat priuilegia, quòd fratres Minores poſſint tempore interdicti, quacumq; etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, celebrare feſta ſanctorum ſuæ Religionis, & de nouo concedit, vt poſſint dictis priuilegiis vti in feſto S. Didaci, & Portiunculæ. Proptèr quam conſtitutionem in hanc etiam ſententiam inclinat Garzia p. 3. de benef. c. 2. num. 280. Et quod dictum eſt, & dicetur de interdicto, intellige etiam de ceſſatione à diuinis, vt Rodriquez dicto art. 2. & in bulla Cruciatæ. §. 5. & num. 15. & Gutierrez lib. 1. can. q. cap. 10. cum multis, quos ibi citat, num. 4. & hoc propter identitatem rationis. Vide Henriq. lib. 13. cap 53. num. 3. & in comm. vbi affert ad hoc priuilegium Leonis X. conceſſum Minoribus. Vide eumdem num. 6. & cap. 48.

52 Poſſunt etiam Regulares tempore interdicti, & ceſſationis à diuinis quacumque auctoritate, etiam Apoſtolica poſitorum, ſolemnitèr celebrare diuina ianuis apertis, & pulſatis campanis (nominatim interdictis, & excommunicatis excluſis) in feſtis Conceptionis, Viſitationis, & Natiuitatis B. Mariæ Virginis, & in Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, & nos Minimi etiam in feſto S. Michaelis Archangeli, eo quià eſt feſtum noſtræ Religionis, & in feſtis ſanctorum, ſub quorum inuocationibus ſunt Eccleſiæ dedicatæ, ſeù quorum corpora in Eccleſijs reſpectiuè recondita ſunt. Poſſunt etiam dicto tempore diuina celebrare in hebdomada ſancta, & Reſurrectionis Dominicæ feſtiuitatibus, & per octauas earumdem omnium ſupradictarum feſtiuitatum, necnon quotiès Religioſi, & Moniales profeſſionem emiſerint, aùt primam miſſam celebrauerint, vel humana cadauera eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi contigerit, dummodo ipſi interdicto cauſam non dederint, nec eis ſpecialiter interdici contigerit. Ità conceſſit Leo X. vt refert Caſarub. in comp. verbo Interdictum 2. num. 10.

53 Poſſunt etiam Regulares tempore dicti interdicti generalis, ſiuè ſpecialis, aùt quo ceſſatur à diuinis, eligere ſex perſonas intèr viros, & mulieres ſucceſſiuè, quæ in dicto Monaſterio poſſint miſſas, & diuina officia audire, & etiam ibidem ſacramenta eccleſiaſtica recipere, & ſi aliqua ipſarum ſex perſonarum interim mori contigerit, valeat in eccleſiaſtica ſepultura ſepeliri, tamèn ſinè ſolemnitate, dummodò fratres, vel ali-

qua

quæ ipſarum ſex perſonarum interdicto, aût ceſſationi à diuinis cauſam non dederint, & ipſum interdictum non ſit poſitum, vel confirmatum auctoritate Apoſtolica. Ità refert Caſarubius in comp.verb.Interdictum t.n.23.conceſſiſſe Nicolaum V. Et per priuilegium Nicolai Franchi Legati de latere poſſunt admittere quindecim perſonas quæ interdicto cauſam non dederint. Ità idem Caſarubius verbo Interdictum. t.n.23. 24.

54 Noto etiam, quòd omnia, quæ nobis ſunt conceſſa tempore interdicti generalis, ea omnia in ſpeciali interdicto intelliguntur eſſe conceſſa per priuilegium Iulij II. conceſſum Auguſtinienſibus. Refert idem Caſarubius loc.cit.num.14. Et notant ibi Caſarubius, & Sorbus verbo Interdictum 3. verſu Decimo Iulius, quòd iſta eſt magna conceſſio, & ideò valdè notanda. Nam quando ſecundùm ius commune ſuſpenditur interdictum in quibuſdam diebus, non ſuſpenditur pro eccleſijs, vel perſonis particulariter interdictis, adeò, vt ſi in illis celebrarent, eſſent irregulares, & tamen ſecũdùm iſtam conceſſionem in talibus locis ſpecialiter interdictis poterit celebrari, & illa omnia agi, quæ poterant in interdicto generali, ſed perſonę ſpecialiter interdictæ minimè hoc poſſent facere, neq; alij corã illis.

55 Noto etiam, quòd ianuis clauſis, & ſubmiſſa voce tempore interdicti, etiam Apoſtolica auctoritate poſiti poſſumus, non pulſatis campanis, & excluſis excommunicatis ac interdictis, Miſſas, & diuina officia celebrare, non ſolùm in noſtris Eccleſijs, ſed etiam in alijs eccleſijs, & deuotis locis, tàm in itinere, quàm alibi, admiſſis ſocijs, & fratribus noſtris. Ita habetur in cap. Alma mater, §. Adijcimus, de ſent.excomm.in 6. intellige tamen hoc ius commune, modò eccleſiæ, in quibus dicta officia diuina celebranda ſunt, non ſint ſpecialiter interdictæ, vt notat Gloſſa d.cap. verbo eccleſijs. nam alioqui per priuilegium cit. nu.54. poſſunt etiam ibi. Et conceſſit Leo X. in bulla, quæ incipit, Etſi in priuilegijs, quæ ponitur infrà in Leone X. conſtit. eius 12. Item idem conceſſit Iulius II. in conſtit. eius 2.§.23. infrà. Et quòd poſſimus admittere famulos, procuratores, & operarios, conceſſit Alexander IV. infrà in Alexan. VI. conſtit.4.

56 Tandem quo modo tempore interdicti gerere ſe debeant Regulares, quos poſſint admittere ad diuina, quos debeant reijcere, vide A Sorbo in comp. verbo Interdictum 3. verſu Primò ſtatim atq; ſciunt, pag.387. per multa. Miranda tomo 2.manualis, q.38.art.12.& Cruz lib.2.de ſtat.Rel.cap.7.dub.2.

57 Nono eadem ſeſſ.25.c.13. *exempti omnes tam Clerici ſæculares, quam Regulares quicumque etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt.* Sed an debeant vocari perſonaliter per Clericos, an ſufficiat per edictum, neminem huſcuſq; vidi tractantem, puto tamen perſonaliter, etiam ad conſuetas; tum quia quando Trid. vult, vt ſufficiat vocatio per edictum, id dicit expreſsè, vt patet, ſeſſ.24.de refor.c.18. ibi *per edictum etiam publicum vocentur*, tum quia edicta, vt plurimum à Regularib. non leguntur; & cum determinare horam proceſſionum ad Epiſcopum pertineat, ſi Regulares de ea informati non ſint, non poterunt hora ſtatuta comparere, ſed cogentur ſæpius cum maximo illorum incommodo, & proceſſionis perturbatione anticipare, vel tardare, & ita ſeruatur in praxi in iſto Archiepiſcopatu Genuenſi.

58 Noto primò, quòd circa compoſitionem præcedentiæ Pius V. in conſtit. eius 7.§.11. infra ita declarauit. *Controuerſias autem omnes de præcedentia, quæ eadem ſeſſ.25. capite verò 13. per Epiſcopum terminari mandantur, non niſi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo modo innouari poſſe ſtatuimus.* Vide quæ dico 1.p. Ritualis, notab. 4. Quomodo autem has controuerſias tollat Epiſcopus, quando ex improuiſo oriuntur, nimirum controuertentes expellendo, ſi de iure eorum non poſſit in continenti conſtare. Vide Rodriq. to.3.q.reg.q.37.art.3.

59 Noto 2. declarationem huius c. factam ab eodemmet Pio V. infrà in eius conſtitutione 7.§.29. vbi determinat, quæ ſint proceſſiones publicæ, ad quas vocati tenentur ire Regulares, & qui Conuentus ad eas compelli poſſint, quæ eſt in ſuo robore, vt dico ibi ex ſententia Congregationis. Vide conſtit.26. Leonis X.§.5.

60 Noto 4. circa id, quòd dicit Concilium, *Regulares poſſe compelli, &c.* quòd non poſſunt compelli cenſuris eccleſiaſticis, vt dixi 1.p. Ritualis, not.3. etiamſi citati nõ compareant, & vocati non veniant, & Doctoribus ibi pro hac ſententia adductis addo Henriq. lib.7. de indulg.cap.25. num.7. Gambara de officio legati, lib.8.c. vlt.nu.77. Rodriquez to.3. quæſt.regul.q 36.art.1. Scortia in bullis ſelectis theoremata 393. verſu Si autem. Quòd ſi cenſuras contrà eos ferant, hæ ſunt nullius valoris defectu iuriſdictionis, vt Sanchez lib.7.de matrimon.diſput.33.nu.23. alios citans. Poterunt ergò alijs pœnis Epiſcopi eos compellere, iuxtà cap.1. de priuil. in 6. Nimirum deponendo Superiores, & contradictores incarcerando, à dicto Monaſterio amouendo, priuando prædicatione verbi Dei, ſeù etiam pœnis pecuniarijs. Vide Gloſſam dicto cap. 1. de priuil. verſu Quantùm ad iſta.

61 Decimo eadem ſeſſ.25. de regul.cap.14. ità habetur. *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat. Sin minus à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.*

62 Noto 1. quòd Ordinarius non poteſt nèc per ſe, nèc per alios procedere ad capturam Religioſorum, Clem.vnica, §.1. de exceſſibus præl. Neq; etiam poteſt capere Nouitios, quia gaudent omnibus priuilegijs profeſſorum, c. Religioſo, de ſent.excom.in 6. Et nouiſſimè Paulus V. conceſſit Congregationi S. Mariæ Fulienſis per ſuam conſtit. In ſupereminentis, apud Cherub.to.3.bull.in Paulo 5. ſub conſt.eius 23.pag.206. Niſi Nouitius ob delictum in ſęculo factum præſumatur in fraudem intraſſe Religionem. Henriq.l.7.de indul.c.25 n.7. Quòd ſi capiat, incidit in excommunicationem, ca. Si quis ſuadente diabolo 17.q.4. quia afficit indebitè iniuria captum; Henriquez loc.cit. A Sorbo in comp. verbo Conueniri, vbi pro hac ſententiã citat Paulum Fuſcum, l.2.de viſit.c.20.n.22. Et quò ad capturam Nouitij Nauarrus in ſumm.c.27.n.79. verſu Octaua declaratio, Facit caput Si Clericos. de ſent.excomm.in 6. à contrario ſenſu ibi *ſubiectos*. Et aduerte, quòd non ſolùm Epiſcopus capi faciens Religioſum etiam nouitium, incurrit dictam excommunicationem, ſed etiam ipſi capientes. Habetur d. cap. Si clericos.

63 Noto 2. quòd quandò Regulares ità notoriè delinquunt, vt populo ſcandalo ſint, debent Epiſcopi locorum ſcribere ſuis Superioribus præfigendo illis terminum ad eos puniendos iuxtà ſupra dicti Concilij Tridentini decretum. Quòd tamen non dat illis facultatem dictos Regulares etiam notoriè delinquentes faciendi capi. Vndè ſi capi faciant, excedunt poteſtatem ſibi traditam, & maximam iniuriam irrogant delinquenti, ex illorum iuriſdictione exempto, & per cõſequens incidunt in excommunicationem cap. Si quis ſuadente, vt dixi. Et verè maius quandoque ſcandalum oritur ex incarceratione delinquentis, quàm ex ipſa perpetratione delicti, occurrit enim aliquando, quòd Regularis ingreditur V. G. in domum alicuius meretricis incognitus, & à nemine viſus, aut ſolùm ab vno, vel duobus; qui ſi in ea domo captus per Ciuitatẽ in carcerem ducatur, magnum generabit ſcandalum, & magnam maculam ſuę Religioni inuret, quæ tamen vitata fuiſſent, ſi dictus ductus in carcerem non fuiſſet. Vndè neſcio quomodò aliqui Epiſcopi indiſcretè zelum animatum ſibi non creditarum zelantes, ſeù zelare videri volentes, ſaluent conſcientias ſuas, certos miniſtros ad id deputatos tenentes quos ſpiculatores vocant, eiſque menſtruum ſalarium ſoluentes, vt quò, & quà vadant, & tranſeant Religioſi, diligenter notent,

illiſq;

illiſq; referant, & ſi in domum aliquam ſuſpectam ingrediantur, ſtatim capi faciunt. Hoc certè non præcepit ille, qui peccantes admonendos ſtatuit. Neque Tridentinum, quod ſolùm præcipit, quòd quando aliquis Regularis ita notoriè delinquit, vt populo, non duobus, vel tribus, ſed populo, ideſt ſaltem decem, iuxta Gloſſam in cap. Nullus, de electione, ſcandalo ſit, inſtante Epiſcopo, non capi faciente, à Superiori regulari, non ab ipſo Epiſcopo, puniatur. Vbi aduerte, quòd ad hoc, vt Epiſcopus teneatur inſtare, vel delinquens puniatur, debet delictum eſſe notorium, & debet cauſare ſcandalum in populo; quibus conditionibus concurrentibus, tenetur Epiſcopus inſtare, vt delinquens puniatur, non concurrentibus, non tenetur, quod ſi facit, iuriſdictionem ſibi vſurpat. Poteſt quidem, ſi delictum ſit ſecretum, vel non notorium, neque ſcandaloſum populo, ſecretò admonere delinquentem, vt ſe corrigat, quòd ſi ſe non correxerit, bis, aut ter monitus, iuxta Euangelicum præceptum de correctione fraterna, Superiorem delinquentis admonere, vt tali delinquenti occaſionem delinquendi auferat, & pro modo culpæ puniat, ſalua ſemper, quantum fieri poteſt, delinquentis ſecretò fama.

64 Si autem delictum eſſet ita enorme, & notorium, ac ſcandaloſum, & timeretur de fuga delinquentis, tūc puto, quòd poſſet Epiſcopus delinquentem capere, & intra 20. horas ad ſuum Superiorem remittere, etiamſi ipſe Superior remittere non inſtaret. Panor. in cap. fin. de foro compet. n. 11. & cap. Cum non ab homine, de iud. n. 12. Tambur. de iur. Abbat. to. 1. diſp. 15. q. 7. nu. 41. Felinus ibidem, n. 7. Nau. in ſumm. c. 27. n. 85. Henriq. li. 7. de indul. cap. 25. n. 7. in comm. littera Q. Colligitur ex Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 6. ibi *in criminibus tamen ex incontinentia prouenientibus, de qua in decreto de cōcubinarijs, & in atrocioribus delictis, &c. vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus ſit perſonali detētione, &c.* Quòd autem debeat intra 20. horas ad proprium Superiorem remittere, Panorm. loco cit. n. 9. & Gloſſa in cap. Cum non ab homine, de Iudicijs, verbo Deprehenſus, Et ratio huius doctrinę eſt, quia ſicut poteſt capi Clericus à ſæcularibus deprehenſus in manifeſto facinore, quando crimen eſt atrox, & timetur de fuga, & duci ad ſuum Superiorem, vt docet Panorm. loc. cit. & cap. Vt famæ, de ſent. excom. nu. 6. & Guido Pape q. 73. Ita etiā poteſt capi ab Epiſcopo Religioſus deprehenſus in atroci delicto notorio, & ſcandaloſo, cū timetur de fuga. Cum autē non timetur de fuga, vel delinquens præſtat ſufficientem cautionem, de ſe Superiori ſuo præſentādo, neque etiam in flagranti poteſt capi, c. ſi Clericos, de ſent. excomm. Neq; poteſt capi, ſi non timetur de fuga, vt ducatur ad ſuū Superiorē, ad hoc vt poſſit probari, eum deliquiſſe, nam ſi delictum eſt notorium, vt ſupponimus facilè probabitur, abſq; eo quòd capiatur, & cum maiore ſcandalo captus ducatur per Ciuitatem. Adde, quòd miniſtrorum relatio magnam facit fidem.

65 Fauet valde hic dictis quædam declaratio ſacræ Congregationis, in qua *dubitatum fuit, an quando Regularis extra clauſtra notoriè delinquit, detinēdus ſit in carceribus Epiſcopi, donec proceſſus in Curia epiſcopali conficiatur, eoq; compilato, inſtante Superiore, remittendus ſit, vnà cum proceſſu puniendus, an potius, non expectata compilatione proceſſus, ſtatim remittendus ſit ad Superiorem vnà cum probationibus, quæ habentur. Congregatio reſpondit, ſtatim remittendum eſſe, etiam poſito, quòd Superior nullam inſtantiam faceret.* Vnde collige, quòd Regularis deprehenſus in atroci delicto, eoq; notorio, & ſcandaloſo, ſi timetur, ne fugā arripiendo: pęnas effugiat; poteſt ab Epiſcopo capi per ſuos miniſtros, & rectà duci ad ſuū Superiorem, cum inſtantia vt intra certū tempus eum puniat, vt definit Concilium. In alijs autem caſibus minùs grauibus, & minùs ſcandaloſis: vel vbi non timetur de fuga: vel quando delinquens de non fugiendo præſtat ſufficientem cautionem, non poteſt Epiſcopus Regularem etiam in flagrāti repertum capere, quòd ſi capiat, incidit in excomm. capitis Si quis ſuadente, vt dixi n. 62. 63.

66 Aduerte etiam, quòd in loco, vbi non eſſet iudex eccleſiaſticus, poſſet Iudex ſæcularis eo modo, & illis cauſis, quibus diximus, eum poſſe capere Iudicem eccleſiaſticum, capi facere Regularem in flagranti crimine, abſq. metu incurrendi aliquam excommunicationem, dummodò eum ſtatim remitteret Iudici eccleſiaſtico, vel Pręlato delinquentis. Ita Guido Pape, q. 73. qui dicit, ita ſtylari in omnibus Curijs. Quòd ſi non remaint in flagranti, ſed poſt delictum: vel non ſtatim remittant Iudici eccleſiaſtico, incurrunt in excommunicationem c. Si quis ſuadente. Quicquid aliqui dicant, putantes tales incurrere ſolùm excommunicationem c. Nuper, de ſent. excomm. quam dicunt non eſſe reſeruatam. Sed meo videri falluntur, nā dicto capite nulla fertur excommunicatio, ſed ſolùm declaratur, capientem Clericum, & carceribus eum detinentem, etiam ſine alia corporali læſione, eſſe excommunicatum per ſolam iniuriam, quę fit Statui eccleſiaſtico, excommunicatione intellige cap. Si quis ſuadente.

67 Sed quid, ſi Clericus, ſeu Regularis ducatur captus per Officiales temporales, vel eccleſiaſticos extra caſum permiſſum, poterit ne eis impunè auferri? Reſpondeo, quòd ſic, quia dicti Officiales illicitum quid tunc faciunt. Ita Guido Pape q. 73. num. 2. qui pro hoc allegat legem primam, §. Hæc verba, ff. Ne vis fiat ei, qui. Et vim iniuſtè patienti auxilium ferre poſſumus ſemper, & aliquando tenemur.

68 Aduerte etiam, quòd pro obſeruantia huius capitis Concilij, quod habemus prę manibus, extat conſtitutio Clementis VIII. quam refert Rodriquez tomo 2. q. regul. q. 2. art. 6. & Cherubinus tom. 3. Bull. in Clem. 8. conſtit. eius 39. pag. 53. quæ ſic habet. *Suſcepti muneris.* & infra. *Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolica poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnibus, & ſingulis cuiuſcunque Ordinis, & Inſtituti Regularium, etiam Mendicantium Superioribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum Concilij Triden. quilibet ipſorum Regularem non ſubditum Epiſcopo, intra clauſtra degentem, & extrà ea ità notoriè delinquentem, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipſum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterum ſi Superior in Regularem delinquentem non animaduerterit: Quinimmo ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi Diœceſim, vt præfertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu, atque auctoritate decernimus, vt Superior, inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & ſub inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac vlterius priuationis actiuæ, & paſſiuæ vocis, ad quas à nemine, præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtente reſtitui poſſit, ipſo facto ſimiliter incurrendis pœnis, ipſum Regularem delinquentem à loco, ad quem tranſmiſſus fuit, reuocare, & in quo deliquit conſtituere, aut ſiſtere teneatur. Quòd ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, vt Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel aliàs de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem ſeuerè animaduertere poſſit, & debeat.*

69 Aduerte, quòd quandò Superior fratris delinquētis notoriè, & cum ſcandalo, tranſmittit de induſtria illum in alium locum, vt impunitus remaneat, procedit iſta conſtitutio. Non autèm quando tranſmittit illū in pœnam delicti commiſſi quæ aliquando eſt grauiſſima, vel quia ſic conuenit bono regimini, quia in loco delicti non poteſt ſine maiori ſcandalo puniri. Ità Rodriquez tom. 2. q. reg. q. 2. art. 6.

70 Aduerte etiam, hanc conſtitutionem, & decretum Cócilii procedere, quandò Epiſcopus inſtat Prælato regulari, vt ad punitionem delinquentis procedat. Verbum autem, inſtare, plures flagitationes ſignificat vt liquet ex lege 32. 33. ff. de vſur. atq; ità non ſufficit ſi Epiſcopus petat vna vice à Prælato vt delinquentem puniat, ſed debet inſtare, ideſt petere ſaltem tribus vicibus, vt ſic de negligentia eius conſtando, poſſit Epiſcopus ad executionem Concilij, & huius conſtitutionis procedere.

71 Vndecimò eadem ſeſſ. 25. c. 16. de Reg. ſtatuitur 1. *Quòd nulla renunciatio, aut obligatio facta à Nouitio valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij fiat intrà duos menſes proximos antè profeſſionem. 2. Quòd Nouitios finito tempore Nouitiatus, Superiores, quos habiles inuenerint, ad profeſſionem admittant, aut ex Monaſterio eijciant. 3. Quòd antè profeſſionem Nouitij, excepto victu, & veſtitu illius temporis, quo in probatione fuerit, quocumq; prætextu à parentibus, vel propinquis, aùt curatoribus eius Monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem non tribuatur.*

72 Circa hoc tertium notaui aliqua to. 1. Religioſi, q. 1. c. 29. concl. 3. vſquè ad cócl. 4. quę ibi videri poſſunt.

73 Circa 1. noto 1. quòd renunciatio facta à Nouitio antè ingreſſum Religionis, intuitu tamèn ingreſſus, valet. Ità Vega 1. p. ſum. c. 91. caſu 4 & p. 2. c. 50. caſu 3. Paſſarell. in priu. Minim. notab. 37. ad finem, vbi refert declarationem ſacre Congregationis pro hac ſententia, factam anno MDLXXIII. die 22. Octobris, quam etiam refert Quaranta in ſum. bull. verbo Monaſteria, & Conuentus, &c. pag. mihi 437. in hæc verba, *Congregatio Concilij cenſuit, decretum Concilij Trident. ſeſſ. 25. de regul. capit. 16. non habere locum in renunciatione facta antè ſuſceptionem habitus.* Quam declarationem refert, ac profitetur editam fuiſſe ſupèr precibus Monaſterij S. Agnetis Ciuitatis Mediolani Menoch. in addit. ad lib. 2. de arb. iud. caſu 436. ſub, num. 3 Guttierrez can. q. lib. 2. c. 1. nu. 31. Hanc ſententiam defendit etiam Sanch. lib. 7. in decal. c. 5. n. 4. & in praxi eam obſeruari video, licet alij apud ipſum Sanchez loc. cit. num. 3. contrarium ſenſerit.

74 Noto 2. nomine renunciationis, atquè obligationis non intelligi teſtamentum, neq; donationem cauſa mortis neq; codicillum, atque ità poteſt à Nouitio fieri teſtamentum, &c quandocumque voluerint, non ſeruatis ijs ſolemnitatibus à Concilio requiſitis. Quià teſtamentum non eſt renunciatio nequè obligatio, neo finis huius decreti, nempè ne ea ratione Nouitius retardetur à libero egreſſu, vt egrediens non potiatur bonis omnibus anteà poſſeſſis, quià ſupradicta nullam inducunt obligationem ſuper illum Nouitiũ, cùm antè profeſſionem poſſint ab illo, quandocumq; voluerit, reuocari. Vega 2. p. ſum. c. 50. caſu 3. notab. 2. Rodriq. tom. 2. qu. reg. qu. 47. art. 10. Sanch. lib. 7. in decalog. c. 5. nu. 13. Molina to. 1. de iuſt. diſp. 149. col. 7. verſu Quòd ad Eccleſiam attinet. Secùs autèm dicendum eſt de donatione inter viuos, quià eſt irreuocabilis. Sanch. loc. cit. num. 14. & num. 20.

75 Itàquè comprehenduntur in hoc decreto omnes contractus, in quibus Nouitius ſpoliat ſe aliqua parte notabili hæreditatis ſuæ abſq; ſpe eam ampliùs recuperandi vt donatio, renunciatio, alienatio. Illi autèm contractus, in quibus Nouitius nihil deperdit de ſuo, vt ſunt emptio, venditio, permutatio, locatio, & ſimiles, non comprehenduntur hoc decreto; atq; ità poſſunt à Nouitio, quandocumquè voluerit, fieri; Et ratio colligitur ex fine hujus decreti, qui eſt, ne Nouitius patrimonio ſuo deſtitutus, hac occaſione cogatur profiteri. Atquè ità illi omnes contractus in damnum patrimonij Nouitij prohibentur fieri niſi ſub hac forma. Sanch. loc. cit. num. 32. An autèm comprehendatur hoc decreto renunciatio beneficij eccleſiaſtici, & officiorum publicorum temporalium, & aliæ renunciationes, videatur Sanch. loc. cit. à num. 36. ad 47.

76 Noto 3. quòd ſi Nouitius, poſtquàm fecit ſuam renunciationem in fauorem Monaſterij, vel alterius intra duos menſes, & de licentia Epiſcopi, è viuis decedat, illa renunciatio non valet, etiamſi expreſsè non reuocauerit, quia Tridentinum expreſsè dicit, quòd dicta renunciatio non intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione, Ita Paſſarellus in notab. priuil. notab. 37. §. Si autèm, vbi ait, ita ſibi reſponſum fuiſſe à ſacra Congregatione Cardinalium. Vega p. 1. ſum. cap. 91. caſu 4. A Sorbo in comp. priuil. verbo Nouitius, in fine, verſu Et hinc deinde, pag. mihi 438. Sanch. 7. in decal. c. 5. num. 49. Atquè ita tunc, niſi priùs teſtamentum fecerit, in bonis Nouitij ſuccedent, qui veniunt ab inteſtato, non obſtante tali renunciatione, quæ eſt irrita, vt diximus.

77 Sed quid, ſi per priuilegium aliquod vicinus morti, ſed antè annum, faceret profeſſionem, valida ne eſſet renunciatio cum debitis ſolemnitatibus facta? Puto, quod ſic: per ea, quæ dico infrà in conſtit. 8. Pij V. n. 1.

78 Si quæras vlteriùs, an renunciatio ad fauorem Monaſterii, vel alterius facta, & profeſſione ſecuta quidem, ſed inualida, valeat? Putat non vale. e Sanch. loc. cit. num. 55. quia Trident. petit ſequi profeſſionem, & verba intelligenda ſunt cum effectu, & perindè eſt actum non fieri, ac eſſe nullum. l. Duo ſunt Titij ff. de teſtam. tutel.

79 Noto 4. quòd renunciatio facta à Nouitio cum debitis ſolemnitatibus, ſi ipſe Nouitius velit in Religione perſeuerare, & ſuo tempore profiteri, non poteſt ab eo reuocari quia ideò requiruntur illæ ſolemnitates, vt, ijs adhibitis, reuocari non poſſit Sanch. loc. cit. num. 58. Poteſt tamen facere teſtamentum quòd in caſu mortis dictorum duorum menſium ſortiatur effectum, derogando dictã renunciationẽ. vt Sanch. n. 50.

80 Noto 5. quòd ſi facta renunciatione cum debitis ſolemnitatibus, & aliquo caſu deindè profeſſio dilatetur, adhuc tamen renunciatio valida erit, vt declarauit ſacra Congregatio 17. Octobris, anno 1594. & habet Sanch. loc. cit. num. 82.

81 Circa 2. noto quòd poteſt ſuperior Prælatus ex cauſa profeſſione differre. Nauar. tom. 1. conſil. lib. 3. de regul. conſil. 30. nu. 1. Paſſarell. in priuil. Minim. in can. Concil. Trident. canon. 52. pag. 464. vbi hæc habet. *Notãdum, quòd relatione per Sanctiſs. Congregationem Concilij S. D. Pio V. facta Sanctitas ſua dixit, Concilium dicti cap. 16. procedere tantùm in illis Nouitijs, quos Superiores lapſo tèmpore Nouitiatus, habiles inuenerint, non in his, quos inhabiles inuenerint, vt ſunt illi, qui non benè adhuc didicerunt, & ideò quòd attinet ad iſtos, Sanctitas ſua conceſſit, quòd Superiores poſſit prolongare illorum profeſſionem, dummodò habeant ſpem probabilem, quòd efficiantur habiles infrà ſex menſes. Ità mihi conſulenti è Neapoli die 8. Nouembris MDLXIX. reſponderunt Illuſtriſs. Cardinales interpretes Sanctiſſimæ Congregationis Concilij.* Hæc Paſſarellus.

82 Noto vlteriùs, quòd ſi inhabilitas ex infirmitate proueniat, poterit prorogari tempus, donec duret probabilis ſpes recuperandæ ſanitatis. Et vniuerſaliter tẽpus ad emittẽdã profeſſionẽ poſſe arbitrio Superioris prorogari, cenſuit Congr. Conc. 31. Maij anno 1597.

83 Cætera loca, quibus ſubduntur Regulares Epiſcopis, vel explicata ſunt in ſuperioribus, vel explicabuntur in ſequentibus. Hic ea ſolùm, quæ nobis viſa ſunt principaliora, & frequentiora. Qui omnia loca Trid. de regul. loquentia videre cupit in vnum congeſta, adeat Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 18. Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 24. n. 2. in comm. lit. O. Paſſarellum in priuil. Minimorum, pag. 450. Vgolinum de poteſt. Epiſc. c. 20. cum §. ſequent. Hæc etiam collegit Canart.

C cum

cum annotatione priuilegiorum reuocatorum in cõp. priu.Minim.pag.82.Et loca Trid. ad omnes exemptos pertinentia collegit Quaranta in ſum.bull.verbo Exẽptio, & Confettius in comp. priuil.Mendic. in ſummar.tit.2.cap.1.

CONSTITVTIO III.

Concedit, vt qualibet vtriuſquè ſexus perſona ſepeliri poſſint cum habitu noſtro, & excommunicat Curatos, & alios contradicentes, ſibi abſolutionem reſeruando.

SIXTVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. *APoſtolicæ manſuetudinis exempla nos admouent, vt fidelium perſonarum deuotionem, animarumque ſalutem procuremus. Et quæ pro ſacræ Religionis B.Franciſci honore proceſſiſſe cõcernimus, vt illibata perſiſtant, robur Apoſtolicæ confirmationis a nobis petitum fauorabilitèr impendamus.*

Expoſitio. *§. I. Sanè pro parte dilectorum filiorum Zannetti de Vtino generalis Miniſtri, & Capituli Ordinis fratrum Minorum in Ciuitate noſtra Ferrarienſi præterito feſto Penthecoſtes celebrati, nobis exhibita petitio continebat, quòd licèt ab exordio dictæ Religionis deuota inualuerit conſuetudo, videlicèt quòd multi Reges, & Principes, nobiles, & populares in mortis articulo requiſierint, & ſepè requirant in habitu dictæ Religionis mori, & ſepeliri, & veluti fratres patentèr vſquè ad locum ſepulturæ deferri, in cuius deuotionis fauorem multi Romani Pontifices eamdem deuotionem approbantes, quaſdam ſic ſepeliri eligentibus indulgentias conceſſerint.*

Impediebant aliqui Curati Xp̃i fideles ſepeliri cum habitu fratrum. *§. II. Nihilominùs nonnulli Curati, & Eccleſiarum Rectores in vltramontanis, & alijs regionibus ipſam deuotionem irridentes, & penitus extinguere cupientes, ſuos Parochianos contumelioſè impediunt, ne ſic in extremis voluntatibus ſepeliri eligant, nolentes corpora de domibus defunctorum leuare, nec ad eorum Eccleſias funera ſic compoſita cum habitu, niſi linteo, vel pallio cooperta deferri permittunt, nec etiam per vicos ad locum ſepulturæ deportari in ſcandalum plurimorum, & præiudicium Religionis, & præfatæ deuotionis. Quarè pro parte Generalis, & Capituli prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſupèr hoc opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Concedit & ſtatuit pro vt in ſummario. *§. III. Nos igitur eorumdem prædeceſſorum veſtigijs inhærentes, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus perſonis in habitu prædicto ſepeliri volentibus, quòd id eis liceat, ſine tamen alicuius præiudicio, Apoſtolica auctoritate perpetuò indulgemus, diſtrictiùs inhibentes Prælatis, & Rectoribus Eccleſiarum ſub excommunicationis pœna, quam, canonica monitione præmiſſa, contrafacientes incurrant, & à qua per alium, quàm per Romanum Pontificem, & in mortis articulo dumtaxat, abſolui non poſſint, ne talitèr ſepeliri volentibus quouis modo impedimentum afferant, ſed permittant, illos patenter ad Eccleſias, & locum ſepulturæ in habitu huiuſmodi deferri, iure Rectorum parochialium Eccleſiarũ, & cuiuslibet alterius in omnibus ſemper ſaluo.*

§. IV. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Derogat contrarijs.

§. V. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autèm hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datum Romæ apud S.Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII.octauo idus Septembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo. Apponit pœnas contrafacientibus.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd cum nos Minimi participemus omnia priuilegia cœterorum Mẽdicantium, vt patet ſuprà ex conſt. 2.eiuſdem Sixti, §. 4. poſſimuſque omnibus, quæ alijs Ordinibus conceſſa ſunt, mutato nomine illorum, quibus ſunt conceſſa, noſtrum apponere, vt patet ex conſtitut. 1. Iulij II. §. 35. & §. 14. Et dixi ſuprà in conſtit.Pyrrhi, num.51. Non incõgruè doctiſſimus P.Paſſarellus multa huiuſmodi in compendium noſtrorum priuilegiorum tranſtulit, hoc ordine ſeruato, vt prius ponat quæ nobis immediatè, & primariò ſunt conceſſa, deinde quæ mediatè, & ſecundariò. Quem ordinem ſeruabimus & nos, & quia optimus eſt, & quia maior inde facilitas priuilegia inueniendi proueniet noſtris Religioſis, qui iam ſunt ità aſſueti.

2 Noto 2. quòd multæ indulgentiæ conceſſæ ſunt morientibus cum habitu noſtro, & qui cum eo ſepeliri elegerint? Quarum aliquas hic enumerabo. Clemens IV. & Nicolaus IV. talibus conceſſerunt remiſſionem tertiæ partis omnium ſuorum delictorum.Leo X. conceſſit indulgentiam plenariam moriẽtibus cum noſtro habitu,ad quam lucrandam declarauit ſufficere habitũ petijſſe, licet ſi ante mortem eum non induerit. Ità refert Caſarub.in comp.verbo Indulgentię, quò ad ſæculares 6.tit.Indulgentiæ, quas poſſunt lucrari ſæculares ratione habitus,n.1.2.&c. Refert etiam Rod.to.2. q.reg.q.76.art.10.Quas indulgentias dictus Leo confirmauit per viuæ vocis oraculum apud Rod.in ſuo bull. in Leone, pag. 335. de quo teſtatur Chriſtophorus de Forliuio Cardinalis de Ara cœli.

3 Noto 3. quòd ad hoc vt ſæculares morientes cum habitu noſtro, vel cum eo ſepeliri eligentes, lucrentur prædictas indulgentias, debent dictum habitum recipere à Superioribus Ordinis, puta Generali,& Prouinciali, vel Correctore, qui Superiores recipientibus debent declarare, eos teneri apud dantium Eccleſias ſepeliri. Ità determinauit Sixtus IV. in bulla aurea, quæ eſt illius 4. §. 9.tradunt etiam Paſſarellus in notab. priuil. notab.20. & Rodriq. to. 2.qu.regul.q.76.art. 9.

4 Noto 4. quòd eligentes ſepeliri cum habitu noſtro debent ſepeliri in noſtris Eccleſijs, etiamſi alibi ſepulturam elegiſſent, vt patet ex bulla aurea loc.cit.Poſſunt tamen cum eodem habitu ſepeliri etiam alibi de conſenſu fratrum, quorum cum habitu ſepeliri elegerint. Paſſarellus loc.cit.Declarauit Sixtus IV.vt refert Caſar. in comp. verbo Sepultura, §.12.Immò etiam ſinè dicto conſenſu fratrum Leo X. in conſt. eius 26. inf.§.11.

5 Noto 5. quòd Ioannes XXIII. omnibus Chriſti fidelibus oſculantibus habitum Fratrum Mendicantium quinquè annos, & totidèm quadragenas de iniunctis pœnitentijs relaxauit. quæ numerata per dies, faciunt dies 2075.vt refert Caſarub.verbo Indulgentia quò ad ſæculares 6.nu.9.& Rodr.to.2.q.reg.q.76.art.12.

§. III.

6 NOto 1. circa illam clauſulam *Canonica monitione præmiſſa*, quòd canonica monitio fit ter. Dici-

Dicitur autem canonica monitio in ſingulari, cum ſint tres, quia ſola vltima dicitur canonica, aliæ autem ſunt præambulæ ad illam. Vnde quandò requiritur monitio canonica, vt hic, non ſufficit vna pro tribus. Nec poteſt iſta monitio fieri Procuratori, nec ad domum, cum ſit ad morum correctionem, quæ non poteſt impleri per ſubſtitutum, poteſt tamen fieri in die feſtiua. Ita Baldus in cap. fin. de vita, & honeſt. Clericor. num. 8. & 9.

§. IV.

7 NOto 1. circa illam clauſulam *Indignationem Dei, &c.* quòd contrafaciens peccat mortaliter, quia hoc eſt virtualiter obedientiæ præceptum in virtute Spiritus ſancti.

8 Noto 2. quòd, qui contradixerit conſtitutionibus datis cum iſta clauſula, poteſt priuari beneficijs eccleſiaſticis. Felinus in cap. Veniens, de præſcript. num. 1. Tuſchus verbo Indignationis pœna, concluſ. 91. Idem eſt, ſi dicàt Indignationem Petri, & Pauli, ſeu Indignationis noſtræ; quod verum eſt in rebus magni momenti, in parui, pœna erit arbitraria Tuſchus ibidem.

CONSTITVTIO IV.

Iſta eſt bulla, quæ communiter dicitur aurea, in qua ſanctus Pontifex Sixtus confirmat omnia priuilegia iàm conceſſa à ſe, & ſuis prædeceſſoribus fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, & de nouo multa concedit, eiſque communicat omnia conceſſa cæteris Mendicantium Ordinibus.

SIXTVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ.

SAcri Prædicatorum, & Minorum fratrum Ordines, inſtar duorum primorum fluminum à cæleſtium voluptatum, & amænitatum paradiſo egredientium, ſacroſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ terram, ne mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore areſcat, præclara doctrinæ virtuoſorum operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis, ac magis illam in dies fructuoſam efficiunt. Hi ſunt duo Seraphim, qui in ſublime contemplationis, & ſeraphici amoris alis eleuati, à terreniſque rebus abſtracti, aſſiduo diuinarum laudum clamore, & immenſorum beneficiorum humano generi à ſummo opifice Deo exhibitorum declaratione, feruentiſſimis prædicationibus populos inſtruendo, & ad cæleſte iter dirigendo inſiſtentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo mundæ ſegetis (animarum ſcilicet redemptoris noſtri Ieſu Chriſti pretioſi ſanguinis effuſione redemptarum) copioſos in horrea Sanctæ Eccleſiæ manipulos referunt. Hi ſunt duæ tubæ, per quas Dominus præcipit ad pabulum ſacri Euangelij vniuerſum populum aſſiduis prædicationibus aduocari, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & redderent ſibi populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem. Ad prædictorum igitur Prædicatorum, & Minorum fratrum Ordines, quos pro eorum ampliſſimis meritis, & vberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſia continuè afferunt, præ cæteris paterna charitate diligimus, noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, illa eis libenter concedimus, quæ in eis optatæ quietis fructum inducant, & ſtatum eorum faciant pacificum, & tranquillum.

§. I. Dudùm ſiquidèm, vt Ordinum eorumdem profeſſorum ſtatui, & quieti conſuleremus, motu proprio nonnullas litteras diuerſorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum dictis Ordinibus conceſſas, & in illis contenta approbauimus, & quò ad aliqua declarauimus, ampliauimus, & extendimus, ac nonnulla eis de nouo conceſſimus, pro vt in diuerſis noſtris literis deſupèr confectis pleniùs continetur. Multa ſe dicit confirmaſſe, & conceſſiſſe Ordinis Prędicatorum, & Minorum.

§. II. Cùm autem, ſicut poſtmodum accepimus, per huiuſmodi ampliationes, declarationes, extenſiones, & conceſſiones adhùc totali eorumdem Ordinum, & illorum profeſſorum quieti plenè, vt expedit, non conſulatur, aſſeraturquè à nonnullis, per eaſdem litteras, omnes gratias ſpirituales, & temporales dictis Ordinibus, & eorum domibus, & fratribus à prædeceſſoribus noſtris conceſſas, approbatas non fore. Motiua huius conſtitutionis.

§. III. Nos attenta meditatione penſantes, quantum vtilitatis ad exaltationem Chriſtianæ fidei, & euangelicæ veritatis Ordinum prædictorum profeſſores hactenus attulerunt, & afferre valeant, adiuuante Domino, in futurum; ac propterea volentes, vt tenemur, eorum tranquillitati vberius prouidere: motu ſimili, non ad ipſorum fratrum, & ſororum, aut alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa noſtra ſcientia quaſcumque literas, & gratias ſpirituales, & temporales, conceſſiones & indulgentias, ac peccatorum remiſſiones in genere, vel in ſpecie fratribus, & ſororibus Prædicatorum & Minorum Ordinum, ac domorum eorumdem, nec non viſitantibus illorum Eccleſias, Capellas, & Oratoria conceſſas, quarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro expreſſo, præſentium tenore approbamus, & robur firmitatis perpetuæ obtinere decernimus, proque potiori cautela Apoſtolica auctoritate de nouo, iuxtà literarum deſuper conceſſarum continentiam, & tenorem concedimus, & largimur. Confirmat priuilegia aliàs dictis ordinibus conceſſa.

§. IIII. Et vt Eccleſiæ, domus, & Oratoria Prædicatorum, & Minorum Ordinum prædictorum per vniuerſum orbem conſtructæ, & ædificatæ, & quæ conſtrui, & ædificari contigerit in futurum, congrua deuotione, & veneratione à Chriſti fidelibus viſitentur ac quæ imperfectæ ſunt perficiantur, & ad complementum deducantur, & completæ conſeruentur, & manuteneantur, nec non paramentis, & alijs ad diuinum cultum ubi neceſſarijs debitè ornentur; ipſique Chriſti fideles ad dictas Eccleſias eo libentiùs confluant, & ad præmiſſa manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos. De omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, Concedit indulgentias viſitantibus Eccleſias dictorum Ordinum certis diebus.

vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias, & Oratoria domorum fratrum prædictorum in ſingulis Sancti Dominici, & Sancti Franciſci, centum annos, & totidem quadragenas, & in SS. Petri martyris, Thomæ de Aquino, Vincentij, et Sanctæ Catharinæ de Senis, ac SS. Antonij de Padua, & Ludouici Epiſcopi, Bernardini, & Sanctæ Claræ, & Beatæ Eliſabeth feſtiuitatum diebus, à primis veſperis, & per totam diem ipſarum feſtiuitatum quinquaginta annos, & totidem quadragenas, deuotè viſitauerint annuatim, & manus ad præmiſſa, aùt eorum aliqua porrexerint adiutrices, de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Quòd fratres poſſint ſemèl in vita, & in articulo mortis confeſſarium ſibi eligere, qui eos &c.

§. V. Et vt prædictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum fratres tantò feruentiùs diuinis beneplacitis inſiſtant, quantò maioribus ſe viderint ſpiritualibus gratijs fore munitos, omnibus, & ſingulis Prædicatorum, & Minorum Ordinum profeſſoribus, qui nunc ſunt, & pro tempore perpetuo erunt, vt confeſſor idoneus eorumdem Ordinum, quem quilibet pro ſe de ſui Superioris licentia duxerit eligendum, eorumdem confeſſione diligentèr audita, pro commiſſis per eos exceſſibus, & peccatis ſemèl in vita in forma confeſſionalis per nos edita, in mortis verò articulo plenariam abſolutionem, & peccatorum huiuſmodi remiſſionem impendere valeat, etiàmſi antè factam eorumdem Ordinum profeſſionem eos decedere contingeret, ſimilibus motu, ſcientia & auctoritate indulgemus.

Reſtringit facultatem abſoluendi ad Generales, & ab eis deputatos.

§. VI. Facultatem verò à prædeceſſoribus noſtris conceſſam Magiſtro generali, & Prioribus prouincialibus, & conuentualibus, ac eorum Vicarijs Prædicatorum, ac generali, & prouincialibus Miniſtris, & eorum Vicarijs, nec non Cuſtodibus Minorum Ordinum prædictorum ſupèr abſolutione fratrum eorumdem Ordinum ſuorum, & diſpenſatione cum eiſdem in quibuſcumque caſibus, (præterquàm illis, pro quibus eſſent ad Sedem Apoſtolicam mittendi) & per nos approbatam, cum declaratione caſuum, pro quibus mittendi ſunt, perſtringentes, volumus, quòd Magiſter, & Miniſter generales præfati, & eorum Vicarij, et illi, quibus ipſi Magiſter, & Miniſter generales pro tempore id duxerint committendum dumtaxàt, & non alij, facultate prædicta de cætero vti poſſint, illam omnibus alijs penitùs adimentes.

Conceſſa fratribus intelliguntur etiàm cõceſſa ſororibus, & tertiarijs.

§. VII. Et ne proptèr Monaſteria Monialium, ſeù ſororum ſub cura, & inſtitutis Ordinis prædicti fratrum Prædicatorum, & Sanctæ Claræ, ſeù Sancti Damiani Ordinum ſub eiſdem fratrum Minorum Ordinis cura degentia, Sancti Dominici, & Sancti Franciſci de pœnitentia nuncupatorum Ordinum vtriuſque ſexus perſonas, contingat eorumdem fratrum quietem turbari, motu, ſcientia, & auctoritate prædictis ſtatuimus, quòd huiuſmodi Monaſteria, & loca, eorumque Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & vtriuſque tertij Ordinis prædicti de pœnitentia nuncupatæ perſonæ prædicta eiſdem priuilegijs, immunitatibus, gratijs, fauoribus, conceſſionibus, facultatibus, et indultis ſpiritualibus, & temporalibus, prædictis fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, ac illorum profeſſoribus, domibus, & locis, ac Procuratoribus, Syndicis, Oblatis, & Commiſſis, ſeù aliàs quomodolibèt per prædeceſſores noſtros, aùt nos hactenùs conceſſis, & in poſterum concedendis quauis auctoritate, quatènus earum ſexui, & ſtatui non contradicant, liberè, & licitè vti poſſint, & debeant in omnibus, & per omnia prorſus, & ſinè vlla differentia, ac ſi eiſdem Monaſterijs, locis, & perſonis, Abbatiſſis, Syndicis, Procuratoribus, Oblatis, & commiſſis ſororum, & Monialium, earumdem, ac perſonis vtriuſquè ſexus de pœnitentia huiuſmodi nominatim conceſſa forent, & concederentur expreſſè.

§. VIII. Præterea quià, vt intelleximus, èxortis nonnumquàm controuerſijs intèr locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, ſeù Officiales, Curatos, & fratres prædictorum Ordinum, varijs occaſionibus locorum Ordinarij, eorumque Vicarij, ſeù Officiales, & Curati prædicti, nè Chriſti fideles fratribus ipſis pias eleemoſynas erogare præſumant, ſuadere, & etiam ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore prædicare, ſeù prædicari facere, ſeù pronunciare præſumunt. Locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs, ſeù Officialibus, et Curatis prædictis, ac etiàm alijs quibuſcumque dicta auctoritate mandamus, vt ab huiuſmodi perſuaſionibus, inhibitionibus, et mandatis de cætero prorſùs omninò abſtineant. Decernentes, inhibitiones ipſas, et mandata nullius exiſtere firmitatis, et illis contrauenientes cenſuris huiuſmodi minimè ligari, ac eoſdem perſuadentes, et inhibentes, mandatoque noſtro huiuſmodi obtemperare non curantes (niſi pœnituerint, et perſuaſiones, ac inhibitiones, et prædicta reuocauerint intrà triduum, poſtquàm deſuper requiſiti fuerint) eo ipſo Ordinarios interdicti ingreſſus Eccleſiæ, et ſuſpenſionis à regimine, et adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, alias verò inferiores ab eis excommunicationis ſententiam incurrere.

Impedientes Mendicantes eleemoſynas quærere puniuntur.

§. IX. Cum autèm nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, et Minorum ſpecialitèr gerentes deuotionis affectum, eorum cadauera cum habitu Prædicatorum, vel Minorum, ſeù fratrum, vel ſororum de pœnitentia vtriuſque Ordinis prædictorum ſepeliri mandent, et perſæpè antequàm moriantur, habitum huiuſmodi eis poſtulant exhiberi, decernimus, habitum huiuſmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, aùt Guardianum domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere continget, vel per Superiorem Prælatum ipſorum Ordinum, domorum, ſeù Prioratus, et Guardianatus, vel illi cui duxerint committendum dumtaxat, et non per alium quauis auctoritate, vel prælatione fungentem exhiberi debere. Qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur, apùd eorum Ordinum Eccleſias debere ſepeliri in eorum habitu, quorum habitum ſuſceperint, et illorum ſic indutorum cadauera diſcooperta, nullo pallio, vel tegumento ſuperimpoſito, cum habitu huiuſmodi ad ſepulturam deferri poſſe, Ordinariorum etiam ſub cenſuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita non obſtante, quæ quò ad hoc modificamus.

Sepeliri volentes cũ habitu fratrum a Superioribus Ordinis ipſum recipere debẽt.

Vide cõſt. 3. huius Pontif. nu. 3. & 4. & conſtit. 26. Leonis 10. §. 11.

§. X. Et ne ex habilitatibus ad vnum, vel plura beneficia eccleſiaſtica in titulum, vel commendam obtinenda, cum facultate interim, donec illa aſſe-

quan-

Fratres habilitati ad obtinenda beneficia extrà Ordinem, non gaudent priuilegijs Ordinis, niſi de Prælatorũ conſenſu.

quantur, pro Capellanis aliorum in beneficijs eccleſiaſticis deſeruire, & quòd etiàm poſtquàm beneficia huiuſmodi aſſecuti fuerint, in domibus dicti Ordinis reſidere, cameras habere in illis, ac in generalibus, atquè prouincialibus Capitulis fratrum eorumdem Prædicatorum, & Minorum Ordinum vocem actiuam, & paſſiuam habere, ac priuilegijs, fauoribus, & gratijs, & indultis conceſſis ipſorum Ordinum profeſſoribus gaudere poſſint, præfatis Ordinibus, & illorum profeſſoribus grauamen inferatur, eiſdem motu, & auctoritate decernimus, huiuſmodi conceſſas, & quas concedi contigerit habilitationis literas intelligi, & interpretari debere, vt fratres ipſi, quibus literæ huiuſmodi conceſſæ ſunt, & concedentur in poſterum quandocumque per Sedem prædictam, poſtquàm aliquod beneficium adepti fuerint pacifice, aut pro Capellanis in aliquibus Eccleſiis cœperint deſeruire, conceſſionibus prædictis (pro vt vocem actiuam, & paſſiuam, reſidentiam in domibus dictorum Ordinum, ac retentionem dictarum domorum, camerarum, & alia, quæ Ordinum præfatorum ſunt, concernunt) de dictorum Prælatorum conſenſu dumtaxat gaudere poſſint, & non aliàs, nec alio modo. Idem ſtatuentes de promotis ad cathedrales, etiàm titulares appellatas Eccleſias, & alias eccleſiaſticas dignitates.

Inquiſitores ſubſunt correctioni ſuorum Generaliũ.

§. XI. Cæterùm vt dictorum Ordinum profeſſores, qui Inquiſitores hæreticæ prauitatis pro tempore in diuerſis Mundi partibus deputantur, tantò diligentiùs eorum officia ſtudeant exercere, ac ab illicitis, & eis prohibitis abſtinere, quanto cognouerint poſſe eorum errores faciliùs corrigi, & puniri, quòd Magiſter Prædicatorum, & Miniſter Minorum Ordinum prædictorum generales præfati nunc, & pro tempore exiſtentes, geſta pro tempore per ipſos Inquiſitores eorum Ordinum reſpectiuè examinare, & querelas contrà illos propoſitas audire, ac ſuper illis (quantùm eis iuſtum, & æquum videbitur) ſtatuere, & ordinare, & ſi in aliquo eos deliquiſſe inuenerint, illos iuxtà exceſſuum exigentiam etiàm per eorum ab officio amotionem, ac aliàs corrigere, & punire, dictoſque Inquiſitores, ſecundùm quod æquum, & iuſtum, aut neceſſarium videbitur (non tamen in vna, eademque Diœceſi) multiplicare liberè, & licite valeant.

Prædicatores in Minorum nec Minores in Prædicatorum ſe cauſis inquiſitionis intromittant.

§. XII. Et Prædicatorum in Minorum, & è contrà Minorum Ordinum prædictorum Inquiſitores in Prædicatorum Ordinum huiuſmodi profeſſores quoſcumque officio inquiſitionis huiuſmodi fungi, illudque exercere nullatenus poſſint abſquè Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, de præſentibus litteris ſpecificam, & expreſſam facientem mentionem.

Vide conſtit. 9. Pauli 3. infrà. propter quã vacat hodie hoc priuilegiũ.

Concedit Prædicatoribus, & Minoribus priuilegia cæterorũ Mendicãtium.

§. XIII. Poſtremò quia Prædicatorum, & Minorum fratrum prædictorum Ordinum profeſſores pro fidei catholicæ dilatatione, incremento, & defenſione continuè indefeſſè laborant, & eorum exemplari vita, prædicationibus verbi Dei, audientia confeſſionum, ſana doctrina, aſſidua ſacrarum litterarum inſtructione, & deuota diuinorum officiorum celebratione, hæreticorum extirpatione, alijſque innumeris pijs operationibus præ cæteris Ordinum Mendicãtium profeſſoribus fructus in Eccleſia Dei ſalutares copioſiùs attulerunt hactenùs, & continuè afferre non ceſſant, atquè allaturos in futurum Deo propitio, ſpe firma tenemus; & propterea conuenit, vt ipſi præ cæteris ampliores fauores, & gratiarum prærogatiuas à præfata Sede recipiant, & reportent, aliorumque Ordinum Mendicantium indultis, & priuilegijs apud Sedem præfatam gaudeant, ne illis inferiores eſſe videantur. Omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, & peccatorum remiſſiones, immunitates, exẽptiones, facultates, priuilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, qualiacumque ſint, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ac Seruorum B. Mariæ Fratrum Ordinibus, & illorum Eccleſijs, Oratorijs, & domibus, Prioribus, Fratribus, & Sororibus, Conuerſis, & Oblatis, ac vtriuſq; ſexus perſonis de pœnitentia nuncupatis à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prædictis, & à nobis, aut alijs auctoritatem habentibus, quæ omnia, ac ſi nominatim exprimerentur, haberi hic volumus pro ſufficientèr expreſſis, coniunctim, vel diuiſim, in genere, vel in commune conceſſa, eiſdem, & eorum cuilibet Prædicatorum, & Minorum fratrum Ordinibus, domibus, Eccleſijs, Oratorijs, generali Magiſtro, Miniſtro, Prioribus, & Miniſtris prouincialibus, Conuentualibus Prioribus, Guardianis Sororibus, Oblatis, Conuerſis, & vtriuſque ſexus tertij Ordinis, ſeu de pœnitentia nuncupatis, & alijs eorumdem Ordinum perſonis de nouo concedimus, & in eis locũ habere volumus, ac ſi eiſdem nominatim directè, & expreſſè conceſſa fuiſſent. Mandantes etiàm motu, & ſcientia, & auctoritate prædictis, vt dictum priuilegiorum, indulgentiarum, prærogatiuarum, conceſſionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, & indultorum, dictorum fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, & Seruorum Sanctæ Mariæ originales literæ, ſeù tranſumpta authentica ex illis, pro & in fauorem Eccleſiarum, domorum, & fratrum prædictorum Prædicatorum, & Minorum Ordinum adducerentur, vel exhiberentur, eadem fides indubia adhibeatur, tàm in iudicio, quàm extrà iudicium, & alijs locis, quibus opus fuerit, ac ſi pro & in fauorem dictorum Ordinum, Eccleſiarum, domorum, & fratrum Prædicatorum, & Minorum à Sede Apoſtolica emanaſſent, ac eis, & cuilibet ipſorum fuiſſent immediatè conceſſa.

Pœnæ contrà prohibentes vti priuilegijs.

§. XIV. Inhibentes diſtrictiùs ipſis locorum Ordinarijs ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis à regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum, ac parochialium Eccleſiarum Rectoribus, & alijs quibuſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & priuationis earumdem Eccleſiarum parochialium, & omnium aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinenda pœnis, eo ipſo, qui contrafecerint, incurrendis, ne perſonis quibuslibet Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus in genere, vel in ſpecie, directè, vel indirectè aliquid inhibeant, præcipiant, ordinent, vel ſtatuant, quominùs Ordines prædicti, illorum domus, & profeſſores prædictis gratijs eis conceſſis liberè vti poſſint.

Derogat contrarijs.

§. XV. Non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis ſuſpenſionibus, reuocationibus, & reſtrictionibus, ac prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis genera-

libus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, necnon Pariſienſi, & aliorum locorum generalium ſtudiorum Vniuerſitatibus, & Curiæ vicegerentiæ Aueniouenſis, & quibuſuis ordinarijs Prælatis, ac perſonis conceſſis, & concedendis literis, priuilegijs, ac per illos deputatis in eis conſeruatoribus, priuilegiorum huiuſmodi facultatibus, & iuriſdictione cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ac fortioribus; & inſolitis, quibus omnibus illa, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus, & datis, non per huiuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, ſeu quæuis alia mentio habenda eſſet, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, quò ad præmiſſa ſpecificè, & nominatim derogamus, & ea nemini in præiudicium præmiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere, ac irritum, & inane quicquid ſecùs contigerit attentari decernimus, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis noſtris præfatis Ordinibus conceſſis, volumus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

§. XVI. Verùm quia difficile foret præſentes literas
Tranſumptis fidem adhiberi præcipit. *ad ſingulas Prouincias originaliter deſtinare, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd tranſumptis earum, manu Notarij publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditoris, vel Protectoris, qui eſt, & qui pro tempore erit, aut alicuius Archiepiſcopali, vel Epiſcopali, ſeù cuiuſcumque in dignitate conſtituti ſigillo munitis, ea prorſus in iudicio, & extra, vbicumque exhibita, vel oſtenſa fuerint, fides adhibeatur indubia, ac ſi ipſæ originales literæ forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Apponit contra facientibus pœnas. *§. XVII. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, conſtitutionis, conceſſionis, largitionis, indulti, perſtrictionis, voluntatis, ademptionis, ſtatuti, mandati, decreti, inhibitionis, & derogationis infringere, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXIX. vij. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno octauo.*

§. III.

1 NOto 1. circa illam clauſulam, *Motu proprio*, quòd dupliciter ſolent concedi priuilegia, vel ad inſtantiam alicuius, vel motu proprio. Cognoſcuntur autem eſſe ad inſtantiam, quando in ipſis expreſſè non habentur iſta verba, Motu proprio. Ita habetur in c. Si motu proprio. de præb. in 6. Quando verò in priuilegio præcedit petitio, & Papa nihilominus dicit ſe concedere motu proprio, intelligitur, quòd cauſa finalis, & formalis talis priuilegij concedendi non fuit petitio, ſed mera Papæ liberalitas, qui alias erat etiam conceſſurus, licèt non præceſſiſſet petitio. Quòd ſi contingat aliquando in priuilegio non præcedere petitionem, ſed tãtùm narrationem cauſarum, & rationum, quæ mouerunt Papam ad tale priuilegium concedendum, ſi non ſubſequatur iſta clauſula, Motu proprio, ſemper cenſetur priuilegium eſſe ad inſtantiam. Ita habetur dicto Cap. Si motu proprio.

2 Noto 2. quòd tres ſunt præcipuè differentiæ inter priuilegium conceſſum motu proprio, & ad inſtantiam. 1. quòd priuilegium conceſſum motu proprio eſt magis voluntarium, & cenſetur maius beneficium, & ideò ampliandum, quantum proprietas verborum patitur. 2. quòd priuilegium motu proprio conceſſum numquam retorquetur contrà eum, cui conceditur, ſicut interdum ſolet retorqueri priuilegium per propriam petitionem obtentum. 3. quod priuilegium per ſubreptionem impetratum ad puram inſtantiam petentis non valet, ſecùs verò ſi motu proprio concedatur. Ita Suar. 8. de legibus, cap. 12. num. 8. Panor. in cap. Ad aures, de reſcript. num. 5. & in cap. Dilectus, de præb. num. 9. Felin. in cap. Cęterùm, de reſcrip. num. 9. & in cap. Ad aures, eod. tit. num. 6. Riccull. de iur. perſon. lib. 4. c. 6. num. 6. Vide tom. 1. mei Religioſi, q. 2. cap. 2. §. 11. verſu Circà hunc.

3 Noto 3. circa illam clauſulã, *Quorum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo.* Quòd iſta clauſula tollit neceſſitatem inſerendi tenorem illarum conſtitutionum, quæ vel confirmantur, vel derogantur, etiamſi in illis diceretur expreſsè, quòd non intelligerentur reuocata, niſi fieret de eis expreſſa mentio de verbo ad verbum. Ita Nauarr. cap. Si quando, de reſcript. except. 1. num. 1. Atque ita operatur, quòd Papa poſſit ex certa ſcientia facere quæ facit. Theſaurus Panor. verbo Clauſula, pag. 15. col. 3. fine vbi citat Romanam Rotam concluſ. 201. Et hæc procedunt non ſolùm in diſpoſitione facta motu proprio: ſed etiam ad partis inſtantiam. Felin. in cap. Nonnulli, de reſcript. num. 6. paulò antè verſum, Hæc, & ſimilia; Alios citat Antonius Gabriel tom. 2. lib. 6. tit. De clauſulis, concl. 5. nu. 3.

§. IV.

4 NOto, quòd iſtæ indulgentiæ, & aliæ omnes, pro quibus conſequendis manus adiutrices porrigendæ ſunt, ſunt reuocatæ motu proprio à Pio V. per ſuam bullã, quæ incipit, Etſi Dominici, apud Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. conſtit. eius 30. pag. 213. Putat etiã Nauar. tom. 2. conſil. lib. 5. de pœnit. & remiſſ. conſil. 17. num. 6. quòd etiam per dictam conſt. Pij V. derogentur indulgentiæ conceſſæ viſitantibus aliquam Eccleſiam certis diebus, & diſtribuentibus ei aliquid ſecundùm eorum arbitrium, & deuotionem. Quia hoc eſt concedere manus adiutrices porrigenti.

§. V.

5 COnceſſerat hic Pontifex fratribus Minoribus per ſuam conſtit. quæ incipit, Regimini, apud Rodriq. in ſuo bull. in hoc Pontifice, bulla eius 14. §. 12. & Prędicatoribus per ſuam conſtit. quæ incipit Noverint vniuerſi, apud eumdem Rodriq. in eodem, bulla eius 33. §. 14. Quòd poſſent abſolui à ſuis Prælatis, Generali nimirum, Prouincialibus, & Guardianis, ſeu Prioribus conuentualibus, ab omnibus caſibus, & cenſuris, quantumuis grauibus, niſi adeò graues eſſent, quòd meritò eſſent ad Apoſtolicam Sedem deſtinãdi. Quam poteſtatem non ſolùm voluit habere dictos Prælatos ſuper ſibi ordinariè ſubditos, ſed etiam ſuper hoſpites ad eos vndecumque declinantes. Et hanc eamdem poteſtatem ſub iiſdem terminis, & cum iiſdẽ limitationibus conceſſit noſtris Prælatis Iulius II. in conſtitut. eius 2. §. 9. Et quia difficultas erat, quinam eſſent caſus, pro quibus Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda, idem Iulius loc. cit. §. 29. declarauit, hos caſus eſſe relapſum in hæreſim, ſciſma, falſificationem literarum Apoſtolicarum, & delationem prohibitorum ad infideles, quibus addidit etiam quintum in eius conſtitut. 14. §. 2. nimirùm conſpirationem in Romanum Pontificem. Hoc autem §. concedit Sixtus, quòd fratres ipſi poſſint ad ſuum beneplacitum de licentia Superioris ſemel in vita eligere ſibi confeſſarium, qui eos iuxta prædictam formam abſoluat, ſed in mortis articulo vt poſſint ſibi confeſſorem eligere, qui eos plenariè, ideſt etiam ab exceptis abſoluat. Et Leo X. conceſſit dictis Regularibus, vt poſſent quater in anno de licẽtia ſuorum Superiorum confeſſorem ſibi eligere, qui eos plenariè, ideſt etiam ab exceptis abſolueret: modò in confidentia talis abſolutionis non peccauerint, vt refert Cæſarub. in comp. priuil. verbo Abſolutio extraordinaria quò ad fratres, à num. 7. Virtute tamen huius conceſſionis non poſſunt abſolui à reſeruatis in Religione

Digitized by Google

gione abſque licentia ſuperiorum, Corduba in addit. ad comp. priuileg. mend. tit. abſolutio extraordinaria quoad fratres §.12. ad finem Mirand.tom.2. quæſt.reg. q.13.art.9.& 10.Roderic.in reſolut. regul. reſol. 3.n.31. Rodriq. tom. 1. q. reg.q.62.art. 11.Et Pius V. conceſſit Prælatis Caſſinenſium anno 1571. Pont. ſui 6. vt poſſent abſoluere omnes ſuos fratres,tàm profeſſos,quam nouitios(in Religione tamen perſeuerantes) à quibuſcumque peccatis,cenſuris,& pœnis,per eos, tàm ante, quam poſt ingreſſum in dictam Congregationem,ſeu profeſſionem incurſis,& in futurum incurrendis,etiáſi fuerint de caſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, vel de comprehenſis in bulla, quæ dicitur Cœnæ Domini, ſingulis annis legi conſueta,& hoc toties quoties opus fuerit,iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari. Refert ita Peregrinus in comp. priuileg. ſui Ordinis, part. 2. titul. Abſolutio, §. 2. Et Gregorius XIII. anno 1584. die 18. Martij conceſſit Generali Ieſuitarum, vt poſſet abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi, & à relapſu in hæreſim. Habetur in comp. priuileg.dictæ Societatis,titul. Abſolutio, §. 7. & refert Suarez tomo 4.de Religione, tract.1.libro.2.cap.21.num. ſecundo. Qui addit,idem etiam conceſſiſſe Gregorium IX. Minoribus de obſeruantia, ſed ſolùm pro vltramontanis, & dummodò relapſorum crimina publica, & notoria non ſint. Alia ſimilia priuilegia referunt Caſarub.loc. cit.& Rodriq. tomo primo quæſt. regul.q.20.art.1.2.& 4. & q.62. art.6.& 13.Miran.tom.2.manual.q.7.art.3. & q. 33. art. 7. Feſtus 2. p.ſum.conſtit.Ordinis Prędicatorum, cap.65.

6 Maxima autem eſt inter Doctores difficultas, an vigore dictorum priuilegiorum poſſint nunc Superiores regulares ſuos ſubditos abſoluere a caſibus contentis in bulla Cœnæ, exceptis illis quinque, & an poſſint ſubditi ſemel in vita, vel etiam quater in anno eligere ad ſuum beneplacitum confeſſorem, qui eos à dictis caſibus abſoluat. Negant Paſſarell.in not.priuileg.Minim.notab. 13. & affert pro ſe quamdam declarationem Cardinalis Alexandrini. Confert. in comp.priuileg.Mendic.tit.17. cap.7.Caſarub.in comp. verbo Abſolutio ordinaria quò ad fratres, numer. 13. Graffius 1. p. decil. libr.1.cap.13.numer. 34. qui ait, ita declaraſſe Gregorium XIII.viuæ vocis oraculo, & atteſtatur, ſe vidiſſe in ſcriptis dictam declarationem.

7 Fundátur primò,quia in publicatione dictæ bullæ, quæ fit ſingulis annis, derogantur expreſsè Mendicantium priuilegia. Quòd ſi dicas, non eſſe veriſimile, quòd Pontifices, qui dicta priuilegia conceſſerunt, ea voluerint ſtatim reuocare, nam ſic viſi eſſent, vel voluiſſe illudere, vel decipere.Dicunt,quòd dicta priuilegia valuerunt tantùm durante vita dictorum Pontificum, qui præſumendi ſunt in publicatione dictæ bullæ ſemper voluiſſe excipere eos, quibus priuilegia conceſſerant.

8 Secundò poſſunt fundari in decreto Congregationis Regularium edito de mandato Clementis VIII. quod referunt Conſettius in ſumm.priuil.titul.17. cap. 6.& Quaranta in ſumm. bull. Verbo Caſus reſeruati, pag.199.de quo memini tom.1.Religioſi, quæſt.1.cap. 21.§.1.& in conſtit.dicti Clementis, quæ incipit,Quæcumque quam refert Cherub. to.3.bull.in Clem.VIII. conſtitut. eius 115. in quibus prohibetur abſolutio à dictis caſibus bullæ Cœnæ, & prætereà violationis immunitatis Eccleſiaſticæ, violationis clauſulæ Monialium ad malum finem, prouocantium, & pugnantium in duello iuxtà decretum Concilij Trid. & conſtitut. Gregorij XIII. injicientium violentas manus in Clericos ſimoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item eorum caſuum, quos Ordinarij locorum ſibi reſeruarunt, & in poſterum reſeruabunt.

9 Tertiò, quia hæc facultas ſublata eſt Epiſcopis, quibus erat conceſſa per cap. 6. Concilij Trid. ſeſſ.24. de reform.vt dixi ſupra in conſtit. Pyrrhi, nu. 44. ergo & multo magis Prelati Regularium.

10 Affirmant Rodriq.tom.1.quæſt regul.q.20.artic.9. D'Aluinus de poteſt.Abb &c.c.27.in fine.Io.Canart.in comp.priuileg.noſtri Ordinis, pag.44.Suar.tom. 4. de Relig tract.1.lib.2.c.21.à num.3.videtur dicere Molfeſ. 1.p.ſum.tract.7 c.18.nu.29. irreſolutè loquitur Miranda tom. 2. manual. qu. 7.art.3.&.q.9.art.10.Quæ ſententia mihi maximè probatur propter ſequentia.

11 Primò,quia(vt benè Rodriq.& Suar.loc.cit.) ſicut in conceſſione generali caſuum ad ſummum Pontificem ſpectantium non veniunt caſu bullæ Cœnæ, vt communis fert opinio, ſed requiritur, quòd in ſpecie concedantur; Ita in reuocatione generali priuilegiorum abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis non comprehenduntur ea,quæ expreſsè abſolutionem caſuum dictæ bullæ concedunt, ſed requiritur,quòd de ijs fiat expreſſa mentio hoc pacto, videlicet, Per nullum priuilegium poſſint abſolui à caſibus bullæ Cęnæ,etiamſi in ijs auctoritas ad eorum abſolutionem concedatur quod hucuſque factum non eſt. Et poteſt huius rei ratio optima aſſignari. Nam per eaſdem cauſas ſoluitur res, per quas naſcitur, vt habetur in l. Pro vt quiſque, ff.ſolut.matrimon.l.Sicut proponis, Cod De nuptijs, l.Nil tam naturale,ff.De regul.iuris.Ergo ſicut ad concedendum abſolutionem à caſibus bullæ Cœnæ requiritur expreſſa illius mentio, ita ad dictam conceſſionem tollendam eadem mentio requiretur.

12 Secundò mihi maximè probatur iſta ſententia, quia priuilegia hanc abſolutionem concedentia ſunt maximè fauorabilia, & nulli præiudicium inferentia, niſi concedenti, vnde largè ſunt interpretanda ſecundum DD.quòd docet Gutierr.lib. 2. pract. quæſt.q.75. num.3.Sunt etiam clara, notoria, & authentica,& valdè conducunt ad diſciplinam regularem ſeruandam. Sed nullo teſtimonio claro, & authentico conſtat, ea eſſe reuocat, vt patebit ex reſponſione ad contraria. Ergò non eſt cur ea reuocata eſſe dicamus. Cum melior preſertim ſit ſemper conditio poſſidentis,& Mendicantes ſint in poſſeſſione.

13 Tertiò quia ratio, quæ mouit ſummos Pontifices ad hanc auctoritatem Prælatis Religioſorum concedendam in ordine ad ſuos ſubditos, fuit ad tollendas eorum vagationes,& ad illorum quieti conſulendum, vt colligitur ex cap. Cum ſingula,de præb.in 6. & c.Vt periculoſa,ne Clerici,vel Monachi, eod.lib.& c.Cum illorum, de ſent. excommun.§.Qui ſi clauſtrales. Sed hæ rationes mouere debent non minus Pôtifices preſentes, qui non ſunt minùs Patres, & Superiores Religioſorum,quàm illi præteriti. Ergò cum clarè de horum mente non conſtet, dicendum eſt, hucuſque non reuocaſſe.

14 Ad 1.ergo in contrarium primò patet ex dictis. Ad hoc enim, vt priuilegia expreſsè concedentia abſolutionem à caſibus bullæ Cœnæ reuocentur,debent expreſsè reuocari. Si dicas, quid igitur derogatur per illas clauſulas, *Nullus prætextu quarumlibet facultatum, etiam Mendicantibus conceſſarum, abſoluere audeat, &c.* Reſpondent Rodriq. & Suar. locis cit.quòd reuocantur priuilegia generalia abſoluendi à caſibus Papalibus, vt nimirùm illa non ſufficiant ad abſoluendum à caſibus Cœnæ; non autem reuocantur priuilegia, expreſsè dictorum caſuum abſolutionem concedentia. Et patet ex bulla Cœnæ Sixti V. & Clementis VIII.in quibus habetur iſta clauſula. *Niſi in eis*(priuilegijs)*etiam caſus præſentibus literis expreſſi comprehendantur*. Quæ clauſula licèt,in alijs bullis aliorum ſummorum Pontificum non habeatur, ſemper tamen debet intelligi, propter primam rationem, qua hanc ſententiam probauimus.

15 Secundò reſpondeo,quòd Iulius II.in conſtit.eius 14.infrà declarauit, quòd, non obſtante publicatione, dictæ bullæ Cœnæ, quæ fit ſingulis annis, poſſint illi quibus per priuilegia conceſſum eſt, in perpetuum abſoluere ab omnibus caſibus in ea contentis, exceptis illis quinque, ac ſi prædicta bulla Cœnæ non eſſet facta,nec fieret.Quòd etiam declarauerunt Paulus IV.

pro

pro Congregatione Clericorum regularium, vt refert Peregrinus in eius comp.p.2.verbo Bulla, §.1. Et Gregorius XIII.pro Societate Ieſu, vt refert Suar. tom. 4. de Relig.tract.1.libro 2.cap.21.nu. 5. & Clemens VII. per viuæ vocis oraculum factum Cardinali Campegio pro Ordine Minorum, prout refert Rodriq.in ſuo bull.in Clemente VII.pag.364.

16 Ad 2.Reſpondeo, dicta decreta Congregationis, & dictam bullam Clementis non derogare priuilegijs Regularium quò ad abſolutiones fratrum, ſed tantùm quò ad abſolutionem ſæcularium, vt benè Molfeſ.p.1. ſuæ ſum.tract.7.cap.19.nu. 29. Et fuit declaratum à ſacra Congregatione Regularium, facto verbo cum S. D. Clemente VIII. & eius viuæ vocis oraculo deſuper habito, pro vt refert Peregrinus in com.p.1. tit. Abſolutio, in ſchol.§.1.& Naldus in ſumma, verbo Reſeruatio, ve. ſu & cum de hac.

17 Ad 3.negatur paritas: Nam quies Religioſorum, & vagandi occaſiones, quas ſemper intenderunt Pontifices vitare, & propter quas illis tot priuilegia conceſſerunt, non reperiuntur in ſecularibus,vel eccleſiaſticis ſubditis Epiſcopis.

18 Ad illam declarationem,de qua Paſſarellus, dico quòd non conſtat fuiſſe factam auctoritate Papæ, & ideò non cogit, & eò minùs, quò nihil authenticum videtur.

19 Ad id, quod dicit Graffius, ita declaraſſe Gregorium XIII. Reſpondeo, ſi haberemus huius declarationis aliquod authenticum monimentum, res eſſet ſine controuerſia; ſed quia nullum adeſt, & nullus alius id dicit, præter ipſum, illius auctoritas non cogit.

20 Ex quibus patet,quòd non ſolùm Prælati poſſint vtendo ſuis priuilegijs,abſoluere ſuos ſubditos à dictis caſibus bullæ Cœnæ,præterquam ab illis quinque,ſed etiam à caſu hæreſis, modò non ſit relapſus, immò etiamſi ſit relapſus, per priuilegium Gregorij XIII.de quo ſuprà nu.5.Nam in conceſſione abſoluendi à caſibus bullæ Cœnæ venit etiam caſus hæreſis, vt Filliuccius tom.1.tract.8.cap.10.num.265.qui ait, ita fuiſſe reſponſum in ſacra Pœnitentiaria anno 1617.

21 Sequitur etiam, quòd poſſint ſubditi ſemel in vita,& quater in anno eligere ad ſuũ beneplacitum confeſſarium de licentia ſuorum Superiorum, qui eos modo ſupradicto abſoluat.

22 Immò addit Suar.loc.cit.num.2. exceptiones illorum quinque caſuum eſſe ſublatas, vt de hæreſi conſtat,per priuilegium Gregorij. De alijs per illa priuilegia, quæ concedunt abſolutionem ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiamſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet cõſulenda:vel quæ ſummus Pontifex reſeruare conſueuit, quale eſt illud Martini V. conceſſum Benedictinis, apud Suar.tom. 4. de Relig. tract.1.lib.2.cap.25.num.1. Quæ omnia vera exiſtimo, niſi aliud obſeruet praxis Romanæ Curiæ, quod non ſcio.

23 Modo verò remanent 3.difficultates 1.an caſus reſeruati Sedi Apoſtolicæ poſt prædicta priuilegia poſſint eorum vigore abſolui.2.qui Prælati, & Superiores poſſint abſoluere à dictis caſibus, & an Vicarius relictus à Correctore. 3. An confeſſor eligendus à ſubditis ſemel in vita, vel quater in anno debeat eſſe approbatus à Superioribus, quibus tale munus incumbit, an verò ſufficiat, quòd ſit ſimplex ſacerdos.

24 Ad 1.R.dicta priuilegia ſe extendere ad abſoluendum etiam à caſibus poſt illorum conceſſionem reſeruatis. Ita Suar.tom.4.de Relig.tract. 1. libro 2. cap. 21. num. 3. Probatur, quia ſenſus illorum priuilegiorum non eſt, per ea dari facultatem ad abſoluendum ab illis peccatis, quæ tunc ſunt reſeruata, quando priuilegium conceditur, ſed ab illis, quæ tunc ſunt reſeruata, quando fit confeſſio, & quando abſolutio præſtanda eſt;ergo licèt reſeruatio ſit poſterior, nihil refert. Probatur antecedens in primis quia Papa hoc ſenſu poteſt ſuam iuriſdictionem delegare, quia poteſt facere delegationem de ſe perpetuam .i. quamdiù reuocata non fuerit. Quòd autem hoc ſenſu intendat concedere, probatur, quia concedit illa priuilegia vt perpetua & generalia ad omnes caſus reſeruatos; non poſſent autem eſſe talia, niſi ea intentione concederentur. Adde quia hæc priuilegia ſunt abſoluta, & ſimpliciter fauorabilia; Ergo non reſtringenda, ſed amplianda potiùs,iuxta regulam *Odia reſtringi:fauores conuenit ampliari*. Neque obſtat, quod dicunt Graff. de 5. caſibus reſeru. cap.5. num. 17. 18. & Chapeauille de caſibus reſeru.caſu 14.quæſt.3.difficul. 2. nimirum quòd conceſſio facta Epiſcopis ſeſſ. 24.de reformat. cap. 6. non extenditur ad caſus poſt Tridentinũ reſeruatos, atque ita declaraſſe ſacram Congregationem Concilij. Quia, dato, quòd dicta declaratio vera ſit, de quo poteſt dubitari, eſt diſpar ratio inter Epiſcopos,& Prælatos Religionis in ordine ad vtrumque ſubditos, vt dixi ſupra n.17.Quæ etiam vera exiſtimo,niſi aliud habeat praxis Curiæ Romanæ, cui omninò conformari debemus.

25 Ad 2.dico, poſſe Generales, Prouinciales,& eorum Vicarios, ac etiam Correctores, ſeu locum Correctoris obtinentes,nimirum Vicarios ordinarios Cõuentuum, Correctores non valentes propter exiguitatem ſuſtinere, & etiam Vicarios Correctoris loco defuncti, vel priuati, vel ad longum tempus abſentis. Ita colligitur ex tenore dictorum priuilegiorum, præſertim Iulij 2.§.9.

26 Difficultas eſt, an Vicarius relictus à Correctore, qui debet abeſſe à Conuentu per vnum diem naturalem,poſſit prædicta facultate vti.Vide Sigiſm.de elect. dub. 77. à numer. 6. Cenſet, quòd ſic Naldus in ſum. verbo Abeſſe, num.11.& verbo abſolutio, num.25.Et affert rationem, quia non eſt detinendus ſubditus in tam malo ſtatu,ſed ab eo, quàm citiùs poſſit, liberandus. Quæ ratio non valeret in ſubdito,qui de induſtria ſine ſufficienti cauſa diſtuliſſet. Potior ratio videtur poſſe fundari in tenore priuilegiorum, in quo poteſtas abſoluendi conceditur Generalibus, Prouincialibus,& Correctoribus, ac eorum Vicarijs. Et cum priuilegia iſta vt purũ fauorem concedentia amplianda ad hunc caſum puto poſſe extendi; cum tunc Vicarius relictus à Correctore ſit ſolus, & abſolutus Superior illius Conuentus, vnde debet habere illa omnia, quæ pro recta illius Monaſterij adminiſtratione ſunt neceſſaria, inter quæ ſine dubio eſt poteſtas ſpiritualis; Secùs autem eſt de Vicario relicto à Superiore eodem die reuerſuro.

27 Ad 3.dico, quòd confeſſor eligendus à ſubditis non debet eſſe ſimplex ſacerdos, ſed debet eſſe admiſſus ad confeſſiones audiendas ab habente auctoritatem, dicitur enim hoc §.Vt poſſit quilibet eligere confeſſorem eorumdem Ordinum, &c.& non dicit ſacerdotem,aut presbyterum. Ita Suar.tom.4.de Relig. tract.1.lib.2.c.19.num.7.

28 Sed dubium hic eſt, an confeſſores Prælatorum debeant eſſe approbati ab habentibus auctoritatẽ.Pro hoc dubio ſciendum eſt, quòd approbare ſacerdotes in Ordine noſtro ad confeſſiones fratrum audiendas ad Generalem, & Prouinciales dumtaxat ſpectat, vt patet ex Correctorio num.79. Vnde non eſt dubium, quòd poteſt Generalis, & Prouincialis eligere ſibi in confeſſorem quemlibet ſacerdotem, etiam aliàs non approbatum; nam ſic eligendo, eum approbare videtur, ſaltem pro perſona ſua. De Correctoribus maius dubium eſt, cum ad ipſos approbare confeſſores non ſpectet. Dico tamen nihilominus, poſſe Correctores eligere ſibi in confeſſarium quemlibet ſimplicem ſacerdotẽ,etiam à Prouincialibus, vel Generalibus ad id non approbatum, qui eos abſoluat ab omnibus caſibus, & cenſuris, à quibus poſſent ipſimet Correctores abſoluere. Habetur clarè in noſtro Correctorio n. 84. ibi, *Poterunt vnum ex fratribus eiuſdem Ordinis presbyterum idoneum in ſuum confeſſorem quoties opus fuerit,eligere*. Et colligitur ex conſtitut.2. Iulij II. §. 9. ibi, *Fratres etiam veſtri, quos pro tempore habueritis in confeſſores*; non dicit, Confeſſores, quos pro tempore elegeritis; Non

pote-

Digitized by Google

poterunt tamen dicti ſacerdotes à Correctoribus ſic electi aliorum fratrum confeſſiones audire, quia vniuerſaliter approbare ad Generalem, & Prouincialem ſpectat. Immò nec poterunt, etiamſi eligantur a Generali, vel Prouinciali, niſi ſe iſti declarent; Nam cum pœnitens doctus poſſit ſupplere defectum ſcientiæ confeſſarij, erit quis idoneus confeſſor Prælati docti, qui non erit idoneus pro alijs minus doctis.

§. VI.

29 NOta, quòd idemmet Pontifex hanc reſtrictionem relaxauit per 2. conſtitutiones, quas refert Rodriquez in ſuo bull. in Sixto IV. bulla eius 21. & 22. pag. 167. quarum vnam habes immediatè poſt iſtam. Atque ita hanc facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, & diſpenſandi ſuper irregularitatibus conceſſam Regularibus in mari magno, & alijs priuilegijs habent non ſolùm Generales, ſed etiam Prouinciales, & Correctores locales, ac iſtorum omnium Vicarij, prout dixi ſupra num. 25. 26.

§. VII.

30 NOto ſtatuere in hoc §. Sixtum, quòd Moniales fruantur omnibus priuilegijs conceſſis fratribus, quatenus earum ſexui non contradicant. Et quòd iiſdem fruantur omnes perſonæ tertij Ordinis, ſeu tertiarij. Quoniam verò hic tertiariorum incidit ſermo, materiam hanc ſatis de ſe intricatam ob conſtitutionum, & tertiariorum varietatem hic dilucidare pro poſſe ſtatui, & quæ his temporibus de tertiarijs cenſendum ſit decernere.

31 Sciendum ergo, quòd tertiarij fuerunt, & ſunt in multiplici differentia. Aliqui enim ſunt tertiarij in Religione viuentes, tria vota Religionis eſſentialia vouentes ſub Prælatorum obedientia, quibus Leo X. per ſuam conſtitut. quæ incipit, Inter cætera, apud Cherub. tom. 1. bull. conſtitut. eius 42. pag. 541. accommodauit regulam datam à Sancto Franciſco Aſſiſienſi, & approbatam a Nicolao IV. prout refert Cherub, tomo 1. bull. in Nicolao IV. conſtitut. eius 2. quæ incipit, Supra montem, pag. 126. Quos, & reformauit Pius V. per ſuam conſtit. quæ incipit, Ea eſt, apud Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. conſtit. eius 63. pag. 258. Et quibus habitum formæ, & coloris noſtri Ordinis in partibus Hiſpaniarum gerentibus abſtulit Paulus V. per eius conſtit. quæ incipit, Inter graues, & habes infra in eo, conſtit. 6. Et iſti ſunt verè Religioſi, & fruuntur omnibus priuilegijs, gratijs, & indultis, quibus cæteri Ordinis S. Franciſci fratres, vt expreſsè declarauit Pius V. in dicta conſtitut. Ea eſt, §. 16.

32 Alij erant tertiarij, qui 3. vota eſſentialia faciebant, ſed non viuebant in Religione, ſed in Eremitorijs de licentia Superiorum, de quibus Soſa in tract. de profeſſ. tertiar. pag. 201. Et iſti fuerunt ſublati in Concil. Lateranen. ſub Leone X. vt ex conſtit. eius 26. §. 21. infra.

33 Alij ſunt tertiarij omnium ſtatuum ſæculares, tam viri ſ. quam fœminæ, etiam coniugati, qui in proprijs domibus habitant, & obſeruant Regulam datam pro vtriuſque ſexus perſonis à S. Franciſco Aſſiſiẽſi, & à B. P. N. Franciſco de Paula. Et hanc Regulam quò ad huiuſmodi tertiarios pro Minoribus approbauit Nicolaus IV. per conſtitut. citat. quæ incipit, Supra montem, & pro Minimis approbauit Iulius II. in conſtit. eius 1. §. 16. & formam profeſſionis eis dedit conſt. eius 18. §. 2. infrà. Et iſtos in Concil. Lateranen. ſub Leone X. infra conſtitut. eius 26. §. 21. declaratum fuit eſſe verè ſæculares, & quòd ad onera laicis debita tenerentur, & quòd deberent conueniri coram ſuis Iudicibus, & quòd ſolùm quò ad ſacramentum pœnitentiæ exemptione fruerentur, vt ibi dicitur. Ex quo ſequitur, quòd poſſunt frui omnibus gratijs ſpiritualibus ad ſacramẽtum pœnitentiæ pertinentibus, quibus fruuntur ipſi fratres, vt ait Caſarub. in comp. verbo Tertiarij fratres, & ſorores, pag. mihi 526. verſu Aliter breuius. Non poſſunt autem fratres, quorum tertiarij ſunt, eis ægrotantibus in proprijs domibus ſacramenta Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis miniſtrare. Neque ſi decedunt; corpora eorum abſque Parochorum licentia leuare, quia merè ſæculares ſunt, & ſolùm gaudent priuilegijs quò ad ſacramentum, vt dixi, pœnitentiæ. Confeſſores verò regulares dictorum confeſſiones audientes debent eſſe ab Ordinarijs approbati, iuxta decretum Congregat. quod habes hic infra numero 39. Videatur Vgol. de poteſtat. Epiſcop. cap. 10. § 11. num. 4.

34 Alij ſunt tertiarij cum fratribus clauſtralibus habitantes, & Regulam tertiariorum profitentes, de quibus multi ſunt in noſtra Religione, habitum noſtrum induentes, cæteraque quæ fratres, obſeruantes. Et iſti fruuntur omnibus priuilegijs, quibus cæteri fratres, per Concil. Lateranen. cit.

35 Aliæ erant tertiariæ, quæ collegialiter viuebant, ſed ſine votis. Et iſtas per conſtit. Pij V. quæ incipit, Circa paſtoralis officij, & refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. conſtit. eius 8. pag. mihi 184. iuſſi ſunt Ordinarij hortari vnà cum earum Superioribus, vt votum ſolemne profeſſionis emitterent, ac poſt dictam profeſſionem coactæ fuerunt ſubijcere ſe clauſuræ. Quæ autem dictum votum emittere noluerunt, prohibitæ ſunt alias in poſterum in ſuas Congregationes recipere. Et nunc ſi aliquæ tales reperiantur, poſſe prohiberi, ne in Congregatione maneant, niſi profeſſionem emittant, declarauit ſacra Congregatio anno 1596. die 22. Ianuarij, vt refert Piaſec. in ſua praxi. p. 2. c. 3. ſub num. 57.

36 Aliæ ſunt tertiariæ, quæ Beatæ dicuntur; & ſunt illæ, quæ obſeruant Regulam tertiariorum, & faciunt votum caſtitatis ſolummodò, nec collegialiter viuunt, ſed in proprijs domibus. Et iſtas voluit Concil. Lateranen. cit. frui omnibus priuilegijs, quibus fruuntur tertiarij regulares, non obſtante, quòd ſint verè ſeculares.

37 Fuit deinde verſum in dubium, an ſub illo voto caſtitatis includerentur alia duo. Et dicebant aliqui, quòd ſic, & quòd per hoc Concil. conceſſerat illis exẽptionem. Negabant alij. Vnde negotium deductum eſt ad Papam, & fuit ab eo petita ſolutio duorum dubiorum. Primùm, an in dicto voto caſtitatis, quod agebant Beatæ, includerentur alia duo. & dato quòd non includerentur, an reuocatum eſſet priuilegium exemptionis conceſſum illis à Leone X. loco cit. per bullas Pij V. quæ incipit, Ea eſt officij noſtri, apud Cherub, tomo 2. bull. in Pio V. conſtitut. eius 63. pag. 258. & Gregorij XIII. quæ incipit, Ex benigna, quam refert Conſett. in comp. priuil. in Gregorio XIII. conſtitut. eius 7. pag. 204. Et fuit horum dubiorum ſolutio remiſſa ſacræ Congregationi Concilij, quæ anno 1608. declarauit, dictas Beatas debere gaudere exemptione eis conceſſa à Concil. Lateranen. & quòd in ſuo voto caſtitatis non includuntur alia duo; Decretũ autẽ Congreg. refert Soſa in trac. profeſſ. tertiar. pag. 202. in hæc verba.

38 *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Triden. interpretum conſulta reſpondit. Fratres tertiarios, mantellatos, corrigiatos, alioſque ſimiles ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, priuilegijs potiri, et ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter viuant, ſeu cum clauſtralibus habitent, et mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, et ſub dicto habitu vitam traduxerint. Quemadmodum cauetur conſtit. Concil. Lateranen. ſub Leone X. quæ habetur ſeſſ. vndecima in fine. Hoc autem mulierum voto alia duo ſ. paupertatis, et obedientiæ nequaquam includi; Quinimmò huiuſmodi mulieres ſi vitam virginalem, aut cœlibem ſimpliciter, expreſsèque vouerint, etiam in conſanguineorum, et affinium ſuorum, aut proprijs domibus, vel ſeorsìm habitantes, ſupradictis priuilegijs Ordinis, cuius tertiæ Re-*

gulæ

gulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarij iuriſdictione f.ui debere: quemadmodũ idẽ Leo poſtea declarauit cõſtitutione edita die . Martij anno MDXVIII. Quòd ſi fratres, ſororesuè tertij Ordinis quid ampliùs prætendunt vigore conſuetudinis; poſſe ius ſuum proſequi in iudicio ordinario. Hieronymus Cardinalis Pamphilus, Ioannes Franciſcus Fagnanus ſacræ Congregationis Concilij ſecretarius. Romæ ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. MDCVIII.

39 Sed quia, non obſtante tali declaratione, adhuc oriebantur in dies multæ controuerſiæ, ideò Congregatio Regularium, & Epiſcoporum ita declarauit. *Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Epiſcoporum, et Regularium, etc. ſtatuit, iuxtà multas eiuſdem Congregationis reſponſiones, non poſſe ſacerdotes regulares audire confeſſiones ſacramentales mulierum tertij Ordinis, quæ de pœnitentia dicuntur: niſi ab Ordinario approbati fuerint ad confeſſiones ſæcularium audiendas, neque poſſe illas communicare in Paſchate. Quò ad ſepulturam autem, et alia priuilegia, fratres tertiarios, et ſimiles ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, priuilegijs potiri et ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter viuant, ſeu cum clauſtralibus habitent, et mulieres virginalem, ſeu cœlibem aut caſtam vidualem expreſſo voto, et ſub dicto habitu vitam traduxerint, prout cauetur conſtitutione Concilij Lateranen. ſub Leone X. quæ habetur ſeſſ. vndecima in fine; Hoc autem mulierum voto alia duo .ſ. paupertatis, & obedientiæ non contineri. Et decedentes ſine electione ſepulturæ ita demum in Eccleſijs Ordinum ſui habitus ſepeliantur, ſi communis ſepultura pro ipſis in eis reperiatur, aliàs in parochialibus ſepeliantur. Ad habitum admittantur à Superioribus regularibus, exceptis Capuccinis, ad id priuilegium habentibus. Ad illum autem non admittantur, niſi ſpectatæ vitæ fuerint, & annorum ſaltem quadraginta quæ de proprio habeant, vt indè ſufficienter viuere poſſint, & non cum alijs viris, quàm cum conſanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu ſibi coniunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia priùs impetrata, qui non aliter eam concedat, quàm ſi ei de prædictis qualitatibus, diligenti præuio examine, conſtiterit. In habitu verò deferendo omninò abſtineant à velo ſupra caput, quod ſuperiutum vocant, à pectorali, vulgò ſottogola, & à patientia. Supradictis verò decretis mulieres tertij Ordinis, quæ collegialiter viuunt, non comprehendi; quinimmò eas diſpoſitioni conſtitutionis Pij V. quæ incipit, Circa paſtoralis, penitus ſubiacere expreſſè declarat. Non obſtantibus, &c. ſub Datum Romæ xx. Decembris MDCXVI.*

§. VIII.

40 NOto 1. quòd in conformitate iſtius priuilegij adeſt aliud eiuſdem Sixti pro Carmelitis, vbi prohibentes ipſis fieri eleemoſinas ſunt ipſo facto excommunicati, & quòd contra tales poſſunt Rectores Ordinum Mendicantium, & Auditor Cameræ Apoſtolicæ, ac Inquiſitores hæreticæ prauitatis, ſicut contra hæreticos procedere. Ita refert Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. qu. 57. art. 7. Et ſacra Cardinalium Congregatio anno Domini 1587. die 8. Iulij ita declarauit. *Fratres mendicantes nullatenus à quæſtuatione, quæ de licentia ſuorum Superiorum fit, & in dies fieri continget prohibeantur*. Poſſumus etiam in terris excommunicatorum eleemoſinas petere, per priuilegium Iulij II. conſtit. eius 2. §. 8. Et quòd non poſſint Regulares mendicantes prohiberi colligere frumentum, vinum, &c. etiam antequam Rector parochialis collegerit ſibi debitas primitias, declarauit ſacra Congregatio ad inſtantiam Rectorum Bononienſis Diœceſis, vt habes intrà in conſtit. 7. Pij V. §. 10. numero 12. ad 13.

41 Noto 2. quòd Bonifacius IX. conceſſit fratribus Prædicatoribus circa eleemoſynas petendas id ipſum, quòd illis conceſſum erat à ſuis prędeceſſoribus. Et inſuper prohibuit omnib. vtriuſq; ſexus aſſerere, ipſos Religioſos non eſſe in ſtatu perfectionis, & non eſſe licitum ipſis de eleemosynis viuere: Quòdq; quæſtuãtes nomine ipſorum falſo tamquam falſarij capiantur ab Ordinarijs, & cõdemnentur. Et ſimiliter prohibuit quòd nullus illis prohibeat in ſuis Eccleſijs celebrare, & oblationes in miſſis, vel alijs, ad altare ipſorum prouenientes recipere, & conuertere in ſuos vſus iuxta morem ſui Ordinis. Et quòd ipſo facto ſint excommunicati omnes contrafacientes, non abſoluendi, niſi Sedi Apoſtolicæ perſonaliter ſe præſentent. Ita refert Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 57. art. 8.

42 Noto 3. quòd his non obſtat Concilium Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 9. & ſeſſ. 5. de reform. c. 2. fine Quatenus quæſtorum nomen abolendum ſtatuit, nam loquitur de his, qui eleemoſynas prædicando quærunt: vel publicando indulgentias conceſſas eis; qui manus adiutrices pijs locis porrexerint, quorum ipſi ſunt quæſtores. Ita Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 57. artic. 7. Nauarr. miſcell. 66. de orat. numer. 7. Quaranta in ſum. bull. verbo Archiepiſcopi auctoritas, num. 26. fine. Addo, quòd ita declarauit Pius V. conſtit. eius 7. infra §. 17. Quæ declaratio non eſt reuocata per Bullam Gregorij XIII. In tanta, vt dico in dicta conſtit. Pij V. num. 3.

43 Ex quo patet, quòd poſſint Regulares mendicantes omnino eleemoſynas quærere abſque Epiſcoporum, & Curatorum licentia. Quod dicit etiam Franciſcus Leo in theſau. p. 4. cap. 2. num. 147. Immò quòd iſti ſub pęna excommunicationis ipſo facto id eis impedire non poſſint. Poſſunt tamen Epiſcopi velle ſibi fieri fidem per literas authenticas de licentia ſuorum Superiorum ad quæſtuandum. Quod dicitur etiam declaraſſe ſacram Congregationem in hæc verba. *Congregatio Concilij cenſuit, Regulares mendicantes teneri ad oſtendendam Ordinario licentiam quærendi eleemoſynas, à ſuis Superioribus ſibi datam*. Ita refert Paulus Piaſec. in praxi epiſc. p. 2. c. 3. n. 47. Sed quoniam populi vt plurimùm non dant libenter eleemoſynas, ſeu liberaliùs dant, ſi ab ipſorum Curatis id illis ſuadeatur, & Curati nolint dictas eleemoſynas ſuis populis ſuadere, niſi eleemosynarum collectores licentiam priùs obtinuerint à proprijs Epiſcopis, indè eſt, quòd Epiſcopi ſoleant quandoque dictas licentias concedere. Sed in hoc debent DD. Epiſcopi eſſe multum faciles, nam illa non eſt propriè licentia, ſed potiùs perſonæ approbatio. Multi enim non rarò lucri rabie ducti fingunt eleemoſynas quærere pro Religione, & quærunt pro ſe ipſis. Quod ſæpiùs contingit in fratribus fugitiuis, & apoſtatis, falſificantibus etiam ad hoc manus, & ſigilla Superiorum ſuæ Religionis. Et multi quandoque quærunt eleemoſynas pro Religione, quam vident eſſe in deuotione illis populis, à quibus quærunt, cùm ipſi tamen illius Religionis non ſint. Et multi etiam ſæculares fingunt, ſe quærere pro tali loco pio, & ſibi quærunt. Et ideò puto eſſe laudabile, quòd Parochi in Pagis, & Villis non ſinant, vllos eleemoſynas quærere, qui non habeant licentias ſuorum Superiorum. Et ſi quærentes non ſint ipſis Parochis bene noti: vel ſi dubitent de dolo; (quod ad illorum conſcientiam, & prudentiam remittitur) ſi non habeant dictam licentiam à proprijs Epiſcopis approbatam; multa enim in dies oriuntur ſcandala ex Parochorum huiuſmodi negligentia, quæ in perniciem ſanctorum Religioſorum in Monaſterijs Deo die, noctèque ſeruientium cedunt. Congruunt hęc Clem. Abuſionibus, de pen. & re.

§. IX.

§. IX.

44 ADuerte, quòd ſi aliqui fratrum obtinerent aliquãdo literas ab Apoſtolica Sede, quibus eſſent habilitati ad obtinenda vnum, vel plura eccleſiaſtica beneficia in titulum, vel cõmendam, & interim quòd obtinerent, poſſent ſeruire pro capellanis aliorum beneficiatorum, quòd iſti tales ſtatim ac dicta beneficia obtinuerint, vel cœperint pro capellanis ſeruire, non poſſent gaudere gratiis Ordinis, nimirum in Conuentibus degere, cellas ſuas retinere, voce actiua, & paſſiua frui, niſi de licentia Prælatorum Ordinis. Idem dic de iis, qui ad Epiſcopatum promoti fuerint. Refert etiam Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 34. art. 5. conceſſionem Calixti III. qui ſtatuit, & ordinauit, quòd nullus Religioſus cuiuſcumque Religionis, etiam Mendicantium, beneficia ſecularia, ſeu regularia quouis modo in titulum, vel commendam pro tempore habens, poſſit Capitulis generalibus, vel prouincialibus, ſeu Cõgregationibus, ſeu negotiis, vel officiis aut aliis adminiſtrationibus Ordinis (niſi Generalis pro tempore conſenſu interueniente) quomodolibet admitti, ſub excõmunicationis pena, quam admiſſi & admittentes ipſo facto incurrant. Et Paulus IV. per ſuam conſt. quã refert Rod. in ſuo bull. in Paulo IV. cõſt. eius IV. ſtatuit *quòd nullus cuiuſcunque Ordinis, ſeu Religionis profeſſor, Epiſcopus, ſeu Archiepiſcopus, poſtquam munus conſecrationis huiuſmodi ſuſceperit, etiamſi à vinculo Eccleſia, cui præfuerat, per Sedem Apoſtolicam abſolutus, eique quòd in Ordine ſuo permaneret, & ad dignitates, ac officia, & ſuperioritates huiuſmodi aſſumi, eaque obtinere poſſe per Sedem eamdem, ſeu illius auctoritate conceſſum foret, ad dignitates, aut officia, ſeu ſuperioritates huiuſmodi, cuiuſcumque qualitatis exiſtant, & quouis nomine nuncupentur, eligi, ſeu aſſequi, aut obtinere nullatenus poſſit, & ineligibilis, atque ad ea obtinenda perpetuò inhabilis exiſtat.*

45 Si quæras, an Regulares ſint capaces ex ſe abſque diſpenſatione Papæ beneficii curati ſecularis in titulũ. Id fuiſſe inter Doctores aliquando controuerſum, vt conſtat ex his quæ fusè diſputa. Sanch. 7. in decal. c. 29. n. 34. 35. Sed nunc eſt cõmuniſſima ſententia, non poſſe Regularem habere beneficiũ curatũ, nec in perpetuũ nec ad tempus abſque diſpenſatione Papæ, & in praxi ita ſeruatur, vt ait Sanchez loc. cit. num 71. Quod ego ſemper fuiſſe verum credo; tum quia id tenuerunt grauiſſimi Canoniſtæ; Archidiaconus in cap. Cum ſingula, nu. 3. verſu Eccleſiis, de preb. in 6. Rebuffus in praxi benef. tit. de diſpenſ. cum regul. num. 5. pag. mihi 299. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 34. art. 3. qui contrarium videtur dicere tom. 3. q. 28. art. 3. & alii multi apud Sanchez loc. citato num. 34. Quos tamen ipſe de iure antiquo non ſequitur; tum quia id videtur contra ſtatum ſuæ profeſſionis; quæ dicit abdicationem omnis proprietatis, & omnium annuorum redditũum; tum quia id illis vetatur expreſsè in iure, cap. Monachi, de ſtatu Monach. tum quia id colligitur expreſsè ex hoc §. & ex §. 11. conſtitut. 2. Iulii II. infra, in quibus id ſupponitur; tum quia id etiam non obſcurè tradit Trident. ſeſſ. 14. de reform. capit. 11. Nouiſſimè autem etiam colligitur ex decretis Clementis VIII. pro reformatione Regularium, quæ habes infrà in Vrbano Octauo conſtitut. eius 10. numero 49. vbi habetur *Ineatur ratio, qua, ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conuentus clauſtra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, niſi ex grauiſſima cauſa, à Sede Apoſtolica probanda, huiuſmodi facultates concedi poſſint*; tum denique quia, vt refert Quaranta in ſum. bull. verbo Canonicus regularis, pag. mihi 150. Cong. Conc. de mente Greg. XIII. id expreſsè declarauit in hæc verba. *S. D. N. Gregorius XIII. noluit licere Canonicis regularibus Congregationis Lateranenſis, etiam de licentia ſui Generalis, abſque permiſſu ſummi Pontificis aſſumere curam animarum, etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus.* Per quam declarationem derogatum eſſe videtur cap. Quod de timorem, de ſtatu Monach. in quo id dictis Canonicis concedebatur. Videatur Suar. tomo 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 19. Vide Garciam de benef. p. 7. cap. 1.. à num. 17.

46 Quæres 2. an Regularis abſque diſpenſatione Papæ ſit capax beneficii ſimplicis ſecularis.

Reſpondet Sanchez 7. in decal. cap. 29. nu. 75. negatiuè per multa, quæ ibi affert. Et hoc etiamſi eſſet diſpenſatus ad beneficium curatum, Riccius 2. p. praxis reſol. 410. num. 5.

47 Quæres 3. an Regularis abſque dicta diſpenſatione ſit capax penſionis habendæ.

Reſpondet Sanch. loc. cit. nu. 94. non eſſe capacem, quia ita habet vſus Romanæ Curiæ.

48 Quæres 4. an poſſit Regularis eſſe Vicarius Epiſcopi.

Reſpondet affirmatiuè Sanch. 6. in decal. c. 13. n. 88. quia id nullo iure vetatur, & poteſt ad libitum Superioris reuocari. Sed id iam vetitum videtur in cit. decretis Clemẽtis VIII. & Pauli V. quod adduco to. 1. Relig. quæſt. 1. cap. 23. Et tenet etiam abſque hoc Riccius 2. p. praxi reſol. 351. num. 1.

§. X.

49 QVæ hoc §. conceduntur Regularium Superioribus, vt poſſint Inquiſitores delinquentes, etiam in officio inquiſitionis, punire, etiam eos à dicto officio amouendo, vacare omninò putat Penna in direct. Inquiſit. p. 3. comm. 58. & comm. 61. verſu. Quòd ſi quæras. Et id pertinere ad Illuſtriſs. Cardinales inquiſitores generales, ad quos etiam ſpectat dictos Inquiſitores inſtituere, & deſtituere. Si autem delinquant in iis, quæ obſeruantias, & vota ſuæ Regulæ concernunt, poſſunt à Prælatis ſuæ Religionis puniri. Eymericus 3. part. direct. quæſt. 12.

CONSTITVTIO V.

Reuocat particulam bullæ aureæ, id eſt 4. huius Pontificis, §. 6. ſuper abſolutionem, & diſpenſationem fratrum obtinendam à Generali ſolùm, & dictam facultatem eos habere decernit, qui eam habebant, antequam dicta bulla aurea emanaſſet.

SIXTVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Vicariis fratrum obſeruantiæ Hiſpaniæ, & Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, ac omnibus Prioribus, & Vicegerentibus eorumdem fratrum ipſis Vicariis ſubiectis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

QVoniam omnes Ordinis veſtri de obſeruantia fratres pro eorum abſolutionibus, & diſpenſationibus obtinendis ad Magiſtrum generalem præfati veſtri Ordinis ire tenentur, & obligantur, iuxta tenorem bullæ aureæ nuncupatæ, in qua talis reſtrictio opponitur, idque fratribus ipſis magno ſit incommodo, Statuit prout in ſummario.

Digitized by Google

modo, propter varios diſcurſus pro quaque re faciendos. Volentes eorum commoditati, & quieti in hoc conſulere, ſupplicationibuſque in hac parte nobis porrectis inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum facultatem, & poteſtatem concedimus abſoluendi, & diſpenſandi cum fratribus ipſis ſicuti aliàs ex priuilegio, quod dicitur Mare magnum, facere poteratis, antequàm talis bulla aurea nuncupata emanaſſet. Illa, cæteriſque contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 28. *Maij MCCCCLXXXI. Pontific. noſtri anno decimo.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

NOto, quòd ſimilem aliam conceſſionem, & declarationem fecit idem Sixtus pro fratribus Prædicatoribus, quam refert Rodriq. in bullar. in Sixto IV. conſtit. eius 22. in qua dat facultatem abſoluendi, & diſpenſandi Generali, & Prouincialibus, ac eorum Vicarijs, & illis, quibus hoc committendum præfati duxerint. Prioribus verò conuentualibus concedit, vt habeant ſolùm eam facultatem, quam per priuilegia habebant ante emanationem bullæ aureæ.

CONSTITVTIO VI.

Concedit, vt fratres cum itinerauerint; vel extrà Conuentum erint de licentia ſuorum Prælatorum, poſſint confiteri ſacerdotibus quibuſcumque ſecularibus, vel regularibus.

SIXTVS PAPA IV.

Dilectis filijs Vicario, ac Prælatis Conuentuum, ac Monaſteriorum reformatorum, & reformandorum Congregationis Prouinciæ Caſtellæ, & Legionis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§.I. *SVpplicari nobis humiliter feciſtis, vt, cum in conſtitutionibus, & priuilegijs veſtri Ordinis expreſſè caueatur, ne fratres Ordinis eiuſdem, præterquàm ſuis Prælatis, & eorum licentia, fratribus dicti Ordinis confiteantur, dignaremur concedere, vt aliquando alterius Ordinis ſacerdotibus, maximè neceſſitate exigente, poſſint confiteri.* Supplicatio. Vide tomo 1. Religioſi q. 1. c. 21. à concluſ. 7. pag. 229.

§.II. *Nos vt cum maiori animi quiete, & conſcientiæ pace fratres vobis ſubditi Altiſſimo famulari poſſint, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vt fratres, veſtra, vel aliorum Prælatorum, & ſuorum, qui pro tempore erunt, licentia, ſolummodò tamen cum itinerauerint, vel fuerint extra Conuentus eorum, prout eis concedetis, confiteri poſſint, & vos quomodocumque ſacerdotibus cuiuſcumque ſecularis, vel regularis Ordinis confiteri valeatis, tenore præſentium auctoritate Apoſtolica concedimus, & indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vndecima Auguſti, anno MCCCCLXXIX. Pontific. noſtri anno ix.* Concedit prout in ſūmario.

NOta, quòd hìc eſſet transferenda conſtitutio Sixti IV. de auctoritate Protectorum, quam ponit Paſſarell. in noſtris conſtit. quæ incipit, Sancta Minorum Religio; confirmata à Iulio II. & Gregorio XIII. vt refert Rodriq. in bull. in Gregorio XIII. conſtitut. eius 4. pag. 454. & à Paulo V. per ſuam conſtit. 53. quæ incipit, Cum ordo, apud Cherub. tomo 3. bull. pag. 243. Sed quia eam video parum obſeruari, & retuli ad verbum tom. 1. Religioſi, quæſt. 1. cap. 18. §. 3. ideò eam hic omiſi, ne liber abſque vel paruo fructu, creſceret cum iactura. Omiſi hic etiam conſtitutionem huius Pontificis, quæ incipit, Sacroſancta, quòd fratres tertii Ordinis Minorum gaudeant priuilegiis, quia eam habes infra in conſtitutione prima Leonis X. ad noſtros tertiarios ſpecialiter extenſam.

INNOCENTIVS VIII.

Italus Genuenſis, Aaronis de Cibò filius, Anno Dom. 1484. die 29. Auguſti ad ſummum Pontificatum aſſumptus dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO VNICA.

Confirmat priuilegia Pyrrhi, & Sixti IV. ex certa ſcientia.

INNOCENTIVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs F. Franciſco de Paula, cæteriſque fratribus eremitis eremitorij Sancti Franciſci de Paula Conſentinenſis Diœceſis præſentibus, & futuris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmiū. *PAſtoris officium nobis, licet immeritis, diuina diſpoſitione commiſſum, noſtram continuè mentem excitat, & inducit, vt ad ea ſollicitè attendamus, quæ diuini cultus augmentum, & piorum locorum, aut in illis perſonarum, ſub humili, & religioſo habitu vacantium commodum, & vtilitatem reſpiciunt, & ea, quæ propterea à Sede Apoſtolica proceſſiſſe comperimus, vberioris Apoſtolici muniminis adminiculo fulcire ſatagimus, vt eo firmius illibata perſiſtant, quò ſæpius fuerint eiuſdem præſidio Sedis communita.*

§.I.

Conſt. conſtit. 2. Sixti IV.

§. 1. *Dudum ſiquidem à fel. rec. D. Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro literæ emanarunt tenores ſubſequentis. Sixtus Epiſcopus, &c. Sedes Apoſtolica, &c.* vt ſup. in conſt. 2. Sixti IV.

Supplicatio.

§. 2. *Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, à nonnullis de laudis, approbationis, confirmationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, conceſſionis, & indulti prædictorum iuribus hæſitari poſſet, vos ad tollendum omnem perſonarum hæſitationem, præmiſſa omnia, & ſingula, ac pro eorum ſubſiſtentia firmiori cupiatis noſtræ approbationis munimine roborari.*

Confirmat ex certa ſcientia priuileg. Pyrrhi, & Sixti.

§. 3. *Nos veſtræ Congregationis, ac perſonarum eiuſdem ſtatum proſperum, & tranquillum paterno zelantes affectu, in hac parte ſupplicationibus inclinati, dictas, & præinſertas dicti prædeceſſoris literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta recenſentes, laudem, approbationem, confirmationem, communitionem, ſuppletionem, decretum, exemptionem, liberationem, ſuſceptionem, voluntatem, conceſſionem, & indulta huiuſmodi, ac, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in iiſdem literis contenta, & narrata, auctoritate Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium de nouo confirmamus, ac approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Necnon omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in eiſdem conceſſionibus, donationibus, gratiis, & indultis, ac in prædeceſſoris præinſertis, ac Archiepiſcopi prædictorum literis huiuſmodi contentis, quæ aliàs præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodolibet interuenerint, auctoritate, & ſcientia ſimilibus ſupplemus.*

Deputat Commiſſarios.

§. 4. *Nihilominus vniuerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Succeſſoribus, aliiſque perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, ac Canonicis Eccleſiarum Cathedralium committimus, & mandamus, quatenus ipſi, plures, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas noſtras, vbi, & quando, quoties expediens fuerit, & pro parte veſtra, aut alicuius veſtrum fuerint requiſiti deſuper hoc, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis opportunæ defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant, vos, aut aliquem veſtrum, ſeu loca, & bona veſtra contra præſentium, & prædictarum dicti prædeceſſoris litterarum tenorem quomodolibet moleſtari; moleſtatores, & contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticã, & alia iuris remedia cõpeſcendo.*

Derogat contrariis.

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ prædictus prædeceſſor in ſuis literis præinſertis voluit non obſtare, contrariis quibuſcumque aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à Sede prædicta indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſã, ac de verbo ad verbũ de indulto huiuſmodi mentionẽ.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. *Cæterùm quia difficile eſſet præſentes literas ad quæcumque loca, in quibus illæ forent neceſſariæ, transferri, volumus, & auctoritate noſtra decernimus, quòd earum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, vel alterius Prælati munitis, prorſus in iudicio, & extra fides plenaria adhibeatur, & illis ſtetur in omnibus, & per omnia, ſicut originalibus adhiberetur, & eis ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Decretum irritans.

§. 7. *Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, præſentibus, perpetuis, futuris temporibus duraturis. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ* 1485. 10. *Kal. Aprilis, Pontific. noſtri anno* 2.

§. IV.

1 NOto 1. quod ad illam clauſulam *Quoties expediens fuerit*, quòd iſta clauſula continet æquitatem, & vtilitatem. Archidiac. in cap. Cum expediat, de elect. in 6. Colligitur ex cap. Non ſolùm, de regul. eod. lib.

2 Noto 2. quò ad illam clauſulam *Contradictores*, &c. quòd intelligitur de iis, qui contradicunt de facto, non de iure. Ita Felin. in cap. Super eo, numero quinto de off. deleg. & in cap. Cauſam, quæ, de reſcript. num. 19. Abbas in cap. Pro illorum, num. 9. de præb. vbi Gloſſa verbo Contradictores. Rodriq. to. 1. quæſt. regul. q. 8. art. 12. Nauar. in cap. Cùm contingat, de reſcript. cauſa nullitatis 7. num. 3.

3 Noto vlteriùs, quod per iſtam clauſulam datur auctoritas prædictis Prælatis compeſcendi non ſolùm partes moleſtantes, ſed etiam extraneos quoſcumque. Abbas dicto c. Pro illorum, & Gloſſa cit.

4 Et aduerte, quòd per Eccleſiaſticam cenſuram intelligitur non ſolum interdicti, ſed etiam ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia. Ita expreſsè in cap. Quærenti, de verb. ſignific. vbi Abbas.

ALEXANDER VI.

Hiſpanus, ex Ciuitate Valentiæ, Ioſredi de Borgia filius, cathedram ſummi Pontificatus adeptus eſt anno 1492. *die* 11. *Auguſti. Dedit Ordini noſtro multa priuilegia; Sed hoc ſolùm dicit ſe vidiſſe authenticum Paſſarellus.*

CONSTITVTIO I.

Approbat primam Regulam, & mutat nomen Eremitarum in nomen Minimorum.

ALEXANDER EPISCOPVS, Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.

MEritis religioſæ vitæ, *quam dilecti filii Franciſcus de Paula, & eius ſocii eremitæ eremitorii S. Franciſci de Paula Diœceſis Conſentinenſis ad obſequendum Altiſſimo elegerunt, inducimur, & exemplo boni operis excitamur, vt iis, quæ pro eorum directione voſtua ab eodem Frãciſco prouidè ordinata ſunt,*

ſunt, vt firmius illibata permaneant, Apoſtolicæ Sedis, cui immediatè ſunt ſubiecti, muniminc roboremus.

Supplicatio.

§. I. Sanè pro parte eorumdem eremitarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod prędictus Franciſcus habens ad hoc, vt aſſerebat, à bonæ mem. Pyrrho Archiepiſcopo Conſentino ſpecialem per illius literas facultatem, per fel. rec. Sixtum IV. Et Innocentium VIII. Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros ſucceſſiuè confirmatam, & ad quæcumque loca, quæ eidem Congregationi donari contingeret, ampliatam, prout in dicti Archiepiſcopi authenticis, & dictorum prædeceſſorum Apoſtolicis literis plenius continetur, illarum vigore pro ſalubri directione eremitarum Societatis eiuſdem, nominibus omnium ſtatuta aliqua, ex quibus augmentum, & animarum eorumdem ſalutem, in beneplacitis diuinæ voluntatis, & vitæ eremiticæ huiuſmodi perſeuerantiam, & eorum proſperitatis votiua ſucceſſus concernentia, ſacris Canonibus non contraria, in tredecim capitulis contenta, ſtatuit, & ordinauit, voluitque, & mandauit, per eiuſdem Societatis eremitas perpetuis temporibus obſeruari. Quare pro parte Franciſci, & eremitarum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum; vt eiuſdem Franciſci ſtatutis, & ordinationibus huiuſmodi pro earum ſubſiſtentia firmiori, roborationis, confirmationis adijcere firmitatem, aliaſque eis ſuper eorumdem ſic ſtatutorum, & ordinatorum obſeruantia opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Approbat primam Regulam etiam ad inſtantiam Caroli Regis Francorum.

§. 2. Nos igitur, qui amatores huiuſmodi eremiticæ vitæ, quæ ſolitudine contenta verſatur in abditis, & numquàm minus ſola eſt, quàm cum ſola eſſe reputatur, quia cæleſtis patriæ contemplatio illam ſociatur, & comitatur, & dum ſæcularis conuerſationis commercio caret, cæleſtis alimoniæ pabulo refocillatur, & gaudet, libenter in ſuo laudabili propoſito confouemus, & tamquam tutiſſimo calle incedentes, & pauperes ſpiritu, quos D.N. Ieſus Chriſtus beatos eſſe dixit, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, pia, & paterna charitate proſequimur, & eis, quantum cum Deo poſſumus, fauorem beneuoli impertimur huiuſmodi: Necnon chariſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris, qui, vt aſſeritur, ad eoſdem eremitas ſpecialem gerit deuotionis affectum, & quamdam domum cum Oratorio, & opportunis officinis extrà, & propè Ciuitatem Thuronenſem conſtrui, & ędificari fecit, ac eis piè donauit, nobis pro ſupradictis eiſdem eremitis cum inſtantia humiliter ſupplicantis ſupplicationibus inclinati, eiuſdem Franciſci ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in dictis capitulis contenta, quæ diligenter inſpici, ac pręſentibus de verbo ad verbum annotari fecimus, auctoritate Apoſtolica pręſentium tenore approbamus, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdē. Et pro potiori cautela ea omnia, quę per eumdem Frāciſcum ordinata, & prohibita fuerunt, de nouo dicta auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, prohibemus, & permittimus. Ac volumus iuxtà earum ſeriem, & continentiam perpetuis futuris temporibus per eiuſdem Societatis eremitas, qui nunc ſunt, & perpetuis futuris temporibus qui erunt, pro eorum regularibus inſtitutis, eoſq. eremitas Ordinis Minimorum fratrum eremitarū F. Franciſci de Paula in poſterum nuncupari, inuiolabiliter obſeruari. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Datum Romę apud S. Petrum, anno Incar. Dominicę 1492. quarto Kal. Martij, Pontif. noſtri anno primo.

§. II.

1 NOto 1. quòd iſta confirmatio primæ Regulæ ab Alexandro facta, non eſt in forma communi, ſed ex certa ſcientia, & licèt iſta verba, Ex certa ſcientia, ſeù, De plenitudine poteſtatis, hic non ponantur, non per hoc deſinit eſſe ex certa ſcientia, nam ſuprà in conſtit. 2. Sixti IV. num. 3. diximus, quòd confirmatio eſt ex certa ſcientia, quandò ex ea conſtat, Papam fuiſſe ſufficienter informatum, & quòd tunc erat ſufficienter informatus, quando in confirmatione apponebatur per extenſum res confirmata, quod hic factum fuiſſe conſtat ex illis verbis huius §. 2. *Quæ diligenter inſpici, ac præſentibus de verbo ad verbum annotari fecimus*. Per quæ verba ſatis declarat Papa, ſe habuiſſe claram notitiam dictæ primæ Regulæ. Videatur Farinac. 2. p. deciſ. tom. 1. deciſ. 339. num. 2.

2 Noto 2. ſpecialem deuotionem ad Ordinem noſtrum Caroli Regis Francorum, Patrem Ludouicum imitantis, qui S. P. N. ex Italia in Galliam, mediante Sixti IV. ſummi Pontificis præcepto, auocauit. Qui Carolus, vt hic conſtat, ſupplicauit pro confirmatione dictæ primæ Regulæ.

3 Noto etiam, quòd ad inſtantiam S. P. N. iſte Pontifex mutauit nomen eremitarum in Illuſtriſſimum, & excellentiſſimum nomen Minimorum. Et omnia conceſſa Ordini noſtro ſub nomine eremitarum Iulius II. in eius conſt. 1. §. 34. infrà, eidem Ordini conceſſit ſub nomine Minimorum erecto. Quod etiam fecerat Alexander VI. per aliam ſuam conſt. quam hic non habes, quia inſeritur in conſt. 1. Iulij II. §. 7.

4 Noto etiam, quòd idem Pontifex omnes gratias, priuilegia, indulta, & indulgentias à ſuis prædeceſſoribus conceſſa Ordini noſtro approbauit, & confirmauit, vt conſtat ex conſt. 1. Iulij II. §. 4.

5 Confirmauit etiam communionem priuilegiorum Mendicantium Ordini noſtro conceſſam à Sixto, & Innocentio. Et ſi aliqua prætereà priuilegia dictis Ordinibus Mēdicantium ab Apoſtolica Sede eſſent conceſſa poſt dictam communionem factam à dictis Pontificibus Sixto, & Innocentio, iſte Pontifex ea etiam ad Ordinem noſtrum extendit, & ampliauit, vt conſtat ex dicta 1. conſt. Iulij II. §. 5.

6 Approbauit etiam, & confirmauit hic idem Pontifex per alias ſuas literas ex certa ſcientia omnia nobis conceſſa à Pyrrho, Sixto, & Innocentio. Et quia S.P.N. primam Regulam 13. capitulis contentam reformauit in melius, & ad decem capitula reduxit, iſtam etiam Regulam approbauit, & confirmauit. Sicut etiam confirmauit Regulam tertiariorum, & multa alia conceſſit, vt conſtat ex dicta conſtitut. 1. Iulij II. §. 6. & ſeqq.

CONSTITVTIO II.

Concedit, quòd tertiarijs noſtris poſſimus Euchariſtiam, etiam in die Paſchę, & extremam vnctionem miniſtrare.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecto filio Vicario generali Congregationis Lombardiæ Ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

COnſiderantes vberes fructus, quos fratres Ordinis Pręedicatorum Congregationis Lombardię ad ſaluationem animarum Chriſti fidelium in militanti Eccleſia produxerunt hactenus, meritò inducimur, vt

eos

Digitized by Google

eos ſpiritualibus fauoribus, & gratijs proſequamur.

Statuit prout in ſumm. Tu vide ſuprà conſt. 4 Sixti IV. n 39 & limita vt ibi.

§. 1. *Hinc eſt, quòd nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſingulis fratribus Ordinis, & Congregationis huiuſmodi in presbýteratus ordine conſtitutis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, quòd de licentia tua, aùt, qui pro tempore extiterit, generalis Vicarij, vel Prioris, ſeù Præſidentis domus, Ordinis, & Congregationis huiuſmodi, in qua eos pro tempore reſidere contigerit, omnibus, & ſingulis fratribus, & ſororibus tertij Ordinis, de pœnitentiâ B. Dominici nuncupatis; nunc, & pro tempore exiſtentibus (quando id petierint) tàm in die Paſchæ, ſeù feſti Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti, & infrà eiuſdem feſti octauam, quàm etiam alijs diebus, etiam in mortis articulo, Eucharistiæ, & alia eccleſiaſtica ſacramenta quæcumque exhibere, & miniſtrare. Ipſiq; fratres, & ſorores Eucharistiæ, & alia ſacramenta huiuſmodi ab eiſdem fratribus Ordinis Prædicatorum, & Congregationis huiuſmodi recipere liberè, & licitè valeant, cuiuſuis licentia ſupèr hoc minimè obtenta, ſeu etiam petita, auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus, & facultatem per præſentes.*

Derogat contrarijs.

§. 2. *Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus, & ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Congregationis, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Septembris 1495. Pontificatus noſtri anno 4.*

CONSTITVTIO III.

Mandat, quòd ad Epiſcopatum, ſeu alias dignitates extrà Ordinem aſſumpti, reſignent omnia, quæ tempore aſſumptionis habere contingat, Superioribus Ordinis.

ALEXANDER EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Magiſtro, & Prioribus prouincialibus Ordinis fratrum Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

Attende, quod iſte eſt Alexander IV. ego

§. 1. *Ex parte veſtra nobis extitit intimatum, quòd cum contingat interdùm, ad Epiſcopatum, & alias dignitates aliquos de fratribus veſtri Ordinis promoueri, ipſi libros, & alia, quæ tempore ſuæ promotionis habebant, licèt non ad eos (cum proprium habere non liceat) ſed ad Ordinem pertineant, nihilominùs proprijs vſibus applicarè præſumunt in ſuarum præiudicium animarum. Quarè ſuppliciter poſtulaſtis à nobis, vt prouidere ſupèr hoc ſalubritèr curaremus.*

ordinē Paſſarella ſequor.

Statuit prout in ſum. vide tom. 1. Relig q. 1. ca. 10. §. vn. concl. 2.

§. 2. *Nos igitur eorumdem fratrum ſaluti paterna volentes ſollicitudine prouidere, vt libros, & alia, quæ ipſos promotionis ſuæ tempore habuiſſe, ſeu habere conſtiterit, tibi, fili Magiſter, vel Prioribus, & Conuentibus ſuis, ſubmota qualibet dilatione, reſignent, ipſis fratribus idem promotis in virtute obedientiæ præſentium auctoritate mandamus. Illos autem, quos promoueri contigerit, ne reſignare differant, diſtrictiùs inhibemus: Niſi forsàn eorum vſum eis ad tempus de gratia duxeritis concedendum. Datum Neapoli 5. idus Maij, Pontific. noſtri anno 1.*

CONSTITVTIO IV.

Concedit, quòd famuli ſeruitijs fratrum deputati, & Procuratores & operarij non poſſunt excommunicari, & quòd poſſint intereſſe diuinis tempore interdicti.

ALEXANDER EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs generali Magiſtro, & vniuerſis fratribus Ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Alexander IV. ſtatuit prout in ſum. Quò ad ſententias non incurrendas limita iuxta Trid. ſeſ. 24 cap. 11. de reform. Si actu ſeruiunt, & in Monaſterijs viuunt. Quò ad audienda ſacra tempore interdicti valet iuxtà dicta ſupra in conſtit. 1. Sixti IV. n. 55.

VT in veſtris domibus ſeruientes in miniſterijs opportunis, ob veſtri gratiam, quam apùd Sedem Apoſtolicam ſedulè deuotionis veſtræ obſequia promerentur, noſtræ gratiæ inanes non reddantur immunes, nos veſtræ deuotionis precibus inclinati, quòd ſi quando in perſonas, vel terras, in quibus reſidetis, excommunicationis, ſeu interdicti ſententiam contigerit promulgari, pueri veſtris ſeruitijs deputati, negotiorumque Procuratores, & operarij, qui in veſtris locis eorum operibus perſonalitèr conſtituti inſtiterint, huiuſmodi ſententijs obnoxij nullatenùs habeantur: ibique poſſint audire diuina, iuxtà formam, quæ in locis ipſis in eo caſu à Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eidem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter, ſeù interdici contingat eoſdem, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Datum Ananiæ 5. Kal. Iulij, Pontific. noſtri anno 1.

IVLIVS II.

Italus, ex Ciuitate Sauonæ, Genuenſium iuriſdictione, Raphaelis de Ruuere filius, anno Domini 1503. die 10. Nouembris ad Pontificatum aſſumptus, Ordini noſtro multa conceſſit.

CONSTITVTIO I.

Confirmat omnia priuilegia, à ſuis prædeceſſoribus nobis conceſſa, & quamplurima de nouo concedit.

IVLIVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū. *DVm ad ſacrum Ordinem Minimorum, olim per fel. rec. Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. Rom. Pont. prædeceſſores noſtros ſalubritèr approbatum, ac varijs priuilegijs cum Regulæ approbatione multipliciter decoratum noſtræ conſiderationis aciem dirigimus. Dum etiam intrà noſtræ mentis abſcondita reuoluimus fructus vberes, quos, dextera Domini opitulante, & Apoſtolica Sede benedicente, dilectus filius Franciſcus de Paula prædicti Ordinis Pater, ac Inſtitutor, & quoad vixerit generalis Corrector, exemplo B. Franciſci, ardentiſſimus noſtri Redemptoris imitator, in agro militantis Eccleſiæ producere non deſinit, ac etiàm ſalutifera exempla, ad quæ imitanda Chriſti fideles ex eiuſdem Franciſci de Paula, & aliorum fratrum dicti Ordinis arctiſſima vita, quam ipſi ad obſequendum Altiſſimo ſub Euangelico iugo, ac humili habitu, & humilitatis ſpiritu, ſpreto ſeculo, ac pompis eius, voluntariè aſſumpſerunt, in perpetua Chriſti ſeruitute laudes diuinas die, noctuque ſumma cum deuotione Domino perſoluentes, quotidie inducuntur. Dignum, immò debitum reputamus, vt Ordo ipſe apud eamdem Sedem gratiam liberalitatis inueniat, & gratiæ, & priuilegia illi quomodolibèt conceſſa, per ipſius Sedis approbationem remaneant illæſa.*

Ponit tenorem conſt. 1. & 2. Sixti IV. §. 1. *Dudum ſiquidem præfato Sixto prædeceſſori noſtro, &c.* vt ſup. in conſt. 1. & 2. Sixti IV.

Innocentius VIII. vt ſupra in eo, literas Sixti approbauit. §. 2. *Et ſucceſſiuè præfatus Innocentius etiàm prædeceſſor per alias ſuas literas, in quibus literæ prædicti Sixti prædeceſſoris de verbo ad verbum inſertæ fuerunt, eaſdem Sixti prædeceſſoris huiuſmodi literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta recenſens, laudationem, confirmationem, approbationem, communitionem, ſuppletionem, decretum, exemptionem, ſuſceptionem, voluntatem, conceſſionem, & indulta huiuſmodi, ac, prout illa concernebant, omnia, & ſingula in eis contenta, & narrata auctoritate Apoſtolica, & ſcientia prædictis confirmauit, & approbauit, ſuique ſcripti patrocinio cum ſimili defectuum ſuppletione communiuit, & voluit, & dicta auctoritate decreuit, quod earumdem literarum ſuarum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut alterius Prælati munitis, prorſus in iudicio, & extrà fides plena adhiberetur, & illis ſtaretur in omnibus, & per omnia, ſicut ipſis originalibus literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi forent exhibita, vel oſtenſæ; Decreuitq; irritum, & inane, ſi ſecus ſuper ijs, à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit, communiter, vel diuiſim attentari.*

Alexander VI. vt ſup. in eius cōſtitut. 1. approbauit 1. Regulam. §. 3. *Poſtmodùm verò pro parte Franciſci de Paula, & eremitarum prædictorum eidem Alexandro prædeceſſori etiam expoſito, quòd ipſe Franciſcus de Paula habens ad id ab eodem Pyrrho Archiepiſcopo ſpecialem per illius literas facultatem, per eoſdem Sixtum & Innocentium prædeceſſores ſucceſſiuè confirmatam, & ad quæcumque loca, quæ eidem Congregationi donari contingeret, ampliatam: illarum vigore pro ſalubri directione eremitarum Societatis huiuſmodi, nonnulla diuini cultus augmentum, & animarum ſalutem, vitæq; eremiticæ huiuſmodi perſeuerantiam, ac eorum votiuæ proſperitatis ſucceſſus concernentia, ſacris Canonibus non contraria ſub Regula Ordinis fratrum Minimorum pauperum eremitarum dicti Franciſci de Paula in tredecim capitulis contenta ſtatuerat, & ordinauerat, quæ voluerat, & mandauerat per eiuſdem Societatis eremitas, & fratres perpetuis futuris temporibus obſeruari. Idem Alexander prædeceſſor per reliquas ſuas, ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in dictis capitulis contenta, quæ tunc diligentèr inſpici, ac de verbo ad verbum in dictis ſuis literis inſeri fecit, cum ſuppletione defectuum approbauit, & confirmauit.*

Idem Alexander per alias ſuas literas, quæ hic nō habentur, priuilegia Sixti, & Innocentij confirmauit. §. 4. *Præterea idem Alexander prædeceſſor per alias ſuas in forma Breuis literas, omnia, & ſingula priuilegia, indulgentias, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta quæcumque Franciſco de Paula, & eremitis huiuſmodi, ac eorum Ordini, domibus etiam ante erectionem huiuſmodi Ordinis, dum adhuc eremitæ nuncupabantur, per eoſdem Sixtum, & Innocentium ſuos, & ipſum Alexandrum noſtros prædeceſſores quomodocumque conceſſa, quæ omnia, & ſingula pro expreſſis haberi voluit, auctoritate Apoſtolica præfata approbauit, & perpetuæ robur firmitatis eadem obtinere decreuit.*

§. 5. Et

Digitized by Google

Sixtus Innocentius & Alexander priuilegia Mendicantium Ordini noſtro conceſſerunt.

§.V. Et quia Sixtus, & Innocentius prædeceſſores præfati ſingula priuilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, & indulta quæcumque Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, ac Carmelitarum, nec non alijs Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet, ac illorum profeſſoribus, & domibus, ac eorum Eccleſias viſitantibus quomodocumque conceſſa, ad Ordinem Minimorum huiuſmodi extenderant: Idem Alexander prædeceſſor pariter eorum extenſionem confirmauit. Et ſi qua alia indulta, priuilegia, & gratiæ poſt datam extenſionis huiuſmodi à dictis prædeceſſoribus, vel ab ipſo Alexandro eiſdem Ordinibus Mendicantium, aut alicui eorum conceſſa eſſent: Illa etiam ad eoſdem eremitas, & fratres, & ad illorum Ordinem, ac domos extendit, & ampliauit, ac ipſis ſuffragari voluit in omnibus, & per omnia, ac ſi pro eiſdem eremitis, & illorum Ordine huiuſmodi emanaſſent.

Et idem Alexander Regulam pro fratribus à P. N. re formatã, & aliam pro tertiarijs ab eodẽ editam approbauit.

§.VI. Et deindè pro parte Franciſci de Paula, & eremitarum, ſeu fratrum prædictorum eidem Alexandro prædeceſſori ſimiliter expoſito, quòd ipſe Franciſcus de Paula tredecim capitula ſtatutorum, & ordinationum prædictorum in decem capitula reduxerat, & eorum aliqua pro ſalubri directione fratrum Minimorum Ordinis huiuſmodi, olim Societatis dictorum eremitarũ, mutauerat, aliqua etiam addiderat, quæ voluerat, & mandauerat, per eoſdem fratres deinceps perpetuis futuris temporibus, prioribus omiſſis, pro ſalubri eorum Regula teneri, & obſeruari. Quòdque ipſe Franciſcus de Paula Regulam, ſeù modum viuendi ſui tertij Ordinis pro vtriuſque ſexus perſonis ſub eadem Regula, ſeù modo viuendi, quę ſeptem dumtaxàt clauderetur capitulis, pœnitentiam agere volentibus, per eumdem Alexandrum prædeceſſorem benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Idem Alexander prædeceſſor Pyrrhi Archiepiſcopi, ac Sixti, & Innocentij prædeceſſorum prædictorum, ac ſuas literas prædictas, necnon omnia, & ſingula in eis contenta, alia quoque priuilegia, conceſſiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eiſdem fratribus Minimis, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, ſeu aliàs quomodocũq. facta, & conceſſa, necnon reductionem, mutationem, & alterationem dictorum decem capitulorum, ſeù Regulam ipſorum fratrum Minimorum, necnon Regulam, ſeù modum viuendi tertij Ordinis huiuſmodi pro vtriuſque ſexus perſonis, & in vtriuſque Regulæ capitulis contenta quæcumque: Quæ omnia diligentèr inſpici, ac de verbo ad verbum inſeri fecit, cum ſuppletione defectuum approbauit, & confirmauit.

Idem Alexander Societatem eremitarũ in Ordinẽ fratrum Minimorum inſtituit, & gratias iam conceſſas confirmauit.

§.VII. Et pro potiori cautela Societatem pauperum quondam eremitarum huiuſmodi in Ordinem fratrum Minimorum dicti Franciſci de Paula, priore caſſata, & omiſſa, ſub huiuſmodi noua Regula erexit, & ſingulas literas prædictas, ac in eis contenta quæcumque, necnon priuilegia, & indulgentias, tam generales, quam ſpeciales, conceſſiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumq. eiſdem fratribus, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, ſeù aliàs quomodocumq. facta, & conceſſa. Quæ omnia, & ſingula, ac ſi in dictis ſuis literis inſerta forent, haberi voluit pro expreſſis, innouauit, & de nouo conceſſit. Ac omnia, quæ circà ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi confirmata, & per eumdem Franciſcum de Paula reducta, mutata, & alterata fuerant, de nouo reduxit, mutauit, & alterauit.

Dictamque ſecundam Regulam à fratribus Minimis ſeruari iuſſit.

§. VIII. Regulamque Minimorum fratrum huiuſmodi ſic innouatam, & Regulam, ſeu modum viuendi tertiariorum Ordinis eiuſdem laudauit, benedixit, approbauit, & confirmauit, ac voluit, Regulam ipſam ſic innouatam, ſeu contentam in dictis decem capitulis, iuxtà eorum tenorem perpetuis futuris temporibus, per Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres, qui tunc erant, & pro tempore eſſent, eo modo pro eorum regularibus inſtitutis cuſtodiri.

Tertiariorum quoque Regulam ſuſcipi poſſe decreuit.

§. IX. Regulam quoque, ſeu modum viuendi tertiariorum huiuſmodi per quaſcumque perſonas vtriuſque ſexus ſuſcipi poſſe, ac pro pia in Chriſto Regula, & modo viuendi ſalutari, & commodo amplecti, & obſeruari.

B. Franciſcum dicti Ordinis noſtri Correctorem declarauit.

§. X. Ipſumque Franciſcum de Paula non tam religioſiſſimi Ordinis Minimorum huiuſmodi primarium Patrem, ac Inſtitutorem, quam etiam priſcorum beatorum Patrum fideliſſimum imitatorem, ſuarumque laudabilium inſtitutionum diligentem innouatorem in perſonarum Ordinis Minimorum huiuſmodi præcipuum Patrem, ac Superiorem, & quamdiù viueret generalem Correctorem irrefragabiliter inſtituit, ac inſtitutum laudauit, & confirmauit.

Indulgentias Ordini conceſſit. Sed hodie vacant per conſtit. 8. Pauli V. infrà.

§. XI. Ac etiàm conceſſit, & indulſit, quòd omnes, & ſinguli Ordinis Minimorum fratres præſentes, & futuri, qui ſingulis Quadrageſimæ, & alijs cuiuslibet anni ſtationum temporibus aliquam ipſorum Eccleſiam, vel aliam, in qua eos pro tempore cum obedientiæ merito fore contingeret, viſitarent, & inibi antè illius altare maius quinquiès orationem Dominicam, & totiès ſalutationem Angelicam deuotè recitarent, omnes, ac ſingulas indulgentias, conſequerentur, & conſequi poſſent, quas temporibus huiuſmodi conſequuntur viſitantes Eccleſias ſtationum Vrbis, & alias extrà illius muros pro ſtationibus deputatas. Quaſque fratres ipſi conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias ſtationum huiuſmodi eiſdem tẽporibus perſonaliter viſitarẽt.

Bona omnia piè elargita retinendi facultatem conceſſit ſub prohibitione tamen, quòd in iudicio non repetantur.

§. XII. Inſtituit etiam, atque ordinauit ob ſanctæ vitæ quadrageſimalis obſeruantiam, quòd ſi qui deuotionis gratia, vel pietatis intuitu, perpetuas, aut temporales eleemoſynas pro Eccleſiæ, pauperumq. fratrum Minimorum huiuſmodi neceſſitatibus ſubleuandis piè legare vellent, liceret ipſis fratribus Minimis, à promiſſæ paupertatis perfectione, puritateq. non recedendo, perpetuas, & temporales eleemoſynas huiuſmodi, vtenſilia quoque, ac oblationes quaſcumque cuiuſcumque etiam ſpeciei exiſterent, ſeù exiſtere poſſent, quarum tamen dominium, ius, & proprietatem idem Alexander prædeceſſor penès ſe, ac Eccleſiam Romanam tunc penitùs retinuit, nudo dumtaxat illarum vſu fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi ſimpliciter relicto, per ſuos, ac præfatæ Sedis, & eiuſdem Ordinis Minimorum Procuratores (ad hoc prouida cura, paternaque beneuolentia deputandos) ſuo, & dictæ Romanæ Eccleſiæ nomine ad ſe recipere. Ipſique Procuratores eleemoſynas huiuſmodi fratribus ipſis Minimis per ſe, vel per alios, iuxtà piam largientium deuotionem, & intentionem, ſuamque conſtitutionem huiuſmodi fideliter diſtribuere, ſeu diſtribui facere deberent. Laudauit etiam, & approbauit, quòd vbi perpetuæ, vel tem-

Digitized by Google

porales eleemoſynæ huiuſmodi fratribus ipſis Minimis legarentur, tunc Ciuitatis, Villæ, Caſtri, Oppidi, ſeù Vici, vbi fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi loca paſſim habere contingeret, Rectores, Scabini, Præſides, Conſules, Electi, Iurati, aut Domini de conſilio, vel alij officiarij quouis nomine nuncupati, in primis vnum, vel plures recollectores eleemoſynarum huiuſmodi, quæ fratribus ipſis Minimis iuxtà piam largentium intentionem haberent diſtribui per miniſterium oblatorum dicti Ordinis Minimorum, vel amicorum ſpiritualium, per fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi pro tempore conuentualitèr electorum, qui (dum opus foret) deponi, & innouari poſſent, deputare. Ac de locis, & domibus, quæ Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & fratribus per quoſcumque Chriſti fideles vbilibèt concederentur, pro ipſis fratribus Minimis vnum inſtrumentum publicum, vel plura confici facere, ac eleemoſynarum huiuſmodi ſpecialem curam, & ſollicitudinem habere deberent. Quodque fratres ipſi Minimi ſuper eleemoſynis huiuſmodi nullatenus cum aliquo in iudicio, vel extrà illud contendere, ſed potiùs, vt veri pacis filij, & amatores, Rectoribus, Præſidibus, Scabinis, Iuratis, & Conſulibus, cæteriſque officiarijs Præfatis illarum curam relinquere, ac ſinè aliqua contentione in Domino (qui non derelinquit ſperantes in ſe) fiducialitèr reponere, ac oſtiatim mendicare haberent. Poſſent tamen fratres ipſi præfatos Dominos de conſilio, & politiæ Gubernatores, cæteroſque officiarios ad eleemoſynas huiuſmodi colligendas deputatos, ſeu deputandos, benignè monere, vt eis legatas eleemoſynas huiuſmodi pro conſcientiarum ſuarum exoneratione, animarumque dictorum legantium ſalute, iuxtà piam legantium huiuſmodi deliberationem, & intentionem, ſibi fidelitèr impenderent. Quodque eleemoſynæ huiuſmodi ſcripto redigi, & fratribus ipſis Minimis capitulariter declarari, ac ſcripto talitèr redactæ, ſeu redigendæ, infrà cuiuslibet Conuentus Ordinis Minimorum huiuſmodi quamlibet conuentualem arcam quatuor clauaturis claudendam reponi; ac per Ordinis Minimorum huiuſmodi Oblatorum, vel amicorum ſpiritualium miniſterium in Ordinis huiuſmodi Eccleſiarum, & fratrum vſus conuerti; & poſtquam fratribus ipſis Minimis de ſibi requiſitis veſtimentis, ac vitæ neceſſarijs, cæteriſque præinſertis rationabiliter prouiſum foret, ſi adhùc ex perpetuis, vel temporalibus eleemoſynis huiuſmodi aliquæ ſupereſſent, illa charitatiuè per Rectores, Scabinos, Conſules, Electos, cæteroſque officiarios, præfatos de Capituli localis ſcientia, & conſenſu in pias cauſas erogari deberent; &, ipſis fratribus Minimis, ac eorum Eccleſijs (vt præfertur) competentèr prouiſo, perpetuas, aut temporales eleemoſynas huiuſmodi vllatenus procurare, vel iam procuratas augere eis minimè liceret; ſi tamen illæ fratribus ipſis Minimis vltrò largirentur, illarum cenſus per rectores, Scabinos, Iuratos, & Electos, cæteroſque officiarios præfatos in pias cauſas ſimiliter diſtribui deberent. Ipſique fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi in qualibet ipſorum Eccleſia tam conſtructa, quàm conſtruenda cippum, ſeù truncum ad quotidianas deuotorum eleemoſynas commodè reponendas, vbiquè habere poſſent.

§. XIII. Et deindè pro parte præfati Franciſci de Paula nobis expoſito, quòd licèt olim per præfatum Alexandrum prædeceſſorem fratrum Ordinis Minimorum huiuſmodi Regula approbata, & per eum, ac Sedem prædictam confirmata fuiſſet, tamèn pro ſalubriori dictæ Regulæ conſeruatione, ac vt illa meliùs, & faciliùs ab eius profeſſoribus, tunc, & pro tempore in dicto Ordine degentibus obſeruari poſſet, cupiebat idem Franciſcus de Paula nonnullas ordinationes, & ſtatuta ſalubria facere, quæ fratres dictum Ordinem Minimorum profeſſi ſeruare, & ſecundùm quæ contrà illa venientes, ſeu facientes, licèt aliàs peccatum (ſecundùm præcepta Eccleſiæ) committere non viderentur, pœna corporali, ſeù temporali in eiſdem ſtatutis contenta per eorum Superiores puniri valerent. Quodq; licèt aliàs per Sixtum, Innocentium, ac Alexandrum prędeceſſores præfatos eiſdem fratribus Minimis, quòd omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, indultis, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus quatuor Mendicantium Ordines, ac illorum perſonæ vtebantur, & gaudebant, ſeu vti, & gaudere poterant, in futurum vti, & gaudere valerent, conceſſum, ac indultum fuiſſet. Nihilominus tamèn eo quod dicti fratres Minimi priuilegia, & indulta huiuſmodi originalitèr non habebant, ac de illis fidem facere non poterant, & etiam quia illa per nos adhùc confirmata non fuerant, aliqui partim ſcrupuloſa conſcientia, & partim inuidia moti, fratres Minimos huiuſmodi eiſdem priuilegijs, & gratijs, gaudere non debere aſſerebant, quo fiebat vt ipſi fratres Minimi eiſdem priuilegijs, & indulti vti poſſe non ſperabant, niſi eis per nos deſuper opportunè prouideretur. Nos per reliquas noſtras eidem Franciſco de Paula quaſcumque ordinationes, & ſtatuta ſalubria, & honeſta, ſacris Canonibus non contraria, & in perpetuum valitura, quæ dictis fratres Minimi ſeruare, ac ſecundùm quæ viuere tenerentur, & contrà illa venientes, ſeu facientes, licèt aliàs peccatum iuxtà præcepta huiuſmodi committere non viderentur, pœna corporali, ſeu temporali in eiſdem ſtatutis contenta per eorum Superiores mulctari poſſent, condendi, & faciendi plenam, & liberam præfata Apoſtolica auctoritate licentiam indulſimus, & facultatem.

Hic Pontifex per aliã eius bullã, quam hic non habes, cõceſſit facultatem P. N. condẽdi ſtatuta pro gubernio Religionis vide to. 1. Relig. q. 1. c. 5. & §§. ſequ.

§. XIV. Ac omnia, & ſingula priuilegia, gratias, conceſſiones, immunitates, libertates, exemptiones, ac indulta prædicta, quibus præfati quatuor Mendicantium Ordines, & illorum perſonæ in genere vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ſeu vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibèt in futurum, Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi conceſſimus. Ac, vt illis Ordo Minimorum, & illius perſonæ, & fratres huiuſmodi vterentur, potirentur, gauderent, ac vti, potiri, & gaudere liberè, ac licitè valerent, approbauimus, & noſtri ſcripti patrocinio communiuimus. Dictiſque fratribus Minimis, vt de dictis priuilegijs, & indultis fidem facere poſſent, quòd ſumpta ex Camera Apoſtolica ſuper ſingulis priuilegijs, conceſſionibus, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis huiuſmodi, præfatis, quatuor Mendicantium Ordinibus per quoſcumque Romanos Pontifices, & Sedem præfatam conceſſis, ac in poſterum concedendis, habere, & illa, & literas Apoſtolicas, eas, & ea quomodolibèt con-

Priuilegia quatuor Ordinum mendicantium communicauit.

Digitized by Google

concernentia; necnõ literas noſtras huiuſmodi per ipſius Cameræ Auditorem, & quoſcumque alios iudices ordinarios ritè tranſumptari, & authenticari facere liberè, ac licitè valerent. & poſtquam tranſumpta, & authentica forent, illis, ac noſtris, & alijs literis huiuſmodi ſuper dictis priuilegijs, conceſſionibus, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis ad inſtantiam quatuor Ordinum mendicantium, & perſonarum, ac fratrum eorumdem, aut aliquorum ex eis iam ritè factis, & tranſumptatis, ea prorſus fides adhiberetur, vbicumque forent exhibita, vel oſtenſa, ac ſi noſtræ etiam aliæ literæ huiuſmodi tunc exhiberentur; ac priuilegia, conceſſiones, gratiæ, immunitates, libertates, exemptiones, & indulta præfata Ordini Minimorũ, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi conceſſa, & in eis Ordo Minimorum, ac illius fratres, & perſonæ huiuſmodi ſpecialiter, & nominatim expreſſæ fuiſſent, ac ſi pro eis principalitèr emanaſſent.

Dictaque priuilegia ad portantes habitũ, & famulos, ac eligẽtes ſepulturam in domibus noſtris extendit.

§. XV. Quodque de cætero famuli domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi, necnon cæteri eiuſdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus ſepulturam eligentes, omnibus, & ſingulis priuilegijs Ordini Minimorum huiuſmodi quomodolibet conceſſis, gaudere liberè, ac licitè valerent indulſimus.

Quod fratres poſſent 22. ætatis ſuæ anno ordinẽ preſbyteratus ſumere.

§. XVI. Ac quòd fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi in vigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno tunc, & pro tempore conſtituti, ad præsbyteratus ordinem, aliàs tamen ritè ſe promoueri facere liberè poſſent.

Moleſtãtes noſtros fratres, vel eorum bona excommunicauit. Vide ſupra in conſt. Pyrrhi, nu. 33. §. 7.

§. XVII. Necnõ omnes, & ſingulæ perſonę cuiuſcumque ſtatus, nobilitatis, & cõditionis forent, quæ in cauſis eorumdem fratrum Minimorum ſe immiſcerent, aut in ipſos fratres Minimos manus iniycerent violentas, vel aliàs eos moleſtarent, aut inquietarent, vel eorum bona auferrent, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrerent, prout alijs fratribus mendicantibus erat conceſſum.

Priuilegia Ordinis omnibus eius locis communicauit. Vide hic infra, §. 29. & cõſt. 3. Clem. 7. §. 2.

§. XVIII. Ac omnia, & ſingula priuilegia indulta, gratiæ, facultates, ac indulgentiæ vni, aut pluribus domibus dicti Ordinis Minimorum in genere per eumdem Sixtum prædeceſſorem conceſſa, & in poſterum concedenda, omnibus, & ſingulis alijs domibus, & fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi eſſent, & itelligerentur eſſe conceſſa.

Prælatos Ordinis ornamẽta Eccleſię benedicere poſſe voluit.

§. XIX. Quòdque Generalis, necnon Prouinciales, & eorum Vicarij eiuſdem Ordinis Minimorum corporalia, & alia ornamenta eccleſiaſtica ſuorum locorum, ac domorum, præter calices, & patenas, benedicere valerent, conceſſimus, ſtatuimus, & ordinauimus.

Noua loca conſtruẽdi licentiã dedit, nullius Superioris obtenta licentia.

§. XX. Et ſucceſſiuè pro parte præfati Franciſci de Paula nobis etiam expoſito, quòd licèt olim Sixtus, & Innocentius prædeceſſores præfati Franciſco de Paula, & alijs perſonis, ac fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi per eorum literas ſpecialem facultatem conceſſiſſent recipiendi Eccleſias, Oratoria, & loca, cuiuſuis etiam Superioris licentia minimè requiſita, pro perpetuis vſu, & habitatione fratrum dicti Ordinis Minimorum, & conceſſionis huiuſmodi vigore à triennio, citrà nonnulli Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres in Diœceſi Hiſpalenſi degentes, à dilecto filio nobili viro moderno Duce, & dilecta in Chriſto filia nobili muliere moderna Duciſſa de Medina cœli, alijſque deuotis perſonis in dicta Diœceſi Hiſpalenſi degentibus, certum locum eis oblatum recepiſſent, & inibi vnam domum cum Eccleſia, & alijs officinis neceſſarijs ſub inuocatione Sanctæ Mariæ de Victoria, portus B. Mariæ, Ducis, ac Duciſſæ, & aliarum deuotarum perſonarum huiuſmodi eleemoſynis adiuti conſtrui, & ędificari feciſſent, ac domum ipſam per biennium pacificè inhabitaſſent, die, noctuque Altiſſimo ſeruiendo inibi. Quià tamèn tunc ab anno circà fratres ipſi in eadem domo habitantes, & Domino taliter ſeruientes per venerabilem fratrem noſtrum modernum Archiepiſcopum Hiſpalenſem, & eius officialẽ, impedimenta plurima habuerant, ità quòd ipſe officialis quibuſcumque Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis, ne ad Eccleſiam, & domum vltimò dictas pro audiendis eorumdem fratrum miſſis, & prædicationibus, deuotionis gratia confluerent, per ſuas certi tenoris literas valuis dictæ Eccleſiæ affixas prohibuerat, dictiſque fratribus impedimenta, & incommoda plurima intulerat, ita etiam quòd præfatus Archiepiſcopus prædictam Eccleſiam S. Mariæ de Victoria benedicere, & conſecrare noluerat, neq. per alium benedici, ſeù conſecrari permiſerat. Nos Franciſco de Paula, & alijs fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi omnia, & ſingula Oratoria, Eccleſias, domos, & loca eiſdem Franciſco de Paula, & fratribus in poſterum concedenda recipere, & illa, ac prædictam de Victoria, & alias domos, ſeu Eccleſias, loca, & Oratoria quæcumque eatenùs vbilibet recepta pro eorum perpetuis vſu, & habitatione vigore conceſſionis Sixti, & Innocentij prædeceſſorum prædictorum retinere, conſtruere, & ædificare, ſeu conſtrui, & ædificari facere, abſque alia deſuper facienda noua conceſſione Apoſtolica. Et quòd deinceps Ordinis Minimorum huiuſmodi Conſeruatores (quotiès opus foret) eidem Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ne dictus Archiepiſcopus, ſeu eius officialis, aut alij quicumque cuiuſcumque etiam nobilitatis, aut dignitatis exiſterent, Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres neque in dicta Diœceſi Hiſpalenſi, neque alibi in aliquo damnificare, moleſtare, perturbare, nec inquietare vllatenus auderent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibere poſſent.

Eccleſias Ordinis quilibet Epiſcopus conſecrare poteſt, recuſante Ordinario.

§. XXI. Quòdq; Ordinis Minimorũ huiuſmodi fratres tunc, & pro tempore exiſtentes prædictam Eccleſiam S. Mariæ de Victoria, & generaliter omnes, & ſingulas alias eiuſdem Ordinis Minimorum Eccleſias, & Oratoria quæcumque recepta, & recipienda, nondùm conſecratas, ſeù conſecrata, facta priùs requiſitione ab Epiſcopis locorum, eiſdemque recuſantibus, vel negligentibus, per quemlibet alium catholicum Epiſcopum gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem conſecrari facere.

Prælati Ordinis poſſunt Eccleſias benedicere, & pollutas reconciliare. Vide 2. p. noſtri Ritualis in notab.

§. XXII. Ac quòd ipſius Ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque vicegerentes, omnes, & ſingulas eiuſdem Ordinis Minimorum Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria tàm in dicta Diœceſi Hiſpalenſi, quàm vbicumque receptas, ſeù recepta, & recipiendas, ſeù recipienda ſolemni benedictione benedicere; ac etiàm illas, ſeu illa, & earum quamlibet ſanguinis, ſiuè ſeminis effuſione, ſiuè

aliàs

aliàs quomodocumque pollutas, ſiue polluta, quotiès opus foret, aqua tamen priùs per aliquem catholicum Antiſtitem (vt moris eſt) benedicta, reconciliare.

Fratres alterius Ordinis iam recepti permaneant, & abſolui poſſint, ac diſpenſari.

§. XXIII. Ac quòd alterius cuiuſuis Ordinis fratres quicumque in dicto Ordine Minimorum, etiam priùs non petita, aut non eo, quo decet, modo petita licentia, iam recepti, abſque alia prouiſione Apoſtolica perpetuò in ipſo Ordine Minimorum ſtare, & permanere. Ac idoneum confeſſorem, qui eos à quacumque excommunicationis ſententia (quam propterea incurriſſent) Apoſtolica auctoritate abſolueret, ſecumque ſuper irregularitate eadem de cauſa contracta diſpenſaret, ſibi eligere poſſent.

Priuilegia Ordinis Tutricibus & Fundatricibus communicauit.

§. XXIV. Quòdque ſingulæ Ordinis Minimorum huiuſmodi Tutrices, prout ipſius Ordinis Fundatrices, etiam cum eorum vtriuſque ſexus liberis procreatis, & procreandis, omnibus, ac ſingulis eiuſdem Ordinis Minimorum priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, conceſſionibus, & indulgentijs vti, potiri, & gaudere liberè, ac licitè valerent, licentiam, & facultatem conceſſimus, pariter, & indulſimus.

Correctorium confirmauit, & obſeruari mandauit. Hāc confir. habes in princ. Correct & incipit, Paſtoralis.

§. XXV. Poſtmodum verò pro parte eiuſdem Franciſci de Paula ſimilitèr nobis expoſito, quòd ipſe, poſtquam præfatus Alexander prædeceſſor, Sixti, & Innocentij prædeceſſorum veſtigijs inhærendo, ſibi vt nonnulla ſui Ordinis Minimorum ſtatuta componere, ac illa in melius emendare poſſet, licentiam conceſſerat, vnà cum aliquibus eiuſdem Ordinis Minimorum patribus ſtatuta ipſa compoſuerat, ac illa in melius emendauerat, illaque Correctorium fratrum Ordinis Minimorum perpetuò nuncupari, & per eoſdem fratres Minimos perpetuis futuris temporibus obſeruari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari deſiderabat. Nos per alias noſtras Correctorium ipſum, quod tunc diligentèr inſpici, & de verbo ad verbum inſeri fecimus, approbauimus, & confirmauimus, ac noſtri ſcripti patrocinio communiuimus, illudque per omnes Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres præſentes, ac futuros pro ſuo ſalubri Correctorio perpetuis futuris temporibus teneri, & obſeruari, ipſumque perpetuò Correctorium fratrum Ordinis Minimorum dicti Franciſci de Paula nuncupari, ac in titulari debere decreuimus, & mandauimus.

Tres Regulas, primam pro fratribus. 2. pro ſororibus. 3. pro tertiarijs editas confirmauit, & obſeruari iuſſit. Hāc confir habes in principio Regulæ, & incipit, Inter cæteros.

§. XXVI. Succeſſiuè autem pro parte præfati Franciſci de Paula etiam nobis expoſito, quòd licèt alias ipſe dictum Ordinem Minimorum inſtituiſſet, ac decem, ſecundùm quæ fratres eiuſdem Ordinis; ſeptem verò, ſecundùm quæ vtriuſque ſexus fideles tertiarij nuncupati viuere deberent, capitula, Regulam, & modum viuendi concernentia edidiſſet, illaque per præfatum Alexandrum prędeceſſorem de venerab. fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio (de quorum numero tunc eramus, licèt abſentes) confirmari obtinuiſſet. Quia tamen per illa Ordini Minimorum huiuſmodi, & illius perſonarum directioni non ſatis videbatur eſſe conſultum, idem Franciſcus de Paula cum nonnullis eiuſdem Ordinis fratribus, capitulis prædictis diligentèr examinatis, ex nouis, & emergentibus cauſis nonnulla mutanda, ſeù moderanda, & emendanda fore proſpiciens, ea in melius moderauerat, mutauerat, emendauerat, ampliauerat, & reformauerat: Ac ſororum eiuſdem Ordinis Regulam ad inſtar Regulæ fratrū Minimorum huiuſmodi in decem capitulis redactam de nouo ediderat, & inſtituerat. Quibus ſic redactis, ampliatis, &, quæ ſuperflua erant, reſecatis, ac alijs de nouo editis, ipſe Franciſcus de Paula tres Regulas, & capitula huiuſmodi voluerat, & mandauerat per ſingulas dicti Ordinis Minimorum perſonas præſentes, & futuras, prout eis reſpectiuè adaptabantur, pro ſuis ſalutaribus Regulis perpetuis futuris temporibus teneri, & obſeruari, ac earumdem primam fratrum Ordinis Minimorum velut anteà; 2. verò ſororum etiam dicti Ordinis Minimorum; 3. autem vtriuſque ſexus fidelium ſimilitèr Ordinis Minimorum huiuſmodi Regulas irrefragabilitèr appellari, ac per nos benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Nos per reliquas noſtras, Regulas, ac ſtatuta, & ordinationes, necnon capitula huiuſmodi ſic mutata, emendata, moderata, ampliata, & reformata, quæ tunc diligenter inſpici, ac de verbo ad verbum inſeri fecimus, cum defectuum ſuppletione approbauimus, & confirmauimus; Ac pro potiori cautela ea omnia, quæ per Franciſcum de Paula ſtatuta, & ordinata, ac emendata fuerant, de nouo eiſdem modo, & forma ſtatuimus, & ordinauimus, ac voluimus, iuxtà eorum ſeriem, & continentiam ab ipſorum profeſſoribus, qui tunc erant, & pro tempore eſſent, perpetuis futuris temporibus pro eorum regularibus inſtitutis, prout ipſis reſpectiuè adaptabantur, inuiolabiliter obſeruari: Dictarumque trium Regularum; primam fratrum Ordinis Minimorum velut anteà; 2. verò ſororum etiàm eiuſdem Ordinis Minimorum; 3. autèm vtriuſq; ſexus fidelium ſimiliter Ordinis Minimorum huiuſmodi Regulas, ipſumque Ordinem, Minimorum Ordinem perpetuò irrefragabilitèr nuncupari.

Fratres moleſtabātur ſuper quadam Ordinis domo.

§. XXVII. Et deindè pro parte Franciſci de Paula, & aliorum fratrum Ordinis Minimorum huiuſmodi nobis etiam expoſito, quòd licèt olim præfatus Sixtus prædeceſſor eis conceſſiſſet, quòd in quocumque loco, & Diœceſi Eccleſias, & Oratoria recipere poſſent, ac conceſſionis huiuſmodi vigore quamdam domum dicti Ordinis Minimorum per dilectum filium modernum, Dominum de Rambures infrà limites Eccleſiæ Sancti Vlfrani de Abbatiſuilla Ambianenſis Diœceſis fundatam, & conſtructam, ac eiſdem Franciſco de Paula, & fratribus pro eorum perpetuis vſu, & habitatione conceſſam recepiſſent, inibique per triennium, & vltrà vixiſſent, die, noctuque Domino famulantes, ac in humilitatis ſpiritu vota ſua perſoluentes; Quia tamen dilecti filij Decanus, & Capitulum dictæ Eccleſiæ Sancti Vlfrani prætextu quarumdam literarum piæ memoriæ Vrbani Papæ Quinti, etiam prædeceſſoris noſtri eis conceſſarum per quas inhibuerat, ne aliqui Regulares, vel ſeculares infrà fines Parochiæ dictæ Eccleſiæ Sancti Vlfrani poſſent Eccleſiam, vel Oratorium de nouo conſtruere ſinè eorum conſenſu, & Diœceſani Epiſcopi licentia ſpeciali, (ſaluis tamen priuilegijs Pontificum Romanorum) Franciſcum de Paula, & fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi quo minùs præfatam domum de Abbatiſuilla pacificè poſſidere valerent, diuerſimodè moleſtare præſumebant; ipſique, necnon tunc Rector parochialis Eccleſiæ S. Ægidij etiam de Abbatiſuilla dictæ Ambianenſis Diœceſis, corpora defunctorum, qui apud Eccleſiam domus Abbatiſuillæ huiuſmodi ſuam

elege-

Digitized by Google

elegerant ſepulturam, ad eorum Eccleſias deferre, & in eis ſepelire non verebantur in animarum ſuarum periculum, ac priuilegiorum Ordinis Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi conceſſorum non modicum præiudicium, & grauamen. Nos venerabili fratri noſtro moderno Epiſcopo Pariſienſi per reliquas noſtras in forma Breuis literas mandauimus, quatenus Franciſco de Paula, & alijs fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi, quòd omnia, & ſingula Oratoria, Eccleſias, domos, & loca eis in poſterum concedenda recipere, ac dictam de Abbatiſuilla, & alias domos, ſeù Eccleſias, & Oratoria eatenùs per eos recepta, pro eorum perpetuis vſu, & habitatione vigore conceſſionis Sixti, & Innocentij prædeceſſorum prædictorum retinere, abſque alia noua deſuper facienda conceſſione Apoſtolica poſſent, & valerent. Ac quòd ipſe Epiſcopus Pariſienſis dicti Ordinis Minimorum Conſeruator eſſet, & (quotiès opus foret) Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſteret, & non permitteret, quòd Decanus, & Capitulum, aut eorum officialis, aut Rector Eccleſiæ Sancti AEgidij huiuſmodi, aut alij quicumque cuiuſcumque etiam nobilitatis, aut dignitatis exiſterent, fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi, tam in dicta Diœceſi Ambianenſi, quàm alibi in aliquo damnificare, moleſtare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent; Quinimmò corpora quorumcumque defunctorum, qui in Eccleſia domus de Abbatiſuilla huiuſmodi in eorum vita ſepeliri elegerant, cum relictis fratribus domus de Abbatiſuilla huiuſmodi factis, integraliter reſtituerent, nec ipſi, neque alij prædictos, & quoſcumque alios fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi de cætero ſuper ſepulturis, & corporibus illorum, qui in dicta domus de Abbatiſuilla, & alijs eiuſdem Ordinis Minimorum Eccleſijs eligerent pro tempore ſepeliri, impedire præſumerent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhiberet; Ac Eccleſias S. Vlfrani, & S. AEgidij huiuſmodi, necnon alias, ad quas corpora defunctorum, qui in dicta domus de Abbatiſuilla, & alijs Ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſijs iuxta ordinationem ipſorum defunctorum ſepeliri deberent, deferrentur, eccleſiaſtico ſupponeret interdicto. Necnon corpora ipſa eiſdem fratribus Minimis in dicta de Abbatiſuilla, & alijs cæterarum domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſijs reſtituerent, præfata Apoſtolica auctoritate concederet, ac deſuper ſtatueret, & ordinaret, prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.

Vide ſup. in conſtit. Pyrrhi, n. 48.49 §. 9. & hic ſuprà §. 20.

Vide infra conſtit. 2. huius Pontif. §. 21.

B. Franciſcus expoſuit huic Pontifici controuerſias contra Ordinem motas ſuper ſolutione decimarum, & quartæ funeraliũ.

§. 28. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Franciſci de Paula petitio continebat, à certo tempore citra quadam domus ſororum ſecundi Ordinis Minimorum huiuſmodi in Regno Hiſpaniæ cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, hortis, hortalicijs, & alijs neceſſarijs officinis conſtructa, & ædificata, ac per illius ſorores iam per triennium, vel circà inibi iuxta Regulam per præfatum Franciſcum de Paula pro eis inſtitutam, aut ſaltem iuxtà Regulæ huiuſmodi principaliora, ſanctè, ac laudabiliter viuentes, inhabitata fuerit; Et licèt iuxta priuilegia, exemptiones, immunitates, & indulta quæcumque ſingulis Mendicantium Ordinibus, & eorum profeſſoribus, ac domibus, & eorum Eccleſijs per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores, ac Sedem huiuſmodi quomodocumque conceſſa, ſit vnicuique liberum in Eccleſijs dictorum Ordinum ſuam eligere ſepulturam, ac fratres Mendicantium Ordinum huiuſmodi de funeralibus quartam funeralem Rectoribus parochialium Eccleſiarum, in quarum Parochijs ſepulturam huiuſmodi eligentes degebant: Et de fructibus bonorum immobilium, quæ iuxtà dicta priuilegia poſſidere, & tenere poſſunt, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus ſoluere minimè teneantur. Ipſorumque quatuor Mendicantium priuilegia ad Ordinem Minimorum huiuſmodi, ac illius profeſſores, & domos, ac eorum Eccleſias per præfatos prædeceſſores, ac Sedem prædictam extenſa, & ampliata fuerint, & propterea fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi dictis priuilegijs gaudere, & a quarta funeralis, & decimarum prædictarum ſolutione immunes eſſe debeant. Tamen nonnulla eccleſiaſtica perſona (præſertim in partibus Gallicanis) contrà priuilegia huiuſmodi venire non formidantes, Franciſco de Paula, & alijs fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi ſupèr his plurimas moleſtias, impedimenta, atque incommoda inferre, aliquando etiam armata manu, per ſe, vel per alias perſonas, herbarum, & fructuum in hortis domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi excreſcentium decimas violenter capere, atque exigere: Nonnunquam verò dum corpora defunctorum ad Eccleſias domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi inhumanda cum intorticijs, & alijs luminaribus deferuntur, intorticia, & luminaria huiuſmodi etiam in dictis Eccleſijs, & earum Cœmeterijs violentèr auferre, corpora ipſa ſic inhumanda etiam antè ipſorum inhumationem inibi ſine luminaribus relinquere, ac ſuper funeralibus, & decimis, necnon oblationibus fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi factis plurima incommoda inferre præſumunt.

§. 29. Pro parte præfati Franciſci de Paula nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſibi, quòd dicti Ordinis Minimorum fratres pro tempore exiſtentes de hortis, ac virgultis, & alijs bonis, Ordinis Minimorum huiuſmodi domibus, & illarum Eccleſijs pro tempore relictis, ac ſuper luminaribus, & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartam ex funeralibus ſoluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam quomodolibet valeant coarctari, concedere, & indulgere. Ac omnibus, & ſingulis, tàm Pyrrhi Archiepiſcopi, quàm Goffredi Epiſcopi S. Marci, & Sixti, ac Innocentij, necnon Alexandri prædeceſſorum prædictorum, ac noſtris literis prædictis, necnon priuilegijs, indulgentijs, exemptionibus, libertatibus, indultis, facultatibus, immunitatibus, fauoribus, & gratijs quibuſcumque in eis contentis, ſub quouis nomine, ac titulo Ordinis Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & domibus quomodolibèt conceſſis, robur Apoſtolicæ approbationis adijcere, illaque omnia, & ſingula, ac etiam nonnulla alia de nouo ad Ordinem Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonas, & fratres, ac eorum Eccleſias, & domos conſtructas, & conſtruendas ſub Minimorum nomine: Necnon & ad dictam iam conſtructam, & ad omnes alias Eccleſias, & domos ſororum Ordinis Minimorum vbilibèt conſtruendas,

Supplicauit S. P. N. pro opportuno remedio.

das, & ædificandas extendere, & ampliare, ac alias Ordinis Minimorum huiuſmodi in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Hic Pontifex omnia priuilegia Ordinis cõfirmat, & extendit ad omnes domos tã conſtructas, quam conſtruendas.

§. 30. Nos igitur, qui regularem obſeruantiam in locis religioſis vigere, & augeri, ac religioſarum perſonarum, præſertim ſub humili habitu in humilitatis ſpiritu Deo ſeruientium commodum, & tranquillitatem intenſis deſideramus affectibus, eumdem Franciſcum de Paula à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibèt innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Pyrrhi Archiepiſcopi, & Goffredi Epiſcopi S. Marci, ac Sixti, & Innocentij, necnon Alexandri prædeceſſorum prædictorum, ac noſtras præfatas literas, necnon omnia, & ſingula in eis contenta, auctoritate Apoſtolica præfata tenore præſentium approbamus, innouamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, illaque omnia, & ſingula Franciſco de Paula, & alijs Ordinis Minimorum huiuſmodi fratribus, & perſonis, ac illorum Eccleſijs, domibus, & locis conſtructis, & conſtruendis ſub Minimorum nomine, auctoritate, & tenore præmiſſis de nouo concedimus, & indulgemus.

Facultatem recitandi quoſcumq; alios Religioſos concedit.

§. 31. Ac pro potiori cautela, omnia, & ſingula in dictis literis quomodolibèt contenta, etiam quò ad hoc vt Franciſcus de Paula, & alij Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres pro tempore exiſtentes, tam quatuor Mendicantium, quàm aliorum quorumcumque quantumcumque etiam priuilegiatorum Ordinum quaſcumque religioſas perſonas ad ſe venientes, & habitum per eos geſtari ſolitum ſumere volentes, primitùs verbo, vel ſcripto à ſuis immediatis Superioribus, per ſe, vel per interpoſitam perſonam petita licentia, quamuis non obtenta, ad Minimorum Ordinem, & habitum huiuſmodi recipere.

Confeſſioneſque audiendi.

§. 32. Necnon confeſſiones quarumcumque perſonarum, tàm religioſarum, quàm eccleſiaſticarum, & ſecularium vbilibèt audire, & illis auditis perſonas ipſas, & earum quamlibet iuxtà formam, & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædeceſſorem Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & fratribus dudum conceſſi, & confirmati, abſoluere, ac pœnitentiam ſalutarem illis iniungere valeant.

Exemptionem à decimis, & quarta funeraliũ largitur. Vide in cõſt. Pyrrhi, § 12. 11. 54. & cõſt. 2. Iulij §. 19 & 30.

§. 33. Necnon Ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſiæ, & Oratoria, domus, & loca, tàm recepta, quàm recipienda, tanquam Sedis, & Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi ſpecialia Oratoria, Eccleſiæ, domus, & loca, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis prorsùs ab omni decimarum, & oblationum perſolutione, ſeu iuriſdictione perpetuò libera ſint, & eſſe cenſeantur; Ac ſub B. Petri & dictæ Sedis, & noſtra protectione immediatè ſubiaceant. Ipſiuſque Ordinis Minimorum fratres pro tempore exiſtentes de hortis, ac virgultis, & alijs quibuſcumque bonis, Ordinis Minimorum domibus, & illarum Eccleſijs huiuſmodi pro tempore relictis, & legatis; ac ſuper luminaribus, & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartam ex funeralibus ſoluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam cuiuſcumque nobilitatis, aut dignitatis exiſtat, valeant, quomodolibèt coarctari.

Priuilegia data Ordini ſub nomine eremitarum, conceſſa eſſe Minimis declarat. Vide conſt. 1. Alex. 6. §. 2. num. 3. & hanc eandem, §. 7.

§. 34. Quòdque Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & domibus per Sixtum, & Innocentium prædeceſſores prædictos ſub eremitarum nomine dudùm conceſſa priuilegia, ſub nouo nomine, mutatis in eis nominibus eremitæ, ac eremitarum in Minimi Minimorum, ac eremitorij, & eremitoriorum in domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi nomina, cæteriſque ſingulis ad hunc effectum de neceſſitate mutandis, innouata, & mutata ſint, & eſſe cenſeantur.

Omnes gratias quatuor Ordinum mendicantium noſtro Ordini cõceſſas eſſe decernit.

§. 35. Necnon ſupèr omnibus, ac ſingulis maris magni, & alijs quibuſcumque bullis quatuor Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet quomodolibet conceſſis, vnum, vel plura tranſumpta coniunctim, aut diuiſim fieri facere queant, perindè ac ſi illa, mutatis in eis nominibus quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum, & ipſorum Mendicantium, in noſtrum, & fratrum Ordinis Minimorum huiuſmodi nomina, cæteriſque ſingulis ad hunc effectum de neceſſitate mutandis, conceſſa forent; Ac quòd tranſumptum, ſeù tranſumpta huiuſmodi talitèr facta, & manu alicuius Notarij publici ſubſcripta, ac ſigillo alicuius Prælati eccleſiaſtici ſigillata, Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & fratribus pro tempore exiſtentibus adeò vbique locorum ſuffragentur, ac ſi ſingulæ prędictæ bullæ, præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus per quoſcumque prædeceſſores prædictos quomodolibèt conceſſæ, quas hic pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, fratribus ipſis Minimis, & eorum Ordini præfato, etiam ſub Minimorum nomina ſpecialiter, & expreſsè indultę fuiſſent, ac pro eis principaliter emanaſſent.

Nota bene hoc priuilegium quia eo multos parum doctos confundes.

Ordinem ſuper eius Conuentibus moleſtari prohibet.

§. 36. Quòdque S. Trinitatis tunc ad Eccleſiam S. Stephani Giemmi, & aliam Sancti Rochi tunc etiam ad Monaſterium Sancti Saturnini Tholoſani Ordinis Sancti Auguſtini pleno iure ſpectantes Eccleſias, ac illarum domos, necnon reliquiam S. Blaſij, per dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem modernam Dominam de Borbon, ac venerabilem fratrem noſtrum modernum Epiſcopum Gratianopolitanum, etiam tunc dicti Monaſterij Abbatem. Necnon omnia, & ſingula alia Oratoria, Eccleſias, reliquias, domos, loca, Conuentus, & bona in Galliæ, Calabriæ, Siciliæ, Hiſpaniæ, Bohemiæ, & alijs Regnis, ac Italiæ, Picardiæ, Aquitaniæ, Patrimonij, Paulenſis, & Paternæ, alijſque Prouincijs, Ciuitatibus, & locis quibuſcumque, Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus, præfatis quomodocumque conceſſa, & per Franciſcum de Paula, & alios fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi vigore priuilegij Sixti prædeceſſoris prædicti recepta, & per eos catenùs poſſeſſa abſque alia noua conceſſione Apoſtolica perpetuò pacificè poſſidere valeant, ac ſuper illis, aut aliquo eorum à quoquam moleſtari nequeant.

Confluentibus ad noſtras Eccleſias ſacramenta miniſtrari indulget.

§. 37. Et quòd fratres ipſi Minimi in eorum Eccleſijs conſtructis, & conſtruendis, curialibus, mercatoribus, peregrinis, ac tranſeuntibus, & alijs quibuſuis perſonis Euchariſtiæ ſacramentum (quotiès opus fuerit) miniſtrare, ac miniſtrari facere.

Apoſtatas omnes poſſe capere vbilibet cõcedit.

§. 38. Necnon eiuſdem Ordinis Minimorum apoſtatas & gyrouagos quoſcũq; vbilibèt repertos, & quibuſ-

cunque

cumq; literis, ac promiſſionibus Apoſtolicis, etiàm quaſcumque derogatoriarum derogatorias clauſulas in ſe continentibus munitos, quas eis nullatenùs ſuffragari poſſe decernimus, inuocato etiàm ad id (quatenùs opus fuerit) auxilio brachij ſecularis, capere, incarcerare, ac punire, ſeu capi, incarcerari, aut puniri facere liberè, ac licitè valeant.

Indulgentias elargitur. Nota, quòd vacāt quò ad fratres per conſtit. 8. Pauli V. infr. Quò ad alios valent.

§. 39. *Et præfati Ordinis Minimorum fratres, ſorores, & oblati, nec non vtriuſque ſexus Chriſti fideles tertij Ordinis Minimorum huiuſmodi, ac eiuſdem Ordinis Conſeruatores per fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi pro tempore capitulariter electi, ac Tutores, & Tutrices, Fundatores, & Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices, ac eorum vtriuſque ſexus liberi procreati, & procreandi, ſemel in vita, & ità in morte ſicut, ac quæcumq; perſonæ in dicto Ordine Minimorum de cætero recipiendæ, in earum ingreſſu plenariam omnium peccatorum ſuorum veniam, & indulgentiam conſequi, ac quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam recitando, omnes, ac ſingulas indulgentias, quas diebus indulgentiarum omniū Eccleſiarum dictæ Vrbis, & extrà illius muros pro ſtationibus deputatarū conſequuntur Eccleſias Vrbis, & extrà muros huiuſmodi viſitantes, plenè, ac integrè conſequantur, & conſequi poſſint, ac ſi indulgentiarum huiuſmodi diebus Eccleſias Vrbis, & extrà muros huiuſmodi, & earum quamlibet perſonaliter viſitarent.*

Sororibus etiam, & alijs prænominatis priuilegia Ordinis cōmunicat.

§. 40. *Ac tàm prædicta iam constructa, quàm aliæ quæcumq; ſororum ſecundi Ordinis Minimorum huiuſmodi de cætero vbicumq; conſtruendæ, & ædificandæ domus, ac Eccleſiæ, omneſque prænominatæ perſonæ ad eumdem Ordinem Minimorum quomodolibet ſpectantes, omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus, indultis, exēptionibus, fauoribus, & gratijs Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius fratribus, & domibus per præfatorum prædeceſſorum, ac noſtras literas huiuſmodi quomodolibet conceſſis vti, potiri, & gaudere liberè poſſint, & valeant, ac ſi illa omnia, & ſingula eis expreſsè conceſſa fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, ac tenore præmiſſis de nouo indulgemus, extendimus, & ampliamus.*

Contrarijs derogat. Nota benè iſtam derogat. Clem. Religioſi, de priuil. prodicendis oēs §§. 32. 37.

§. 41. *Non obſtantibus ſanctæ mem. Innocentij IV. contrà exemptos, quæ incipit, Volentes, & Bonifacij VIII. quæ incipit, Cum ex eo, ac Clementis V. quę incipit, Religioſi; & Alexandri IV. quæ incipit, Vt Abbates, ac etiam quæ incipit, Viam ambitioſæ cupiditatis, Martini V. Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, & alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, ſtatutis quoquè, & conſuetudinibus. Nec non omnibus illis, quæ præfati prædeceſſores in ſuis, ac nos in noſtris literis prædictis voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 42. *Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad quæcumq; loca, vbi illæ neceſſariæ fuerint, deferre, volumus, & præfata Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd earumdem præſentium literarum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati eccleſiaſtici munitis ea prorsùs in iudicio, & extrà fides plenaria adhibeatur, ac illis ſtetur in omnibus, & per omnia, ſicut ipſis originalibus literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

§. 43. *Nulli ergò omninò hominum liceat, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1506. quinto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno 3.* Apponit pœnas.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

NOto, quòd iſti Pontifici multùm debet noſtra Religio, eo quia non ſolùm confirmauit, & approbauit omnia priuilegia nobis conceſſa à Pyrrho, Sixto, Innocentio, & Alexandro, ſed etiam multò ampliora conceſſit, & particularem geſſit deuotionis affectum ad Ordinem noſtrum, & ad B. N. Patriarcham, eo quia dictus N. P. ei prædixit Papatum Thurone, quando minùs de eo cogitabat, vaguſque odium Alexandri VI. fugiebat; & fertur, quòd hæc formalia verba ei dicta ſint à P. N. *Cum eris Romæ, ſedebis in ſolio Petri, commendo tibi Religionem meam.* Cum autem diuinis, & propheticis verbis reſpondiſſet indubitatus effectus, magnitudo, & gratitudo animi Iulij ſibi deeſſe non potuit, vndè tàm multa contulit in Religionem noſtram.

§. XII.

2 NOto 1. quòd dominium rerum Eccleſiaſticarum eſt ſolius Dei, & D. N. Ieſu Chriſti, nō quidem eo ſolo nomine, quo omnia ſunt eius, iuxta illud Pſalmi 23. *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, & cap. Quo iure, d. 8. ſed etiam eo quod nemo alius eſt Dominus earum, & ſpeciali hominum diſpoſitione ſunt ei dicata, donata, vel aliàs quæſita. Ita Innoc. in cap. Cum ſuper, num. 3. de cauſa poſſeſſ. & propr. Nauarr. de redditib. eccleſ. quæſt. 1. monitu 40. à numer. 1. comm. 2. de regul. num. 3. verſu Ad horum prius. Rodriq. tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 29. art. 5. & eſt definitum in Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 1.

3 Noto 2. quòd ius ſupremum, & generale adminiſtrandi dicta bona eccleſiaſtica eſt apud Papam, & Eccleſiam vniuerſalem. Ita ijdem Doctores.

4 Noto 3. quòd Religiones quò ad rerum temporalium poſſeſſionem ſunt in duplici differentia. Aliæ enim poſſunt poſſidere in communi. Aliæ autem nequaquam. Quæ non poſſunt, ſunt Religiones Capuccinorum, & Minorum de obſeruantia, cæteræ poſſunt, vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 25. de regul. cap. 3. Quę autem poſſunt poſſidere in communi, habent ius particulare adminiſtrandi illa bona, quæ poſſident, & quorum dominium diximus eſſe apud Deum, & ius ſupremum apud Eccleſiam. Illæ verò Religiones, quæ nec etiam poſſunt poſſidere in communi, bonorum Eccleſiaſticorum ius, etiam particulare remanet apud Papam; Ipſæ ſolùm habent eorum bonorum nudum vſum, detentionem, & adminiſtrationem puram facti. Ità Nauarr. & Rodriq. loco cit.

5 Noto 4. quòd hic Pontifex in iſto priuilegio nobis tunc ſolùm conceſſit purum, & nudum vſum facti bonorum nobis relictorum, ſeu donatorum, retinēs apud ſe dominium .i. non ſolùm ius ſupremum, ſed etiam ſpeciale illa adminiſtrandi; cum enim dominium rerum eccleſiaſticarum dixerimus eſſe apud Deum, & D. N. Ieſum Chriſtum, non poteſt eſſe apud Papā; quare per dominium interpretamur ſupremum, & ſpeciale ius. Ita Nauarr. comm. illo 2. de regul. & Rodriq. loc. cit. Quando igitur dicitur, quòd quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio, intelligitur, quòd acquiritur Monaſterio ius ſpeciale acquiſita adminiſtrandi, ſi Monaſterium eſt capax, ſi non eſt capax, illi acquiritur purus vſus facti, & ius etiā ſpeciale Papę. Et quando dicitur, quòd bona eccleſiaſtica ſunt Papæ intelligitur

quò

quò ad adminiſtrationem: & quando dicuntur eſſe pauperum, intelligitur quò ad ſuſtentationem. Ita Innoc. loco cit. Similiter quando dicitur, Iſta religio habet proprium in communi, intelligitur quò ad ius adminiſtrandi. Sed iam omnes Religiones per Trid. loc. cit. poſſident bona in communi.

6 Noto 5. circa repetitionem eleemoſynarum in iudicio, id eſſe etiàm prohibitum in Regula, numer. 24. & conformat cum illo Pauli 2. ad Timoth. 2. *Seruum Dei non oportet litigare*. Videatur Abulenſis tomo 6. in Matth. cap. 13. quæſt. 51. pag. 316. Sed Cardinalis Senogallenſis noſtri Ordinis Protector declarauit, benè poſſe nos eleemoſynas in iudicio repetere per Procuratores, & id de mente Iulij II. vt patet ex conſtitution. 17. huius Pontificis, §. 2. Quod etiam innuitur hoc §. ibi, *Poſſent tamen fratres ipſi, &c.*

7 Noto 6. circa id, quòd dicitur, eleemoſynas eſſe ſcripto redigendas, & de capſa quatuor clauium, & de declaratione ipſarum eleemoſynarum fratribus, quòd hæc omnia præcipiuntur etiam in Correctorio, num. 44. & 47.

8 Noto 7. quantùm attinet ad ſuperflui diſtributionem, id etiam præcipi in Correctorio, num. 47. ſed debere intelligi ciuiliter .i. ſalua ſemper prouiſione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, & alijs neceſſitatibus, & præſertim pro fabrica perficienda. Ita declarauit idem Cardinalis Senogallenſis Protector de mente Sanctiſſimi Iulij I I. loco cit. §. 9.

9 Noto 8. quòd poſſumus habere cippum in noſtris Eccleſijs ad colligendas eleemoſynas, tum promiſſis celebrandis, abſque tamen inſcriptione exterius apparente, per nouam conſt. Vrbani VIII. quam habes infrà in eius conſtit. 9. §. 6. tum ſimpliciter pro eleemoſyna datas. Et eſt conuenienter inſtitutum ad tollendam occaſionem fratribus pecunias tangendi Religionemque defraudandi.

§. XIV.

10 NOta amplius etiam priuilegium ab eodem Pontifice hac eadem bulla infra, §. 35. Pro communicatione priuilegiorum vide, quæ dico ſuprà in conſtit. Pyrrhi, à num. 51. Nota etiàm, quòd communicatio priuilegiorum extenditur ad viuæ vocis oracula. Ita conceſſit Iulius II. Auguſtinienſibus, vt habetur in compend. Minimorum, tit. Communicatio priuilegiorum, §. 25.

§. XV.

11 NOto 1. priuilegium Leonis X. infrà in Leone, conſtitut. eius 4. quod incipit, Iis, quæ §. 3. Vbi expreſsè concedit, quòd famulis in habitu ſeculari in noſtris domibus deſeruientibus poſſimus Euchariſtiæ, etiam in die Paſchatis, & in articulo mortis, & extremæ vnctionis ſacraměta miniſtrare, & eorũ confeſſiones audire, in noſtriſq; Eccleſijs ſepelire.

12 Noto 2. quòd ad hoc vt dictis famulis poſſimus pœnitentiæ ſacramentum miniſtrare, non eſt neceſſe, quod confeſſores ſint approbati ab Ordinatio, ſed ſufficit, quòd ſint approbati à Prælatis Ordinis. Ita Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. c. 6. dub. 1. concl. 1. qui multa priuilegia adducit. Quicquid dicat Suar. tom. 4. de Relig. lib. 9. c. 4. n. 18. tract. 3. Neque obſta Concilium Tridentinum ſeſs. 23. c. 15. de reform. vbi dicitur, *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam ſacerdotum audire, niſi ab Epiſcopo ad id idoneus iudicatus fuerit*. nam intelligitur de ſecularibus extraneis. Facit Clem. Religioſi, §. Sanè, de priuil. vbi familiares excluduntur; & Concilium Trid. nihil videtur innouaſſe, ſed ius antiquum explicaſſe, vt ait Nauar. comment. 2. de regul. nu. 14. verſu Ad quartum. Facit etiam priuilegium ipſum Leonis illis verbis *Confeſſiones audire*: hæc enim verba debent ita explicari, vt aliquid de nouo concedant, ne ſuperfluè ponantur, ergo debent intelligi, quòd poſſint confeſſiones famulorum audiri ab approbatis tantùm à Prælatis Religionum, nam de approbatis ab Epiſcopis dubium non erat, cum ius commune concedat. Clem. Dudum. §. Statuimus, de ſepult. Facit denique declaratio ſacræ Congregationis de anno 1568. die 14. Auguſti, in hæc verba. *Prælati regulares, ſeu alij Religioſi confeſſores non poſſunt audire confeſſiones ſecularium, qui ſunt de familia, & deſeruiunt ipſorum Monaſterijs, abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi: ſecus tamen, ſi illi ſeculares ſunt verè de familia, & continui commenſales*. Per primos enim familiares intelligo eos artiſtas, qui inſeruiunt Monaſterijs, ſed non viuunt in eis, neque dormiunt, vt ſutores, tonſores, &c. qui largè dicuntur familiares ſecundùm Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 67. art. 1. verſu Qui autem dicantur. Per ſecundos intelligo eos, qui ordinariè viuunt in Monaſterijs, comedunt, bibunt & dormiunt in eis, vt habet Rodriq. loco cit. & A Sorbo verbo Interdictum tertio, §. 5. verſu Et notandum, pag. 388. & habetur in cap. fin. de verb. ſignificat. in 6.

13 Noto 3. quòd dicti ſeruitores actu ſeruientes, & intra ſepta Monaſterij reſidentes, non poſſunt ab Epiſcopis excommunicari. Ità conceſſit Leo X. infra in conſtit. eius 26. §. 20. & Alexand. IV. ſupra in Alexand. VI. conſtitut. 4. & confirmat Trid. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 11. verſu Exceptis tamèn iis, &c.

14 Noto 4. quòd dicti confeſſarij poſſunt abſoluere familiares, ſeu famulos laicos intra ſepta Monaſterij commorantes à caſibus locorum Ordinarijs reſeruatis, & pro tempore reſeruandis, non obſtante decreto Congregationis ſub Clemente VIII. & hoc per priuilegium eiuſdem Clementis, conceſſum Carthuſienſibus die 26. Martij, 1602. vt refertur in compend. priuil. Congregationis S. Mariæ Fulienſis, titulo Caſuum reſeruatio, §. 1. Peregrinus 1. part. ſui compendij, tit. Abſolutio quò ad ſeculares, §. 3.

15 Noto 5. quòd Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 11. nomine familiarum intelligit, qui actu ſeruiunt Religioſis, & intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſubque eorum obedientia viuunt. Vnde duas conditiones in his requirit, vt ad hunc effectum cenſeantur familiares. Vna, vt intrà ſepta, ac domos Religionum habitent. Altera, vt actu ſeruiant, & ſub obedientia Religionis viuant, non ſub obedientia ratione voti, quia ſic non eſſent familiares, ſed fratres, ſed ſub obedientia ratione muneris ſeruiendi, cui conſequens eſt, vt obedire debeant, vt benè Suarez tom. 4. de religion. tractat. 3. lib. 9. cap. 4. num. 11. Dubitat autem ibi Suar. vtrùm hæ duæ conditiones coniunctim requirantur, vel diuiſim quælibet earum per ſe ſufficiat, & multis dictis, concludit tandem, num. 15. quòd licèt tutius ſit, ambas requiri, nihilominùs tamen in rigore priuilegiorum non eſſe neceſſarium, ambas requiri, eo quòd ad conſtituendum aliquem familiarem, requiritur ſolùm, quòd in obſequio Religionis maneat, quod optimè poteſt eſſe abſque habitatione intrà ſepta Monaſterij. Sed puto, ſtante dicta declaratione, quòd ambæ requirantur, ad hoc vt poſſint dictis priuilegijs frui. Vide Chokier de exempt. p. 1. q. 30. n. 7.

16 Noto 6. quòd etiamſi dicti famuli ſeruiant pro ſalario, nihilominùs tamen fruuntur dictis priuilegijs. Ita Paſſarell. in notab. priuil. notab. 11. Suarez tomo 4. de relig. tractat. 3. cap. 4. num. 14. lib. 9. quia cum priuilegium indiſtinctè loquatur; nos diſtinguere non debemus. Licet iſtos ſeruientes pro ſalario non gaudere dicat Chokier de exempt. par. 1. quæſt. 30. num. 6. Adde, quòd familiares, & famuli Epiſcopi fruuntur priuilegio fori Epiſcopo competente, vt Zerola 2. p. praxis, verbo Epiſc. n. 24. multos citans, & tamen ſeruiunt pro ſalario. Ergo pari modo famuli fratre, nam regulariter familia gaudet priuilegio Domini, vt idem Zerola ibi.

17 Noto 7. quòd dicti famuli tempore interdicti poſſunt intereſſe diuinis, niſi interdicto cauſam dederint,

vel

vel niſi ſint ſpecialiter interdicti. Item tempore excommunicationis. Ita conceſſit Alexander IV. ſupra in conſtitut. 4. Alexand. VI. Poterunt item dicto tempore in noſtris Eccleſijs eccleſiaſtica ſacramenta recipere, & ſi deceſſerint, ſine pompa ſepeliri. Quæ omnia extenduntur etiam ad Procuratores, & operarios, vt patet ex dicta bulla Alexandri, & habet A Sorbo in compend. priuil. verbo Interdictum, pag. 388. verſu Quintò tertiarij.

18 Noto 8. quòd illa verba. *Et in articulo mortis in dictis domibus ſepulturam eligentes*, non referuntur, niſi ad eos tantùm, qui habitum Religionis portant, non autem ad famulos domorum; Hi enim, etiamſi non eligant ſepulturam in dictis domibus, cum gaudeant priuilegijs Ordinis, poſſunt etiam tempore interdicti, & ceſſationis à diuinis, vt dictum eſt, ſepeliri in noſtris Eccleſijs. Si famuli, aut familiares à Conuentu recedant non fruuntur amplius priuilegijs, Chokier cit. n. 11. ver. Sexta.

§. XVI.

19 NOto 1. quòd hoc priuilegium hodie vacat per Conciliũ Trid. ſeſs. 23. de refor. cap. 12.

20 Si quæras, quas pœnas incurrat Religioſus ordines ſacros ſuſcipiens ante tẽpus determinatum à Concilio. R. incurrere pœnã ſuſpenſionis ipſo facto, qua durante, ſi celebrare præſumpſerit, incurrit irregularitatẽ. Ita Pius II. in conſtitut. quæ incipit, Cũ ex ſacrorum, quã refert Cherub. tom. 1. bull. in Pio II. conſtitut. eius 7. pag. 319. qui etiam coſiæret alia cõſtit. Sixti V. quæ incipit Sancti, & ſalutare, quã refert Cherub. tom. 2. bull. in Sixto V. conſtit. eius 91. pag. 651. Quæ tamen reducta eſt ad terminos ſacrorum Canonũ, & dictæ conſtit. Pij II. & Concilij Trid. à Clemẽte VIII. in conſt. eius 40. quæ incipit, Romanum, tom. 3. bull. apud Cherub. in Clemente, conſtit. eius 3. pag. 54. præterquam quò ad ſimoniaci promotos, & promotiẽtes.

21 Si quæras vlterius, an ordinatus ante legitimam ætatem, cum ad eam peruenerit, poſſit abſq; aliqua abſolutione dictæ ſuſpenſionis celebrare. Res eſt cõtrouerſa apud Doctores; Negant Nauarr. in cap. Accepta, de reſtitut. ſpoliat. oppoſit. 8. n. 35. Rodriq. tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 23. artic. 14. Mirand. tom. 1. manual. quæſt. 39. artic. 10. Rebuffus 2. p. praxis, regula 25. gloſſa 4. notab. 3. pag. 314. tit. De Clericis ad ſacros ordines malè promotis. Quaranta in ſum. bull. verbo Ordo, verſu Colliguntur, pag. mihi 481. Toletus in ſumm. lib. 1. cap. 61. num. 1. Gutierrez lib. 1. can. quæſt. cap. 26. num. 21. Henriq. lib. 13. de excommunic. cap. 38. §. 1. in comment. litera F. multos citans. Quia cum ſit ipſo iure ſuſpenſus, ſi temerè ordines ſuſcipit, neceſſe eſt, vt priuſquàm ordines exerceat, ſit ab ipſa ſuſpenſione abſolutus. Contrarium verò (nimirum, quod, elapſo tempore ſuſpenſionis, ſit ipſo iure reſtitutus, abſque alia abſolutione) docent Paſſarell. in notab. priuil. notab. 27. in fine. A Sorbo in compend. verbo Ordines ſacri, verſu Item notandum, pag. 456. Zerola 1. parte praxis, verbo Dimiſſoriæ ad Ordines, ad quartum, verſu Quartum. Sotus in 4. diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 2. fine. Videtur inclinare Sayrus lib. 4. de cenſuris, cap. 14. nu. 15. Quia, aiunt, veriſſimum eſt, quòd temporanea ſuſpenſio, adueniente tempore, non indiget abſolutione, vt Miranda cum communi, tom. 2. manũal. quæſt. 36. artic. 16. concluſ. 2. Henriq. lib. 15. cap. 35. num. 2. vbi in commento, litera X. multos citat.

22 In hac re videtur eſſe aliqua difficultas, nam bulla Pij II. non dicit, quod ſit ſuſpenſus, qui ante ætatem legitimam, vel ſine dimiſſorijs, vel extra tempora ordines ſuſcipit maiores, vſque dum perueniat ad ætatem legitimam, ſi enim hoc diceret, nulla eſſet difficultas. Sed quia iſta extrauagans Pij II. non inducere videtur ius aliquod nouum, niſi in quantùm apponit ſuſpenſionem ipſo facto, quæ priùs erat ferenda, vt in cap. Vel non eſt compos, de temp. ordin. & in iſto cap. dicitur, quòd qui antè ætatem fuerit ordinatus, ſit ſuſpẽſus, donec ad legitimam ætatem peruenerit, ideò Doctores etiam dictam extrauag. Pij II.ità interpretati ſunt, vt illa etiam intelligatur, donec ad ætatem legitimam peruenerit, præſertim Sotus loco cit. fine. Syluester verbo Aetas, quæſt. 1. num. 2. verſu Tertium; Videtur etiam dicere Rebuffus addit. ad regulas Cancell. regul. 23. §. Si ante ætatem, verbo Ordinatus verò, pag. 513. videatur Scortia in bull. ſelect. theorem. 109. verſu Quærenti etiàm.

23 Noto 2. eum, qui accipit presbyteratum ante legitimam ætatem, non fieri eo ipſo irregularem, quia cum Epiſcopo ordinante celebret. Quicquid dicant Nauar. lib. 5. conſ. conſ. 8. de Clerico excom. celebr. & à Sorbo loco cit. verſu Sed hic aduertenda. Quia actiones illæ, quæ exercentur ab ordinatis cum Epiſcopo, non cenſentur moraliter actus diſtincti ab ordinatione ipſa: Cum igitur ſuſpenſio incurratur ratione ordinationis, non poterit incurri irregularitas propter illa miniſteria, quæ ſunt circumſtantiæ neceſſariæ ad illam actionem ordinationis. Et ita habet ſtylus Cancellariæ, quæ hos irregulares non reputat, cum non diſpenſet ſuper irregularitate, ſed tantùm abſoluat à ſuſpenſione. Ita Additionator Nauarri ad illud conſilium 8. Suar. de cenſur. diſput. 31. ſect. 1. numero 70. & ſequ. Filliuc. tractat. 17. cap. 10. quæſt. 8. numero 191. tom. 1. Quaranta verbo Ordo, verſu Ampliatio illa, pag. 482.

24 Noto 3. quòd non fit irregularis Religioſus, qui ordinatus ante tempus, exercet actus ſolis ſacerdotibus conuenientes, vt V. G. ſi ſtet, & ſedeat inter ſacerdotes, ſi votum emittat in electionibus, vel ſe eligi permittat, quia iſta non ſunt diuina officia. Ita in terminis Nauarr. lib. 5. conſil. de Cleric. excomm. conſil. 9. nu. 4. Rodriq. tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 23. artic. 12. Quaranta loc. cit. Miranda tom. 1. manual. q. 39. art. 9. concl. 2. Peccat tamen mortaliter ſe prædictis actibus, cum ſit ſuſpenſus, ingerens, vt prædicti Doctores aſſerunt.

25 Noto 4. quòd non incurrit irregularitatem ordinatus ante tempus, ſi exerceat ordines ritè ſuſceptos, ſed ſolùm quando exercet actum ordinis malè ſuſcepti, V. G. ſi malè ſuſcepit ſacerdotium, & benè reliquos ordines, canendo epiſtolam, etiam ritu ſolemni, vel euangelium, non fit irregularis; fit autem, ſi miſſam celebret. Ita Suar. tom. 5. in 3. p. diſput. 31. ſect. 1. ſuſpenſ. 6. num. 31. Quaranta in ſumm. bull. verbo Ordo, verſu Quarta limitatio, pag. 488. Addition. Panor. ad cap. 2. de Clerico excom. litera C. Scortia in ſelect. bullas, theorem. 109. Quia verba illa poſita in conſtit. Pij II. *A ſuorum Ordinum executione ipſo iure ſuſpenſi ſint.* intelligenda ſunt hoc pacto, videlicèt. A ſuorum ordinum ſic malè ſuſceptorum, non autem a benè ſuſceptorum. Colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 2. fine ibi, *A ſuorum ordinum ſic ſuſceptorum, &c.*

26 Noto 5. quòd ſi ordinatus ante tempus ad ſacerdotium dicat ſolemniter collectam in choro, vel capitulum, fit irregularis, quia iſti actus ſunt deputati ordini ſacerdotali. Ita Nauarr. lib. 5. conſil. de Clerico excomm. conſ. 10. Idem dic, ſi ſolemniter baptizaret, vel ſolemniter aquam benediceret. Videatur Sylueſt. verb. irregularitas, q. 13. verſu Quartum ſi ſacerdos. Similiter ſi benedicat menſam in refectorio. Rodriq. to. 1. quæſt. regul. q. 20. artic. 14. col. 3. fine. Non incurreret autem ſi in choro vel refectorio non adeſſet alius ſacerdos, quia tunc ad Diaconos pertinet, &, iſtis deficientibus, ad alios Clericos, qui tamen verſum Dominus vobiſcum non dicunt. Videatur Panor. in cap. fin. de exceſſ. Prælat. num. 5. & eius Additionator litera L. Sayrus lib. 4. de cenſur. c. 16. à num. 14.

27 Noto 6. quòd qui bona fide ſine dolo, inaduertenter, aut ignoranter, vel imprudenter ante legitimam ætatem ordinari ſe fecit, putans ſe habere legitimam, non incurrit pœnam ſuſpenſionis poſitam in dicta extrauag. Pij II. quia illa ſolùm punit præſumentem, ac temerarium, quare cum ad ætatem peruenerit, poterit ſine ſcrupulo celebrare. Ita Nauarr. in cap. Accepta, de

reſtitut. ſpoliat. oppoſ.8. num.32. & in ſumm. cap. 27. nu.156. Quaranta in ſum.bull. verbo Ordo, verſu Quibus ſic, pag. mihi 486. Rodriquez tomo 3, quæſt. regul. qu.23. artic.11. Filliuc. tom.1.tract.17. cap.5. qu.5. nu.84. Miranda tom.1.manual. qu.39.artic.6. verſu Solummodò eſt difficultas; Ledeſma 1. part. ſum.de ſacramen.ord..cap.7.conclu.1. verſu Lo tercero ſe hà de aduertir, pag.658. Suar, tom.5. in 3.par.diſp.31. ſect.1. numero 26.

28 Idem ſenſit Nauarr. loco citato de reſtit. ſpoliat. numero 35. de eo, qui temerariè quidem ordinatus fuit à principio, poſteà tamen bona fide, & candida ſimplicitate, per pœnitentiam purgato peccato illius malæ ſuſceptionis, ordinem exercuit, id ſibi licere putans; hunc enim, ait Nauarr. non fieri irregularem. Sequitur Ledeſma loco citato, quia hic deeſt præſumptio.

29 Sed quid de eo, qui bona fide ad presbyteratum ordinatus eſt propter parentum teſtimonium, credens habere ſe legitimam ætatem, poſteà, adueniente mala fide, & ſciens, ſe non habere legitimam ætatem, antequam ad eam perueniat, celebrat.

℞. Hunc non incurriſſe à principio ſuſpenſionem propter dicta, vnde, adueniente mala fide, ſi celebret, non eſt cur irregularitatem incurrat. Ita Nauarr. lib.1.conſil.de temp. ordin. conſil.8. Quaranta in ſum. verbo Ordo, verſu Notandum, quòd in ordinato pag. 487. Rodriq. tomo 3. quæſt. regul. quæſtione 23. artic. 14.

30 An autem iſte celebrando peccet. Nauarr.loc.cit. putat, nullo modo peccare, quod non omnino improbabile dicit Ledeſma loc. cit, diffi ult. 3, verſu Por lo qual, pag 662. Rodriquez tamen, & Zerola 1. part. praxis, verbo Dimiſſoriæ ad ordines, ad quartum, notab. 5. cenſent, eum peccare mortaliter toties quoties celebrat, Et eſt certius, nam ſciens prohibitionem de non celebrando ante ætatem, ſi celebrat, facit contra iura in re graui, quod eſt mortale.

31 Si quæras, quis poterit abſoluere à ſuſpenſione eum, qui ante ætatem ſcienter ordinatus eſt, cum ad ætatem legitimam peruenerit, abſque eo quòd in malè ſuſcepto ordine miniſtrauerit.

℞. Hoc dubium procedere in ſententia eorum, qui tenent, hanc ſuſpenſionem eſſe perpetuam, & nullum poſſe celebrare, etiam quando venerit ad legitimam ætatem ſine abſolutione ab ea de qua diximus hic ſuprà, nu.21. Dico itaque, quòd iſte, qui ordinatus eſt ante ætatem, & per conſequens remanſit ſuſpenſus, vel ſolum eſt talis in foro conſcientiæ, vel etiam talis ſuſpenſio deducta eſt ad forum contentioſum. Si ſuſpenſus eſt ſolùm in foro conſcientiæ, poſſunt Prælati regulares, Generales videlicèt, & Prouinciales abſoluere. Ita Rodr. tom. 1. q. regul. q.20. art.14. & art.1. refert ad hoc priuilegium Clem. IV. quod etiam refert Caſarub. in comp. verbo Abſolutio ordinaria quo ad fratres n.7. Et hic Pontifex nobis id clarè concedit in eius conſt.2.§.9.infr. Quod etiam cōceſſit Greg.XIV. Clericis, qui Miniſtri infirmorum dicuntur, in bulla, quæ incipit, Illius, §. 27. quam refert Cherubinus tomo 2. bull. in Gregorio XIV. conſtitut. eius 17. pag. 706. de qua etiam A Sorbo in compend. verbo Abſol. ordin. quoad fratres, titul. Ex priuil. eorum, qui Miniſtri infirm, appell. in princ. in qua ſic habetur. *Ac pro tempore exiſtenti Præfecto generali huiuſmodi, vt per ſe, vel per alium, ſeu alios, ad id per eum pro tempore deputatum, ſeu deputatos, omneſque, & ſingulos eiuſdem Congregationis ſocios, & perſonas ſub eius obedientia, diſciplina, & correctione pro tempore degentes ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, ante, vel poſt ingreſſum in dictam Congregationem per eos commiſſis, necnon à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, & ſecularibus ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibèt latis, & promulgatis, & huiuſmodi ſententijs innodatos, aut in locis eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, diuina officia celebrantes, aut ordines ſuſcipientes, & cenſuris huiuſmodi ſic ligatos, & propterea, aut aliàs ex quocumque capite, vel cauſa, prætérquam homicidij voluntarij, bigamiæ, ac membrorum mutilationis, irregularitatem incurrentes, Apoſtolica auctoritate, in foro conſcientiæ tantùm abſoluere, necnon cum eis, ſi opus fuerit, etiàm cum rehabilitatione, & abſterſione inhabilitatis, & infamiæ maculæ diſpenſare, &c.*

32 Circa quod priuilegium noto primò, quòd abſoluere à prædictis, ad Generalem vel ab eo deputatos pertinet; Quare Prouinciales, neq; Correctores per hoc priuilegium poterunt abſoluere ante ætatem ordinatum. Quod Prælati poſſint infamiæ maculam abolere tenet Llamas 4. p, meth.c.3.§.8.

33 Noto etiam, ne ſcrupulis angaris, quod dicti Clerici miniſtri infirmorum gaudent priuilegijs Mendicantium, vt patet ex dicta bulla, Illius, §. 26. Et dicit Rodriq. tomo 1, quæſt. regul. quæſt. 55. artic. 11. & Mendicantes, qui habent priuilegium, vt poſſint frui priuilegijs alijs non ſolùm conceſſis, ſed etiam concedendis, vt nos Minimi habemus à Iulio Secundo, per hanc conſtitut. §. 14. illis verbis *Per quoſcumque Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam conceſſis, ac in poſterum concedendis.* poſſunt etiam frui priuilegijs conceſſis dictis Miniſtris infirmorum. Neque valet, ſi dicas, Iulium II. locutum fuiſſe de priuilegijs concedendis Religionibus ſuo tempore à Sede Apoſtolica approbatis, & Religio horum Miniſtrorum multo tempore poſt fuit approbata. Nam priuilegia Mendicantium à Sixto V. fuerunt non ſolùm approbata, ſed etiam de nouo conceſſa, vt habet Rodriq. tom. 1. quæſt.regul. qu.55. art.17. Qui idem Pontifex etiam approbauit dictum Ordinem Miniſtrorum infirmorū vt patet ex eius cōſtit. 25. in bull. Cherub. fol.519. quæ incipit, Ex omnibus, & noſtra priuilegia fuerunt ex certa ſcientia, quæ habet vim nouæ conceſſionis, vt dixi ſupra in conſt.2. Sixti IV. num.4. confirmata ab Vrbano VIII. feliciter regnante, vt conſtat ex eius conſt.1.§.1.

34 Maneat igitur tamquam certiſſimum, quòd Prælati regulares, Generales videlicèt, & Prouinciales, ac etiam Correctores, & horum Vicarij poſſunt abſoluere à ſuſpenſione incurſa propter ſumptionem ordinum ante tempus, cum ordinatus ad ætatem legitimam peruenerit, & interim non celebrauerit, & hoc in foro conſcientiæ. Quod etiam ampliùs patet ex eo quòd Epiſcopi id poſſunt per Conc. Trid.ſeſſ.24.de reform.cap.6. & eam auctoritatem, quam habent Epiſcopi in ſuos ſubditos in foro conſcientiæ, habent Prælati regulares in ſuos, ſi non vigore dicti capitis Liceat, vt aliqui volunt, ſaltem vigore priuilegij Pij V. de quo dixi ſupra in conſtit.Pyrrhi, num.46. In terminis hanc noſtram opinionem tenent Zerola 1. p. prax. verbo Dimiſſoriæ, ad quartum, notab.1. & 2. Quaranta in ſum.bull. verbo Ordo, verſu Tertiò limita, pag. mihi 487. Sayrus lib.4. de cenſuris, cap.16.nu.28. qui contrarium dicere videtur lib.6.cap.12. numer.14. Bonacina de cenſuris, diſp.3. quæſt.6, puncto 5.num.5. verſu Tertiò huius. Suar. de cenſuris, diſputat. 31.ſect.1. numero 32. fine. Sbrozzius lib.2. de offic. Vic. quæſtione 20. fine; licèt notetur in ſynopſi, quæſtione 21. numero 10. Et quod dico de ſuſpenſione, quando eſt occulta, & in foro conſcientiæ, quando ordinatus non celebrauit, intellige etiam de ea, quando celebrauit, & de irregularitate, quam celebrando incurrit: nam cum ad ætatem legitimam peruenerit, poteſt etiam Prælatus regularis eum abſoluere, & diſpenſare: non ſolum vt in malè ſuſceptis miniſtret, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam vt vlteriùs ad alios promoueatur, vt benè Cruz libro primo de ſtatu Relig. capit. ſexto, dub. 15. concluſ.7. Portel in dub.regul.verbo Ordines ſacri nu.14. Quare quando Nauarr. in manuali, cap. 25. num. 70. & Rebuffus 2. part. praxis, tit. De Cler. ad ſacr. ord. malè prom. notab.4. & alij dicunt, quòd in iſta irregularitate ſolus Papa diſpenſat, intelligendi ſunt, ſecluſis priuilegijs, nam Papa hanc poteſtatem communicare poteſt cuicumque voluerit.

35 Si autem ſuſpenſio ſit deducta ad forum contentioſum, an poſſint Prælati regulares ſuos ſubditos abſoluere, & diſpenſare in irregularitate ſimiliter ad idem forum deducta, maius dubium eſt. Rodriq. tomo 1. quæſt. regul. quæſt.20. artic. 14. fine reſpondet, quod quando ſuſpenſio non eſt perpetua, poſſunt: Poſſunt etiam, quando non eſt reſeruata Pontifici, licèt ſit perpetua; Hæc pœna contra ordinatos ante ætatem licèt ſit perpetua, non eſt tamen reſeruata; vnde poterunt Prælati regulares ab ea abſoluere, vt habet Henriq. libr.13. de excommunic. cap. 35. nu. 2. Miranda tom.2. manual. Præl. qu. 36.art. 16. concl.7. fine Suar.de cenſuris, diſp.29. ſect.1. num. 15. Sayrus lib.4. de cenſuris, cap.17. nu.12 & refert Peregrin. 2. part. ſui comp. tit. Ordines, §. 2. Sixtum IV. conceſſiſſe Prælatis Oliuetanorum, vt poſſent abſoluere ſuos ſubditos ordinatos ante legitimam ætatem, qui in ordinibus miniſtrarunt à ſuſpenſione, & ita cum eis diſpenſare in irregularitate, vt non ſolùm in ſuſceptis miniſtrent, ſed etiam vt ad omnes alios, etiam presbyteratus promoueantur.

36 Sed licèt ſupradicta vera ſint, & pateant etiam per priuilegia citata, numer. 31. in quibus conceditur facultas abſoluendi ab omni ſuſpenſione, non determinando, an ſolùm in foro conſcientiæ, an in foro fori, tunc enim, cum fauores ampliandi ſint, iuxta regulam iuris *Odia reſtringi*. quæ eſt 15. de regul. iur. in 6. intelligendum eſt in vtroque foro. Audio tamen, quòd ſtylus Curiæ Romanæ, cui ſtandum eſt, in hoc caſu habet contrarium, quia omnes tales ordinati ante tempus, vel ſine dimiſſorijs, vel extra tempora, ſiue Regulares, ſiue ſeculares Clerici ſint, petunt diſpenſationem à Papa, vel per Datarium, vel per ſummum Pœnitentiarium.

37 Idem dico de irregularitate, quando ordinatus ante ætatem celebraſſet, nam licèt Regularium Prælati habeant auctoritatem diſpenſandi in quacumque irregularitate in vtroque foro, exceptis tribus, nimirum homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, vt Miranda tom.2.manual.qu.8. art. 14. concl.5. vbi affert multa priuilegia, & conſtat ex conſtit.2. Iulij II. §. 29. Hoc caſu tamen propter ſtylum Curiæ in contrarium, in foro contentioſo puto id tutè fieri non poſſe.

38 Sed quid poſſit ſtylus Curiæ Romanæ, ſi quæras.

℞. Facere ius, & nihil contra ipſum facta valere. cap. Ex literis, de conſtit. & cap. Quàm graue, de crim. falſi. Felin. in cap. Ex parte, de reſcript. nu. 16. & in cap. Ex literis, num. 4. Guido Papa quæſt. 119. Paulus Pariſius part.1. conſil.44. num. 17. Menochius conſil.270. num.19. Aloyſius Riccius collect.1206. qui addit, quòd ſtylus Curiæ præualet etiam conſuetudini; & collect.794. aſſignat ſtyli Curiæ multos effectus. Verum quidem eſt, quòd vnius Doctoris dicto, de ſtylo atteſtantis ſtandum non eſt; cum enim ſtylus in facto conſiſtat, debet pluribus de certitudine, & ſcientia atteſtantibus probari. Menoch. conſil.464. numer. 27. & conſil. 364. num.12. & omnium probationum maxima eſt aſſignatio alicuius caſus in quo ita fuiſſe obſeruatum probetur. Menoch. conſ.480.n.9. Vnde cum de ſtylo certò non conſtat, iuri ſcripto ſtari poteſt. Caſſiodorus tit. de reſtit. ſpoliat. deciſ. 9. n.17.

39 Sed quid, ſi Epiſcopus ante ordinationem præmittat excommunicationē, ne quis habens impedimentum occultum accedat ad ordines ſuſcipiendos.

℞. Quòd iſta excōmunicationi primis afficit nō ſolùm Clericos, ſed etiam Regulares, nam licèt in Regulares iuriſdictionem non habeat, quia tamen prohibentur à Papa per Canones, & Pontificias conſtitutiones ordines ſuſcipere, niſi debitas, & requiſitas conditiones habeant, ideò poteſt Epiſcopus dictos Canones, & conſtitutiones Pontificias adiuuando, pœnam apponere, per doctrinam Panor. in c. Innotuit, de eo, qui furt. ord. ſuſc. num.2. vbi adducit cap. Vt animarum, de conſtit. in 6. docet Gloſſa in Clementina Ne Romani, de elect. verbo Tolli. Deinde videndum eſt, an prædicta excommunicatio ſit lata, vel ferenda; Nam ſi lata ſit, ſuſcipientes ordines cum impedimento occulto, ætatis V. G. incurrunt irregularitatem; excommunicatus enim ſuſcipiens ordines, etiam minores, fit irregularis. Nauarr. c.25.nu.72. verſu Decimò peccat. Si ferenda, vel comminatoria, peccant mortaliter Zerola 1. part. praxis, verbo Dimiſſoriæ ad Ordines, ad 4. fine.

40 Sed quis abſoluet ab hac excommunicatione, & ſuper irregularitate diſpēſabit. Nauar. in ſum. c.25.n.7. verſu Sextò peccat, dicit, hoc pertinere ad Papā, citat c. Innotuit, de eo, qui furt.ord.ſuſcep. & eſt verum, non ſolùm ſecundùm prædictum cap. Sed etiam per duo antecedentia. At per priuilegium puto poſſe Prælatos regulares. Innuitur dicto cap. Innotuit, & alijs antecedentibus, quatenus dictis cap. datur facultas Epiſcopo diſpenſandi cum taliter ordinato, ſi, habitu regulari ſuſcepto, pœnitentiam egerit; quatenus etiam Prelati regulares auctoritatem habent quaſi epiſcopalem, & eamdem in ſuos ſubditos Regulares, quam Epiſcopi in ſuos, & quatenus poſſunt diſpenſare in omni irregularitate, vt dixi hic ſuprà, num. 37.

41 Monet autem Henriq. lib.10. de ſacram.ord.c.20. nu.1. & 2. & eum ſecutus Filliuc. tom.1. tract.9. c.5.q.5. num.99. Quòd non deberent Epiſcopi accedentes ad ordines prohibere ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ne accedant cum impedimento occulto, & multò minùs edicere, ſe non habere intentionem ordinandi eos, qui eſſent aliqua cenſura irretiti, vel irregulares, ne ſint occaſio inijciendi nouos laqueos, quin potiùs deberent ad cautelam in generali, ſic accedentes ab omni excommunicatione, & cenſura abſoluere, diſpenſareque in omni irregularitate in qua poſſunt ſecundùm Deum, & Canones, ſicut monet Pontificale Romanum.

42 Quæ abſolutio, & diſpenſatio prodeſt pro rebus dubijs, & oblitis, ſicut abſolutiones, quæ fiunt a Prælatis tempore viſitationum, vel reconciliationum, de quibus dixi tom.1. Religioſi, qu. 1. cap. 5. fine. Et ità prodeſt dicta abſolutio, & diſpenſatio data in generali, vt ſi quis deinde fuerit recordatus ionodanim ſe fuiſſe aliqua excommunicatione, ſeu irregularitate, non tenetur de his ampliùs abſolutionem quærere, quia iam ſublatæ cenſentur, ſed ſatisfacit confitendo peccata, ob quæ illa incurrit, quæ peccata iam reſeruata non ſunt. Atque ita docet Nauarr. in ſum. c. 26. num.13. Sylu.verb. Confeſſio primò, quæſt. 4. nu. 7. & alij, quos citat Nauarr.

43 Sed, an proſit Regularibus exemptis, poſſet dubitari. ℞. Tamen prodeſſe, ſi accedant cum licentia Prælati, ſicut ſi data eſſet abſolutio, & diſpenſatio à proprio Prælato, qua omnia videntur conceſſa, ſine quib. ordinatio non poteſt rectè expediri. Ita Henriq. lib.10. de ſacram.ord.c.20.n.2. Sylu.verbo Irregularitas. q.9.nu.11. fine; habetur in c. Prætereà, de off. deleg.

§. XIX.

44 ADuerte, quòd hic concedit, quod tantùm Generalis, & Prouinciales poſſint benedicere omnia ornamenta eccleſiaſtica. Quam facultatē extendit etiam ad Correctores locales Leo X. vt cōſtat ex illius conſtit. 18. §. 3. infra, quę incipit, Religionis. Et probaui 2. p. Ritualis, notab. 9. vbi etiam probaui notab. 8. prædictos poſſe, non ſolùm corporalia, & alia ornamenta eccleſiaſtica benedicere pro vſu ſuarum Eccleſiarum, ſed etiam pro alijs Eccleſiis.

§. XX.

45 NOta, quòd hoc eſt magnum priuilegium, & nuſquàm alijs conceſſum, vt dicit Caſarub. in comp. priuil. verbo Aedificate, numer. 20. vbi A Sorbo vocat hoc priuilegium nobile. Sed hodie vacat, per ea, quæ dixi ſupra in conſtit. Pyrrhi, num. 48. & 49. Et nota hic etiam auctoritatem, quam habent Conſeruatores excommunicandi moleſtantes, & inquietantes.

§. XXI.

46 ADuerte, quòd iſta facultas fuit limitata per Leonem X. in Concil. Lateranen. vt patet infra in Leone, conſtit. 26. §. 13. vt ſcilicèt non poſſemus Eccleſias conſecrari facere ab alieno Epiſcopo, niſi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reuerentijs, & inſtantia requiſitus, ſinè legitima cauſa recuſauerit. Sed iam ſupradicta priuilegia ceſſarunt per Concil. Trid. ſeſſ. 6. de reform. cap. 5. vbi dicitur *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia*. Rodriquez tamen to. 1. q. regul. q. 19. art. 4. & Miran. to. 2. manual. q. 39. art. 1. concl. 3. putant, quod priuilegium Leonis, quando ſcilicet Ordinarius fuerit à fratribus ter requiſitus cum debita inſtantia, & reuerentia, non ſit reuocatum. Nam dicunt, Concilium ſolùm intendit, quòd nullus Epiſcopus poſſit pontificalia exercere in aliena Diœceſi virtute cuiuſcumq; priuilegij, non tamen negat, Epiſcopos ea poſſe facere virtute iuris communis. Et dicunt, quòd in iure communi habetur cap. 1. de ſuppl. neglig. Prælat. quòd ſi Ordinarius Diœceſanus tertiò cum humilitate, & deuotione requiſitus, noluerit Abbatem benedicere, ipſe Abbas Monachos ſubſtitutos in Abbates benedicere poſſit. Et ſimile quid dicunt quòd conceditur in cap. Nihil eſt, de elect. §. vlt.

47 Sed nihilominùs puto, quòd dictis priuilegijs per Concilium ſit derogatum. Nam cap. Nihil eſt, ſolùm conceditur, quòd Epiſcopi, qui ſunt vltra Italiam, poſſint ante confirmationem miniſtrare propter neceſſitates Eccleſiarum, & vtilitates in ſpiritualibus. Et quia Abbas ante benedictionem non recipit poteſtatem ſpiritualem, vt Abbas dicto capit. 1. num. 2. Ideò ne Monaſteria propter Epiſcoporum negligentiam detrimentum aliquod in ſpiritualibus paterentur, Papa dicto cap. 1. De ſupplenda, concedit, vt dicto caſu poſſint Abbates ſubſtitutos ſuos benedicere. Sed in noſtro caſu nulla talis neceſſitas, neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus apparet, cum Prælati regulares habeant auctoritatem Eccleſias ſui Ordinis ſolemniter benedicendi, vt conſtat ex §. ſequ. & dixi 2. p. Ritualis, notab. 2. & in Eccleſijs benedictis bene poſſunt diuina celebrari, ſicut in conſecratis.

§. XXIII.

48 NOta, quòd loquitur de his, qui tempore conceſſionis erant recepti in Religione, & de quibus, propter non ſeruatam ad vnguem formam iuris communis in tranſeundo ad noſtram Religionem, poterat eſſe, vel oriri aliqua dubitatio, vel lis; ad quæ tollenda Pontifex hoc §. conceſſit, vt perpetuò permanerent in noſtra Religione, & etiam quò poſſent abſolui à quacumq; excommunicatione, & diſpenſari ſuper quacumq; irregularitate, incurſis propter dictam cauſam. Itaque puto, quòd hoc priuilegio nihil prouiſum ſit pro futuro, ſed tantùm pro illo tempore, maximè quòd hæc eadem conſtitutione infrà, §. 31. prouidet pro tranſeuntibus in futurum.

§. XXIV.

49 NOto 1. quòd nomine Tutricum intelligo eas deuotas, quæ Religionem verbis, & operibus tuentur toto corde, & affectu, ad quas animandas pro Religionis augmento Papa concedit hoc priuilegium. Non verò intelligo nomine Tutricum eas mulieres, quæ habent aliquam participationem, vt vocant, datam ſibi ab aliquo fratre conſanguineo, vel amico, etiamſi ſit à Generali ſubſcripta, ſi prædicta non faciant, nimirum verbis, & operibus Religionem tueantur. Et iſtæ, quantumuis dictam participationem habeant, ſi benefactrices dicto modo non ſint, non participant de bonis operibus fratrum, nam Generales intelligunt ſemper dari illas participationes veris benefactoribus.

50 Noto 2. quòd nomine Fundatricum veniunt ſolummodò tria perſonarum genera, 1. earum, quæ Conuentum ædificant, vel in maiori parte. 3. earum, quæ dant redditus pro ſuſtentatione fratrum in numero competenti, V. G. octo, vel decem ad minus, prout determinatur in Capitulo Genuenſi 1. num. 11. Nec Capitulum Generale habet auctoritatem adſcribendi in numerum Fundatricum, niſi dicta tria genera perſonarum. Nec priuilegia conceſſa à Regula, vel Pontificibus Fundatricibus, extenduntur niſi ad ſupradictas perſonas, vt ex dictis Regula, & priuilegijs patet. Vnde quantumuis aliqua mulier benefactrix exiſtat, ſi vnum ex tribus dictis non fecerit, non poteſt eſſe Fundatrix, nec priuilegijs Fundatricum frui. Quod etiam determinatum fuit in Capitulo Romano vltimo, ſeſſ. 9. nam hæc priuilegia conceſſa ſunt ſpecialiter, vt Religio augeatur, amplietur, & dilatetur. Quare falluntur multi, arbitrantes, poſſe aliquam mulierem maximè benefactricem aſſumi in numerum Fundatricum, & ſic in Capitulo Generali procurant, vt in dicto numero adſcribatur, qua adſcripta, putant, quod poſſit frui Fundatricum priuilegijs, Conuentus ingredi, &c. falluntur, inquam, quia ſi vnum ex dictis tribus non fecerit, non poteſt dictis priuilegijs verè fundatricibus conceſſis, frui. Quare ſi Monaſteria ingrediatur, incurrit (ſi bona fides non excuſet) in excommunicationem maiorem latæ ſententiæ, à ſolo Papa abſoluenda. Et Superiores, ſeu fratres admittentes, vel introducentes incurrunt ſuſpenſionem à diuinis ipſo facto, & priuationem officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatem ad alia in poſterum obtinenda, prout ſtatuitur in bulla Pij V. quæ incipit, Regularium perſonarum, quam refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. conſtit. eius 20. fol. 198. Et etiam excommunicationem, per conſtit. Greg. XIII. de qua infra in Conſtit. 6. Iulij II. nu. 51.

51 Nec te moueat, quòd noſtræ Fundatrices fuerunt exceptæ per declarationem Congregationis ſub Gregor. XIII. Nam intelligitur illa declaratio de veris Fundatricibus, non de illis, quæ ſolo ſcripto tales ſunt. Nec ſecundò te moueat, quòd dictum Capitulum Genuenſe 1. ſtatuit quòd quæ mulier dederit valorem quinquaginta ducatorum perpetui redditus, poſſit frui priuilegijs Fundatricum. Nam primò dicit ibi Capitulum, quòd tales Fundatrices non ſunt, nec tales debent vocari, 2. quia viderunt Patres illius Capituli priuilegia à Regula, & ſummis Pontificibus miſſe, & eſſe ſolùm conceſſa veris Fundatricibus, ordinauerunt P. Zeloſo, vt ſtatim ac fuiſſet Romæ adiret Papam & eius oraculum ſuper hoc impetraret: Quod tamen oraculum, ſeu priuilegium, quòd Capitula generalia poſſent admittere aliquas mulieres benefactrices, quæ dediſſent ſummam perpetui redditus quinquaginta ducatorum (quę ſumma modo attingeret quaſi ad ſummam trecentorum ducatorum) numquam, quod viderim, fuit à Religione impetratum.

52 Noto 3. quòd hoc priuilegiū quò ad ea, quæ poſſunt Epiſcoporū iuriſdictionē perturbare, V. G. quòd nō poſſint, dictę Tutrices, & Fundatrices corā Epiſcopis cōueniri, ab ipſis excommunicari, ſuſpendi, interdici, hodie vacat per Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reformat. c. 11. Quò ad alia verò, quæ prædictam iuriſdictionem non perturbant, vt quòd poſſint abſolui à multis caſibus,

bus, & cenſuris, à quibus poſſunt Religioſi, & quòd poſſint adeſſe diuinis tẽpore interdicti, eo modo, quo poſſunt Religioſi, dũ tali interdicto cauſam non dederint, &c. putò, quòd ſtet in ſuo robore. Nec contrarium ſentit Trid. loco cit. quia Cõcilium ſolùm intẽdit derogare ijs priuilegijs, quæ perturbationẽ in iuriſdictione Epiſcoporum poſſunt generare, vt patet ex illis verbis. **Quoniã priuilegia, & exẽptiones, quæ variis titulis pleriſque cõcedũtur, hodie perturbationẽ in Epiſcoporũ iuriſdictione excitare, & exẽptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur.** Et ex prœmio ſtatuti colligitur mens ſtatuentis, vt Panorm. in c. Aduerſus, n. 2. de immunit. eccleſ.

53 Nec te moueant verba illa. *Et exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere*, quaſi intendat Concilium derogare priuilegijs exemptorum propter duas cauſas, nimirum ad tollendam perturbationem in iuriſdictione Epiſcoporum, & ad tollendam exemptis occaſionem laxioris vitæ, & quòd ſi dictæ Tutrices, & Fundatrices poſſent abſolui, vt diximus quòd hoc illis eſſet occaſio laxioris vitæ. Nam præterquam quòd hoc eſt falſiſſimum, non minùs enim erit difficile dictis Fundatricibus, ſi in aliquid crimen lapſæ fuerint, abſolui à fratribus, quàm à Pœnitentiarijs Epiſcoporum, verba illa. *Et exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere*, referuntur ad immediatè antecedentia, quaſi laxior vita prætextu priuilegij Epiſcoporum iuriſdictionem ſit turbatura. Pro hac materia Fundatricum vide conſtit. huius Pontificis 6. §. 3. numero 6. & 7.

§. XXX.

54 NOto 1. circa illam clauſulam *Eundem Franciſcum de Paula à quibuſuis, &c.* quòd iſta clauſula fuit introducta ad tollẽda pericula nullitatum, quæ poſſent oriri ex excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto. Et hæc abſolutio reddit gratias efficaces, & validas, non obſtantibus dictis impedimẽtis. Ita Saytus lib. 2. de cenſuris, c. 5. num. 12. Henriq. lib. 13. c. 13. n. 3. Ricciullus de iur. perſon. lib. 4. c. 9. n. 1.

55 Noto 2. quòd iſta abſolutio non abſoluit realiter, & in effectu; ſed tantùm ſuſpendit impedimentum, quouſque gratia ſuum ſortiatur effectum, quo ſecuto, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum redeunt: Quare ſic abſolutus nullam aliam gratiam conſequitur, niſi eam, ad cuius effectum tantummodò abſoluitur; Quare ſi celebret, diuinis interſit ſic innodatus, eas omnes pœnas incurret, quas excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus. Ricciull. loco cit. num. 4. & 5.

56 Noto 3. quòd per illa verba *A quibuſuis excommunicationis* comprehenditur non ſolùm excommunicatio maior, ſed etiam minor, ſi obſit ad effectum priuilegij conſequendum, ſiue excommunicatio ſit à iure, ſiue ab homine; Rebuffus in praxi benefic. p. 1. tit. Forma, & declaratio nouæ praxis, verſu Teq; abſoluentes, n. 3. & 4. pag. 145.

57 Noto 4. circa illa verba *Quauis occaſione, vel cauſa latis*, quòd per iſta verba intendit Papa, quòd iſta abſolutio ſit ad tollendum impedimentum excommunicationis, &c. etiamſi illud impedimentum prouenerit ex culpa impetrantis, ſeu ſine culpa ſua impetrans in excommunicationem, ſuſpenſionem, &c. incurrerit. Rebuff. loco cit. n. 8.

58 Noto 5. quòd iſta abſolutio non prodeſt in duobus caſibus: 1. ei, qui ſcienter per annum integrum, & continuum, non interpolatum, in excommunicatione manſerit cum animi pertinacia. Nec poteſt dici, cum animi pertinacia, ſi abſolutionem petijt, & per ipſum non ſtetit, quò minus obtineret. Quarum conditionũ vna deficiente, non poteſt dici inſordeſcentia. 2. Nec prodeſt ei, qui mãſerit etiam ſcienter, per quatuor mẽſes excommunicatos. Primò, quia non vult parere ſententiæ rei iudicatæ. 2. quia fuit incendiarius. 3. violator Eccleſiarum. 4. quia falſificans aut falſificare curans literas Apoſtolicas, vel ſi vſus eſt literis falſificatis, aut fuit receptor, aut fautor falſificantium [a]. 5. quia detulit res vetitas ad infideles. 6. quia violator extitit eccleſiaſticę libertatis. 7. quia non obtemperauit mãdato Apoſtolico. 8. quia impediuit Nuncios, vel executores, vel Officiales Sedis Apoſtolicæ. Ita habetur in regula 65. Cancellariæ. Quas regulas refert Quarãta in ſum. bull. verbo Regulæ Cancellariæ pag. 569. Vide Rebuffum, Sayrum, Henriq. loc. cit. Ricciull. cap. 8. & Naldum verbo Abſolutio, n. 8.

[a] *Pyrrus. de priuileg. Tom. I.*

§. XXXI.

59 NOto 1. circa illam clauſulam *Prò potiori cautela* quòd iſta clauſula ſignificat, quòd iam diſpoſita ſufficiant, & inducit abundantem diſpoſitionem. Tuſcus verbo clauſula, concl. 31.

60 Noto 2. quòd Papa concedit vt poſſimus recipere ad habitum noſtrum omnium Religionum fratres, non ſolùm Mendicantium, ſed etiam aliorum quorũcumq; Ordinum quamtumuis priuilegiatorum. Hic notanda ſunt, quæ dixi tom. 1. Religioſi, quæſtion. 17. capit. 24. & §. ſequent. vbi dixi, quo modo liceat Prælatis recipere fratres profeſſos alterius Religionis, & quid debent facere tranſeuntes, docui in fine prædicti cap. quòd non poſſumus recipere fratres Minores, per priuilegium Iulij II. infrà conſt. eius 16. Nec Capuccinos per priuilegium Pij V. infra Conſt. eius 2. Quantum autem attinet ad præſens priuilegium, aduerte, quòd non eſt reuocatum, ſi ſanę intelligatur, per conſt. Pij V. quæ incipit, Quæcumque ſacrarum, quam refert Cherub. in ſuo bull. tom. 2. in Pio V. conſtitut. eius 89. pag. mihi 290. nam hæc extrauagans Pij V. nõ intelligitur de ijs, qui tranſeunt, iuris communis ordine ſeruato, nimirum petita, licèt non obtenta licentia, & zelo perfectioris vitæ, vt habetur in cap. Sanè, & ca. Licet, de regul. & cap. Statuimus, & cap. Mandamus, 19. quæſt. 3. & ſupponit Triden. ſeſſ. 14. de reformat. cap. 11. & ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19. Quo pacto intelligendum eſt hoc priuilegiũ, vt ſcilicet poſſimus recipere omnes, & quoſcumq; Religioſos, qui zelo perfectioris vitæ ad noſtram Religionem tranſire voluerint, petita per ſe, vel per alios, ſcripto, vel verbo, licentia à Prælato tam dare, potente, licèt non obtenta, & hoc modo intellectum priuilegium eſt in ſuo robore. Sed conſtitutio Pij V. intelligitur de fugitiuis, & apoſtatis, qui non zelo perfectioris vitæ, & petita à ſuis Superioribus licentia, ſed abſque vlla licentia prædicto modo petita, vel metu alicuius pœnæ, vel ob iurgia, & contentiones, & leuitates ad aliam Religionem tranſire prætendunt, quo modo intellectum priuilegium eſt derogatum, per dictam conſt. Pij V. Quam hoc pacto intelligit Nauarr. lib. 3. conſil. de regul. conſil. 88. & alij quos adduco capitulo 24. Religioſi, ſub concluſ. 2. verbo Neque his obſtat. Sed circa tranſeuntes nunc ſeruandum eſt omnino decretum Congreg. de mandato Vrbani 8. quod habes infra, in eius conſtit. 10. §. 2.

§. XXXII.

61 NOto 1. quòd Pyrrhus in ſua conſtit. §. 8. conceſſit, vt fratres noſtri poſſent abſolui ab omnibus caſibus ipſi reſeruatis, quod deinde confirmauit ex certa ſcientia Sixtus IV. in eius conſtitut. 2. §. 6. & Iulius II. hac eadem conſtit. §. 1. Hic de nouo addit, quòd non ſolùm poſſint noſtri confeſſores abſoluere fratres noſtri Ordinis in caſibus prædictis, ſed etiam quòd poſſint vbilibet abſoluere alias perſonas, tàm eccleſiaſticas, quàm ſeculares, iuxtà formam à Pyrrho conceſſam, & à Sixto confirmatam, nimirum ab omnibus caſibus, & cenſuris Epiſcopis à iure, vel ab homine reſeruatis.

62 Sed iſta facultas modo vacat quo ad perſonas extrà Ordinem, per decreta Congregationis Regularium, facta de mente Clementis VIII. de quibus dixi to. 1. Religioſi, q. 1. cap. 21. §. 1. & in appendice eiuſdem

Digitized by Google

libri, pag. 682. vacat, inquam, ſed ſolùm extra Vrbem, & in partibus Italiæ, vt patet ex primo decreto, & dicit Naldus in ſum. verbo Bulla Cœnæ, nu. 62. Itaque Regulares degentes Romæ, & in alijs partibus Mundi poterunt hac, & alijs facultatibus abſq; ſcrupulo vti.

62 Et quia tempore Pauli V. dubitatū fuit, an vigore dict. decreti Regulares in Italia, & extra Vrbē degentes prohiberetur abſoluere à cenſuris dictis Epiſcopis reſeruatis, ideo eadem S. Cong. de mandato Pauli V. aliud edidit decretum ſuper hoc, tenoris ſequentis. *Quoniam ſacra Congregatio Cardinalium, negotijs Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitorum nuper accepit, quam plures Regulares tantum facultatis, ſeu priuilegij ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiteri, vt etiam à caſibus locorum Ordinarijs in eorum Diœceſibus reſeruatis abſque alia ipſorum Ordinariorum licentia pœnitentes abſoluere minimè dubitent, nonnulloſq; alios in decreto prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum Ordinarijs reſeruatis die ix. Ianuarij MDCI. fel. record. Clementis Papæ VIII. iuſſu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clemente Pontifice iubente, die xxv. Nouembris MDCII. promulgata, excommunicationes Sedi, vel Ordinarijs prædictis reſeruatas, minimè comprehenſas aſſerere. Vnde fit, vt metus, quo homines à peccando coercentur, abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo ſacra Congregatio de S.D.N. Pauli Papæ V. ſpeciali mandato, viuæ vocis oraculo deſuper habito, decretum huiuſmodi, illiuſq; declarationem, necnon cēſuras, & pœnas, in eiſque contenta omnia confirmanda, atque innouanda operæ pretium duxit, prout per præſentes confirmat, atque innouat, ab omnibuſq; ſacerdotibus, tam ſecularibus, quàm regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum Congregationum, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, quouis nomine nuncupetur, inuiolabiliter obſeruari. Ac inſuper vt nulli ex ſacerdotibus prædictis quibuſcumq; priuilegijs, indultis, ac facultatibus ſuffulti, ab excommunicationibus, vel à caſibus eiſdem Ordinarijs, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, tam ad forum contentioſum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo, abſoluere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat, vel præſumat, ſub iiſdem cenſuris, & pœnis, eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis, mandat, & præcipit. Non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ ſeptimo Ianuarij, anno MDCXVII.*

64 Sed, iſtis decretis non obſtantibus, poſſunt hodie confeſſarij regulares ab epiſcopis approbati de licentia ſuorum Superiorum, ad quos id pertinet, abſoluere quoſcumq; à duello prohibito per bullam Clementis VIII. dummodò non comprehendantur in conſtitutione Gregorij XIII. & decreto Concilij Trid. id eſt dummodò non ſit ſecutus effectus, & dummodò duellum non ſit publicum. Vt probaui in appendice to. 1. Religioſi, pag. 687. Et conceſſit Paulus V. Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, die 9. Aprilis, anno 1608.

65 Poſſunt etiam abſoluere per eamdem conſtit. à peccato, cenſuris, & pœnis abortus fœtus animati, non obſtante conſt. Sixti V. & Gregorij XIV. Tum quia id fuit de nouo conceſſum Congregationi Clericorum regularium ab eodem Paulo V. vt refert Peregr. 2. p. ſui compen. tit. Abſolutio quò ad ſeculares, §. 1. in ſcholio. Tum quia hic caſus non eſt amplius papalis, ſed epiſcopalis, vt patet ex conſtit. Gregorij XIV. & habet Scortia in ſelectas bullas theor. 388. & Regulares habent auctoritatem abſoluendi ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt abſoluere Epiſcopi, vt dico hic infrà num. 67.

66 Poteſt etiam Generalis Ordinis per ſe, vel per alios abſoluere eos, qui bona naufragātium rapuerint, iniuncta eis reſtitutione, vbi, & quando ea fieri poterit. Ita conceſſit Gregorius XIII. Societati Ieſu viuæ vocis oraculo, die 18. Martij, anno 1584. Sed neſcio, an de eo teſtetur aliquis Cardinalis, ideo fidem non adhiberem, niſi Peregrin. 2. p. ſui compen. tit. Abſolutio quò ad ſeculares, §. 2. in ſchol. diceret, hoc priuilegiū ſuæ Congregationi fuiſſe conceſſum à Paulo V. per confirmationem ſuorum priuilegiorum (quam refert ibidem, tit. Confirmatio, §. 3.) tam propriorum, quàm communicatorum, cum clauſula. *Quorum tenores*, quæ facit confirmationem ex certa ſcientia, vt dico infra, in conſt. 4. Pauli III. §. 9. nu. vlt. Quibus priuilegijs non obſtant citata decreta Congregationis, quia poſt illa emanarunt, & credendum eſt, quòd cum illorum derogatione, quia alioquin inutilia fuiſſent.

67 Poſſunt etiā confeſſarij regulares abſoluere quoſcumq; ſeculares ab omni ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & ab omni cenſura eccleſiaſtica, à qua poſſunt Epiſcopi abſoluere ſuos Diœceſanos, ac etiam cum eis diſpenſare ſuper omni irregularitate contracta occaſione huius excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſi quam etiam diuina celebrando incurrerint, per priuilegium Martini V. conceſſum Ordini S. Hieronymi in Hiſpania, vt in illius compendio refertur, tit. Abſolutio quò ad omnes, §. 3. Sed intelligitur in foro conſcientiæ tantùm, & de illis cenſuris, quæ iure communi Epiſcopis ſunt conceſſæ. Quod priuilegium dicit eſſe innouatū per Paulum V. Peregrin. verbo Abſolutio quo ad ſeculares, §. 4. in ſchol.

68 Epiſcopi autem poſſūt abſoluere primò ab omni excommunicatione lata in iure, quæ nemini eſt reſeruata, cap. Nuper, §. in 2. caſu, de ſent. excom. & communiter Doctores, quos refert Sayrus lib. 2. de cenſuris, cap. 19. n. 2. & 3.

69 2. Poſſunt abſoluere ab omni excommunicatione lata per hominis, vel iudicis ſententiam, quæ generalis eſt, etiamſi lata ſit per Papam. Sayrus loc. cit. num. 5.

70 3. Poſſunt abſoluere excommunicatos à ſe ipſis, ſiue per legem, ſiue per ſtatuta, vel à ſuis prædeceſſoribus. Sayrus loco cit. n. 6.

71 4. Poſſunt abſoluere illos excommunicatos, qui ſcienter communicarunt in crimine, cum excommunicatis nominatim ab Epiſcopo, eis conſilium, auxilium, vel fauorem præbendo, ſi difficile ſit ex aliqua iuſta cauſa ad excommunicatorem accedere, dicto ca. Nuper, §. fin. Sed cum cautione de parendo mandatis excommunicatoris, etiamſi non ſint illius ſubditi. Videatur Panor. d. c.

72 5. Poſſunt abſoluere illos, qui, ſuadente Diabolo manus violentas iniecerunt in Clericum, cum percuſſio eſt leuis arbitrio Epiſcopi, ca. Peruenit, de ſent. excōm.

73 6. Poſſunt abſoluere pueros, qui ante pubertatem inciderunt in Canonem, Si quis ſuadente Diabolo, 17. quæſt. 4. ſiue ante, ſiue poſt pubertatem poſtulēt abſolui, cap. Pueris, de ſent. excommunic. & cap. Super eo, & cap. Quamuis, eodem tit. etiam poſſunt abſoluere mulieres, & alias perſonas quæ ſui iuris non ſunt propter ſimiles percuſſiones, & etiam alias perſonas magnæ potentiæ, & delicatas quæ laborem itineris ſuſtinere non poſſunt, hoc tamen vltimo caſu conſulta prius Sede Apoſtolica. Cap. Mulieres, de ſent. excom. Poſſunt etiam abſoluere ſimiles percuſſores, qui propter inimicitias capitales, quas habent, tutò non poſſunt Romam ire; cum iuramento tamen ſe præſentandi, quamcitius præ opportunitate potuerint, c. De cætero, de ſent. excom. Poſſunt etiam abſoluere oſtiarium Poteſtatis, qui à Clerico ad iram prouocatus prætextu ſui officij illum læſit, non tamen grauiter c. Si vero,

eod.

Digitized by Google

eod. tit. Poſſunt etiam abſoluere dictos percuſſores ſi in articu'o mortis fuerint conſtituti,vel paupertate, aut infirmitate,vel tanta ſenectute fuerint grauati,v: ſubire laborem Romam veniẽdi non poſſint ; cum iuramento tamen ſe præſentandi,quamcitiùs poterunt.c.Quod de his, eodem tit. Poſſunt etiam abſoluere ad cautelam,ad hoc vt ampliùs non vitetur, illum, de quo eſt publica fama,quòd Clericum percuſſerit, c. Cum deſideres,eodem tit. Poſſunt etiam abſoluere ſeruum, qui fraudulenter,vt à Domini ſeruitio ſe ſubtraheret, Clericum non enormiter percuſſit ; Vel ſi Dominus abſq; culpa graue damnum deberet incurrere propter illius abſentiam,c.Relatum eod.tit.Quod tamen intellige de ſeruis chriſtianis, non de infidelibus ; nam iſti excommunicari non poſſunt, vt c. Gaudemus, de diuortijs. Panor. in dicto c. Relatum, n.1.

74 7. Poſſunt abſoluere excommunicatos à Papa cũ reſeruatione abſolutionis dicto Papæ, etiam à caſibus bullæ Cœnæ,ſi ob iuſtum impedimentum ad Papam ſe præſentare non poſſunt. Vt docet Nauar. in manuali,cap.27.num.89. verſu Ad primum, Sanchez lib.2.de matrim.diſp.40.n.3.Sylu. verbo Abſolutio 4.n.7.dub.4. Henriq.lib.6 cap.16.num.1.& habetur in c.De cœtero, & cap. Ea noſcitur,de ſent.excommun.

75 8. Poſſunt abſoluere à ſuſpenſione ſimpliciter lata à iure abſque reſeruatione. Saytus lib.4.de cenſuris, c.17.à n.14.vſque ad 19.Suar.de cenſuris,tom.5.diſp.29. ſect.1.à n.19.

76 9. Poſſunt abſoluere ab interdicto, ſimpliciter à iure lato abſque reſeruatione, quia eadem eſt ratio de ſuſpenſione,& interdicto. Ità Peregr.2.p. ſuæ comp.tit. Abſolutio quò ad ſeculares in ſcholiis §.4.

77 Et conſequenter poſſunt ab his etiam caſibus abſoluere,per priuilegium Martini, & Pauli V. confeſſores regulares ab Ordinario approbati. In ſeptimo tamen caſu videtur eſſe ſpecialis difficultas, quia ibi videtur ſpecialiter electa induſtria perſonæ,iuxta ea,quæ dixi to.1.Religioſi,q.1.cap.21.§.1.concluſ.4.Et non poſſe inferiores Epiſcopis abſoluere à dictis caſibus, docet Nauarrus in ſumm. cap. 27. num.112. verſu Tertia eſt,& alij apud Henriq.loco cit.in commento, litera F. licèt ipſe cum multis alijs, quos refert litera G. contrarium teneat, & teſtetur de praxi. Nauar. autem, & alij poſſent intelligi ſine priuilegio. Et denique poſſunt confeſſores regulares legitimè approbari, per ſua priuilegia abſoluere,quoties opus fuerit, omnes fideles à caſibus, ſententijs, & pœnis eccleſiaſticis, Papæ extra bullam Cœnæ reſeruatis, & extra dictum decretũ Cõgregationis,per cõſt.Pauli III. quæ incipit,Cum inter, quam refert Rodriq.in ſuo bull. in Paulo III.conſt.eius 7. Et dixi in appendice Religioſi, à pag. 681. Et docet Cruz lib.2.de ſtatu Relig.c.6.dub.6.concluſ.2.

78 Neque his obſtant decreta Congregationis citata;nam primò iſti caſus nõ ſunt in bulla Cœnæ, neque à iure Epiſcopis reſeruatis, ſed illis ferè à Papa commiſſi. Neque contenti in 2. decreto Congregationis, vt patet ex eo. De quo in appendice tom.1. Religioſi, pag.682.Vnde cum ibi probauerim, pag.683. poſſe Regulares abſoluere per ſua priuilegia ab omnibus caſibus,etiam papalibus, præterquam ab illis ſeptem contentis in 2. decreto, conſtat; quòd ex hoc etiam capite poſſunt ab his abſoluere. Adde, quòd priuilegiũ Martini V. fuit confirmatum à Paulo V. vt ait Peregrin. poſt dicta decreta.

79 Solùm poſſet eſſe difficultas,an poſſent ab his caſibus confeſſarij regulares abſoluere, quando eos ſibi reſeruarent Epiſcopi.

R. In inſtructione data omnibus Epiſcopis à ſacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium de mandato Clementis VIII. circa caſuum reſeruationem, quam refert Quarantã in ſum. bullar. verbo Caſus reſeruati,pag. 201. verſu præcipuè hæc habẽtur. *Præcipuè verò hæc monenda cenſet ſacra Congregatio, vt videant ipſi Ordinarij, ne illos caſus promiſcuè reſeruent, quibus annexa eſt excommunicatio maior, à iure impoſita, cuius abſolutio nemini reſeruata ſit. Niſi fortè propter frequens ſcandalum, aut aliam neceſſarium cauſam, aliqui huiuſmodi caſus nominatim reſeruandi viderentur.* Quare ſi aliqui ita reſeruẽtur, videtur,quòd,ſtantibus illis decretis Congregationis, nõ poſſint ab his Regulares abſoluere per priuilegium Martini V. cui in hoc caſu derogant dicta decreta. Poterunt tamen, ſi priuilegium fuit confirmatum, vt credo,à Paulo V. vt dicit Peregrinus loco cit. cum debitis derogatorijs.

80 Aduerte etiam, quòd confeſſarij Congregationis Oratorij Vrbis, ibidem per examen approbati ad audiendas confeſſiones, poſſunt vbique, de licentia tamen Ordinariorum locorum,abſque alio examine eadẽ facultate vti,& abſoluere ab omnibus caſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis,& in poſterum reſeruandis. exceptis caſibus bullæ Cœnæ, per priuilegium Sixti V. quod incipit, Decet Romanum Pontificem, & refert Naldus in ſum.verbo Confeſſio,& Confeſſarius,num. 39. & Quaranta in ſum.verbo eodem,pag.240.De quo dubito,an gaudeant Mendicãtes.Et nota,quòd in quãtum pertinet ad abſolutionem à caſibus, limitandum eſt iuxta decreta Congregationis citata, & excipiendi illi ſeptẽ caſus. Quò ad approbationẽ audiẽdi cõfeſſiones, &c. refert Quaranta loco cit. declarationem ſacræ Congregationis dictum priuilegium approbantis. Et in facti contingentia cum nollet Archiepiſcopus Conſentinus fratres noſtros in confeſſarios deputare, ſtatuit ſacra Congregatio anno 1605. quòd dictus Archiepiſcopus daret licentiam audiendi confeſſiones omnibus illis fratribus, qui ad confeſſiones in Vrbe admiſſi fuerant.

§. XXXVII.

81 NOto 1. quòd quilibet fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, tenetur ſemel in anno, ſaltem in Paſchate ſacroſanctam communionem recipere à proprio Parocho ſub mortali. Ita habetur in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de Pœnit.& remiſſ.& Trident.ſeſſ.13.can.9. de ſacr. Euch.

82 Noto 2. quòd nomine Paſchatis non intelligitur ſolùm ipſa dies ſolemnitatis Reſurrectionis, ſed tempus, quod incipit à Dominica Palmarum vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè. Ita Suar. tom. 3. in 3. p. diſput 72. ſect. 2. dub. 2. verſu Cenſeo igitur, & tomo 4. de Religione,tract.3.lib.9.cap. 5. num. 7. Azor. 1. p. lib. 7.cap. 30. q. 2. Zerola 1. p. praxis, verbo Euchariſtia, num. 7. Et habetur circa hoc ſpecialis conſtitutio Eugenij IV. quã refert Paſſarel.in comp. priu.in conſt. extrauag. pag.281.& Cherub.tomo 1.bull.in Eugenio, conſt.eius 20.pag.292. quæ ſic habet Fide digna.& inf. *Nos igitur cupientes purgatum triticum in horreum Domini congregare,& inutilibus contentionibus finem dare,attendentes, iuxtà doctrinam B. Auguſtini, quòd ſolent circumſtantiæ ſcripturarum illuminare ſubſtantiam veritatis,& non ſolùm adiacentia,ſed etiam præcedentia,& ſubſequentia verba ſunt conſideranda prudenter, cum dicat Canon Eccleſiæ, Omnis vtriuſque ſexus fidelis,ſaltem ſemel in anno confiteatur,& infrà,Suſcipiens ad minus in Paſcha reuerenter Euchariſtiæ ſacramentum; & ſequitur, Niſi de proprij ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum. Dicimus expreſſè, non intentionis legiſlatoris fuiſſe animas illaqueare fidelium ſub culpa mortali, ad communicandum præcisè in die Reſurrectionis Dominicæ, Sed terminum ſtatuiſſe à Paſcha ad Paſcha,cum dicit,ſemel in anno, & infrà, Ad minus in Paſcha,&c. mens enim magis, quàm verborũ*

ſonus

Digitized by Google

ſonus eſt attendenda diſcretè. Intelligimus itaque optimo iure, ſatisfactum eſſe Canoni, ſi in hebdomada ſancta, & infra octauam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, ſecundùm meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis deuotionem, fideles præparatione debita ſanctum Eucharistiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere, &c.

83 Noto 3. quod Regulares prohibentur ſub pœna excommunicationis ipſo facto, cuius abſolutio eſt Papæ reſeruata, miniſtrare ſine facultate Parochorum ſacramentum Euchariſtiæ fidelibus in die Paſchæ, & quando datur pro viatico in articulo mortis conſtitutis Clem. Religioſi, de priui. quam explicant Sylu. verbo Excommunicatio 7. excommunic. 14. num. 31. Nauarr. in ſum. cap. 27. n. 101. Suarez to. 5. de cenſuris, diſp. 22. ſect. 4. à nu. 2. & to. 3. in 3. p. diſp. 72. ſect. 2. verſu Sed inquires. Quo loco aduertit primò, quòd hæc excommunicatio afficit ſolos Religioſos regulares, non autem alios ſacerdotes clericos, nec afficit Religioſos regulares nouitios, ſed ſolùm profeſſos, ſiue per tria Religionis vota ſolemnia, ſiue ſimplicia, vt idem Suar. to. 5. in 3. p. citat. quia cum pœnalis ſit, reſtringenda potiùs eſt, quam amplianda. Vnde nouitius ſacerdos poteſt etiam in die Paſchatis ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrare abſque periculo incurrendi hanc excommunicationem non tamen ſine peccato. Neceſſe eſt etiam, vt incurratur hæc cenſura, quòd ſacramentum miniſtretur cum præſumptione, nam qui ex ignorantia id facit, putans ſibi licere, vel ex ratihabitione, ſiue ſit de præſenti, ſiue de futuro, non incurrit, vt Caiet. in ſumm. verbo Excommunicatio, cap. 64. notab. 1. Sotus in 4. diſt. 23. q. 2. art. 1. verſu Vtrum verò ſufficiat. Comprehendit etiam hæc cenſura Religioſos, qui miniſtrant Euchariſtiam Clericis ſecularibus, aut laicis, non verò eos, qui eam adminiſtrant Religioſis alterius Religionis ſine Prælatorum facultate.

84 Noto 4. quòd ſi accedat communicandus ad Eccleſias Regularium in die Paſchatis, dicens habere ſe facultatem communicandi vbicumque voluerit à ſuo Parocho ſeu Epiſcopo, vel alio eum in ſuperioritate excedente, licèt iſte licentiam non habeat in ſcriptis, poteſt tamen Regularis illi credere, & eum communicare. Quia non eſt præſumendus quis tam immemor ſuæ ſalutis, vt tantum ſcelus velit, abſque neceſſitate præſertim, perpetrare. Ita Nauar. in ſum. c. 27. n. 102. Graff. 1. p. deciſ. lib. 4. cap. 20. n. 8. & docet expreſsè Gloſſa in Clem. Religioſi cit. verb. Non habita. Contrarium ſentit Card. in Clem. Religioſi de priu. q. 15. n. 7. nobiſcum ſentit etiam Vital. loc. cit. nu. 21.

85 Noto 5. quòd Regulares habent priuilegia, vt poſſint Euchariſtiam miniſtrare fidelibus omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicę. Ita conceſſit Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. vt videri poteſt in compend. Caſarub. verbo Communicare, num. 4. 5. 9. Et conceſſit etiam Pius V. in conſtit. eius 7. infrà, §. 6. quod non eſt reuocatum per conſtitut. Gregorij XIII. quæ incipit, In tanta, quæ reduxit dictam conſtit. Pij ad terminos Concil. Tridentin. Nam hoc non eſt contra Concilium, quod nullibi præcipit, vt in hac potiùs, quàm in illa Eccleſia communio ſumatur. Docent etiã Nauar. in ſumm. cap. 21. num. 52. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. vlt. quæſtione 7. Suar. tomo 3. in 3. part. diſput. 72. ſect. 2. dub. 2.

86 Sed dubitant Doctores, quid intelligatur per illã exceptionem diei paſchalis, an ſcilicèt intelligenda ſit exceptio illius diei præcisè, ſeu materialiter, an verò formaliter pro toto tempore Paſchali, quo poteſt impleri præceptum, quod diximus incipere à die Dominicæ Palmarum, & durare vſque ad diem Dominicæ in Albis. Quòd vt clariùs intelligatur, pone caſum. Communicauit quis in propria Parochia in die Iouis ſancti, vt ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, cap. Omnis vtriuſque ſexus, deinde in Dominica Reſurrectionis propter deuotionem tanti feſti vult communicare in Eccleſia Regularium. Quæritur, an poſſint Regulares illo die abſque licentia Parochi ei Euchariſtiam miniſtrare. A Sorbo in compend. verbo Communicare, verſu Et an aliquis, Nauarr. & Azor. locis citat. dicunt, quòd prædicti Regulares nullo modo poſſint dicto die Paſchatis Euchariſtiam alicui miniſtrare, ſiue id ſit vel ad implendum præceptum, vel deuotionis gratia, nimis rigorosè, & materialiter explicantes exceptionẽ illam diei paſchalis. Suar. tom. 3. in 3. par. diſput. 72. ſect. 2. dub. 2. verſu Cenſeo igitur. Filliuc. tomo 1. tract. 4. c. 9. quæſt. 7. num. 65. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 56. art. 3. verſu Ad hanc obiectionem, contrarium cenſent, nimirum, diem illam Paſchatis ſumendam eſſe formaliter pro toto tempore paſchali. Atque ita qui communicauit die Iouis in Parochia pro implendo præcepto, poteſt in die Paſchatis communicare in Eccleſijs Regularium pro deuotione. Et ſimiliter poteſt quis in die Paſchatis communicare in Eccleſijs Regularium pro deuotione, & vno die infra octauam Paſchatis communicare in Parochia pro implendo præcepto. Quæ opinio magis placet; nam Pontifices ſolum reſeruauerunt illum diem Paſchatis, ſeu totum tempus, quo poteſt impleri præceptum de communione, in fauorem Parochorum, intendentes, vt ſaltem ſemel in anno omnes parochiani ſuo Parocho ſe præſentarent pro communione ſumenda; qui autem ſe præſentauit in die Iouis, iam præceptum impleuit; & qui intendit ſe præſentare in die aliquo infra octauam, intendit tempore congruo præceptum adimplere (hoc tamen ſecundum non eſt facilè omnibus indifferenter concedendum, propter periculum ne, tranſacto die Paſchatis, tranſeat etiam aliquibus obſeruatio præcepti, & ſic propter deuotionẽ omittatur id, quod eſt in præcepto) & menti Pontificum ſatisfeciſſe videtur. Quare verba illa, *Præterquam in die Paſchatis* exponit Suar. loco citat. Præterquam in ea communione, qua impletur præceptum communicandi in die Paſchatis.

87 Noto 6. quòd A Sorbo in compend. priu. Mendic. verbo Communicare, verſu Notandum, quòd Papa, pag. 143. fine, & Bera 4. part. caſu 4. tenent, quòd qui communicauit in die Iouis ſancti V. G. in Eccleſijs Mendicantium animo ſatisfaciendi præcepto de communione Paſchali, non tenetur amplius communicare in Parochia in die Paſchatis, quia, aiunt, Mendicantes habent priuilegium, vt poſſint quolibet dies, excepto die Paſchatis Reſurrectionis Euchariſtiam miniſtrare, ſed quolibet die à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis per declarationem Eugenij IV. poteſt impleri præceptum de communione paſchali, ergo qui communicauit in die Iouis ſancti in Eccleſijs Mendicantium intentione implendi præceptum, non tenetur ampliùs in die Paſchatis communicare in Parochia, cum iam præceptum impleuerit. Hæc doctrina in ſententia, quam tenui, quòd nomine Paſchatis non intelligitur dies ipſa materialis Dominicæ Reſurrectionis, ſed communio paſchalis, nõ poteſt ſuſtineri. Et verè videtur directè contra mentem Pontificum, qui exceptionem illam de die Paſchatis fecerunt, vt Parochi ſaltem ſemel in anno vultum pecoris ſui cognoſcerent. Et abſtrahere fideles ſaltem ſemel in anno à communione paſchali in propria Parochia abſque ſpeciali priuilegio Papæ, eſt nimiùm iuriſdictioni Parochorum derogare. Nec argumentum à ſimili de ſacramento pœnitentiæ, quod poſſunt fideles recipere à Mendicantibus quolibet tempore, quidquam valet, nam in priuilegio miniſtrandi hoc ſacramentum nulla exceptio apponitur, vt videri poteſt in priuilegio Sixti IV. apud Caſarub. in compend. verbo Abſolutio quò ad ſeculares 1. §. 17. & patet hic ſupra, §. 32. Et quòd Chriſti fideles ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ audiendo miſſas in Eccleſijs Mendicãtium diebus feſtiuis, fuit etiam ſpecialiter conceſſum à Leone X. vt patet ex eius conſtit. 21. infra, & à Pio V. in conſt.

eius

eius 7.§.10.qui tamen de communione paſchali id negat ibidem,§.6.

88 Noto 7.quòd Rodriq.to.1.q.regul.q 56.art.3. verſu Quantum ad 2. vt hac facultate miniſtrandi Euchariſtiam in communione paſchali Mendicantes probet non carere, adducit priuilegium Nicolai V. quo concedit, vt confeſſores deputati in Monaſterio B. M. de Guadalupe poſſint ſacramentũ Euchariſtiæ quibuſcũq; perſonis ad dictum Monaſterium confluentibus, etiã in die Paſchatis, liberè, & licitè miniſtrare, Diœceſanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requiſita: & refert etiam ad idem viuæ vocis oraculum Pauli III. Deinde probat, quòd dictæ conceſſiones factæ in ſpeciali dicto Monaſterio de Guadalupe, fuerunt factæ cõmunes omnibus Monaſterijs dicti Ordinis S. Hieronymi, & conſequenter omnibus Mendicantibus, qui cum ipſis in priuilegijs communicant: Affert etiam ad idem hoc noſtrum priuilegium Iulij II. in quo ipſa communio paſchalis non excipitur. Et quòd dicta priuilegia non ſint abrogata per non vſum, probat loc. citat. verſu Nec prædictis obſtat. Quod etiam probat Bera 4.part.caſuum, caſu 4.verſu Non obſtat etiamſi dicatur; & Cruz lib.2.de ſtatu Relig. capit.5. dub. 4. concluſ. 3.

89 Verùm non credo, quòd per hoc noſtrum priuilegium poſſimus in noſtris Eccleſijs in communione paſchali omnibus fidelibus indiſcriminatim Euchariſtiã miniſtrare. Nam licèt nulla fiat exceptio communionis paſchalis, & concedatur, quòd poſſimus dictum ſacramentum, quoties opus fuerit, miniſtrare; vnde videtur indicare, quòd poſſimus illud miniſtrare, quoties præceptum hujus ſacramenti ſumendi obligabit, quod præcepto eccleſiaſtico non obligat, niſi tẽpore paſchali, & diuino, tempore mortis, quando datur pro Viatico, vt Sotus in 4.d.12.quæſt.1.art, 11, Rodriq. loc. cit. artic.4.Suarez tom.3.in 3.p.diſp.72.ſect.2.verſu Vltimò verò. Et ita debere intelligi illud *Quoties opus fuerit* declarauit Leo X. in conſtit.eius 4 §.3. infra. Licèt, inquã, nulla fiat exceptio, communi tamen vſu intelligitur facta; Cum enim perpetuò fuerit excepta cõmunio paſchalis, ſi concedere voluiſſet, debebat nominatim exprimere; In generali enim conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt communi ſenſu excepta, & quæ non eſſet quis in ſpecie veriſimiliter conceſſurus. Priuilegijs verò illis, quæ adducit Rodriq. ſi per non vſum non ſunt abrogata, vt Ipſe, Cruz, & Bera, probant, poſſumus, & nos frui. Cautè tamen, & prudẽter, ne Parochi, qui tam tenaces iuriſdictionis ſunt, turbentur; quod etiam admonet Rodriq.loc. cit. Vide ſupra in conſt. Pyrrhi, nu. 30.31.§.7.

90 Noto 8. quòd per hoc noſtrum priuilegium puto, poſſe nos tutò in noſtris Eccleſijs peregrinis, tranſeuntibus, curialibus, & mercatoribus Euchariſtiam miniſtrare, etiam in communione paſchali, pro implendo præcepto. Nam in iſtis ceſſat ratio, propter quam à Põtificibus facta eſt illa exceptio diei Paſchatis. Quod etiam abſque priuilegio fieri poſſe quò ad peregrinos, & tranſeuntes exiſtimant Henriq.lib.8.de Euch. ca.55. nu.1.in comm. litera G.& Rodr.tom.1. quæſt. regul.q. 56.art.3.verſu Nec obſtat. Citat Sotum in 4.d.18. quæſt. 4. art. 3. Nec per illam clauſulã *Ac quibuſuis alijs* ſequitur, quod poſſimus idem facere cũ alijs omnibus Chriſti fidelibus; nam clauſula generalis ſecuta poſt ſpecialia expreſſa includit conſimilia non expreſſa, non autem maiora. Sbrozzius de offic. Vicar.lib.2.q.115.n.10. Tuſchus verbo Clauſula concl.309.

91 Noto 9. quòd Regulares, & quilibet alij ſacerdotes poſſunt in articulo mortis, abſentibus Parochis, ſacramentum Euchariſtiæ tamquam Viaticum fidelibus miniſtrare; quia tunc præſupponitur Parochorum voluntas. Ita Suar.tom.3.in 3.p.diſp.71.ſect.2.verſo vlt. Rodriq.tom.1.quæſt.regul.q.56.ar.5. Poſſunt etiam eandẽ Euchariſtiam miniſtrare alicui perſonæ impotenti Parochiam adire, & licentiam petere, ſi tempus implendi præceptum paſchale vrgeret. Quo caſu tenebitur qui communicauit, poſtea, cum primum poterit, Parocho ſatisfacere, qui Parochus non poterit eum cogere ad iterum communicandum in Parochia. Poterunt etiam Regulares hoc ſacramentum miniſtrare fidelibus in ſuis Eccleſiis communione paſchali, quãdo Parochus in aliqua Villa, vel Pago non adeſſet, vel non poſſet, vel nollet ſuum officium exequi, & tempus præceptum eccleſiaſticum adimplendi vrgeret; quia in his caſibus vrget ſemper neceſſitas, quæ legi non ſubiacet. Ita Suar.to.4.de Relig.tract.3.lib. 9.c.4.num.8. qui pro caſibus iſtis neceſſitatis adducit priuilegium Pauli III. num.2. Poterunt etiam non ſolùm Regulares, ſed etiam quicumque alij ſacerdotes ſacramentum extremæ vnctionis miniſtrare ægroto in vero periculo mortis conſtituto, ſi Parochus non adeſſet, aut nollet hoc ſacramentum miniſtrare; quia licèt hoc ſacramentum non ſit abſolutæ neceſſitatis, eſt tamen magnæ vtilitatis, vnde præſupponitur interpretatiua Superiorum voluntas. Ita Suar. loc.cit.cap.4.n.9.

92 Si quæras an ſecularibus in noſtris Conuentibus hoſpitibus, ibique infirmantibus, poſſimus Euchariſtiam, & extremam vnctionem miniſtrare. Et ſi decedant, eorum cadauera ſepulturæ tradere, abſque alicuius Epiſcopi, vel Parochi quæſita licentia.

℞. 1. quò ad Euchariſtiam, poſſe nos eam dictis abſq; vllius prædictorum licentia miniſtrare; tũ propter hoc priuilegium, quo talis adminiſtratio peregrinis, &c. cõceditur, quoties opus fuerit, .i. quoties neceſſitas poſtulauerit, quæ, vt dixi num.89.non poſtulat, niſi ſemel in anno, & in articulo mortis; Neque obſtat, quòd dicatur talis adminiſtratio debere fieri in noſtris Eccleſijs; nã nomine Eccleſiarum veniũt etiam Religioſorum Monaſteria, vt dixi ſupra in conſtit. Pyrrhi, nu.31. tum propter priuilegium Pauli IV. quod refert Rodriq. in ſuo bull. in Paulo IV. conſtit.eius 3. quo concedit, vt poſſimus ſacramentum pœnitẽtiæ infirmis etiam extra domos, & Conuentus noſtros, atque ſacramẽtum Euchariſtiæ miniſtrare, excepto die Reſurrectionis, non quidem deferẽdo illud per vicos, & plateas, quod eſt proprium Parochorum, ſed in Capellis priuatis, in proprijs ſecularium domibus conſiſtentibus, cum debita facultate erectis, ſacrum conficiendo, indeque dictos infirmos etiam pro viatico communicare, vt explicat Suar.tom.4.de Relig.tract.3.lib.9.c.3.nu.12. Ergo multò magis poterimus dictis infirmis in noſtris Conuentibus Euchariſtiam miniſtrare. Atque ita docent Rodriq. tom.2.quæſt. regul.q.67.art.1.Suarez loc.cit.cap.4. numer.17.

93 2. quò ad extremam vnctionem dico, poſſe nos eis dictis hoſpitibus ſimiliter miniſtrare. 1. quia conceſſo maiori, cenſetur etiam conceſſum minus, c.Ex parte, el 3. de decimis; & maius ſacramentum eſt Euchariſtia, quàm extrema vnctio, & dignius ad ſe trahit minùs dignum Gloſſa in c.Quod in dubijs, de cõſecr. Eccleſiæ, verbo Conſecratum. Facit etiam regula Cui licet, quæ eſt 53. de regulis iuris in 6. vbi dicitur, *Cui licet, quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus*. Et ſi dicatur, quòd, conceſſa adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ, quod eſt maioris neceſſitatis, non propterea conceditur adminiſtratio ſacramenti Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis. ℞. id fieri ad ſaluandam iuriſdictionem Parochorum, ſed cum iam Papa, qui eſt Dominus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, id voluerit nobis concedere in adminiſtratione ſacramenti Euchariſtiæ, ceſſat illa particularis ratio, & procedit illa regula iuris communis, quod Dignius ad ſe trahit minùs dignum. 2. quia id expreſsè conceſſit Benedictinis Nicolaus Francus Legatus à latere Sixti IV. vt refert Rodriq. in ſuo bullar. in Sixto IV. bulla eius 42. n.4. in hæc verba. *Et ſi qui intra ſepta Monaſteriorum ipſorum infirmati fuerint, extremam vnctionem dare auctoritate Apoſtolica, cuius legationis officio fungimur in hac parte, tenore præſentium, plenariam, & liberam concedimus facultatem, parochialis presbyteri, vel alterius cuiuſ-*

cumque

cumque Epiſcopi, vel Superioris licentia, vel aſſenſu nullatenus requiſitis. Et quòd ſtatuta Legatorum de latere ſint perpetua, docet Zerola in praxi, verbo Edicta,§.,.& habetur in cap. fin. de offic. Legati,vbi Gloſſa verbo Statuta. Atq; ità docent Rodriq. loco cit. & Suar. etiam cit.num.16. Et tandem quòd hoſpitibus in noſtris Monaſterijs infirmantibus poſſimus Euchariſtiam, & extremam vnctionem miniſtrare, conceſſit Pius IV. Congregationis Clericorum regularum, & confirmauit Pius V. anno Domini 1567. idibus Februarij,vt refert Peregrin.1.part.ſui comp.tit.Communicare,§.3. Et nota, quòd ad hæc ſacramenta dictis infirmis miniſtranda non eſt neceſſarius Sacerdos approbatus ab Epiſcopo, ſed ſufficit quilibet ſimplex ſacerdos de licentia Superioris. Ita Suar. loco cit. n.17. Ad miniſtrandum tamen iis ſacramentum pœnitentiæ approbatio Ordinarij requiritur,per Concil.Trid. ſeſſ. 23.de reform.cap.15.Suar. loco cit.num. 18.

94 3. Quòad ſepulturam, puto poſſe dictorum hoſpitum cadauera ſepulturę tradere abſque Parochorũ, vel Superiorum quorumcumq; quæſita licentia; tum propter rationem dictam,quòd,conceſſo maiori, cenſetur eſſe conceſſum minus;tum quia Monaſteria ſunt exempta ab Epiſcopi iuriſdictione, & æquiparantur locis poſitis extra Diœceſim, vt dixi ſupra in conſtitut. 2.Sixti IV.num.9.vnde ſicut ſi decederent iſti hoſpites in aliquo loco extra Diœceſim, nullam in eo haberet Epiſcopus, vel Parochus loci, in quo Monaſteriũ Regularium eſt poſitum iuriſdictionem, ita cum decedũt in locis.Regularium exemptis. Pro iſtis autem tribus caſibus cito Rodriq.t.2.q.reg. q.67.art.1. in med. Graff. p.2.deciſ.lib.3.c.23.n.29.Regin.lib.18.praxis.n. 107.

§. XXXVIII.

95 VIde conſtit.1.huius Pontificis, §.15.& quæ dico tom.1.Religioſi,q.1.cap.26. præſertim cõcluſ. 6. Vide etiam infra in Leone X. conſtit. eius 13. vbi datur ampliſſima facultas dictos apoſtatas capiendi, ad quam capturam ſeculares nos adiuuantes,etiam apoſtatas ligando,tenendo,&c.excommunicationem nõ incurrunt,vt dicitur in dicta conſtit.Leonis.Incurrunt tamen tam ſeculares, quàm eccleſiaſtici ducentes in carcerem dictos apoſtatas, qui quietè duci ſe permittunt,ſi pugnis, & calceis eos percutiant. Secùs verò,ſi quietè ſe duci non patiantur; poſſunt enim tunc eos pugnis,& calceis vrgere, & percutere, atque etiam vulnerare.Colligitur ex cap.Si Clericos de ſent. excom.in 6.ibi *Niſi aliàs ex propoſito excedatur in ipſis*. vbi Gloſſa verbo Excedatur, & expreſsè Alciatus illo cap. & dicto verbo. Colligitur etiam ex cap. Vt famæ, de ſenten.excommun.§. Laici verò. Dum tamen iſta violentia ampliùs ſe non extendat,quàm defenſio, vel rebellio ipſorum exigit apoſtatarũ.Circà modum apoſtatas tractandi poſtquam recepti fuerint,vide viuæ vocis oraculũ Pauli IV.de quo teſtatur Michael Ghiſilerius, qui poſtea fuit Pius V.infra in Paulo IV. conſt. eius 2.

96 Aduerte etiam, quòd illa clauſula *Inuocantes etiam ad id,quatenùs opus fuerit*, &c. dat facultatem Superioribus Ordinis,vt,poſtquam fecerint omnia,quæ ex debito ſui officij poſſunt, & debent facere cum debitis modis,& ſolemnitatibus. V.G. citando vagabundum perſonaliter, excommunicando, &c. poſſint tunc, quando nullum eis ampliùs eccleſiaſticum remedium ſuperfuerit,brachium ſeculare inuocare, vt dicti apoſtatæ ad Religionem reuertantur. Colligitur ex Trid. ſeſſ. 24. de refor. matr.c.8.& Tuſcho verbo Brachium ſeculare, concl.125.num. 11. Vide Nauarr. in cap. Cum contingat,de reſcripti.remed.1.nu.1.Rodriq. tom.1. quæſt. regul.q.8.art.14.

97 Noto etiam,quòd iudices ſeculares iure communi tenentur hoc auxilium præſtare,quod brachium ſeculare vocant,iudicibus eccleſiaſticis,cap.Principes,& cap.Adminiſtratores, 23.q.5. Quare illa clauſula ad ſuperabundantiam ponitur,quòd ſi non dederint, peccabunt ſinè dubio mortaliter.An autem poſſint ad id cogi ſub pœna excommunicationis,vel arbitrio Superioris puniendi Menoch. de arbitrar. lib. 2. caſu 452. hoc ſecundum putat.Rodriq.loco cit.primum;& dicitur d. cap.Adminiſtratores. Excommunicabuntur autem, vt ait Rodriq. quouſque prædictum auxilium dederint. Quis autem in hac materia poterit prædictos iudices ſeculares ad hoc compellere? Dic,quòd Conſeruatores Religionum, & delegati à Summis Pontificibus, aſſignati pro dictorum priuilegiorum executione.

§. XXXXIII.

98 ADuerte quòd ad iſtam clauſulã *Nulli ergo omnino*. quòd nullus,ſiue priuatus,ſiue in quacũq; dignitate conſtitutus, etiam Vicarius Papæ poteſt huic conſtitutioni contrauenire. *Infringere* importat retractare, vel per malitioſam interpretationem infringere. *Auſu temerario* importat etiam ſinè dolo, ſed ex ſubtilitate contraire,videlicèt diſſimulando,audiendo allegationes, vel diſceptationes. Tuſchus in verbo Clauſula concluſ.352.

CONSTITVTIO II.

Eſt Mare magnum noſtrę Religionis, in quo plurima nobis concedit.

IVLIVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis Filiis Franciſco de Paula Generali, & Prouincialibus Correctoribus,& vniuerſis Fratribus Ord. Minimorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmiũ.

VIrtute conſpicuos ſacri Ordinis veſtri profeſſores, qui contemplationi cœleſtium feruenter inuigilant, & pia vitæ ſtudio ſinè intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicæ circumſpectionis auxilium ſic prouidè dirigi, & ſollicitè confoueri, vt alicuius prætextu calumniæ nullum internæ pacis excidium,nullumq; religioſi ſtatus perferant detrimentum, ſed in his robur, & vigorem habeant, per quæ circa cultum diuini numinis deuotis,& quietis mentibus inualeſcant.

Correctoris generalis auctoritas quæ ſit.

§. 1. Hinc eſt, quòd, cum, ſicut nobis exponere curaſtis, tu fili generalis Corrector, & prædeceſſores tui, iuxtà eiuſdem Ordinis conſuetudinem obſeruatam hactenus, & à Sede Apoſtolica toleratam, ſtatim, poſtquàm electi ſecundum prædicti conſtitutiones Ordinis extitiſtis, fratrum ipſius curam geſſeritis, Correctoris officium plenè,ac liberè in omnibus exercentes,idemq; fratres vobis deuotè,& humiliter obedierint,& intenderint reuerenter; & in eadem Regula ſit expreſſum, vt generalis Corrector,qui pro tempore fuerit,à Correctoriatus officio amoueri valeat à Vigilibus Prouincialibus, & alijs fratribus in generali Capitulo congregatis. Nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum præfatæ Sedi immediatè ſubiectum,à Sede approbatum eadem, honeſtate floridum, præclarum ſcientia, & virtute fœcundum, priuilegio Apoſtolicæ gratiæ at-

tollere

Digitized by Google

tollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, deuotioni veſtræ, vt ſucceſſores tui, fili generalis Corrector, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquàm electi ſecundùm Regulam, & conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri eiuſdem Ordinis generales Correctores ſint effecti, curam animarum fratrum ipſius Ordinis plenè habeant, liberèque gerant, ipſoſque fratres auctoritate propria ligare, ac ſoluere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quæ ipſi, & præfati Ordinis definitores ad hoc electi, iuxtà prædictas conſtitutiones, eidē Ordini, & fratribus ſecundùm Deum viderint expedire, aliàſque poſſint officium generalis Correctoris licitè in omnibus exercere, iidemque fratres tibi, Corrector, & ſucceſſoribus ipſis deuotè, ac humiliter obediant, & intendant.

Generalis à quib. amoueri poſſit.

§. 2. *Ac præfati ſucceſſores, & tu generalis Corrector, à prouincialibus Correctoribus, & Vigilibus, ſecundùm Regulam, & cōſtitutiones ipſius Ordinis abſolui, & amoueri poſſitis auctoritate Apoſtolica indulgemus; Ratum habentes, & firmum quicquid ſuper præmiſſis per te, Generalis Corrector, dictoſq; prædeceſſores fratres, & diſcretos factū, & obſeruatum eſt hactenùs, conceſſa tibi exequendi officium generalis Correctoris quò ad præmiſſa omnia libera facultate.*

Electorib. in remotis partibus degentibus non currit tēpus à iure ſtatutum.

§. 3. *In electionibus quoque Generalis, & prouincialium Correctorum, ipſius Ordinis fratribus, qui debent electionem huiuſmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire, tempus ſuper hoc à iure ſtatutum non currat, nec ipſi in hac parte iuris huiuſmodi regulis coarctentur.*

Prælati ſtatim poſt electionem adminiſtrationem habent.

§. 4. *Vigiles verò, Prouinciales, & Correctores locales, aut delegati Viſitatores, ſeu Vicegerentes, qui ſecundùm ſtatuta eiuſdem Ordinis per electionem, vel aliàs inſtituuntur, poſt ipſam inſtitutionem, ſeu prouiſionem de ipſis factam, curam animarum fratrum ſibi ſubditorum ipſius Ordinis habeant, ipſoſque ligare, ac ſoluere poſſint, iuxtà ipſius Ordinis inſtituta.*

Lectores in Theologia quando liberè legere poſſint.

§. 5. *Fratres autē de Ordine veſtro, quos ſecundùm conſtitutiones ipſius Ordinis Conuentibus veſtris deputandos duxeritis in Lectores, ſinè cuiuſquam alterius licentia, libere in domibus ipſius Ordinis legere, ac docere valeant in theologica facultate; illis locis exceptis, in quibus viget ſtudium generale, ac etiàm, quando in facultate ipſa docturus, vt magiſter ſolemniter incipere conſueuit.*

Sacri ordines à quocumque Antiſtite ſuſcipiātur.

§. 6. *Et quia eiuſdem Ordinis fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſæpius tranſmittuntur, propter quod ſtabilem, & perpetuam in certis, & determinatis eiuſdem Ordinis domibus nō faciunt manſionem, quia etiam bonos, & idoneos, & approbatos à vobis fratres facitis ad ordines promoueri, liceat vobis ordinādos fratres eiuſdem Ordinis quibuſcumque malueritis catholicis Pontificibus, communionem, & gratiam Sedis Apoſtolicæ habentibus præſentare, ipſiſq; Pontificibus præſentatos fratres ſinè qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione, vel obligatione ipſorum ordinandorum fratrum ad ordines promouere.*

Miſſas in altari portatili celebrare poſſumus.

§. 7. *In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum altari portatili poſſitis miſſarum ſolemnia, & alia diuina officia celebrare, ac etiam eccleſiaſtica recipere ſacramenta.*

§. 8. *Et quia vos extremam patientes pro Chriſti nomine paupertatem, exhortationis piæ ſtudio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter reuocatis, concedimus, vt in excommunicatorum terris liberè commorari, ac aliàs, & etiam quando per ipſos tranſire vos contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere, ac recipere valeatis, niſi id vobis fuerit interdictum.*

Vide ſupra in conſtit. Pyrrhi, à n. 27.

Morari poſſumus in terris interdictis, ibiq; neceſſaria vitæ depoſcere.

Facultas Prælatorū Ordinis abſoluendi fratres, & cum eis diſpenſandi ſuper irregularitate, &c.

§. 9. *Generalis quoque, & ſinguli Vigiles, ac Prouinciales, & Correctores, & eorum Vicarij in Prouincijs, & vigilantijs ſibi commiſſis, prædictis fratribus conſtitutis ibidem, necnon & fratribus alijs eiuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecumque abſolutione, & diſpenſatione indigentibus, ſiue priuſquàm intrauerint Ordinem, ſiue poſt, in caſibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrerint ſententias, à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiuſmodi ſententijs innodati, aut in locis ſuppoſitis eccleſiaſtico interdicto diuina officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines, ſic ligati notam irregularitatis incurrerint, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium valeant impartiri: Niſi adeò grauis, & enormis exceſſus fuerit, quòd ſint ad eamdem Sedem merito deſtinandi. Fratres etiam veſtri, quos pro tempore vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, ac Correctores, necnon, & vices veſtras gerentes, in proprios habueritis Confeſſores, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, iuxta formam conceſſionis ſuper abſolutione, ac diſpenſatione fratrum eiuſdem Ordinis ſuperiùs vobis facta. Ad hæc volentibus veſtro aggregari conſortio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententijs, à iure, vel à iudice promulgatis generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium, obſeruata forma canonica, impartiri, ipſoſque in fratres recipere, ac eos, qui poſt aſſumptum habitum, vel profeſſionem emiſſam recognouerint ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententijs innodatos, ſecundùm formam ipſam vos Generalis, Vigiles, & Prouinciales, & Correctores, ac vices veſtras gerentes, valeatis abſoluere, & cum irregularibus diſpenſare, ſi forſan talibus innodati ſententijs, vel in locis interdicto ſuppoſitis diuina præſumpſerint officia celebrare, vel ordines recipere; ita tamen, quòd ſi alicui ex huiuſmodi eiſdem ſententijs proptèr debitum ſint adſtricti, ſatisfaciant, vt tenentur. Volumus autem nihilominus, quòd huiuſmodi volentes veſtro aggregari conſortio, niſi mox, poſtquam fuerint abſoluti, Ordinem veſtrū intrauerint, etiamſi ſupèr hoc eis induciæ à Prælatis Ordinis eiuſdem concedantur, eo ipſo in priſtinas ſententias, à quibus eos taliter abſolui contigerit, relabantur: cæterùm veſtra diſcretio cautè prouideat, vt Apoſtolicæ Sedis, Legatorum ipſius, & Ordinariorum locorum in abſolutionibus huiuſmodi ſcandalum euitetur.*

Exemptio a cura Monialium, & alijs hic enarratis.

§. 10. *Porrò quieti veſtræ prouidere volentes, quòd per literas Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu Subdelegatorum ipſius conueniri à quoquam minimè valeatis; & quòd ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis inuiti per literas ipſius Sedis de cætero impetrandas; quòdque nullus veſtrum correctionis, ſeu viſitationis, vel inquiſitionis officium Monaſterijs, vel Eccleſijs, ſeu quibuſcumque perſonis impendere, vel ad cognitiones cauſarum, citationes partium, & denunciationes ſen-*

tentia-

tentiarum, interdicti, vel excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, ſeu religioſarum quarumlibet perſonarum, illis dumtaxat exceptis, quæ in veſtris Regula, vel conſtitutionibus continentur, aut, quæ fuerint de mandato Apoſtolicæ Sedis exceptæ, teneatur per litteras Apoſtolicas, impetratas, vel impetrandas in poſterum, niſi huiuſmodi Apoſtolicæ literæ de hoc indulto, & Ordine veſtro expreſſam fecerint mentionem, auctoritate Apoſtolica vobis indulgemus. Concedimus etiam, vt ad viſitandæ aliqua Monaſteria Monialium cuiuſcumque Ordinis (illis exceptis, quæ, ſicut præmittitur, in veſtris Regula, vel conſtitutionibus continentur, aut quæ fuerint de mandato Apoſtolicæ Sedis excepta) vel ad audiendas confeſſiones earum compelli vllatenus non poſſitis: aut ad recipiendum commiſſiones cauſarum, ſeu ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas, per literas præfatæ Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiuſmodi mentio ſpecialis, ſiue per Legatos, vel Delegatos ipſius. Nullus inſuper Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nec alius Prælatus eccleſiaſticus, vel eorum Vicarij, vel officiales ad portandum, ſeu deferendum literas, vel exequendum, aut denuntiandum ſententias contra Principes ſeculares, Communitates, Populos, ſeu quoſq; benefactores veſtros, nulluſq; delegatus, vel ordinarius iudex ad faciendum citationes, vel commiſſiones recipiendas, ſiue quòd ſitis in cauſis aliquibus aſſeſſores, ſeu ad alia, lites, vel controuerſias contingentia in cauſis, quæ coram ipſis tractantur, quemquam veſtrum compellere valeant, ſinè prædictæ Sedis mandato, & licentia ſpeciali, expreſſam faciente de hac indulgentia mentionem; nec quiſquam veſtrum parere, vel intendere teneatur ſuper ijs monitionibus, mandatis, aut iuſſionibus eorumdem, aut facere, vel implere, quod in hac parte duxerit iniungendum.

Fratres Ordinis non poſſunt abſque ſpeciali mãdato Papæ alijs deſeruire, & ſeruientes ad Ordinẽ reuocati poſſunt.

§. 11. Cæterùm Generalis, ac Prouinciales, Correctores, ac ipſorum Vicarij, illos ex fratribus, de quibus auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ipſius, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac alijs quibuſcumque prouiſum extitit, vel in poſterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam, non obſtante conditione aliqua, poſſint ad ſuum Ordinem reuocare, nec per literas eiuſdem Sedis, ſeu Legatorum ipſius iam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de fratribus ipſius Ordinis præfatis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aut alijs teneantur in ſocios deputare, niſi dictæ literæ Apoſtolicæ obtinendæ de indulto huiuſmodi, & Ordine ipſo expreſſam fecerint mentionem, & aliàs id honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti viderint expedire. Nullus autem Legatus, niſi de latere noſtro, miſſus auctoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, ſpecialem de hoc indulto, & Ordine veſtro facientium mentionem, nulluſque Prælatus, etiam Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, nec aliqua perſona religioſa, vel ſecularis, de fratribus eiuſdem Ordinis ad ſua, ſeu Eccleſiæ negotia procuranda, vel ſecum manendum aliquos aſſumere valeat, niſi quos generalis, vel prouincialis Corrector ipſorum, tamquam idoneos, & diſcretos ſibi duxerint aſſignandos, quos etiam ſubiacere volumus Ordinis diſciplinæ.

Generalis Correctoris auctoritas in fratres inquiſitionis, aut verbi crucis prędicationi deputatos.

§. 12. Illos verò ipſius Ordinis fratres, qui ad prædicandum crucem, vel inquirendum contra prauitatem hæreticam, ſeu ad alia huiuſmodi negotia ſunt, vel fuerint vbicumque à Sede Apoſtolica deputati, tu fili generalis Corrector, tuique ſucceſſores remouere, ſeù reuocare, penitùs transferre, ipſiſque quòd ſuperſedeant iniungere, alioſque ſubſtituere, cum expedire videbitur, licitè, ac liberè valeatis, & in eos, ſi contrauenerint, cenſuram eccleſiaſticam exercere; ac quilibet Corrector prouincialis, vel eius Vicarius eiuſdem Ordinis id ipſum in ſua Prouincia circa fratres ipſius Ordinis, quibus ab eadem Sede ſimilia contigerit in illa committi, facere poſſit, non obſtantibus aliquibus literis, vel indulgentijs Apoſtolicis impetratis, vel etiam in poſterum impetrandis, quæ de hoc non fecerint mentionem.

Et in diſcedentes ab Ordine poſt emiſſam profeſſionẽ

§. 13. Inhibemus quoque, ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam, ſinè Generalis, vel ſui Prouincialis licentia diſcedat ab ipſo; diſcedentem verò abſq; cautione literarum alterius ipſorum, prætextu priuilegij alicuius Apoſtolicæ Sedis, nullus audeat retinere; quòd ſi fortè retinere præſumpſerit, vobis generalis, & prouincialis Correctores dumtaxàt, & veſtris ſeù Prouinciarum Vicarijs licitum ſit in ipſos diſcedentes fratres excommunicationis ſententiam promulgare: detinentes verò eoſdem ſecum, vel in Monaſterijs, aut Eccleſijs ſuis (niſi eos reiecerint, poſtquàm eis denunciatum fuerit) excõmunicationis ſententiæ volumus ſubiacere, non obſtante; quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto huiuſmodi mentionem.

A noſtro Ordine nemo poteſt ad aliũ tranſire abſque licẽtia Papæ.

§. 14. Si verò aliqui de fratribus veſtri Ordinis poſt obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à nobis ad Religionem aliam tranſeundi, infra duos, vel tres menſes ſe ad illam Religionem ſuæ ſaluti congruam non contulerint, & ipſius non ſuſceperint habitum regularem, licitum ſit vobis generalis, ac prouinciales Correctores, & vices veſtras gerentibus contra ipſos, tamquam alios Ordinis veſtri apoſtatas procedere, ſecundùm quod honeſtati ipſius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui poſt ſuſceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis, nulla profeſſione facta, inde preſumpſerint reſilire, aut etiam ſi poſt profeſſionem huiuſmodi ad Religionem laxiorem, ſeù mitiorem Ordinem tranſierint, vel, quod abſit, ad ſeculum reuertantur, volumus, vos contra ipſos rigorem veſtri Ordinis exercere.

Apoſtatas poſſũt Prælati excommunicare. Vide conſt. 1. huius Põtif § 38. nu. 96. & 10. Vrb. 8. §. 3.

§. 15. Apoſtatas quoq; veſtri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & aliàs ſubdere diſciplinæ rigori poſſitis per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inueniri, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Expulſi ab Ordine prædicare, confeſſiones audire aut docere nõ poſſunt. Vide to. 1. Relig. q. 1. c. 25. & conſtit. 10. Vrban. 8. §. 4. 5. & 6.

§. 16. Inhibemus etiàm, ne fratres, quos ab Ordine veſtro pro ſuis culpis per generalem, ſeu prouinciales Correctores, aut Vigiles expelli cõtigerit, vel qui egreſſi fuerint proprio ſuo motu, prędicare, confeſſiones audire, ſeu docere præſumant, niſi ad alium Ordinem, in quo licitè huiuſmodi officia exerceutur, tranſierint de veſtra, vel dictorum Correctorum licentia ſpeciali. Quòd ſi forte ipſi contra huiuſmodi inhibitionem noſtram aliquod ſuper præmiſſis temerè attentare preſumpſerint, prouinciales Correctores, & Vigiles, ac eorum Vicarij in illos, quos infra fines ſuarum Prouinciarum, iuxta conſuetudinem Ordinis veſtri, diſtractos inuenerint

talia

Digitized by Google

talia preſumentes, monitione præmiſſa, auctoritate noſtra excommunicationis ſententiam valeant promulgare.

Et ad aliũ Ordinem, vt hic trãſire poſſint. Vide conſtit. 19. Vrb. 8 § 5

§. 17. *Eiectos autem de Ordine veſtro, vel egreſſos, qui receptione in eodem Ordine ſuis culpis exigentibus, reddiderunt ſe indignos, & alios fratres eiuſdem Ordinis, ex rationabili cauſa ad quoſcumque Ordines approbatos (præterquam ad B. Auguſtini templariorum, hoſpitaliorum, & aliorum Religioſorum arma portantium) ad vitandam occaſionem euagandi, generalis, vel prouinciales Correctores cum ſuis teſtimonialibus literis auctoritate noſtra licentiandi liberam habeant facultatem: Nos enim diſtrictiùs inhibemus, ne tales ad alium Ordinem alitèr tranſire, vel aliqui eos recipere, ſeu retinere præſumant, abſque licentia ſpecialis Sedis Apoſtolicæ faciente de hoc plenariam mentionem.*

Prohibet quibuſcũque Religioſis habitum conſimilem.

§. 18. *Inhibemus etiam, vt nulli, ſiue ſit in Religionis Ordine, ſiue extra Ordinem conſtitutus, habitum veſtrum, vel ità conſimilem, quòd propterea frater Minimus credi poſſit, deferre liceat, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali; & vt dicta inhibitio maiorem conſequatur effectum, ſtatuimus, vt ij, qui habitum veſtrum, vel illi prædicto modo conſimilem deferre præſumpſerint, ad deponendum ipſum per Diœceſanos locorum, cum à vobis requiſiti fuerint, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur.*

Exemptio à ſolutione decimarum. Vide quæ cito ad § 33. 1. conſtit. huius Pontificis.

§. 19. *Cæterùm cum humilitas veſtra ſibi de latitudine orbis terræ nihil, præter domos, & hortos cum virgultis, ad ſimplicem tantummodò fratrum vſum præmiorum obtentu cæleſtium duxerit reſeruandum; Nos pié volentes quòd illorum fructus integrè veſtræ paupertatis vſibus applicentur, vt de dictis hortis, & virgultis veſtris nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate præſentium indulgemus, diſtrictiùs inhibentes, ne quis à vobis de præmiſſis aliquid exigere, vel extorquere præſumat.*

Ingrediẽtes Ordinẽ bona incertorum dominorũ poſſint portare.

§. 20. *Quia verò nonnulli veſtræ Religionis habitum aſſumentes, diuerſis perſonis, quæ ſciri, & inueniri non poſſunt, aliqua bona interdum reſtituere tenentur, vobis Prouincialibus, Vigilibus, ac Vicarijs prædictis concedimus, vt ſinguli veſtrum in locis ſibi commiſſis, bona ipſa in pios vſus conuertere valeant, prout ſecundum Deum videbitur expedire.*

Sepultura in locis Ordinis eſt omnibus libera.

§. 21. *Sepulturã quoque in locis, Cæmeterijs, & Eccleſijs veſtris concedimus, & eam liberã eſſe cenſemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint (niſi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publicè vſurarij fuerint) nullus obſiſtat, ſalua tamen iuſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur.*

Celebrari, nec mortui ſepeliri poſſunt in noſtris Cõuentibus; inuitis fratribus.

§. 22. *Diſtrictiùs inhibentes, vt nulli Religioſi, vel ſeculares, vobis, inuitis, aliquorum corpora defunctorũ in veſtris Cæmeterijs ſepelire, aut in Eccleſijs veſtris miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, ſinè veſtro aſſenſu, aut voluntate præſumant.*

Tempore interdicti quomodo fratres celebrare valeant.

§. 23. *Et cum generale interdictum fuerit, in Eccleſijs, & Oratorijs veſtris, & alijs quibuſcumq; , vel cum ad loca perueneritis eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, clauſis ianuis, interdictis, & excõmunicatis excluſis, nõ pulſatis cãpanis, & ſubmiſſa voce, liceat vobis celebrare diuina, & eccleſiaſtica recipere ſacramẽta, dummodò cauſã nõ dederitis interdicto, nec cõtingat vobis ſpecialiter interdici, neq; Eccleſiæ, vel Oratoria ipſa fuerint ſpecialitèr interdicta. His verò, qui in veſtris morantur obſequijs, cuncta liberè miniſtrare poteritis Eccleſiaſtica ſacramenta, & ipſos cum decederint in veſtris Oratorijs ſepelire. Si quando autem in terris, in quibus reſidetis, vel eorum perſonis, excommunicationis, ſeu interdicti ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſeruitijs deputati, negotiorumque veſtrorum Procuratores, & operarij, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter continuè inſtiterint, huiuſmodi ſententijs obnoxij minimè habeantur, ibique poſſint audire diuina, iuxta formam, quæ locis ipſis eo caſu à Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eidem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter, ſeu interdici contingat eoſdem.*

Vide ſupra in cõſtitut. 2. Sixti IV. à nu. 50.

Fratres confiteãtur Prælatis Ordinis.

§. 24. *Inhibemus inſuper vniuerſis fratribus veſtris Ordinis, ne aliquis eorum (niſi neceſſitatis vrgente articulo) alijs, quàm Prælatis ſuis peccata ſua confiteri præſumat, vel alijs eiuſdem Ordinis ſacerdotibus ſecundùm Regulam, & ipſius Ordinis inſtituta.*

Prælati eccleſiaſtici non moleſtẽt fratres ſuper hic expreſſis.

§. 25. *Vniuerſis autem Eccleſiarum Prælatis, & alijs inhibemus confeſſiones veſtras, vobis, inuitis, audire, vel compellere vos ad Synodos, ſeu conuocationes ſuas accedere, vel cum eis extra Ciuitates, vel intra proceſſionaliter exire, aut ſuis conſtitutionibus ſubiacere, vel capitula, ſcrutinia, & inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, annualem obedientiam à Prouincialibus, Vigilibus, & Correctoribus localibus veſtris exigere, aut de ipſorum inſtitutione, vel deſtitutione, ſiuè de ſtatutis veſtri Ordinis ſe aliquatenus intromittere, ſeu prohibere, ne ad Ciuitates, vel Villas, vbi religiosè, ac honeſtè commorari poſſitis, à populis euocati audeatis accedere, ibique pro veſtris vſibus conſtruere ædificia, Eccleſias, ſeu Oratoria, aut in accedentes fratres, ſeu confluentes huiuſmodi, vel acceptatores ipſorum excommunicationis ſententias ferre præſumant.*

Exemptio à ſolutione canonicæ portionis de Ordini relictis.

§. 26. *Concedimus quoque vobis, vt de ijs, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuerſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſiue alijs, ad perpetuum cultum diuinum, ſeu pro pictantijs, aut victu ad ſuſtentationem veſtram, vel indumentis, necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ domus veſtri Ordinis obligatæ noſcuntur, vel de domibus prædictis, & hortis, alijſque locis, vobis ſecundum inſtituta veſtri Ordinis opportunis, aut de ijs, quæ pro huiuſmodi domibus, prædijs, hortis, & locis emendis vobis legantur, dummodò præmiſſa non conuertantur in vſus alios, ſed in illos dumtaxàt, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac conceſſione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hæredibus, de præmiſſis, aut de ijs, quæ vobis in vltimis voluntatibus abſolutè legantur, vel alias pro veſtris neceſſitatibus conferuntur, aliquid exigere, vel extorquere præſumat diſtrictiùs inhibemus.*

Fratres poſſunt loco Ordinis dimittere,&c.

§. 27. *Ad hæc liceat fratribus veſtri Ordinis, cum de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia, ſeu omnem ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt, (dedicatis Eccleſijs dumtaxat exceptis,) libros, calices, & paramenta ſecum ad alia loca transferre; ac ædificia ipſa cum ſolo, & alijs ad eadem loca pertinentibus, præter Eccleſias, per perſonas, ad hoc à Sede Apoſtolica deputatas vendere, ipſorumque pretium in aliorum locorum, ad quæ dicti fratres ſe transferunt, ædificationem, ſeù aliàs in eorum vtilitatem conuertere, ſecundùm quod melius videbitur expedire, cum ipſa priora, & alia loca fratrum ad nos, & Apoſtolicam Sedem ſpecialiter, & immediatè pertinere noſcantur. Et ne aliqui Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut alij Eccleſiarum Prælati, ſeu quæuis alia perſona eccleſiaſtica, vel ſæcularis, prædicta loca ſeu bona occupare; accipere, vel vſurpare, aut quoquo modo ſibi vendicare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, diſtrictius inhibemus.*

Exemptio ab omni præſtatione & onere.

§. 28. *Indulgemus vobis, vt ad præſtationem procurationem Legatorum prædictæ Sedis, vel Nunciorum ipſius, ſeu Diœceſanorum locorum, aut exactionum, vel collectarum, ſeu ſubſidiorum, vel prouiſionum quarumcumque minimè teneamini, nec ad ea ſoluenda per literas dictæ Sedis, aut Legatorum, vel Nunciorum eiuſdem, ſeù Rectorum terrarum Eccleſiæ Romanæ impetratas, ſeu in poſterum impetrandas, cuiuſcumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli poſſitis, niſi dictæ Sedis literæ impetrandæ plenam, & expreſſam de huiuſmodi indulto & dicto Ordine fecerint mentionem.*

Prælatorũ Ordinis facultas abſoluendi fratres, & cum eis diſpenſandi.

§. 29. *Præterea cum fel. recor. Gregorius XI. prædeceſſor in dictis ſuis literis Generali, Vigilibus, & Prouincialibus, necnon Correctoribus localibus, & eorum Vicarijs abſoluendi fratres eiuſdē Ordinis, ac etiã fratribus dicti Ordinis, quos ipſi huiuſmodi Superiores habuerint pro tempore in confeſſores abſoluendi ipſos Superiores ab exceſſibus, & cenſuris (niſi talia forent, propter quæ eſſent ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandi) ac cum eis deſuper diſpenſandi licentiam conceſſerit, & propterea, qui ſint deſtinandi, perſæpè reuocetur in dubium. Vt abſoluentium, & abſoluendorum, diſpenſantium, & diſpenſatorum pro parte puritati cõſcientiæ conſulamus, declaramus, hæreticos relapſos, ſchiſmaticos, & qui literas Apoſtolicas falſificaſſent, aut ad infideles prohibita detuliſſent, dumtaxat eſſe ad Sedem prædictam meritò deſtinandos, reliquis verò omnibus, etiam, ſimoniæ qualitercumque irretitis, poſſe per illos, quibus inibi conceditur, abſolutionis beneficium, & diſpenſationis, iuxta caſuum indigentiam, impartiri. Et vt dicti Ordinis profeſſoribus omnis vagandi tollatur occaſio, & ad Apoſtolicam Sedem recurrendi ſubtrahatur pro poſſe neceſſitas, omnibus Superioribus, & eorum Vicarijs, defectũ natalium, ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem; patientibus nec non cum his, qui ex quauis cauſa, præterquam homicidij volũtarij, bigamiæ, & mutilationis membrorũ, irregulares forent, diſpenſandi cum dicti Ordinis Minimorum profeſſoribus, poſtquàm ipſum Ordinem profeſſi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiuſmodi non obſtante, irregulares ipſi ad quoſcumque etiam ſacros ordines promoueri, & in illis etiam altaris myſterio miniſtrare, & tam ipſi irregulares, quàm defectum natalium patientes, ad quæcũque adminiſtrationes, & officia eligi, recipi, & aſſumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, ſcientia, & auctoritate prædictis concedimus per præſentes.*

Exemptio à decimis, etiam papalibus.

§. 30. *Indultum verò prædeceſſoris de decimis non ſoluẽdis, ad quæcumque bona dictorum fratrũ, & quaſcumque decimas, etiàm quas vulgus Papales appellant, & Apoſtolica Sedes pro Chriſtianæ fidei defenſione, aut alijs imminentibus per ſæpe neceſſitatibus indicit, & quæcumque alia onera, motu, & ſcientia prædictis extendimus. Decernentes, fratres ipſos Minimos etiamſi per quoſcũque exemptos etiam Mendicantes ſolui mãdarentur, cũ quibuſuis derogatorijs, & fortioribus clauſulis, ad illarum ſolutionem ceſſando, cenſuras, & pœnas aliquas non incurrere; niſi præſentibus noſtris, non per generales, aut alias clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſit derogatum ſpecificè, eorum de verbo ad verbum inſerto tenore.*

Exẽptio à iuriſdictione Ordinariorum. Cap. Volentes, de priu. in 6. Vide conſtitut. 2. Sixti 4. nu. 29.

§. 31. *Cæterùm cum fel. rec. Innocentius Papa IV. prædeceſſor noſter, olim duxerit ſtatuendum, vt exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, ritè poſſint coram locorum Ordinarijs conueniri, & illi quò ad hoc ſuam in ipſos iuriſdictionẽ, prout ius exigit, exercere. Nos vobis (vt occaſione conſtitutionis huiuſmodi, nullum libertatibus, & immunitatibus, vobis, & Ordini veſtro per priuilegia, & indulgentias ab Apoſtolica Sede conceſſis, aut in poſterum concedendis præiudiciũm generetur) auctoritate præſentium indulgemus, decernentes, vos, ſeu perſonas veſtri Ordinis in prædictis caſibus Ordinarijs ipſis minimè ſubiacere. Decernimus, ergò irritum quicquid contra tenorem conceſſionum, & inhibitionum huiuſmodi per quoſcumque fuerit attentatum, & interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem, in vos, vel veſtrũ aliquos, aut loca veſtra, ſeu benefactores veſtros, vel executores, aut hæredes prædictos, in poſterum promulgari contigerit, penitus non tenere.*

Facultas Prælatorum Ordinis coercẽdẽdi fratres iuxta eius ordinationes, appellatione remota.

§. 32. *Et quia Bonifacius VIII. prædeceſſor noſter olim ad augmentum continuum Religionum, & Ordinum, quos Romana ſuſcepit, & approbauit Eccleſia, paternis ſtudijs intendit, & conſiderans attentiùs, quòd non intermiſſa ſedulitas diſciplinæ Religiones, & Ordines ſupradictos, ſtatuſque regulares ſalubriter dirigit, & conſeruat, quòdque ſi eam perire, vel remitti contigerit, Ordo quilibet collabi neceſſariò cogeretur. Penſando etiam, quòd ſi regularium perſonarum correctio rimas iuris, & apices ſequeretur, huiuſmodi rigor leteſceret, ac multiplicata laxatione torperet. Nos auctoritate Apoſtolica vobis indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum veſtri Ordinis delinquentium infligendas, Generalis, Vigiles, & Prouinciales, necnon Correctores locales, & eorum Vicegerentes, ad quos eadem ſpectare noſcuntur (rimulis, & apicibus ipſis poſtpoſitis) liberè procedere valeant ſecundùm conſuetudines approbatas, & generalia, facta, & etiam facienda ipſius Ordinis inſtituta. Nec volumus eiſdem licere fratribus, ab eiſdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prouida in hoc deliberatione, ac maturitate debita obſeruatis.*

§. 33. *Quòd-*

Digitized by Google

Exemptio à gabellis & impoſitionibus.

§. 33. Quòdque fratres, & ſorores, ac Gubernatores præfati, ratione domorum, locorum, ac Monaſteriorum prædictorum, aut quorumcumque aliorum bonorum, aut poſſeſſionum, quæ in præſentiarum habent, & iuſtis modis, præſtante Domino, habebunt in futurum, ſeu alia quauis occaſione, decimam, vel aliam petitionem, aut annuos redditus, ſeu cenſum, vel procurationem aliquam, vel aliam ſubuentionem. Legatis, vel Nuncijs dictæ Sedis, aut Ordinarijs locorum, vel alijs quibuſcumque, aut pedagia, vel telonia, & alias exactiones, quibuſuis Regibus, ſeu alijs perſonis eccleſiaſticis, ſeu ſecularibus dare, & ſoluere minimè teneantur. Nec ad illud compelli poſſint, vel ſuper hoc alias à quoquam quomodolibet conueniri per literas Sedis prædictæ, aut Legatorum, vel Delegatorum, ſeu Nunciorum ipſius, aut Diœceſanorum locorum, vel Rectorum terrarum Eccleſiæ Romanæ, aut quorumcumque aliorum, etiamſi in eiuſdem Sedis literis contineatur expreſsè, quòd ad quæuis exempta, vel non exempta loca, ſeu Monaſteria ſe extendant, & aliqua eis, cuiuſcumque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſiſtat, niſi forſan dictæ literæ Apoſtolicæ de dicto Ordine, & præſentibus de verbo ad verbum, ac etiam Monaſterijs, locis, & domibus, ipſorumque Rectoribus, ac Gubernatoribus, & perſonis prædictis, plenam, & expreſſam, ac etiam ſpecialiter, & nominaliter fecerint mentionem.

Derogatio contrariorum.

§. 34. Felic. record. Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, & alijs conſtitutionibus Apoſtolicis, legibus imperialibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, per quæ præmiſſa poſſent quomodolibet infringi, vel impediri, & alijs in contrarium editis non obſtãtibus quibuſcumque. Nos enim quaslibet excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, & quoſcumque proceſſus, quaſuis pœnas, ſententias continentes, quas, & quos contra Generalem, fratres, & ſorores, domos, Monaſteria, perſonas, & alia ſupradicta, contra tenorem, & formam præſentium, & exemptionis huiuſmodi promulgari, & haberi contigerit irritas decernimus penitus, & inanes. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, quinto Kalendas Auguſti, 1506. Pontificatus noſtri anno tertio.

§. I.

1 NOto, quòd de iure communi poſtquam quis eſt ad aliquam dignitatem electus, ſi ante confirmationem ſe ingerat, exercendo aliquem actum ad talem dignitatem ſpectantem, eſt ipſo facto priuatus iure acquiſito per illam electionem. Ita habetur in cap. Auaritiæ, de elect. in 6. & cap. Qualiter, eodem tit. & dixi tom. 1. Religioſi, quæſtio. 1. cap. 41. §. 11. concluſ. 5. Hic verò Pontifex concedit priuilegium, vt Generales ſtatim ac fuerint ſecundùm Regulam electi, plenè, & liberè poſſint ſuum officium, & iuriſdictionem, tam temporalem, quàm ſpiritualem in ſubditos exercere, præcipiendo, excommunicando, abſoluendo, corrigendo, viſitando, incarcerando, perinde ac ea poſſunt poſt acceptam Pontificis benedictionem. Vnde colligitur, quòd Generalis ſtatim ac eſt electus, confirmatur ab Apoſtolica Sede. Vt etiam colligit ex ſimili priuilegio facto à Clemente IV. Ordin. Minorum Rodriq. tom. 2. q. reg. q. 52. artic. 2. alia multa ſimilia referens, & habetur etiam in conſt. 4. Pauli III. §. 5.

§. II.

2 NOto 1. quòd per hoc priuilegium poſſunt Generales à Prouincialibus, & Vigilibus, & alijs fratribus in Capitulo generali congregatis amoueri. Et ſic antiquitùs Generales in Capitulis generalibus ante electionem noui Generalis viſitabantur per aliquos patres deputatos in dicto Capitulo. Ita definitum fuit in Cap. gen. Granopol. celebrato, num. 7. Immo illud ſtatutum ibi inſeritur tamquam viuæ vocis oraculum Clementis VII. & fundabantur in Correct. num. 9. Sed poſtmodùm in Capitulo generali Paulenſi, num. 17. ſtatuitur, quòd P. Generalis, durante ſuo officio, non viſitetur; quòd fuit ſpecialiter confirmatum à Paulo III. vt patet ex eius conſt. 4. §. 5. & ſic obſeruatur in praxi.

3 Noto 2. quòd Generalis, etiam non expectato tempore Capituli generalis, poteſt deponi in tribus caſibus. Primus eſt, ſi ſit dilapidator bonorum Religionis. 2. ſi incontinenter, & ſcandaloſè viuat. 3. ſi Regulam deſtruat, eamq; relaxat in ſeipſo, & in alijs. In his caſibus, quando publica ſunt delicta, & ſcandaloſa, quia periculum eſt in mora, poteſt Generalis deponi. Deponetur autem in dictis caſibus, vel à deputatis in Correctorio, num. 9. vel à Viſitatoribus impetratis ab Apoſtolica Sede, iuxta ea, quę dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 18. not. 2.

4 Noto 3. circa id, quod hic dicitur, quòd Generalis poſſit deponi à Prouincialibus, & Vigilibus ſecundùm Regulam, &c. quòd in Correctorio, num. 9. ſtatuitur, quòd quando Generalis, ſeu quiuis alius Prælatus erit deponendus, fiat talis depoſitio per ſocios eiuſdem deponendi, & Capitulum locale eiuſdem; vel proximioris Conuentus; Vbi, vt patet, ad hanc depoſitionem non interueniunt Prouinciales, neque Vigiles. Et quòd illud Capitulum Correctorij, num. 9. loquatur etiam de Generali apertè conſtat, ex eodem Correctorio, nu. 111. Vbi Correctorium manifeſtè ſe declarat. Quarè puto, quòd hoc priuilegium ſit in fauorem Generalium, & quòd ad eorum depoſitionem velit Papa, vt interueniãt non ſolùm deputati per Correctorium loco dicto, ſed etiam Prouincialis Prouinciæ, in qua delictum depoſitione dignum committi contingeret, & Vigil illius nationis, ſi depoſitio ſit facienda extra Capitulum generale. Sed melius aduerte, quòd compoſitores huius cõſtitutionis eam ex parte, præſertim in principio deſumpſerunt ad verbum ex Mari magno Prædicatorum parùm conſiderando, an noſtræ Religioni, multa quadrarent, vnde vix in aliquo loco poteſt intelligi; vt in §. 1. ibi *Tu generalis Corrector, & prædeceſſores tui*, & tamen S.P. Franciſcus nullum prædeceſſorem habuit. Et eodem §. ibi *Et præfati Definitores*, & tamen nulla fuit ante facta mentio de Definitoribus, nec Definitores in Ordine noſtro eam habent auctoritatem, quam hic illis tribuit Papa. Quod magis patet ex §. 29. vbi dicitur, quòd Gregorius XI. nobis conceſſerit, &c. Quare attendentes magis ad mentem Pontificis, quàm ad verba, vt dicitur capit. Marcion. 1. quæſt. 1. turbari non debemus, ſed ſecundùm Regulam in hoc procedere omninò.

§. III.

5 NOto 1. quòd hoc priuilegium poteſt dupliciter intelligi. Primò vt loquatur de Capitulis prouincialibus, & generalibus, & concedat, quòd tempus ſtatutum à Regula electoribus non currat, cum frequenter de remotis partibus eos conuenire oporteat. Quare ſi tempore præfixo non conuenerint, poſſit dictum tempus in aliud, quo omnes iam conuenerint, differri: vel ſi ante dictum tempus conuenerint, poſſint dicta Capi-

tula celebrari, vt citiùs liceat electoribus domum repetere. Quo pacto intellectum priuilegium eſt reuocatum per conſtitut. 4. Pauli I I I. §. 4. infrà. 2. modo poteſt intelligi priuilegium, ita vt conformet cum alio priuilegio ſimili, conceſſo à Clemente IV. fratribus Minoribus, quod referunt Caſarub. in comp. verbo Electio, §. 4. Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 52. art. 12. Miranda tom. 2. manualis quæſt. 23. art. 10. Quod priuilegium intelligunt Rodriquez, & Miranda, vt clarè colligitur ex eorum dictis, non de electionibus faciendis in Capitulis generalibus, & prouincialibus, in quibus ſtatuta eſt per Regulã dies præfixa, qua elapſa, deuoluitur electio ad Superiorem, ſed de electionibus faciendis cauſa mortis, vel priuationis, vel renunciationis, in quibus ius commune circa tempus ſtatuit multa, de quibus dixi tom. 1. Religioſi, quæſt. 1. capit. 31. notab. 9.

6 Et primò, quòd electio non fiat ante ſepulturam defuncti. 2. quòd electio fiat intrà tres menſes computandos à die mortis, priuationis, vel renunciationis. 3. quòd electores, electione ſecuta, teneantur intra octo dies eam præſentare electo, 4. quòd electus teneatur intra menſem computandum à die præſentationis, electioni vel conſentire, vel diſſentire, 5. quòd poſt conſenſum præſtitum teneatur electus intra tres menſes à die præſtiti conſenſus confirmationem petere. Concedit itaquè Papa in hoc priuilegio, quòd dictis regulis temporum non coarctemur. Itaque ſi ante ſepulturam defuncti electio fiat, valida erit, ſi poſt tres menſes, etiam valida erit, ſi poſt octo dies electionem electo præſentauerint, & iſte etiam poſt menſem conſenſum præſtiterit, vel intra tres menſes à præſtito conſenſu confirmationem non petierit, electio nihilominùs valida erit per hoc priuilegium, non obſtante iure communi. Et hoc modo intellectum priuilegium, vt debet neceſſariò intelligi, eſt maximè in ſuo robore, & congruit priuilegio citato Clementis IV. quo fruimur, & nos, & omnes Mendicantes communicationem priuilegiorum habentes, vt dicunt, Rodriquez, & Miranda locis cit.

7 Ex quo ſequitur, quòd in morte Generalis, vel Prouincialis, vel Collegarum poteſt differri electio, etiam poſt tres menſes, ſi omnes electores in longinquis partibus degentes, intra dictum terminum non potuerint conuenire.

8 Si dicas, huic priuilegio Capitulum generale Romæ 6. num. 14. dub. 2. renunciaſſe per illud ſtatutum, *quòd in Ordine noſtro omnes electiones, ſine cauſa mortis, &c. fiant intra tres menſes à die vacationis, alioquin quòd electio deuoluatur ad Superiorem.*

9 ℞. Et dico 1 non eſſe dubium, quod quando qui habet priuilegium, illud repudiat, priuilegium per non vſum tollitur, nam priuilegium non confertur in inuitum; Cum ergo in Capitulis prouincialibus, & generalibus contineatur interpretatiua voluntas totius Prouinciæ, & totius Ordinis, cui conceſſa ſunt priuilegia, poſſunt dicta Capitula prouincialia pro ſua Prouincia, & generalia pro tota Religione priuilegijs Religioni conceſſis renunciare, & ea per non vſum tollere. Et ad huius rei euidentiam, adque omnem ambiguitatem tollendam refert Rodriq. tom. 1. queſt. regul. q. 9. artic. 2. conceſſionem Leonis X. qui conceſſi, quòd Generalis fratrum Minorum in ſuo Capitulo generali, & quilibet Prouincialis in ſuo Capitulo prouinciali, de conſenſu eiuſdem Capituli, vel maioris partis declarare poſſit, & valeat, vtrum ab vſu alicuius conceſſionis viuæ vocis oraculo factæ abſtineri debeat, ac ſi conceſſio huiuſmodi per Sanctitatem ſuam ſuſpenſa, vel reuocata fuiſſet. Quarè videtur, quòd Capitulum generale poſſit priuilegijs Religioni conceſſis renunciare, cum vnicuique liberum ſit renunciare iuri ſuo, vt dicitur in cap. Si de terra, de priuil.

10 Quæ regula tamen fallit in duobus caſibus, Primò quando qui gaudet priuilegio, non eſt proprium ſubiectum, cui datum eſt, vel propter quod datum eſt. Sic priuilegium principaliter conceſſum in gratiam Communitatis, non poteſt à particularibus perſonis renunciari, vt eſt priuilegium Cleri, tam fori, quàm canonis. 2. quando renunciatio non pendet adæquatè ex voluntate renunciantis. Sic quis non poteſt renunciare priuilegio ſibi conceſſo, quod continet etiam ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicaretur. Vndè Prælatus non poteſt renunciare libertati Eccleſiæ ad ius Romanæ Eccleſiæ pertinenti, vt habetur in cap. Cum tempore, de arbitris. Ità Suar. lib. 8. de legibus, cap. 33. num. 2. Seù breuiùs dicas, quòd illa regula Vnicuiq; liberum eſt, &c. intelligitur quandò non tangitur ius Superioris, vel tertij. Ità Panor. in cap. Si de terra, de priuil. num. 5. Tabien. verbo. Priuilegium, n. 9. Sylu. eodem, q. 10. num. 10. verbo Octauo. Armilla n. 9. Roſella num. 15. vnde dicunt, quòd exemptus non poteſt renunciare priuilegio exemptionis, quià eſt in Præiudicium Papæ.

11 Dico etiam obitèr. quòd licèt nemo cogendus ſit vti ſuo priuilegio contra ſe ipſum, vt dicitur dicto cap. Si de terra, & habetur in regula Quod ob gratiam, quæ eſt 61. de regulis iuris in 6. vbi dicitur, *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendũ.* In duobus tamen caſibus poteſt obligari priuilegiatus ad vtendum ſuo priuilegio. 1. eſt quando non poteſt illi renunciare, de quo numer. anteced. 2. quotiès per priuilegium fit actus licitus, qui antea non erat, vel tollitur obligatio, quæ antea erat, V.G. qui habet priuilegium audiendi miſſam tempore interdicti, obligatur audire illam in diebus feſtis ex præcepto Eccleſiæ, à cuius obſeruantia excuſaretur, ſi tale priuilegium non haberet. Item coniux habens votum caſtitatis tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti; ſi tamen coniux adulter fuerit, vxor habens votum non tenetur reddere, & conſequenter obligabitur non reddere, ſed ſeruare caſtitatem, quia licèt in caſu adulterij ſit priuilegium innocentis, vt non obligetur reddere debitum adultero petenti, poſito priuilegio, fit licita obſeruatio voti caſtitatis, & ideo obligat præceptum ſeruandi votum. Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 6. num. 15. Suarez lib. 8. de legibus, ca. 23 nu. 8. Et alij apud Auilam de cenſ. p. 5. diſp. 4. ſect. 2. dub. 6. licèt ipſe ibi contrarium teneat concl. 2. & p. 6. diſp. 1. dub. 7.

12 Dico 3. quòd renunciatio priuilegij poteſt dupliciter fieri. 1. expreſsè. 2. tacitè. Ad expreſſam renunciationem requiritur efficax voluntas abdicandi à ſe totum ius, & facultatem priuilegij expreſſam ſignis exterioribus ſatis claris, ideſt verbis voluntatem manifeſtè declarantibus. Ad tacitam autem renunciationem requiritur eadem voluntas à ſe abdicandi priuilegium per facta, vel omiſſiones externùs manifeſtata, nimirùm per non vſum priuilegij, vel per contrarium vſum, ſeu etiam per abuſum, ad quam vtramq; renunciationem, vt patet, requiritur priuilegij ſcientia. Me clariùs explico. Habeo verbi gratia priuilegium non ieiunandi in diebus præcepti, verbis expreſſis dico, Declaro, quòd huic priuilegio renuncio; iſta eſt renunciatio expreſſa; accedunt dies ieiunij, ego ieiuno, ſciens, & recordans, me habere dictum priuilegium, eiquè renunciare intendens, iſta eſt renunciatio tacita. Ita Suarez lib. 8. de legibus, capitul. 34. à num. 5.

13 Dico 4. ad obiectionem reſpondendo, quòd priuilegium, de quo agimus, eſt in fauorem electorum, Generalis, & Prouincialis, &c. qui quandoq; in longinquis partibus reperiuntur, V.G. ſi decedat Generalis, vel illius aliquis ex Collegis in Sicilia, & alij Collegæ ſint in partibus remotioribus Hiſpaniæ, vel Galliæ, tunc non poſſunt intra terminũ trium menſium à iure ſtatutum ire ad locum deputatum pro electione Generalis, ideò Papa ijs concedit, vt nõ arctetur iſtis regulis. Quarè cum hoc priuilegium ſit in bonum publicũ inductum, ad quod maximè intereſt, vt electores naturales, vt ſic dicam, electiones celebrent, non verò aſſumãtur ad libitum Prælatorum alij ſuppoſititij, qui non au-

deant

deant Prælato benè, vel malè facienti, vt potè ab ipſo aſſumpti, contradicere, videtur, quòd Capitulum generale huic priuilegio renunciare non potuerit, maximè quia iſtius priuilegij tam Religioni vtilis, & neceſſarij notitiam fortè non habebant, ſaltem totaliter, quæ tamen eſt omninò neceſſaria, vt dixi num. præced. ſitq; etiam in fauorem electorum, & commodum; quod enim per Superiorem conceditur, per inferiorem reuocari non poteſt, cap. Inferior, diſt. 21. Clementina Ne Romani, de elect. Atque ita in caſu ſimili id tenet Paſſarellus in ſcholijs ex Iannenſi, num. 4. de valore priuil. fine, Statutum ergò illud Romanum, vel dicendum eſt nihil valere per dicta, vel dicendum eſt, non intendiſſe Patres illius Capituli (inter quos ego interfui tãquàm Commiſſus Genuæ) renunciare prædicto priuilegio, de quo fortè, & ſinè fortè, non omnes capitulares notitiam habebant, ſed intendiſſe obuiare fraudibus, quæ fiebant quandoq; transferendo electiones etiam per ſex menſes, vſque dum aliqui, quos prætendebant eligere, officia, quibus fungebantur, finirent. Et verè illud ſtatutum factum eſt ab hoc obuiandum, vnde poteſt intelligi hoc pacto, nimirùm, quòd ſtatim ac omnes electores conuenerint, vel iuri ſuo renunciauerint, fiat electio defuncti, vel depoſiti, &c. Quòd ſi conuenerint ante terminum trium menſium ille terminus prorogari non poſſit, cum prorogãdi nulla ſit occaſio, & ſi prorogetur, electio ad Superiorem deuoluatur, ſi poſt terminum trium menſium conuenerint, ſtatim fiat electio. Quo pacto intellectum ſtatutum, validum eſt, & conforme huic priuilegio, quod conceditur ad commoditatem eorum, qui de longinquo venire debent.

§. IV.

14 Concedit, quòd Prouinciales ſtatim electi adminiſtrationem habeant, & licèt idem dicat de Correctoribus, cum tamẽ addat, quòd electi ſecundùm ſtatuta Ordinis adminiſtrationem habeant, & Correctores ſecundùm ſtatuta Ordinis non ſtatim electi, ſed poſt Publicationem, & confirmationem in Capitulo definitorio adminiſtrent, de Correctoribus non debet intelligi, quia hi ſecundùm ſtatuta Ordinis non habent ſtatim electi adminiſtrationem. Niſi velimus hoc priuilegium intelligere de Correctoribus Romanis, nimirùm SS. Trinitatis, S. Andreæ, & S. Franciſci de Paula, qui ſtatim electi, ante confirmationem habent adminiſtrationem. Et in vniuerſum poteſt intelligi de omnibus Correctoribus, qui ſubſunt immediatè P. Generali, nec ſubiacent definitorio alicuius Prouinciæ.

§. V.

15 Noto 1. quòd cap. 1. 2. & 3. de Magiſtris ſupponitur, quòd nullus poſſit alios docere theologiam, vel ſcripturam, &c. abſqnè Ordinarij, ſeu ſtudiorum Rectoris licentia. Quòd etiam decernit Trid. ſeſſ. 5. de reform. cap. 1. Hic Pontifex concedit, vt in noſtris Conuentibus poſſint Generales, & Prouinciales Lectores inſtituere qui abſque cuiuſquã alterius licentia doceant ſuos diſcipulos in theologica facultate, quod etiàm concedit Trid. loc. cit. & fuit declaratum à ſacra Congregatione, vt refert Naldus in ſum. verbo Legere, nu. 6. Excipit tamen Pontifex duos caſus. 1. eſt, ſi debeant legere in ſtudijs generalibus, ſeu in publicis vniuerſitatibus. 2. Si debeant legere in illis ſtudijs, in quibus non legunt niſi Magiſtri ſolemniter gradu Doctoratus inſigniti, nam in iſtis caſibus vltrà licentiam Superioris, requiritur etiam licentia Ordinarij, ſeu ſtudiorum Rectoris. Quod etiam inſinuat Trid. loco cit. fine ibi, *Quod tamen de Lectoribus in clauſtris Monachorum non intelligatur*, quaſi dicat, Licet Lectores regulares dum in clauſtris Regularium legunt, non debeant ab Ordinarijs examinari, & approbari, ſi tamen extrà clauſtra in ſtudijs publicis exierint ad legendum, approbandi ſunt.

16 Noto ſecundò quòd Trident. loco citat. ſtatuit, *vt in Eccleſijs Monachorum, vbi commodè fieri queat, lectio ſacræ ſcripturæ habeatur; qua in re ſi Abbates neglĩgẽtes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc vt Sedis Apoſtolicę delegati eos ad id opportunis remedijs compellant. In Conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, ſacræ ſcripturę lectio ſimiliter habeatur; Quę lectio in Capitulis generalibus, vel prouĩcialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris.* Satisfit autem huic decreto, ſi habeatur in Monaſterio lectio theologiæ ſcholaſticæ, vel moralis, quæ confeſſionibus audiendis deſeruit, vt ait Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 130. artic. 2. Qui etiàm notat, quòd ſicut Epiſcopi poſſunt Abbates negligentes remedijs opportunis compellere, ità ſimiliter poſſunt compellere cœteros Regulares.

17 Si quæras, quæ ſint iſta remedia opportuna, quibus dicti compelli poſſunt ab Epiſcopis.

℞. Rodriq. quòd remedium opportunum eſt excõmunicatio, cum enim Epiſcopi deputentur à Concilio tamquam Sedis Apoſtolicę delegati, & Legati poſſint exercere omnia in ſua Prouincia, quæ poteſt ille, qui miſit eos, præter ſpecialiter reſeruata, & certũ ſit, quòd Pontifex, cuius delegati ſunt Epiſcopi, in hoc caſu poteſt Regulares excommunicare, certum etiam eſt, poſſe Epiſcopos dictos Regulares ad obſeruantiam huius ſtatuti excommunicatione compellere.

18 Et aduerte etiam, quòd quando Epiſcopus procedit tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ in cauſis, quæ ſub eius iuriſdictione ordinaria non comprehenduntur, non poteſt ab eo appellari, niſi ad Sedem Apoſtolicam; at quandò iuriſdictio delegata cumulatur cum ordinaria, Epiſcopus non poteſt huiuſmodi delegationis prætextu declinare iuriſdictionem Metropolitani in caſibus illis, in quibus ante Concilij ordinationem Metropolitanus poterat vti eodem iure, eademq; poteſtate. Ità dicitur declaraſſe ſacram Congregationem. Et ſi vis ſcire, in quibus caſibus poſſint Epiſcopi per Concilium Trid. procedere tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ, conſule Azor. p. 2. inſtit. moral. cap. 54. per totum.

19 Noto 3. quòd Paulus V. glorioſæ memoriæ in ſua conſtit. quæ incipit, Apoſtolicæ, quæ eſt 65. apud Cherub. in eo, tom. 3. bull. pag. 254. *ſtatuit, vt in cuiuſcũque Ordinis, & Inſtituti Regularium, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium ſtudijs omnibus, trium linguarum, Hebraicæ ſcilicet, Græcæ, & Latinæ, in celebrioribus verò etiam Arabicæ Doctores, Regulares quidem eiuſdem Ordinis, ſi in illo harum linguarum ſufficientem notitiam habentes ſint, ſin minus ſeculares, aut alterius Ordinis regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur*, &c. *Omnibus Regularium Superioribus ſub pœna indignationis ſuæ, & ſi ipſi negligentes fuerint, Protectoribus Ordinum iniungens, vt prouideant, quòd talia ſtudia inſtituantur*, &c. *Et in promotione ad Doctoratũ, & alios ſui Ordinis honores, illi, cæteris paribus, præferãtur qui in cognitione dictarũ triũ linguarũ profecerĩt, ita vt ad illas docẽdas apti ſint.* Congruit Clem. 1. de Magiſtris. Quæ ſancta conſtitutio miror, quo modo in Ordine noſtro non ſit executioni mandata.

20 Noto 4. pro Doctoribus, quòd die 22. Maij anno 1625. in generali Congregatione ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis inquiſitionis, habita in palatio Apoſtolico apùd S. Petrum coram S.D.N. Vrbano VIII. ac Illuſt. Cardinalibus in vniuerſa Chriſtiana Republica Inquiſitoribus generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr deputatis, factum eſt decretum tenoris ſequentis.

Cum aliàs fel.rec. Paulus Papa V. decretum in generali Congregatione S.R. & vniuerſalis inquiſitionis ediderit tenoris ſequentis, videlicet. S.D.N. decreuit, vt ſcribatur Nuncijs Apoſtolicis, quòd notificent, & ordinent Superioribus Religionum, Vniuerſitatibus ſtudiorum, & Ordinarijs locorum ſuæ nunciaturæ, ne ſinant imprimi in materia de auxilijs, etiam ſub prætextu commentandi S.Thomam, aut alio modo, & qui volunt de hac materia ſcribere, & imprimere, priùs mittant tractatus, & compoſitiones ad hanc ſanctam inquiſitionem, Præfatus S.D.N. Vrbanus Papa VIII. ſuprascriptum decretum hoc ſuo præſenti decreto confirmauit, & innouauit, diſtrictè præcipiens, & mandans omnibus, & ſingulis cuiuſuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, & alijs quibuſcumque tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus perſonis cuiuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſecularis, vt in poſterum non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compoſitiones ex profeſſo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modo, de materia auxiliorum diuinorum tractantes, ſine expreſſa, & ſpeciali licentia a Sanctitate ſua in Congregatione ſancti Officij obtinenda, donec aliud in hac materia a dicta ſancta Sede Apoſtolica fuerit ordinatum. Vt autem huiuſmodi decretum inuiolabiliter obſeruetur, eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit, contrauenientes pœnas priuationis dignitatum, & officiorum ſuorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi, & docendi, & interpretandi ipſo facto, abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus alijs etiam pœnis Sanctitatis ſuæ, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis ſubiacere. Libros porrò, quos in futurum contra præſentis decreti tenorem edi contigerit, abſque alia declaratione tamquam expreſsè prohibitos haberi voluit, & impreſſores, præter amiſſionem librorum, pecuniarijs, aliſque corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, teneri mandauit, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.

21 Ad vltimum hic nota, quòd Lectores, niſi actù legant, non debent frui immunitatibus, & exemptionibus, nec priuilegijs. Quod præcepit Clemens VIII. in ordinationibus factis pro reformat. Regular. vt habes infra in conſt.10. Vrbani VIII. num.18. & 33. & docuit Bart. in leg. Medicos, C. de profeſſ. & med. lib. 10. & Gutierr. lib.1. pract. quæſt. q.21. n.2. Dicuntur autem actu legere Lectores tempore vacationum, & quando ſunt deſignati ad de breui legendum, quia tunc acriùs ſtudent, & numquam minùs vacant, quàm quando vacãt, qui debito officij volunt ſatisfacere. Nicolaus Pignol. addit. ad Rom. ſing. 453. Videatur Guido Pape q. 88. & 388. Et tandem ſtudeant Prelati, ad quos pertinet eligere Lectores, eligere, qui moribus primùm excellant, deinde facundia, vt dicitur in leg. Magiſtros, Cod. de profeſſ. & medic. lib. 10.

§. VI.

22 ADuerte, quòd eſt derogatum per Concilium Trid. ſeſſ.23. de reform. cap.8. & 12. Vide quæ dico ſuprà in Sixto IV. conſt. eius 2. à n.33. & infrà in conſt.26. Leonis X §.12. & notata ad illum.

23 Aduerte etiam, quòd dare literas dimiſſorias Religioſis ad ordines ſuſcipiendos, pertinet ad Prælatum Ordinis, qui eſt eorum Ordinarius, de quo Trid. ſeſſ. 23. cap.8. de reform. Ita Nauar. conſil.36. de temp. ordin. Rodriq. tom.1. q. regul. q. 18. art.5. qui ad hoc refert decretum Clementis VIII. Colligitur ex Triden. ſeſſ. 23. de reform. cap.10. ibi *Cuiquam, qui ſibi ſubditus non ſit*, ergo à contrario, ſi eſt ſubditus, poteſt, & habetur expreſsè in declar. Congregat. quam pono ſupra conſt.2. Sixti IV. num. 33. Quæ dimiſſoriæ valent, etiamſi Superiores concedentes, vita, vel officio functi fuerint. Cardin. in Clem. fin. num.9. de elect. vbi Vitalin. num. 43. Gutierr. lib.2. pract. quæſt. q.75. num.5. & can. quæſt. lib.2. c.17. Quia eſt gratia, quæ morte concedentis non expirat. Vide Zerolam 1.p. prax. verbo Dimiſſoriæ ad ordines, ad 9. vide etiam ad 8. pro duratione dictarum dimiſſoriarum. Et in Regularibus, qui nihil pro eis ſoluunt, & qui ſemper habent Prælatum viciniorem, dic non durare niſi ab vna ordinatione ad aliam. Niſi aliud habeat conſuetudo.

24 Aduerte etiam, quòd per illã clauſulam *Gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ*. &c. intelligitur, quòd poſſimus ordines quoſcumq; recipere à quocumq; Epiſcopo, qui non ſit excommunicatus, neque ſuſpenſus, neque interdictus, vt Gloſſa in cap. Veniens, de præſcrip. verbo Gratiam, & Gloſſa in c. Quòd ſedem, de off. iudic. ordin. verbo Gratiæ.

§. VIII.

25 ADuerte, quòd iſta conceſſio eſt facta ad tollendos ſcrupulos Religioſorum. Nam certũ eſt, de iure communi poſſe quemlibet communicare cum excommunicato in ſalutem animæ ipſius, cap. Reſponſo, & cap. Cum voluntate, de ſent. excomm. ab eiſque etiam neceſſaria vitæ depoſcere, cap. Si verè, eodem tit. Et nota, quòd illa verba *Niſi id vobis fuerit interdictum*, intelliguntur de interdicto ſpeciali facto rationabili de cauſa ab eo, qui excommunicauit, & quod non comprehendit tranſeuntes extremè indigentes.

§. IX.

26 COnſidera magnam auctoritatem, quam habent Prælati regulares per hoc priuilegium in ſuos ſubditos; tam profeſſos, quàm nouitios. Et vide quæ dico ſupra in conſtit.4. Sixti IV. §.5. à n.5. & hac eadem conſtit. §.29.

27 Et nota 1. quòd Generales, & alij Superiores Ordinis virtute huius priuilegij poſſunt abſoluere nõ ſolùm fratres ſibi ſubditos, ſed hoſpites etiam, & tranſeuntes eiuſdem Religionis vndecumque venientes, ab omnibus ſententijs, & pœnis à iure, vel ab homine generaliter, non particulariter latis. Sed per conſtitutionem Gregorij XIV. quæ incipit, Illius, apud Cherub. tom.2. bullar. in Gregorio, conſtitut. eius 17. §. 27. pag. 706. data pro Clericis miniſtrantibus infirmis, poſſunt prædicti Generales, & ab eis deputati abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris, & pœnis, non ſolùm generaliter, ſed etiam particulariter latis, dummodò abſoluendi non ſint nominatim excommunicati.

28 Suarez tom.4. de Relig. tract.1. lib. 2. cap. 25. nu.5. extendit auctoritatem Prælatorum ad abſoluendum ſubditos. non ſolùm à cenſuris generaliter, & particulariter latis, ſed etiam ad abſoluendum nominatim denunciatum, per priuilegium Pauli III. quod refert, atque ita concedit num. 7. quòd ſi contingat, Religioſum particularem nominatim excõmunicari ab Epiſcopo in aliquo caſu ſibi cõmiſſo poterit nihilominùs à ſuo Prælato abſolui, immò etiamſi excommunicatus ſit à Legato, vel à iudice aliquo Apoſtolico, præmiſſa tamen ex parte ſubditorum debita ſatisfactione, ideſt, vt in primis ſubditus à contumacia recedat, deinde vt ſatisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout potuerit, & tandem vt iudicem, à quo eſt excom-

excommunicatis, ſaltem reddat certum de obedientia ſibi, & Eccleſiæ reddita, & abſolutione obtenta. Quod etiam ait procedere in Superioribus Religionis, quãdo Superior abſolutionem ſibi non reſeruat, aut quando non intelligitur generaliter reſeruata per ſpeciale ſtatutum, vel conſuetudinem Religionis. Sententia autem generalis eſt illa, quæ non fertur in determinatam perſonam. Particularis, quæ fertur in auctorem particularis delicti commiſſi, licèt incognitum Nominatim, quando in indiuiduo afficitur cenſura aliqua perſona particularis expreſſo nomine.

29 Noto 2. quòd Superiores poſſunt ſibi eligere confeſſores, qui eos abſoluant ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt dicti Superiores ſuos ſubditos abſoluere, ne ſint deterioris conditionis.

30 Noto 3. quòd Prælati hic nominati per hoc priuilegium poſſunt abſoluere nouitios ab omnibus illis ſententijs, & cenſuris, à quibus poſſunt profeſſos, & hoc in vtroque foro. Cum enim Pontifex forum non exprimat, de vtroque intelligendum eſt priuilegium, cum beneficium Principis latiſſimè interpretandum ſit, vt in leg. Beneficium, ff. de conſt. Princip. Innoc. in cap. Cum Dilectus, de donat. Guido Pape ſingul. 350. Videatur tamen Gutierr. lib. 1. can. q. cap. 2. Vide infrà in conſtit. 26. Leonis X. §. 19 & notata ad illum.

31 Noto 4. circa illa verba *Obſeruata forma canonica*, quòd abſolutio danda nouitijs ab excommunicationibus, debet fieri cum flagellatione, dicendo pſal. *Miſerere* quam pono in 1. p. Ritualis; c. 13. Sed Rodriq. tom. 1. quæſt regul. q. 20. art. 21. putat, quòd poſſint etiam abſolui in foro conſcientiæ ſine forma flagellationis, & pſalmo, per priuilegium Leonis X. quod citat. Immo id etiam poſſe fieri ſine priuilegio, docet Gloſſa in cap. Venerabilibus, §. Porro, de ſent. excommun. in 6.

32 Noto 5. circa illa verba *Quòd ſi alicui ex huiuſmodi eiſdem ſententijs propter debitum ſint adſtricti, ſatiſfaciant vt tenentur*. Quòd Sixtus V. per duas extrauagantes, Cum de omnibus, & Ad Romanum, quas refert Quaranta verbo Monaſteria Regul. pag. mihi 406. prohibet, debitis onuſtos ad Religionem recipi, & receptos, & iam profeſſos iubet eiici, & priuat officijs, & voce actiua, & paſſiua Superiores recipientes, quæ tamen extrauagantes reductæ ſunt ad terminos iuris communis à Clemente VIII. per ſuam conſtit. quæ incipit. In ſuprema Eccleſia, quam refert Cherub. tom. 3. bull. in conſtit. eius 83. pag. mihi 129. Vide quæ dico circà hoc punctum to. 1. Religioſi, quæſt. 1. capit. 25. §. 3. verſu Primò autem, pag. 305. 306.

33 Noto 6. quòd vult Pontifex, nouitios in priſtinas ſententias relabi, ſi mox Ordinem non intrauerint. Et ea, quæ afferunt Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. qu 20. art. 21. Cruz lib. 1. de ſtatu Religionis, cap. 6. dub. 15. concl. 4. & Suar. to. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 24. num. 6. ad probandum, quòd, etiamſi non intrent, vel recedant, non reincidunt, iam ſunt, puto, moderata per decretum Congregationis, quod refert Quaranta in ſum. bull. verbo Caſus reſeruati, pag. mihi 200. & per bullam Clementis VIII. Quæcumque quam refert Cherub. tom. 3. bull. in conſtit. eius 115. pag. mihi 164. quò ad caſus in dictis decretis contentos, de quibus ſupra in conſtit. 5. Sixti IV. num. 8. §. 5. Reincidunt itaque nouitij, ſi abſoluantur à cenſuris, vigore huius priuilegij, in eaſdem cenſuras, ſi non ſolùm non ingrediantur, poſtquam fuerunt abſoluti, ſed etiam ſi poſtquam ingreſſi fuerint nouitiatum, ſponte ſua exierint, vel ſua culpa fuerint expulſi, nam hoc priuilegium conceditur ijs in ordine ad Religionem, qua relicta ſua culpa, vel ſponte, eo ampliùs frui non poſſunt. Ita Viualdus in candelabro aureo, p. 2. tit. De abſolutione, nu. 23. qui ait, ita declaraſſe Paulum III. in quadam bulla conceſſa Societati Ieſu, anno 1546.

34 Dubitat verò ibi Viualdus, an reincidant, ſi propter morbum, vel parentum inopiam nouitius inuitus expellatur, cum tamen de ſe paratus ſit ad redeundum ceſſante cauſa. Et reſpondet, quòd ſi ita expellitur, vt Superior nolit eum ampliùs admittere, reincidit, quia illud priuilegium tantùm conceditur dum eſt in via ad Religionem. Ita etiam tenet Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 20. artic. 21. fine. Et fortiùs dicet Suar. loco cit. nu. 7. & 8. qui affert priuilegia, quibus poſſunt dicti nouitij abſolutè abſolui, ita vt, licèt non intrauerint, vel ſpõte propria exierint, non reincidant. Quæ tamen priuilegia limitanda ſunt juxta dicta decreta, quia nouitij, antequam habitum Religionis præſertim induant, ſeculares ſunt.

35 Noto vltimò, quòd cautè, & prudenter debent Prælati hoc priuilegio vti circa eos, qui noſtro voluerint aggregari conſortio, ne ſcandalum generetur in Eccleſia Dei. Vult dicere, quòd Prælati non ſint faciles, neque præcipitoſi, ſed omnia benè conſiderent, ne Legatos, & Epiſcopos prouocent ad odium, ſed illis ſatisfaciant, quando occurrerit talis caſus, & videant, an zelo religionis, vel timore pœnæ ad Religionem conuolent. Videatur Paſſarellus in notabil. priuileg. notab. 33.

§. X.

36 NOta, quòd in iſto §. multa concedit Pontifex, & 1. quòd per literas Apoſtolicæ Sedis, vel delegatorum, ſeu etiam ſubdelegatorum non poſſimus à quoquam conueniri. Pro quo vide quæ dixi ſuprà in Sixto IV. conſtit. eius 2. nu. 5. & 8. § 7.

37 2. Quòd non poſſimus cogi ad colligendas pecunias etiam per literas Sedis Apoſtolicæ, intellige, quæ expreſsè his non derogent, vel niſi literæ Sedis Apoſtolicæ nobis fuerint ſpecialiter directæ.

38 3. Quòd non teneamur viſitare aliqua Monaſteria, vel Eccleſias, vel procedere ad cognitiones cauſarum, citationes partium ſententiarum denunciationes, &c. Intellige de mandato Ordinariorum; ſecùs ſi de mandato expreſſo Sedis Apoſtolicæ per literas nobis ſpecialiter directas.

39 4. Quòd non poſſimus cogi ad recipiendam curam Monialium, exceptis, quæ in noſtra Regula continentur. Et nota, quòd Monialium curam Generalis noſter F. Petrus de Mena in Prouincijs Italiæ Pontifici Clementi VIII. renunciauit, qui eas Ordinarijs ſubiecit. Neſcio, quare id etiam non fecerit in partibus Hiſpaniæ.

40 5. Nec poſſumus cogi ad viſitanda aliqua Monaſteria Monialiũ, vel ad earum confeſſiones audiendũ, exceptis Monialibus noſtri Ordinis ſub Ordinis cura viuẽtibus, modo ſupradicto, nimirum niſi literæ Sedis Apoſtolicæ expreſſam derogationem, vel æquiualentẽ huius indulti faciant, vel niſi ad aliquas noſtri Ordinis perſonas fuerint ſpecialiter directæ, cum quibus limitationibus intelligenda ſunt noſtrum Correctoriũ num. 46. & ſtatuta Tholoſæ num. 26. & Romæ 2. num. 16. Vnum tamen eſt refugium, quando alicui ex noſtris fratribus dirigerentur aliquæ literæ Apoſtolicæ pro viſitatione Monialium, vel alicuius alterius Monaſterij, ſeu pro aliquo alio negotio, de quo ſe nollet impedire, nimirum ſupplicare Sanctiſſimo, vt cauſam alteri dignaretur committere, & interim ſuperſedere, & expectare ſecundum reſponſum. Ita habetur in cap. Si quando, de reſcript. quo pacto etiam obediret literis Apoſtolicis. Quòd ſi Papa ſecundò reſcriberet, tunc abſque mora obediendum eſſet, iuxta caput citat. & habet Rodriq. to. 2. quæſt. regul. q. 119. art. 2.

41 6. Neq; poteſt vllus iudex ordinarius, vel Prælatus compellere nos ad deferendum literas, vel exequendum, aut denunciandum ſententias contra aliquem Principem, Communitatem, vel benefactorem noſtrum, &c. Neque poſſunt dicti Prælati nos cogere ad faciendas citationes, &c. vel ad aſſiſtendum cauſis, quæ coram ipſis tractantur, ſine prædictæ Sedis mandato, & licentia ſpeciali, expreſſam mentionem de hoc priuilegio faciente. Quòd ſi quiſquam Epiſcopus, Archiepiſcopus, Vicarius ſeu cuius delegatus, vel iudex

ordi-

ordinarius quidquam ex ſupradictis nobis iniunxerit, parere non tenemur, neque implere pœnas, ſi aliquas impoſuerit: De Legato ordinario, ſeu Nuncio Apoſtolico an aliquod ex ſupradictis iniungenti teneamur obedire, vigore huius priuilegij cenſeo, quòd non tenemur. Nam nomine iudicis ordinarij venit etiam Legatus Papæ & Nuncius eiuſdem, vt dixi ſupra, in conſtitut. 2. Sixti IV. num. 8. §. 7. & expreſsè docet Rodriq. tom. 2. q. regul. q. 63. art. 3. fine, multos citans. Et licèt articulo 4. dicat, exemptos à Papa à iuriſdictione Ordinarij, non eſſe exemptos à Legatis Papæ, intelligit tamen de Legatis Papæ à latere, non de alijs, qui non ſunt à latere, per quædam priuilegia Clementis IV. & Sixti IV. quæ ibi affert, & regulares eſſe exemptos à iuriſdictione Legatorum non à latere, nec poſſe compelli coram illis litigare, dicit Molina tract. 5. de iuſt. diſp. 9. num. 10. Sed in praxi video aliter obſeruari, nimirum quòd Nuncij, & Legati, etiam non à latere, volunt ſibi à Religioſis obediri in his, & alijs rebus. Poteſt eſſe, quòd literæ patentes, quæ hodie dictis ſolent concedi, ad id ſe extendant.

42 Sed an ijs teneamur contra noſtra priuilegia obedire, abſque eo quod de tali facultate, dicta priuilegia derogante ſimus inſtructi, & an Nuncijs, ſeu Legatis, dicentibus ſuas literas ad id ſe extendere teneamur credere.

℞. quòd de rigore iuris delegatus tenetur literas ſuæ delegationis oſtendere, nec tenentur ſubditi illi obedire, antequam ſint de eius delegatione inſtructi. Habetur in cap. Cum in iure, de off. & poteſt. iud. deleg. Facit textus in cap. Cum à nobis, de teſtibus, vbi verbo vnius iudicis, quantæcumq; fuerit dignitatis, in præiudicium tertij non creditur. De conſuetudine autem illis creditur; pro qua facit Gloſſa in cap. Placuit vt ſi quando 6. q. 2. Dicentibus autem, eorum literas extendi ad deroganda noſtra priuilegia, cùm hoc ſit in totius Religionis præiudicium, puto, quòd non ſit ita facilè credendum, ſed oſtendenda illis eſſe noſtra priuilegia, & monſtrandum, quòd ſumus in poſſeſſione: & ſi velint nos de noſtra legitima poſſeſſione eijcere, debere eos literas pontificias, noſtra priuilegia derogantes, oſtendere: quòd ſi nolint, non tenemur eis obedire. Gloſſa in cap. Pro illorum, de præben. verbo Auctoritate, Panor. in cap. Cum in veteri, de elect. num. 1. Facit regula Indultum, quæ eſt 17. de regul. iur. in 6. Faciunt quæ dico infra in conſtit. 3. Gregorij XV. num. 3. & 4. & quæ dico tom. 1. Religioſi, q. 1. cap. 18. §. 2. concluſ. 7. Quæ intellige de Legatis, & Nuncijs ordinarijs, non de Legatis à latere.

§. XI.

43 NOto 1. quòd fratres deputati ſeruitijs alicuius Prælati eccleſiaſtici auctoritate Apoſtolica, poſſunt à Superioribus Ordinis puniri, & ad Ordinem reuocari. Nec Superiores Ordinis vigore literarum Sedis Apoſtolicæ, ſeu Legatorum ipſius conſtringi poſſunt ad deputandum aliquem ex noſtris fratribus ſeruitio alicuius Prælati eccleſiaſtici. Nec vllus Prælatus, etiam Cardinalis, poteſt, abſque auctoritate Generalis, vel Prouincialis, ad ſua, ſeu ſuæ Eccleſiæ negotia peragenda, vel ad ſecum manendum aſſumere. Et dicta licentia Generalis, &c. interueniente, aſſumptos Ordinis diſciplinæ ſubiacere decernit. Quod etiam decreuit Gregorius XI. per ſuam conſt. 6. apud Cherubinum tomo 1. bull. quæ incipit, Per Romani, pag. 222. & conceſſerunt alij ſummi Pontifices, quos refert Io. Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 7. concl. 3. Quod congruit decreto Concilij Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 4. & cap. Quanto, de off. Ord. & Clem. Ne in agro, §. Quia verò, de ſtatu Monach. Excipit hic Papa Legatum de latere, in cuius tamen literis requirit, ad hoc vt contra hoc indultum præualeant, quòd de eo ſpecialē mentionē faciant, & etiā de Ordine noſtro. Simile priuilegium conceſſum Societati Ieſu à Gregorio XIII. refert Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. qu. 64. art. 1. his verbis *Nullus ex Religioſis ſub obedientia Societatis degentibus, à quibuſuis, quacumque eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate, ſeu auctoritate fulgentibus, etiamſi Cardinales ſint, vel Patriarchæ, Synodi, Communitates, Capitula, aut officij hæreticæ prauitatis Inquiſitores, Commiſſarij, vel Iudices, tam ipſius officij, quam ordinarij, vel delegati, ad quoduis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectū alterius, abſq; expreſſo ſui Superioris conſenſu, atq; etiā mandato, adigi, vel cogi poteſt:* & alia etiam ſimilia Leonis X. priuilegia pro Ordine Minorum refert idem Rodriq. ibidem.

44 Noto 2. quòd ſi quos Religioſos priuilegio Sedis Apoſtolicæ aliquod beneficium ſimplex, vel curatum obtinere aliquando contingeret, hi, etiamſi ea dimiſerint, non poſſunt tamen amplius in Capitulis generalibus, vel Prouincialibus, abſque Generalis licentia admitti, ſub pœna excommunicationis, quam admiſſi, & admittentes ipſo facto incurrant. Ita conceſſit Sixtus IV. fratribus Minoribus, prout refert Rodriquez tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 64. art. 3. Quæ beneficia habere poſſunt Regulares extra Ordinem. Vide ſupra in conſtit. 4. Sixti IV. à num. 44.

45 Noto 3. quòd Capellani principum ad id habentium auctoritatem à Sede Apoſtolica, ſi ſeculares ſint, Ordinarijs locorum ſubiecti ſunt, iuxta Concilium Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 11. Si verò Regulares, ſubiacent omnimodæ correctioni ſuorum Superiorum. Ita ſtatuit Gregorius XI. in eius conſtit. cit. num. 43. & etiam refert Rodriq. loco citato art. 4. qui & refert aliud ad hoc priuilegium Nicolai V.

§. XII.

46 NOta, quòd ſi aliquando Pontifex deputaret aliquem ex noſtris Religioſis ad inquiſitionis officium contra hæreticam prauitatem exercendum (vt deputaſſe Clementem VII. P. F. Didacum de Sylua Ordinis noſtri (qui poſtea fuit Epiſcopus Ceutenſis, vel potiùs Eſſilienſis, vt refert Freita addit. ad Cumha, cap. 22. num. 35. ex Paramo, de origine inquiſitionis, lib. 2. cap. 15. num. 8.) in Commiſſarium generalem pro Regnis Portugaliæ, & Algarbiorum, conſtat ex Pauli III. bulla, quæ incipit, Illius vices, §. 1. apud Cherub. tom. 1. bull. in conſtit. eius 8. pag. 624.) ſeu ad aliquod aliud munus pro Apoſtolica Sede; quòd poſſet Generalis in tota Religione, & Prouincialis in ſua Prouincia, dictum Religioſum remouere à dicto munere, & alio tranſmittere, & recuſantem per eccleſiaſticas cenſuras compellere, vt ſuperſedeat, & alium ſuo loco ſubſtituere, niſi literæ Apoſtolicæ expreſsè huic priuilegio derogarent. Quò ad deputatos ad inquirendum contrà hæreticam prauitatem, puto, quòd hoc priuilegium ſit derogatum, per ea, quæ dixi ſupra in conſtit. 4. Sixti IV. num. 49. §. 11.

§. XIII.

47 ADuerte 1. quòd Generalis, & Prouinciales dumtaxat, & eorum Vicarii poſſunt fugitiuos fratres excommunicare; retinentes verò quicumque ſiue eccleſiaſtici ſint, ſiue ſeculares, excōmunicati ſunt ipſo facto, ſi, poſtquam per dictos Generalem, aut Prouinciales denunciatum illis fuerit, eos non eiecerint, etiamſi ipſi detinentes habeant priuilegium à Sede Apoſtolica, quòd excommunicari non poſſint, niſi per literas eiuſdē Sedis, facientes de huiuſmodi indulto ſpecialem mentionem. Vide quæ dico to. 1. Religioſi, q. 1. ca. 26. concl. 5. Et aduerte, quòd Epiſcopi retinentes apoſtatas, per hoc priuilegium, neque per vllum ex illis, quæ affero ibi, poſſunt à Prælatis Ordinis excommunicari. Hi enim habent priuilegium, iure communi conceſſum, cap. Quia periculo-

ſum,

ſum, de ſent.excomm.in 6. vt non poſſint excommunicari, niſi in conſtit. expreſſa de illis mentio habeatur. ar.cap.De multà, de præb.

48 Aduerte 2. quòd iſta excommunicatio ante admonitionem eſt ſententiæ ferendæ, poſt monitionem verò eſt ſententiæ latæ, nam iſta forma, Volumus excommunicationi ſubiacere, dicit excommunicationem latæ ſententiæ, vt probant Panor.in cap. Clericis, num.14. Ne Clerici, vel Monachi, & Sayrus de cenſuris, lib.1.cap.11.nu.8. & cum Papa monitionem requirat, innuit, quòd ante monitionem excommunicatio ſolùm ferenda eſt.

49 Aduerte etiam, quòd non incurreret iſtam excõmunicationem, qui aliquem ex noſtris fratribus, retineret, non tamquam fugitiuum, & apoſtatam, ſed tamquam cõſanguineum, amicum, & familiarem, etiamſi monitus non eiiceret. Quod probat Rodriq. tomo 1. quæſt.regul.qu.30.art.9.à ſimili, quia excommunicatio contra detinentes hæreticos, aut eis auxilium præſtantes, non comprehendit recipientes, aut auxilium præſtantes ſupradictis tamquam amicis, aut alio vinculo humanitatis addictis; ſed ſolùm recipientes, & eis auxilium præſtantes tamquam hæreticis, quòd eſt valde notandum. Vide quæ dico tom.1.Religioſi cit.

§. XIV.

50 VIde bonum argumentum ad probandum, quòd noſtra Religio ſit ſtrictior omnibus Religionibus, nam ab ea non poteſt tranſiri ad aliam, abſque licentia Papæ. Attende etiam, quòd in tranſeuntes de licentia Papæ habent Generalis, Prouincialis, ac vtrorumq; Vicarii auctoritatem in tribus caſibus.1. eſt, quando poſt obtentam licentiam tranſeundi, intra duos, vel tres menſes ad eam Religionem non tranſirent.2. Si poſt tranſitum, non facta profeſſione, receſſerint.3. Si etiam profeſſione facta in Religione, ad quam tranſierunt, nihilominus apoſtatando receſſerint, vel ad laxiorem iterum tranſierint. His tribus caſibus poſſunt Generalis, & Prouinciales contrà dictos procedere, tamquam contrà apoſtatas. De tranſeuntibus dixi abunde to.1. Religioſi, quæſt.1.c.24.vbi probaui, quæ requirantur, vt iſte tranſitus ſit licitus, quis poſſit dare licentiam tranſeundi. Vide etiam.§.1. dicti cap. in quo probo, quòd noſtra Religio eſt ſtrictior etiam Religione Carthuſianorum, & propterea quòd ad noſtram ſecluſis priuilegiis particularibus, poſſunt ex omnibus Religionibus tranſire. Nos autem ad nullam poſſumus. Vide etiam §.2.in quo probo, quòd non eſt laudabile de vna Religione tranſire ad aliam. Sed vide omnino, & ad illius terminos reduc omnia, conſt.10.Vrb.VIII.§.2.infrà.

§. XVII.

51 NOta bonum argumentum ad probandùm, quòd eiecti, ſi correcti humiliter petierint, ad Religionem recipi debent, vt probaui tom.1. Relig. cap.25. concl.5. Si autem ſuis culpis ſe reddiderint indignos, vt recipiantur, poſſunt per Generalem, & Prouinciales licentiari ad ingrediendum alium determinatum Ordinem, exceptis his, qui hic excipiuntur. Neque poſſunt alium ingredi, præter deſignatum à Superiore, ſine licentia Papæ, expreſſam mentionem de hoc indulto faciente.

52 Circa illa verba *Et alios fratres eiuſdem Ordinis ex rationabili cauſa, &c.* noto, quòd videtur Papa hic concedere, quòd poſſint Generales, & Prouinciales, rationabili exiſtente cauſa, licentiare aliquem ex noſtris fratribus ad tranſeundum ad aliam Religionem laxiorem, quod eſſet maximum priuilegium, licèt enim to.1. Religioſi, q.1. cap. 24. concl.6. probauerim, eſſe probabile de iure communi, poſſe Prælatum regularem concedere licentiam tranſeundi, legitima exiſtente cauſa ad laxiorem Religionem, & plurimos Doctores ad id citauerim, Quæ cauſæ poſſint eſſe ad id ſufficientes notaui ad cit.loc. Relig.probabiliùs tamen tenui contrarium, propter ea, quæ ibi dixi, præſertim propter Trid.ſeſſ.25.cap.19.de regul.vbi habet, *quòd nemo Regularis cuiuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*. Et licèt poſſet interpretari, quòd intelligatur, Sine legitima cauſa, tutiùs tamen puto quod ibi dixi. Et ſic hunc locum *& alios fratres eiuſdem Ordinis, &c.* intelligo ſimpliciter de fratribus vagabundis, & apoſtatis, quibus, ad tollendas occaſiones vagãdi, poſſunt Superiores Ordinis, aliqua etiam alia exiſtente cauſa, concedere licentiam tranſeundi ad quoſcumque alios approbatos Ordines. Sed circà fugitiuos, tranſeuntes, apoſtatas, & eiectos adeſt nunc decretum ſacræ Congregationis auctoritate Vrbani VIII. quod habes infra in conſtit. eius 10. à §.2.

§. XVIII.

53 NOto, quòd eadem prohibitio, quòd nullus poſſet habitum conſimilem noſtro portare, & in ſpecie fratres tertij Ordinis S. Franciſci, facta eſt à Leone X. infra in Leone, conſtit.eius 9. quæ incipit, Licèt aliàs, ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ſibi abſolutionem reſeruando. Sed cum dicti tertiarij S. Franciſci non deſiſterent, in partibus Hiſpaniarum præſertim, habitum noſtri coloris deferre, res in iudicium Romæ delata, tandem pro noſtra Religione prolatum eſt, vt dicti tertiarij habitum noſtri coloris deponerent. Quam ſententiam confirmando, fecit particularem conſtitutionem Paulus V. quæ incipit, Inter graues, quam pono infrà in Paulo V. conſtit. eius 6. Et quòd apoſtatæ noſtri non poſſint ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, reſeruata Pontifici, geſtare caputium noſtro ſimile, præcepit Paulus III. infra in conſtit.eius 3.quæ incipit, Cum ſicut.

§. XX.

54 NOto, quòd etiam Sixtus IV. Carmelitis, & Clemens IV. Minoribus fecerunt eamdem conceſſionem, vt refert Rodriq.tom.3.quæſt. regul.q.57.art.4.& Henriq.lib.7.cap.22.n.7.fine. Quod etiam ſine priuilegio fieri poſſe docet idem Henriq. ibid. & Nauar. cap.17.nu.92. & habetur in c. Cum tu, de vſuris, ibi *his non ſuperſtibus*.

§. XXI.

55 VIde conſtit. antecedente §.27. & quæ dico de eligentibus ſepelliri in habitu noſtro, ſupra in Sixto IV. conſtit.eius 3.à num.2. Vide Rodriq. tom.3.quæſt. regul.q.58.art.3. Vbi alia ſimilia Innocentij, Clementis, & Sixti IV. affert. Et aduerte, quòd illud *Libera ſepultura*, dicit, quòd a nemine poſſit impediri, nec poſſimus cogi ad deferendum priùs cadauer defuncti ad Eccleſiam parochialem. Videatur Caſarub.in compend.verbo Sepultura, §.10. Illud *salua iuſtitia illarum Eccleſiarum*, &c. intelligitur ſalua canonica portione, ſeù quarta funeralium, de qua latè dixi ſuprà in conſtit.Pyrrhi, §.12.num.54.

56 Aduerte etiam, quòd mandantes ſepeliri in Eccleſijs noſtri Ordinis, lucrantur omnes indulgentias, quas fratres dicti Ordinis, & fiunt participes omnium ſuffragiorum pro tempore faciendorum in dicto Monaſterio, in quo ſepeliri mandauerint. Ita conceſſit Leo X. & Adrianus VI. vt refert Caſarub.in comp.verbo Communicatio priuilegiorum, §.39. & verbo Sepelitio, §.22.

57 Nota etiam quòd quoties cadauera ad Eccleſias fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiuſmodi Monaſterijs fieri ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed ab eiſdem fratribus obiri, ac peragi debent. Ita declara-

uit

Digitized by Google

uit ſacra Congreg. Concil. vt refert Peregr. 2. p. ſui cõp. tit. Sepultura, in ſcholio, §. 3. Et conceditur in §. ſeq. Vide conſt. 7. Pij V. §. 27.

§. XXIV.

58 NOto 1. quòd hoc priuilegium modò eſt derogatum per decretum Clementis VIII. de caſuum reſeru. quod habes infra in Vrbano VIII. conſt. 10. §. 71. vbi dicitur, *Non liceat Superioribus regularium ſubditorum confeſſiones audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu id ab eis petierint.*

59 Noto 2. quòd, vt patet ex dicto decreto, in duobus tantùm caſibus poſſunt Superiores regulares ſuorum ſubditorum confeſſiones audire. 1. Quando peccatum aliquod admiſerint reſeruatum, quo caſu ſi pœnitens ob verecundiam, vel quia ſuſpicatur deinceps non recto, ſed toruo vultu à Superiore inſpici, vel dubitat, ne mitteur de Conuentu, in quo degit, ob hanc cauſam, tunc poteſt confiteri alij confeſſario approbatus à Superiore, & hic confeſſarius poterit petere à Superiore licentiam abſoluendi ab illo caſu reſeruato, quam licentiam Prælatus dare tenetur, quòd ſi deneget, poterit nihilominus confeſſarius pro illa vice pœnitentem abſoluere, per conceſſionem Pauli V. & Vrbani VIII. infra in Vrbano VIII. conſtit. cit. §. 76. Quod intelligo, quando confeſſarius petens facultatem abſoluendi, idoneus eſt, & dignus reputatur, vt ei talis abſolutio committi poſſit, nam ſi non eſt idoneus, non tenetur ei Superior facultatem tribuere. Nec eſt credibile, Pontificem confeſſario nõ idoneo voluiſſe facultatem concedere. Colligitur ex Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 30. ſect. 4. nu. 11. Vide quę dico to. 1. Religioſi, q. 1. cap. 21. cõcl. 11. vide etiã concl. 9. Et Graffium lib. 3. de caſ. reſ. c. 10. n. 292. caſus eſt, quando ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu à Superioribus petierint ſuas cõfeſſiones audiri.

60 Noto 3. quòd ſi ſubditus habens reſeruatos, petat confiteri alteri confeſſario, non tenetur Superior illi concedere, vt poſſit confiteri cuicumque voluerit, nec etiam tenetur concedere, vt poſſit confiteri confeſſario à pœnitente deſignato, ſed poteſt deſignare aliquem, vel aliquos, & electionem remittere pœnitenti. Ita Suarez loco cit. Longus de caſibus reſeru. p. 1. ſect. 1. art. 17. num. 10. Et ratio eſt, nam per Concilium Trid. ſeſſ. 14. capit. 7. de ſacram. pęnit. reſeruatio ad hoc fit, vt grauiora delicta grauiùs corripi, & meliùs emendari poſſint, ad quod neceſſe eſt, vt grauioris etiam perſonæ, & doctioris, ac melioris iudicio ſubdantur. Ergo quamuis Superior cedat iuri ſuo, committendo cauſam alteri, ſemper tamen habet ius non committendi illam, niſi perſonæ proportionatæ tali cauſæ, & fini reſeruationis, hoc autem regulariter non fiet, ſi generalis facultas concedatur.

§. XXV.

61 MVlta concedit, & primò, quòd nullus Eccleſiæ Prælatus poſſit noſtrorum Religioſorum confeſſiones, inuitis noſtris Prælatis, audire. Quod priuilegium conceſſit etiam Clemens IV. fratribus Minoribus, Carmelitis, & Prædicatoribus, vt refert Caſarub. in compend. verbo Confeſſiones, & Confeſſores, num. 1.

62 Noto 2. quòd ſi quis ex noſtris Religioſis confiteatur alicui extra Ordinem abſq; licentia Prælati, confeſſio erit nulla per hoc priuilegium. Et ratio deſumitur ex iuriſdictione, nam nullus poteſt actum iuriſdictionis validè exercere, niſi in ſubditum, & nullus habet iuriſdictionem in Regularem, niſi illius Prælatus. Colligitur ex noſtra Regula, in Corrector. num. 86. ibi *Alios vero eiuſdem Ordinis fratres profeſſos* ; & tenet Longus 1. p. de caſib. reſeru. ſect. 3. art. 13. num. 1. Excipe tamen Pœnitentiarios Papæ, quia Papa eſt ſupremus Prælatus Religioſorum, vnde ſuis Pœnitentiarijs poteſt ſuper Regulares auctoritatem tribuere, & Regularibus facultatem concedere, vt dictis Pœnitentiarijs confiteantur, ſicut de facto concedit, & tribuit.

63 Si quæras, an Prelatus poſſit concedere licentiam ſuo ſubdito confitendi extra Ordinem de caſibus ſibi per Regulam reſeruatis, nimirum, de quatuor votis.

℟. quòd non, & patet ex Correctorio numer. 86. ibi, *Ac etiam fratribus in quolibet Conuentu eiuſdem Ordinis* vbi abſolutio à quatuor votis ſolùm conceditur Prælatis, & fratribus deputatis in quolibet Conuentu eiuſdem Ordinis, & Prælatus non habet poteſtatem ſupra Regulam, vt probo tomo 1. Religioſi, qu. 1. cap. 8. concl. 2. Et ratio Regulæ poteſt eſſe, quia bono regimini conuenit, tum vt paſtor, vel per ſe, vel per deputatos à ſe, ouium ſuarum infirmitates cognoſcat, vt eis ſanandis remedia efficaciora adhibeat maiori & affectu, ac charitate, vt potè ſuis, nec ſanandas linquat extraneo, complexionem non abſolutè cognoſcenti; tum vt miſeriæ noſtræ intra nos ſepeliantur. Atque ita tenet Longus 1. p. de caſibus reſeru. ſect. 3. artic. 13. numer. 3. qui ad id citat Hugonem, & Piſanum in Regul. Minorum, cap. 7. Quod autem Prælati regulares poſſint confiteri extra ordinem, conſtat ex cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ. & probat Diana tom. 3. tract. 2. reſol. 1. & reſol. 2. probat quod dicti Prælati tam maiores, quam minores poſſunt facultatem eamdem concedere ſuis ſubditis, & multos citat pro hac ſententia.

64 2. Concedit, vt Epiſcopi non poſſint nos compellere, vt accedamus ad Synodos, & conuocationes ſuas; vbi nota, quòd hoc priuilegium non eſt derogatum per Concilium Trid. ſeſſ. 24. capit. 2. de reform. Nam Concilium ita habet, *Synodi quoque Diœceſanæ quot annis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes qui aliàs, ceſſante exemptione, intereſſe deberent nec Capitulis Generalibus ſubduntur, accedere teneantur.* Ex quibus verbis Concilij colligo duo. 1. quòd Superiores Monaſteriorum iſtis Synodis non tenetur intereſſe, quia Capitulis generalibus ſubduntur. 2. quòd Regulares Curati, qui curam animarum in Eccleſia parochiali habent, tenentur Synodo Diœceſanæ intereſſe, nam ſi exempti non eſſent, intereſſe tenerentur. Et ratio etiam dictat, nam cum ſubſint correctioni, & viſitationi Epiſcopi, ſeſſ. 25. de regul. cap. 11. debent per acceſſum ad Synodũ de ordinationibus ipſius Synodi informari, & licèt dicto cap. 11. ſolùm tribuatur Epiſcopis ius viſitandi dictos Curatos regulares, non autem ad Synodum cogendi, quæ ſunt valde diuerſa, & à diuerſis non fiat illatio, vnde aliqui voluerunt, non poſſe dictos Regulares compelli accedere ad Synodum, ſicut nec poſſunt ad dictam Synodum compelli Rectores Eccleſiarum nullius Diœceſis, qui tamen ſeſſ. 24. capit. 9. de reform. viſitationi, & correctioni Epiſcopi proximioris ſubſunt; Hæc tamen nihil valere puto, nam hoc cap. 2. ſeſſ. 24. ſtatuitur, quòd ad Synodum Diœceſani omnes illi adeſſe tenentur, qui aliàs, ceſſante exemptione, tenerentur accedere; at certum eſt, quòd omnes Rectores parochialium, ceſſante priuilegio exemptionis, ad eas accedere tenentur, cap. Quòd ſuper his, de maior. & obed. vbi Abbas ſtatim in princ. Azor. tom. 2. inſtit. moral. libr. 3. cap. 47. qu. 3. Maſſoribus de Synodo Diœceſana, cap. 3. dub. 1. nu. 8.

65 Et nota vlterius, quòd poſſunt compelli dicti Rectores regulares accedere ad dictas Synodos Diœceſanas ab Epiſcopo per cenſuras eccleſiaſticas, vt habetur in dicto cap. Quod ſuper his. Maſſoribus loco cit. dub. 7.

66 3. Concedit, vt non poſſimus ab Epiſcopis compelli ire ad proceſſiones. Sed derogatur per Trid. ſeſſ. 25. de regular. cap. 13. quò ad proceſſiones pro publico bono indictas, non autem quò ad alias; vnde non tenemur ire proceſſionaliter ad recipiendum Epiſcopum,

& alias

Digitized by Google

& alias proceſſiones, quæ non ſunt in bonum publicum. Vide quæ dico ſupra in conſtit.2. Sixti IV. à num.58.

67 4. Concedit, quòd non poſſimus ab Epiſcopis cōpelli eorum conſtitutionibus ſubiacere. Vbi nota, quòd Epiſcopus poteſt facere conſtitutiones per ſe concernentes morum reformationem ſuorum Clericorum, & his concedit Papa quòd non teneamur ſubiacere. 2. poteſt facere conſtitutiones ſynodales concernentes ſacramentorum rectam adminiſtrationem, & populi reformationem, & his ſubiacere tenemur per Clementinam 1. de priuileg. in qua ſtatuitur, quòd Regulares non poſſint abſoluere à ſententijs per ſtatuta prouincialia, aut ſynodalia promulgatis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, cuius abſolutio eſt Papæ reſeruata; quòd ſi contrarium faciant, poſſunt Epiſcopi, poſtquam hoc eis conſtiterit, eos publicè denunciari facere excommunicatos. Vide Maſſobrium in praxi, cap.4. de Synodo, dub.59. numer.4. Quæ tamen Clementina quò ad contenta in hac, & antecedenti conſtitutione videtur quòd ſit derogata. De antecedenti conſtat apertè, quia expreſsè ei derogatur §. penultimo. De hac etiam conſtat, tum quia Papa derogat omnibus contrarijs, tum quia procedit per modum priuilegij; tum quia iſta conſtitutio eſt per motum proprium, per ea, quæ dixi ſupra in conſtit.1. Sixti IV. nu. 15. Sed per hoc priuilegium non conceditur nobis facultas, vt poſſimus abſoluere à ſententijs per ſtatuta ſynodalia promulgatis, ſed ſolùm quòd non ſubiaceamus dictis conſtitutionibus, neque eas obſeruare teneamur. Quod intelligo de conſtitutionibus, concernentibus reformationem Cleri, non populi, cum cenſuris annexis, à quibus licèt per hoc priuilegium non poſſint abſoluere Regulares, puto tamen, quòd poſſint abſoluere per ea, quæ dico conſtit. præced. nu.67. Niſi Epiſcopi dictas ſententias ſynodales ſibi ſpecialiter reſeruent, vt ſolent, quia tunc non poterunt per decreta Congregationis ſub Clemente VIII. Videatur Vgol. de poteſt. Epiſc. cap.20. §.10. numer.2. & Vaſq.1.2. diſp.167. num.33. & Sanch. lib.1. in decal. cap.15. nu.21. qui duo putant, quòd Regulares teneantur obſeruare leges ſynodales concernentes actiones communes totius populi, & obſeruantiæ regulari non derogantes, vt de ieiunijs ſeruandis, & de celebratione alicuius feſti, & huiuſmodi. Quod probabile cenſeo, Trid. n. ſeſſ.25. de Reg. cap.12. præcipit, vt feſta ab Epiſcopis indicta Regulares obſeruent.

68 Noto etiam, quòd ſi Epiſcopus præcipiat Regularibus, vt in ſuis Eccleſijs annuncient dies feſtos, & ieiuniorum, hi obedire tenentur, per Concilium Trid. ſeſſ.22. decr. de obſeru. vel euit. in celebr. miſſar. Rodriq. to.1. q. regul. q.53. art.7. in fine.

69 5. Concedit, quòd non poſſint Epiſcopi in noſtris Conuentibus Capitula celebrare, nec ſecretas informationes de idoneitate fratrum ſumere in noſtris, nec in alienis locis, nec poſſint de perſonis fratrum alicubi inquirere.

70 6. Concedit, quòd non poſſint Epiſcopi fidelitatem, & obedientiam à Superioribus exigere.

71 7. Concedit, quòd non poſſint Epiſcopi de electione, vel depoſitione noſtrorum Superiorum ſe intromittere, nec etiam de ſtatutis noſtris.

72 8. Concedit, quòd non poſſint Epiſcopi prohibere, vt accedamus ad habitandum in locis, in quibus religiosè viuere poſſimus, ſi fuerimus à populis ad ea vocati, & non poſſint prohibere, ne in ijs locis Conuentus ædificare poſſimus. Hoc eſt derogatum per Concil. Trid. ſeſſ.25. de regul. cap.3. Vide ſupra in conſtit. Pyrrhi, à num.48.49. Vide etiam conſtit. præcedentem, §.20. & 27.

§. XXVI.

73 Concedit quòd de nobis relictis nulli canonicam portionem ſoluere teneamur. Et nota, quòd portio canonica eſt quoddam tributū, à Canonibus approbatum, & eſt duplex. Vna, quæ debetur Epiſcopis de omnibus legatis piis. Alia quæ debetur Parochis de ijs, quæ obueniunt ratione funeralium, ab iſtis omnibus liberati ſumus per hoc priuilegium, & per conſtit. huius Pontificis primam, §.53.

74 Nota, quòd Prælati regulares poſſunt commutare legata facta ad vnum vſum, in alium ex his, quæ hic ponuntur, V. G. legata pro indumentis poſſumus conuertere, in redemptionem cenſuum, vel victus, non autem in alios hic non explicatos, ſed per alia priuilegia poſſunt dicta legata ad vnum vſum facta, in alium cōuertere, etiamſi dictus vſus non ſit ex hic cōtentis ſine ſcandalo tamen illorum, ad quos ſolutio talium legatorum pertinet. Ita conceſſit Sixtus IV. Ordini Minorum. Et Leo X. dictam gratiam ampliando, conceſſit, vt idem poſſent facere, ſi ſcandalum non ſequatur, de rebus per viuentes donatis. Ita Rodriq. tom.2. q. regul. q.125. art.9. Henriq. lib.7. de indulgentijs cap. 22. fine. Peregrin. 1. p. ſui compend. tit. Commutatio, §.4. Caſarub. in compend. verbo Commutare, nu.1. & 2.

75 Si quæras, an dictam commutationem poſſint facere ſine iuſta cauſa. Dico, quòd non. Colligitur ex Trid. ſeſſ.22. de reform. cap.6. Quæ autem ſit dicenda iuſta cauſa, vide Aloyſium Riccium 3. p. collect.518. & 4. p. collect.1270. & Beiam 4. p. caſuum, caſu 22. Ex quo dic, quòd non dicitur ſolùm iuſta cauſa quando legatum non poteſt impleri, vt à teſtatore relictum eſt, ſed etiam quando licèt poſſit impleri, aliqua tamen ratio vtilitatis, vel pietatis ſuadet in alium pium vſum conuertere.

76 Immo poſſunt dicti prælati bona vnius Monaſterij in aliud indigens transferre, non obſtantibus vltimis teſtatorum voluntatibus, cum conſenſu duarum partium Conuentuum, à quibus dicta bona ſunt transferenda. Ita Rodriq. Henriq. Peregrinus loc. cit. per priuilegium Leonis X. infra in conſtit. eius 24. & Sixti V. hic infra num.78. & congruit cap.1. de rebus Eccleſiæ alien. cap. Ad audientiam, de Eccleſ. ædif. & noſtro Correctorio nu.50. Sed non puto, poſſe Prælatos bona immobilia, fructum reddentia, neque etiam mobilia pretioſa, de vno Conuentu diuite in alium eſurientem transferre, etiam cum conſenſu Capituli Conuentus diuitis. Nam iſta eſt quædam alienationis ſpecies, & omnes alienationes rigorosè prohibentur in nouo decreto Congregat. ſub Vrbano VIII. quod habes infra in Vrbano VIII. conſtit. eius 8. Et hoc etiamſi dicta bona empta ſint immediatè à Conuentibus, à quibus ſunt transferenda, non autem eis in teſtamento relicta, quia currit eadem ratio, & ita tenet Bonac. tract. de alien. p.2. num.14. Bona autem mobilia non pretioſa puto poſſe transferri, iuxta noſtrum Correct. cit. Quæ autem iſta ſint habes infra in conſtit.9. huius Pontif. §.1. num. 11.

§. XXVII.

77 Noto, quòd ſi contingeret relinqui aliquod Monaſterium, poſſunt fratres aſportare omnia mobilia in aliud Monaſterium, atq; etiam immobilia, Conuentum, & ſolum vendere, vel deſtruere; & materiam ipſam vendere, vel aſportare: Eccleſias autem conſecratas deſtruere, neque vendere, aut profanare poſſunt. Si autem Eccleſiæ conſecratæ non ſint, benè poſſunt, eas etiam vendere nam exceptio firmat regulam in contrarium. Pretium autem tenentur conuertere in ædificationem, aut vtilitatem eorum locorum, ad quæ transferunt.

78 Sed poſſuntne fratres hoc facere per ſe ſolos, abſque Romani Pontificis conſenſu?

℞. quòd Conuentus relinquere, & mobilia ſecum aſportare, ac etiam materiam ipſam ædificiorum per ſe ſolos poſſunt, Conuentus autem, & fundum illorum non poſſunt per hoc priuilegium. Nam dicit Pontifex, quòd iſta venditio fiat per perſonas ad hoc à Sede Apoſtolica deputatas, videlicet per Conſeruatores Ordinum, qui generaliter ſunt deputati à Papa in executores

eutores priuilegiorum, & conſtat expreſsè ex conſt.4. huius Pontificis, §.2.

79 Sed amplius priuilegium habent Regulares Sixti V. datum anno 1587. ſeptimo Kalen. Decembris, quod refert Rodriq. tom.2. quæſt. regul. q.49. art.4. his verbis. *Sixtus V. conceſſit, quòd Abbas generalis Congregationis S. Benedicti Regnorum Portugalliæ, qui pro tempore fuerit, cum conſilio, & aſſenſu Capituli generalis, Monaſteria dictæ Congregationis, quæ in locis incommodis, & minùs populoſis reperiuntur, ad commodiora loca, vbi Monachorum doctrina, & vita exemplo populo Chriſtiano magis vtilis futura ſit, & fructuoſa, propria auctoritate, Ordinariorum locorum, vel cuiuſuis alterius licentia minimè requiſita, cum eorum Monachis, & ſuppellectilibus, paramentis, & ornamentis, alijſque rebus neceſſarijs transferre, & mutare, ac fructus redditus, & prouentus eorumdem Monaſteriorum, ſeu cuiuslibet eorum, vel illorum partem, Generalis, & Capituli prædictorum arbitrio, alij, ſeu, alijs eiuſdem Congregationis Monaſterijs magis indigentibus, perpetuò, vel ad tempus, etiam retinentibus Abbatibus Monaſteriorum eorumdem, & quibuſuis alijs perſonis, applicare, & aſſignare. Prouiſo tamen, quòd animarum cura perſonarum ſecularium incumbens Abbatibus, & Conuentibus Monaſteriorum transferendorum huiuſmodi, in Eccleſijs eorum nullatenus negligatur, ſed per Monachos dictæ Congregationis regulares, vel presbyteros ſeculares idoneos, & ab Ordinarijs approbatos laudabiliter exerceatur, liberè, ac licitè valeant, plenam, & liberam Apoſtolica auctoritate earumdem tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus, &c.* Et teſtatur Rodriquez vidiſſe ſe hoc priuilegium ſub ſigillo authentico. Sed vide priuilegium Generali noſtro conceſſum to.3. noſtr. priu. ab Vrbano VIII.

80 Aliud priuilegium loca minùs commoda deſerendi in manibus Ordinariorum conceſſit Sixtus IV. Generali fratrum Minorum, quod refert Confettius in compend. in Sixto IV. conſtit. eius 12. Et Rodriq. tom. 1. queſt. regul. q.23. art.6. vbi notat, quod tota Prouincia, nec Prouinciales habent auctoritatem prædicta loca deſerendi ſine licentia Generalis, Et nota etiam, quòd iſta priuilegia erant neceſſaria ad loca minùs commoda deſerendum: propter conſtitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit, Cum ex eo, de exceſſ. Prælat. in 6. quæ id expreſsè prohibet, & eſt lata excommunicatio contra oppoſitum facientes in cap. Vnico, §.2. de relig. domib. in 6. Et docet Syluest. verbo Caſus, q.1. num.2. verſu Octauus eſt. Videatur Cruz lib.2. de ſtatu Relig. c.9. dub.1. conclu.2. qui etiam addit, quòd poſſunt Generales, & Capitula generalia, Monaſteria etiam Monialium duo, vel tria, vbi ob exiguos redditus tres, aut quatuor Monachi ſuſtentari non poſſunt, cum conſenſu Superiorum talium Conuentuum, in vnum Monaſterium vnire, vbi duodecim ſaltem Monachi conſtituantur, & hoc ſine vllius Diœceſani licentia, per priuilegia Ioannis XXIII. conſtit.1. apud Rodriquez in bull. & Pij II. apud eumdem, conſtit.6.

81 Et aduerte de paſſu, quod Mendicantes fruuntur priuilegiis etiam non Mendicantibus conceſſis, vt probant Paſſarell. in not. priu. notab.4. & Cruz lib.2. de ſtatu Relig. cap.4. concl.1. & a Sorbo verb. Communicatio priu. & conſtat ex conſt.2. Clementis VII. apud Rodriq. in ſuo bull. pa.350. quæ incipit, Dum fructus vberes, data Minoribus, & ex conſtit.2. Vrbani VIII. §.1. infra, & ex conſtit. Gregor. XIV. quæ incipit, Illius, §.59. apud Cherub. conſtit.77. pag.706.

82 Si quæras, an ſi Monaſteria, fundata ab aliquibus Fundatoribus, in numerum Fundatorum receptis à Capitulo generali, relinquantur, poſſint fratres vti his priuilegiis, & bona ipſorum Monaſteriorum, tam mobilia, quam immobilia transferre quò ſe tranſtulerint fratres, an potiùs ipſis Fundatoribus, vel hęredibus eorum decidant.

82. Poſſe fratres his priuilegiis vti, & bona eorum Monaſteriorum, tam mobilia, quàm immobilia, & Monaſteria ipſa, ſeu ipſorum pretium ſecum ducere. Ita ſentiunt Rodriq. to.2. quæſt. regul. qu.49. art.7. verſu At pro contraria (Miranda tom.1. manualis, q.34. art.2. concl.2. quatenus docent, quòd dormitoria, officinæ, hortilocorum ab ipſis deſertorum, (qui nihil in communi etiam poſſunt retinere) ſunt Fundatorum; quia Romanus Pontifex Nicolaus III. qui eius Regulam explicat, in cap. Exiit qui ſem. de verb. ſignif. in 6. ea non recipit in proprietatem, & dominium Romanæ Eccleſiæ; Ergo ſi Romanus Pontifex ea recipiat, vt recipit in his Religionibus, quæ proprium in communi habere poſſunt, & patet ex hoc priuilegio Iulij II. ibi *cum ipſa priora, & alia loca fratrum, ad nos, & Apoſtolicam Sedem ſpecialiter, & immediatè pertinere noſcantur.* Si recipiat, inquam, non decident Fundatoribus, ſed arbitrio Romanorum Pontificum, apud quos eſt proprietas, & ſupremum ius, diſtrahi poterunt, qui concedunt, vt poſſimus transferre, vendere, &c. vt patet ex priuilegiorum tenore, & docent expreſſiùs id Rodriq. tom.3. quæſt. regul. q.5. art.4. Et Miranda to.1. manualis, q.34. art.3. concl.1. Et ratio eſt; nam, eo ipſo quod ſunt Religioni donata, transfertur ipſorum dominium ad Apoſtolicam Sedem. Quòd ſi Fundator in contractu fundationis retinuiſſet apud ſe dominium, in caſu quo fratres Conuentum illum derelinquerent, tunc vendere non poſſent, quia lege naturæ diuina, & humana tenemur pacta, conuentiones, & contractus ſeruare. cap. Antigonus, de pactis.

83 Si quæras vlteriùs, an fratres vnius Conuentus pauperrimi cum conſenſu Prouincialis poſſint alicui deuoto Ordinis volenti dictum Conuentum redditibus ſufficientibus ad competentem numerum fratrum ſuſtentandum dotare, ius patronatus illius Conuentus, & Eccleſiæ concedere, & in numerum Fundatorum adſcribere.

83. Si Eccleſia nullam habet dotem, etiamſi ſit conſecrata, bene poſſunt illius ius patronatus dicto dotanti tribuere, cum hoc ſit in vtilitatem Eccleſiæ. Tuſchus verb. Ius Patronatus, concl.600. num.33. Rodriq. tom.2. quæſt. regul. q.49. ar.7. verſu Quantùm autem. Immo etiamſi eſſet aliqualiter dotata, ſed non ſufficienter. Abbas p.2. conſil. conſil.28. num.1. Tuſcus loc. cit. concluſ.602. num.3. Modò tamen id non redundaret in damnum alicuius, qui illi aliqualem dotem dediſſet. Si autem Eccleſia, & Conuentus ſint dotata pro competenti numero fratrum, V.G. duodecim, etiamſi non ſint pro viginti, aut triginta, tunc non poſſunt fratres illius Conuentus ius patronatus illius alicui tribuere, maximè ſi Eccleſia eſt conſecrata, ſed hoc deberet fieri cum conſenſu obtento Romani Pontificis. Abbas conſil.59. verſ. Secundò principaliter, lib.2. numer.2. & conſil.106. in fine, eod. lib. Tuſch. loco cit. conclu.600. num.31. Quia ius patronatus dicit alienationem, & alienare res Eccleſiæ ad Papam pertinet, cap. Hoc cõſultiſſimo, de rebus Eccl. non alien. in 6. & tutius eſt etiam, in primo caſu conſenſum obtinere Pontificis; nam ius patronus eſt quædam ſeruitus, & loca iam ſacra ſeruitutem non recipiunt. l. Seruitutes, §. fin. ff. de ſeruit. qui libenter dare ſolet in ſimilibus.

84 Quò ad illud, an dictus poſſit adſcribi in numero Fundatorum, dico quòd ſic, quia vnius Conuentus poſſunt eſſe tres Fundatores, vt dixi in conſtit. præced. §.24. num.50. ille nimirum, qui dedit fundum, & ille, qui fabricauit, & ille, qui dedit redditus. Ita Gloſſa in cap. Piæ mentis, 36. q.7. quæ ponit hunc verſum, *Patronum faciunt dos ædificatio fundus.* Abbas conſil.59. lib.2. num.1. Tuſch. verb. Ius patronatus, concl.598. num.5. & 6. & concl.599. n.3. & concl.600. num.13. Rodriq. tom.2. quæſt.

Digitized by Google

quæſt. regul. quæſt. 49. artic. 7. & habetur in Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 9. ibi *Fundatione vel dotatione*, & in fundatione includitur ædificatio. Aduerte vlteriùs, quòd fundi, verbi gratia poſſunt eſſe plures Fundatores, vt ſi duo, vel tres conueniant ad emendum fundum; ſimiliter ædificationis, & dotis. Nec refert, licèt æqualiter, qui ædificant Conuentum V. G. non contribuant. Quia ex quo ille, qui plus contulit, admiſit alium videtur illi communicare ius ſibi competens in fundatione illa. Quod etiam dicitur fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione.

§. XXVIII.

85 CОncedit; quòd non teneamur Legatis Apoſtolicæ Sedis, vel Nuncijs, neque Diœceſanis Epiſcopis ſoluere procurationes, aut exactiones, vel collectas, ſeu charitatiuum ſubſidium, vel prouiſionem; nec poſſumus ad ea ſoluenda compelli per quaſcumque literas Apoſtolicæ Sedis, niſi de hoc indulto expreſſam, & plenam mentionem fecerint.

86 Noto pro intelligentia terminorum, quòd procurationes dicuntur expenſæ, quas faciunt Epiſcopi in ſuis viſitationibus, ad quas tenentur omnes illi, qui ab Epiſcopis viſitantur. Ita Azor. tomo 2. lib. 3. cap. 42. quæſt. 1. ad quas procurationes iure communi tenentur etiam Monaſteria ſubdita cap. 1. & vlt. de cenſib. in 6. De hac materia latè Azor. toto illo cap. 42. Charitatiuum ſubſidium eſt auxilium quoddam, quod datur Epiſcopis à ſubditis, iuſta aliqua cauſa interueniente, puta vel quia Epiſcopatus multorum debitorum onere prematur, aut tenues habeat redditus, qui non ſufficiant ad Epiſcopum commodè ſuſtentandum, vel quia Epiſcopus ſit profecturus ad Concilium, vel ad Regem aliquem, vel Principem ad communia negotia gerenda, vel cum agitur de recuperandis bonis Eccleſiæ, vel cum pro ſumma Eccleſiæ vtilitate, ac neceſſitate aliquid debet emi, verbi gratia caſtrum, vel oppidum ad expellendos hoſtes, vel cum Rex hoſpitatum venit in domum ipſius, vel cum Eccleſiæ magna lis mouetur: Menoch. lib. 2. de arbit. caſu 178. Azor. tomo 2. lib. 3. cap. 31. quæſt. 1. Aduertit autem Menoch. loco cit. num. 13. quod cauſæ relatæ intelliguntur ſufficientes ad petendum charitatiuum ſubſidium, quando Prælatus non poteſt ex ſuo proprio ferre onus, quoniam impotens reperitur abſque ſua culpa ad impenſas illas faciendas. Quanta autem debeat eſſe ſumma charitatiui ſubſidij, Menoch. loco citat. caſu 179. dicit eſſe relinquendum arbitrio iudicis conſiderantis loci qualitatem, annuos redditus, expenſas ab Epiſcopo faciendas, & cœtera ſimilia. Dicitur autem ſubſidium, quia datur, quando propria facultas non ſufficit, & dicitur charitatiuum, quia à principio ex charitate peti debet, licèt poſtea ex iuſtitia exigi poſſit, cap. Cum Apoſtolus, §. Prohibemus, de cenſibus. Azor. tomo ſecundo, libro 9. capitulo 14. vbi latè de hoc ſubſidio; Rodriquez tomo ſecundo, quæſtion. regul. quæſtione 66. articulo primo, affert ad hoc propoſitum ampliſſimum priuilegium conceſſum Equitibus Ieroſolimitanis à Leone Decimo, Clem. VII. Paulo III. Pio IV. & Pio V. & confirmatum à Sixto V. in bulla, quæ incipit, Etſi ex noſtris. In quo dicti Pontifices *eximunt animalia, prædia, domos, molendina, & bona quæcumque quæ dicti Equites obtinent, & in poſterum obtinebunt, à ſolutione, & exactione decimarum, cenſuum, iurium, etiam ſynodalium, & canonicarum portionum, ſeu charitatiui ſubſidij, aut iucundi aduentus, ſeu quartæ, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum ſub certis modis, & forma.*

§. XXIX.

87 DEclarat caſus, in quibus Regulares ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi ſunt Vide quæ dico ſupra in conſt. 4. Sixti IV. §. 5. à numer. 5. Vide etiam quæ dico hac eadem conſt. à num. 27.

88 Noto 1. circa abſolutionem à ſimonia, quòd ſi ſimonia ſit commiſſa in ſuſceptione ordinum, non poſſunt ab ea Prælati regulares abſoluere, propter bullam Sixti V. confirmatam quò ad hoc à Clemente VIII. quam refert Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 20. art. 13. & Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. cap vlt. n. 4. & to. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 21. n. 9. & dixi to. 1. Religioſi, quæſt. 1. ca. 31. §. 9. concl. 25.

89 Noto 2. circa diſpẽſationem in defectu natalium, quòd per profeſſionem in Religione approbata factã habilitatur illegitimus ad ordines ſacros ſuſcipiendos; Ita Rodriq. tomo 1. q. regul. q. 13. art. 4. Sot. in 4. diſt. 25. q. 1. art. 3. verſu Ad hanc quæſtionem, Nauar. comm. 2. de regul. num. 60. Val. to. 4. diſp. 7. qu. 19. puncto 3. tit. De 2. ſpecie irregul. ex deſ. corp. in 1. deſ. Sanch. li. 5. in decal. cap 5. num. 12. & habetur in cap. 1. de fil. presb. & cap. Presbyterorum filios, d. 56.

90 Noto 3. quòd illegitimus per profeſſionem non legitimatur ad dignitates, ſeu prælaturas ſui Ordinis obtinendas. Nauar. comm. 2. de regul. nu. 60. Rodriq. to. 1. q. regul. q. 13. art. 5. Sayr. in claui reg. lib. 6. c. 1. num. 3. Sanch. lib. 5. in decal. cap. 5. nu. 16. & habetur expreſsè in cap. 1. de fil. presbyt.

91 Noto 4. quòd illegitimus poteſt in Religione ea officia habere, quæ curam animarum non habent, nec prælaturæ ſunt, & ſunt ad nutum Superioris amouibilia, V. G. poſſunt eſſe Sacriſtæ, Procuratores, Quinternarij, & habere cœtera manualia officia. Ita Nauar. li. 1. conſil. de fil. presb. conſil. 6. n. 3. & num. 6. verſu Quartò quòd nec ratio ſecunda, Sanch. li. 5. in decal. cap. 5. n. 16. Et probant ex cap. 1. de fil. presb. vbi dicitur, quòd *tales prælaturam non habeant*; cum ergo iſtæ prælaturæ non ſint, eas habere poterunt. Et aduerte vlteriùs, quòd Nauar. dicto numer. 6. cenſet, quòd in Religionibus ea omnia officia ſunt manualia, quæ nõ ſunt capita Conuentuum, qua doctrina ſtãte, poſſent dicti illegitimi eſſe Collegæ Generalis, & Prouincialis, atque Definitores, & Commiſſi ad Capitulum generale, atque Diſcreti ad Capitulum prouinciale: ſed nimia eſt iſta extenſio. Vnde melius Gloſſa in cap. 2. de ſtatu Monach. verbo Non mutẽtur, & in cap. Cum ad Monaſterium, verbo Perpetuò, eod. tit. cenſet quòd officia, quæ fiunt in Capitulis per canonicã electionem, & Superioris confirmatione, cũ non poſſint ad nutũ Superioris amoueri, manualia nõ ſunt. Cœtera autẽ, quæ hoc modo, & forma non fiunt, manualia eſſe. Ita etiam Sanch. loc. cit.

92 Noto 5. quòd de iure communi diſpenſare cum illegitimis ad prælaturas recipiendas pertinet ad ſummum Pontificem. Rodriq. to. 1. q. regul. q. 13. art. 6. Sanch. li. 5. in decal. c. 5. n. 17. Et habetur in ca. 1. & fin. de fil. presb. Nec vigore Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de reformat. poſſunt diſpenſare Epiſcopi, quia facultas ibi Epiſcopis data intelligitur de irregularitatibus ex delicto occulto, & perſonali prouenientibus. Rodriq. loco cit.

93 Noto 6. quòd per hoc priuilegium, & per aliud Sixti IV. quod refert Rodriq. loc. cit. poſſunt Generales, & Prouinciales cum illegitimis diſpenſare ad dignitates obtinendas. Quæ tamen facultas fuit à Sixto V. ſublata in 2. ſua conſt. contra illegitimos, quæ incipit, Ad Romanum, & eam refert Quarant. in ſum. bull. verbo Monaſteria; & Conuentus regul. virorum, pag. 410. in qua declarat irritas, & nullas diſpenſationes datas à Prælatis Religionis, etiam ante emanationem dictæ conſtit. Sed determinauit diſpenſationes ſuper defectu natalium quò ad honores, gradus, & dignitates obtinendas ante, vel poſt ingreſſum Religionis, per Romanum Pontificem immediatè, vel de eius ſpeciali mandato concedi debere.

94 Sed has conſtitutiones Sixti moderauit eius ſucceſſor Gregorius Decimusquartus per bullam, quæ

Digitized by Google

incipit, Circumſpecta, quam refert Quarant. loc. cit. pagin.413. Vbi quò ad diſpenſationem cum iſtis habet. *Volumus quoque, ac ſtatuimus, licere Generalis, aut Prouinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis conceſſorum, quæ dummodò vſu recepta, nec aliàs ſub vllis reuocationibus comprehenſa ſint, vt præfertur, in hac parte reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis, cum generali, prouinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs ſuffragantibus, meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes huiuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſecuta quæcumque, vt antea, valere, tenere, perinde ac ſi prædictæ conſtitutiones nō emanaſſent.* Ex qua conſtitutione colligitur, hoc noſtrum priuilegium, & aliud Sixti Quarti eſſe ita limitata, vt non poſſint ampliùs per ſe ſoli Generales, & Prouinciales cum illegitimis diſpenſare, ſed id ſolùm poſſint facere cum generali, prouinciali, aut intermedio Capitulo.

95 Sed adeſt aliud priuilegium eiuſdem Gregorij XIV. conceſſum Clericis regularibus miniſtrantibus infirmis, per bullam, quæ incipit, Illius, qui, quam refert Cherub. tomo 2. bull. in Gregorio XIV. conſt. eius 17. pagin. 706. in cuius §. 29. ſic habetur. *Ac dicto Præfecto generali pro tempore exiſtenti, ſeu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, ſeu Prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore exiſtentibus, & illorum Vicarijs, ac Locatenentibus, vt cum eiuſdem Congregationis perſonis, defectum natalium, etiam ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu prouenientem patientibus, poſtquam in dicta Congregatione vota emiſerint, vt, defectu huiuſmodi non obſtante, ad quoſcumque ſacros, etiam presbyteratus ordines promoueri, & in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare, necnon ad quaſcumque adminiſtrationes, perſonatus, præminentias, & officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & aſſumi, illaque gerere, & exercere.*

96 Ex quo priuilegio colligitur, quòd Generalis Ordinis, & de eius licentia Correctores, ſeu Priores locales, atq; Prouinciales, & eorum Vicarij poſſint cum illegitimis diſpenſare ad dignitates, & officia Ordinis, abſque Capitulo generali, prouinciali, aut intermedio. Quò ad Correctores locales aduerte, quòd hoc numquam fuit in vſu, ſed tota poteſtas ſemper fuit penes Generales, ac Prouinciales, & vtrorumquè Vicarios. Verùm per hoc priuilegium poſſet P. Generalis id etiam Correctoribus committere. Quo pacto videntur innouata antiqua priuilegia; & quod nos Minimi fruamur priuilegijs huius Congregationis, probaui ſupra, in conſtit. 1. Iulij II. §. 16. n. 33.

97 Si obijcias, per adminiſtrationes, perſonatus, præeminentias, & officia non deberi intelligi dignitates, Prouincialatus, Generalatus, Correctoriatus, & reliqua, quæ ſunt cum honore, & ſuperioritate coniuncta, ſed ſolummodò adminiſtrationes rerum tēporalium, quæ dantur Procuratoribus, vel etiam ſpiritualium, quę Magiſtris nouitiorum, & confeſſarijs eorum; vel Collegatus Generalis, & Prouincialis, quæ perſonatum dicunt, & officia Lectoris, Prædicatoris, Confeſſoris, Regentis, vt etiam declarauit Sixtus V. in bulla contra illegitimos, quæ incipit, Ad Romanum, de qua hic. ſupra, nu. 93. verſu Ab officijs; & dicit Soſa tractat. 1. de donat. §. 9. nu. 101. Et per præeminentias, quò ad ſummum, intelliguntur illa officia, quæ habent præminentiam aliquam ſine iuriſdictione, vt Zeloſatus, Commiſſatus, Diſcretatus.

97. licèt omnia ſupradicta vera ſint, tamen illa vocabula etiam ad dignitates, quæ ſunt cum ſuperioritate, & iuriſdictione coniunctæ, ſe extendunt. Nam adminiſtratores ſimiles ſunt Prælatis eccleſiaſticis, vt habet Tuſch. verbo Adminiſtratores, concl. 101. n. 1?. & Epiſcopi dicuntur adminiſtratores ſuæ Eccleſiæ. Tuſchus ibi, n. 13. Perſonatus licèt in rigore ſit minor, quàm dignitas, quia eſt honor ſine adminiſtratione, dignitas autem cum adminiſtratione, tamen in materia fauorabili ſunt ſynonima; Tuſc. verbo Perſonatus, concl. 321. Et denique officium, adminiſtratio, perſonatus, dignitas pro eodem ſumuntur cap. 1. de conſuetud. in 6. & habet Tuſchus verbo Officia, concluſion. 92. Et hanc eſſe germanam huius loci interpretationem, innuitur in noſtro priuilegio Iulij ibi *Ad quaſcumque adminiſtrationes, & officia eligi*. Per quæ verba ſemper vſus communis intellexit, quòd tales habilitati per Patrem Generalem, aut Prouinciales, eſſent habilitati ad dignitates, & Prelaturas Ordinis. Quare non puto remanere dubium in hac præſertim materia fauorabili, quòd Generalis, & ab eo deputati Correctores, ſeu Prouinciales, ac Generalis, & Prouincialis Vicarij non poſſint per ſe ſolos, abſque Capitulis generalibus, & prouincialibus cum dictis illegitimis diſpenſare.

98 Noto 7. quòd diſpenſatus per hæc priuilegia ad dignitates intra Ordinem, non poteſt eas extra Ordinem habere, V. G. non poteſt habere beneficium curatum, nec eſſe Vicarius Epiſcopi quia Vicariatus eſt quædam dignitas. Ita Rodriq. tomo 1. quæſt. regul. q. 13. art. 13. Sanch. lib. 5. in decalog. cap. 5. num. 16. quia hæc priuilegia ſolùm ſe extendunt ad legitimandum ad prælationes Ordinis.

99 Noto 8. quòd diſpenſatus ad dignitatem inferiorem, puta, quòd poſſit eſſe Corrector, non intelligitur diſpenſatus circa maiorem, puta, quòd poſſit eſſe Prouincialis, niſi in diſpenſatione facta fuerit de præfatis expreſſa mentio. Ita A Sorbo in compend. verbo Diſpenſatio, verſu Et ideo fratres. Abbas in cap. Innotuit, de elect. nu. 4. Et ratio eſt, quia ad permiſſionem minoris dignitatis non venit permiſſio maioris, ſed bene è contra; & colligitur ex d. cap. Innotuit. Et aduerte, quòd ſi in diſpenſatione dicatur. Diſpenſamus cum tali, vt poſſit habere dignitates in Ordine, Correctoriatus, Collegatus, Prouincialatus, & omnes alias dignitates, quæ in Religione habentur, non per hoc diſpenſatus poterit eſſe Generalis, vel Vicarius Generalis, aut Zeloſus. Nam clauſula illa generalis ſecuta poſt ſpecialia expreſſa includit conſimilia, non maiora. Sbrozz. de off. Vic. lib. 2. q. 115. numero 12. Quare ad eſſendum Generalem, &c. indigebit noua diſpenſatione.

100 Noto 9. quòd illegitimus tenetur in conſcientia diſpenſationem petere, nec ante eam obtentam poteſt dignitates acceptare, nam omnes tales electiones in perſona illius factæ ſunt ipſo iure nullæ. A Sorbo in comp. verbo Diſpenſatio, verſu Ideo Iulius, Rodriq. tomo 1. quæſt. regul. quæſt. 13. art. 5. in fine. Habetur in cap. Innotuit, de elect. vbi Panor. num. 6. Aduertit autem Rodriq. loco cit. fine, quòd ſi illegitimus ſit omnino occultus, nec poſſit probari, niſi dicto matris coniugatæ, & cogatur prælationem acceptare, poſtquam reſtiterit, quantùm potuit nec poſſit ſine ſua, & ſuorum infamia diſpenſationem petere, hoc caſu poteſt prælaturam retinere. Nam ius conſeruandi famam eſt naturale, quod iuri poſitiuo præponderat. Pro ista materia vide Sayr. de cenſ. lib. 6. cap. 10. 11.

101 Noto 10. circa diſpenſationem in omnibus irregularitatibus, præterquam homicidij voluntarij, &c. quòd de homicidio poſſumus variè loqui. 1. de homicidio voluntario per aſſaſſinium perpetrato, vel proditoriè, & ſanguine frigido. ſecundò de homicidio voluntario in rixa. 3. de homicidio facto à iudice, &

mini-

Digitized by Google

miniſtro militiæ ſeu iuſtitiæ, 4. de homicidio caſuali, 5. de homicidio facto pro ſui defenſione.

102 Quo ad 1. noto 1. quòd homicidio voluntarius non ſolùm eſt irregularis quò ad ordines ſuſceptos, & ſuſcipiendos, ſed etiam quò ad quaſcumque prælaturas, & dignitates in Religione obtinendas, nimirùm Generalatus, Prouincialatus, Correctoriatus, etiamſi curam animarum non habeant, vt Collegatus, Definitoriatus. Ita determinatur in Concil. Trid. ſeſſ. 14. de reform. cap. 7.

103 Noto 2. quòd Prælati regulares non poſſunt diſpenſare cum homicida, quamtumuis occulto, primo modo voluntario, propter illius enormitatem. Patet ex hoc priuilegio, in quo iſta irregularitas excipitur expreſsè; conſtat etiam ex Trid. ſeſſ. 14. de reformat. c. 7. & ſeſſ. 24. cap. 6. Ita Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 44. ſect. 4. numer. 35. & 36. Sayr. lib. 7. de cenſur. cap. 7. num. 19. Nauarr. in ſum. cap. 27. num. 240. & communiter alij. Neque obſtat priuilegium Martini V. relatum à Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 24. art. 12. quò conceditur, vt poſſint Prælati regulares abſoluere ſuos ſubditos in foro conſcientiæ ab omni excommunicationis ſententia, & cum eis diſpenſare ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, quos Papa ſibi reſeruat (in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione) nam tantæ enormitatis eſt iſta irregularitas, vt exiſtimarint aliqui, licèt falſo, apud Suar. loco citato num. 35. hanc eſſe prorſus indiſpenſabilem, etiam per Papam, vt potè iure diuino introductam, Exodi 21. num. 14. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Et tam exoſi ſunt Deo iſti viri ſanguinum, vt nec voluerit, Dauidem, alioquin virum ſecundùm cor ſuum, ædificare illi templum, eo quia multum ſanguinem effuderat, vt dicitur 1. Paralip. 22. numero 8. Et quamuis Trid. concedat caſum hæreſis Epiſcopis ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6. noluit tamen caſum homicidij voluntarij, etiam occulti concedere. Vnde cum caſus hic ſit ſenſu communi exceptus, non cenſetur conceſſus, niſi expreſsè concedatur. Quod tamen non fit in iſto priuilegio allato à Rodriq. Addo, quòd, licèt concederetur priuilegium diſpenſandi cum irregulari ex homicidio voluntario, non adhuc mea ſententia cenſeretur conceſſa diſpenſatio in iſto caſu, ſed deberet dici, Concedimus diſpenſationem ſuper irregularitate homicidij voluntarij, de induſtria, & per inſidias patrati, eo quia talis diſpenſatio raro, & quaſi numquam, & ſi aliquando, non niſi propter grauiſſimas cauſas, concedatur, vt Suar. loc. citato numero 36. talibus enim miniſtris non indiget Eccleſia. Ita Viuald. in candel. aur. tit. Irregularitas, num. 332. Neque etiam obſtat aliud priuilegium Sixti IV. relatum à Suar. tomo 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 12. num. 9. quo conceditur, vt Generalis per ſe, vel per 50. Prælatos inferiores ab ipſo deputandos diſpenſare poſſit cum ſuis ſubditis in omnibus caſibus pontificalibus, nullo excepto, in foro conſcientiæ tantùm. Sola autem diſpenſatio in homicidio voluntario conceditur cum limitatione, ſcilicet citrà altaris miniſterium; nam non conceditur expreſsè caſus de neceſſitate exprimendus, vt dixi. Et ſi vis ſcire, quando nam homicidium dicatur proditoriū, & per inſidias, adi Guttier. pract. quæſt. lib. 1. quæſt. 2. n. 3. 4. & 9. De illo, qui mandauit homicidium in perſonam vnius, quod poſtea fuit commiſſum in perſonam alterius, ſi optes ſcire, quid ſentiam; Dico non incurriſſe hanc irregularitatem. Ita reſpondit Congreg. Epiſcopo Hieracenſi anno 1587. Neque hanc incurrit ille, qui mandauit aliquem verberari baculo, eo expreſſo ne occideretur, ſi mandatarius armis percuſſerit, & occiderit. Ita Nauar. in man. cap. 27. num. 240. Irregularitas enim hæc incurritur ex homicidio patrato per induſtriam, inſidias, & ex propoſito. Et ita dicitur cenſuiſſe ſacram Congregat.

104 Quò ad 2. de homicidio voluntario in rixa occulto, certè per hoc noſtrum priuilegium non poſſunt Regulares diſpenſare cum tali irregulari excipitur enim expreſsè homicidij voluntarij irregularitas. Sed puto poſſe abſoluere per priuilegia citata, quæ hoc ſaltem operantur; & fauet Trid. ſeſſ. 14. de reformat. cap. 7. vbi loquitur de homicidio per induſtriam patrato. Et licèt paulò inferiùs dicat. *Si verò homicidium non ex propoſito*: quaſi videatur innuere, velle ſe non ſolùm prohibere diſpenſationem in irregularitate homicidij proditorij ſed etiam voluntarij ex propoſito, & in rixa. Nihilominus tamen ſenſus ibi eſt continuatiuus ad illa verba in principio poſita *per inſidias*, &c. quaſi dicat, Si verò homicidium non fuerit ex propoſito per inſidias, ſed caſu, &c. Inclino etiam in hanc ſententiam, quia hoc homicidium non eſt tam execrabile, & eſt dignum aliqua maiori pietate, cum calore iræ commiſſum ſit. Et in hanc ſententiam poteſt citari Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 24. art. 11. & 12. Suarez tom. 4. de Relig. cit. Miran. tom. 2. manual. quæſt. 8. art. 10. concluſ. 2. Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 19. concluſ. 3. Salzedo ad pract. Diaz, cap. 97. verbo Erit ſanè homicidium; Auila de cenſ. p 7. d. 6. ſect. 5. dub. 5. qui alios citat, tenens expreſsè, poſſe Epiſcopum ſuper hac irregularitate diſpenſare. Neque puto, his obſtare Concil. Triden. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6. Nam primò non eſt certum, quòd facultas ibi conceſſa Epiſcopis extendatur ad Prælatos regulares, vt dixi ſupra in conſtit. Pyrrhi, num. 46. Deinde cap. illud 6. explicatur per cap. 7. eiuſdem Concilij ſeſſ. 14. de homicidio nimirum per inſidias perpetrato. Et de hoc homicidio tandem intelligo priuilegium Pij V. conceſſum Congregationi Caſſinenſium anno Domini 1571. idib. Ianuar. vt eorum Generalis poſſit diſpenſare cum ſuis ſubditis ſuper irregularitate contracta ex homicidio voluntario, dummodò non ſit commiſſum poſt ingreſſum Religionis, & delinquens maneat in Religione, & hoc in foro conſcientiæ tantùm. Ita refert Peregr. in ſuo comp. p. 1. tit. Diſpenſatio. §. 2.

105 Quò ad 3. dico, quòd ſuper his poſſunt Prælati regulares diſpenſare. Nauar. in ſum. cap. 27. num. 240. Llamas 1. p. methodi, cap. 12. §. 25. Chapeauil. de caſ. reſeru. 2. p. cap. 3. quæſt. 3. difficult. 8. verſu Vnde infertur, Viuald. in candel. aur. tit. De irregul. nu. 327. Quia hoc homicidium eſt auctoritate legitima, & iuſta cauſa factum, vt ſuppono, licèt defectu decentiæ, & lenitatis irregularitatem inducat. Et hoc, licèt homicidium ſit iniuſtum defectu rectæ intentionis, vel alicuius alterius circumſtantiæ loci, modi, temporis, &c. Nauarr. loco cit. verſu Quintò nota.

106 Quò ad 4. aduertendum, quòd homicidium caſuale eſt duplex. 1. quod non eſt directè, & per ſe volitum, ſed indirectè, & per accidens tantùm. 2. quod non ſolùm præter intentionem eſt, ſed etiam præter voluntatem indirectam, vt potè quia omnis diligentia debita adhibita eſt, ne ex propria actione homicidium ſequatur. Ita Suarez tomo 5. in 3. parte diſputatione 45. ſtatim in principio verbi gratia quando aliquis abſque ſua culpa in ebrietatem incidit, eſto dum ita affectus eſt, aliquem occidat, vel mutilet, homicidium dicitur caſuale ſecundò modo, poſito quòd omnem adhibuerit diligentiam, ne inebriaretur, & per hoc dilutum aqua vinum biberit, & non in extraordinaria quantitate, ſed propter aliquod inopinatum accidens, vel quia de induſtria datum eſt illi vinum inebriatiuum, inebriatus eſt, homicidium hoc modo ſecutum dicitur caſuale ſecundò modo; quia iſte abſque culpa inebriatus eſt, & homicidium non eſt voluntarium in ſe, quia quando ſequitur, occidens vſu rationis non vtitur; neque in cauſa, quia, omni diligentia adhibita, inuincibiliter ignorabatur. Si autem quis eſſet expertus, quòd in ebrietate exponit ſe periculo occidendi, vel mutilandi, & nihilominus voluntariè ſe inebriaret, & ſic ebrius aliquem interficeret, vel mutilaret, tunc homicidium ſecutum eſſet caſuale primo modo, quia eſt indirectè, & per accidens volitum; ſciens enim talis ſuam complexionem, tene-

Digitized by Google

batur abſtinere. Et poteſt hoc homicidium etiam eſſe voluntarium, ſi talis, vt occideret, de induſtria inebriatus eſt. Ita Mol. to. 4. tract. 3. diſp. 71. Aliud exemplum ponit Sylu. verbo Homicidium 2. num. 1. V. G. ſi reparans tectum, adhibita omni diligentia, poſitis ſignis in via, ſubmittens tegulas interficit ſtultè incedentem vltra ſigna, homicidium caſuale eſt 2. modo. Si verò dictus reparator ſigna non poſuiſſet in via, tunc homicidium caſuale eſſet 1. modo; indirectè enim voluntarium eſt, debebat enim cogitare, accidere poſſe, vt aliqua tegula caderet, quæ tranſeuntem interficeret.

107 Aduertendum verò, quod homicidium caſuale 2. modo nullo pacto peccatum eſt, quia cum peccatum non ſit, vbi voluntas non eſt, hic autem nulla voluntas, neque directa, neque indirecta ſit, nullum poteſt eſſe peccatum, nec conſequenter tale homicidium, vel mutilatio vllam inducit irregularitatem; licèt enim irregularitas incurratur aliquando ſine culpa, vt patet in iudice ſententiam mortis proferente, numquam tamen incurritur ſine voluntate, vt Molina loco citato, numero 3. Val. tomo 4. diſputatione 7. q. 19. puncto 3. tit. De quinta ſpecie irregularitatis, verſu Secunda ſententia; Sotus lib. 5. de iuſtit. quæſt. 1. artic. 9. Couarr. in Clem. Si furioſus, p. 2. §. 4. num. 9. Et ratio eſt, quia vbi voluntas non adeſt, neq; etiam poteſt adeſſe irregularitas, & colligitur expreſsè ex Clem. Si furioſus, de homicid.

108 Quod intellige, etiamſi qui taliter occidit, operam daret rei illicitæ, vt Sot. & Val. loc. cit. Et Couarr. num. 10. qui hanc ſententiam multis probat. Hanc opinionem Couarruuiæ tenet etiam Suarez tom. 5. in 3. p. diſp. 45. ſect. 6. num. 9. Sed cum limitatione, exceptuandò nimirum caſus à iure expreſſos, quos dicit eſſe duos n. 10. Vnus in cap. vlt. de homic. vol. in 6. vbi mandans alium iniuſtè percuti, ſi mandatarios excedat & occidat, qui mandauit irregularis manet, etiamſi omnem adhibuerit diligentiam, ne percuſſio mortalis eſſet. 2. eſt in c. Tua nos, de homicid. in quo quidam Monachus officium chirurgi exercēs, tumorē gutturis cuiuſdam mulieris, omni adhibita diligentia, aperuit, quæ mulier deinde ex eo mortua eſt, & talis Monachus cēſetur à Papa irregularis, intellige in foro externo, in quo non iudicatur de occultis, ſed ſolùm ſecundùm præſumptiones, & indicia. Seu dic, quòd iſtis duobus caſibus ideò illi declarantur irregulares, non quia opera de ſe eſſent illicita, ſed quia de ſe erant facillimè inducentia mortem. Vnde opinio Couarr. Val. Soti eſt ſimpliciter tenenda: Niſi opus illicitum de ſe eſſet facillimè inductiuum mortis, & tunc fiet tranſitus à caſu homicidij caſualis 2. modo ad homicidium caſuale primo modo; operans enim tale opus tenetur cogitare de eo, quod poteſt illi accidere, nimirum quòd opus exercitum poteſt cauſare mortem, & ſic erit homicidium indirectè, & per accidens voluntarium, ſi non cogitet.

109 Ex quibus deducitur deciſio illius caſus, quo Clericus, qui venationi illicitæ operam dedit, & abſque eius culpa, omni diligentia præmiſſa, hominem iaculo confixit, & occidit, exiſtimans eſſe feram, an hic ſit cenſendus irregularis.

℞. non eſſe talem Clericum, vel Regularem cenſendum irregularem, quia venatio Religioſis prohibita non eſt ob pericula homicidij, ſed ſolùm propter honeſtatem, vt ſuppono. Couarr. in Clem. Si furioſus, 2. p. §. 4. num. 10. verſu Quartò infertur. Sot. lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 9. Llamas 1. p. methodi. cap. 12. §. 23.

110 De homicidio caſuali primo modo certiſſimum eſt, quòd irregularitatem inducit. Suar. to. 5. in 3. p. diſp. 45. ſect. 2. n. 1. Mol. to. 4. tract. 3. diſp. 71. n. 3. concl. 3. Nau. in ſum. cap. 27. n. 230. fine. Bonac. de cenſ. diſp. 7. q. 4. p. 7. prop. 2. nu. 6. Val. to. 4. diſp. 7. q. 19. puncto 3. tit. De quinta ſpecie irreg. ver. Porrò in hac. Ratio eſt, quia hoc homicidium eſt ſufficienter voluntarium, & mortaliter peccaminoſum, vt ſupponimus, propter defectum neceſſariæ diligentiæ.

111 Sed quid, ſi homicidium hoc caſuale ſecutum fuit propter negligentiam venialem, quia ſcilicet adhibita fuit diligentia ad vitandum illud, ſed non omnimoda, ita vt negligentia, quæ interuenit, non excedat veniale peccatum, homicidium ſecutum ex iſta negligentia veniali inducet ne irregularitatem?

℞. Quòd hec negligentia irregularitatem non inducet. Val. loco cit. Sot. lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 9. Suar. loco cit. ſect. 5. num. 8. Sayr. de cenſur. lib. 7. cap. 5. nu. 5. Bonac. loco cit. num. 27. Nam pœna ita grauis, qualis eſt irregularitas, non debet infligi, niſi propter culpam grauem, quali eſt mortalis.

112 Si quæras, quis poterit diſpenſare in iſta irregularitate contracta per hoc homicidium caſuale voluntarium indirectè.

℞. Si huiuſmodi homicidium caſuale notorium, & publicum ſit, ſolus Papa diſpenſare poteſt. Suar. to. 5. in 3. p. diſp. 44. ſect. 1. n. 1. Couarr. in Clem. Si furioſus, p. 2. §., n. 5. Mirand. to. 2. manual. quæ. 8. ar. 13. concl. 1. Et probatur ex c. 7. ſeſſ. 14. Concil. Trid. de refor. ibi *Committatur loci Ordinario*, ideſt talis diſpenſatio poteſt committi à Papa Ordinario loci, &c. Si verò huiuſmodi homicidium caſuale occultum ſit, tunc poſſunt ſuper irregularitate ex illo contracta diſpenſare Epiſcopi, per cap. 6. ſeſ. 24. de refor. & etiam Prælati regulares, qui eamdem habent auctoritatem in ſubditos ſicut Epiſcopi. Ita Bonac. loco cit. part. 8. num. 5. Llamas part. 1. ſui meth. capit. 12. §. 25. Sayrus lib. 7. de cenſur. cap. 7. num. 24. Chapeau. part. 2. caſ. 3. diffi. 8. ver. Secundò infertur.

113 De homicidio verò ob proprium defenſionem patrato, eodem modo philoſophandum eſt, ſicut de homicidio caſuali. Nam ſi homicidium fiat ad defenſionem propriam, vel patris, ex declar. Congreg. facta die 25. Iunij, anno 1599. ſeu Prælati proprij, ex Ant. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 3. cum moderamine inculpatæ tutelæ, ideſt quòd aliter non poſſit vita propria, aut Prælati, vel patris ſaluari, tunc nulla incurritur irregularitas. Ita Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 46. ſect. 1. n. 1. Nauar. in manual. cap. 27. num. 209. verſu Dixi extra neceſſitatem ineuitabilem; Molina tom. 4. tract. 3. diſput. 72. num. 1. Couarr. in Clem. Si furioſus, 3. p. §. vn. ſtatim in princ. Et probatur ex dicta Clem. Si furioſus, quæ eſt vn. de homic. quæ ſic habet. ***Si furioſus, aut infans, aut dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, & idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat inuaſorem.*** Et fundatur in iure naturæ; naturaliter enim vnicuique licitum eſt ſe ipſum ab aggreſſore defendere. L. Vt vim. ff. de iuſt. & iur. c. Dilecto, de ſent. excomm. in 6.

114 Si autem quis excedat in modo defenſionis, & exceſſus mortalis ſit, tunc irregularitatem incurret. Suar. loco cit. nu. 4. Couar. loco cit. num. 3. Bonac. diſp. 7. de cenſ. q. 4. p. 6 nu. 3. & communiter omnes, & patet ex cap. 7. Concil. Trident. ſæpius cit. in quo tales irregulares cenſentur; non enim loquitur ibi Concilium de eo, qui occidit alterum cum moderatione inculpatæ tutelæ, nam iſte non eſt irregularis, vt dicitur in Clem. Si furioſus. Quod bene aduertit Val. tom. 4. diſp. 7. q. 19. p. 3. tit. De quinta ſpecie, verſu Porrò in hac.

115 Sed eſt dubium, an irregularitas incurratur, quādò per fugam poteſt vitari periculum, & aggreſſus non vult fugere, ſed reſiſtere, & ſe defendere. Ad quod bene Llamas 1. p. ſui meth. cap. 12. §. 14. & Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 46. ſect. 1. num. 5. Aut enim poteſt fugere ſine periculo, & dedecore, vel infamia, aut non. In 1. caſu fit irregularis, ſi reſiſtat, & occidat in ſui defenſionem, quia in hoc caſu non poteſt excuſari à culpa coram Deo; Hinc ſequitur communis illatio, Clericum, ſeu Religioſum, ſi occidat, aut mutilet, cum poſſet fugere, fieri irregularem, quia ei fuga non eſt ignominioſa. In 2. caſu non incurret irregularitatem, quia quod vitari non poteſt ſine magna infamia, &

de-

Digitized by Google

dedecore, moraliter ineuitabile eſt, & ideo meritò hic caſus ſub Clement. cit. intelligitur comprehenſus. Adde, quòd ibi non eſt culpa, nec eſt voluntas, moraliter loquendo, quia eſt moralis neceſſitas, quid enim magis neceſſarium moraliter, quàm vitare grauem infamiam, vel amiſſionem honoris. Videatur Bonac. loco cit. qui multos caſus particulares tractat, quos non eſt meum referre; & Aloyſ. Ricc. 4. p. collect. 930.

116 In hac irregularitate contracta per homicidium cauſa defenſionis, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, ſi occulta eſt poteſt Epiſcopus diſpenſare, per cap. 6. Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. Quia Concil. reſeruat ſibi ſolùm homicidium voluntarium, non autem homicidium volitum cauſa defenſionis, etiamſi ſit exceſſum in modo. Nauar. in manual. cap. 27. num. 239. verſu Secundò nota; Sayr. lib. 7. de cenſur. cap. 7. nu. 22. Val. loco cit. Mol. tom. 4. tract. 3. diſput. 79. num. 8. Henr. lib. 14. cap. 10. nu. 2. Bonac. diſp. 7. de cenſur. q. 4. p. vlt. n. 9. & per conſequens poſſunt etiam Prælati regulares. Si autem ſit notoriè publicum, ſolus Papa diſpenſat. Ita præfati Doctores. in ſpecie Mol. & Bonac. Patet ex illis verbis Concil. Trid. cap. 7. ſeſſ. 14. de reform. *Ordinario loci committatur, qui non niſi cauſa cognita*. &c.

117 Circa mutilationem membrorum, ſi delictum ſit occultum, poſſunt Epiſcopi in irregularitate ſic cõtracta diſpenſare per cap. 6. ſeſſ. 24. Concil. Trid. de refor. eo enim ipſo quod excipitur homicidium voluntarium, membri mutilatio conceditur, & per conſequẽs id poterunt Prælati regulares, non obſtante prohibitione, quæ hic fit; de quibus diximus ſupra in conſtit. Pyrrhi num. 46. quod habent eamdem auctoritatem in ſuos ſubditos, quam Epiſcopi: Et dicit Llamas 1. part. meth. cap. 12. §. 25. quod Gregorius XIII. conceſſit Abbatibus Ordinis S. Bernardi, & Societati Ieſu ac Ordini Minorũ quò ad forũ cõſcientiæ eamdem auctoritatem, quam conceſſerat Conc. Epiſcopis ſeſſ. 24. c. 6. cit. Quod in terminis noſtri caſus dicunt Miran. to. 2. man. q. 8. art. 11. & Rodriq. to. 1. quæſt. reg. q. 24. art. 10. Nomine autem mutilationis intelligitur omnimoda truncatio membri, non ſola debilitatio, qua membrum inutile redditur. Vnde qui claudum aliquem reddit, vel cæcum, non eruendo oculum, non incurrit hanc irregularitatem. Gloſſa in cap. Is qui de homic. in 6. Mol. tom. 4. de iuſt. tr. 3. diſput. 68. Sayr. lib. 6. de cenſur. cap. 15. num. 6. Panorm. in cap. De Diacono, qui Clerici, vel vou. nu. 9. licet contrarium dicat (nimirum ſolam redditionem membri inutilis irregularitatem cauſare) ca. Cum illorum, de ſentent. excommunic. num. 8. fine, vbi etiam ait, quòd membrum propriè dicitur pars corporis habens officium ſeparatum, & diſtinctum ab alijs partibus, vt manus, pes, oculus; declarat etiam ibi, quæ ſit enormis læſio. Sed dic cum Gloſſa d. c. Cum illorum, verbo Membra, quòd id relinquitur iudicis arbitrio.

118 Ex quo etiam deduco, quòd poſſunt Prælati regulares diſpenſare cum ſibi ſubditis in irregularitate cum habente membrum abſciſſum, etiam manifeſtum, & ſua culpa, vt ſi careat oculo dextro, vel digito, qui tamen non ſit pollex, quia cum prædictis diſpenſat Epiſcopus. Ita Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 17. concl. 2.

119 Deduco etiam, quòd Prælatus regularis poteſt abſoluere ſuum ſubditum, qui percuſſerit, non ſolùm alium Regularem ſui Ordinis, ſed etiam ſi fuerit alterius Ordinis, immo etiam ſi fuerit Clericus ſecularis, non obſtante cap. Cum illorum, de ſent. excom. & ca. Religioſo, eod. tit. in 6. Ita A Sorbo in comp. priu. ver. Abſolutio ordinaria quò ad fratr. pag. 19. Rodriq. to. 1. quæſt. reg. quæſt. 20. art. 12. Minora enim intelliguntur conceſſa, vbi ſunt conceſſa maiora, cap. Ex parte, de decimis, el 3.

120 Quò ad bigamiam ſciendum, quòd tripliciter incurritur irregularitas bigamiæ. 1. quando duas habuit, & cognouit vxores. 2. quando duxit viduam, vel corruptam ab alio. 3. quando Clericus in ſacris conſtitutus, vel Religioſus profeſſus contrahit matrimonium, & cognoſcit vxorem. Ita Llamas 1. p. method. cap. 12. §. 2. & 3. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 24. artic. 2. Nauar. in man. c. 27. num. 195. Viuald. in candel. aur. tit. De irregul. de bigam. num. 1. In bigamia 1. & 2. modo ſolus Papa diſpenſat quò ad ordines ſacros, nam quò ad minores non ſolùm ſuſceptos, ſed ſuſcipiendos etiã Prælati regulares, vt dicunt Rodriq. Llamas loco citat. & Sayr. lib. 6. de cenſur. cap. 6. num. 11. Contrarium docet Suar. tom. 5. in 3. p. diſput. 49. ſect. 6. num. 4. & Garcia p. 7. de beneſ. c. 6. num. 14. qui tamen num. 13. plures citat pro noſtra ſententia, & de iſtis bigamijs intelligitur exceptio facta in iſto, & alijs ſimilibus priuilegijs. De tertia bigamia, ſi Clericus, vel Religioſus virginem duxit, putant Rodriq. & Llamas, quòd poſſint regulares Prælati cum iſto diſpenſare, non ſolùm vt in ſuſceptis miniſtret, ſed etiam vt ad maiores aſcendat, Nauarr. loco cit. num. 197. fine. Zerola in praxi p. 2. verbo Bigami, verſu 3. Panormit. in capite. Ex literarum, qui Clerici, vel vouen. num. 5. Et colligitur ex d. cap. & ex cap. 1. eiuſdem titul. Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 17. concl. 1.

§. XXX.

121 Vide conſtitut. antecedentem huius Pontiſ. §. 33. Et nota 1. quòd hoc eſt ampliſſimũ priuilegium: & plura ſimilia, & etiam maiora, etiam cum derogatione c. Nuper, de decim. habes apud Rodriq. to. 2. q. regul. q. 44. art. 2. & pro Monialibus ibid. art. 5. & to. 3. q. 74. art. 16. & etiam apud Caſarub. verbo Decimæ. Guttier. conſil. 5.

122 Nota 2. quòd decima eſt omnium bonorum mobilium licitè quæſitorum pars decima Deo dicata, diuina conſtitutione debita. Ita Hoſtien. in ſum. tit. De decimis, §. 1. Rodriq. art. 1.

123 Si quæras, quo iure debeantur decimæ.

℟. Val. tom. 3. diſput. 6. q. 5. par. 1. verſu Nihilominus; quòd reddere mercedem eccleſiaſticis miniſtris eſt de iure naturæ, atque adeo de iure diuino. Quotam verò decimarum, videlicet vt id fiat, conferendo eis decimas, in veteri quidem lege fuiſſe de iure diuino poſitiuo, in noua autem ſolùm de iure humano eccleſiaſtico; tit. De decimis 16. q. 1. & eſt ſententia D. Th. 2. 2. q. 87. art. 1.

124 Nota 3. quòd primitia eſt oblatio facta Deo, & Eccleſiæ in ſuis miniſtris ex primis, & quaſi præcipuis fructibus terræ. Syl. verb. Decimæ, numero 1. Val. loc. cit. quæſt. 4. p. 4. Colligitur ex D. Th. 2. 2. quæſt. 86. art. 4. Hoc tempore primitiæ offeri debent, non ex aliquo naturali, aut diuino præcepto (his enim ſatisfit ſuſtentando quomodocumque miniſtros Eccleſiæ, & offerendo qualeſcumque alias res externas in honorem Dei) ſed ex decreto Eccleſiæ, iuxta locorum receptam conſuetudinem, & neceſſitatem miniſtrorum Eccleſiæ. Ita D. Th. 2. 2. q. 86. art. 4. Val. loco cit. aſſert. 5. Syl. ver. Decimæ, num. 3. vbi ait, poſſe tolli obligationem ſoluendi primitias per contrariam conſuetudinem, eo modo, quo poteſt alicubi tolli obligatio ſoluendi decimas.

125 Noto 4. quod oblatio eſt munus quoddam, non priuatæ perſonæ, ſed Eccleſiæ, ad Dei cultum, & miniſtrorum eius vſum, à Chriſti fidelibus de rebus licitè acquiſitis oblatum. Ità Syl. verb. Decimæ, numero 1. Differt autem oblatio à decimis: tum quia decima ſolùm eſt omnium bonorum mobilium licitè acquiſitorum pars decima Deo data, oblatio verò non ſolùm de decima parte rerum mobilium, ſed etiam de alijs quibuſcumque etiam immobilibus, fieri poteſt; tum etiam quia ſecundùm Hoſtien. in ſumm. tit. De decimis, §. 1. Oblatio offertur Deo immediatè, hoc eſt ad cultum Dei, cum tamen decimæ non offerantur immediatè Deo, ſed eius miniſtris, ſcilicet alendis, aut diſpenſaturis. Differt verò oblatio à primitijs, quòd primitia ſolùm eſt prima pars frugum, ſiue fructuum Domino offerenda, at verò oblatio non

ſolùm ad primas partes frugum, aut fructuum, ſed etiam ad omnia ſe extendere poteſt. Qua ratione nummi, & cerei, panis, & vinum in exequijs oblationes dicuntur. Decimæ itaq; atq; primitiæ ſunt quædam ſpecies oblationis, & ad illas ſe habet oblatio tamquam genus ad ſpecies. Ita D. Th. 2.2.q.86.art.1.

126 Noto 5. quod poſſunt oblationes eſſe debitæ hoc tempore gratiæ ob aliquam ex his quatuor cauſis. 1. quia aliquis fundus datus eſt ab Eccleſia alicui cũ cenſu reſeruatiuo aliquorum fructuum, qui proinde ex eo debeant offerri. 2. propter promiſſionem aliquam inter viuos, aut in teſtamento factam Eccleſiæ. 3. propter neceſſitatem miniſtrorum, qui non habent aliunde, vnde viuant. 4. propter conſuetudinem receptam, quæ potiſſimùm attendenda eſt etiam quòd attinet ad primitias. Ita D. Th. loco cit. Syl. verbo Decima, num. 4. q. 2. Val. tom. 3. diſp. 6. q. 4. p. 4. aſſert. 1.

127 Redditio autem harum oblationum obligat ſub mortali, immo id præcipitur ſub pœna excommunicationis cap. Præter hoc, diſt. 32. & cap. Statuimus 16. quæſt. 1. Prima autem oblatio, quando Eccleſia dat alicui fundum, vt recipiens teneatur ſtatis temporibus penſionem ſoluere, ſeu in emphyteuſim, potiùs habet rationem cenſus, quam oblationis, vndè de ea videndi ſunt auctores de emphyteuſi tractantes. De ſecunda oblatione aduerte, quòd in cap. Qui oblationes, 13. q. 2. ita habetur. *Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſijs, aut difficulter reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur*. Alio cap. dicitur ibid. *Qui oblationes defunctorum retinent, & Eccleſijs reddere demorantur, vt infideles ſunt ab Eccleſia abijciendi, quia vſque ad inanitionem fidei peruenire certum eſt hanc pietatis diuinæ exacerbationem, quia & fideles de corpore recedentes, votorum ſuorum plenitudine & pauperes conſolatu alimoniæ, & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur; Hi enim tales quaſi egentium necatores nec credentes iudicium Dei habendi ſunt, Vnde & quidam Patrum* (Hieronymus) *hoc ſcriptis ſuis inſeruit, congruente* ſententia, *qua ait, Amico quidpiam rapere furtum eſt, Eccleſiam verò fraudare ſacrilegium*. Etc. Qui abſtulerit, 12. q. 2. dicitur, *Qui Chriſti pecunias, & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida eſt*. Ex quibus patet, quàm graue delictum ſit legata pia non ſoluere; debent enim hi excommunicari. In alijs duobus caſibus oblatio eſt voluntaria quo ad quid vel quantum, vel in offerre, modò ab eis ſatisfiat miniſtrorum, aut Eccleſiæ neceſſitati, vel conſuetudini, offerendo aliquid. Ita D. Th. Syl. loc. cit. Val. aſſert. 3. Nauarr. in manu. c. 13. n. 19.

128 Notant autem Val. Nauarr. & Sylu. in diebus feſtis cum ex conſuetudine eſt in miſſa offerendum, ſufficere ſi maior pars populi offerat, atque adeo nõ peccare eum, qui ſemel, vel iterum id facere intermittit ſine contemptu, & ſcandalo, niſi fortè ſuo malo exemplo efficiat, vtne maior quidem pars populi offerat. Notat etiam D. Thõ. 2.2. quæ. 86. art. 1. ad 3. & Caiet. ibi, quòd illi, qui debitas oblationes non reddunt, poſſunt puniri per ſubtractionem ſacramentorum, non per ipſum ſacerdotem, cui faciendæ ſunt oblationes, ne videatur per ſacramentorum exhibitionem aliquid exigere, ſed per aliquem Superiorem, nimirum Epiſcopum, vel etiam Vicarium foraneum.

129 Addit verò Caiet. in tali caſu poſſe ſacerdotem monere recuſantem oblationes ſoluere, ſeu offerre, ad miſſarum ſolemnia cum alijs, vt faciat, quod debet, & ſi noluerit, negare ei ſacramenta, proteſtando coram alijs, ſe non denegare ei ſacramenta, quia nolit oblationes offerre, quæ ad ipſum pertinent, ſed quia non eſt paratus conſcientiæ ſuæ conſulere, oblationes offerendo, ad quas ſub mortali peccato tenetur.

130 Notat etiam D. Th. loc. cit. art. 2. ad 2. quòd Monachi, ſiue alij Religioſi poſſunt oblationem recipere tripliciter. Primò ſicut pauperes, per diſpenſationem ſacerdotum, vel ordinationem Eccleſiæ. 2. ſi ſint miniſtri altaris, tunc poſſunt accipere oblationes ſponte oblatas. 3. ſi Parochiæ ſint eorum, & tunc ex debito poſſunt accipere oblationes tamquam Eccleſiæ Rectores.

131 Noto etiam ex D. Th. loc. cit. art. 2. cor. quòd ſacerdotes, ſiue Monachi, vel alij Religioſi, quibus offeruntur oblationes, poſſunt vti ijs, quæ ſibi offeruntur trifariam. 1. in fabricam, & reparationem Eccleſiarum, & in apparatum eorum, quæ ad diuinum cultum pertinent. 2. in ſuum ipſorum proprium victum, qui enim altari ſeruit, de altario viuere debet. 3. in ſubſidium pauperum, quos bonis eccleſiaſticis paſci decet.

132 Noto etiam, quòd non ſolùm domus, & prædia noſtra ſunt exempta à ſolutione decimarum, ſed etiam coloni, qui conducunt agros noſtros, ſiue conducant ad medietatem fructuum, & dicuntur coloni partiarij, ſiue vt quotannis certam partem fructuum nobis tribuant in omnem euentum, & reliquum ſibi acquirant, & dicuntur coloni, vel conductores cenſuales. Nam priuilegium eſt reale, & priuilegium reale iure communi tranſit ad colonos. Panor. in cap. Ex parte, el 1. nu. 4. de decim. & cap. ſequ. nu. 3. Iac. Puteus. lib. 2. deciſ. deciſ. 522. nu. 3. Corduba in ſum. caſu 101. Guid. Pap. q. 207. Azor. tomo 1. lib. 7. cap. 26. q. 7. Filliu. tomo 1. tractat. 16. cap. 11. num. 302. Rodriq. tomo 2. quæſt. regul. q. 44. art. 4. verſu Et primò dicendum eſt. Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 27. num. 8. Habet Gloſſa in Clem. 1. verſu Ad excolendos, de decim. & multos alios affert Henriq. in comm. lit. K. & in eod. comm. lit. L. adducit ad id priuilegia Pauli III. Pij IV. Gregorij XIII. Et addit, quòd cum hæc cauſa fuerit agitata Romæ, & apud multa eccleſiaſtica tribunalia in Hiſpania, ſemper pronunciatum eſt in fauorem Religionis, & colonorum.

133 Noto etiam, quòd neq; etiam Religioſi tenentur ſoluere decimas ex prædijs, ſiue domibus, quæ habent in emphyteuſim, neq; etiam ex his, quæ habent conducta, ſiue locata, vt probat Azor. tom. 1. lib. 7. c. 26. q. 8. Deniq; nota, quòd noualis ager, de quo ſupra in conſtit. 1. huius Pontif. §. 28. 29. & 33. eſt ager nunc primum præciſus, de quo non eſt memoria, quòd fuerit cultus, & nunc eſt ad culturam redactus. Ita habetur cap. 1. & cap. Quid per nouale, de verb. ſignif. & cap. final. de priuileg.

§. XXXII.

134 Vide quæ dico tom. 1. Relig. q. 1. ca. 20. concl. 2. vbi latè ago, an, & quomodò liceat fratribus appellare à ſuorum Superiorum ſententia, & in quibus cauſis iuris apices ſint ſeruandi, dicto cap. 20. §. vn. in fine. Et aduerte, quod iſta conſtitut. Boniſ. VIII. eſt apud Cherub. tom. 1. bull. pag. 140. & incipit, Ad augmentum. Aduerte etiam, quòd corrigere exceſſus ſubditorum, de iure cõmuni ad proprios Prælatos pertinet, cap. Vt famæ, de ſent. excom. cap. 1. de offic. Ord. ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur, ca. Irrefragabili, de offic. Ord. Nec admittitur paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit; ca. Quanto, de præſumpt. & eo ipſo quod Prælatus tacet, conſentit; cap. Si Rector, d. 43. ex eo enim ſumunt mali ſubditi anſam, & ſecuritatem delinquendi. ca. Error, d. 23. & facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi; cap. Eſt iniuſta 23. quæſt. 4. & cap. Vt famæ, de ſent. excom.

§. XXXIII.

135 Noto 1. quòd licèt Papa dicat in iſto §. & alijs etiam antecedentibus, quòd priuilegia in his conceſſa non cenſeantur reuocata per clauſulas generales, ſed quòd debeant reuocari per clauſulas ſpeciales, ac de verbo ad verbum

inſerto

inſerto priuilegio, nihilominus tamen dicendum eſt, quòd per clauſulas generales Hic pro expreſſis habentes, ſeu etiamſi de his oporteret fieri expreſſa mentio, vel De verbo ad verbum, cenſeri debent reuocata, nam alioquin, cum hæc priuilegia in facto conſiſtant, & Papa non habeat de his omnibus memoriam, impoſſibile eſſet, quòd de omnibus hujuſmodi priuilegiis mentionem faceret de verbo ad verbum; atq; ita numquam poſſet ea reuocare, & ſic illius poteſtas diminueretur, quòd eſt omnino abſurdum, nam vnus Pontifex non poteſt ligare manus alterius Pontificis, qui eamdem, quam ipſe, habet auctoritatem, cap. Innotuit. §. Quamuis, de elect. Et expedit aliquandò priuilegium mutare, declarare, reuocare. cap. Alma mater, de ſent. excomm. in 6. cap. Statutũ, de reſcript. eod. lib. cap. Ad conditorem, de verb. ſignif. extr. Io. XXII. Quare vniuerſaliter dicendum eſt, quòd per verba quantumuis generalia, ſi conſtet de mente Pontificis, quòd efficaciter reuocare intendat, poſſunt reuocari quæcumque priuilegia. Ità Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 63. art. 8. & tom. 1. q. 9. art 6. Caſarub. ver. Priuilegia, tit. Sequuntur quædam quæſtiones, q. 1. Felin. in cap. Nonnulli, de reſcript. nu. 6. quia illa verba. Pro expreſſis habentes, æquiualent reali expreſſioni.

136 Noto 1. pro terminorum intelligentia, quòd iſta vocabula tributum, vectigal, gabella, telonium, &c. loquendo de ijs in genere, important publicam exactionem debitam Principibus, ſiue Communitatibus. In ſpecie autem vnumquodque habet ſuam particularem differentiam. Vectigal enim eſt pretium, quod pro rebus vectis ſoluitur, & eſt idem quod guidagium, quod nihil eſt aliud, quàm id, quod datur pro ducatu per terram alicuius, vt ſecuriùs vadant. Et hoc etiam dicitur telonium, quòd à græco nomine ductum idem eſt quod vectigal, ſeu gabella, vel duana. Itaque vectigal, guidagium, telonium, gabella, duana ſunt idem. Penſio eſt pretium vſus rei locabilis, quæ ſi ſoluatur priuatæ perſonæ, dicitur priuata; ſi Principi, vel Communitati, dicitur publica. Cenſus eſt quædam penſio, quæ de prouentibus ſoluitur. Tributum eſt cenſus, qui datur de proprio ſolo Principi, vel Communitati. Itaque penſio, cenſus, tributum, quando ſunt publica, idem ſunt. Tallia verò, præſtantia, impoſitio, collecta idem etiam ſunt, & quodlibet horum eſt ſumma, quã Princeps, vel Communitas exigit proportionaliter ad totam ſubſtantiam cuiuſcumque. Angaria autem, & perangaria eſt iniuſta compulſio, ſiue coactio ad aliquid ſoluendum, vel faciendum; ſeu angaria eſt obſequium perſonale, perangaria verò eſt obſequium perſonale, & reale, proprijs ſcilicet ſumptibus præſtitum. Munus aliquando ſumitur pro dono; aliquando pro officio, vel honore, aliquando verò ſumitur pro eo, quod neceſſariò ſubimus lege, vel imperio. Ita Syl. ver. Gabella, 1. per totam. Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 65. art. 1.

137 Noto 3. quòd diſputant Doctores, an eccleſiaſtici ſint exempti à ſolutione gabellarum iure diuino, an verò ſolùm humano, hinc inde ſunt opiniones. Rem ex profeſſo tractant Cened. collect. 37. Rodriq. tom. 2. quæſt. regul. q. 62. art. 2. Couarr. pract. quæſt. cap. 31. Io. Med. Cod. De reſtit. quæſt. 15. Mol. tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 31. & eſſe humano iure tuentur. Abbas in cap. Non minùs, de immunit. Eccleſ. nu. 17. Fel. & alij multi apud Couarru. loco cit. num. 1. exemptos eſſe iure diuino defendunt. Hic id diſcutere meum non eſt: ſcio ſolùm, quòd in iure canonico, cap. Quamquam, de cenſ. in 6. §. Cum igitur, hæc habet Bonifacius VIII. *Cum igitur Eccleſia, eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum, non ſolum iure humano, quinimmò, & diuino, à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes.* Et in Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de reform. habetur. *Eccleſiæ, & perſonarum eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam.*

138 Noto 4. quòd imponentes eccleſiaſticis, ac illorum bonis gabellas, tallias, vectigalia, & alia onera, ſeu ab illis exigentes, aut ſic impoſita à ſponte dantibus recipientes, ſunt ipſo facto excommunicati per bullam Cœnæ, §. 18. Pro cuius explicatione vide Scortiam in ſelec. bull. theor. 427. Nald. in ſum. verbo Bulla Cœnæ, num. 57. & alios dictam bullam exponentes. Similem excommunicationem habes in ca. Quamquam. Et in Clem. vlt. de cenſ. iubentur Epiſcopi publicare excommunicationes à iure latas contra exigentes nomine proprio, vel alieno ab eccleſiaſticis vectigalia, &c. Quòd ſi Epiſcopi negligentes ſint in talibus excommunicationibus publicandis, poſſunt puniri pœna arbitraria. Menoch. lib. 2. de arbitr. caſu 556.

139 Aduerto autem breuiter; quod ad incurrendam dictam excommunicationem bullæ Cœnæ requiritur, vt illarum impoſitio ſit expreſsè facta quò ad eccleſiaſticos, vbi verò in impoſitione gabellarum nulla facta eſſet mentio eccleſiaſticorum, & exactores exigerent indiſtinctè, tam à laicis; quàm à Clericis, tunc dicti exactores incurrerent excommunicationem cap. Quãquam, quæ non eſt reſeruata, vt Nauar. lib. 3. conſil. de cenſ. conſil. 6. nu. 8. Ita Quaranta in ſum. bull. verbo Vectigal, verſu Vt autem exigentes, pag. 635.

140 Aduerto etiam, quòd non ſemper à ſponte dantibus recipientes incidunt in dictam excommunicationem, ſed illi ſolùm, qui ſic recipiunt, quando onera impoſita ſunt ipſis perſonis eccleſiaſticis, tunc enim ſoluunt in apparentia ſponte quidem, ſed verè, & in effectu ratione oneris impoſiti. Vnde ſequitur, quòd ſi in impoſitione onerum expreſſum ſit, Clericos ad id non teneri, tunc ſi Clerici ſponte ſoluant, recipientes ab eis in hanc excommunicationem non inciderent, vt patet ex illis verbis bullæ *Sic impoſita, etiam à ſponte dantibus recipiunt*, vbi ſenſus illius particulæ *Sic impoſita*, eſt, quòd, qui exigunt, aut recipiunt tributa ſic impoſita Clericis, hoc eſt, ita vt Clericos in impoſitione comprehendant, excommunicati ſunt.

141 Aduerto etiam, quòd hæc excommunicatio non procedit, quando eſſet facienda contributio pro aliquo extraordinario, quod immediatè ſpectaret etiam ad bona ipſorum eccleſiaſticorum, & quadam ratione naturali illis incumberet, veluti ſi ageretur de reficienda via penitus deſtructa, quæ extenderetur etiam per domos, & prædia ipſorum eccleſiaſticorum, propter quod eis ad ſua poſſeſſiones difficilis eſſet acceſſus, tũc tenerentur ad expenſas contribuere. Sylu. verbo Immunitas 1. ſub num. 19. verſu Sunt tamen aliqua. Nau. in man. cap. 27. num. 115. verſu Tertia quòd. Tenentur etiam ſoluere, quando ſoluuntur pro communi damno, ſeu periculo vitando. Panor. in cap. Non minùs num. 20. de immunit. Eccl. Rodriq. in ſum. p. 2. cap. 73. concluſ. 13. vt V. G. ad expellendos hoſtes vaſtantes territorium, in quo eccleſiaſtici habent multa prædia, ſeu ad eijciendos impeſtatos extrà Ciuitatem, quibus caſibus poſſunt cogi dicti eccleſiaſtici à ſuis Superioribus ad ſoluendum: non autem à Principibus ſecularibus; qui ſi compellerent, incurrerent in excommunicationem, iuxta cap. Non minus, & cap. Aduerſus, de immunit. Eccl. Sed quando talis caſus contingeret, deberet conſuli Romanus Pontifex. Et vbi tanta neceſſitas immineret, quòd non poſſet ſine aliorum ſcandalo, & periculo haberi priùs recurſus ad Papam, ſufficeret; tunc deliberatio Epiſcopi, & Clericorum, & Superiorum regularium, vnuſquiſque pro ſua parte. Ita definit Gutierr. lib. 1. practic. quæſt. q. 3. num. 6. Si autem Epiſcopus, & Clerus, vel Regulares nollent in prædictis caſibus ſoluere contributiones pro rata, poſſet populus eorum Superiorem appellare; qui eos ad ſoluendum coget. Gutierr. loco cit. num. 8. 9.

142 Noto 5. quòd hoc priuilegium exemptionis à gabellis tranſit ad colonos, cum ſit reale. Abbas lib. 1. conſil. conſil. 9. verſu Ad ſecundum; & in cap. Ex parte, el 1. nu. 4. & 5. de decim. Zabar. in Clem. 1. de decim. q. 22. 23. & alij, quos citat Menoch. li. 2. de arbitr. caſu 562. num. 46. Sed extat bulla de exemptione generali Regularium Pij V. quæ incipit, Dum ad vberes, quam re-

tert

Digitized by Google

ſert Cherub. tom.2.bull. in Pio V. conſtit. eius 11.pag. 191.in qua Pontifex *eximit fratres monachos, Moniales, ac alias regulares perſonas, eorumque Monaſteria, Cænobia, Conuentus, Eccleſias, Capellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, poſſeſſiones, prędia, agros, & bona, necnon laboratores, colonos, arrendatarios, locatarios, affictuarios, ac geſtores ſuorum negotiorum, ab omnibus exactionibus, tam vrbanis, quàm ruſticis, necnon datijs, gabellis, pedagijs, vectigalibus, collectis, impoſitionibus, oneribus ordinarijs, & extraordinarijs, ac tam realibus, quàm perſonalibus, meris, & mixtis, etiam ſubſidio triennali, & augmento, ac focolaribus, equorum taxis, militumq; hoſpitijs*, &c. *tam impoſitis, quã imponendis.* Nec ſolùm ſunt immunes à ſoluendis gabellis Clerici ordinati in ſacris, ſed etiam Clerici primæ tonſuræ, dummodò incedant in habitu, & tonſura clericali, & inſeruiant in diuinis alicui Eccleſiæ. Couarruu. practic.quæſt.cap.31.ſub num.9. Filliuc.tom.1.tract.16.ca. 11.numer.298. & habetur in Trid.ſeſſ.23. de reformat. cap. 6.

143 De Clericis autem coniugatis dicit idem Concilium, quòd ſi deferant habitum, & tonſuram, & inſeruiant alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, gaudeát priuilegio Canonis *Si quis ſuadente*, & priuilegio, quòd non poſſint conueniri coram iudice ſeculari propter delicta. Et habetur in c. vnic. de Cler. coniug. in 6. quod caput inuocatur à Concil. Trid. Non gaudent autem immunitate gabellarum, quia illas ſoluere tenentur, ſicut laici, & ad cœtera laicorum onera tenentur, vt habetur dicto cap. vn.§. In cœteris, vbi Gloſſa, & Gloſſa etiam in ſumm. Docet etiam Guido Pape q. 383. Secus autem eſt in Clericis græcis, licèt coniugatis, quia etiam gaudent immunitate gabellarum, & aliorum onerum. Quarant. verb. Vectigal, ampliat.2. pag.631.

144 Poſſunt etiam dicti eccleſiaſtici abſque gabellæ ſolutione vendere, ſeu vendi facere bladum, vinum, oleum, & ſimilia, habita tam ex fundis, & vineis patrimonialibus, quàm beneficialibus, non ſolùm ad groſſum, ſed etiam ad minutum, non tamen tam ad minutum, quòd poſſint tenere tabernam; vt Gloſſa in c. Negotiatorem, diſt.88. Sed V.G. ſi habeat Clericus centum metretas vini, quòd non ſit coactus omnes vni vendere, ſed quòd poſſit vendere vni decem, alij vnam metretam, alij mediam, alij quartam partem metretæ, ſic de frumento, & oleo. Nec per hoc poteſt dici negotiator, & per conſequens quòd in eo locum habeat cap.fin.de vit.& honeſt. Cleric. in quo Clericus negotiator, ſi ter monitus non deſiſtit, perdit quò ad vectigalia clericale priuilegium; hæc enim ſoluere tenetur iuxta morem patriæ. Nam ille propriè dicitur negotiari, qui emit rem, vt eam lucri cauſa integram vendat, vt dicitur expreſsè in cap. Eijciens, d.88. Ita etiam Panor.conſil.6. num.2. Tol. in ſumm. cap.38. num.13. Sylueſt.verb.Excommunicatio 9.numer.46. Rodriq.in ſumm.tom.2. cap.73.concl.5. Vnde patet, quàm allucinentur auaritia abcæcati emptores gabellarum, quando prætendunt de domibus, vel prædijs à Religioſis emptis ex pecunijs eis in teſtamentis à fidelibus pro animabus ipſorum relictis cum miſſarum obligationibus perpetuis, vel ſine illis, ſibi ſolui debere vectigalia; nam, inquiunt, cum domus emuntur pro habitatione fratrum, exemptæ quidem ſunt, ſed cum emuntur ad eas locandas, tenentur ſoluere, quia hoc eſt negotiari. Vide imperitiam hominum. Legatur Chryſoſt.relatum cap. Eijciens, diſt.88.

145 Aduerte etiam, quòd prohibentur Clerici negotiari lucri cauſa ſub pœna excommunicationis: cap. Secundum, Ne Clerici, vel Monachi: cauſa autem neceſſitatis non prohibentur. Gloſſa dicto cap. verbo Cauſa lucri. Denique quis Clericus dicendus ſit negotiator, vide Quar.ver. Vectigal, verſ. Limitatur denique pag.632. & Tuſch.verbo Clerici, concl.381. Et ad quæ onera teneantur eccleſ.& ad quæ non, vide Tuſch. verbo Onera perſonalia, &c. concl. 126. vbi etiam à quibus compelli poſſint ſubire onera, ad quæ tenẽtur.

146 Ad vltimum ſi quæras, an poſſint emptores gabellarum exigere à Regularibus iuramentum quòd res, V.G. triticum, vinum, &c. quæ per duanam tranſeunt nomine dictorum Regularium, ſint ipſorum, & ad ipſorum vſus deputata.

147 Vt reſpondeam, ſuppono 1. Regulares non poſſe compelli ad teſtimonium ferendum in cauſis ciuilibus, niſi quando veritas aliter haberi non poteſt. Ita habetur in cap. Cum ſuper, & cap. Dilectorum, de teſt. cog. Quo pacto intelligenda ſunt multa priuilegia Mẽdicantibus conceſſa, quòd non poſſint compelli teſtificari: quæ refert Rodriq.tom.2. quæſt. Regul.q.10.art.2, Vnde hoc caſu poſſunt etiam compelli (mediante ſuorum Superiorum regularium præcepto) ad teſtificandum corã iudice laico, vel eccleſiaſtico: intereſt enim multùm Reipublicæ, vt veritas pateſiat: atque ita dicta priuilegia limitat Panor. in cap.1.de teſt.cog.num.4.& Rodriq.loc.cit. qui arbitratur, quòd in cauſa ſanguinis non poſſint compelli, etiam quando veritas aliter haberi non poteſt. Farin.p.2. praxis de teſt. cogend. q.78. num.199. 200. & 201. Hoc tamen intellige, quòd non poſſint compelli in cauſa ſanguinis, ideſt ad condemnandum aliquem ad mortem, vel ad abſcindendum membrum; ſecus autem eſt ad teſtificandum pro liberatione alicuius à morte, vel infamia, tenetur enim quiſque proximum ſuum defendere, cap. Dilecto, de ſent. excom. in 6.

148 Suppono 2. quòd Regulares ſunt idonei teſtes in cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus ſui Monaſterij. Ita conceſſerunt Vrbanus IV. Iulius II. Eugenius IV. Leo X. apud Rodriq.tom.1. quæſt.regul.q.10.art 1. qui rem ex profeſſo tractat, & videtur docere, ſine priuilegio id etiam poſſe fieri. Ita etiam Peregr.1.p.cõp. priuil.ſui Ordin.tit. Teſtimonium; Panorm.in cap. Nuper de teſtibus, Sylu.ver. Teſtis, num.1.verſu 9.& habetur in cap. Et ſi Chriſtus, de iur.iur.in fine.

149 Suppono 3. quòd Regulares non poſſunt inuiti compelli iurare. Ita conceſſit Eugenius IV. Caſſinenſibus per ſuam conſtit.7. quę incipit, Etſi ex debito, §.17. & per ſuam conſtitut. 9. quæ incipit, Regularem vitam, §.13. in bullar. Rodriquez pag.84.& 88.

150 ℞. Itaque ad quæſitum, poſſe dictos emptores gabellarum exigere à Regularibus prædictum iuramentum. Quia hoc non eſt compellere ſimpliciter Regulares ad iurandum, quod nequeunt ſeculares iuxta dicta facere, ſed ex ſuppoſitione, ſi velint ſibi res illas, quas dicunt eſſe ad vſum proprium, ſine ſolutione gabellæ relaxari. Et tenentur dicti Regulares ad mentem dictorum exigentium iuramentum iurare, nec poſſunt æquiuocare. Ita Sylu. ver. Iuramentum 3. qu. 2.fine, & verbo Mendacium, quæſt.6.fine: Sanch.lib.3. in decal.cap.6.nu.35. Et ita video obſeruari hic Genuę: & videtur inductum ad tollendas fraudes. Et fraus, & dolus nemini debent ſuffragari.cap. Legi 16.quæſt.1.ca. Audiuimus, de colluſ.deteg. c. Sedes Apoſtol.de reſcr.

151 Et ſi quæras etiam, an Regulares teneantur obſeruare leges ciuiles, in bonum Reipublicę ordinatas, vt leges taxantes pretia rerum, vel vetantes aliquod genus veſtium, vel armorum.

℞. Licèt eccleſiaſtici omnes ſint exempti à poteſtate, & iuriſdictione ſeculari, tam in cauſis ciuilibus, quàm in criminalibus, vt conſtat ex Trid.ſeſſ.25. de reformat. cap. Non minus, de immun. Eccleſ.cap.fin.de rebus eccleſiæ non alienandis & habet Molin, tom.1. de iuſt. tract.2.diſp.31. & dixi hic ſupra, num.137. Legibus tamen ciuilibus in communem vtilitatem Reipublicæ indictis ſubijciuntur, & eas ſeruare tenentur, quando contra Canones, & regularem diſciplinam non ſunt, & hoc non ratione obedientiæ, quia exempti ſunt, ſed ratione iuſtitiæ, & conformationis cum tota Republica. Vnde ſi dictas leges tranſgrediantur, non tenentur ad pœnas contrafacientibus impoſitas, ſed debent puniri

à pro-

Digitized by Google

à proprio iudice, qui arbitraria pœna,habendo conſiderationem ad pœnas à iudice ſeculari impoſitas, tranſgreſſores ſuos puniet. Ita Vaſquez 1.2. diſp.167. à nu.28. Cruz lib.1.de ſtatu Relig.cap.6.dub.2. concl.2.

CONSTITVTIO III.

Concedit, quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua in genere.

IVLIVS PAPA II.

Dilectis filijs F. Franciſco de Paula, & eius fratribus Ordinis Minimorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio

§. 1. EXponi nobis nuper feciſtis, quòd licèt in Regula veſtra expreſsè caueatur, ne vos miſſas particulares perpetuas, ſeu ſub perpetua obligatione recipere poſſitis; quia tamen de præſenti ſunt veſtri tres ſpeciales eiuſdem Ordinis benefactores obligati celebrari facere quaſdam particulares miſſas, ſiue ex propria, & ſpeciali deuotione, ſiue ex ordinatione quorumcumque viuorum, ſeù defunctorum, quorum ſunt hæredes, ac teſtamentorum ſuorum executores, ſeu etiam ex eorum propria deuotione, aut aliàs ob ſingularem deuotionis affectum, quem ad dictum Ordinem veſtrum gerunt, cupientes vobis,ſeu fratribus eiuſdem veſtri Ordinis piè relinquere nonnulla bona, ſeu pia legata cum onere, quòd vos, ſeu eiuſdem veſtri Ordinis fratres ſupradictas miſſas celebrare teneamini; voſque dubitantes ob præmiſſa præfatæ veſtræ Regulæ contrauenire,pro conſcientiæ um veſtrarum quiete cupiatis vobis gratioſè concedi, quòd, cuiuslibet dictorum trium benefactorum interuenientè conſenſu,prædicta piè legata cum onere celebrandi miſſas ipſas particulariter, ſeu in ſpecie, ad futuros quinquaginta annos dumtaxat, & poſt dictos quinquaginta annos eaſdem miſſas in genere, ſeu ſub generaliter omnium miſſarũ, per vos in vniuerſo veſtro Ordine prædicto de cætero celebrandarum, à dicta veſtra Regula non deuiando, acceptare poſſitis, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt vobis de ſuper opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nota, quòd iſta conſtitutio eſt obtenta viuente P. N. Franciſco. Vide conſtit. 4. huius Pontif. §. 4. n. 19.

§. 2. Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quòd dicta piè legata, ſeu relicta quæcumque cum onere celebrandi miſſas ipſas modo prædicto, iuxta veſtræ Regulæ tenorem, & inſtrumentorum cuiuslibet dictorum trium veſtrorum benefactorum conſenſu ſuper huiuſmodi factorum, ſeu nouiter faciendorum, & innouandorum formam, licitè acceptare,ac,miſſas ipſa particulares modo,& forma prædictis celebrando, ſingulis particularibus miſſis ſatisfacere, & huiuſmodi viuorum, ſeù defunctorum quorũcumque relinquentium, ſeù legantium voluntates,ac ordinationes adimplere cenſeamini, & propterea dictæ veſtræ Regulæ nullatenùs contrauenire intelligamini, ſed perinde habeatur, tam apud tres præfatos ſpeciales dicti veſtri Ordinis benefactores, quàm etiam apud vos, ſeu eiuſdem veſtri Ordinis fratres, & quorcumque reliquos,tam viuos,quàm defunctos,quò ad hoc dumtaxat,ac ſi vos,ſeù fratres ipſi prædictas particulares miſſas, iuxta dictorum relinquentium, ſeu largientium intentionem, & deuotionem, particulariter, & in ſpecie celebraretis, dictorum quorumcumque teſtamenta,ſeu ordinationes in hoc commutando,auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus.

Concedi quòd poſſint fratres obligari per quinquaginta annos ad ſuffragia particularia, & in perpetuum ſub generalitate.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,cęteriſq; contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum,ſub annulo Piſcatoris, die 23. Decembris, 1505. Pontificatus noſtri anno 3.

CONSTITVTIO IV.

Declarat irrita pacta facta abſque conſenſu Generalis, vel Capituli generalis, & quæ ſint perſonæ fruentes priuilegijs fratrum. Denique quæ ſit Conſeruatorum poteſtas.

IVLIVS PAPA II.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Granatenſi, & Epiſcopo Malaginenſi, ac dilecto filio Vicario in Epiſcop. Malaginen. in ſpiritualibus gener. & eorum cuilibet, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. ALiàs venerabilem fratrem Epiſcopum Pariſien. Conſeruatorem Ordinis Minimorum deputauimus, eique mandauimus, quatenus, quoties opus foret,dicto Ordini,& illius perſonis,& fratribus aſſiſteret, & non permitteret, quòd Decanus, & Capitulum Eccleſiæ S. Vlfrani, & eorum officiales, ac Rector parochialis Eccleſiæ S. Aegidij de Abbatiſuilla Ambianen.Diœceſis, & alij quicumque eiuſcumque dignitatis forent, tam in dicta Diœceſi,quàm alibi,in aliquo damnificare,moleſtare, perturbare,aut inquietare vllatenus auderent, quinimmo corpora defunctorum quorumcumque qui in Eccleſia domus de Abbatiſuilla in eorum vita ſepeliri elegerant, ſeu qui in poſterum eligerent, cum reſiſtis fratribus ipſius domus de Abbatiſuilla,fratribus integraliter reſtituerent; nec ipſi,nec alij prædictos, & quoſcumque alios fratres dicti Ordinis de cœtero. ſuper ſepulturis, & corporibus illorum, qui in dictæ domus de Abbatiſuilla, & alijs eiuſdem Ordinis Eccleſijs ſepeliri eligerent pro tempore,impedire præſumerent,ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhiberet, ac S.Vlfrani, & S. Aegidij Eccleſias, nec non alias, ad quas corpora defunctorum, qui in dicta de Abbatiſuilla,

Inſtituerat hic Pontifex per alias literas, de quibus ſupra in 1. eius conſtit. §. 27. in Conſeruatorem Epiſcopum Pariſienſẽ.

Vide conſt. 3. Sixti IV. & conſtit. 2 eius Pontif. § 21. nu. 55.

ulla,

uilla, & alijs cœterarum domorum Ordinis huiuſmodi Eccleſijs ſepeliri deberent, deferentur, interdiceret, ac deſuper ſtatueret, & ordinaret, prout de iure foret faciendum.

Inſtituerat per alias literas Epiſcopũ Pariſienſem, & Archiepiſcop. Thuron. Commiſſarios pro exequendis literis, &c.

§. 2. Et deinde pro parte dilecti filij Franciſci de Paula, dicti Ordinis Inſtitutoris nobis expoſito, quòd fratres Ordinis Minimorum potẽtiam Decani, & Capituli, ac Rectoris prædictorũ plurimum formidabant. Nos per alias noſtras in forma Breuis literas præfato Pariſienſi Epiſcopo, ac venerab. F. Archiepiſcopo Thuronen. ac dilecto filio Abbati Monaſterij S. Saturnini Tholoſanæ Diœceſis commiſimus, ac dedimus in mandatis, quatenus in præmiſſis eiſdem fratribus aſſiſterent, & ad executionem prædictorum, & aliarum quarumcumque literarum, dicto Ordini per Sedem Apoſtolicam, aut aliàs quomodolibet conceſſarum, & in poſterum concedendarum, in quocumque loco, & Diœceſi opus foret, ac quoties pro parte Franciſci, & aliorum fratrum prædictorum, ac quorumcumque Superiorum, & Correctorum domorum, ac locorum dicti Ordinis requiſiti fuiſſent, procederent, ac Decanum, & Capitulum, necnon Rectorem præfatum, & alios quoſcumque priuilegiorum Ordinis Minimorum huiuſmodi tranſgreſſores, vbicumque pro tempore degentes, etiam extra prædictam, & quaſcumque Diœceſes, & Prouincias, quoties opus foret, coram eis euocari facerent, & per cenſuras eccleſiaſticas, & alia iuris remedia compellerent, & compeſcerent, inuocato etiam ad id, ſi opus foret, auxilio brachij ſecularis, & ſententias, ac cenſuras ipſas aggrauarent, & reaggrauarent, & alia neceſſaria, & opportuna facere curarent, aliàs iuxta dictarum literarum continentiam, & tenorem in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi hæ prædictæ a principio eorum cuilibet directæ fuiſſent, ipſique in illis Conſeruatores ſpecialiter deputati fuiſſent, prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.

Pacta, quæ non ſunt confirmata à Generali, vel Capitulo generali, non valent.

§. 3. Cum autem, ſicut præfatus Franciſcus de Paula nobis exponi fecit, tunc Prouincialis, & fratres dictæ domus de Abbatiſuilla, ſeu aliqui ex eis cum Decano, & Capitulo præfatis ſuper tumulandis corporibus defunctorum huiuſmodi ad certam concordiam, ſeu tranſactionem deuenerint, per quam inter alia voluerunt, quòd proceſſus præmiſſorum occaſione eatenus facti, & qui in poſterum fierent, nullius eſſent roboris, & momenti; Quòdq; ex tunc de cœtero corpora eorum, qui apud Eccleſiam dictæ domus de Abbatiſuilla eligerent ſepulturam, ad dictam Eccleſiam S. Vltrani cum luminaribus deferri, & inibi duabus miſſis celebratis, & luminaribus, cum alijs funeralibus, iuribus, & obuentionibus eiſdem Decano, & Capitulo relictis, ad Eccleſiã domus de Abbatiſuilla huiuſmodi portari deberent, prout in quodam inſtrumento publico de ſuper confecto dicitur pleniùs contineri. Et quia concordia, & tranſactio per Prouincialem, & fratres præfatos factæ huiuſmodi, contra tenorem priuilegiorum eidem Ordini conceſſorum, & abſque licentia, & conſenſu prȩfati Franciſci dicti Ordinis generalis Correctoris, per Sedem prædictam deputati, ſine cuius licentia illæ fieri non poterant, & in maximum dicti Ordinis præiudicium factæ fuerunt. Idem Franciſcus generalis Corrector nobis humiliter ſupplicari fecit, concordiam, & tranſactionem ſupradictas, ac ſententiam cuiuſcumque iudicis ſecularis ſuper præmiſſis pro Decano & Capitulo, & contra fratres dictæ domus de Abbatiſuilla latam, nullas, nulliuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe declarare, aliàſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & veſtrum cuilibet præſentium tenore mandamus, quatenus concordiam, & trãſactionem, ac prædictas, & quaſcumque alias, per quoſcumque iudices ſeculares ſuper funeralibus, & quartis, & alijs contra prædictam de Abbatiſuilla, & alias dicti Ordinis domos, & illarum fratres hactenus latas, & in poſterum ferẽdas ſententias, nullas fuiſſe, & eſſe auctoritatẽ noſtra declaratis, & prout de facto proceſſerũt, caſſetis, & annulletis, ac, eiſdem Franciſco, & fratribus aſſiſtendo, priuilegia dicto Ordini conceſſa obſeruare faciatis. Quòdq; quaſcumque conuentiones, per quoſcumque dicti Ordinis Prouinciales, & Vicarios generales, ſpeciales, ac quoſcumque alios fratres, ſeu eorum Procuratores, vbicumque, & quomodocumque, & ſub quibuſcumque clauſulis, & formis factas, concordatas, tranſactas, & expeditas, quæ per præfatum Franciſcum, vel ſucceſſores ſuos dicti Ordinis generales Correctores, ſeu Capitulum generale dicti Ordinis acceptatæ, confirmatæ, & ratificatæ non fuerint, nullius eſſe roboris, & momenti declaretis, ſi, & prout de iure fuerit faciendum.

Quomodo fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia; quòd fruãtur priuilegijs Mendicantium concedendis, &c.

§. 4. Et pro manutenenda, & conſeruanda Regula dicti Ordinis, in qua expreſsè inhibetur, ne fratres ipſi vltra quinquaginta annos particularia quæcumque ſuffragia in dicto Ordine acceptent, & ſuſcipiant; vt particularia quorumcumque dicti Ordinis Fundatorum, & Fundatricum, ad quæ ipſi obligantur, ſuffragia huiuſmodi ſub omnium dicti Ordinis ſuffragiorum, & bonorũ generalitate ſuſcipere, & acceptare, ſinguliſque priuilegijs, gratijs, & indultis omnibus, quatuor mendicantibus Ordinibus, & eorum cuilibet per Sedem prædictam conceſſis, ſeu aliàs quomodolibet concedendis, & etiam Ordini prædicto iam conceſſo, & confirmato priuilegio confeſſiones audiendi, iuxta illius formam, & tenorem, vbiuis frui, vti, & gaudere valeant.

Perſonæ, quæ priuilegijs Ordinis gaudent. Vnde bene Cap. Ro. 7. ſeſs. 9. ſtatuit, quòd ſolũ filiæ Fũdatricum, nõ filiæ filiarũ Monaſteria noſtra ingrediãtur.

§. 5. Quodque dicti Ordinis domorum Fundatores, Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices, Tutores, & Tutrices, eorumque vtriuſque ſexus liberi, necnon dicti Ordinis Conſeruatores præſentes, & futuri, omnium, & ſingulorum ipſorum ieiuniorum, orationum, & ſacrificiorũ, ac quorumcumque aliorum bonorum, in toto huiuſmodi Ordine Minimorum de cœtero faciendorum, & recitandorum participes forent, & illis communicata ſint, & eſſe debeant.

§. 6. Quòd-

Conſeruatores eligēdi poteſtas, ipſorumq; auctoritas.

§. 6. Quòdq; fratres dicti Ordinis Conſeruatores Minimorum etiam Canonicos cathedralium Eccleſiarum, & officiales, ac Vicarios ipſorum ſibi eligere, & quòd tales in Conſeruatores taliter per eos electi, ex nunc per nos deputati cenſeantur, poſſintq; contradictores quoſcumq; excommunicare, & cenſuras, iteratis vicibus, aggrauare, ac loca quæcumque eccleſiaſtico ſubijcere interdicto, ac omnia alia, quæ poſſunt Cōſeruatores, ab alijs fratribus aliorum Ordinum mendicantium, iuxta priuilegia eis ſuper hoc conceſſa, electi.

Vni domui conceſſa cenſetur cōceſſa omnibus. Vide ſupra in conſtit. eiuſdem 1. §. 18. & infra in Leonis 25. §. 1. & Clem. VIII. 3. § 2. & Pauli III. 1. § 16.

§. 7. Quòdq; ſingula priuilegia, indulgentiæ, gratiæ, & indulta, alicui ex domibus Ordinis Minimorum huiuſmodi hactenus per nos, vel Sedem prædictam, aut aliàs quomodolibet conceſſa, ad omnes, & ſingulas alias domos dicti Ordinis Minimorum hactenus conſtructas, & conſtruendas intelligantur conceſſa, ac ſi in ſpecie ciuilibet eorumdem conceſſa fuiſſent, & illa ad quamlibet domorum extenſa, & de nouo conceſſa ſint, & eſſe cenſeantur, dicta auctoritate ſtatuatis, & ordinetis.

Derogat, contrarijs.

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & duabus dictis in Concilio generali editis, & alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſq; contrarijs; etiamſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem Sede indultum fuerit, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Martij. 1507. Pontificatus noſtri anno 4.

§. I.

1 NOto 1. quòd corpora defunctorum ſuper terram ſepeliri non poſſunt, quòd ſi aliqua ſepulta ſint, debent amoueri, per conſt. Pij V. quæ incipit, Cum primùm Apoſtolatus. apud Cherub. to. 2. bull. in Pio V. conſt. eius 5. in cuius §. 6. ſic habetur. *Et vt in Eccleſijs nihil indecens relinquantur, ijdem,* (Epiſcopi, Eccleſiarū Rectores &c. *prouideāt, vt capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoueantur, prout aliàs ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.* In cuius etiam decreti conformitate ordinauit ſacra Congregatio, quòd ſepulturæ defunctorum non collocentur ſubtus altaria, vel eorum bradellas, quòd ſi quæ ſint, oppleantur. Refert Naldus verbo Sepultura, fine. Vide Scort. in ſelec. bull. Theor. 219.

2 Aduerto etiam obiter, quòd in ſupra cit. bulla Pij V. §. 5. mandat Pontifex in virtute ſanctæ obedientiæ Regularibus, vt in Eccleſijs ſuis deputent aliquem, qui pauperes mendicantes, ſeu eleemoſynam petentes per Eccleſias tempore miſſarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorum ejciat, & ad portas Eccleſiarum ſtare faciat; quòd ſi negligentes fuerint, grauiſſimè ab Ordinario corripiantur. Vide Scort. loco cit. Theor. 218.

§. II.

3 NOto 1. quòd illa clauſula *Quoties opus fuerit*, importat infinitatem, ita vt non ſolùm pro vna, aut centum vicibus poſſint Conſeruatores procedere contra moleſtantes fratres, ſed quoties opus fuerit, & vſque in infinitum, ſi opus fuerit. Tuſch. ver. Clauſula, concl. 353. num. 2. Idem etiam importat clauſula Quandocumque, vel Quotieſcumque. Tuſch. ibi, num. 7.

4 Noto 2. quòd illa clauſula *In omnibus. & per omnia* importat vim ſpecialis ſpecificationis. Tuſch. loc. cit. concl. 354. num. 1.

§. III.

5 NOto 1. quòd fratres fecerunt quoddam pactū, ſeu tranſactionem cum Decano, & Capitulo Eccleſiæ S. Vlſtani cum conſenſu Prouincialis, quæ cum fuerit facta contra tenorem priuilegiorum, & abſque licentia Generalis, ſeu Capituli generalis, irritam, & nullam declarat. Declarat etiam conuentiones, tranſactiones, & pacta quæcunque, quæ à Generali, ſeu Capitulo generali ratificata non fuerint, nullius eſſe roboris, & momenti.

6 Noto 2. quòd tranſactio facta cum conſenſu Generalis, ſeu Capituli generalis, etiamſi ſit contra tenorem priuilegiorum, in aliquo caſu particulari in vtilitatem Religionis valet. Colligitur ex ſupradicti priuilegij tenore à contrario ſenſu.

7 Noto 3. quòd tranſactio eſt de re dubia, & lite incerta, non gratuita pactio, ſed aliquo dato; vel retento, vel de dando, aut retinendo promiſſio. Ita Specul. de tranſact. num. 1. Sylu. ver. Tranſactio, in princ. Colligitur ex cap. Super eo, de tranſact. Seu tranſactio eſt receſſus à lite, & actione mota, vel mouenda. Deciſ. Rotæ Farin. tom. 2. p. 1. deciſ. 447. num. 1. Et ſufficit ad validitatem tranſactionis, quòd immineat periculum litis, licèt non ſit de præſenti. Farin. ibi. num. 2. Pactum eſt duorum, vel plurium in idem dandum, vel faciendum, ſeu non faciendum conſenſus. Specul. ibid. nu. 2. Amicabilis compoſitio eſt gratis, & liberaliter facta conuentio inter amicos. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 26. quæſtio 5.

8 Noto 4. quòd Alex. IV. irritauit, ac nullius exiſtere firmitatis decreuit omnes conuentiones, obligationes, compoſitiones, & pacta, quæ fratres Minores, etiamſi ſint Guardiani, vel Cuſtodes, fecerint contra prædicti Ordinis ſtatuta, vel conſuetudines, abſq; Generalis, vel Miniſtrorum prouincialium licentia, & aſſenſu, vt refert Caſarub. in comp. verb. Conuentiones, num. 1. Sed quò ad noſtros Prouinciales videtur derogatum hoc priuilegium, in quo Prouinciales expreſsè excluduntur cum derogatione contrariorum. Honorius IV. decreuit irrita, & inania pacta quæcumq; quæ fratres Minores, etiamſi ſint Prouinciales, in receptionibus locorum, & domorum eiuſdem Ordinis, cum Prælatis, Rectoribus, & Clericis Eccleſiarum, in quarum territorio domus, & loca prædicta conſiſtunt, abſque licentia generalis Miniſtri, vel Capituli etiam generalis inire præſumpſerint in præiudiciū dicti Ordinis, Caſarub. ibid. n. 2. Rodriq. t. 1. q. reg. q. 27. art. Sed omnia iſta priuilegia videntur abrogata per c. fin. de pact. in 6. in quo Bonif. VIII. *ſtatuit, pacta, & conuentiones factas cum præfatis Capitulis, & Rectoribus valere, ſi fuerint facta de conſenſu Capituli localis, non obſtante, quòd ſuperiorum Prælatorum non interuenerint in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum generalibus, vel prouincialibus Capitulis extiterint approbata;* Et Leo X. in Concil. Lateranenſ. infra in Leone, conſtit. eius 26. §. 9. ſic habet. *Pacta autem, & conuentiones inter eoſdem fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant,*

leant, niſi per ſubſecutum proximum Capitulum generale, vel prouinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerint, Per quæ videntur ſatis derogata priuilegia adducta Iulij, Alexan. Honor.

9 Nihilominus tamen dicendum eſt, quòd prædicta priuilegia ſunt in ſuo robore, & quòd dictum cap. fin. de pact. in 6. eſt derogatum à Iulio II. in fine huius cōſtit. eo enim ipſo quòd Pontifex derogat expreſsè conſtitutioni vni in corpore iuris communis inſertæ cum clauſula generali ſubſequenti, & omnibus quibuſcūq; alijs, &c. cenſetur derogare omnibus, & ſingulis contrarijs, etiam in corpore iuris inſertis; durum enim nimis eſſet, ſi cogeretur Papa omnia contraria ſingillatim nominare: Et etiam limitatur à dicta conſt. Leonis, cui tamquam vltimæ ſtandum eſſet. Sed dicit Caſarub. in comp. ver. Concilium, num. 7. quòd poſtea idē Leo reualidauit omnia priuilegia Regularium, & in priſtinum ſtatum reſtituit viuæ vocis oraculo, ſed in foro conſcientiæ tantum: Et eodem num. ver. Notandum eſt etiam, ait idem Caſarub. quòd etiam idem Leo reualidauit, & in priſtinum ſtatum reſtituit omnia Mēdicantium priuilegia pro foro etiam exteriori, & hoc per quandam conſtitutionem conceſſam Prædicatoribus poſt præfatum Concilium, quam refert idem Caſarub. ver. Communicatio priuilegiorum, nu. 20. cum derogatione omnium contrariorum, hoc pacto, videlicet; *Non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis ſuſpenſionibus, reuocationibus, & reſtrictionibus, ſiue conſtitutionibus, ordinationibus, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Cōcilijs editis, ſpecialibus, vel generalibus*. Vnde cum iſta bulla fuerit facta poſt dictam modificationem priuilegiorum Mendicantium in Concil. Lateranenſi, & per illam derogetur etiam conſtitutionibus editis in Concilijs generalibus, non eſt dubium, quin deroget dictæ modificationi. Et ait idem Caſarub. loc. cit. quòd conſulti ſuper hoc viri docti, ita reſponderunt. Eadem inſinuat Caſarub. verb. Priuilegia fratrum num. 28. & 29. & expreſsè id probat multis adductis Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 8. art. 10.

10 Adde, quòd priuilegia fratrum Minorum fuerunt innouata, & confirmata ex certa ſcientia à Sixto V. anno 1587. die 3. Octobris, Pontif. ſui anno 3. cum fortiſſimis non obſtantijs, vt patet ex eius bulla, quæ incipit, Etſi Mendicantium, quā refert Rodriq. in ſuo bull. in Sixto V. bulla eius 14. Vnde cum nos fruamur priuilegijs omnium Mendicantium, non ſolùm conceſſis, ſed etiam concedendis, vt patet ex conſt. 1. Iulij II. §. 14. Et ex hac etiam conſtit. §. ſeq. Et hoc ſit quoddam priuilegium, quòd confirmentur, & innouentur priuilegia alicuius Religionis, non eſt dubium, quin hoc etiam frui poſſimus. Pro maiori intelligentia tamen

11 Aduerte hic vltra notata ſupra in conſtit. 2. Sixti IV. §. 6. nu. 4. quòd confirmatio priuilegiorum facta ex certa ſcientia habet vim reſtituendi priuilegia reuocata, non ſolùm priuata auctoritate, ideſt à ſolo Papa, ſed etiam reuocata iure communi. Ita Suar. li. 8. de leg. c. 19. num. 4. & 5. Ius autem commune ſubdiſtinguitur in ius commune ordinarium, & in ius Concilij generalis. Ad reſtituendum priuilegium iure communi priori modo reuocatum, ſufficit, quòd innouatio, & confirmatio ſint ex certa ſcientia. Ad reſtituendum priuilegium 2. modo, ideſt in Concilio generali reuocatum, requiritur vlterius, vt fiat de eo ſpecialis mentio per clauſulam Non obſtante reuocatione talis Concilij, vel ſaltem generalis Concilij in communi. Ita Suar. loc. cit. num. 5. & 6. Rodriq. tom. 1. q. regul. quæſtio. 8. art. 10. qui multos ad id citat. In clauſulis autem Non obſtantibus bullæ Sixti V. confirmatiuæ priuilegiorum Minorum licèt non ſit iſta clauſula non obſtantibus conſtitutionibus editis in Concilijs generalibus explicitè, eſt tamen implicitè, quatenus confirmat dicta priuilegia, dummodo decretis ſacri Conc. Trid. non ſint contraria. Quæ exceptio firmat regulam in contrarium, quaſi velit Pontifex confirmare, & innouare omnia priuilegia Regularium, quę non ſunt contra Conc. Trid. etiamſi ſint contra alia Concilia, V. G. Lateranenſe, nam alioqui illa clauſula *Modo Concil. Trid. non ſint contraria*, eſſet ſuperflua, nam per generalem clauſulā, Non obſtantibus quibuſcunq; ordinationibus Apoſtolicis, non derogatur decretis Concilij generalis, vt dixi. Ita explicat Rodriq. loc. cit.

12 Aduerte etiam, quòd, confirmatis ex certa ſcientia priuilegijs alicuius Religionis, cui primò fuerunt conceſſa, eo ipſo cenſentur confirmata pro omnibus Religionibus, quibus ante confirmationem, & poſt conceſſionem fuerunt communicata, ſi communicatio fuit non ſolùm de conceſſis, ſed etiam de concedendis. Ita Rodr. loc. cit. ar. 2. Suar. lib. 8. de leg. c. 19. num. 10. qui id etiam putat valere etiamſi confirmatio ſit in forma communi, quia etiam confirmatio in forma communi, gratia, & priuilegium eſt.

13 Sed clariùs & expreſſiùs dicto Concil. Later. derogatum eſt per Paulum III. in conſt. eius 1. §. 5. infrà, & per Gregor. XIII. in eius conſtit. 1. §. 4. infrà, his verbis. *Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam generalis Concil. Later. vltimò celebrati*. Vnde nulla remanet dubitatio, quin tàm hoc noſtrum priuilegium, quàm alia Alex. & Honorij ſint in ſuo robore, non obſtante cap. fin. de pact. in 6. & non obſtante modificatione priuilegiorum Regulariū facta in Concilio Later. & hoc tum in foro interno, quàm externo. Ita Paſſarel. in not. priuil. not. 12. Probat id etiam, ſed alijs rationibus, Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 3. dub. 5. concl. 3.

14 Et nota etiam, quòd quandoq; conceditur priuilegium pro foro interno, & quandoq; pro foro externo. Priuilegium pro foro interno excludit omnino forum externum. Priuilegium verò pro foro externo valet etiam pro interno. Ita Suar. lib. 8. de leg. cap. 6. nu. 11. Quando verò priuilegium tantùm conceditur in foro pœnitentiæ, per illa verba ſignificatur illud priuilegiū non extendi ad forum contentioſum, ſed tantummodò limitari ad forum conſcientiæ. Significatur etiam, tale priuilegium dari ad tollendum aliquod malum, aut vinculum apud Deum. An verò illud vinculum ſit tollendum in ipſo ſacramento pœnitentiæ, nec ne, vide Suarez loco cit. nu. 15. & 16.

15 Noto 5. quòd amicabilis compoſitio hic non prohibetur, niſi rationem induat tranſactionis, vt ſæpe fit, & patet ex cap. Veniens, de tranſact. quia de ordinario amicabilis compoſitio fit ſine præiudicio Religionis V. G. habent aliquam differentiam fratres cum Curato, vel alio ſeculari ſuper vno puncto, volunt amicabiliter componi ad vitandas lites, & expenſas, committunt alicui rem diſcutiendam, & definiendam, qui extra iudicium publicum, diuidendo rem, aut emolumentum, quod ex ea ſperatur; inter eos, qui circa eam cōtrouerrunt, aut id aliunde compenſando pro quantitate, & qualitate iuris dubij, rem amicabiliter componit. Et ſi vis ſcire, quæ ſit differentia inter arbitros, & arbitratores, ac amicabiliter compoſitores, vide Molin. tract. 5. de iuſt. diſp. 30. Et pro exacta definitione tranſactionis ſuperiùs adducta, vide eumdem Mol. tract. 2. diſp. 556. & 557.

16 Noto 6. circa illam clauſulam, *Si, & prout de iure*. quòd iſta clauſula ſignificat in reſciſſione pactorum debere Conſeruatores iuris ordinem ſeruare, citando partes, &c. Tuſch. ver. Clauſula. concl. 368.

§. IV.

17 Concedit tria. 1. ad conſeruandam Regulam, vt ad ſuffragia particularia Fundatorum, & Fundatricum, ad quæ ſe fratres obligauerant poſt annos quinquaginta, non teneantur in poſterum, niſi ſub generalitate omnium ſuffragiorum, & bonorum Ordinis. 2. quòd fruamur omnibus priuilegijs cōceden-

cedendis omnibus, & ſingulis Ordinibus mendicantibus. 3. quòd priuilegio nobis conceſſo (ſupra in conſtit. 1. eiuſdem Papæ §. 32. Vide quæ ibi dico nume. 61.) confeſſiones audiendi, iuxta illius tenorem vbiuis frui, & gaudere poſſimus.

18 Tenor hic diſcutere difficillimam illam quæſtionem, an nos Minimi poſſimus obligari ad ſuffragia perpetua in particulari, pro qua

19 Sciendum eſt 1. quòd in Regula, n. 15. ita habetur *Ad nullas verò miſſas, nec ad quæcunq; ſuffragia ſe obligent ipſi fratres: niſi tantum in genere, ſeu ſub generalitate omnium miſſarum, & ſuffragiorum Ordinis, aut ſolum pro quinquaginta annis vel citra.*

20 Sciendum 2. quòd, ſecluſa dicta prohibitione, ſtãdo in iure communi, Prælatus cum Conuentu poteſt ſe obligare ad ſuffragia perpetua. Lazar. in comp. oper. Nauar. vel Monaſt. n. 6. Mol. tract. 2. de iuſt. diſp. 140. verſu Item ex contractu, to. 1. Rodriq. to. 2. q. reg. q. 49. art 7. Mirand. to. 1. man. q. 24. art. 2. concl. 1. Abbas in cap. Dilecti filij, de foro compet. numer. 2. Colligitur etiam ex cap. Quod quibuſdam, de fide iuſſor. Et ex dicto cap. Dilecti filij.

21 Sciendum 3. quòd conſuetudo legitimè præſcripta excuſat ab obſeruantia præceptorum Regulæ, etiamſi ea ad mortale obligarent. Nau. in man. ca. 12. n. 50. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 69. art. 2. Vnde cum multis ab hinc annis obſeruatum ſit in Religione, vt ad ſuffragia perpetua ſe obligent fratres, poteſt dici, quòd illud præceptum Regulæ conſuetudine legitimè præſcripta, contra quam per nullum Generalem ab his annis reclamatum eſt, immo omnes, quandò fuerunt requiſiti, dictos contractus perpetuos confirmauerunt, quinimmò & Capitula ipſa generalia à Capitulo Paulæ in poſterum ſimiles perpetuos contractus confirmauere; vt patet. Et quòd hæc conſuetudo potuerit legitimè introduci, patet, quia, quæ per priuilegium fieri poſſunt, valent quoque conſuetudine legitima præſcribi, vt bene Felin. cap. Quæ in Eccleſiarum, de conſt. n. 27. Sanch. lib. 7. in deca. cap. 8. n. 63.

22 Sciendum 4. quòd idem Iulius II. vt ſupra, conſt. eius 3. quæ incipit, Exponi nobis, conceſſit, quòd nos poſſemus obligare ad ſuffragia perpetua, per quinquaginta annos quidem ad particularia, vltra autem ſub generalitate omnium miſſarum, & ſuffragiorum, prout in Regula.

23 Sciendum 5. quod Leo X. vt infrà in conſt. eius 15. quæ incipit, Cum ſicut, conceſſit, vt obligationes miſſarum, & ſuffragiorum perpetuorum à fratribus receptæ tempore datæ dictæ conſtitutionis, non durent, niſi ad annos quinquaginta, & vltrà in perpetuum ſolùm ſub generalitate, & quòd iſta generalitate ſuppleatur, ac ſi dietim dictæ miſſæ, ſeu ſuffragia dicta eſſent.

24 Sciendum 6. quod Clemens VII. viuæ vocis oraculo conceſſit, vt poſſemus ad miſſas, & ſuffragia perpetua obligari. Et de hoc viuæ vocis oraculo fidem facit Antonius Cardinalis SS. quatuor, quod habes infra in Clement. VII. conſt eius 11.

25 Sciendum 7. quòd ſupradictis conſtitutionibus, & viuæ vocis oraculo ad inſtantiam Capituli generalis Paulitani, fuit per Paulum III. derogatum, vt conſtat ex eius conſt. 4. infra §. 4.

26 Sciendum 8. quòd poſt celebrationem dicti Capituli Paulitani, ſed ante illius confirmationem, Patres Conuentus SS. Trin. de Vrbe impetrarunt à Paulo III. per viuæ vocis oraculũ, de quo teſtatur Antonius Cardinalis SS. quatuor, quòd poſſent obligari ad ſuffragia perpetua, vt habes infrà in Paulo III. conſt. eius 7. cui videtur quòd ſit derogatũ per dictam conſt. Pauli III. Nam hoc viuę vocis oraculum datum eſt die 13. Octobris anno 1535. Breue autem eiuſdem Pauli, quo dictũ Capitulum Paulæ confirmat, datum eſt die 27. Martij, 1536. cum clauſula Non obſtantibus quibuſcumq; Nihilominus tamen dicẽdum eſt, quòd dictum viuæ vocis oraculum per dictam conſtit. Pauli non eſt derogatum. Nam derogatis priuilegijs, non derogantur viuæ vocis oracula, vt dico infrà in conſt. 17. huius Pontif. §. 1. numero 3. Et quòd viuæ vocis oracula, eamdem vim habeant, ac aliæ conſtitutiones, habetur in cap. Inſtitutionis, 25. quæſt. 2. & dico infrà in conſtit. 17. huius Pontiſ. num. 1.

27 Sed ad omnem ſcrupulum tollendum Vrbanus VIII. feliciter regnans conceſſit, quòd cum approbatione Capituli generalis fratres ſe poſſint ad ſuffragia perpetua obligare, vt conſtat ex eius conſt. 2. infra.

28 Neque obſtat, quòd illa conceſſio ſit in caſu particulari: nam ſententia Principis ius facit. cap. Inſtitutionis cit. vbi Gloſſa. Et Gloſſa in princ. diſt. 19. & habetur expreſsè in cap. In cauſis, de ſent. & re iud. vbi Gloſſa verbo In ſimilibus, ait, quòd ſententia Principis trahenda eſt ad conſequentiam, præſertim quando procedit cauſa cognita, & partibus præſentibus, vt in caſu dictæ bullæ Vrbani. Ità Felin. in c. In cauſis, n. 3. vbi Innoc. Abbas ibid. n. 4. Duar. cap. 2. de conſt.

29 Neque etiam obſtat, ſi dicas, Pontificem in illo caſu diſpenſatiuè proceſſiſſe. vt conſtat ex illa clauſula, *Tibi Bartholomæum ſpecialis gratiæ, &c.* & ſic hunc caſum non eſſe trahendum ad conſequentiam. Nam reſponderi poteſt hunc caſum non eſſe merè diſpenſatiuum. Primò, quia Papa videtur ſuam ſententiam fundare in iuſtitia cauſæ, quam pars aduerſa, licèt non effugere, protrahere tamen intendebat more reorum, vt dicitur in principio §. 2. Vndè ad tollenda omnia ſubterfugia, quæ rei, & iuſtitia carentes inueſtigare ſolent de ordinario ſententiam protulit, vt dicitur §. 3. Secundò, quia fundatur ſpecialiter iſta ſententia in acceptatione dictæ obligationis perpetuæ factæ à Capitulo generali, quod quidem Capitulum potuiſſe dictam obligationem acceptare, videtur ſupponere Papa. Et conſtat, tum per conſuetudinem legitimè præſcriptam, tum per viuæ vocis oraculum conceſſum à Paulo III. poſt Capitulum Paulæ. Clauſula autem illa *ſpecialis gratiæ, &c.* ſolita apponi in diſpenſationibus, vt Rebuff. in praxi benef. tit. Diſpenſationis defectu ætatis, pag. mihi 272. hic ideo ponitur, quia cum iura derogantia Regulam, non eſſent vndequaque clara, oportuit, Pontificem gratioſè concedere, quod iure aliquatenus obſcuro prætendebatur.

§. VI.

30 EX iſto §. & §. 2. eiuſdem conſt. pro Conſeruatoribus collige, quòd Conſeruatores à fratribus requiſiti, tenentur ſub mortali illis aſſiſtere, & non permittere, eos moleſtari, & priuilegia eorum defendere. Conſtat ex illis verbis poſitis ſuprà §. 2. *Commiſimus, ac dedimus in mandatis.* Quod præceptum, cum ſit in materia graui, ad mortale obligat. Propterea enim eliguntur in Conſeruatores perſonæ graues, & auctoritatis, vt auctoritatę perſonæ facilior reddatur executioni mandari. Sed de Conſeruatoribus infra in conſt. 5. Gregorij XV.

CONSTITVTIO V.

Concedit multa priuilegia P. Binet, qui fuit primus poſt S. Franciſcum in Religione Generalis. & in ſpecie quòd nouem collectæ valeant pro nouem miſſis.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio F. Franciſcus Binet, Ordinis Minimorum Correctori generali, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmiũ.

SAcer Ordo per quondam Franciſcum de Paula exemplaris vitæ Religioſum inſtitutus, & per nos approbatus, & per quem Eccleſiam Dei multiplicibus ſplẽdoribus illuſtrari ſperamus, à nobis, & Sede Apoſtolica promeretur, vt illius quieti, & corroborationi vigili cura intendamus.

P. Binet in Generalem electus bis recuſat.

§. 1. Cum itaque ſuperiori anno prædictus Frãciſcus, qui dicti Ordinis Corrector per Sedem prædictam deputatus fuerat, ad meliorem vitam à Domino conuocatus, in Gallia fuiſſet vita functus. Nos cupientes dicto Ordini opportunè prouidere, generale Capitulum fratrum dicti Ordinis in alma Vrbe noſtra in domo SS. Trinitatis dicti Ordinis celebrari, inibiq; Correctorem generalem eligi iuſſimus, atque mandauimus: ac pro eiuſdem Ordinis directione, illi dilectum filium noſtrum Marcum tituli S. Mariæ trans Tiberim presbyterum Cardinalem Senogallen. noſtro, & dictæ Sedis nomine præſidere voluimus. Cum autem in Capitulo huiuſmodi, Spiritus ſancti gratia cooperante, via ſcrutinij in generalem Correctorem electus, ac ibidem publica electione, in qua conſenſerunt capitulantes fratres diuerſarum Regionum, in huiuſmodi electione voces habentes, ipſorumque nominibus alta, & intelligibili voce perlectis, & alijs ad huiuſmodi electionem neceſſarijs inibi iuridicè peractis, à prædicto Marco Cardinali auctoritate noſtra, licèt plurimùm renitens, confirmatus, & ad officium huiuſmodi ſuſcipiendum in virtute Spiritus ſancti, & ad ſanctæ obedientiæ meritum aſtrictus, & coram nobis, ac prædicto Marco, ac dilecto etiam filio noſtro Roberto titul. S. Anaſtaſiæ, officium Generalatus huiuſmodi ſponte, & liberè reſignaſti, quam renunciationem tuam admittere recuſauimus, tibique, vt officium huiuſmodi, & triennium, pro quo electus fueras, diligenter exerceres, mandauimus in Generalem confirmatus fuiſti.

Supplicat P. Binet Papæ, ſibi aliquid tradi de ſua auctoritate pro viſitatione perficienda.

§. 2. Et, ſicut nobis nuper exponi feciſti, dubitas propter eiuſdem Ordinis Regulam, nouiſſimè per nos approbatam, & confirmatam, & alia, in huiuſmodi tui Generalatus officio nouo, ac vniuerſali viſitatione, quam per vniuerſum Ordinem huiuſmodi perficere, cum Dei gratia ſperas, tam à tuis, quàm alijs plurimis aliorum Ordinum Religioſis, plura, variaque impedimenta tibi afferri, propter quæ negotijs dicti Ordinis tui opportunè prouidere poſſe non confidis, niſi auctoritas noſtra tibi ſuffragetur.

Tribuit illi Papa plenariam auctoritatem ſuper omnes fratres.

§. 3. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quòd ſuper omnes, & ſingulos Ordinis Minimorum huiuſmodi pro tempore vbilibet exiſtentes fratres, cuiuſcumque etiam ſtatus, conditionis, & gradus exiſtant, auctoritate noſtra plenariam, & omnimodam poteſtatem, facultatem, & iuriſdictionem, quibuſcumque generalibus Correctoribus tui Ordinis per priuilegia Apoſtolica conceſſam, & nuper per nos in eorumdem Marci, & Roberti Cardinalium præſentia, tibi viuæ vocis oraculo de nouo attributam, & conceſſam, etiam in vtroque foro liberè exercere: Ipſique dicti Ordinis Minimorum fratres, tam Prælati, quam alij inferiores vbilibet exiſtentes, quacumque etiam Apoſtolica auctoritate muniti, tibi tamquam vero, legitimo, & immediato Prælato, & generali Correctori dicti Ordinis Minimorum, per nos, vt præfertur, confirmato, & ſubſtitutis, ſeù deputatis per tuas patentes literas, tuiſque mandatis, Regulæ prædicti Ordinis tui non contrarijs, humiliter, & cum effectu parere, ac obedire, ac prædictam Regulam per nos approbatam, & confirmatam cum omnibus circa illam per nos declaratis auctoritate noſtra à te reuerenter ſuſcipere teneamur.

Regula noſtra eſt ſtrictior omnibus, & ideo nullus ab ea poteſt tranſire, nec vllus poteſt bona Religionis alienare.

§. 4. Et cum vita Ordinis Minimorum huiuſmodi ſit cæteris aliorum Religioſorum arctior, & ſtrictior, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna mandamus, in quàm, tam recipientes, quàm recepti, & concedentes ipſo facto incurrere debeant, quòd fratres ipſi ad nullũ alium, quantumlibet etiam priuilegiatum Ordinem, prætextu quorumcumq; priuilegiorum, cuicumque alteri Ordini, etiam ſub quacumq; verborum forma quomodolibet conceſſorum, abſque noſtra, & tua, aut generalis Correctoris pro tempore exiſtentis licentia ſpeciali tranſire poſſint. Nec eiuſdem Ordinis Minimorum domos, vel bona quæcumque ad Eccleſias prædicti tui Ordinis quomodolibet pertinentia, alijs quibuſcumque perſonis ſecularibus, regularibus, Eccleſiaſticis, de Ordine Minimorum huiuſmodi non exiſtentibus, concedere audeant, vel præſumant. Et quòd fratres contrafacientes auctoritate noſtra prædicta, quoties opus fuerit, excommunicare, necnon, iteratis vicibus, aggrauare, nec non per alias cẽſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia compeſcere, & ad Ordinem Minimorum reducere, reuocare, & recuperare, ſeu reduci, & reuocari facere. Et cum eiſdem fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi eadem auctoritate diſpenſare, ipſoſque & ipſorum quemlibet punire, & corrigere, abſoluere, & abſolutionem huiuſmodi etiam alijs demandare.

Quòd nouem collectæ valeant pro nouem miſſis.

§. 5. Et ſi in huiuſmodi viſitatione tua, vel aliàs in aliquibus domibus, & locis dicti Ordinis Minimorum, tam pro Eccleſiarum fabricis, quàm alijs fratrum neceſſitatibus, miſſarum multitudinem copioſam inuenires, & cognoſceres, quòd illæ per fratres domorum, & locorum huiuſmodi in Eccleſijs illarum, iuxta obligationem per eoſdem fratres factam, aut relinquentium ordinationem celebrari non poſſint, prout in Pariſienſibus, & Ianuenſibus domibus per illarum fratres eſſe cognouiſti, vt cum fratribus domorum, & locorum huiuſmodi nunc, & pro tempore ibidem degentibus, & eorum quolibet diſpenſare poſſis; & quòd diſpenſatio ſuper his per te facienda, à nobis facta cenſeatur; Eiſdem fratribus, vt nouem collectas per eos, ſeu eorum quemlibet in vnaquaque miſſa recitare pro nouem miſſis, ac ſeptem collectas pro ſeptem miſſis, ſicque de alijs deſcendendo, ſeu citra dictum numerum, cum omnium, & ſingularum domorum, & locorum huiuſmodi fratrum, ac etiam totius Ordinis Minimorum huiuſmodi ſuffragiorum, orationum, ſacrificiorum, ieiuniorum, vigiliarum, diſciplinarum, & aliorum quorumcumque bonorum generalitate, ſingulis eiuſdem Ordinis benefactoribus qui miſſas ipſas in Eccleſijs domorum, & locorum huiuſmodi recitandas dederint, adeo plenè, & integrè valeant, & ſufficiant, ac ſi miſſæ huiuſmodi pro eis, & eorum quolibet, iuxta piam eorum deuotionem, & intentionem particulariter recitarentur, & particulariter recitatæ forent, licentiam concedimus.

§. 6. Nec

Digitized by Google

Indulgentias concedit.

§. 6. Nec non omnes, & ſingulas Ordini Minimorum huiuſmodi, & eius perſonis, per nos, & prædeceſſores noſtros, ſeu Sedem prædictam, & eius Legatos, tam S. Franciſco de Paula, quàm alijs quibuſcumque eiuſdem Ordinis Minimorum domibus, tam generaliter, quàm particulariter ſub quacumque verborum forma, etiam ſtationum Vrbis, & aliarum Eccleſiarum eiuſdem, indulgentias quaſcumque iuxta priuilegiorum eiuſdem Ordinis Minimorum formam, & tenorem, hactenus, quomodolibet conceſſas, in viridi obſeruantia exiſtentes, de nouo de ſpeciali gratia concedimus.

Derogat contrarijs.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſuis reuocationibus, per nos, vel aliàs etiam ſub quacumque verborum ſerie factis, & in poſterum faciendis, ac ſtatutis, & conſtitutionibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 8. Volumus inſuper, quòd tranſumptis ſupra præſentibus pro tempore factis, & ſigillo alicuius Prælati Eccleſiaſtici munitis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſignatis, tam in iudicio, quam extra illis tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur, ſi ipſa originales literæ forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Martij, 1508. Pontificatus noſtri anno 5.

§. I.

1 Recuſat P. Binet non tantùm ſemel, ſed bis officium Generalatus, ad oſtendendam religioſam humilitatem, fortè recordans illius dicti Chryſoſt. homil. 34. in ep. ad Heb. *Miror, ſi poteſt aliquis Rectorum ſaluari*. Sed iuſſus à Papa acceptat, ad oſtendendam obedientiam. Pertinaciter enim, cum agnoſcitur Dei voluntas, per Superiorem declarata, non ſunt officia recuſanda; vt D. Thom. quodlib. 5. art. 22. ſed quouſque liceat dignitates recipere, vel recuſare; vide tom. 1. noſtri Religioſi, q. 1. cap. 10. Et quomodo reſpondere debeat religioſe eligendus, ſi ante electionem interrogetur, an velit eligi, vide ibid. capit. 31. §. 6. concl. 6. verſu Sed quomodo.

§. III.

2 Noto 1. quòd poſſet hic quæri, quo iure competat Prælatis regularibus iuriſdictio in ſubditos, de qua agam, Deo dante, tomo 2. Religioſi. Videatur interim Rodriquez tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 17. art. 2. Bann. 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 5. Sotus lib. 10. de iuſtit. quæſt. 1. art. 4. Vide ſupra in conſtitut. Pyrrhi, à num. 11.

3 Noto 2. quòd plenaria, & omnimoda iuriſdictio comprehendit omnia neceſſaria, & vtilia, ita vt ei iuriſdictioni nihil poſſit addi, vel minui; nam plenarium id eſt, quod adiectione non indiget. Tuſch. ver. Dictio, concluſ. 329. & 330. & omnimodum eſt dictio vniuerſalis, quæ omnia comprehendit. Tuſch. ibi, concl. 320. nu. 1. Quare per iſtam clauſulam tribuit Papa Generali temporalem, & ſpiritualem auctoritatem in ſuos ſubditos, ſeu in vtroque foro, vt hic dicitur. Vnde in criminibus grauioribus, ſi res ipſa exegerit, poteſt eos torturæ ſubijcere, cum moderamine tamen. Quod etiam conceſſerat Nicolaus Quintus Ordini Minorum, vt eſt apud Caſarub. ver. Correctio fratrum, numero 12.

4 Noto 3. quòd illa clauſula *Super omnes, & ſingulos* importat ſpecificationem ſpecialem, ac ſi omnes in individuo nominarentur. Tuſch. verbo, Clauſula, concluſ. 296. n. 2. & comprehendit etiam ſpecificè eos, qui alioquin eſſent exempti. Tuſch. ibi, n. 3.

5 Noto 4. quòd Generali præcipienti contra Regulam obedire non tenemur. Et in quibus teneamur obedire Prælato, & in quibus non, vide to. 1. Relig. q. 1. cap. 6. per totum. Vide etiam ca. 7. & 8. per tota.

6 Et ſi quæras, an poſſit Generalis, vel Prouincialis eximere ſubditum ab obedientia Correctoris, vel alterius Superioris immediati. Dico, quòd non, quia id ad ſolum Papam pertinet, qui eſt ſupremus Dominus. Ita Sylueſt. ver. Caſus, quæ. 1. caſu. 5. Fernand. 4. p. ſui exam. cap. 15. §. 2. numero 1. dicto 5. Mirand. tom. 2. man. qu. 7. art. 6. Rodriq. to. 1. quæſt. reg. qu. 23. artic. 3. Colligitur ex cap. Frater noſter, 16. qu. 1. A S. Fauſto in ſuo theſauro lib. 6. q. 146.

§. IV.

7 Declarat 1. noſtram Religionem eſſe cœteris Religionibus arctiorem. Quod etiàm declarauit Leo X. infra, conſtitut. eius 6. quæ incipit, Quamuis aliàs, & conſtitut. eius 3. §. 2. quæ incipit, Illius. Propter quæ dixi tom. 1. Religioſi, qu. 1. capit. 24. §. 1. noſtram Religionem eſſe etiam ſtrictiorem Carthuſianorum, & eos poſſe iure communi ad noſtram Religionem tranſire. Nos autem ad nullam aliam tranſire poſſe. Stante autem aliqua legitima, & vrgentiſſima cauſa, videtur Papa innuere, quòd poſſit Generalis concedere alicui ex noſtris Religioſis, vt ad aliam Religionem tranſeat. Cauſa autem non poteſt eſſe infirmitas continua, quia hæc veſcendo paſchalibus in infirmaria reparatur. Erit fortaſſe inquietudo naturalis alicuius Religioſi, quæ eò deueniſſet, vt nequaquam poſſet ampliùs ſufferri. Et videtur colligi ex iſto textu, vbi Papa prohibet tranſitum, ſed tranſire non curant niſi inquieti, nam in noſtra Religione ceſſat ratio maioris perfectionis zeli, cum ſit omnibus alijs ſtrictior, & conſequenter perfectior. Vide quæ dico tom. 1. Relig. q. 1. c. 24. concl. 6. & 7. Vide etiam ſupra, in conſtit. 2. huius Pontif. §. 14. nu. 50.

8 2. Prohibet, vt nullus poſſit bona Religionis cuiquã extraneo concedere, & loquitur de donationibus particularibus factis à fratribus particularibus, & dicit, quòd poſſit Generalis eas recuperare, &, ſi opus id fuerit, donatarios ad reſtituendum cenſuris eccleſiaſticis compellere.

9 3. Concedit, quòd poſſit Generalis cum ſuis fratribus in quacumque irregularitate ſupra conceſſa, ſeu ſuper quocumque voto diſpenſare, eoſque punire, corrigere, &c. & hoc ipſiuſmet Papæ auctoritate. Et nota, quòd illa clauſula *Cum eiuſdem Ordinis fratribus* eſt indefinita, quæ in iure æquipollet vniuerſali. Panor. cap. In Geneſi, de elect. num. 1. Gloſſa in cap. Vt circa, ver. Aliorum eccleſiaſticorum, de elect. in 6. Concedit itaque Pontifex P. Binet Generali, vt vniuerſaliter poſſit cum omnibus ſuis fratribus vti poteſtate data B. P. N. Franciſco per ſupradictas conſtitutiones, nimirum Pyrrhi §. 5. & 6. à n. 11. huius 2. §. 9. & 29. vide etiam conſt. 4. Sixti IV. §. 5. à num. 5.

§. V.

10 Concedit, quòd Generalis tempore viſitationis poſſit in illis locis, in quibus magnum numerum inuenerit miſſarum, diſpenſare, vt fratres illius Conuentus, dicendo nouem, vel citra deſcendendo, collectas, ſatisfaciant pro nouem, vel ſeptẽ, &c. miſſis. Quòd priuilegium etiam conceſſit Leo X. infrà, in conſt. eius 5. Vbi ad finem in comp. Paſſar. notatur in margine, id etiam fuiſſe extenſum ad Prouinciales per Paulum III. & citatur etiam in indice, verbo Miſſarum collectæ. Sed ego illud non vidi.

11 Noto 1. quòd de hoc noſtro priuilegio quod eſt maximum in hac materia, tractat Nau. libro 3.

conſil. de celeb. miſſ. conſ. 10. ex quo deſumpſerunt deinde Feſtus in ſumm. conſt. Prædic. p. 1 cap. 28. Conſett. in ſumm. priuileg. titulo 19. cap. 3. Zanard. 2. part. ſuæ ſumm. capit. 21. A Sorbo verbo Miſſa 3. pagin. 410. Fraſcinel. in tractatu de obligat. ſacerd. ſect. 6. arg. 21. & ſect. 7 & §. 9.

12 Noto 2. quòd conſultus Nau. loc. citat. ſuper hoc priuilegio, reſpondit multa. 1. quòd non ſolùm Generali, qui nunc fuit, ſed etiam alijs, qui huic ſucceſſerunt, & ſuccedent in poſterum, data eſt prædicta facultas. 2. quòd poteſt diſpenſare non ſolùm ſuper miſſis receptis tempore datæ eorumdem priuilegiorum, ſed etiam pro poſtea receptis ante ſuam viſitationem, & tempus, in quo petitur diſpenſatio. 3. quòd non poteſt Generalis facere facultatem fratribus recipiendi miſſas, ſeu eleemoſynas dicendas eas, & deinde pro eis dicere ſolùm collectas. 4. quòd poteſt Generalis, etiam extra tempus viſitationis, in prædictis diſpenſare. 5. quòd prædictus Generalis prædictam diſpenſationem per ſe ipſum facere debet, nec poteſt alteri ſuam poteſtatem delegare. 6. quòd Generalis debet hanc diſpenſationem facere cum inquiſitione in ſcriptis de numero miſſarum obligatarum, & de cauſis, propter quas ſunt receptæ, nimirum propter neceſſitatem, fratrum, & fabricæ Conuentuum, aut Eccleſiarum. Septimò, quod Generalis hanc diſpenſationem faciens, debet applicare alia merita ſuorum ſubditorum, vt ieiunia, orationes, & alia bona opera ad illas animas, pro quibus eſt ſatisfaciendum in miſſis. Hæc Nauar. Quæ omnia mihi placent, excepto tertio, & quinto.

13 Quòd enim Generalis poſſit hanc diſpēſationem committere ſuo Viſitatori generali, colligitur tum ex fine iſtius priuilegij, quod eſt conceſſum ad ſerenandas conſcientias fratrum, qui neceſſitate vel victus, & veſtitus, vel fabricæ, recipiunt multas miſſas, quibus deinde plenè ſatisfacere non potentes, ſcrupulis anguntur. Vnde cum Generalis non ſemper poſſit totam Religionem viſitare, ea loca, quæ non poteſt præſentialiter, viſitat per ſuum Vicarium generalem, qui, ſi non haberet hanc poteſtatem reducendi miſſas, non poſſet perfectè ſuum exequi officium, nec conſcientiis ſubditorum mederi. Tum quia delegatus à Principe poteſt alteri negotium committere, cap. paſtoralis, de off. deleg. niſi ſit electa induſtria perſonæ, vt Gloſſa in ſumm. dicti cap. Paſtoralis. At hic non videtur electa præciſè induſtria perſonæ Generalis, ſed Generalis viſitantis: Vnde cum officium viſitationis poſſit æquè benè Generalis implere per ſubſtitutum, poterit etiam hoc viſitationi annexum. Tum quia id videtur expreſſè dici in capitulo final. de offic. del. Ex quo tex. colliguntur Cardinal. & Abbas, not. 1. hanc regulam, quam menti tenendam eſſe proteſtantur, ſcilicet, quòd *Papa committendo alicui cauſam, regulariter non videtur eligere induſtriam perſonæ, ſed potiùs intendit prouidere negotio, quod decidendum committit.* Tum quia ſola magnitudo cauſæ non facit videri electam induſtriam perſonæ. Felin. capitulo final. §. Is autem, numero 4. de offic. deleg. Tum quia tunc ſolùm videtur electa induſtria perſonæ, cum vel committitur factum, quòd non poteſt per alium adimpleri: vel in commiſſione dicitur, Vt tu expedias, & non alius, vel Vt perſonaliter, vel Per te ipſum, vel Proprijs manibus hoc expedias, vt Felinus loco citato numero 3. & 4. Sed in noſtro caſu nihil horum eſt, vt patet, & hoc factum poteſt æquè bene adimpleri per prudentem Viſitatorem cum plenaria poteſtate datum, ac per Generalem. Quando cenſeatur electa induſtria perſonæ, vide Menoch. tom. 2. de præſump. quæſt. ſecunda punct. 851.

14 Quòd verò Generalis poſſit facere facultatem fratribus recipiendi miſſas in futurum, & dicendi pro illis tot collectas, contra 3. dictum Nauar. patet clarè ex dicta bulla Leonis, §. 3. ibi, *ſeu in poſterum reciperent*. Vnde de mente Pontificis non dubito, quin intenderit etiam concedere priuilegium pro miſſis futuris, quod non negat abſolutè Nauar. loc. cit. nu. enim 3. ait, vtramq; partem de rigore iuris poſſe defendi. Et n. 6. fine ait. *Quamuis propter magnam cauſam id citra culpam fieri poſſe, videtur aſſerere finis bullæ Leonis, ſcilicet propter vrgentem neceſſitatem.* Quare etiam ſecundùm Nauar. propter neceſſitatem victus, & veſtitus, aut fabricæ Monaſteriorum, poteſt Generalis diſpenſare, vt fratres recipiant eleemoſynas miſſarum, & deinde ſolùm dicant collectas. Ad maiorem autem intelligentiam huius dicti

15 Quæro vtrum miſſæ ſacrificium pro multis differentibus oblatum, tantùm valeat ſingulis, ac ſi pro vno tantùm offeretur.

℟. Hanc rem eſſe valde controuerſam, præſertim hoc tempore. Ego à D. Thoma non diſcedo, nec per imaginationem. Et qui ſenſum Domini cupit intelligere, à domeſticis inquirat. Dico ergo, quòd fructus meritorius, & ſatisfactorius ſacramenti, & ſacrificij miſſæ tantùm valet ex condigno ſingulis, cum pro multis offertur, ac ſi vni tantùm applicaretur. Ita D. Thom. 3. p. quæ. 79. art. 5. corp. Caiet. ibi, & tom. 2. opuſc. tract. 3. q. 2. Sylu. verb. Miſſa, 1. qu. 9. Arag. 2. 2. qu. 85. art. 3. verſu Contrarium tamen, pag. 651. Montag. de val. miſ. cap. 24. qui ait, ita etiam ſenſiſſe Vniuerſitatem Sorbonæ, & alij multi apud iſtos. Probatur, tum quia virtus miſſæ ex opere operato in ſe, & abſolutè ſumpta eſt infinita quò ad ſufficientiam, licèt ſit finita quò ad efficaciam, iuxta diſpoſitionem recipientis; quia res oblata eſt Chriſtus paſſus, & eius infinita merita. Ergo nihil prædicti fructus detrahitur ex conſortio aliorum: Tum quia D. Hieronym. relatus in cap. Non mediocriter, de conſ. diſt. 5. ait, *Cum igitur pro cunctis animabus miſſa dicitur, nihil minus, quàm ſi pro vno quolibet ipſorum diceretur, accipitur.* Tum quia ſi hoc non haberet ex ſua natura miſſæ ſacrificium, Papa id concedere non poſſet. Sed hoc noſtrum priuilegium modò vacat per decret. Congreg. quod habes infra, in conſtit. 9. Vrbani VIII.

CONSTITVTIO VI.

Confirmat de nouo Regulam, approbat declarationes illius, factas à Cardinali Senogallenſi. Prohibet cantum, & ingreſſum mulierum non Fundatricum intra ſepta noſtrorum Monaſteriorum.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio F. Franciſco Binet Ordinis Minimorum Generali ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *Licèt anno ſuperiori generale Capitulum Ordinis fratrum Minimorum in alma Vrbe noſtra de mandato noſtro celebratum fuerit, illique auctoritate noſtra præfuerit dilectus filius noſter Marcus, titul. S. Mariæ trans Tiberim presb. Card. Senog. ac electio de te in generalē Correctorē dicti Ordinis canonicè facta, necnon* Capitulum generale per alias ſuas celebrari mandauit.

omnia,

omnia, & ſingula per generalis Capituli Ordinis huiuſmodi fideles, ac pios zelatores, iuxta eiuſdem Ordinis primi Patris, & Inſtitutoris Franciſci de Paula piam, & vltimam voluntatem, ſeu iuxta tenorem eiuſdem Regulæ per nos approbata, & confirmatæ, ibidem deliberata, acceptata, concluſa, ac per eumdem Cardinalem auctoritate noſtra huiuſmodi declarata, & authentieata, tam ſuper cantus inhibitione, quàm ſuper alijs punctis, & articulis ſuper Regula prædicta inibi etiam ritè notatis, & articulatis, per nos (prædicto Marco Cardinali ſingula huiuſmodi, nonnulla vtique declaratione digna nobis fideliter referente) approbata, & confirmata fuerunt.

Dubitauerunt quinam de mente huius Pontificis.

§ 2. *Quia tamen nuper fide dignorum relatione percepimus, aliquos ex fratribus dicti Ordinis, præſertim in Italiæ partibus degentibus, tam ſuper cantus huiuſmodi prohibitione, quàm mulierum intra Conuentuum ſepta ingreſſus inhibitione, & Vigilum deputatione, huiuſmodi prædictæ Regulæ moderationem petere, ac in dubium reuocare, an noſtræ mentis extiterit confirmare Regulam huiuſmodi per ipſum Inſtitutorem vltimò reformatam, ſeu in melius emendatam, dum prohibet, diuinum officium cum notulis decantari, & mulieres aliter, quàm in Regula huiuſmodi permittitur, Conuentuum ſepta ingredi, permittatque Vigiles deputari; aut etiam ſi ſuper ijs, ac alijs ſingulis in dicta Regula contentis, per prędictum Marcum Cardinalem pleniſſimè fuerimus, & ſimus informati.*

Prohibet cantum, & ingreſſum mulierum in noſtros Cõuentus.

§. 3. *Nos, qui Regulę, & Ordinis huiuſmodi zelatores ſumus, & ad quos ſpectat ambiguitates ſingulas, præſertim cum de mente noſtra, & de reſultantibus noſtris ex literis dubitationibus quibuſcumque quæritur, declarare. Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra ſcientia, & deliberatione, vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis notum facimus, quòd Regulam Ordinis Minimorum huiuſmodi vltimo loco, de mandato vltimo Inſtitutoris reformatam, ſeu in melius emendatam, etiam quò ad prohibitionem recitationis diuinorum officiorum, tam diurnorum, quàm nocturnorum, & quarumcumque miſſarum, etiam defunctorum cum cantu aliquo, etiam Gregoriano: Nec non aliàs, quàm in prædicta Regula permittitur, ingreſſus mulierum intra Conuentuum Ordinis huiuſmodi ſepta: Vigilumque deputationem, & huiuſmodi, iuxta Regulæ prædictæ tenorem, approbauimus, & confirmauimus, ac pro potiori cautela de nouo approbamus, & confirmamus. Et proindè vniuerſis, & ſingulis Ordinis Minimorum huiuſmodi, nunc, & pro tempore vbilibèt exiſtentibus fratribus præſentium tenore diſtrictiùs inbibemus, ne in aliqua Eccleſia cuiuſcumque domus dicti Ordinis, tam citra, quam vltra montes, & vbicumque nunc, & pro tempore exiſtentibus, diuina eorum officia, tam diurna, quàm nocturna, & tam feſtina, quàm ferialia, miſſas aliquas, tam defunctorum, quam alias, etiam in ſolemnibus feſtis, neque Gregoriano, neque alio quouis cantu cum notulis cantare, nec aliquas mulieres aliter, quàm in dicta Regula permittitur Ordinis Minimorum huiuſmodi Conuentuum ſepta ingredi vllatenus præſumant.*

§. 4. *Et ne pro prædictis, aut alijs quibuſcumque prædictæ Regulæ punctis, ſeu articulis, ad nos, ſeu Sedem Apoſtolicam in poſterum recurrere ſit neceſſarium, illis etiam, vt diuina eorum officia, tam diurna, quam nocturna, ſingulaſque miſſas, etiam defunctorum, & in feſtis ſolemnibus, tam in choro, quam in altari, iuxta prædictæ Regulæ tenorem plana dumtaxat, & intelligibili voce, ac ſine notulis quibuſcumque cantu vtique rectiſſimo, tamquam eorum minimo nomini, ſuæque vitæ quadrageſimali apto, & conuenienti, ſimpliciter recitare debeant. Mulieres verò aliter, quàm in prædicta Regula permittitur, Ordinis huiuſmodi Conuentuum ſepta ingredi nullatenus permittant: Vigiles autem, iuxta tenorem dictæ Regulæ per nos, vt præfertur, approbatæ, & confirmatæ, à cunctiſque fratribus huiuſmodi, nunc, & pro tempore vbilibet exiſtentibus, & degentibus, de mandato noſtro, perpetuis futuris temporibus in virtute Spiritus ſancti recipiendæ, & acceptandæ, ſibi pro tempore deputatos, ſeu deputandos, ea, quæ decet, reuerentia recipere habeant, mandamus, atque iniungimus.*

Officium diuinum ſimpliciter recitari, & Vigiles acceptari iubet.

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, ac conſuetudinibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, & confirmatis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Decembris, 1508. Pontif. noſtri anno 6.*

Derogat contrarijs.

§. II.

1 NOta 1. quòd declarare ambiguitates ex literis Pontificum reſultantes, ad ipſos Pontifices ſpectat, ad hoc ſcilicet, vt illis ſtandum ſit in iudicio, & extra, nam alioquin non eſt prohibitum Doctoribus eas declarare, ſed iſtæ declarationes non valent niſi tantùm, quantùm valet auctoritas ipſorum Doctorum, vt dixi tom. 1. Religioſi, qu. 4. cap. 8. verſu Priuſquam proferam.

2 Noto 2. quòd S. P. Franciſcus in ſua Regula 1. cantum permiſerat, deinde inſtinctu Spiritus ſancti vetuit, quare in vltima Regula, quam obſeruamus, numer. 12. expreſsè prohibuit, & ſub grauibus pęnis in Corrector. num. 24. Cauſam narrat Montoya in chronicis, & eſt illa eadem, quæ mouit ad prohibendum cantum Gregorium, relatum cap. In ſancta Romana, diſt. 92. vbi ſic habet, *In ſancta Romana Eccleſia dudum conſuetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri altaris miniſterium cantòres eligantur, & in diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat. Vnde fit plerumque vt ad ſacrum miniſterium, dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, cum populum vocibus delectat.* Pro cantu vide omnino Rodriquez tomo 2. quæſt. reg. quæſt. 40. per totam.

§. III.

3 NOto 1. circa ingreſſum mulierum in Conuentum, quòd in Regula, numero 23. prohibentur omnes mulieres ingredi in Conuentus, Excipiuntur tamen omnes de ſtirpe regia, ac Fundatrices cum ſua comitiua. Fratres autem introducentes puniuntur in Correctorio, numero 39. & in Capitulo Paulæ, quod fuit confirmatum à Paulo III. n. 30. habetur, *quòd nullæ mulieres quorumcum-*

que priuilegiorum prętextu, pręter eas, quibus ex Regula conceditur, permittantur Conuentus noſtri Ordinis intrare, niſi in earum priuilegio papali exprimatur. Non obſtante prohibitione in Regula fratrum Minimorum contenta; vel aliud æquiualens præceptum, puta, Virtute excommunicationis, & huiuſmodi. Et Clementis VII. viuæ vocis oraculo excommunicauit dictas mulieres ingredi præſumentes, reſeruando abſolutionem Prouincialibus noſtri Ordinis. Habes infra in Clemen. VII. conſt. eius 7.

4 Noto 2. quod Pius V. reuocauit omnia priuilegia, quæ habebant mulieres ingrediendi Monaſteria Regularium, per ſuam conſt. 5. infrà, quæ incipit, Regularium perſonarum, & excommunicat mulieres introite præſumentes, abſolutionē ſibi reſeruando, & ſuſpendit à diuinis fratres admittentes, ac priuat ipſo facto officijs, quæ habent, & inhabilitat ad futura. Et Gregorio XIII. ſupradictam conſtitutionē confirmans per ſuam conſt. quę incipit, Vbi gratiæ, apud Cherub. tom. 2. bull. in eius conſtit. 28. pag. 393. excommunicat etiam ipſo facto, non ſolùm dictas mulieres quouis prætextu pręſumentes ingredi, ſed etiam Superiores ingredi permittentes, & extendit ſuam conſtitutionem etiam ad mulieres, & ad viros ingredientes Monaſteria Monialium.

5 Sed cum dubia quædam emerſiſſent circa dictam conſt. Pij, idem Pontifex eam declarauit per aliam bullam, quæ incipit, Decet Romanum Pontificem, quam refert Confett. in comp. in Pio V. conſt. 6. pa. 179. in qua declarat, quòd *per ſuam primam conſtitutionem non ſolum intellexit comprehendere mulieres habentes, & prætendentes facultatem ingrediendi, ſed etiam omnes, & quaſcumque alias, tam in genere, quàm in ſpecie.* Declarat etiam, *quòd non intendit probibere, quin mulieres poſſint ingredi clauſtra, quando in eis miſſa, & alia diuina officia celebrantur, ac dum proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt, ſimiliter quando diuinum verbum ibi proponitur, vel per aliam quamcumque cauſam tantus concurſus populi fuerit, quòd commodè ingredi non poſſint, & egredi per portam Eccleſiæ, quòd tunc poſſint ingredi, & egredi per portam clauſtri, dummodò recto tramite accedant ad portum, qua exitur è Monaſterio.*

6 Noto 3. quòd cum verſum eſſet in dubium, an per dictam conſt. Pij V. derogatum eſſet noſtræ Regulæ quò ad Fundatrices, & Reginas, P. F. Andreas Amodeus noſtri Ordinis Zeloſus ſupplicauit ſacræ Cōgregationi Concilij hoc pacto. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſ. DD. Dubium tale eſt. Per Regulam noſtram Minimorum Ordinis cauetur, ne Superiores mulieres aliquas in noſtri Ordinis Conuentus vllatenus intrare permittant; verumtamen ſingulæ Dominæ de ſtirpe regia procreatæ ac etiam omnes huiuſmodi Ordinis Fundatrices, quæ locorum eiuſdem Ordinis ſepta communiora videre poſtulauerint, eadem honeſtè cum ſua comitiua intrare, ac deuotè viſitare tolerentur. Huic autem derogatum eſſe videtur per quemdam motum propriū Pij V. quo prohibetur mulieribus cuiuſcumque gradus, ſtatus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, quaſcumque facultates, & licentias ſibi à Sede Apoſtolica conceſſa prætendentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne Monaſteria, ac domos Carthuſienſium, & aliorum quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium ingredi audeant, & ipſorum Monaſteriorum, & Conuentuum Superiores, quocumque nomine nuncupentur, qui eas introducere, admittere cui præſument, ipſo facto priuentur ab officijs, quæ in præſentia obtinent, & inhabiles in poſterum ad illa, & alia omnia, ac ſuſpenſi à diuinis remaneant. Dubitatur igitur, an vigore noſtræ Regulæ mulieres præfatæ de ſtirpe regia procreatæ intrare, abſque ipſarum, & dictorum locorum Superiorum pœna poſſint, vel per allegatum motum proprium ſit penitus quò ad hoc noſtræ Regulæ derogatum. Illuſtriſſimarum, & Reuerendiſſ. DD. VV. Dedititiſſimus ſeruus, & orator, F. Andreas Amodeus Zeloſus Italiæ Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula. Reſponſio ſacræ Congregationis hæc eſt. S. D. N. Gregorius XIII. etiam ex ſententia Congregationis Concilij declarauit non cenſeri derogatum quò ad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat. Franciſcus Card. Alciatus. Preſens copia fuit extracta à proprio originali, & concordant. Die 21. Nouembris, 1577.*

7 Si quæras quænam perſonæ excludantur per dictionem illam *Dumtaxat*.

℞. Quòd ſolùm excluduntur mulieres de ſtirpe regia, non autem comitiua Fundatricum, & Reginarum. Quicquid dicat Paſſar. in ſchol. ex Auenion. num. 20. Primò, quia cui conceditur aliquid, conceditur etiam id, ſine quo illud fieri bene, & honeſtè non poteſt. l. 2. ff. de iuriſd. omn. iud. & l. penult. ff. ve vſufr. & cap. Præterea, de off. deleg. vbi Gloſſa verbo Ex eo. Et cap. Prudentiam, §. Sexta, fine, eod. tit. & cap. De prudentia, de donat. inter vir. Docet etiam Nauar. tom. 1. conſil. de off. iud. ord. conſil. 2. num. 6. Io. Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 5. dub. 1. concl. 1. At iſtæ mulieres, vel Reginæ, vel Fundatrices ſemper aſſociatæ incedunt cum alijs mulieribus, quas indecens videtur relinquere, & ſolas ingredi in Monaſteria. 2. quia quando conceditur alicui priuilegium ad celebrandum, vel audiendum ſacrum tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares, cap. Licet, de priuil. in 6. vbi Gloſſæ verbo Admittuntur, aliqua cumulat ex iure ciuili. Probus ad Monach. cap. Ne aliqui de priuileg. in 6. Habet etiam Suar. lib. 8. de legib. cap. 11. num. 8. & Sanch. 6. in decal. cap. 17. num. 6. 3. quia hoc priuilegium nō eſt odioſum, ſed fauorabile quò ad noſtras Fundatrices; conceſſum eſt enim ad Religionis augmentum, vt videntes deuoti ſeculares, noſtras Fundatrices talibus priuilegijs eſſe condecoratas, animentur ad nouas fundationes intentandas. Quòd patet etiam ex priuilegijs Fundatoribus, & Fundatricibus conceſſis à Iulio II. in eius conſtit. 1. §. 24. & conſt. 4. §. 5. Nihil enim aliud intendiſſe puto ſummum Pontificem, concedendo priuilegia Fundatoribus, & Fundatricibus, quàm Religioni fauere. 4. quia licèt dictio *Dumtaxat* ſi taxatiua, quæ excludit omnino extranea à diſpoſitione, includit tamen etiam ea, quæ ad illam pertinent; Neque excludit ea, quæ ſunt de conſuetudine, vt Tuſchus ver. Taxatiua, concluſion. 23. numer. 12. & 13. Sed maximè intereſt. Fundatrices, quæ de ordinario ſunt matronæ nobiliſſimæ, & ditiſſimæ, habere ſocias, quæ illis continuè aſſiſtant, & hoc etiam eſt de conſuetudine. Addo denique 5. quòd vt audio, fuit à Congr. Card. deciſum, quòd dictæ Fundatrices poſſint ingredi Monaſteria cum comitiua ſex aliarum mulierum, quod placet Sanch. loc. cit.

8 *Si* quæras, an per illam declarationem Pontificis Pij, quæ incipit, Decet Romanum, ſeu per viuæ vocis oraculum eiuſdem, quod referunt Quarant. in ſumm. bullar. verbo Monaſter. & Conuent. reg. in princip. verſu Nos Alexander, pagin. mihi 404. & Feſtus 1. part. ſumm. capit. 16. derogatum ſit Regulæ noſtræ, quia cauetur numero 23. ne vllæ mulieres, quæ Fundatrices non ſint Monaſteria noſtra ingrediantur. Docet Paſſar. & bene, in ſchol. ex Auenion. num. 20. quem

quem ſequuntur Sanch.6. in decal.cap.17.numer.12.& Rodriq.tomo 1.ſum. cap.60.numer.6.quòd non; Quia cum huiuſmodi ſtatutum ſit facti,& in facto conſiſtat, Papa probabiliter poteſt illud ignorare. Quare illi non intendit derogare,niſi expreſſam mentionem faciat,vt idem Paſſar.habet in not.priuileg.notab.9. Adde, quòd in Cap.Paul.cit.num.3.dicitur,quòd per nullum priuilegium permittantur mulieres ingredi noſtra Monaſteria, niſi in eo ſit elauſula Non obſtante Regula Minimorum, ſeu Sub pœna excommunicationis; adde, vel illi æquiualens, puta Non obſtante quacumque conſtitutione, etiam neceſſariò nominanda, nam tunc mens Pontificis videtur eſſe priuilegijs, etiam quæ in facto conſiſtunt, derogare.

9 Sed aduerte, quòd ſacra Congr. Card. vt refert A Sorbo in comp.verbo Ingredi Monaſ.fratrum,pag.365 declarauit, teſtante Illuſtriſ. Card. Alexandrino,anno 1584. *In Monaſterijs, ſeu locis Capuccinorum, quæ ſunt in fieri, vel in quæ dum fabricantur, adhuc Conuentus ad ibi morandum non fuerit introductus, ſed ſolùm ibi aliqui habitauerint fratres pro fabricæ potiùs ſeruitio, quàm aliter, clauſuram nullam eſſe talem, vt, ſi mulieres in ea intrent, pœnas conſtit. Pii V incurrant. Idemque debere dici de domibus, ſeu infirmarijs in Ciuitate poſitis, cum nec Eccleſiam, nec Conuentum habeant.* Quod valde placeat Sanch.6.in decal.cap.17.nu.9. His conſtitutis, operæ pretium duxi aliquas difficultates enucleare, quæ ſe offerunt circa hanc materiam, ſtantibus prædictis conſtitutionibus.

10 Quæres igitur 1. an puellæ intrantes Monaſteria Regularium incurrant dictam excommunicationem Pij V. & qui admittunt, pœnas.

℞. Variare multùm in hoc Doctores circa tempus. A Sorbo.n.in comp. ver. Ingredi Monaſ.verſu Aduertendum, quòd ſub nomine, dicit quòd ad incurrendas has pœnas requiritur, quòd ſint maiores ſex annis. Llamas in append ad ſuam method.§.13.putat, quòd non incurrant puellæ decem annorum. Tutiùs alij, quòd ad incurrendas has pęnas ſufficit, quòd puellæ ad annos diſcretionis peruenerint. Et in dubio, ſeptennes ad annos diſcretionis perueniſſe dicendum eſt. Ita Sanch.lib.6. in decal.cap.17.numer.4.referens ſe ad id, quòd dixerat ſupra, cap.16.nu.6.& 7. Ignorantia tamen poterunt excuſari, vt Sanchez ibi,num.6. Quo eodem modo dicendum eſt de pueris, & puellis intrantibus Monaſteria Monialium. Amentes autem mulieres, quæ ad annos pubertatis peruenerunt, ſi ea forma ſint, vt aptæ ſint incitare ad peccatum, licèt ipſæ, cum peccati incapaces ſint, nullas incurrant pœnas, incurrunt tamen, qui eas admittunt. Nau.com.4.de regul.num.59. Sanch.loc.cit.num.4.c.p.16.

11 De Reginis, & Imperatricibus, ac vtrarumque filialibus, quòd non comprehendantur his pœnis, docet idem Sanch.loc.cit. & Rodriq.tom.1.q.regul.q.8.art.1. Et quòd nullibi reperiatur textus prohibens hunc ingreſſum his mulieribus ſub mortali, docet Suar.tom.5. in 3.p.diſp.22.ſect.6.num.12.& tom.4. de Relig.tractat. 1.lib.1.cap.7.num.5.ſed ſolas Reginas, & Imperatrices præciſè dumtaxat excludi, conſtat ex declaratione Gregorij XIII. de qua nu.6. Neque puto, has comprehendi ſub conſt.Pij V. Decet Romanum Pontificem, de qua numer.5. Nam perſonæ, quæ ſupereminentem habent qualitatem, quales ſunt Reginæ, & Imperatrices, niſi ſpecialiter nominentur, non comprehenduntur ſub generali conſtitutione, vt Io. Andr. in cap.1. de ſchiſm. in 6.& colligitur ex cap. Quia periculoſum, de ſent.excom.in 6. Vide infra in conſt.9. Pauli V.§.1.num.2.

12 Quæres 2. quid intelligatur nomine Monaſterij, quando ingreſſus in illud interdicitur mulieribus.

℞. Nomine Monaſterij intelligi ea ſola loca, quæ ſunt intra ſepta Conuentus; qui clauſura clauduntur, vel claudi debent. Ita Nauar.tom.2.conſil.li.5. conſil. 5.nu.4.de verb.ſignif. Sanch.6.in decal.cap.17. num.12. Io.Cruz lib.1.de ſtatu Relig.c.5.dub.1. Et aduerte, quòd quando dicitur in conſt.Pij V. quòd non poſſint mulieres ingredi Monaſteria, & domos, per domos, ibi non intelliguntur illæ, quas habent Regulares in prædijs extra Ciuitatem vel grangijs, etiam in Ciuitate, ſed Monaſteria, & domus ſunt planè idem, vt aduertunt dicti,& Llamas in append.ad ſuam method. §.12.fine, Horti autem, qui ſunt annexi,& contigui Monaſterijs, nomine Monaſteriorum comprehenduntur, vt A Sorbo in comp. verbo Ingredi, verſu Secundò quia dixi, pagin.62. Sanch.loc.cit.num.15. De ſacriſtia verò, quæ ſolo pariete diuiditur ab Eccleſia, nec ad eam ingrediendam opus eſt ire per clauſtrum, dubitat, an in ea poſſint admitti mulieres A Sorbo loc. cit. verſu Et reſpondendo dicitur. Sanch. abſolutè dicit, non poſſe, num.17. niſi ſit vſus. Mihi videtur, quòd ſi porta ſacriſtiæ reſpondeat immediatè in Eccleſia, vel in aliquo atriolo breui, ſeu vno, vel duobus paſſibus ducenti ad Eccleſiam, quòd potiùs dicenda ſit tunc ſacriſtia pars Eccleſiæ, quàm Monaſterij: vnde poterunt liberè in eã ingredi mulieres. Ita Cruz. loc. cit. qui etiam id concedit de hortis contiguis Monaſterijs, in quos per proprias portas, non Monaſteriorum, ingreditur.

13 Quæres 3. an, ſtante declaratione bullæ Pij V. ab ipſomet Pontifice facta, qua conceditur mulieribus ingredi clauſtra, quando per ea fiunt proceſſiones, liceat Superioribus ex induſtria proceſſiones indicere ad hoc, vt ibi aliquæ mulieres ingrediantur.

℞. Non licere Rodriq.tom.1.q.reg.q.48.art.3. A Sorbo in compen. verbo Ingredi, verſu Circa quam pag. 264.Sanch.6.in decal.cap.17.num.23. Quia Pontifex id non conceſſit ad dandum libertatis,& laxationis incẽtiuum, ſed ad ſcrupulos tollendos. Sed iſtam gloſſam, ſecluſo ſcandalo, non admitto. Nam poteſt Superior in tali proceſſione indicenda habere bonum finem, nimirum vt mulieres aliquæ deuotæ, & benefactrices clauſtra ad ſui ædificationem, & conſolationem ſpiritualem videant; præſertim ſi breui in longinquum ſint profecturæ. Immo etiamſi Superior nullum alium finem habeat, quam vt muliebri curioſitati ſatisfaciat, Nam tunc etiam mens legislatoris impletur, cum fiat proceſſio ea ſolemnitate,& deuotione, vt ſuppono, qua fiunt cœteræ conſuetudinariæ, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Adde, quòd iſtæ pœnæ non infliguntur niſi in permittentes mulieres illicitè ingredi Monaſteria, ſed hoc caſu non ingrediuntur illicitè, cum tempore proceſſionum ingredi poſſint. Ita Longus p.2. caſu 3.nu.22. Bonac. de clauſ. q.5.p.4.num.14. Non excuſarem tamen hoc caſu talem Superiorem à peccato.

14 Quæres 4. an ſtante dicta declaratione, poſſint mulieres ingredi, quando in clauſtris datur habitus alicui nouitio.

℞. Quòd ſic, & ſimiliter ſi eo fiat pedum lotio, vel etiam ad audiendum ſacrum, &c. de quibus numer.5. Quãdo autem ingrediuntur mulieres ex dictis cauſis, ijs finitis, non ſunt ſtatim eijciendæ, ſed poſſunt ibi per aliquod breue ſpatium remanere, etiam ad curioſitatem. Ita Rodriqu.Sanch.A Sorbo locis cit. Nec etiam incurrent pœnas hic taxatas, ſi prædictis temporibus, quibus ingreſſus licitus eſt, malo fine ingrediantur. Nec ſimiliter, ſi tali malo fine admittantur, etiamſi effectus ſequatur, vt dicunt Doctores cit. præſertim Sanch.num.28. quia pœnæ non feruntur, niſi contra illicitum ingreſſum. Hoc autem caſu non eſt illicitus, licèt peruerſo fine vitiatus. Liceret etiam fœminæ, medendi gratia Monacho ægrè laboranti, Monaſterium ingredi, ſi vir nullus reperietur, qui vellet,& poſſet ita bene Monacho mederi. Ita Rodriq.tom.1.quæſt.regul.q. 46.art.7.verſu Et idem omnino dicendum; A Sorbo in compen. verbo Ingredi, verſu Et ſic etiam per idem, pag.363.Sanch.loco cit.num.32. Quia conſeruatio vitæ eſt de iure naturæ, cui cedit præceptum eccleſiaſticum. Sed iſta non procedunt in Ordine noſtro Minimorũ, quia in Regula id vetatur, cui per iſtam declarationem

non

non eſt derogatum, vt dixi ſupra, nn.8. Excipio tamen vltimum hic caſum poſitum pro neceſſitate vitæ conſeruandæ, cui Regula etiam cedere debet. Nec enim obligamur cum tanto rigore ad ſeruanda regularia ſtatuta.

15 Quæres 5. Quas pœnas incurrant mulieres introeuntes, & Religioſi admittentes.

℟. In conſt. Pij V. imponitur pœna excommunicationis ipſo facto à ſolo Papa abſoluenda, poſtquam huius conſtit. notitiam habuerunt, mulieribus preſumentibus ingredi Monaſteria Regularium. Religioſis verò, ſiue Prælati ſint, ſiuè ſubditi, præſumentibus admittere, imponitur pęna priuationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, ac etiam ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto, ſine alia declaratione. Gregorius verò XIII. in ſua conſtit. fœminis præſumentibus ingredi licentiarum prætextu imponit ſimiliter pœnam excommnnicationis ipſo facto à ſolo Papa abſoluendam. Religioſis verò, ſiue Prælatis, ſiue ſubditis admittentibus, etiam ſine præſumptione, prætextu licentiarum obtentarum imponit eamdem excommunicationis pœnam, & priuationem dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda.

16 Noto 1. quò ad mulieres ingredientes, ad hoc vt pęnam excommunicationis dictis conſtit. poſitam incurrant, quòd debent id facere cum præſumptione. Quare non ſolùm inaduertentiæ, obliuio, negligentia, ſed etiam ignorantia quantumuis craſſa, dummodò nõ ſit ingens temeritas, eas excuſabit, quia verbum Audere temeritatem petit, & præſumptionem, vt Nau.com. 4. de regul. num. 62. notab. 7. Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 22. ſect. 6. num. 14. Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 47. art. 2. Sanch. lib. 6. in decal. cap. 16. num. 96.

17 Noto 2. quòd licèt ad incurrendam pœnam poſitam contra Religioſos admittentes in conſtit. Pij V. requiratur præſumptio, per conſtitut. tamen Gregorij nõ requiritur; & ſic ignorantia craſſa non poterit excuſare. Excuſabit tamen ignorantia quamuis vincibilis, & culpabilis, etiamſi mortalis ſit, modò non ſit craſſa, & ſupina. Ita Sanch. loc. cit. num. 82. & lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 31. & habetur in ca. 2. de conſtit. in 6. & licèt hoc caput videatur ſolùm loqui de ſententijs Ordinariorum, per quos communiter intelliguntur Epiſcopi. Syluest. tamen verbo Ignorantia, q. 8. dicto 3. cui adhæret Sanchez loc. cit. de matr. dicunt loqui etiã de Papa, qui eſt Ordinarius Ordinariorum. Et vniuerſaliter quando ad incurrendam excommunicationem non requiritur ſcientia, audacia, præſumptio, ſemper ab illa excuſat ignorantia vincibilis, quamuis ſit mortaliter culpabilis: Quod procedit, etiamſi adſit ſcientia legis, modò adſit ignorantia non craſſa cenſuræ, vt idem Sanch. loc. cit. Ignorantia autem craſſa dicitur, quæ prouenit ex culpa lata in adhibenda diligentia, Sanch. nu. 32. Lata autem culpa adeſſe dicitur tunc, quando ignorans aut nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam ad ſciendum, quod noſſe tenebatur. Sanch. num. 33.

18 Noto 3. quòd per illa verba *faciant ingredi, vel permittant*, poſita in conſtit. Gregorij intelliguntur omnes illi, qui directè, vel indirectè dicto ingreſſui cooperantur, vt mandando, conſoluendo, inuitando efficaciter, conniuendo, ſeu etiam non prohibendo, cum poſſint, & debeant. Sanch. 6. in decal. cap. 16. nu. 87. A Sorbo in comp. verbo Ingredi, verſu Eſt etiam notandum, quòd licèt, pag. 363. videatur Sanch. loc. cit. num. 93. 94. Qui autem cum ingreſſa colloqueretur, & eam comitaretur, non incurreret, ſi nullo modo cauſam dediſſet ingreſſui. Sanch. nu. 95. Neque etiam incurreret, qui bono fine mulieres introduceret, vt ſcilicet eſſet abſconſæ à quærentibus vel occidere, vel violare. Quod etiam dic de Monialibus admittentibus viros eodem bono fine. Sanch. num. 97. Sed quid, ſi muliere dicto bono fine admiſſa quis abutatur? Dico, quòd non incurret. Quia pœna eſt inflicta contra male admittentes, & ingredientes, vt dixi numero 13.

19 Noto 4. quòd pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & ad alia, licèt incurratur ipſo facto non obligat tamen in conſcientia incurſum renunciare officijs, & in poſterum ea non admittere, ſed eſt expectanda iudicis ſententia declaratoria. Ita Sanch. 6. in decal. cap. 17. num. 39. & cap. 15. num. 65. & lib. 2. cap. 22. num. 20. & cap. 39. num. vlt. Et ratio eſt communis vſus & quia nemo tenetur tam rigoroſam pœnam in ſe ipſo exequi, nec ſe prodere in detrimentum ſuæ famæ. Et illa verba *ſine alia declaratione* intelligenda ſunt de declaratione pœnæ, non criminis, vt dixi tom. 1. Religioſi, qu. 2. cap. 2. §. 11. concluſ. 3.

20 Noto 5. quò ad pęnas ſuſpenſionis, & excommunicationis, quòd incurruntur ipſo facto ante vllam iudicis ſententiam, ſicut etiam eodem modo incurritur pœna interdicti, & irregularitatis. Ita Sanch. lib. 6. in decal. cap. 16. num. 98. & cap. 17. num. 40. & lib. 9. de matrim. diſp. 32. nu. 2. vbi fatetur, ſe huius rei nullam adæquatam potuiſſe inuenire rationem niſi ſolùm communem vſum.

21 Quæres 6. Quis poterit abſoluere ab excommunicatione Pontifici reſeruata mulieres, quæ contra dictas conſtitutiones Regularium Monaſteria fuerint ingreſſæ.

℟. Si ſit occulta, poſſe Epiſcopum, per cap. 6. ſeſſ. 24. de reform. Concil. Trid. Poſſunt etiam confeſſores regulares ab Ordinarijs de licentia ſuorum Prælatorum approbari, per priuilegium Pauli III. conceſſum Religioſis Societatis Ieſu, & nos Minimi per priuilegium eiuſdem Pauli III. per confeſſores deputatos in diebus indulgentiarum, vt videri poteſt in conſtitut. 2. Pauli III. §. 5. & communiter omnes Regulares participãtes. Ita Sanchez libro 6. in decal. cap. 15. numer. 76. & A Sorbo in comp. verbo Ingredi, verſu Item Patres Societatis IESV, pag. 366. Quòd ſi excommunicatio huiuſmodi ad forum contentioſum deducta ſit, adhuc tenet Sanch. 6. in decal. c. 17. num. 43. poſſe confeſſarios regulares ab Ordinario approbatos de ſuorum Superiorum licentia abſoluere quò ad culpam, non quò ad pœnam, per dictum priuilegium Pauli III. in quo cõceditur abſolutè facultas abſoluendi à cenſuris ſine vlla reſtrictione, aut limitatione. Priuilegium autem ſine reſtrictione conceſſum à nobis limitandum non eſt. Neque his obſtat declaratio Congreg. facta de mente Clem. VIII. die 9. Ianuar. anno 1601. de qua tomo 1. Religioſi, in appendice, quæ ponitur in fine libri, pag. 682. Quia hoc priuilegium Pauli III. præſertim, & erat in vſu ante dictam declarationem, & non eſt reuocatum vllis Apoſtolicis conſtitutionibus. Nec iſte caſus, de quo agimus, eſt comprehenſus in caſibus dicta declaratione Congreg. reſeruatis.

21 Quæres 7. Quis poterit abſoluere fratres admittẽtes dictas mulieres in Conuentus ab excommunicatione incurſa per conſtit. Gregorij, & ſuſpenſione incurſa per conſtit. Pij.

℟. Poſſe Prælatos Ordinum, Generales, & Prouinciales. Ita A Sorbo in comp. verbo Ingredi, verſu Dico 4. pag. 366. Sanch. 6. in decal. cap. 17. num. 41. qui nu. 43. probat, quòd etiam poterunt abſoluere, etiamſi delictũ non ſit occultum, ſed deductum ad forum contentioſum; per dicta num. 21. quæ poſſunt confirmari ex ijs, quæ ſuprà dixi, in conſtit. 4. Sixti IV. à num. 6. Ita etiam tenet Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 15. concl. 6. Ita etiam Diana cum alijs to. 2. tract. 2. reſol. 66.

23 Quæres 8. Quis poterit diſpenſare in priuatione officiorum, & habilitare ad illa eos, qui contra dictas conſtitutiones mulieres in Conuentus admiſerint.

℟. Paſſar. in ſchol. ex Auenion. num. 20. fine. Et in ſchol. ex Ianuen. num. 30. tenet, quòd Superiores Ordinis, neq; Capitulum generale poſſunt rehabilitare fratres inhabilitatos à Papa propter cõtrauentionem alicuius bullæ papalis, in qua talis pœna impoſita ſit, quia per priuilegia datur tantùm facultas diſpenſandi cum fratribus ſuis; per facultatem autem diſpenſandi non

conſe-

conſequitur quis auctoritatem rehabilitandi, quia ſunt actus differentes, diſpenſatio enim eſt iuris relaxatio; rehabilitatio autem eſt iuris amiſſi reſtitutio, à diuerſis autem non fit illatio. Paſſar. ſequitur Graff. 1. p. deciſ. lib. 4. cap. 24. num. 12. A Sorbo in comp. verbo Ingredi, verſu Item eſt notandum, pag. 366. ait, quòd per priuilegium Eugenij IV. poſſunt fratres ſemel in vita ab iſta inhabilitate abſolui per confeſſores à ſuis Prælatis deputatos, dummodò qualibet ſeptimana per integrum annum ſeptem pſalmos pœnitentiales recitent cum Litanijs. Addit etiam idem A Sorbo, quòd poſſunt Prouinciales Regularium à dicta pœna abſoluere in foro conſcientiæ per ſe ipſos tantùm, per bullam Pij V. de qua ſupra in conſtit. Pyrrhi. num. 46. in qua concedit eamdem facultatem dictis Prouincialibus ſuper ſuos ſubditos, quam habent Epiſcopi in ſuos; Et putat, Epiſcopos per cap. 6. ſeſſ. 24. de reformat. hanc auctoritatem habere, latè interpretando verbum Suſpenſionis, prout etiam comprehendit inhabilitatem. Rodriquez tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 24. artic 17. poſito fundamento ex cap. At ſi Clerici, §. De adulterijs, de iudicijs, vbi Alexander III. concedit Epiſcopis, quòd poſſint cum Clericis in adulterijs, & alijs minoribus delictis, peracta pœnitentia, diſpenſare; ait, quòd hoc delictum, de quo agimus, non eſt maius adulterio, & cum Generales, & Prouinciales habeant auctoritatem quaſi Epiſcopalem, poterunt in hac inhabilitate diſpenſare, cum reſeruata non ſit etiam in foro exteriori. Sanch. 6. in decal. cap. 15. n. 78. cum tenuerit, vt nos etiam cum ipſo diximus, hanc pœnam in conſcientia non incurri, putat, quòd non poſſit dari caſus, in quo ea ſit occulta, accedente iudicis ſententia, & exiſtimat, quòd nec Epiſcopo, nec Superioribus Religionis integrum ſit in hac inhabilitate, & priuatione à Pontifice inducta, ac ſententia iudicis decreta diſpenſare; quòd ſi teneatur, eam abſque ſententia iudicis incurri; putat, quòd poſſint ſuperiores Prælati, immo & Superiores locales in ea diſpenſare, propter bullam Pij V. concedentem ſuperioribus Prælatis omnem auctoritatem, quam habent Epiſcopi in ſuos ſubditos, & etiam propter priuilegium Pauli III. concedens abſolutionem ab omnibus caſibus reſeruatis, & cenſuris, & pœnis conſurgentibus ex eis.

24 Breuiter dico, quòd in conſcientia iſta pœna non incurritur, vt probaui ſupra, num. 19. Quòd ſi quis ſcrupuloſus ob ſuæ conſcientiæ maiorem ſerenitatem abſolui voluerit, poterit abſolui à Generali, vel ab eo deputatis, per priuilegium Gregorij XIV. quod incipit, Illius, conceſſum Clericis, qui miniſtri infirmorum dicuntur, quod refert Cherub. tom. 2. bull. in Gregorio XIV. conſtitut. eius 17. vbi hæc habet, *Nec non cum eis, ſi opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abſterſione inhabilitatis, & infamia macula diſpenſare.* Quod etiam conceſſit Abbatibus, & Prælatis Caſſinenſibus Pius V. anno 1571. Idib. Ianuar. vt refert Peregr. 1. p. ſui comp. ait. Diſpenſatio, §. 6.

25 Circa forum fori licèt Rodriq. loc. cit. & eumd. ſecutus Cruz libro 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 15. concl. 6. in hoc etiam probent poſſe Prouinciales diſpenſare. Puto tamen veram ſententiam Paſſar. & Sanch. quia Prælatus inferior non poteſt tollere pœnas à Papa inflictas. Nec inuenio priuilegium id clarè concedens, Immo priuilegium Gregorij XIV. expreſsè loquitur de foro conſcientiæ tantum, per quam clauſulam omnino denegatur abſolutio in foro fori; Ex quo enim vnum conceditur, aliud eo ipſo denegatur, c. Qualis hinc, diſt. 25. vbi Gloſſa verbo Negatur, multa congerit.

26 Circa Vigiles, de quibus in eodem §. 3. in Cap. Rom. 1. non fuerunt creati, vt poteſt videri in num. vlt. ob penuriam Prouinciarum. In Cap. ſequenti Thurone celebrato, fuit creatus vnus Vigil pro natione Italia, qui fuit R.P.F. Hieronymus à Ponte Genuenſis, & Prouinciæ Genuæ Prouincialis, vt videre eſt num. 10. Et in Cap. Tholoſæ, num. 7. deciſum eſt, electionem Vigilis pro tunc omittendam eſſe, vt de facto omiſerunt. In Cap. 2. Fori iulij, num. 5. poſtulantibus Vigiles fratribus Prouinciæ Caſtellæ Patres non annuerunt, vnde ex illo tempore non ſunt amplius creati Vigiles, & ſic in Religione nullus vnquam fuit Vigil niſi dictus P.F. Hieronymus de Ponte Genuenſis. Quare in deſuetudinem abierunt, non obſtante præcepto huius Pontificis.

CONSTITVTIO VII.

Concedit, quòd poſſimus ſumere Conuentus, & ædificare, etiam non diſtantes ab alijs per cannas 140.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio F. Franciſco Binet Generali Ordinis Minimorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PIis, *& honeſtis deſiderijs, illis præſertim per quæ paci, & quieti perſonarum, ſub regulari obſeruantia degentium conſulitur, libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis.*

Proœmiũ.

§. 1. *Exponi nobis nuper feciſti, quòd licèt alias dilectus filius Andreas de Medina certas domos in ſuburbijs Oppidi B. Mariæ Aſtigiæ Hiſpalen. Diœceſis, quas tunc obtinebat, Ordini Minimorum, cuius Generalis exiſtis, pro conſtruenda inibi vna domo, ſeu Monaſterio ſub inuocatione Ieſu Mariæ pro perpetuis vſu, & habitatione ſuorum dicti Ordinis conceſſerit, ipſiuſque Ordinis fratres, quibus fel. recor. Sixtus Papa IV. prædeceſſor, & ſecundùm carnem patruus noſter, recipiendi domos, & loca pro eorum domibus à ſponte dantibus priuilegia etiam à nobis approbata conceſſerat, iuxta dicta priuilegia, domos ipſas receperint, inibique quamplurimas impenſas ex Chriſti fidelium eleemoſynis piè erogatis hactenus fecerint. Quia tamen nonnulli fratres certæ domus Ordinis fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmelo, aſſerentes dictam domum Ieſu Mariæ infra ſpatium centum, & quadraginta cannarum per aerem, aut aliàs menſurandarum conſtructam fuiſſe, idque contra priuilegia eiſdem fratribus B. Mariæ de monte Carmelo Apoſtolica auctoritate conceſſa, & in Mari magno contenta factum fuiſſe, ac ſub certis ſententijs, cenſuris, & pœnis in dicto Mari magno contentis, ne in dicta domo Ieſu Mariæ habitare, ſeu conſtruere præſumerent, inhibuerunt, ſeu inhiberi fecerunt.*

Moleſtabantur fratres ſuper quodã Cõuentu non diſtãte per 140. cãnas.

Vide in conſtit. 1. huius, § 10. & 17.

§. 2. *Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, tibi, & fratribus dicti Ordinis Minimorum, ad quem quamplurimi Chriſti fideles, præſertim partium Hiſpaniæ, ob Dei amorem, ac F. Franciſci de Paula illius Inſtitutoris memoriam magnum gerunt deuotionis affectum, vt tam dictam Ieſu Mariæ, quam alias, tam eis, quàm ſororibus dicti Ordinis Minimorum domos tam hactenus conceſſas, quàm in poſterum concedendas, etiam ab alijs domibus fratrum B. Mariæ de monte Carmelo, & aliorum quorumcumque Ordinum per centum, & quadraginta cannas, etiam per aerem, aut alias menſurandas, non diſtantes recipere, & receptas tenere, & inhabitare, ac de nouo in illis conſtruere,*

Supplicant pro conceſſio.

Digitized by Google

re, & ædificare, ſeu conſtrui, & ædificari facere valeas, & ipſi valeant, concedere, aliaſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Concedit, quod poſſint fratres noſtri ſumere Conuentus non diſtantes per 140. cānas.

§. 3. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ac fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi prędictam Ieſu Mariæ, & quaſcumque alias domos, & loca hactenus eidem Ordini Minimorum, illiuſque fratribus, & ſororibus conceſſas, ſeu conceſſa, & in poſterum concedendas, ſeu concedenda, etiamſi infra centum, & quadraginta cannas per aerem, aut alias menſurandas, ab alijs domibus dictorum fratrum de monte Carmelo, & aliorum quorumcumque Ordinum fuerint, de eorum tamen conſenſu, quorum intereſt, liberè, ac licitè recipiendi, & pro eorum perpetuis vſu, & habitatione retinendi, ac de nouo in illis conſtruendi, & ædificandi, ſeu conſtrui, & ædificari faciendi, ac inhabitandi de conſenſu quorum intereſt, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam concedimus.

Videtur cōtra §. 20. conſt. 1. eiuſdem.

Deputat commiſſarios.

§. 4. Quocirca dilectis filijs Miniſtro Monaſterij per Miniſtrum gubernari ſoliti S. Trinitatis Malacitanen. & Decano Eccleſiæ Corduben. per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum vobis in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciant vos conceſſione prædicta liberè potiri, & gaudere, non permittentes, vos per quoſcumq; deſuper indebitè moleſtari; Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, & alia opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Derogat contrarijs.

§. 5. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, & indultis Apoſtolicis dictis Ordinibus conceſſis, quibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romę apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Iunij 1509. Pontificatus noſtri anno 6.

§. I.

1 NOto, quòd hoc priuilegium de ſpatio 140. cannarum fuit conceſſum Carmelitis a Clemente IV. qui Pontifex amplius conceſſit Minoribus, eſt enim de trecentis cānis, vt refert Caſar. in comp. ver. Aedificare, num. 1. & 16. Sed omnia hæc priuilegia modò amplius in vſu non ſunt, vt ait A Sorbo ad Caſarub. loc. cit. in princ. Videri poteſt conſt. 39. Greg. XIII. quæ incipit, Saluatoris, apud Cherub. tom. 2. bull. in eo, pag. 406. pro Ieſuitis, & conſt. 8. Pauli V. pag. 188. apud dictum Cherub. tom. 3. pro Carmelitis deſcalceatis.

§. IV.

2 Noto 1. circa illam clauſulam poſitam in §. 4. *Quatenus ipſi, vel alter eorum*, quòd vigore huius clauſulæ ſi vnus cœpit procedere, poterit alius proſequi, vel procedere, primo impedito: Et dicitur impeditus, ſi abeſt, vel eſt infirmus. Et ſi vnus proceſſit nulliter, non ſeruatis de iure ſeruandis, poterit alius iuridicè procedere. Tuſch. verb. Clauſula, conclut. 321. Abbas in cap. Licèt vndique, num. 2. de off. deleg.

3 Noto 2. circa illam clauſulam poſitam eodem §. 4. *Appellatione remota*, quòd ſi iudex citet aliquem ad locum, ad quem citatus ire non poteſt ſecurè, propoſita exceptione de loco ſuſpecto, liberè poterit appellare, etiamſi appellatio interdicta ſit. Habetur in cap. Ex parte tua, de appell. vbi Abbas nu. 1. Neque iſta clauſula impedit, quin poſſit iudex ex legitima cauſa recuſari. Abbas in cap. Nouit ille, de appell. num. 3. Sed remouet omnem appellationem, non ſolùm friuolam, ſed etiam legitimam. Abbas in cap. Super eo, el 2. nu. 9. fine, de appell. Operatur etiam vires ſuas reſpectu partium, non autem reſpectu tertij comparentis pro ſuo intereſſe. Abbas in cap. Super eo, de off. deleg. Bald. addit. ad Specul. titul. De appell. verbo Clauſula, appell. remota. Et licèt tollat appellationem à definitiua, non tamen tollit ab interlocutoria. Addit. Panor. ad cap. Super eo, de off. deleg. cit. lit. B. qui etiam aduertit, quòd non prohibet, quin pars poſſit appellare, ſed facit, quòd iudex non poſſit talem appellationem admittere. Addit etiam, quòd cum tali clauſula non poteſt Legatus de latere, neque alius quiuis minor Papa, & Principe, cauſam aliquam committere quò ad ſententias definitiuas, bene autem quò ad interlocutorias. Neque poteſt apponi à minore Papa, & Principe quò ad effectum derogandi iuri, quò verò ad effectum, vt deſeruiat iuri, poteſt apponi à quocumque Ordinario. Bald. in addit. Specul. in tit. De appell. verbo Clauſula appell. remota.

CONSTITVTIO VIII.

Confirmat electionem Generalis Germani Lionet, & acta Capituli generalis Thuronenſis; & concedit, quòd Generalis præſideat in Capitulo generali vſque ad nouam futuri Generalis electionem; & quòd acta in vno Capitulo generali, in ſequenti approbari, vel reprobari poſſint.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio Germano Lionet Ordinis fratrum Minimorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. EXponi nobis nuper feciſti, quòd tu in proximo Capitulo generali Ordinis fratrum Minimorum in domo Ieſu Mariæ, propè Ciuitatem Thurouen. dicti Ordinis celebrato, Spiritus ſancti gratia cooperante, via ſcrutinij in generalem Correctorem dicti Ordinis, iuxta illius regularia inſtituta, per nos, & Sedem Apoſtolicam approbata, canonicè electus fuiſti. Ac poſt electionem de te factam huiuſmodi, in eodem Capitulo nonnulla pro dicti Ordinis manutentione, & directione vtilia, ac rationabilia edita fuerunt. Quæ omnia pro illorum ſubſiſtentia firmiori cupis dictæ Sedis munimine roborari.

Confirmat acta Capituli Thuronen.

§. 2. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, electionem de te ad triennium proximum factam, & omnia, & ſingula alia, regularibus inſtitutis dicti Ordinis per nos approbatis, & canonicis, & Apoſtolicis, inſtitutis non obuiantia, in dicto Capitulo generali pro ipſius Ordinis vtilitate geſta, & edita, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illaque inuiolabiliter obſeruari mandamus. Supplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui

forſan

Digitized by Google

forſan interuenerint in eiſdem.

Mãda Generalem præſidere Capitulo vſque ad nouam electionem.

§. 3. *Et ne, triennio huiuſmodi finito, etiam ante futuri Correctoris generalis iuxta dicti Ordinis regularia instituta factam electionem, Ordo ipſe Correctore generali interim careat, tibi, ac ſucceſſoribus tuis Correctoribus generalibus dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, vt Correctores generales dicti Ordinis remanere, & Capitulo præſidere debeatis, donec canonica electio ſucceſſoris in Capitulo Generali pro tempore celebrato iuxta dicti Ordinis regularia instituta facta fuerit.*

Quòd acta in vno Capitulo poſſint ab alio approbari vel reprobari.

§. 4. *Quódq; geſta, & edita in Capitulo huiuſmodi, in ſequenti Capitulo (dummodò canonicis, & Apoſtolicis ordinationibus, aut Primatui Eccleſiæ Romanæ aliquo modo non obſiſtant) infirmari, aut approbari, ſeu confirmari poſſint, eadem auctoritate licentiam concedimus, pariter & indulgemus.*

Derogat contrarijs.

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis. Necnon omnibus, & ſingulis conceſſionibus, ſub quacumque etiam verborum forma, & ſerie, per nos, & Sedem prædictam, aut aliàs in contrarium forſan factis, & in poſterum faciendis, quorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro expreſſis haberi volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, die 1. Decembris, 1511. anno 9.*

§. III.

1 NOto, quòd de hoc pũcto in principio noſtræ Religionis fuit maxima controuerſia, vt poteſt videri in Capitulo Thuronis, numer. 13. Tholoſæ, num. 50. Romæ 2. num. 8. Et hoc propter ſtatutum Correctorii ante eius correctionem, quo ſtatuebatur, vt Generalis, & eorum Socij in electione futuri Generalis vocem non haberent. Sed poſt dictam correctionem Correctorij num. 93. & iſtam constitutionem iam non fuit ampliùs controuerſum. Habet Paſſar. in margine ad Capit. Rom. 2. num. 8.

§. IV.

1 NOto, quò ad modum condendi ſtatuta in Capitulis generalibus, quæ aduertit Paſſar. in ſchol. ex Ianuen. num. 3 de ſtatutis condendis. Aduertant etiam Patres Capituli generalis velim, vt non ſint faciles in condendis, & multò minùs in abrogandis ſtatutis, non enim conualeſcit planta, quæ ſæpius transfertur. Et certum eſt illud Alcibiadis apud Thucid. *Eos hominum tutiſſimè agere, qui præſentibus moribus, antiquis legibus, etiamſi deteriores ſint, minimùm variantes, Rempublicam adminiſtrant.* Et Auguſtum ad Senatum ſolitum dicere ait Dio, *Poſitas ſemel leges conſtanter ſeruate, nec vllam earum immutate, nam quæ in ſuo ſtatu, eademq; manent, etiamſi deteriora ſint, tamen vtiliora ſunt Reipublicæ his, quæ per innouationem vel meliora inducuntur.* Et id genus plura vide apud Lipſium libro 4. ciuil. doctrin. cap. 9. Quòd ſi temporum, hominumque conditio ferat, ſtatuta aliqua de nouo fieri, id matura deliberatione fiat per patres doctos, & diſcretos, rem radicitus, & intimè conſiderantes, non celeuſmaticè, vt ſæpe vidi, & attendatur præſertim ad id, quod dicit P. Paſſar. loc. citat. Si verò mutari ſuadeat temporum conditio, id demum fiat, vt vetus Reipublicæ veſtis, quæ lex eſt, concinnari potiùs, vel aptè ſarciri, quàm diſſui, aut lacerari videatur.

3 Hic quæro, an poſſit vnum Capitulum generale contrauenire actibus alterius Capituli generalis confirmatis à Papa, ſeù ab illis recedere.

2. Hoc eſſe apud Doctores controuerſum, vt eſt videre apud Paſſar. in notab. priuil. notab. 26. Anguian. tract. de leg. lib. 3. controu. 6. Breuiter dico, licitum eſſe Capitulo generali ſtatuta edita in vno Capitulo generali, & confirmato à Papa, remittere, & relaxare, ſi confirmatio fuit ſolùm in forma communi. Ita Rodriq. to. 1. quæſt. reg. q. 68. art. 5. & innuit q. 10. art. 4. Anguian. loc. cit. num. 5. & conſtat ex iſto §. 4. Et ratio eſt, quia bonum illud per ſtatutum Capituli prætenſum non aliter eſt bonum, quam quia ad ſingulos de Capitulo ſpectat, qui ex eo commodum, & vtilitatem percepturi ſunt, nec alio fine à Papa confirmatur. Ergo, ſi ex illo ſtatuto temporum conditione mutata, non ſolùm cõmodùm, & vtile percepturi non ſunt ſucceſſores, ſed incommodum, & damnum, non ſunt cogendi inuiti illud ſuſtinere, ſed poſſunt ab eo reſilire. *Quod enim ob gratiam alicui eſt conceſſum, non debet in eius diſpendium retorqueri,* vt dicitur in cap. Quòd ob gratiam, de regul. iur. in 6. regul. 61. Confirmatio autem ſtatuti gratia eſt, vt patet. Habetur id etiam clarè in cap. Cum acceſſiſſent, de conſtit. Nec refert iuris illud dicterium, quòd *omnia noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur,* vt dicitur in cap. Si Apoſtolicæ, de præben. in 6. Quia intelligitur ſolum quòad effectum firmitatis, vt videlicèt actus à Papa confirmatus perinde firmus cenſeatur, ac ſi per ipſum Papam geſtus fuiſſet, vt dictus Anguian. loc. cit. num. 6. Ex quo non ſequitur, quòd illa ſtatuta ob confirmationem Papæ deſerant, & omittant ſuam naturam primordialem ſed potiùs illa confirmatio eſt quid acceſſorium: vnde ſequi debebit illorum naturam, per regulam Acceſſorium, quæ eſt 41. de regul. iur. in 6. Vnde quia ſtatuta Capituli generalis ante confirmationem natura ſua erant reuocabilia, per aliud ſubſequens Capitulum generale poterunt ſimiliter reuocari poſt confirmationem, cum dicta confirmatio ſolùm operetur vim, & firmitatem dictorum ſtatutorum, donec reuocentur per aliud Capitulum.

4 Si autem confirmatio facta fuerit ex certa ſcientia, tum non licet Capitulo ſubſequenti à Capituli ſtatutis ita confirmatis reſilire. Quia confirmatio ex certa ſcientia magis eſt datio, ſeu noua conceſſio, quàm confirmatio, vndè reualidat actum nullum, cap. 1. & cap. Veniens. de tranſact. & ita tradit Anguian. tract. de leg. lib. 3. controu. 6. num. 14. multos citans.

5 Ad vltimum nota, quòd ſi Papa confirmando ſtatuta vnius Capituli aliquod ex ſe ipſo ſtatutum faceret, quòd non eſſet in illo Capitulo confirmato, non poſſet Capitulum generale ſubſequens illud reuocare. Quia eſſet immediatè procedens ab Apoſtolica Sede, & inferior non habet in Superiorem auctoritatem, cap. Inferior, diſt. 21. vt aduertit Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 68. art. 5. fine.

CONSTITVTIO IX.

Concedit, vt duo ex Prælatis Congregationis Monachorum B. Mariæ montis Oliueti cum conſenſu Capituli poſſint alienare in euidentem vtilitatem.

IVLIVS PAPA II.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Abbati Generali, & Viſitatoribus Congregationis Monachorum B. Mariæ de monte Oliueto Ordinis S. Benedicti, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX

Proœmiũ. *EX iniuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Monaſteriorum, & aliorum religioſorum locorum quorumlibet vtilitas valeat procurari.*

Literæ Pauli II. pro Cõmiſſarijs alienationum. §. 1. *Dudum ſiquidem à fel. rec. Paulo PP. II. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus iudicijs ſit rectitudo iuſtitiæ, & conſcientiæ puritas obſeruanda, id multò magis in commiſſionibus alienationum rerum eccleſiaſticarum conuenit obſeruari, in quibus de Chriſti patrimonio & diſpenſatione pauperum, nõ de proprio cuiuſque peculij agitur, aut tractatur. Qua propter oportet, vt in examinandis huiuſmodi alienationum cauſis, quæ à Sede Apoſtolica in forma, ſi ad euidentem vtilitatem cedant, oneratis eccleſiaſticorum iudicum conſcientijs, delegantur, nil fauor vſurpet, vel timor extorqueat, nulla expectatio præmij iuſtitiam, conſcientiamque ſubuertat. Monemus igitur, & ſub interminatione diuini iudicij omnibus Commiſſarijs, & Delegatis huiuſmodi diſtrictè præcipimus, vt cautè, & diligenter attendant cauſas in literis Apoſtolicis per ſupplicantes expreſſas, illaſque ſollicitè examinent, atque diſcutiãt; teſtes, & approbationes ſuper narratorum veritate recipiant, & ſolum Deum præ oculis habentes, omni timore, vel fauore depoſito, Eccleſiarum indemnitatibus conſulant; nec in læſionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis autem Commiſſarius, aut Delegatus conſcientiæ ſuæ prodigus, in grauamen, aut detrimentum Eccleſiæ per gratiam, timorem, vel ſordes, alienationi conſenſerit, aut decretum, vel auctoritatem interpoſuerit, inferior quidem Epiſcopo, ſententiam excommunicationis incurrat; Epiſcopus verò, aut Superior ab executione officij per annum ſe nouerit ſuſpenſum: Ad æſtimationem detrimenti illati nihilominus condemnandus, ſciturus, quòd, ſuſpenſione durante, ſi damnabiliter ſe ingeſſerit in diuinis, irregularitatis laqueo ſe innoluet, à quo non niſi per ſummum Pontificem poterit liberari. Is verò, qui dolo, vel fraude, aut ſcienter in detrimentum Eccleſiarum, alienationem fieri procurauerit, aut per ſordes, vel impreſſionem alienationis decretum extorſerit, ſimilem ſententiam excommunicationis incurrat, à qua non niſi per Romanum Pontificem abſolui poſſit: Ad reſtitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumq; de præmiſſis conſtiterit, condemnandus. Volumus autem, quòd Commiſſarij, & Delegati prædicti de pœnis conſtitutionis noſtræ ſpecificè moneantur, & in quibuſcumq; literis commiſſionum huiuſmodi hoc ſtatutum noſtrum inſeratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ monitionis, præcepti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incar. Dom. 1465. 5. Id. Maij, Pontificatus noſtri anno 1.*

Supplicatur Papæ pro facultate alienandi. §. 2 *Et deinde nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli Generalis Congregationis Monachorum B. Mariæ de monte Olineto Ordinis Sancti Benedicti petitio continebat, quòd ſepe contingit, quòd Monaſterijs, Prioratibus, & alijs religioſis locis dictæ Congregationis, necnon membris ab illis dependentibus expediret aliqua ex eorum immobilibus bonis, quæ eis parum vtilia, ſeu minùs commoda exiſtunt, vendere, & pretium inde proueniens in alia immobilia bona vtiliora, & commodiora conuertere, ſeu pro alijs poſſeſſionibus, aut immobilibus boni vtilioribus, & commodioribus commutare, aut in feudum, vel emphiteuſim, ſiue liuellum, & affictum perpetuum, vel ad tempus ſub canone condecenti locare, & concedere, ex quo profectò Monaſteriorum, & Prioratuum, ac locorum, necnon membrorum prædictorum conditio cum eorum euidenti vtilitate melior efficeretur. Quare pro parte eorumdem Capituli nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt vobis ſingulis Abbatibus, & alijs Prælatis, & Prioribus, ac Conuentibus Monaſteriorum, locorum, Prioratuum, & membrorum prædictorum pro tempore exiſtentibus, quaſcumq; poſſeſſiones, & alia bona immobilia minùs vtilia, minùſq; commoda huiuſmodi, vendendi, alienandi, & permutandi, aut in feudum, ſeu emphiteuſim, vel liuellum, & affictum perpetuum, vel ad tempus locandi, & concedendi, quotiès expedierit, licentiam largiamini, committere, & mandare, aliàſq; in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Conced. facultatem alienandi. Vide infra conſt. 24. Leonis X. & conſt. 5. Clem. VII. & conſti. 7. & 8. Vrban. VIII. §. 3. *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel maior pars, aut ad minus duo veſtrum, bonis (de quorum venditione, permutatione, locatione in feudum, ſeu emphiteuſim, vel liuellum pro tempore agetur huiuſmodi) priùs coram vobis ſpecificatis, de omnibus, & ſingulis, quæ ſuper obtinenda licentia huiuſmodi per eoſdem Abbates, Prælatos, Priores, & Conuentus vobis pro tempore exponi contigerit, & eorum circumſtantijs vniuerſis auctoritate noſtra vos coniunctim, ſeruata forma literarum Pauli prædeceſſoris huiuſmodi, procedendo, diligentèr informetis. Et ſi per informationem eamdem, ea vobis ſic pro tempore expoſita vera eſſe, ac venditiones, alienationes, permutationes, locationes, & conceſſiones prædictas, ſi fiant, in euidentem Monaſteriorum, Prioratuum, membrorum, & locorum prædictorum, quorum illa fuerint, vtilitatem cedere repereritis, eiſdem Abbatibus, Prælatis, Prioribus, & Conuentibus id petentibus, quoties expediens fuerit, poſſeſſiones, & bona quæcumq; huiuſmodi pro pretijs competentibus vendendi, & alienandi, ſeu illa pro alijs poſſeſſionibus, & bonis immobilibus vtilioribus, & commodioribus permutandi, aut quibuſuis perſonis, etiam ſecularibus in eamdem emphyteuſim, vel liuellum, & affictum perpetuum, vel ad tempus pro condecenti annuo canone, ſeu cenſu locandi, & concedendi dicta auctoritate licentiam largiamini, concedimus.*

Derogat contrarijs. §. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, Prioratuum, locorum, membrorum, Congregationis, & Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; quòdq; vos de perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, quibus literæ Apoſtolicæ dirigi conſueuerunt, non ſitis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.*

§. 5. *Prouiſo, quòd ſi poſſeſſiones, & bona huiuſmodi*

vendi

Digitized by Google

Pretium in alia bona ſtabilia implicetur.

vendi contigerit, vt præfertur, pretium, ſeu pretia ex illis prouenient, ſeu prouenientia, penes ædem ſacram etiam dictæ Congregationis, aut fide, & facultatibus idoneam perſonam cum obligationibus, & recognitionibus, ac cautelis in talibus apponi ſolitis reponantur, & in emptionem aliorum immobilium bonorum eiſdem Monaſterijs, Prioratibus, locis, & membris quorum erant bona vendita huiuſmodi, commodiorum, & magis vtilium, & non in aliam cauſam omnino conuertantur. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1507. pridie Nonas Iulij, Pont. N. anno 4.

§. I.

1 NOto 1. quòd commiſſiones alienationum communiter fiunt à Summis Pontificibus Ordinario loci, & alteri perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ coniunctim; & ſi de ipſius Ordinarij intereſſe, & præiudicio agitur, tunc loco ipſius committuntur Metropolitano, & ſi res ad ipſum Metropolitanum pertineat, Ordinario viciniori. Concedebantur autem illæ commiſſiones antea etiam per ſacram Pœnitentiariam. Sed Pius IV. per ſuam bullam, quæ incipit, In ſublimi, §. 11. quam refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio IV. conſt. 53. pag. mihi 71. prohibet pro rebus, quarum redditus annuus ſummam viginti ducatorum auri de Camera excedat: Et concedebantur etiam per Camerarium Apoſtolicum, & eiuſdem Cameræ Clericos. Sed has facultates omnino reuocauit Pius V. per ſuam conſtitut. quæ incipit, Volentes, quam refert Cherub. tomo 2. bull. conſtitut. 69. pagin. 266. pro re cuiuſcumque valoris, etiam ſummam annuam quinque ducatorum auri de Camera non excedente, & ſibi ſoli immediatè, & ſucceſſoribus ſuis id reſeruauit. Nunc per decretum ſacræ Congreg. Concil. de mandato Vrbani VIII. quod habes infra, in Vrbano VIII. conſtit. eius 8. Regularibus, quibus directè, & immediatè, non per communicationem, conceſſum erat ab Apoſtolica Sede aliquod priuilegium alienandi, conceduntur dictæ commiſſiones, ſeu licentiæ alienandi gratis à dicta ſacra Congregat. ceteris autem non habentibus directè priuilegium alienandi, ſed tantummodò illud habentibus per communicationem, conceduntur immediatè per Papam per viam Datariæ. Et ita intelligo practicari dictum decretum Congregationis in Vrbe.

2 Si quæras, an nobis Minimis ſit directè, & immediate conceſſum aliquod tale priuilegium, ita vt, in alienationibus ſufficiat nos ad ſacram Congreg. Concilij recurrere.

℟. Meo videri eſſe conceſſum in conſtitut. 5. huius Pontificis, §. 4. ibi *Necnon eiuſdem Ordinis Minimorum domos*, &c. vbi aduerte, quod etiam intelligitur ibi illa clauſula antecedens *Abſque noſtra, & tua aut Generalis Correctoris pro tempore exiſtentis licentia ſpeciali*. Nam dictio, Nec, eſt copulatiua, & continuatiua, & repetit præcedentia in ſequentibus, neq; aliud importat, quàm Et non. Tuſchus verb. Dictio, concluſion. 312. Vnde ſi poſſunt fratres de Generalis licentia bona immobilia extra Ordinem concedere, poſſunt etiam de eiuſdem alienare: verbum enim Concedere extra Ordinem idem importat, quod Alienare, vt videri poteſt in §. 2. huius conſtitut. & in bulla Ambitioſæ, quam pono numero 4. & in decreto nouiſſimo Congr. Puto etiam eſſe conceſſum hoc priuilegium directè nobis ab eodem Iulio I. in conſtitut. eius 1. §. 14. vbi ait, *quod poſſimus frui omnibus gratijs, & priuilegijs quatuor Ordinibus Mendicantium conceſſis, & in poſterum concedendis*. Et §. 25. eiuſdem conſt. ait, *quod poſſimus tranſumptari facere omnia priuilegia conceſſa alijs Mendicantibus a quibuſcumque Pontificibus, mutatis nominibus Pontificum concedentium, in nomen Iulij, & nominibus eorum, quibus ſunt conceſſa, in nomen Minimorum*. Deinde ait *Ac quòd tranſumptum, ſeu tranſumpta huiuſmodi, taliter facta, & manu alicuius Notarij publici ſubſcripta, ac ſigillo alicuius Prælatus eccleſiaſtici ſigillata. Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & fratribus pro tempore exiſtentibus adeo vbique locorum ſuffragentur, ac ſi ſingula prædicta bulla, &c. fratribus ipſis Minimis, & eorum Ordini præfato, etiam ſub Minimorum nomine, ſpecialiter, & expreſſè indulta fuiſſent, ac pro eis principaliter emanaſſent.*

3 Noto 2. quòd ſex conſulit Quarant. in ſum. bul. ver. Alienatio, numero 14. Commiſſarijs alienationum, & ponit etiam formam decreti, quæ omnia ibi videri poſſunt.

4 Noto 3. quòd contra alienantes bona eccleſiaſtica adeſt extrauagans Pauli II. quæ incipit, Ambitioſæ, inter extrauag. communes de reb. Eccl. non alien. quam refert etiam Cherub. tom. 1. bull. in Paulo II. conſtitut. eius 5. pag. 329. quæ ſic habet. *Ambitioſæ*, & infra, *Omnium rerum, & bonorum eccleſiaſticorum alienationem, omneq; pactum, per quod ipſorum dominium, concesſionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, necnon in feudationem vel contractum emphyteuticum, præterquam in caſibus à iure permiſſis, ac de rebus, & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis; & tunc cum Eccleſiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura conſtitutione fieri prohibemus, & tam qui alienat, quàm is qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat*, &c. vbi ponit alias pœnas. Extat etiam decretum Concilij Trident. ſeſ. 25. de refor. cap. 11. & ſeſſ. 22. de reform. cap. 11. Extat etiam alia conſtit. Pauli IV. quæ incipit, Iniunctum, apud Cherub. tom. 1. bull. in Paulo IV. conſt. 2. & Pij V. quæ incipit, Volentes, quam idem Cherub. to. 2. bull. in Pio V. conſt. 69. & aliam eiuſdem, quam idem Cherub. conſt. 98. quæ incipit, Etſi de ſingulis. Extat etiam decretum Cong. Concilij de mandato Vrbani VIII. de quo dixi nu. 1. in quo prohibetur omnis alienatio ad formam bullæ Pauli II. & cum pœnis in ea poſitis. Et nouiſſimè exiuit conſtitutio Vrbani VIII. quæ incipit, Humanæ ſalutis, infra, in eius conſtit. 7. in qua prohibet etiam dari in emphyteuſim, vel feudum, vel vltra triennium locari, quæ ſic dari ſolita ſunt.

5 Noto 4. circa intelligentiam huius extrau. Ambitioſæ, quòd Caiet. in ſumm. ver. Excommunicatio, cap. 75. quem ſequitur Quarant. in ſumm. bullar. verb. Alienatio, nu. 5. & Filliuc. tom. 3. tract. 44. cap. 1. q. 5. n. 7. ait, quòd in extrau. Ambitioſæ prohibetur omnis modus alienandi, etiam in caſu licito, & ſeruatis ſolemnitatibus, de quibus infrà, inconſulto Romano Pontifice. Conceduntur tamen ibi tres caſus, in quibus licitum eſt alienare inconſulto Romano Pontifice. 1. eſt locationis, & conductionis intra triennium. 2. eſt emphyteuſis habentis tres conditiones, ſcilicet in caſibus à iure permiſſis, & de bonis ſolitis ab antiquo dari in emphyteuſim, & cum euidenti Eccleſiæ vtilitate. Sed hic caſus modò quò ad bona iuriſdictionalia eſt omnino ſublatus per dictam conſt. Vrbani VIII. Humanæ ſalutis. 3. eſt alienationis fructuum, qui ſeruando ſeruari non poſſunt. Nauarr. to. 2. in comm. de alien. rer. Eccleſ. num. 2. verſ. Secundò annoto, ait, quòd in dicta extrauag. permittitur alienatio rerum Eccleſiæ, inconſulto Romano Pontifice, in caſibus à iure permiſſis, videlicet iuſta de cauſa, ſeruata forma iuris communis. Permittitur etiam alienari conſueta dari ab antiquo in emphyteuſim cum euidenti Eccleſiæ vtilitate. Et denique permittitur alienatio rerum, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt. Itaque ſecundùm Nauarr. quem ſequitur Zerola 1. par. prax. verb. Alienatio, numero 1. & 2. etiam poſt dictam extrauagant. Ambitioſæ, licitum eſt alienare, inconſulto Romano Pontifice, in caſibus à iure permiſſis. Secundùm Caiet. illud *caſibus à iure permiſſis*, non ſtat per ſe, ſed eſt conditio eorum, quæ dari ſolent in emphyteuſim.

Digitized by Google

Opinio Nauar.certè videtur ſecundùm literam; at opinio Caiet. tutior eſt, vt ipſe etiam ait, & practicatur in Curia,atq; adeo omnino amplexanda.

6 Noto 5. quòd caſus à iure permiſſi, in quibus licitum eſt alienare, ſunt quatuor. 1. eſt neceſſitas, vt ſi debita vrgeant, & de fructibus ſatisfieri non poſſit. 2. eſt vtilitas, vt res melior habeatur, ad quam reducitur fabricatio Eccleſiæ, vel Monaſterij ſi non ſit capax ſufficienter. 3. eſt pietas pro redimendis captiuis,ad quem reducitur cibatio pauperum tempore famis. 4. eſt incommoditas, vt quia res alienanda eſt magis damnoſa,quàm vtilis. Ita Gloſſa in ſumm.c.1.12.q.2.Sylu. verbo Alienatio,q.1.n.2. Quar. in ſum.bull.ver. Alienatio, n.3.Nau.de reb.Eccl.non alien.nu.3.

7 Noto 6. quòd ad alienandum requiritur non ſolùm cauſa licita, nimirum vna ex illis quatuor dictis nu. 6. ſed etiam ſolemnitas iuris. Solemnitas autem iuris requirit quatuor. 1. eſt tractatus de alienatione, qui fit hoc pacto. Congregatis fratribus omnibus localibus, & vocalibus in locum Capituli ad ſonum campanulæ, ſuperior Prælatus proponit cauſam talis conuocationis, V.G. quòd Monaſterium onuſtum eſt graui ære alieno, & quòd nullo pacto ſoluendo eſt,niſi vendatur talis domus, &c. & ideo eos ibi conuocauit ad determinandum, quid faciendum ſit, ideò vnuſquiſq; ſuam proferat ſententiam. Ita Quar.in ſum. ver. Alienatio, nu.4.Sylu. eodem,q.2. nu.3. Rodriq.tom.1. quæſt. reg. q.27.ar.2.& habetur in cap. Sine exceptione, 12.q. 2. & in cap.1.§. Quia verò, de reb. Eccl.non alien. in 6. Vbi aduerte, quod ſi aliqui fratres vocales eſſent infirmi, vel extra Conuentum, non per hoc deſineret Capitulum poſſe facere dictam alienationem, ſufficit enim, quòd ad deliberandum adſint in Capitulo ex tribus partibus duæ. Vigliag. de reb.Eccleſ. malè alienat.p.1. cap.3.nu.3. 2.quod requiritur de ſolemnitate, eſt conſenſus Capituli, ſeu maioris partis illius. Vigliag.loc. citat.num. 1. & habetur in cap. Ea noſcitur §. Reſpondemus, de his, quæ fiunt à Præl. Et in cap.1. de his, quæ fiunt à maiori par. Cap. & cap. fin. eod. tit. Quod enim à maiori parte factum eſt, à toto Capitulo factum cenſetur, leg. Aliud eſt, §. Refertur, ff. de regul, vbi dicitur, *Refertur ad vniuerſos, quòd publicè fit per maiorem partem*. Et iſte conſenſus non ſufficit, quòd ſit tacitus,ſed debet eſſe expreſſus. Rodriquez loc.cit. verſu Et aduerten. Gloſſa in cap. Continebatur,de his, quæ fiunt à Præl. ver. Contradicente. Panorm. cap. 1. eiuſd.tit.num.3.Cruz lib.1.de ſtatu Relig.cap.4. dub. 3. concl. 2. cond. 4. 3. requiritur auctoritas Superioris, nimirum Abbatis in Eccleſijs ſibi ſubiectis, & Prouincialium in Eccleſijs Mendicantium. Quarant. loc. cit. num.4.Sylu.num.3. Rodriq.loc. citat. qui etiam aduertit,quod ſi Monachorum maior pars diſſentiret,Prælatus autem conſentiret alienationi,non valeret dicta alienatio,ſicut nec poſſent Monachi, diſſentiente Præſidente,alienare,quia non ſolùm requiritur conſenſus fratrum, ſed etiam Prælatorum auctoritas, quæ ſi non interueniat,non valebit alienatio. 4. requiritur ſubſcriptio ſingulorum, ſaltem per Notarium. Quar. Sylueſt. loc.cit. Habetur in cap.1. & ca. Tua nuper. de his, quæ fiunt à Præl. vbi Panorm.

8 Si quæras,an minor pars,quæ alienationi non conſenſit, ſubſcribere teneatur determinationi factæ à maiori parte.

℞. Si quod eſt determinatum, eſt euidenter in præiudicium, & damnum Eccleſię, tunc tenetur minor pars non ſubſcribere,quia ſubſcribendo videretur conſentire, & ſic incurreret in pœnas contra alienantes. Habetur expreſsè in cap. Si quis presbyt. de reb. Eccl. alien.vbi Panorm.num.1. Immo poteſt, & debet dicta minor pars contradicere, & appellare ad Superiorem. Habetur dicto cap. Si quis,§. Sed etiam. Immo vnus ſolus contradicere poteſt,& ad Superiorem appellare, qui Superior,cauſa cognita, ſi appellans verum dixiſſe fuerit repertus, debebit determinatum à maiori parte reſcindere. Vigliag. de reb. Eccl. malè alienat.p.1.c.4. Panor. dicto cap. Si quis presbyt. numer.1. & 6. Sed vt contradictio minoris partis valeat, debet proponere quid rationabile, & illud probare, vt Gloſſa in ſum. cap.1.de his,quæ fiunt à major.par.vbi Panor.numer.5. Et nota, quòd non tenetur probare ſuam contradictionem coram maiori parte, quæ eſt illi ſuſpecta, ſed coram Superiore, vel arbitris, ſi Superior eſſet abſens, & negotium vrgeret. Panor. loc.cit.nu.12.

9 Sed quæres. Aliquis de Capitulo non vult conſentire alienationi factæ à toto Capitulo, ſed ne ſibi Prælatum infenſum reddat, cuius contemplatione talis alienatio determinatur, non vult appellare ad Superiorem, neque etiam contradicere expreſsè, ſaluabit ne conſcientiam ſuam, & euitabit ne pœnas contra alienantes?

℞. Quòd iſte nolens conſentire, licèt non teneatur appellare,tenetur tamen expreſſe contradicere,& facere quantùm poteſt,vt illa determinatio alienãdi reſcindatur alioquin non euitabit neque pœnas, neque peccatum. Et ratio eſt, quam affert Panor. in ca.2.de his, quæ fiu.à Præl. ſine conſ. nu.9.quia quilibet de vniuerſitate debet votum ſuum exprimere in concernentibus factum vniuerſitatis ex debito officij, arg. cap.1.de his, quæ fiu.à mai.par.Cap. Is autem,qui tenetur loqui, & tacet habetur pro conſentiente. Quod etiam docet idem Panorm.in cap.1.de his,quæ fiu. à mai.par. num. 13. & eſt dictum ſingulare Innoc. in cap. 1.de his, &c. num. 4.

10 Noto 7. quod fructus,& bona, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, de quibus concedit bulla, quòd poſſint fieri alienationes, ſunt res mobiles minimè pretioſæ,vel quæ non durant triennio, vel vſu conſumuntur, & non fructificant, quales ſunt veſtes non pretioſæ,fructus,& aliæ res mobiles, vel ſe mouentes,& non fructificantes. Ita Nauar. comm. de alien.rer. Eccl.to. 2. nu.4.Panor.in cap. Nulli,de reb. Eccl.alien.n.8. Hæc autem bona ſecùndum ius commune poſſunt per ſolum Prælatum, ſine Conuentu, aliqua ratione ſufficienti id ſuadente, alienari. Ita Panormit. dicto capit. Nulli,num.8.Armil.verb Alienatio,nu.3. Cruz lib.1.de de ſtat.Relig.cap.4.dub. 3.concl.1. Sed in noſtra Religione, ſi ſint alicuius momenti, requiritur conſenſus Capituli,Correct.num.50.

11 Si quæras,vtrum pecunia ſit de his, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt.

℞. Affirmatiuè. Panor.loc.c.n.11.Sylu.ver. Alienatio, n.7.Quar.eod.n. 25. Nam pecunia de ſe non fructificat. Si verò pecunia eſſet in magna quantitate, vel eſſet deſtinata ad emenda bona immobilia, & fructificantia, tunc debet commutari inter bona immobilia, ſeu mobilia pretioſa. Sylu.& Quar.loc.cit.

12 Noto 8. quòd bona mobilia pretioſa, de quibus prohibet conſtit. Ambitioſæ fieri alienationem,ſunt ea mobilia,quæ ſeruando ſeruari poſſunt,vt vaſa aurea,argentea,veſtes pretioſæ,quę longè diſtant ab interitu,& commodè ſeruari poſſunt,gemmæ, & his ſimilia; grex etiam ouium,aut caprarum, de cuius fructibus emolumenta, & redditus percipere conſueuit Eccleſia, aut Monaſterium. Licèt enim poſſint vendi arietes, agni, hirci,non tamen licet alienare totum gregem.Ita Mol. tom.2.de contrac.diſp.465.nu.4.

13 Et aduerte,quòd ea,quæ alienari non poſſunt, neque etiam poſſunt pignorari,niſi in extrema,& vrgenti neceſſitate,præſertim ſi obligarentur ad tantum, quantum valerent.Quar.loc.cit.nu.27.Mol.loc. cit. diſp. 466. num.1.Nald.in ſum.ver.Alienare,nu.3.neque ſuper his poteſt conſtitui cenſus, neque de eis fieri compromiſſum. Nald.ibid.

14 Noto 9 quòd ſi fiat contractus alienationis, ſaluo aſſenſu Romani Pontificis, & antè interpretationem tradatur poſſeſſio, incurretur in pœnas huius extrau.Nauar.tom.1.conſil.lib.3.de reb. Eccl.alien.conſ.1. Quar. in ſum. bull. ver. Alienatio,numero 9. Nald.ver. Alien. numero 8. cum ſit proteſtatio contraria facto. Niſi bona fides excuſaret, vt notat idem Quar. loc. cit.

vel

Digitized by Google

vel niſi fiat proteſtatio, reſeruando aſſenſum directi Domini, etiam in actu traditionis, vt limitat De Auguſt. ad numer. 9. Quar. lit. B.

15 Noto 10. quòd diſpoſitio huius extr. non procedit in rebus immobilibus exiguis, vt in terrulis non excedentibus valorem 25. ducatorum aureorum, vt Nald. in ſum. ver. Alienare, n. 5. & ver. Prælatus, n. 7. Et addit ita fuiſſe reſponſum à ſacra Congr. Epiſcopo Fauentino, anno 1601. Ita etiam Quar. n. 41. qui affert declar. ſacræ Congr. de anno 1596. 19. Decembr. dicens, *ſacra Congregatio Conc. cenſuit, neque conſtit. Pauli II. neque Concil. Trid. decretum derogaſſe diſpoſitioni ca. Terrulas, 12. q. 2.* Sed quò ad valorem melius Filliuc. tract. 44. c. 4. n. 4. tom. 3. de alien. id relinquendum, ait, arbitrio boni viri, conſiderantis facultates Eccleſiæ temporum, locorum, & rerum qualitates. Tria tamen debent concurrere, vt dictæ terrulæ poſſint alienari, in conſulto Romano Pontifice. 1. quod ſint exiguæ. 2. quòd non ſint Eccleſiæ vtiles. 3. quòd adſit aliqua cauſa iuſta ex dictis num. 6.

16 Si quæras, an ſolus Superior, vel alius Prælatus Conuentus poſſit repudiare rem immobilem Eccleſiæ legatam.

℞. Panor. in capit. Tua nuper, de his, quæ fiunt à Præl. num. 9. fine. rem eſſe dubiam; ipſe tamen videtur inclinare cum Federico de Senis conſi. 9. quòd poſſit repudiare; quia dominium non eſt acquiſitum Eccleſiæ ante acceptationem, vnde repudiando potiùs dicendus eſt non acquirere, quàm alienare. Ius autem requirit ſolemnitatem in alienando, non in non acquirendo. Hanc opinionem tenet, & multis probat Sanch. lib. 6 de matrim. diſp. 4. num. 11. 12. inſiſtendo in hoc, quòd legatum Monaſterio relictum, antequam acceptetur, non eſt Monaſterio incorporatum. Et quamuis à morte teſtatoris, præſertim ſi eſt in ſpecie, tranſeat in dominium legatarij, hoc tamen dominium imperfectum eſt, cum ſolùm ſe teneat ex parte rei, non ex parte legatarij, qui poteſt illud nolle: Vnde quando dicitur, quòd legatum tranſit in dominium legatarij, intelligitur, ſi legatarius illud acceptauerit, vel non repudiauerit; nam ſi repudiat, fingitur dominium non tranſiſſe. Ita etiam Io. Valer. diff. 25. nu. 2. Puteus deciſ. 509. Scor. in ſelect. bull. theor. 2. verſu Sed hic grauis. Contrarium cenſet Azor. tom. 2. lib. 9. cap. 1. quæſt. 12. Nald. ver. Alienare, num. 5. & ver. Prælatus, num. 7. Filliuc. tom. 3. tract. 44. cap. 4. num. 34. Videatur Rodriq. tom 1. quæſt. regul. quæſt. 27. art. 3. verſu Secundò eſt aduertendum; vbi ait, quòd licèt hoc de iure communi Prælatus facere non poſſet, poſſet tamen per priuilegium, quod affert, Iulij III. Certè 1. opinio mihi magis placet, præſertim ſi legatum ſit cum aliquo onere, licèt concedam, Prælatum ſine iuſta cauſa id facientem peccare, quia tenetur bonum ſuæ Eccleſiæ procurare. In praxi tamen, maximè inter Regulares conſulerem ſemper 2. ſi præſertim Prælatus eſt temporaneus.

17 Si quæras, an ſolus Superior, abſque conſenſu cap. poſſit incidere arbores, quæ ſunt in villis Conuentus.

℞. Inciſio arborum poteſt fieri multis modis, Poſſunt enim incidi arbores, quia nimis denſæ, & nimis ſunt inter ſe vicinæ, & rare fieri non ſolùm in ſe, ſed etiam reſpectu aliarum. 2. poſſunt incidi arbores infructuoſæ, & vmbratiles, & loco earum reponi arbores fructiferæ, & faciem loci mutare. 3. poſſunt incidi arbores fructiferæ veteres, vt loco earum reponantur nouæ eiuſdem, vel ſimilis qualitatis. 4. poſſunt incidi arbores nemoreæ, vt, relictis radicibus, iterum creſcant, & renouentur, ſeu arbores cæduæ. 5. poſſunt incidi arbores fructiferæ, ſed reſpectu loci in parua quantitate, & paruæ æſtimationis. 6. poſſunt incidi arbores fructiferæ, & infructiferæ in magna quantitate.

18 In 1. caſu nullum adeſt delictum, nec conſequenter vlla pœna, nam illa cæſio arborum eſt vtilis, & bona; ſicut enim nimia raritas arborum nocet fructui eius quærendo, ita nimia denſitas nocet arboribus, & fructui ab eis ferendo, vt patet præſertim in oliuis. Ita Nauar. lib. 3. conſil. de reb. Eccl. alien. conſ. 6 num. 2. Rodriq. tom. 1. q. regul. quæſt. 27. art. 4. Quaranta in ſum. ver. Alienatio, num. 33.

19 In 2. caſu non poſſe, docet Filliuc. tom. 3. tract. 44. cap. 4. num. 17. Quia hoc eſſet actum dominij exercere, & Prælatus abſq; conſenſu Cap. nullum dominium habet neq; vtile, neq; directum; cap. Fraternitatem, de donat. ſed ſi adſit recta intentio, & nemus ſit paruum, aut mediocre, & non ad amœnitatem ſeruetur, & fiant ea, quæ ad illud fructiferum reddendum, ſecundùm agriculturæ leges, ſunt neceſſaria, puto poſſe Prælatum id ex ſe ſolo facere; nam reddit fundum magis appretiabilem, nec hoc eſt dominium vllum exercere, cum non ad libitum fundo vtatur, ſed ſecundùm rectum iudicium rationis Monaſterij bonum intendens; vnde licèt nullum habeat in rebus Monaſterij dominium, vt dictum eſt, eſt tamen illarum Procurator, vt dicitur dicto capitulo Fraternitatem, & Procurator conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, ibid. Si ergo euidenter melioret, non eget Capituli conſenſu. Ita Rodriquez tomo 1. quæſt regul. quæſt. 27. art. 4. Nauar. lib. 3, conſil. de reb. Eccleſ. alien. conſ. 6. nu. 2. Quar. in ſumm. bull. ver. Alienatio, numero 33. Conſulo tamen Prelatis regularibus, vt conſenſum Capituli obtineant ad vitandas lites.

20 In 3. caſu facit rem vtilem, & ſecundùm regulas agriculturæ; vnde nullam culpam, neq; pœnam incidet. Quar. loc. cit.

21 In 4. caſu nota, quòd arbores cæduæ ſunt illæ, quarum totus, vel precipuus fructus in inciſione conſiſtit, quales ſunt tantùm vtiles ad lignandum. Filliuc. loc. cit. num. 11. vnde ſi ſylua, vel nemus aliquod ſit ſolitum cædi determinato aliquo tempore, vel in toto, vel in parte, poterit Prælatus, adueniente tempore, illud cædi facere, obſeruatis, quæ in alijs ceſionibus ſecundùm temporis, quantitatis, & modi conditiones fuerunt obſeruari ſolita. Ita Quar. loc. cit. & Filliuc. n. 12.

22 In 5. caſu ſi Prælatus vnam, vel duas arbores fructiferas in fundo, in quo ſunt multę alię ſimiles arbores, incideret, non per hoc incurret in pœnas contra alienantes, quia cenſentur parua materia, ſecus tamen eſſet, ſi arbores illæ eſſent maximæ ęſtimationis vel quia nullę ſimiles reperiantur, vel non tam grandes: vel propter aliam rationem. Et hoc etiamſi fructiferæ non ſint, ſed vmbratiles, vt ſi incideret arborem fabæ græcę, quæ eſt in platea huius Conuentus Ieſu Mariæ, vel luxuriantis alicuius hæderæ, amœniſſimam vmbram æſtiuo tempore cauſantis. Ita Filliuc. loc. cit. q. 10. n. 11. verſu Quandò colligitur.

23 In 6. caſu incideret Prælatus in pęnas contra alienantes; quia cum alienatio ſit rei ſubſiſtentis, & immobilis à ſe dominij abdicatio, & arbores, quæ iàm ſolo radices conceperunt, ſint res ſubſiſtentes, & immobiles, non ſolùm ex iuris æſtimatione, ſed etiam ex communi omnium ſenſu, & conſuetudine, non eſt dubium, quòd eas ſcindere eſt alienare. Filliuc. loc. cit. nu. 7. Et pro arborum inciſione refert notabilem deciſionem Rotæ Farin. p. 2. deciſ. 553. in qua determinatur, quòd ad incurrendas pœnas extrau. Ambitioſæ, requiritur non ſolùm, quòd inciſio arborum ſit in magna quantitate, & quòd arbores ſint deſtinatæ ad afferendum fructum annuum, & quòd non ſint cędua, ſed etiam requiritur, quòd deterioratio fundi ſit notabilis.

24 Si quæras etiam, an prędia, quæ alternis tantùm annis fructum ferunt, poſſint vltra triennium locari, vt oliuæ, &c.

℞. Poſſe locari in ſex annos, & ſi prędium ſolùm tertio quoque anno fructum ferat, ad nouennium. Ita Nauarr. tom. 2. comm. de alien. num. 21. 22. Azor. part. 2. lib. 9. cap. 2. q. 2. Quar. ver. Alienatio, nu. 18. Filliuc. tract. 44. cap. 2. qu. 3. num. 8. Scort. in ſelect. bull. theorem. 115. verſu Sed quid. Et ratio eſt, quia annus in locatione non taxatur ex ſimplici decurſu temporis, ſed ex decurſu cum prouentu fructuum. Quare vbi fundus

Digitized by Google

alterno, vel tertio quoque anno fertilis eſt, biennium, aut triennium pro annuo tantùm ſpatio computatur, atque ita prædium, quod in ſex, vel nouem annos locatur, ſi hoc toto tempore tres tantùm fructus ferat, verè in tres annos locatur vtiles, & feraces.

25 Et aduerte ſecundum graues Doctores, quòd poſſunt res Eccleſię locari vltra triennium, & ad longiſſimum tempus, etiamſi ſingulis annis fructificent, modò in inſtrumēto locationis apponatur conditio, quòd vtile dominium rei locatæ apud locatorem remaneat. Nam ratio quare locatio vltra triennium prohibetur, eſt quia videtur eſſe quædam alienatio; quæ ratio ceſſat, quando apud locatorem remanet dominium vtile, cum enim alienatio ſit dominij alicuius translatio, hic autem nullum transferatur, ſed ſola commoditas, non poteſt eſſe alienatio; atque ita docet Bald. in c. Quæ in Eccleſiarum, de conſt. nu. 36. vbi Fel. n. 87. verſu Sexta declaratio, & Io. de Amono ſing. 72.

26 Aduerte tamen, quòd non poſſunt fieri locationes ad ſex, vel nouem annos cum hac clauſula, vt tot ſint locationes, quot triennia, & vt, finito primo triennio, tunc facta ſit noua locatio. Quia eſt in fraudem conſt. Ambitioſæ. Quar. ibid. Filliuc. loc. cit. cap. 3. n. 9. Felin. cap. Quæ in Eccleſ. de conſt. num. 87. An autem locatio iſto modo facta ſit omnino inualida, vel ſolùm ſit inualida pro exceſſu triennij, & pro primo triennio valida ſit, dubitant Doctores. Omnino inualidam dicunt Azor. p. 2. lib. 9. cap. 2. q. 4. Vaſq. de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 5. Quia eſt in fraudem conſt. Validam autem eſſe pro primo triennio dicunt Quarant. loc. cit. Molin. tom. 2. diſp. 467. num. 1. quia in ſeparabilibus, vtile per inutile non vitiatur, per reg. Vtile, quæ eſt 37. de reg. iur. in 6. At hic optimè ſeparari poteſt tempus à iure permiſſum à tempore prohibito. Non poteſt autem hoc tempus ſeparari, ſi ſimpliciter, & vnico contractu fiat locatio ad quinquennium, vel ſeptennium, V. G. & ideo tota locatio ruit, quia omnino inualida contra bullam, Mol. loc. cit. num. 2. Quaran. loc. cit. Vbi autem eſſet conſuetudo locandi vltra triennium, quia quò ad hoc non fuiſſet ibi recepta conſt. Ambitioſæ; poſſent ſine dubio fieri dictæ locationes vltra triennium vſque ad nouennium. Rebell. de obl. iuſt. lib. 14. q. 6. num. 2.

CONSTITVTIO X.

Excommunicat impedientes, & moleſtantes eos, qui ex ſeculo ad Religionem confugiunt.

IVLIVS PAPA II.

In quodam priuilegio conceſſo Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis B. Mariæ montis Oliueti, quod incipit, Etiamſi ad vniuerſos, anno Domini 1507. pridie Nonas Iulij, Pontificatus ſui anno 4. inter alia.

Impedięntes ad Religionem venientes excommunicantur.

Conceſſit, & prohibuit, ne aliqui, cuiuſcumq; ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, perſonas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur, ex ſeculo fugientes, & ad conuerſationem huiuſmodi Congregationis venire cupientes, verberibus, aut violentijs quibuſcumq; impedire, vel prohibere, aut à Monaſterijs, & locis Congregationis Monachorum S. Benedicti euellere, aut extrahere, iniuriam ingredi volentibus, aut recipientibus irrogando, ſeu eos moleſtando, audeant, vel præſumant. Contrarium verò facientes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, dum tamen, cum hoc præſens ſtatutum fuerit eis ad notitiam deductum, non deſtiterint à prædictis, à qua non poſſint, præterquam in mortis articulo, niſi per Sedem Apoſtolicam beneficium abſolutionis obtinere.

CIRCA CONSTITVTIONEM

1 NOta quòd hæc conſtitutio ponitur hic in ſumma à Paſſa. fortè quia eam habere non potuit, vel quia continebat aliqua, quæ ad nos nihil ſpectabant. Et aduerte quòd ſimilem prohibitionem ſub iiſdem pœnis fecit Eugenius IV. pro Congreg. Caſſinenſium, vt refert Rodriq. in ſuo bull. in Eugenio 4. bulla 7. §. 14. Seu potiùs dic, quòd eſt hæc eadem, licèt hic fortè impreſſoris incuria proponatur ſub nomine Iulij II. Certè Rodriq. tom. 3. quæſt. regul. quæ. 14. art. 3. hanc eamdem prohibitionem refert ſub nomine Eugenij IV. & citat Paſſar. hoc loco; eodem modo refertur in comp. Caſarub. ver. Nouitius, num. 28.

2 Qui ſint de iure communi prohibiti ingredi Religionem, vide to. 1. Religioſi q. 1. cap. 25. §. 3. pag. 305. Et nota, quòd non memini, me vidiſſe alio loco, quòd impedientes viros ingredi Religionem anathemate feriantur. Nam Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. de Regul. ſolùm loquitur de fœminis, vt probo cum Suar. Sanch. Ledeſ. tom. 1. Religioſi; qu. 1. cap. 29. concl. 2. verſu Noto 1. Vide etiam à concluſ. 5. vſq; ad finem cap. Et aduerte, quòd iſta excommunicatio ante monitionem eſt comminatoria, poſt monitionem latæ ſententiæ.

CONSTITVTIO XI.

Concedit multa Ordini Eremitarum S. Auguſtini, præſertim quòd fruatur omnibus priuilegijs conceſſis alijs Ordinibus Mendicantium.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio F. Aegidio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Priori generali, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

ETſi ad bene merendum, tum de vniuerſa Religione, tum præcipuè de Auguſtiniana, cui tu præes, propenſi magnoperè ſimus; libellus tamen, quem de Eccleſiæ incremento edidiſti, fecit nos ad res, vel tuas, vel tui Ordinis longè propenſiores. Concedit facultatem ſumendi Conuētus. Vide ſup. in eiuſdē conſtit. 1. § 20. & conſtitu. Pyrrhi §. 9. n. 48. 49. & nota hoc particulare de Parochijs.

§. 1. *Cum igitur ſuperiori anno per noſtras literas quædam Religioni tuæ conceſſerimus, inter quæ id erat, vt loca oblata tu, fratreſque tui, tam qui ſunt, quàm qui erunt, capere pro Religione poſſetis. Nunc per has noſtras ea, quæ conceſſimus, clariùs declaranda duximus: Eamdemque locorum ſuſcipiendorum facultatem ad alia quæcumque loca, domos, Eccleſias (etiam parochiales) ac cuiuſcumque ſint Ordinis, aut conditionis ſuſcipiendas, extendimus, damuſque pro-*

prio

Digitized by Google

prio tam motu, quàm ſcientia, atque de plenitudine poteſtatis, vt hæc omnia capere poſſitis, facta vobis poteſtate tam per literas, quas ſupra memorauimus, quàm per harum conceſſionem, declarationemque literarum. Licere igitur vobis perpetuò decernimus hæc omnia poſſe capere abſque alia Sedis Apoſtolicæ conceſſione. Non obſtante piæ memoriæ Bonifacij VIII. conſtit. prohibente noua loca ædificari.

Concedit omnia priuilegia Mendicantium.

§. 2. Confirmauimus etiam priuilegia Religionis veſtræ per eaſdem literas. Quod planè tam de ijs omnibus intelligimus, quæ veſtrum Mare magnum continet, quàm de alijs omnibus Apoſtolicis conceſſionibus, quarum apud vos aut Apoſtolicæ literæ, aut authentica exempla ſeruantur. Confirmamus & priuilegiorum communionem, quam fel. rec. Sixtus prædeceſſor noſter fecit inter vos, Mendicanteſque alios; decernimuſque ac volumus, quicquid vſque in hanc diem Ordini Minorum, aut Prædicatorum, aut Carmelitanorum, aut Seruorum conceſſum ab Apoſtolica Sede eſt, & quicquid in futurum concedetur, vobis conceſſum eſſe, fratreſque tuos eiſdem conceſſionibus perpetuò vti poſſe, perinde ac ſi vobis nominatim conceſſa eſſent.

Dat poteſtatem benedicendi res ſacras. Vide 2. p. noſtri Rit. not. 2.

§. 3. Dedimus præterea tibi poteſtatem ſacrandi, benedicendique corporalia, veſtes, & ea, quæ ſacris vſibus neceſſaria ſunt. Quo quidem munere tam te, quàm qui pro tempore erunt aut Generalis, aut Vicarius, fungi poſſe decernimus.

Nullus poteſt ex iſto Ordine tranſire.

§. 4. Vt verò exeuntium ab Ordine tuo motibus occurramus, confirmamus in primis fel. rec. Martini prædeceſſoris noſtri decretum, vt nemo è tuo Ordine ad aliquem aliorum Ordinum, occaſione arctioris Regulæ, tranſire poſſit. Volumuſque vt quiquis in tua Religione profeſſus, ſiue ad ſacros ordines promotus in ea fuerit (quam rem profeſſionis loco & eſſe, & haberi ſtatuimus) habitum dicti Ordinis relinquere, aut mutare non poſſit, niſi miſſionem, literaſque à Generali Ordinis obtinuerit: Quod tam de ijs, qui hactenus exierint intelligi volumus, quàm de his, qui in poſterum exituri ſunt, etiamſi Apoſtolicas literas obtinuerint.

Auocat ad ſe lites.

§. 5. Ne verò proteruis relinquatur litigandi, repugnandiuè locus. Si quis eorum exeuntium cauſam in Romana Curia ſuper ea re committi hactenùs obtinuerit, aut in poſterum obtinebit, vbi ad inhibendum, aut alia huiuſmodi agendum itum fuerit, motu, ſcientia, & poteſtate prædictis, lites huiuſmodi ad nos auocamus, atque omnino extinguimus. Statuentes, æquè valere hoc decretum noſtrum, ac ſi iudicium nomina atque alia omnia, quæ ſupra commemorata ſunt, hic ſatis expreſſa eſſent, etiamſi ſacri Palatij Apoſtolici Auditores exiſterent. Volumuſque vt quicquid ſuper hac re fiet, aut factum ſit, etiamſi cauſam aut nos, aut Apoſtolica commiſerit Sedes, pro infecto omnino haberi.

Decretum irritans.

§. 6. Irritum præterea eſſe, atque inane quicquid ſuper his Apoſtolica, ſiue alia quauis auctoritate ſecus contigerit aut agi, aut attentari.

Fratres exeuntes, capi mandat.

§. 7. Fratres verò, qui ita exierint, quocumque induti habitu ſint, mandamus, vt capi cures, ad Religionemque veſtram redire quacumque ratione compellas.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 8. Denique fidem adhiberi mandamus, non modò noſtris his literis, verum etiam & earum exemplis, modò prælati, aut Notarij alicuius ſigno obſignatæ fuerint. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 17. Iunij, 1508. Pontific. noſtri anno 5.

CONSTITVTIO XII.

Declarat, quomodò ſit intelligenda communicatio priuilegiorum inter Ordines Minorum, & Prædicatorum.

IVLIVS PAPA II.

Venerabilibus fratribus Salamantino, Paſcen. & Corduben. Epiſcopis, & eorum cuilibet ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Aliàs ad ſupplicationem chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Regis, & infrà.

Conceſſa Generali Prædicatorũ quò ad abſolutiones &c. intelliguntur conceſſa Generali Minorum, &c.

§. 1. Quòdque in prædicta priuilegiorum, gratiarum, & indultorum præfatorum communicatione, tam vniuerſaliter per prædeceſſores noſtros toti Ordini Minorum, quàm etiam per nos particulariter prædictorum Regnorum fratribus facta, vt ea, quæ ad abſolutionem, diſpenſationem, vel aliàs ad Priorem generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis Prædicatorum ſpectant. Ad Miniſtrum, vel Vicarium generalem fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad Priores conuentuales, ideſt Prælatos ſingularum domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios ſimiliter ſpectant, ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum. Et ea, quæ ad Priores, ſeu Vicarios, vel Subpriores, Prouinciales, ideſt Prælatos, qui medij ſunt, quocumque nomine cenſeantur, vel vocentur, inter dictum Generalem, ſeu Magiſtrum Ordinis, & Priores conuentuales, eorumque Vicarios ſimili modo ſpectant, ad Miniſtros, & Vicarios prouinciales, ac Cuſtodes, qui etiam medij ſunt inter Miniſtrum, & Vicarium generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios ſimiliter pertineant. Et ſicut de poteſtate Prælatorum, ſcilicet de Prælatis ad Prælatos dictum eſt, ita de Congregationibus vnius ad Congregationes alterius Ordinis; Et de fratribus priuatis, ideſt ſine Prælatura, ad fratres priuatos: Et de feſtiuitatibus ad feſtiuitates, in his caſibus, in quibus Congregationibus, vel fratribus priuatis, aut feſtiuitatibus, vnius Ordinis aliquid conceditur, Congregationibus, fratribus priuatis, ac feſtiuitatibus alterius Ordinis nunc, & pro tempore reſpectiuè conceſſa intelligantur. Ita quòd ea, quæ in honorem SS. Dominici, Petri mar. Thomæ de Aquino, Catherinæ de Senis, fratribus, vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa, omnia, illa fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis in feſtiuitatibus SS. Franciſci, Antonij, Ludonici, Bernardini, Bonauenturæ, & Quinque martyrum dicti Ordinis qui apud Marrochum martyrij coronam adepti ſunt, & S. Claræ, & in alijs feſtiuitatibus

dicti Ordinis Minorum, licèt ſint in maiori numero, quàm feſta Prædicatorum, ſint, & intelliguntur conceſſa, ad tollendam quamcumque hæſitationem, & indè fortè ortum ſcrupulum, auctoritate, & tenore præſatis declaramus. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1 Iunij, 1509. Pontif. noſtri anno 6.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto, quòd in iſta conſt. declarat Pontifex, quomodò intelligatur communicatio priuilegiorum, quæ eſt inter Mendicantes, exemplo enim Prædicatorum, & Minorum poſſunt reliquæ Religiones, communicationem habentes, priuilegia iis conceſſa, ſibi proportionaliter applicare, vt docet Paſſar. in mar. ad iſtud priuil. & Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 55. art. 20. Et ſic poſſumus omnibus priuilegijs conceſſis Prædicatoribus in die S. Dominici, & Minoribus in die S. Franciſci, vti, & frui in die S. P. N. Franciſci de Paula; & ſimiliter quando canonizabitur aliquis alius Sanctus ex noſtra Religione, vt breui ſperamus B. Gaſparum de Bono, in illius feſto frui. & vti poterimus omnibus priuilegijs conceſſis Minoribus, & Prædicatoribus in diebus SS. Antonij de Padua, & Petri mart.. &c. Poteſt etiam noſter generalis Corrector frui priuilegijs conceſſis, & concedendis Magiſtro generali Ordinis Prædicatorum, & noſtri Prouinciales, & Correctores, & Vicarij vti, & frui omnibus priuilegijs conceſſis, & concedendis Prouincialibus, Prioribus conuentualibus, & Vicarijs Ordinis Prædicatorum. Et ſic de alijs fratribus priuatis.

2 Et aduerte hic pro ſemper, quòd quæ dicuntur cauſa exempli non reſtringunt diſpoſitionem generalem, V. G. iſta conſtitutio loquitur de fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, non per hoc tamen reſtringitur ſolùm ad ipſos, ſed intelligitur de omnibus Mendicantibus. Ita Aufrer. ad deciſ. Capellæ Tholoſ. quæſt. 485. & ad id citat cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi. Et aduerte etiam, quòd nomine Monachorum veniunt etiam omnes Religioſi regulares, & etiam Canonici regulares, præſertim in fauorabilibus, niſi aliud ex diſpoſitione manifeſte conſtet, quòd ſolum de Monachis intelligatur. Ita Abbas in cap. Ex parte, num. 1. de poſtul. Gloſſa in cap. Canonica, de ſent. excom. verb. Duximus extendendum.

CONSTITVTIO XIII.

Concedit Generali, vt poſſit priuilegia declarare. Quòd confeſſionalia ſine licentia Superioris non valeant. Et quòd tertiariæ collegialiter viuentes poſſint tria vota emittere.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio Thomæ de Vio Caietano generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Generalis poteſt priuilegia declarare.

§. 1. *COnſiderantes, quòd multa tibi in tanta cura accidere poſſunt, quæ ſanctæ Sedis auxilium, & benignitatem requirunt, illis duximus de Apoſtolicæ Sedis plenitudine ſuccurrendum. Itaque volumus, & tibi concedimus, quòd ſi in conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum, aut circa priuilegia, indulta, gratiaſque, & exemptiones ab ipſa ſancta Sede illi conceſſa, & concedenda, conceſſas, aut concedendas, quæ etiam, & quas harum tenore, & eiuſdem Sedis auctoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerſerit, tu illam (quo ad ſerenitatem illarum conſcientiarum, quæ tibi ſubiectæ ſunt dumtaxat) poſſis auctoritate Apoſtolica declarare.*

Confeſſionalia ſine conſenſu Superiorũ non valent.

§. 2. *Inſuper, vt ipſius Ordinis Præſidentes vultum pecoris ſui agnoſcere queant, volumus, perſonas Ordinis eiuſdem confeſſionalibus, vel indulgentiæ literis, etiam per ſanctam Sedem emiſſis, vel emittendis (niſi conſenſu tuo accedente, & eo durante) gaudere poſſint.*

Tertiariæ poſſunt emittere tria vota Religionis. Vide conſtit. 14 § 3. eiuſdem, & 4. Sixti IV. §. 7. n. 30.

§. 3. *Et inſuper quòd mulieres prædicti Ordinis, quæ ſorores de pœnitentia nuncupantur, & collegialiter viuunt (ſi tibi placuerit, & illæ hoc cupiant) ex benignitate Apoſtolica tria vota Religionis in manus tuas, aut illorum, quos ad hoc duxeris deputandos, emittere licitè valeant.*

Sotij Generalis Prędicatorum poſſunt ad Magiſteriũ promoueri.

§. 4. *Binos præterea fratres tibi de more ſocios, quorum vnus Prouincialis Terræ ſanctæ, alter Scriba eſſe ſolet, qui laboribus pro tanta Religione ſuſceptis impediti, ſtudiorum exercitijs commodè intereſſe non poſſunt (ſi aliàs ſcientia ſunt idonei, & eos gradus, ac honores non habeant) ad Baccalaureatus, & Magiſterij theologiæ gradus, & honores valeas promouere. Hæc tibi prædictæ Sedis auctoritate ſic concedimus, vt etiam eadem ſimili auctoritate tuis ſucceſſoribus indulgeamus.*

Derogat contrarijs.

§. 5. *Non obſtantibus præmiſſis, conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis: priuilegijs quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Breuis, illi Ordini, aut perſonis eius ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque fortioribus, & inſolitis conceſſis, aut concedendis; quibus, illorum omnium tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat derogamus, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 14. Decemb. 1509. Pontif. noſtri anno 7.*

§. I.

1 NOto 1. quòd interpretatio eſt duplex. Vna iuridica, & alia doctrinalis. Interpretari priuilegia primo modo pertinet ad eum, qui concedit, nimirum ad Papam in eccleſiaſticis, cap. Cum veniſſent, de iudic. 2. modo poteſt quilibet Doctor iura iuribus conformando ea interpretari; *vbi autem ſcripturæ apertius ponuntur*, vt ait Auguſt. 3. de doct. chriſtian. cap. 26. *ibi diſcendum eſt, quomodò in locis intelligantur obſcuris.* 1. interpretatio eſt obligatoria, nec minorem vim habet, quàm priuilegium ipſum. 2. non obligat, ſed illi defertur plus, aut minùs, iuxta interpretantis auctoritatem. Vide quæ dico tom. 1. Relig. q. 4. cap. 8. verſu Priuſquam proferam; vide etiam Rodriq. to. 1. q. reg. q. 11 art. 5. & q. 68 art. 6.

2 Noto 2. quòd iſta facultas, quæ datur Generali interpretandi conſtitutiones, & priuilegia, non eſt 2. modo, nam iſta non erat neceſſaria, cum quilibet Doctor poſſit priuata auctoritate id facere, ſed primo modo. Vnde declarationibus factis à Generali circa conſtitutiones, priuilegia, indulta, gratias, & exemptiones ſtandum eſt in iis, quę ad ſerenitatem conſcientiarum ſubditorum ſpectant. Aduertit autem bene Rodriq. q. 11.

cit.

Digitized by Google

cit. verſu Circa ſupradictam, quòd hoc priuilegium habet locum, quando res eſt dubia, ſi enim eſt clara, non eſt neceſſaria Prælati declaratio, in claris enim non eſt opus coniecturis. Vndè ſi priuilegium, ſeu ſtatutum, aut aliqua conſtitutio ſit clara, & Prælatus contrarium declaret, ſubditus non tenetur ſtare declarationi Prelati, ſed ſimpliciter ſtatutum, conſtitutionem, aut priuilegium obſeruare. Priuilegium enim hoc datum eſt in ædificationem, non in deſtructionem, ad pacandas, & ſerenandas fratrum conſcientias, non ad eas relaxandas, & confundendas. Quare Generalis declarationi iuridicè, & rationabiliter factæ, in dubiis fratrum conſcientias inquietantibus per hoc priuilegium ſtandum eſt. Alia ſimilia Innoc. VIII. & Leonis X. refert Rodriq. loc. cit. q. 11. art. 5. Multa etiam ſimilia affert Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 2. dub. 2.

§ II.

3 VIde multa ſimilia apud Rodriq. to. 1. q. reg. q. 21. art. 10. & Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 12. concl. 1. Leonis X. Alexan. VI. Sixti IV. & Iulii II. vt Paſſar. in not. priuil. not. 10. & Pij IV. apud Rodriq. in bull. in Pio IV. conſt. eius 1. Et ratio eſt, quam afferunt Paſſar. loc. cit. Caſarub. verbo Cruciata, vbi Cord. Quia mens Pontificis non eſt Regularibus, & Monialibus concedere, vnde Ordinis diſciplina collabi contingat, & hoc etiamſi in dictis confeſſionalibus dicatur, Non obſtante quacumque prohibitione in contrarium, vt expreſsè declarauit Alex. VI. vt refert Rodriq. loco cit. Immo etiamſi in dictis confeſſionalibus inhibeatur Prælatis ſub cenſuris, ne ſubditos ſuos à talium bullarum acceptione prohibeant, & ſubditis libera facultas eas accipiendi tribuatur, vt declarauit Leo X. apud Rodriq. loc. citat. & Pius V. infra in conſtit. eius 10. § 1. Extat etiam ad hoc expreſſa conſtit. Clem. VIII. quæ incipit, Romani Pontificis, apud Cherub. tom. 3. bull. in eius conſt. 64. quam etiam refert Quar. in ſum. bull. l. ver. Confeſſor. pag. mihi 236. & ſic habet, *Romani Pontificis*, & infra, *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem ſanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum fratribus & ſororibus Monialibus Ordinis prædicti, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiuſuis Inſtituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouincia Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere neque cenſeri, ſed noſtræ intentionis exiſtere, quòd ijdem fratres, & Moniales quantum ad ſacramentum pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò declaramus. Eiſdem tamen Prælatis, vt in vſu huiuſmodi poteſtatis ſe cum ſubditis benignos, & faciles exhibeant, præcipimus, & mandamus.* Quò verò ad Moniales vltra prædicta, extat etiam declaratio ſacræ Congreg. Rodriq. in explic. bullæ Cruc. § 9. nu. 24. vbi & eius Addit. ſect. 2. nu. 39. in hæc verba, *Congregatio Concilij cenſuit, quatenus gratia ex bulla Cruciata pertinet ad Moniales, non poſſe eas vigore facultatis in eadem bulla conceſſe, alios confeſſarios, præter eos, qui ad audiendas ipſarum Monialium confeſſiones ab Ordinario approbati fuerint, eligere.*

CONSTITVTIO XIV.

Declarat, quòd per publicationem quotannis bullæ Cœnæ non derogatur ijs priuilegijs, quæ caſuum illius abſolutionem expreſsè concedunt. Et quòd tertiariæ viuentes collegialiter profiteantur obedientiam, &c.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio Thomæ de Vio Caietano Magiſtro generali Ordinis Prædicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§ 1. *EXponi nobis feciſti, quòd licèt fel. recor. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, ſecundùm carnem patruus, extendendo declarauerit, in quibus caſibus ad Sedem Apoſtolicam recurrendum eſſet pro abſolutione, & diſpenſatione cenſurarum, & irregularitatum à perſonis Ordinis Prædicatorum; nihilominus propter clauſulas derogatorias poſitas in bulla, quæ ſingulis annis in Cœna Domini publicatur, dubitas, facultatem illam Ordini prædicto ademptam. Super conceſſione quoque, quam nuper fecimus ſororibus de pœnitentia B. Dominici nuncupatis, collegialiter viuentibus, quòd poſſint tria vota Religionis emittere, nonnulla declarari deſideras, & proinde ſupplicaſti humiliter, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.* Supplicatio.

§ 2. *Nos igitur, qui Religioſorum quieti, quantùm cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, volentes occaſiones tollere vagandi, attendenteſq; quòd multa in prædicta declaratione conceſſa ſunt, quæ in bulla prædicta continentur, eiuſdem ſanctæ Sedis auctoritate decernimus, quòd illi, quibus in prædicta declaratione conceſſa eſt poteſtas abſoluendi, & diſpenſandi, licitè poſſint perpetuis temporibus abſoluere, & diſpenſare, ab omnibus, & ſingulis, ac ſi prædicta bulla in Cœna Domini non eſſet facta, nec fieret; præterquam à conſpiratione in Romanum Pontificem, & ab illis, propter quæ prædictus prædeceſſor noſter declarando voluit, ad eamdem ſanctam Sedem etiam recurrendum.* Habentibus expreſſam auctoritatem abſoluendi à caſibus bullæ Cœnæ nō obſtat illius publicatio, quæ ſingulis annis fit.

§ 3. *Sorores quoque de pœnitentia B. Dominici nuncupatæ, collegialiter viuentes, & volentes vouere tria Religionis vota iuxta noſtram conceſſionem, eadem auctoritate volumus, vt profiteantur obedientiam tibi, & pro tempore exiſtenti Magiſtro generali, vel alteri vices generalis Magiſtri gerenti vſque ad mortem, ſecundùm Regulam B. Auguſtini, & propter hoc tamen non teneantur ad clauſuram, nec ad officium diuinum, magis quam ex ſua Regula tertij habitus teneantur. Et quòd exemptæ, tamquam dictæ Religionis membra, gaudeant omnibus priuilegijs actiuè, & paſſiuè, quibus fratres Ordinis ſupradicti gaudent, modò priuilegia illa ſexui non repugnent.* Tertiariæ obedientiā præſtent Generali. Vide notata ad conſtit. 13. eiuſdē § 3.

Digitized by Google

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus quibuſcumque Apoſtolicis conſtitutionibus, ordinationibus, ſuſpenſionibus, reuocationibus, & reſtitutionibus, ac etiam conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non priuilegijs, & conſuetudinibus dicti Ordinis, vel dictarum ſororum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; nec non Curiæ Vicegerentis Auenion. & quibuſuis ordinarijs Prælatis, ac perſonis conceſſis, & concedendis literis, priuilegijs, & facultatibus cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs fortioribus, & inſolitis, quibus omnibus, etiamſi de eis, & ſupradictis omnibus, eorumq; totis tenoribus, & datis, non per huiuſmodi generales clauſulas, etiam ſpecialem mentionem importantes, ſed ſpecifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, ſeu quæuis alia mentio habenda eſſet, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, quò ad præmiſſa ſpecificè, & nominatim derogamus, nemini in præiudicium præmiſſorum ſuffragari poſſe, aut debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus contigerit attentari, decernimus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum. ſub annulo Piſcat. die 27. Febr. anno 1510. Pontif. noſtri anno 7.

§. II.

1 NOto, quòd Peregr. 2. par. ſui comp. verb. Bulla, §. 1. aduertit, quòd hoc priuilegium operatur, quòd poſſimus vti priuilegijs, quæ ſunt contra bullam, durante vita tale priuilegium concedentis, etiamſi ſingulis annis dicta bulla cum ampliſſimis derogationibus publicetur; poſt mortem verò concedentis per publicationem bullæ Cœnæ à nouo Papa factam reuocantur priuilegia, quę ſunt contra bullam, quouſque dictus Papa noſtra priuilegia confirmet; quæ poſtquã confirmauerit, poſſumus ijs vti, etiamſi ſint contra bullam, per hoc priuilegium. Sed non moueor à dictis ſuprà in conſtit. 4. Sixti IV. num. 10. & hoc ad minus verum eſt.

CONSTITVTIO XV.

Prohibet appellare à ſententijs Superiorum, & concedit, quòd Generalis poſſet eximere Conuentus à iuriſdictione Prouincialium.

IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio Thomæ de Vio Caietano Magiſtro generali Ordinis Prædicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. EXpoſuiſti nobis, quòd in Ordine Prędicatorum tuæ curæ commiſſo quandoque pax turbatur, & regularis vita impeditur ob appellationes ab abſolutione ab officijs, vel exemptione à iuriſdictione Priorum prouincialium, quòdque prouidere dignaremur de benignitate Apoſtolica humiliter ſupplicaſti.

Prohibet appellationes. Vide t. 1. Relig. q. 1. c. 20. concl. 2.

§. 2. Nos attendentes, quòd non ſolùm à Religionis iugo communi ratione, ſed dicti Ordinis perpetuis ſtatutis appellationes diſſonãt, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, vt ſi quis frater dicti Ordinis, aut ſoror ſub cura, & habitu eiuſdem, ob abſolutionem ab officio Prioratus prouincialis, vel conuentualis, ſeu Monaſterij, à quocumque Superiore dicti Ordinis, habente poteſtatem abſolutionem huiuſmodi faciendi, factam, vel faciendam appellauerit, etiam prætextu grauaminis, aut appellationi huiuſmodi quocumque nomine interpoſitæ inhæſerit, ſit ipſo facto, abſque alia declaratione, abſolutus, aut abſoluta ab huiuſmodi officio, pro quo appellatum eſt.

Generalis poteſt eximere Conuentus à iuriſdictione Prouincialium.

§. 3. Et pro augmento vitæ regularis volumus, & declaramus, quòd Magiſter generalis pro tempore poſſit in fauorem regularis vitæ eximere non ſolùm Conuentus fratrum à cura, & iuriſdictione Priorum prouincialium, ſed etiam Monaſteria ſororum ſub cura, & habitu eiuſdem Ordinis, & Collegia, ac perſonas quaſcumque tertij habitus, quamuis ſecundùm conſtitutiones dicti Ordinis, tam fratrum, quàm ſororum, & ſtatuta, ac priuilegia Apoſtolica, fundationeſque Monaſteriorum nonnullorum ſpecialiter cautum ſit, vt Prouincialibus ſubſint; ſtatuimus nihilominus, & decernimus, omnes appellationes ab exemptionibus huiuſmodi interponendas nullius eſſe roboris.

Derogat contrarijs.

§. 4. In contrarium facientibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis dicti Ordinis iuramento, vel quauis alia firmitate roboratis conſuetudinibus, priuilegijs in ſpecie, vel in genere quibuſuis quauis auctoritate conceſſis, & in poſterum concedendis cum clauſulis derogatorijs, & derogatoriarum derogatorijs fortioribus, & inſolitis, etiamſi de eis, eorumque tenoribus ſpecialis, indiuidua, & expreſſa de verbo ad verbum, & non per clauſulas id importantes, eſſet mentio habenda, alijſque non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 14. Nouemb. 1511. Pontif. noſtri anno 8.

§. III.

1 QVæres, an Generales in Ordine noſtro poſſint hoc priuilegio nunc vti, cum numquam eo vſi fuerint, & priuilegia per non vſum 30. annorum perdantur. cap. Si de terra, de priuil. vel 40. cap. Accedentibus, eod. tit. vel ad ſummum 60. per priuilegium Eugenij IV. quod refert Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 8. art. 2.

℞. Quòd ad perdendum priuilegium ſpatio dictorum annorum, non ſufficit non vſus negatiuus, ſcilicèt quòd numquam data fuerit occaſio vtendi illo, ſed requiritur non vſus priuatiuus, ſeu omiſſiuus, ideſt quòd dicto ſpatio data fuerit mihi V. G. occaſio vtendi priuilegio, & quòd noluerim vti, ſed fecerim actum omnino illi contrarium. V. G. habeo priuilegium audiẽdi miſſam tempore interdicti, numquam venit caſus interdicti, etiam vltra dictum ſpatium 60. annorum, immò etiamſi tranſirent centum, & plùs anni, non per hoc perdo priuilegium. Ita Suar. lib. 8. de leg. cap. 34. n. 3. 4. & 5. Si autem habeam priuilegium accipiendi decimas extraordinario modo, & habens huiuſmodi priuilegij ſcientiam, cum poſſem, vti nolui, tunc ſpatio dictorum annorum, per non vſum contrarium priuilegio, cenſeor illud amiſiſſe: & hoc modo intelliguntur cap. cit. Si de terra, & Accedentibus. Et ſic etiam intelligitur clauſula illa, quę ponitur à modernis Ponti-

tifi-

cificibus in confirmatione priuilegiorum, *Quatenus ſint in vſu*. Ita Suar. loc. cit. num. 16. & ſeq. Vaſq. p. 2. diſp. 177. n. 55. Thom. à Ieſu de procur. om. gen. ſal. lib. 12. cap. 8. pag. 848. qui ait ex communi ſent. quòd priuilegia Mendicantium per non vſum non perduntur. Imo quod neque etiam per contrarium vſum amitti poſſint per conceſſionem Eugenij IV. docet Portel in addit. ad dub. reg. verbo priuilegia, num. 4. Sed intelligitur de priuil. nemini præiudicium inferentibus, & quæ ſunt puri fauores, non de alijs. Quæ diſtinctio optimè confirmatur ex priuil. conceſſo à Nicolao IV. Carthuſ. vt refert Caſarub. in ſuo comp. ver. Priu. §. vlt. quòd. ſ. poſſent vti priuilegijs eis conceſſis, etiamſi propter ſimplicitatem, & iuris ignorantiam vſi non fuerint retroactis temporibus, dummodo eis non ſit per præſcriptionem, vel aliàs legitimè derogatum. Quod priuilegium, vt conſtat ex dictis, & docet Vaſq. loc. cit. nihil vltra ius commune concedit, ſed ſolùm datum fuit ad tollendos ſcrupulos. Puto itaque, quod hoc priuilegium ſit amiſſum per non vſum; quia valde præiudiciale eſt Prouinciis, & Prouincialibus: Et in religione noſtra hoc eſſet valde nouum; nec Regula, nec regularia ſtatuta illud ſufferunt. Et per hoc dixi etiam ſupra, in conſtit. 5. huius Pontif. §. 3. numero 6. quòd non poteſt Generalis eximere ab obedientia Prouincialis ſubditum ſimpliciter, & in totum: Quod poteſt confirmari ex noſtro Correct. nu. 102. ibi *poterit vlterius* &c. In caſu autem aliquo particulari, V. G. auocando ad ſe cauſam alicuius, vel prohibendo ne impediatur, &c. id non nego, ſi iuſta aliqua ſuadeat ratio.

CONSTITVTIO XVI.

Prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ fratribus Minimis, ne poſſint recipere, aut retinere fratres Minores.

IVLIVS PAPA II.

Dilectis filijs vniuerſis fratribus Ord. Minorum de obſeruantia nuncupatis citramontanæ, & vltramontanæ familiæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. EXponi nobis feciſtis, quòd fratres Minimi nuncupati ex veſtris fratribus ad illos, & illorum Ordinem tranſire volentes recipere, & illos retinere non ceſſant in veſtri Ordinis iacturam, & ſcandalum, ſuper quo à nobis opportunè prouideri humiliter ſupplicaſtis.

Minimi non poſſunt recipere Minores.

§. 2. *Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, & conſeruationi, & augmento Ordinis veſtri, quem in viſceribus gerimus charitatis, opportunè conſulere volentes, præſentium tenore, Apoſtolica auctoritate vniuerſis fratribus Ordinis Minimorum quoquo nomine nuncupatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna diſtrictè præcipiendo inhibemus, ne de cætero aliquem ex fratribus veſtris Ordinis Minorum de obſeruantia modo aliquo, vel cauſa recipere, vel retinere præſumant, ſine expreſſa, & ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, à volente ad illos tranſire ſpecialiter obtenta; eiſdem Minimis ſub ſimili pœna mandantes, vt omnes, & ſingulos ſine tali licentia hactenus per ipſos receptos, quamprimum fuerint à vobis, vel ex parte Vicarij veſtri Ordinis Prouinciæ, in qua exiſtant, requiſiti, liberè relaxare, & ad vos remittere debeant.*

Derogat contrarijs. & in ſpecie conſt. eius 1. §. 31. & iuri com. c. Sanè, c. Licèt, de reg. Vide t. 1. Relig. q. 1. ca. 24. §. 1. pag. 272.

§. 3. *Non obſtantibus priuilegijs, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis per nos, vel Sedem prædictam quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & ex poteſtatis plenitudine illis in genere, vel in ſpecie conceſſis, quorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, vel inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, quò ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectum ſpecialitèr, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. *Verùm quia difficilè foret præſentes literas ad ſingula quæcumque loca, ad quæ expediens fuerit, transferre, volumus, & dicta auctoritate mandamus, ipſorum tranſumptis vnius Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea fides adhibeatur in iudicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ, in contrarium facientibus non obſtantibus. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 9. Iulij, anno 1510. Pontific. noſtri anno 7.*

CONSTITVTIO XVII.

Quæ eſt viuæ vocis Oraculum. In quo declarantur quædam puncta noſtræ Regulæ.

MARCVS

Miſeratione diuina tit. S. Mariæ trans Tiberim, S. R. E. presb. Card. Senogall. vulgariter nuncupatus, & in Capitulo generali fratrum Minimorum in alma Vrbe apud S. Trinitatem, de mandato S. D. N. Iulij, diuina prouidentia Papæ II. celebrato, ad Prælatorum eiuſdem Ord. inſtitutionem, & Regulæ, ac Correctorij declarationem Commiſſarius ab eodem S. D. N. Papa viuæ vocis oraculo ſpecialiter deputatus, ac per eoſdem fratres capitulariter congregatos acceptatus: Vniuerſis, ac ſingulis eiuſdem Ord. Minimorum, nunc, & pro tempore exiſtentibus fratribus, ac alijs quibuſcumque ad quos ſpectat, ſalutem in Domino ſempiternam.

§. 1. Prohibet cantum.

VObis, & veſtrum cuilibet tenore præſentium ſignificamus, qualiter de mandato eiuſdem S. D. N. nobis, quibus Ordinis Minimorum huiuſmodi Regulæ, & Correctorij, per eumdem S. D. N. viuæ vocis oraculo examinatio, & declaratio commiſſæ fuerunt, ſimili viuæ vocis oraculo nuper facto declarauimus, prout etiam præſentium tenore declaramus, quòd Regulæ, & Correctorij huiuſmodi clauſula de non cantando in officijs diuinis iuxta formam in ea expreſſam, per totum Ordinem Minimorum debet vniformiter obſeruari, prout nobis etiam viuæ vocis

oracu-

Digitized by Google

oraculo expreſſè declarauit, & declarari mandauit præfatus S. D. N.

Eleemoſynæ in iudicio quomodo repetendæ.

§. 2. Similiter ſuper debitorum, ſeu relictarum eleemoſynarum repetitione, auctoritate Apoſtolica declaramus, quòd non fuit intentionis Regulæ conditoris, vt fratres Ordinis huiuſmodi eleemoſynas ipſas omnino non repeterent, ſed quòd illas non repeterent in iudicio, & cum contentione; ita quòd fratres ipſi etiam perſonaliter, religiosè, amicabiliter, ac fraternè, & ſine contentione eleemoſynas ipſas repetere poſſint, non autem iudicialiter, & contentiosè illas in iudicio repetant: Cum etiam Religioſis, qui ſpiritui, & contemplationi vacare debent, prohibitum ſit negotiis ſecularibus ſe immiſcere, & iudicialiter agere, & ideo fratres ipſi per ſe ipſos in iudicio minimè comparere valebunt; ſed bene per Procuratores ſeculares, prout eis ex declaratione, in priuilegiorum eiuſdem Ordinis quinternione ſuper hoc facta, expreſſè permiſſum eſt.

Infirmaria vbi cõſtruenda.

§. 3. Declaramus etiam, quòd vbi in dicta Regula minimorum 6. cap. expreſſè dicitur, quòd ægroti ad infirmariam exteriorem primitùs deducantur, intelligi debet de Conuentibus completis, & in quibus habetur talis infirmaria. Et ideo decernimus, ac præſentium tenore mandamus, quòd vbi adhuc non eſſet constructa talis infirmaria, ſtudeatur constrúi, & haberi, quàm citiùs fieri poterit; interim verò ne patiantur infirmi, ponantur in aliqua manſione in Conuentu ipſo exiſtente, ab aliis tamen officinis magis ſequeſtrata, prout commodiùs id fieri poterit, & quòd potiùs ab ædificatione aliorum membrorum domorum Ordinis huiuſmodi (excepto dormitorio) ceſſetur, quàm à constructione, ſeu ædificatione infirmariæ huiuſmodi.

Infirmis qui debent deſeruire.

§. 4. Inſuper circa infirmorum gubernationem, & prouiſionem, eadem auctoritate declaramus, quòd vbi fratres huiuſmodi, omni poſſibili diligentia adhibita, ſtuduerint Procuratores, vel deuotos ſuos, in defectu oblatorum, habere, qui infirmis prouideant, & illos ſi taliter habere non potuerint, ne infirmi ipſi interim debita cura careant, licitè poſſint fratres perſonaliter illis infirmis obſequi, ipſiſque de ſibi neceſſariis cibis de Superioris licentia debitè prouidere; & quòd fratres ipſi ad infirmorum curam deputati dumtaxat ipſis infirmis deſeruire habeant.

Officiales Conuentus quomodo à Prælatis fieri poſſint.

§. 5. Vlteriùs eadem auctoritate declaramus, quòd dum in 9. cap. Regulæ, & Correctorij Ordinis huiuſmodi circa officialium Conuentuum electionem dicitur, quod per ſuperiores Prælatos in eorum viſitatione aliquando fieri debeat, clauſulam huiuſmodi debeat intelligi de Capituli localis conſenſu.

Correctores Conuẽtum quomodo exire poſſunt.

§. 6. Præterea ſimili auctoritate declaramus, quòd dum in eodem 9. Regulæ, & Correctorij cap. dicitur, quòd Correctores locales extra Conuentum exire non valebunt, niſi de Capituli ſcientia, debet hoc intelligi, prout pleniùs in ipſo Correctorio continetur, quòd prædicti Correctores propter hoc non ſemper locale Capitulum ſpecialiter celebrare habeant, ſed ſatis ſit, quod ipſi coram fratribus ſuis, ſiue ante, ſiue poſt diuinum officium in Eccleſia, ſiue ante cibum, ſiue ſumpto, in refectorio debitè congregatis exitus ſui cauſam proponant, & ita de eorumdem fratrum ſcientia, & Seniorum aſſenſu domos exire poterunt pro cauſis in prædictis Regula, & Correctorio pleniùs ſpecificatis.

Statuta cõtra Regulã fieri nõ poſſunt.

§. 7. Eadem auctoritate declaramus, quòd verba in 10. cap. prædictæ Regulæ de non condendis ſtatutis poſita, intelligi debeant relatiuè ad immediatè antè dicta videlicèt ad ſtatuta contra Regulam huiuſmodi in toto, vel in parte venientia, ſeu ab huiuſmodi deuiantia.

Emere, vel vẽdere quomodo poſſint fratres.

§. 8. Simili auctoritate declaramus, quòd vbicumque in eiſdem Regula, & Correctorio agitur de non emendo, vel vendendo, intelligi debet, quòd ipſi fratres, neque ſoli, neque proprio nomine, præterquam in itinere, defectu oblatorum, vel deuotorum, pro quotidiano victu vendere, vel emere poſſint, ſed bene per eorum Procuratores, ac deuotos, & oblatos nomine domorum Ordinis, ita tamen, quòd fratres ipſi, dum hæc fiunt, ad conſenſum, vel diſſenſum ſuper huiuſmodi exhibendum, non ad mercandum, vel ad contractandum, præſentes eſſe poterunt.

Superflua quomodo diſtribuenda.

§. 9. Inſuper eadem auctoritate declaramus, quòd vbicumq; tam in dicto Correctorio, quàm alibi agitur de ſuperflui diſtributione, & erogatione, hoc intelligi debeat ciuiliter, videlicèt ſalua ſemper prouiſione per annum pro infirmis, & fratrum indumentis, ac aliis neceſſitatibus, & præſertim pro fabrica perficienda.

Vinolentia cõſuetudinaria punienda.

§. 10. Tandem eadem auctoritate declaramus, quòd vbi in eodem Correctorio agitur de vinolentia punienda, intelligi debeat de vinolentia conſuetudinaria, & affectata.

His declarationib. fratres ſtare tenẽtur.

§. 11. Quas quidem declarationes, & modificationes de maturo totius generalis Capituli, & præfatorum fratrum Minimorum conſilio, deliberatione, & conſenſu expoſtulatas, & admitti, & approbari petitas, admiſimus, & Apoſtolica autoritate nobis viuæ vocis oraculo ſuper hoc facto commiſſa modo præfato approbauimus, & per præſentes de nouo approbamus, & confirmamus, illaſq; ſingulas, iuxta earum formam, & tenorem, obſeruari, ac eis in toto Ordine Minimorum huiuſmodi ſtari, præfata auctoritate Apoſtolica expreſſè mandamus. Necnon vt ſuper illis per prædicti Ordinis Generalem, ſeu de eius mandato, fieri poſſint tranſumpta, quibus taliter factis, & eiuſdem Generalis manu propria ſubſignatis, ſuique officij ſigillo debitè ſigillatis, vbique in iudicio, & extra fides plenaria adhibeatur, præſentium tenore plenam concedimus facultatem. In cuius rei fidem, & teſtimonium præſentes literas manu propria ſubſcripſimus, ac per Secretarium noſtrum ſubſignatum ſubſcribi, & ſignari, magnique noſtri ſigilli iuſſimus, ac fecimus appenſione communiri.

Datum Romæ in domibus noſtræ ſolitæ habitationis, die verò 15. menſis Febr. ſub anno à Natiu. Domini 1508. Pontif. prædicti S. D. N. Papæ anno 5. M. Card. Senogall. manu propria.

§. I.

1 NOto 1. quòd viuæ vocis oracula eamdem vim habent, quam aliæ conſtitutiones papales, vt colligitur apertè ex ca. Inſtitutionis, 25. q. 2. & ex Clem. Dudum, §. Nos etenim, de ſepultu. vbi Gloſſa verſu Verbo. Innoc. in cap. Conſtitutus de reſcript. n. 2. Felin. conſ. 6. n. 1. Et multa ad id congerit Anguian. tract. de

leg.

leg.lib.1.cont.9.à n. 9. Et hoc tam in iudicio,quàm extra illud,vt conſtat ex conſt.22.Iulii II.apud Rodriq.in bull. pag. 277. §. 2.

2 Noto 2.quòd Greg. XV. per ſuam conſtit. 3. infra, quæ incipit,Romanus Pontifex,reuocauit omnia viuę vocis oracula , tam ad forum interius , quàm ad exterius ſpectantia,ſuorum anteceſſorum, quæ non eſſent ſubſcripta ab aliquo ex S.R.E.Cardinalibus,& quibus aliquis prædictorum Cardinalium non præbuiſſet in ſcriptis teſtimonium . Ideo ſolùm viuæ vocis oracula huiuſmodi referam : Et ideo etiam hic omiſi approbationem P. Binet,ne quis ſimplex, vel parum practicus exiſtimaret,per dictam bullam Gregorii hoc viuæ vocis oraculum eſſe reuocatum .

3 Noto 3. quòd,reuocatis aliis priuilegiis,non reuocantur viuæ vocis oracula,niſi id expreſſè ſpecificatur. Ita Felician.lib.de cenſ.tit.De priuil.cap.15.iuxta communem Canoniſtarum,& praxim Romanæ Curiæ, vt refert Llamas 1.p.methodi,cap.7.§.6. Henriq.lib. 7. de indulg. cap. 24. num. 8. Sa verbo Gratia , num. 13.

4 Noto 4. quòd iſtæ declarationes fuerunt expreſsè confirmatæ à Iulio II.in conſtit. eius 6. §. 1.

§. II.

5 NOto , quòd in iure prohibentur Monachi forenſia negotia tractare,cap. Qui verè ; c. Monachi,16.q.1.cap.Peruenit,diſt. 86. faciunt totus tit. De poſtul. & cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi ; & cap. Te quidem 11. q. 1. Et verè inuentum Diaboli puto eſſe , qui ſine dubio primus lites mouit in Cœlo, ad humanum genus pro poſſe torquendum , & ad ſibi ſacrificium odijs,blaſphemijs,maledictionibus,detractionibus, furtis , rapinis quotidie offerri faciendum . Quod Deus permittit , vt quidam litigantium magiſter Rebuff.in prax.in reg.Canc.reg. de ſubrog. gloſſa 1.dicit, vt flagella duriſſima ad Magnates torquendum ; Nam ij per peſtem , cum fugiant , vix torqueri poſſint , per bellum minùs;per famem nequaquam;ſed lites euitare vix poſſunt: Et quamuis lites ſint Procuratoribus,& Aduocatis cibaria dulciſſima , vt qui legiſlatorum inuentis ad innocentiam protegendam,& veritatem patefaciendam vtuntur ad lites eternizandas,marſupiaq; corradenda,vnde meritò rabulæ dicuntur,partibus tamen ipſis ſunt valde amaræ . Vnde Eccleſia quotidie precatur Dominum , vt litium flammas extinguat , quam precationem tam aſſiduè non facit nec pro bello,nec pro peſte,nec pro fame:Et meritò quidem,nam ex litibus & fames,& bellum de ordinario dependent, & peſtis, etiamſi non corporum quod aliquando quidem,animarum tamen ſemper.Quare ſanctè ſacri Canones Religioſos litigare prohibuerunt.Et quia quandoque neceſſitas,vel vtilitas Eccleſiæ litigare poſtulat , ideo pro his caſibus dicti Canones id conceſſerunt cum licentia Superiorum; Cap. Monachi,& cap. Qui verè,16.q.1.Cui fauori renunciari iubet ſanctiſſ.noſter Fundator , vt pote qui Religionem in paupertate euangelica inſtituerat , & litium anfractus miſerrimos nouerat . Sed quia tanta eſt in pectoribus aliquorum rabies patrimonium Chriſti rapiendi , ideo Pontifex Iulius conceſſit,vt fratres poſſent per Procuratores ſeculares. pro ſuorum Monaſteriorum , & Eccleſiarum neceſſitate,vel vtilitate litigare.Vide Hyppolitum Bonacoſſiam de ſeruis q.266.tom.6.tract.p.1.pag.130.verſu vbi multa .

6. Noto 2. quòd circa has declarationes multa habeo , quæ dicere . Sed quia in animo eſt Regulam, & Correctorium declarare, ſi vitam Dominus conceſſerit,& Acta capitularia recolligere , ſi Religio iuſſerit , ideo hic omitto,ibi commodiùs dicturus .

CONSTITVTIO XVIII.

Quæ eſt viuæ vocis oraculum. In quo datur forma tonſuræ gerendæ ab omnibus choro deſtinatis , & aſſignatur forma profeſſionis à tertiarijs facienda.

BERNARDINVS

Miſeratione diuina tit.S.Crucis in Ieruſalem, S.R.E. presb.Card.Patriarcha Ieroſolim.Ord.Minim. Protect. Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam .



§. I.

Supplicatur Papæ pro ſeſuta.

V Niuerſitati veſtræ notum facimus, qualiter cum inſtantia pro parte nobis dilecti in Chriſto Franciſci de Paula Inſtitutoris, ac generalis Correctoris Ordinis Minimorum, requiſiti, S. D. N. Iulio II. qui nuper Ordinis Minimorum huiuſmodi fratrum, & ſororum, & vtriuſque ſexus fidelium Regulas, per eumdem Franciſcum reformatas, & ſuper aliquibus in melius emendatas, ac per nos, quibus eiuſdem Ordinis Minimorum Protectoris officium per Sedem Apoſtolicam commiſſum extitit, de prædicti S. D. N. commiſſione diligenter viſas, & examinatas, ac priuilegia eis aliàs conceſſa confirmauit, & approbauit, ſupplicauimus, quatenus infraſcriptas inſtitutiones, & ordinationes per prædictum Franciſcum editas, videlicet quòd omnes, ac ſinguli Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres præſentes, & futuri, dictum Ordinem pro tempore expreſsè profeſſi, ac iuxta ipſius Ordinis Regulæ tenorem, ad ſtatum clericalem aſſumpti, necnon alij quicumque eiuſdem Ordinis in ſacris ordinati, mediocres eorum tonſuras deferrent, ſeu coronas, iuxta formam per eumdem Franciſcum ordinatam, & præſentibus annotatam.

Supplicatur etiam pro forma profeſſionis tertiariorum.

§. 2. Quòdque omnes, ac ſingulæ tertij Ordinis Minimorum huiuſmodi vtriuſque ſexus perſonæ ſub prædicta Regula, & Ordine perpetuò militare cupientes, reuoluto ſuæ probationis anno, profeſſionem, iuxta formam per nos de mandato prædicti S. D. N. ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto diligenter emendatam, ac etiam præſentibus annotatam, quæ ſequitur, & eſt talis.

Ego N. Promitto Deo omnipotenti, totique Curiæ cæleſti, & tibi Patri, mores meos, ac vitam meam in melius emendare, & Ordinis Minimorum vtriuſque ſexus fidelium Regulæ, per S. D. N. Iulium Papam II. confirmatæ, ſalutifera præcepta pro poſſe obſeruare, & F. Franciſco de Paula, ſuiſque ſucceſſoribus eiuſdem Ordinis Minimorum generalibus Correctoribus pro tempore exiſtentibus obedire, necnon prædictæ Regulæ ſalubribus conſilijs, ac monitis me conformare, & prædicti Ordinis honorem, & vtilitatem fideliter procurare. Amen. emittere tenerentur, confirmare, & approbare de benignitate Apoſtolica dignaretur.

Approbat formā tonſuræ, & profeſſionis tertiariorū.

§. 3. Tandem à Sanctitate ſua viuæ vocis oraculo inſtitutionum, & ordinationum huiuſmodi, tamquam quæ per nos iuſtæ, & honeſtæ, ac Religioni conſonæ repertæ ſunt, confirmationem, & approbationem, ac etiam vniuerſis, & ſingulis dicti Ordinis fratribus pro tempore exiſtentibus, Ordinem ipſum expreſsè profeſſis, & ad ſtatum clericalem, vt præfertur, aſſumptis, ac alijs quibuſcumque eiuſdem Ordinis in ſacris ordinatis, vt, iuxta præinſertam tonſuræ, ſeu coronæ formam, mediocres eorum tonſuras deferre; ſecundi verò Ordinis Minimorum huiuſmodi ſororibus, vt, mutatis dumtaxat mutandis, eiuſdem Ordinis fratribus traditam profeſſionis formulam; tertij autem Ordinis Minimorum huiuſmodi vtriuſque ſexus perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus, vt præinſertam profeſſionis formam in ſuæ profeſſionis emiſſione tenere, & obſeruare deberent, mandari: ac tranſumptis earumdem præſentium manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, vel alterius in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, eamdem prorſus fidem in iudicio, & extra illud, quæ ipſis originalibus literis exhiberetur, ſi originaliter exhiberentur, adhiberi debere obtinuimus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præſentes literas fieri, per infraſcriptum Secretarium noſtrum ſubſcribi, noſtrique ſigilli iuſſimus, ac fecimus appenſione communiri. Datum, & actum Romæ, in domibus noſtræ ſolitæ habitationis, ſub anno à Natiuit. Dom. 1507. die verò 18. menſis Aprilis, Pontif. prædicti S. D. N. D. Iulij Papæ II. anno 4. V. Card. S. Crucis, De mandato prędicti Reuerendiſs. D. mei Cardinal. Ioannes de Burgo Secretarius.

§. II.

1 NOta, quòd poteſt eſſe difficultas, an per illam promiſſionem, quæ fit Deo, & toti Curiæ cœleſti, inducatur noua obligatio, & votum, tum vitam in melius commutandi, tum præcepta ſalutifera, quæ dantur in Regula, obſeruandi. Videtur enim, quòd ſic, quia eſt promiſſio facta Deo, quæ obligationem voti inducit, & per cōſequens eius trāſgreſſio mortalis erit.

2 Hæc difficultas valdè torſit aliquando doctiſſimorum virorum ingenia, vt videre eſt apud Soſam in tráct. ſpec. de hac re. Nos facile reſpondemus; In Regulis inſtitutis à B.P.N. nihil mandari ad culpam, neq; etiam venialem obligans, præter quatuor vota, vt patet ex Correct. num. penult. Quod quomodò ſit intelligendum, ſatis dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 5. à notab. 6. vſquè ad §. 4. Cum igitur hic nullum ſit ex dictis quatuor votis, clarè patet, nullum adeſſe peccatum; obligatio enim, quæ inducitur dictis tertiarijs, in tantum eſt, in quantum colligitur ex mente Inſtitutoris eos obligare voluiſſe. Et patet etiam ex forma profeſſionis, quæ cautiſſima; promittunt enim ſalutifera præcepta pro poſſe obſeruare. Ad rationem itaquè dubitandi. R. Illud, Promitto, non ſignificare volum, ſed propoſitum: ſicut quando quis promittit confeſſario ſe emendare, vel tale peccatum non ampliùs facere, promiſſio illa non inducit communiter nouam obligationem, ita vt ſi illud peccatum deinde committat, reus ſit promiſſionis, ſed ſolummodò dicit propoſitum vitam in melius emendandi, & illud peccatum ampliùs non faciendi.

LEO X.

Italus, Florentinus, Laurentij de Medicis filius, anno Domini 1513. die 15. Martij ad ſummum Pontificatum aſſumptus canonizauit B. Franciſcum de Paula, & dedit Ordini noſtro infraſcripta priuilegia.

CONSTITVTIO I.

Concedit tertiarijs Ordinis noſtri, vt gaudeant immunitate, & alijs priuilegijs, quibus tertiarij Ordinis Minorum.

LEO EPISCOPVS. Seruus ſeruorum Dei.

Proœmium. *EA, quæ à prædeceſſoribus noſtris pro perſonarum ſub Religionis habitu Domino famulantium immunitate, & quiete ſunt conceſſa, nonnumquam ad alias ſimiles arctioris vitæ perſonas, ſubſiſtente cauſa, libenter extendimus.*

Commemorat literas Sixti IV. Sacroſancta, quas refert Paſſar. pag. 28. & nos conſulto omiſimus, quia hic inſeruntur.

§. 1. *Dudum fel. rec. Sixto Papæ IV. prædeceſſori noſtro pro parte dilectorum filiorum vniuerſorum fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum vniuerſarum ſororum tertij Ordinis B. Franciſci de pœnitentia nuncupatorum, per Italiam conſiſtentium expoſito, quòd licèt plures ſummi Pontifices etiam prædeceſſores noſtri, diuerſa, & plura pro immunitatibus eorum conceſſiſſent priuilegia, & plures ſolemniſſimi iuris vtriuſque Doctores tenuiſſent, quòd ipſi fratres, & ſorores deberent gaudere libertate, & immunitate eccleſiaſtica, vt perſonæ religioſæ: nihilominùs Communitates Ciuitatum, Poteſtates, alijque officiales ſeculares locorum Italiæ non ceſſabant quotidie noua eis, tam in rebus, quàm in perſonis inducere grauamina, libertati eccleſiaſticæ contraria. Idem Sixtus prædeceſſor Communitatibus, Poteſtatibus, & officialibus prædictis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo per officiales ipſos, ac ſingulares perſonas earumdem Communitatum, ſi contra facerent, incurrenda, ne eiſdem fratribus, & ſororibus grauamina aliqua libertati eccleſiaſticæ contraria inducere, aut ipſos fratres, & ſorores, quominùs gauderent priuilegijs, & immunitatibus, tam fori, quàm perſonæ, & rerum, ſicut aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, quomodolibèt impedire præſumerent, Apoſtolica auctoritate inhibuit. Et nihilominùs omnibus, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, & quibuslibet perſonis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, necnon Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum cathedralium Eccleſiarum Canonicis, & cuilibet eorum, qui deſuper forent requiſiti ab aliquo fratrum, ſeu ſororum prædictorum, mandauit, quatenus præmiſſa, vbi, & quando expedire viderent, ſolemniter publicarent, & non permitterent, eoſdem fratres, & ſorores contra inhibitionis ſuæ huiuſmodi tenorem per quoſcumque quauis auctoritate indebitè moleſtari, & illos, quos propterea huiuſmodi excommunicationis ſententiam eis incurriſſe conſtaret, excommunicatos nunciarent, facerentq; ab alijs nunciari, & ab omnibus arctiùs euitari, donec ab huiuſmodi indebitis moleſtijs, per eos dictis fratribus, & ſororib. illatis, cum effectu deſtitiſſent: contradictores per cenſuram eccleſiaſticã, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, prout in ipſius Sixti prædeceſſoris deſuper confectis literis plenius continetur.*

§. 2. *Cum autem, ſicut exhibita nobis pro parte dilecti filij Germani Ordinis fratrum Minimorum generalis Correctoris petitio continebat, pro eo quòd in dicto Ordine Minimorum ſunt fratres, & ſorores tertij Ordinis Minimorum, prout in dicto Ordine Minorum, videatur conſonum iuri, quòd etiam fratres, & ſorores tertij Ordinis Minimorum immunitate eccleſiaſtica, & priuilegijs, quibus fratres, & ſorores tertij Ordinis Minorum gaudent, gaudere debeant, pro parte dicti Germani Correctoris nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt fratribus, & ſororibus tertij Ordinis Minimorum, quòd libertate, & immunitate eccleſiaſtica, ac alijs priuilegijs in literis Sixti prædeceſſoris huiuſmodi contentis, & quibus fratres, & ſorores tertij Ordinis Minorum gaudent, & potiuntur, potiri, & gaudere; ipſique Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, & Canonici eos tueri, & defendere debeant, concedere, & indulgere, aliàſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.* Supplicatio.

Tertiarij gaudẽt immunitate. Vide ſupra in cõſtit. 4. Sixti IV. §. 7. à n. 30.

§. 3. *Nos igitur, ad quos pertinet ſuper his adhibere vigilantiæ noſtræ curas, volentes fratres, & ſorores tertij Ordinis Minimorum huiuſmodi fauore proſequi gratioſo, prædictum Germanum Correctorem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Sixti prædeceſſoris huiuſmodi ad fratres, ſorores tertij Ordinis Minimorum, ita quòd ipſi libertate, & immunitate Eccleſiæ, & alijs priuilegijs in illis contentis, & quibus fratres, & ſorores tertij Ordinis Minorum gaudent, & potiuntur, potiri, & gaudere, Ipſique Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, & Canonici eos tueri debeant in omnibus, & per om-*

omnia, ac ſi fratres, & ſororet tertij Ordinis Minimorum in illis expreſsè nominati, ipſæque literæ eis conceſſæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus, pariter & ampliamus.

Derogat contrarijs.

§. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ idem Sixtus prædeceſſor in dictis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæq; loca, in quibus fratres, & ſorores tertij Ordinis Minimorum huiuſmodi illis indigerent, deferri; volumus, & eadem auctoritate decernimus, quòd earum tranſumptis manu Notarij publici, & Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicuius Prælati eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus in iudicio, & extra illis plena fides adhibeatur, ac ijs ſtetur, ſicuti ipſis originalibus literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Domin. 1513. pridie Idus April. Pontif. noſtri anno primo.*

CONSTITVTIO II.

Concedit indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum viſitantibus noſtras Eccleſias in feſto omnium Sanctorum, Aſſumptionis, & Annunciationis Beatæ Mariæ, ac in die Pentecoſtes. Et concedit Correctoribus licentiam deputandi ſex, aut plures confeſſores, qui dictis diebus, & præcedenti poſſint abſoluere à caſibus epiſcopalibus, & vota omnia commutare, exceptis quatuor.

LEO EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmiū.

P*Aſtoris æterni, qui, vt humanum genus ab æterna damnatione eriperet, ſe in ara crucis immolari non abnuit, vices, quamuis immeriti, gerentes in terris, id ſuper reliqua vota noſtra feruenter optamus, vt cunctos fideles, quos ipſe ſui pretioſi ſanguinis ſparſione Deo Patri reconciliare curauit, quorum regimen, & gubernationem nobis commiſit, ad recolendam iugiter memoriam ſuæ paſſionis, & viſitandum Eccleſias, aliqua religioſa loca præſertim ſub inuocatione B. Mariæ Virginis, cuius vbera ipſum Redemptorem noſtrum lactare meruerunt, fundata, inuitemus, &, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire, frequentiùs excitemus.*

Indulgentias elargitur.

§. 1. *Cupientes igitur, vt Ieſu Mariæ Thuronen. & B. Mariæ, ac omnium Sanctorum Ambaſien. necnon eiuſdem B. Mariæ totius gratiæ Pariſien. ac S. Helenæ Siemen. Ordinis Minimorum domus, & Eccleſiæ, ad quas, vt accepimus, B. Franciſcus de Paula dicti Ordinis Inſtitutor, & dum viueret generalis Corrector, ſingularem gerebat deuotionis affectum, congruis frequententur honoribus, & Chriſti fidelium deuotio ad Eccleſias ipſas, & D. N. Ieſu Chriſti paſſionem magis augeatur; ipſique fideles eò libentiùs confluant ad eaſdem, quò ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ vberiùs conſpexerint ſe refectos. De omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias alicuius ex prædictis, vel alijs domibus dicti Ordinis in celebritate omnium Sanctorum, & dictæ B. Mariæ Aſſumptionis, & eiuſdem Annunciationis, ac Pentecoſtes feſtiuitatibus, à primis veſperis celebritatis, & ſingularum feſtiuitatum huiuſmodi vſque ad occaſum Solis ſequentis diei annuatim deuotè viſitauerint, & inibi in dictæ paſſionis memoriam quinquies orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam huiuſmodi recitauerint, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam in Domino miſericorditer concedimus.*

Correctores confeſſores deputare poſsūt.

§. 2. *Et vt Chriſti fideles prædicti, qui ad Eccleſias ipſas pro huiuſmodi conſequenda indulgentia pro tempore confluerent, huiuſmodi indulgentiæ faciliùs participes eſſe poſſent, omnium, & ſingularum conſtructarum, & conſtruendarum domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi Correctoribus nunc, & pro tempore exiſtentibus deputandi annis ſingulis ſex, aut plures presbyteros idoneos ſeculares, aut dictarum domorum fratres, qui in celebritate, & alijs feſtiuitatibus prædictis, & die præcedenti in dictis Eccleſijs, eorumdem confluentium confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis per eos delictis, etiam in ſingulis caſibus epiſcopalibus, abſolutionis beneficium impendere, & pœnitentiam ſalutarem iniungere; necnon vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa (religionis, & caſtitatis, ac vltramarino, necnon liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac S. Iacobi in Compoſtella, votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant, licentiam, & facultatem tenore præſentium concedimus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

Dictis indulgentijs numquam derogatur.

§. 3. *Volumus autem, decernimus, & declaramus, quòd ſi contingat, nos, aut Sedem Apoſtolicam in poſterum huiuſmodi indulgentias, & facultates reuocare, caſſare, & annullare, ſeu ſuſpendere, quòd præſentes literæ, ac in eis contenta quæcumque nullatenùs includantur; nec per tales, vel alias reuocationes, caſſationes, declarationes, decreta, & ſuſpenſiones, ſublata quomodolibet intelligantur, etiamſi de huiuſmodi intentione noſtra, & mente non derogandi, ſpecialis, expreſſa, & non per generales clauſulas, quæ huiuſmodi ſpecificam mentionem importare viderentur, aut importarent, mentio fieret. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominicæ 1513. pridie Nonas Maij, Pontificatus noſtri anno primo.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

1 NOto 1. quòd iſtæ indulgentiæ extenduntur etiam à Clem. VII. infrà, in eius conſtit. 3. ad omnes domos Ordinis conſtructas, & conſtruendas; Et quòd ſunt in ſuo robore, vt dixi tom. 1. Relig. in appen. pag. 685. & vltimò fuerunt confirmatæ ex certa ſcientia ab Vrb. VIII. infrà, in conſt. eius 1.

2 Noto 2 quòd iſtis indulgentijs conceſſis noſtris Eccleſijs non gaudent viſitantes Eccleſias aliorum Ordinum Mendicantium, etiamſi inter nos, & illos quò ad alia ſit maxima communicatio, & gratiarum reciprocatio. Quod declarauit Sixtus IV. per ſuam conſt. quæ incipit, Solet Sedes Apoſtolica, ad tollendas confuſiones, & ne vileſcant indulgentiæ, aut minuatur deuotio. Ita Caſarub. in comp. verbo Indulgentiæ quò ad ſeculares, 3. num. 12. Vide conſtit. 25. huius Pontif. §. 2.

§. II.

3 NOto 1. quòd poteſtas deputandi confeſſores adhuc etiam eſt in ſuo robore, excepto quòd dicti confeſſores deputati in dictis diebus non poſſunt ampliùs abſoluere à caſibus epiſcopalibus, per decretum Congreg. de mandato Clem. VIII. de quo to. 1. Relig. q. 1. cap. 21. §. 1. Poſſunt tamen confeſſores deputati commutare omnia vota, exceptis ijs, quæ hic excipiuntur, vt latè probaui loc. cit. & abſoluere à caſibus etiam papalibus, prout dixi in append. Relig. cit.

4 Noto 2. quòd meo videri deputare confeſſores, qui abſoluant in dictis diebus in Conuentibus, in quibus reſident de ordinario Prouinciales, ad dictos Prouinciales pertinet; nam mens Pontificis fuit concedere hanc facultatem Correctoribus, quia Correctores ſemper reſident in ſuis Conuentibus, Prouinciales autem non poſſunt reſidere, niſi in vno, & in quo reſident ſunt ſuperiores ſupra Correctores, & inferiora per ſuperiora regi debent, vt ſæpius replicatur in Regula. Quare puto, quòd dicta facultas cumulatiuè ſolùm, non priuatiuè, ſit Correctoribus tributa. Adde, quòd probare, an ſacerdotes deputandi ſint idonei, ad Prouincialem per Regulam pertinet; Corr. num. 85.

5 Noto 3. quòd iſti confeſſores deputandi ad ſecularium confeſſiones excipiendas, debent eſſe approbati ab Ordinario poſt Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 15. nam ante non fuiſſe neceſſe, colligitur ex §. 2. ibi *presbyteros idoneos*, non dicit confeſſores idoneos. Vnde ſi aliquando confirmarentur priuilegia Non obſtante Concilio generali, poſſent Correctores ſex ſacerdotes idoneos, etiam ab Ordinarijs non approbatos, dictis diebus deputare.

CONSTITVTIO III.

Concedit, quòd ſingulis annis die 2. Aprilis poſſit celebrari officium, & miſſa in Eccleſijs noſtri Ordinis, in honorem B. Franciſci de Paula; & quòd illius imago in noſtris Eccleſijs depingi poſſit.

LEO EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. *ILlius, qui ſemper in ſanctis ſuis mirabilis eſt, vices, licèt immeritò, gerentes in terris, pijs fidelium, præſertim religioſarum perſonarum votis, quæ ad Dei laudem, & gloriam, ac ſanctorum venerationem, fideliumq. animarum ſalutem cedere dignoſcuntur, libenter annuimus, & prout expedire in Domino conſpicimus, fauoribus proſequimur opportunis.*

§. 1. Sanè pro parte dilecti filij Germani Lionet Ordinis fratrum Minimorum generalis Correctoris nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cum aliàs claræ mem. Ludouicus Francorum Rex ſummoperè deſideraret coram videre quondam Franciſcum de Paula, in quodam eremitorio diſtrictus Paulæ Regni Neapolis tunc ſolitariam vitam ducentẽ, propter ipſius Franciſci odorem bonæ famæ, & vitæ ſanctimoniam, à fel. rec. Sixto Papa IV. prædeceſſore noſtro ſibi mandari obtinuit, vt idem Franciſcus de Regno Neapolit. huiuſmodi, ad Regnum Gallorum ſe conferret, & ipſius Regis conſpectui ſe præſentaret, qui adeo eidem Regi, & omnibus regnicolis gratus, & acceptus fuit, quòd in diuerſis Ciuitatibus, & locis, tam Galliæ, quàm Neapolitani, ac Siciliæ, & Hiſpaniæ Regnorum, ac Germaniæ diuerſæ domus pro fratribus, vitam, quàm ipſe Franciſcus elegerat, ducere volentibus, à Chriſti fidelibus constructæ, & ædificatæ fuerunt. *S. Franciſcus vocatus in Galliam à Rege Francorum.*

§. 2. Ipſeq; Franciſcus Ordinem ipſum, qui arctior, & ſtrictior cæteris Ordinibus exiſtit, quem vtique Minimorum appellauit, & ſub certo viuendi modo inſtituit, illumque per piæ mem. Alex. VI. & deinde Iul. II. poſt Sixt. IV. & Innoc. VIII. Romanos Pontif. etiam prædeceſſores noſtros approbari, & confirmari obtinuit, ac dum in humanis egit, & dum ſuo Creatori ſpiritũ reddidit, ac etiam vita functus plurimis claruit miraculis, adeo vt propterea magna Chriſti fidelium multitudo, quæ ad domum Ieſu Mariæ Thuronen. dicti Ordinis, in qua eius corpus requieſcit, confluit, cum eiuſdem Franciſci interceſſione, preces, quas ad Deum effundunt, exaudiri firmiter credant, ipſumq; pro beato teneant, & venerentur. *Ordo Minimorum ſtrictior omnibus.*

§. 3. Et quia in Sanctorum catalogo annumeratus non eſt, tam prædictus Germanus, quàm alij dicti Ordinis Minimorum fratres ſummoperè cupiunt eis concedi, vt liceat illis ſingulis annis die 2. menſis Aprilis, niſi occurrat maior hebdomada, vel octaua Paſchæ, & tunc in 2. feria poſt dictam octauam, feſtum, & officiũ eiuſdem Franciſci de vno confeſſore, cũ oratione vnius confeſſoris, ſub nomine Beati Franciſci de Paula, in domibus dicti Ordinis celebrare, & celebrari facere. Quare pro parte dicti Germani Correctoris nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt pro æterni Regis laude, & gloria, ac ipſius glorioſi confeſſoris reuerentia, & honore, necnon decore Eccleſiæ, ac catholicæ Religionis ſplendore, populiq; deuotione, & ſalute, ſuper ijs opportunè prouidere benignitate Apoſtolica dignaremur. *Supplicatio.* *Vide in noſtro Rituali, ante off. B. P. N. Franc. not. 3.*

§. 4. Nos igitur, qui fideles quoslibet ad Sanctorum Dei venerationem, & ingem erga eos deuotionem, vt ei, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum procedit, placere ſtudeant, prout poſſumus, libenter excitamus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem fratribus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus in eorum domibus officium in memoriam eiuſdem Franciſci de vno confeſſore, ſub nomine B. Franciſci de Paula huiuſmodi, annis ſingulis in die 2. menſis Aprilis, niſi occurrat maior hebdomada, vel octaua *Concedit facultatem celebrandi officium S. Frãciſci de Paula, & eius imaginem pingendi.*

Paſcha, & tunc in 2. feria poſt dictam octauam celebrare, & in eorum miſſis, ac matutinis, & veſperis eiuſdem Franciſci commemorationem ſub nomine Beati Franciſci de Paula huiuſmodi recitare, eiuſq; imaginem depingi facere, & in Eccleſijs domorum ſuarum, prout etiam fratres Ordinis Minorum de familia in eorum Eccleſijs imaginem Fratri Bernardini de Monte feltro, qui etiam proximis annis deceſſit, tenent depictam, tenere liberè, & licitè valeant, Ordinariorum locorum, & cuiuſuis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus.

Derogat cõtrarijs & tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd propter præmiſſa dictus Beatus Franciſcus catalogo prædicto adſcriptus non cenſeatur. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæq; loca, vbi illæ forent neceſſariæ, deferri, volumus, & prædicta apoſtolica auctoritate decernimus, quòd earumdem tranſumptis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo Cameræ Apoſtolicæ, vel alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus in iudicio, & extra illud fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnat. Dom. MDXIII. Nonis Iulij, Pontificatus noſtri anno primo.*

§. II.

Imagines eorum, qui cum ſanctitatis fama deceſſerũt, cum ſignis venerationẽ indicantibus non pingantur.

1 NOta, quòd Vrb. VIII. edidit decretum circa venerationem eorum, qui cum fama ſanctitatis deceſſerunt, tenoris ſequentis. *S. D. N. ſollicitè animaduertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum ſanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defunctis, qui & ſi neq; canonizationis, neq; beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen imagines in Oratorijs, atq; Eccleſiis, aliiſque locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, ſeu ſplendoribus proponuntur, miracula, & reuelationes, aliaq; beneficia à Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volenſque proinde huiuſmodi abuſibus pro debito officij paſtoralis occurrere, re etiam cum illuſtriſſ. & reuerendiſſ. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuerſa Republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus communicata, & maturè conſiderata, ac diſcuſſa, declarauit, ſtatuit, & decreuit, ne quorumuis hominum cum ſanctitatis, ſeu martyrij fama, quantacumque illa ſit, defunctorum imagines, aliaq; prædicta, & quodcumq; aliud venerationem, & cultum præſeferens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, ſeu priuatis, vel Eccleſiis, tam ſecularibus, quam regularibus cuiuſcumque Religionis, Ordinis, inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, &, ſi quæ appoſita ſunt, amoueantur, prout eas ſtatim amoueri mandauit.*

Non imprimantur libri dictorum miracula continentes.

Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui ſanctitatis, ſiue martyrij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumq; beneficia tamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoſcendis Theologos, alioſq; pios, ac doctos viros in conſilium adhibeat; & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, eiuſq; reſponſum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaq; beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus, hactenus ſine recognitione, atque approbatione huiuſmodi impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque ſua Sanctitas.

Ad dictorum ſepulcra tabellæ non appendantur; neque lampades accendantur. Ijs tamen, quibus ab antiquo cultus fuit exhiberi ſolitus, hæc nõ præiudicant. Inquiſitores, & Ordinarios executores deputat cũ pœnis trãſgredientib. inſligendis.

Ad horum hominum ſepulcra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, ſiue alia quæcumque lumina accendi, ſine recognitione, ab Ordinario omninò, prout ſupra, facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per ſupra ſcripta præiudicari in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per patrum, virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ; vel Ordinarij coluntur.

Vt autem præmiſſa diligentiùs obſeruentur, vniuerſis, & ſingulis, tam Ordinarijs, quàm hæreticæ prauitatis inquiſitoribus diſtrictè præcipit, vt in ſua quiſque Diœceſi, vel Prouincia ſedulò perugilet, ne ſine approbationibus prædictis imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliàue contra ſuperius diſpoſita fiant. Tranſgreſſores verò, ſi Regulares fuerint, priuationis ſuorum officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon & ſuſpenſionis à diuinis; ſi verò Clerici ſeculares, priuationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à diuinis, & ab adminiſtratione ſacramentorum, executioneque ſuorum ordinum reſpectiuè, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ inſligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquo modo affinxerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniarijs, aliiſque, etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.

Hoc decretum publicari mandat. Et tranſumptis fidem adhiberi iubet.

Et, ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, voluit, vt decretũ huiuſmodi, ſeu illius exemplũ, ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in acie Campi floræ affixum, omnes proinde arctet, atque afficiat, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatum fuiſſet.

Quòd-

Quòdque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tabellæ oblatæ, vel offerendæ dictis viris cũ atteſtationibus, & Ordinarij approbationibus recipiantur, & in aliquo loco ſecreto cuſtodiantur.

Poſtmodum verò idem S.D.N. à quibuſdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in poſterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conſeruare liceret. Sanctitas ſua, quæ tantummodò voluit, occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare, re prius cum Illuſtriſſ. & reuerendiſſ. D D. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus communicata, præſenti decreto declarauit, quòd ſicut numquam prohibuit, nec ſuæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemq; tabellarum, & imaginum huiuſmodi, ita vt nulli deinceps hæſitationi locus relinquatur, ſtatuit in præſentiarum, & decernit, vt quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumue alium publicum ſecularem, ſeu regularem, tabellas, & imagines, aliunde ſimile quiſpiam detulerit, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamuis cum martyrij, vel ſanctitatis fama demortuorum, optata ſe impetraſſe dixerit, liceat eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiarum, locorumue prædictorum curæ præpoſitis, tabellas, & imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, ſimul cum deferentis, aliorumq; qui conſcij fuerint, atteſtationibus, recipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo, ſeorſum ab Eccleſia, loco cuſtodire, ibidemq; tam amota collocare, & aſſeruare, vt, ſi quando Dominus talium virorum merita beatificationis, ſeu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiuſmodi ſanctitatis qualeſcumque probationes, Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ; contrarijs quibuſcumque non obſtantib.

Ita in generali Congregatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & vniuerſ. Inquiſit. habita in Palatio Apoſtolico montis Quirinalis, coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinal. aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitor. general. à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis. Feria 5. die 2. Octobris 1625.

2 Si quęras, an Sanctos non canonizatos, neque beatificatos, qui ſcilicet cum opinione ſanctitatis vixerunt, & deceſſerunt, liceat priuatim colere.

℞. Affirmatiuè Bellarm. to. 2. controuer. 4. de Eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 10. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 43. n. 3. licere, per cap. 2. de reliq. & ven. Sanct. quatenus ibi prohibetur publicus cultus, & publicum cultum vocant, non eum, qui coram alijs exhibetur. ſed qui nomine totius Eccleſiæ, & tamquam ab Eccleſia inſtitutus exhibetur. Facit etiam Trident. ſeſſione 25. de inuocatione Sanctorum, quatenus prohibet, poni in Eccleſijs, & locis, intellige publicis, vllam inſolitam imaginem.

3 Si quæras vlteriùs, an liceat eis ſeptem illos honores deferre, qui Sanctis canonizatis deferuntur, de quibus conſtitut. 16. huius Pontificis, numero 2.

℞. quò ad 1. licet non canonizatum, nec beatificatum credere, & vocare Sanctum, non licet tamen prædicare eum tamquam ab Eccleſia in Sanctorum catalogo inſcriptum. Quò ad 2. licet inuocare non canonizatum, etiam alijs audientibus, vt patet ex Hieron. in vita Paulæ, & præterea oramus viuentes, etiamſi neſciamus eſſe Sanctos; at non liceret in publicis litanijs, etiam quando priuatim dicuntur, & ſacro officio id facere. Quò ad 3. & 4. nullo modo licet eis templa, & altaria erigere, atq; ſacrificia offerre; quia hæc ſunt publici cultus. Quò ad 5. non licet publicum feſtum celebrare, liceret tamen in die natalis eius peculiariter lętari, & Deo vacare in illius memoriam. Quò ad 6. licet imaginem eorum pingere, non tamen cum ſplendoribus, laureolis, radijs, aut alijs ſignis ſanctitatis, poſt hoc decretum; licet etiam venerari, ſicut enim poſſum pingere imaginem patris, vel amici, eamque venerari, ita & illius quem ex eius peracta vita cognoſco, ſeu coniecto, in æterna beatitudine eſſe collocatum; non licet tamen dictam imaginem in altari domus priuatę, vbi nulla alia eſſet Sanctorum imago, collocarę cum lampade, quia id hic etiam vetatur. Quò ad 7. non licet reliquias hominis non canonizati in templo conſtituere publicè honorandas; licet tamen eas habere, & venerari, etiam alijs videntibus, modò ſcandalum abſit; id enim habet praxis Eccleſiæ; mox enim ac martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas; & ſimiliter quando moriuntur homines clari ſanctitate, multi deuote oſculantur manus, & pedes illorum, & de veſtibus eorum pro reliquijs ſeruant, nec id vnquam prohibitum fuit. Præterea ſi licet honorare viuentes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos? Vnde Innoc. cap. 1. de reliq. & ven. Sanct. num. 4. & Azor. p. 2. lib. 5. cap. 6. quæſt. 8. dicunt, quòd cuiuis licet priuatim, & ſecretę preces offerre ei, quem credit in patria cœleſti perpetuą beatitudine perfrui; at verò non licet ei ſolemnes, & publicas preces, nec publicè laudes, & diuina officia perſoluere.

4 Neque his obſtat decretum relatum n. 1. nam non dicit, quòd non poſſit quilibet in particulari credere, aliquem eſſe Sanctum, & in paradiſo, ac propterea eum inuocare, offerreq; preces, atq; auxilium petere, & in die mortis eius ſe totum Deo dedere, mundanis curis abiectis, ac imaginem eius tenere, & vereri, illamq; in veneratione habere (modò non ſit picta cum aliquo ſigno, cultum, & venerationem præſeferente, & indicante) & de illius veſtibus, atq; reliquijs, aliquid pro deuotione retinere, cum hæc non prohibeantur fieri ijs viuentibus, quos Sanctos exiſtimamus, immo hæc omnia poſſe fieri, inſinuatur dicto num. 1. verſu poſtmodum, quatenus conceditur, licere recipere tabellas oblatas dictis viris non canonizatis; vnde ſupponit, licere eos priuatim colere, & inuocare, preceſq; ad eos fundere: Sed tantummodò vetatur, quòd non poſſint dictorum imagines cum inſignibus ſanctitatis in Templis, vel Oratorijs etiam priuatis, vbi ſtatis temporibus ſolent deuoti ſeculares, ac etiam eccleſiaſtici conuenire ad exercitia ſpiritualia peragenda, vel ſolæ collocari, vt clarè patet ex eodem decreto. Vbi etiam eſt aduertendum, quòd imagines Sanctorum non canonizatorum non prohibentur ſimpliciter pingi, & in Templis, atque Oratorijs collocari, ſed ſolummodò cum inſignibus ſanctitatis. Quare ſine iſtis inſignibus poterunt tam in Eccleſijs, quàm Oratorijs adhuc reponi, non tamen ſolæ in altaribus. Sicut non prohibentur in dictis locis poni imagines Imperatorum, atq; Regum Chriſtianorum, & dictorum Templorum Fundatores.

5 Nota hic etiam, quòd antiquæ reliquiæ Sanctorum non poſſunt extra capſam oſtendi, c. fin. de reliq. & ven. SS. Rationem reddit Abbas ibi; quia cum oſtenduntur extra capſam oſſa nuda, multorum deuotio tepeſcit, & datur detractoribus cauſa obloquendi.

Nec licet reliquias furtiuè ſubtrahere, etiam vt honorabiliùs collocentur, eſt enim ablatio rei ſacræ, inuito domino, & conſequenter furtum ſacrilegum; nec paruitas materiæ excuſat à mortali; nam hic non ſpectatur ſola rei quantitas, ſed dignitas, & raritas. Ita Sanch. 2. in decal. cap. 43. nu. 23. ab infideli tamen liceret auferre; quia eſt iniuſtus poſſeſſor. Nulla tamen adeſt excommunicatio contra reliquias ſurripientes, Sanch. cit. num. 24. Nec item vllum peccatum committit Clericus in minoribus ordinatus, aut etiam laicus, qui reliquias piè, & reuerenter tangit, ac in vaſa includit: nullibi enim inuenitur vetitum; Sanch. loc. cit. num. 26. Agnos autem Dei tangere non licet, niſi Subdiaconis; quia oleo ſancto conſecrantur; non eſt tamen culpa, niſi venialis, & leuis, eos reuerenter tangere, & abſque contemptu, etiamſi laicus ſit. Sanch. loc. cit. n. 27. Contra miniantes autem adeſt excommunicatio Greg. XIII. latæ ſententiæ, de qua Sanch. num. 29. Vide Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. & 9.

CONSTITVTIO IV.

Confirmat omnia priuilegia conceſſa à ſuis prædeceſſoribus, & approbat de nouo Regulas fratrum, ſororum, & tertij Ordinis; ac concedit, quòd famulis inſeruientibus in noſtris Monaſterijs in habitu ſæculari poſſimus miniſtrare Euchariſtiam, etiam tempore Paſchatis, & in articulo mortis, ac reliqua ſacramenta præſtare, & in noſtris Eccleſiis ſepelire.

LEO EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū.

IIs, quæ pro fidelium omnium, & Religioſorum animarum ſalute à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prouidè proceſſerunt, vt eò firmiùs maneant, quò ſæpiùs fuerint Apoſtolicæ Sedis munimine roborata, libenter, cum à nobis petitur, adijcimus noſtri muniminis firmitatem, ac alia deſuper ordinamus, prout pro earumdem animarum ſalute in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Memorat conſtit. 1. Iulij II. §. 15. & §. 39.

§. 1. *Dudum ſiquidem fel. rec. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter inter alia Ordini fratrum Minimorum B. Franciſci de Paula conceſſit, quòd famuli domorum dicti Ordinis, nec non cæteri eiuſdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus ſepulturam eligentes, omnibus, & ſingulis priuilegijs, dicto Ordini quomodolibet conceſſis, gaudere liberè, & licitè poſſent; Quòdq; dicti Ordinis fratres, & ſorores, ac oblati, nec non vtriuſq; ſexus tertiarij, ſeu tertij Ordinis huiuſmodi, & nonnullæ aliæ perſonæ tunc expreſſè ſemel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorum veniam, & indulgentiam conſequi poſſent, & valerent, conceſſit: Ac tam præfatus Iulius, quàm piæ mem. Sixtus IV. Innoc. VIII. Alex. VI. Romani Pontif. prædeceſſores noſtri nonnulla alia priuilegia, conceſſiones, & indulta Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius pro tempore exiſtenti Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, & eorum Vices gerentibus, cæteriſque dicti Ordinis fratribus conceſſerunt: Ipſeq; Iulius prædeceſſor dicti Ordinis fratrum, ſororum, & vtriuſque ſexus tertiariorum huiuſmodi Regulas, per præfatum Franciſcum de Paula dicti Ordinis Inſtitutorem vltimo editas, tamquam eiuſdem Franciſci vltimam voluntatem, nouiſſimè approbauit, & confirmauit.*

§. 2. *Quare pro parte dilecti filij Germani Lionet moderni dicti Ordinis Correctoris Generalis, nobis* Supplicatio. *fuit humiliter ſupplicatum, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, conceſſionibus, & indultis, eidem Ordini, ac illius pro tempore Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, & eorum Vices gerentibus, & alijs dicti Ordinis fratribus conceſſis, necnon tribus Regulis nouiſſimè per eumdem Iulium prædeceſſorem approbatis, & confirmatis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, ipſaque priuilegia, & indulta, quò ad hoc vt fratres dicti Ordinis domorum huiuſmodi famulorum, pro tempore in habitu ſeculari eis ſeruientium, quoties opus fuerit, etiam paſchali tempore, & in mortis articulo, in eorum domibus, & Eccleſijs huiuſmodi confeſſiones audire, ipſiſq; & eorum cuilibet Euchariſtiæ, & vnctionis extremæ ſacramenta miniſtrare, ac inhumationis, & ſepulturæ beneficia impendere poſſint: Ita quòd ſingulæ perſonæ huiuſmodi, & prout dicti fratres, priuilegijs, & indulgentijs huiuſmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac ſi eis expreſſè conceſſa fuiſſent, extendere, & ampliare, aliàſq; in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

§. 3. *Nos itaque præfatum Germanum Correctorem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædicta, ac omnia, & ſingula Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius pro tempore exiſtentibus Generali, Vigilibus, ac Prouincialibus, & eorum Vices gerentibus, cæteriſq; ſingulis fratribus per præfatos prædeceſſores ſub quacumq; verborum ſerie, tam in genere, quàm in ſpecie hactenus quomodolibet conceſſa priuilegia, & indulta quæcumq; Nec non eiuſdem Ordinis fratrum, ſororum, & vtriuſq; ſexus tertiariorum Regulas huiuſmodi per præfatum Iulium prædeceſſorem, tamquam præfati Franciſci vltimam voluntatem, nouiſſimè approbatas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illaq; omnia, & ſingula, ad hoc vt fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu ſeculari eis deſeruientium, quoties opus fuerit, etiam Paſchatis tempore, & in mortis articulo, in eorum domibus, & Eccleſijs huiuſmodi confeſſiones audire, ipſiſq; & eorum cuilibet Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis*

Confirmat priuilegia & cōcedit, quod famulis poſſimus miniſtrare ſacramenta, &c.

Vide ſupra in conſtit. 1. Iulij II. §. 15. ànu. 11. & conſtit. 26 huius, §. 8.

ctionis ſacramenta miniſtrare, ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & ſepulturæ beneficia, cuiuſuis licentia ſuper hoc minime requiſita, impendere licitè valeant: Ita quòd ſingulæ perſonæ huiuſmodi, & prout dicti fratres, priuilegijs, & indultis huiuſmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac ſi eis expreſſè conceſſa fuiſſent, eiſdem auctoritate, & tenore extendimus, & ampliamus.

Derogat contrarijs & transũptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. Non obſtantibus ordinationibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Et quia difficilè foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, vbi illæ forent neceſſariæ, deferre, volumus, & præfata auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd earum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Cameræ Apoſtolicæ, vel alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus in iudicio, & extra illud illis fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Domin. 1513. Nonas Iulij, Pontif. noſtri anno 1.

CONSTITVTIO V.

Confirmat, & de nouo concedit priuilegium, quòd nouem collectæ dictæ ad beneplacitum, & deuotionem ſacerdotis, valeant pro totidem miſſis de Requiem.

LEO PAPA X.

Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmiũ.

EXpoſcit dilectorum filiorum fratrum Ordinis Minimorum deuotionis ſinceritas, & religionis promeretur honeſtas, vt eorum pijs petitionibus libenter annuamus.

Memorat conſtit. 5. Iulij II. §. 5.

§. 1. Licet aliàs fel. rec. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter dilecto filio Franciſco Binet tunc Correctori generali dicti Ordinis per ſuas in forma Breuis literas conceſſerit, quòd ſi ipſe in viſitatione domorum dicti Ordinis, quam, iuxta illius regularia inſtituta, facere tenebatur, vel aliàs in aliquibus domibus, vel locis dicti Ordinis, tam pro Eccleſiarum fabricis, quàm alijs fratrum neceſſitatibus, miſſarum multitudinem copioſam inueniret, & cognoſceret, quòd illæ per fratres locorum, & domorum huiuſmodi, in Eccleſijs eorum, iuxta obligationem per eoſdem fratres factam, aut relinquentium ordinationem, celebrari non poſſent prout in Ianuen. & Pariſien. domibus per illorum fratres factum eſſe cognouerat, vt cum fratribus locorum, & domorum huiuſmodi, aut etiam ibidem pro tempore degentibus, & cum eorum quolibet diſpenſare poſſet; Ita quòd diſpenſatio ſuper his per eumdem Franciſcum, facta ab eodem prædeceſſore facta cenſeretur cum eiſdem fratribus; Ac nouem collectæ per eos, aut eorum quemlibet in vnaquaq; miſſa recitatæ, pro nouem miſſis, ac ſeptem collectæ pro ſeptem miſſis, atq; ita de alijs deſcendendo, ſeu citra dictum numerum, cum omnium, & ſingulorum locorum, & domorum huiuſmodi fratrum, ac etiam totius Ordinis Minimorum huiuſmodi ſuffragiorum, orationum, ſacrificiorum, ieiuniorum, vigiliarum, diſciplinarum, & aliorum quorumcumq; bonorum generalitate, ſingulis eiuſdem Ordinis benefactoribus, & benefactricibus, qui miſſas ipſas in Eccleſijs domorum, & locorum huiuſmodi recitandas dederint adeo plenè, & integrè valerent, & ſufficerent, ac ſi miſſæ huiuſmodi pro eis, & eorum quolibet, iuxta piam eorum deuotionem, & intentionem, particulariter ſeparatim recitatæ fuiſſent, prout in dictis literis plenius continetur.

Dubitat Generalis an poſſit priuilegio collectarũ vti.

§. 2. Cum autem, ſicut nobis nuper dilectus filius Germanus Lionet modernus Corrector generalis dicti Ordinis exponi fecit, pro eo quòd officium Correctoratus præfati Franciſci expirauit, antequam domos dicti Ordinis partium Boemiæ, & Alemanniæ viſitaret, quarum fratribus pro illorum ſuſtentatione, aut aliàs deuotionis cauſa duo baiochi, ſeu ſeptem quatrini monetæ Iuliæ, pro celebratione vnius miſſæ per Chriſti fideles communiter dari conſueuerunt, & adeo pauci fratres in iiſdem domibus exiſtunt, quòd non poſſunt ſingulas miſſas pro ſingulis eleemoſynis celebrare, dubitauerit ipſe generalis Corrector, vigore earum literarum eiſdem Franciſco tunc Correctori conceſſarum poſſe cum dictis, ac alijs fratribus domorum Boemiæ, & Alemanniæ huiuſmodi, nec non Regni Neapol. ac Siciliæ, Terræ laboris, ac Calabriæ diſpenſare, vt ſinguli fratres dictarum domorum in celebratione vnius miſſæ vnius Sancti, vel Sanctæ, vel aliàs quomodocumq; ad eorumdem fratrum deuotionem recitatæ, ſeu etiam mortuorum, dicendo ſeptem, vel nouem commemorationes, ſatisfacerent pro ſeptem, vel nouem particularibus, & integralibus miſſis, etiamſi miſſæ huiuſmodi ſpecialiter de Requiem, vel de quocumq; Sancto, vel Sancta, vel aliàs integraliter recitatæ forent, pro quibus etiam tamquam promiſſis ſpecialiter de Requiem, vel de quibuſcumq; Sanctis integraliter celebrandis, eleemoſynas vndecumq; receperant, ſatisfacere valeant, ac commemorationes huiuſmodi per eoſdem fratres ad eorum deuotionem in vnica eorum miſſa taliter factæ, illis plenè valeant, & eis, qui miſſas huiuſmodi celebrare mandauerint, ſuffragentur, ac ſuper illis taliter recitatis fratres ipſi exonerentur, proinde ac ſi iidem fratres ſeptem, aut nouem miſſas ſpecialiter de Requiem, vel de quocumq; Sancto, ſeu de diuerſis Sanctis, vel aliàs, iuxta quorumcumq; benefactorum huiuſmodi piam deuotionem, & intentionem, integraliter diuerſis diebus celebraſſent. Quare pro parte eiuſdem Germani nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt in præmiſſis pro eorum conſcientiæ pace prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nouem collectę valẽt pro nouem miſſis.

§. 3. Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus fratribus domorum dicti Ordinis in partibus Alemanniæ, & Boemiæ pro tempore conſiſtentium, vt de cætero perpetuis temporibus in celebratione vnius miſſæ, ſeptem, vel nouem commemorationes ad eorum deuotionem pro tempore recitatæ, pro

ſeptem,

ſeptem, vel nouem ſpecialibus, & integralibus miſſis, etiamſi illæ ſpecialiter de Requiem, vel de quibuſcumque Sanctis recitandæ forent, vel alias quomodocumque etiamſi pro illis recitandis eleemoſynas recepiſſent, ſeu in poſterum reciperent, plenè ſatisfacere valeant: Ac commemorationes huiuſmodi de quibuſcumque Sanctis vel etiam defunctorum, vel aliàs ad eorumdem fratrum deuotionem taliter factæ, eiſdem fidelibus, qui eleemoſynas huiuſmodi pro ipſis miſſis celebrandis, eiſdem fratribus pro eorum ſuſtentatione dederint, ſeu in poſterum eos dare contigerit, plenè ſuffragentur: Ipſique fratres ſuper ſingulis miſſis huiuſmodi, cum ſeptem vel nouem collectis ad eorum deuotionem taliter recitatis, integraliter in eorum conſcientijs exonerẽtur, proinde ac ſi fratres ipſi ſingulas miſſas huiuſmodi, & earum quamlibet ſpecialiter de Requiẽ, vel de ipſis Sanctis, aut eorum quolibet, vel aliàs quomodocumquè iuxta piam benefactorum huiuſmodi, & cuiuslibet eorum deuotionem, & intentionem, diuerſis diebus integraliter celebraſſent: Quodq; dicti Ordinis generalis Corrector pro tempore exiſtens, cum omnibus fratribus quarumcumq; domorũ dicti Ordinis Minimorum, in dictis, & alijs quibuſuis Regnis, & locis conſiſtentium, ſuper dictis miſſis modo præmiſſo celebrandis diſpenſare liberè, & licitè valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus, pariter & indulgemus.

Derogat contrarijs. §. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq; Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 23. Iulij, anno 1523. Pontif. noſtri anno 1.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 Vide quæ dico ſupra in conſtitut. 5. Iulij II. §. 5. à num. 10. Et quia hic Pontifex concedit, quòd nouem collectæ dictæ in celebratione vnius miſſæ ad deuotionem ſacerdotis, ſeruiant pro nouem miſſis de Requiem. Poteſt quæri, an ex natura ſua, abſque priuilegio, vna miſſa de Sancto ſeruiat pro vna miſſa de Requiem, ita vt ſacerdos, cui mandatur vna Miſſa de Requiem, ſatisfaciat dicendo vnam miſſam de Sancto illo die occurrenti.

℟. Hanc dubitationem reſoluere Fraxin. in diſp. de hac re. Et breuiter dico, quòd ſi conſideretur valor Miſſæ ex parte operis operati, idem eſt in omnibus miſſis, ſiue de Sancto, ſiue de feria, ſiue de Requiem. Si autem conſideretur ex parte operantis, valor miſſæ poteſt eſſe æqualis pro defunctis in miſſa de Sancto, aut de feria, ſicut in miſſa de Requiem; Deuotio enim ſacerdotis in miſſa de Sancto, virtutibus, & meritis ipſius Sancti excitata, poteſt compenſare orationes, & preces ab Eccleſia inſtitutas, quæ vi inſtitutionis illius non parum defunctis proficiunt. Adde, quòd interceſſio Sancti, de quo dicitur miſſa, prodeſt animæ in Purgatorio exiſtenti, pro qua celebratur, loco particularium orationum, quæ in miſſa de Requiem reperiuntur.

2 Verum quidem eſt, quòd ſi ſacerdos non afficitur maiori deuotione in dicenda Miſſa de Sancto, aut de feria, quàm de Requiem, ſi accepit ſtipendium pro dicenda miſſa de Requiem, eam celebrare tenetur, quia, cœteris paribus, illæ orationes ordinatæ ab Eccleſia in miſſa de Requiem, magis proſunt animabus defunctorum, quàm aliæ. Quòd ſi etiam ſacerdos accipiendo ſtipendium ſe obligaſſet ad dicendum ſpecialiter miſſam de Requiem, ratione promiſſi, ad quod de iure naturali tenetur, deberet miſſam de Requiem celebrare.

3 Si autem, non obſtante promiſſione de dicenda miſſa ſpeciali de Requiem, diceret de Sancto, an ſatisfaceret dictæ obligationi, poſſet cõtrouerti. Puto, quòd ſic, quia valor miſſæ ex opere operato eſt idem in omnibus. Peccaret tamen mortaliter contra virtutem fidelitatis in re graui, & valorem miſſæ de Requiem, conſiſtentẽ in orationibus, & precibus ab Eccleſia inſtitutis quatenus etiam virtute Eccleſiæ, independenter à ſacerdote miniſtrante, proficiunt defunctis, teneretur dictus celebrans compenſare alijs orationibus conſimilibus, V.G. officio defunctorum, &c. Citat Frax. pro hic dictis infinitos Doctores.

4 Nota hic tandem ampliſſimum priuilegium conceſſum Monaſterio S. Benedicti Valliſol. anno Domini 1477. à Nicolao Franco Nuncio Sixti IV. cum poteſtate Legati de latere in partibus Hiſpaniarum, nimirum quòd dicti fratres poſſent liberè, & licitè recipere quaſcumq; eleemoſynas, vel quæcumq; legata, relicta pro perpetuis capellanijs, eaq; habere, & retinere ſine prædicto onere; dummodò ipſi benefactores, vel defuncti participes ſint benefactorum communium in dictis Monaſterijs fiendorum. Ita refert Rodriq. in ſuo bull. in Sixto IV. bull. 44. nu. 4. de quo Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. cap. 45. num. 23. Sed iſtud priuilegium pro nunc dormit cum alijs multis, per decretum Congr. de mandato Vrb. VIII. infrà, in Vrb. conſt. 9.

CONSTITVTIO VI.

Mandat ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ſibi abſolutionem reſeruando, ne fratres Minimi poſſint tranſire ad alium quantumuis priuilegiatum Ordinem; Quam etiam vult incurrere retinentes, & retentos non dimittentes.

LEO PAPA X.

Dilecto filio F. Franciſco Binet Ord. Minim. generali Correctori ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *Qvamuis aliàs fel. rec. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter ad Minimorum Ordinem, qui tamquam vitis* Memorat conſtit. Iulij II. §. 4.
in vinea Domini palmites vberes, Noſtra Regula ſtrictior omnibus.
& fructuoſos in dies producere non ceſſat, ſingularem gerens deuotionis affectum, & prouidè conſiderans, quòd vita, & obſeruantia Ordinis Minimorum huiuſmodi, cum ſit continuè quadrageſimalis tam in Conuentibus, & domibus Ordinis huiuſmodi, quàm extra, cæterorum quatuor Mendicantium Ordinum, & aliorum Religioſorum ſit arctior, & ſtrictior, tibi, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Minimorum generali Correctori, & Ordini huiuſmodi per quaſdam ſuas in forma Breuis literas conceſſas, quòd nulli eiuſdem Ordinis Minimorum fratres ad alium quemcumq; etiam priuilegiatum Ordinem prætextu quorumcumq; priuilegiorum, cuicumque alteri Ordini, etiam ſub quibuſcumq; verborum formis quomodolibet conceſſorum, abſque ſua, tuaq; aut generalis Correctoris pro tempore exiſtentis ſpeciali licentia tranſire poſſent, aut deberent, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam tam recipientes,

quàm

quàm receptos, & concedentes ipſo facto incurrere voluit, inhibuerit: Quòdq; tu fratres contrafacientes auctoritate Apoſtolica, quoties opus foret, excommunicare, nec non, iteratis vicibus, aggrauare, ac per alias cenſuras eccleſiaſticas, aliaq; iuris remedia compeſcere, & ad Ordinem Minimorum huiuſmodi reuocare, & reducere, ſeu reuocari, & reduci facere poſſes, & valeres, indulſerit, prout in dicti Iulij prædeceſſoris literis pleniùs continetur.

Motiua.

§. 2. Nihilominus, indulto, & literis huiuſmodi non obſtantibus, accepimus, quòd nonnulli aliorum Ordinum fratres, non verentes, contra indulti, & literarum huiuſmodi tenorem venire, plures dicti Ordinis Minimorum fratres, Ordinis huiuſmodi expreſsè profeſſores, ad eorum Ordinem, & habitum præſumpſerunt, in dictorum fratrum recipientium, & receptorum animæ periculum, & dicti Ordinis, & Religionis tuæ graue præiudicium, & ſcandalum plurimorum, recipere.

Prohibet Minimos ad alios Ordines tranſire.

§. 3. Nos itaque ipſius Iulij predeceſſoris in hac parte veſtigijs inhærentes, ac literas, & indultum Iulij prædeceſſoris huiuſmodi harum ſerie Apoſtolica etiam auctoritate confirmantes, & approbantes, ac Ordinem Minimorum huiuſmodi, qui his nouiſſimis, & noſtris temporibus incepit, & quotidie per eorum vitæ, & morum ſalubria exempla, Domino benedicente, creſcit, pro debito paſtoralis officij confouere, ac præmiſſis, ne in eneruationem eiuſdem Ordinis Minimorum vlteriùs ſerpant, obuiare volentes, dictis fratribus, & alijs quibuſcumq; quarumuis Religionum fratribus quantumcumque priuilegiatis, eorumq; Superioribus, & Prælatis auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipſo incurrere volumus, & à qua, niſi à nobis, & Romano Pontifice canonicè intrante, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui non poſſint, diſtrictè inhibemus, ne à modo in antea aliquos fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi ad eos confugientes, ſeu venientes ſub prætextu quorumcumq; priuilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis deſuper conceſſorum, in eorum domibus, ſeu Conuentibus recipere, aut eis ipſorum habitum concedere, ſeu exhibere audeant, vel præſumant.

Decernit receptiones irritas.

§. 4. Decernentes nihilominus, quaſcumque receptiones, & habituum exhibitiones factas, & faciendas, nullius exiſtere roboris, vel momenti, nullumq; tibi, & generali Correctori pro tempore exiſtenti, & Ordini huiuſmodi Minimorum præiudicium propterea generari potuiſſe, aut in futurum poſſe.

Mandat reſtitui Ordini noſtro fratres in alijs receptos.

§. 5. Et nihilominus eiſdem fratribus, prædictos Religioſos, & profeſſos Ordinis Minimorum huiuſmodi penes ſe, ſeu in eorum domibus, locis, & Conuentibus tenentibus, ſub dicta excommunicationis pœna modò præmiſſo incurrenda, præcipimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus dictos fratres per eos receptos huiuſmodi infra nouem dierum ſpatium, à die præſentium intimationis computandorum, cum eorum priori habitu, tibi, & Ordini tuo huiuſmodi reſtituere habeant; de cæteroq; à ſimili fratrum Ordinis huiuſmodi Minimorum receptione abſtineant; Sed ad eos accedere volentes cum omni humilitate, & in ſpiritu patientiæ, & charitatis ipſos de indulto, & inhibitione huiuſmodi certificantes, ad omnem tuam, & pro tempore exiſtentis generalis Correctoris, tuiq; ac ſui Vices gerentis petitionem reſtituant. Nos enim tibi, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis generali Correctori, veſtriſque Vices gerentibus quoſcumq; fratres, & Religioſos dicti Ordinis Minimorum corrigendi, puniendi, & eos ad Ordinem, & habitum huiuſmodi, etiam ſub excommunicationis, & alijs pœnis, & cenſuris reuocandi, & reducendi, eaſdemque pœnas, & cenſuras, iteratis vicibus aggrauandi, & reaggrauandi plenam, & omnimodam Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus facultatem.

Derogat contrarijs.

§. 6. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac priuilegijs, indultis, & literis Apoſtolicis, fratribus, & Religioſis quorumuis aliorum Ordinum conceſſis, & pro tempore concedendis, quæ quo ad hoc eis nolumus in aliquo ſuffragari, cæteriſq; alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumq; Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 18. Aug. 1516. Pontific. noſtri anno 4.

§. VI.

1 NOta, quòd derogat omnibus priuilegijs cōceſſis, & concedendis; ita vt ſi modò concederetur aliquod priuilegium alicui Religioni, vt poſſet recipere quoſcumq; fratres aliorum Ordinum, non poſſet tamen per hoc priuilegium recipere noſtros, quia hoc noſtrum priuilegium fundatur etiam in iure communi, in quo determinatur, quòd non liceat tranſire, niſi ad arctiorem. Cap. Licet, de regul. cap. Statuimus, & cap. Mandamus, 19. quæſt. 3. & ſupponit Trident. ſeſſ. 14. de reform. cap. 11. & ſeſſ. 25. cap. 19. Arctior autem Religio noſtra hucuſque non eſt adinuenta. Quòd ſi Religio ſtrictior noſtra de nouo fundaretur (quod vix fieri poſſe reor) tunc puto, quòd iſta noſtra priuilegia, quæ in ſola maiori arctitudine fundantur, deberent ceſſare.

CONSTITVTIO VII.

Confirmat indulgentias conceſſas ab ipſo ſupra, in conſtit. eius 2. cum omnibus clauſulis in ea contentis. Et addit, quòd per bullam Cruciatæ dictæ indulgentiæ numquam intelligantur ſuſpenſæ; Quapropter concedit, vt poſſint liberè, & licitè vbique publicari.

LEO PAPA X.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. SOlet Sedes Apoſtolica petentium pijs precibus, per quas animarum ſalus procuratur, fauorem beneuolum impertiri. Cum itaque nos ad Ordinem Minimorum, quem B. Franciſcus de Paula piè, & religioſè inſtituit, ſingularem gerentes deuotionis affectum, per diuerſas noſtras, tàm ſub plumbo, quam in forma Breuis confectas

ctas literas, in fauorem dicti Ordinis, & domorum eiuſdem in diuerſis Regnis, & Prouincijs conſtructarum, omnibus, & ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, qui aliquam ex dicti Ordinis domibus huiuſmodi vbilibet conſtructis, vel pro tempore conſtruendis, Eccleſiam certis feſtis, & diebus, in dictis literis reſpectiue expreſſis, à primis veſperis cuiuslibet feſtorum, & dierum huiuſmodi, vſque ad Solis occaſum eiuſdem viſitarent, & ibi quinquies orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam in Chriſti paſſionis memoriam recitarent, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam in Domino miſericorditer elargiti fuerimus, cum facultate confeſſores deputandi, qui in feſtiuitatibus, & diebus huiuſmodi, eorumdem Chriſti fidelium ad Eccleſias Ordinis Minimorum huiuſmodi confluentium confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis per eos peccatis, etiam in ſingulis caſibus epiſcopalibus, abſolutionis beneficium impendere, & ſalutarem pœnitentiam iniungere, necnon vota quæcumque per eos pro tempore emiſſa (Religionis, & caſtitatis, ac vltramarino, ac viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Iacobi in Compoſtella, votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valerent, licentiam, & facultatem conceſſerimus; & nihilominus voluerimus, decreuerimus, & declarauerimus, quòd ſi contigerit, nos, aut Sedem Apoſtolicam in poſterum huiuſmodi indulgentias, & facultates caſſare, reuocare, & annullare, ſeu ſuſpendere, quòd huiuſmodi per nos dicto Ordini, & eius fratribus, ac domibus, & Eccleſijs huiuſmodi conceſſæ literæ, ac in eis contenta quæcumque nullatenus in reuocationibus, aut caſſationibus huiuſmodi includerentur, nec per tales, aut alias reuocationes, caſſationes, declarationes, decreta, & ſuſpenſiones, ſublata, aut caſſata quomodolibèt intelligerentur, etiamſi de huiuſmodi intentione noſtra, & mente non derogandi ſpecialis expreſſio, & non per generales clauſulas, quæ huiuſmodi ſpecificam mentionem importare viderentur, fieret, prout in huiuſmodi ſub plumbo, quas perpetuò valere decreuimus, & alijs ſingulis reſpectiuè confectis literis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Motiua.

§. 2. Quia tamen à nonnullis verti poſſet in dubium, an indulgentiæ, per nos, vt præmittitur, Ordini Minimorum, ac illius domibus, & Eccleſijs conceſſæ huiuſmodi, per indulgentiam ad effectum Cruciatæ, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac etiam fabricæ, ſeu reparationis turris Eccleſiæ Viennenſ. Archiducatus Auſtriæ, per nos, vel prædeceſſores noſtros quomodolibèt etiam cum derogatione aliarum indulgentiarum, etiam annullatæ fuerint. Nos attendentes, quòd indulgentias huiuſmodi Ordini Minimorum, ac illius domibus, & Eccleſijs libenter conceſſimus, & illas ſub quibuſuis reuocationibus, caſſationibus, & annullationibus, quæ à nobis, & Sede Apoſtolica pro tempore emanarent, comprehendi nullo pacto voluimus, & decreuimus, vt præmittitur, ad effectum, quòd fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi, qui noſtris temporibus, Domino famulantes, cœperunt, Domino benedicẽte, multiplicari, poſſent Chriſti fidelium pijs ſuffragijs, & eleemoſynis, cum ipſi vitam quadrageſimalem intùs, & foris agant, pro eorum neceſſitatibus, & pro eorum ſuſtentatione aliquod ſubleuamen ſuſcipere, & habere: Et ne Chriſti fideles à bonis operibus abſtrahantur, quinimmo feruentiores ad lucrandum indulgentias, Ordini, & domibus, ac Eccleſijs Minimorum huiuſmodi vt præmittitur, vel aliàs quouis modo conceſſas, reddantur, dignum duximus eiſdem Chriſti fidelibus notam facere mentis noſtræ intentionem.

Noſtræ indulgentiæ non plenariæ non reuocantur.

§. 3. Quocirca auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, per conceſſionem indulgentiarum dictæ fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cruciatæ, necnon fabricæ, ſeu reparationi dictæ turris Eccleſiæ Viennenſ. huiuſmodi, aut quibuſuis alijs fabricis, Eccleſijs, ſiue locis per prædeceſſores noſtros, vel nos hactenus factam, ſeu fiendam, mentis noſtræ non fuiſſe, neq; in futurum eſſe, velle non plenarias indulgentias, & literas ſingulas, fratribus, & Eccleſiis domorum Minimorum huiuſmodi ſub quibuſuis verborum formis conceſſas, plenarias indulgentias non continentes, reuocare, caſſare, & annullare, vel eis vllatenus derogare; quinimmo illas, & in eis contenta quæcumq; iuxta illarum formam, & tenorem, præterquam quò ad plenarias indulgentias, harum ſerie innouantes, & confirmantes, fratribus, Ordini, & Eccleſiis huiuſmodi prout conceſſæ ſunt, & omnia in eis contenta in ſuo robore permanere, & ſic ab omnibus obſeruari debere volumus, &c.

Dictas indulgentias poſſumus vbique publicare.

§. 4. Et nihilominus fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi, eorum indulgentias prędictas in eorum Eccleſiis, & domibus publicando, etiam poſt conceſſionem prædictarum, ſeu aliarum indulgentiarum, vt præmittitur, conceſſarum, & inhibitionem de non publicando vbilibet factam nullas pœnas, ſeu cenſuras, ſeu excommunicationis ſententias mereri debuiſſe, aut potuiſſe, eadem auctoritate decernimus; Ac eoſdem fratres ſuas indulgentias præmiſſas, quibuſcumq; non obſtantibus, libere, & licitè publicare poſſe, & debere volumus, & pari auctoritate indulgemus. Per præſentes tamen non intendimus in aliquo præiudicare indulgentiæ pro futuri proximi Capituli generalis in Vrbe celebratione conceſſæ, quominus illa in locis in literis Breuis deſuper expeditis expreſſis liberè publicari valeat.

Derogat contrarijs.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis alijs ſuſpenſionibus, & reuocationibus ſimilium indulgentiarum, ſub quacumque verborum forma, per nos, vel prædeceſſores noſtros ad effectus prædictos, ſeù aliàs ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, conceſſis hactenus, & in poſterum concedendis, ſeu factis, & fiendis, ſub quibus præſentes nullo modo comprehendi poſſe volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca vbi expediens fuerit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd literarum huiuſmodi tranſumpto, manu publici Notarij ſubſcripto, & alicuius Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut alterius Eccleſiæ Prælati, vel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munito, vbicumq; illud exhiberi contigerit, ea prorſus & indubitata fides in iudicijs, &

extra

extra vbicumque locorum adhibeatur, ac ſi præſentes forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 5. Septembris anno 1516. Pontificatus noſtri anno quarto.

§. III.

1 NOta, quòd indulgentiæ conceſſæ ab hoc Pōtifice, quæ plenariæ non ſunt, non ſuſpendūtur per bullam Cruciatæ, nec per alias bullas. Immo neque etiam huiuſmodi in dulgentiæ non plenariæ ſuſpenduntur per bullam Iubilæi, quolibet vigeſimo quinto anno ſolitam publicari. A Sorbo in comp. verb. Cruciata, pag. 180. verſu Et hinc, Nauar. tom. 3. com. de Iub. not. 25. num. 2. & ſeq. Alphonſ. Leo tract. de Iub. p. 1. q. 6. num. 226. niſi Pontifex expreſſe ſuſpendat, dicendo, ſuſpendimus omnes indulgentias plenarias, & non plenarias.

2 Neque per bullam Cruciatæ ſuſpenduntur indulgentiæ etiam plenariæ quò ad fratres. Ita A Sorbo in comp. ver. Cruciata, pag. mihi 179. verſu Ex quo primo. Caſar. in comp. ver. Priuilegia fratrum, q. 4. Et in ſuſpenſione priuilegiorum, & gratiarum, &c. dictæ bullæ habetur. *Exceptis conceſsis Ordinum Mendicantium Prælatis quantum ad ſuos fratres ſolùm.* In anno verò Iubilæi ſuſpenduntur priuilegia, gratiæ, indulgentiæ, &c. etiam pro fratribus, quò ad quinque tantùm, 1. quò ad indulgentias plenarias. 2. quò ad poteſtatem commutandi vota. 3. quò ad poteſtatem diſpenſandi ſuper eis. 4. quò ad poteſtatem diſpenſandi, vel componendi ſuper malè ablatis incertis, vel ea certo modo remittendi. 5. quò ad poteſtatem deputandi confeſſores cum poteſtate abſoluendi, etiam in caſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis. Ita Nauarr. tom. 3. comm. de Iub. not. 28. num. 1. A Sorbo in comp. ver. Cruciata, pag. 181. verſu Notent autem.

3 *Si* quæras, an anno Iubilæi ſuſpendantur indulgentiæ plenariæ conceſſæ pro articulo mortis.

℞. Licèt Nauarr. loco citat. num. 6. & alij Ipſum ſecuti affirment. Contrarium tamen fuiſſe declaratum hoc anno S. Iubilæi, quo hæc ſcribo, à Papa Vrbano VIII. Quam declarationem fuiſſe Romæ publicatam à Vicegerente Pœnitentiariæ, affirmat Alphonſ. Leo tract. de Iubil. par. 1. q. 6. num. 242. verſu Etiamſi hæc opinio. Vnde ſequitur, remanere firmas hoc anno indulgentias conceſſas Regularibus pro illo articulo Remanent etiam firmæ pro illo articulo indulgentiæ conceſſę rebus benedictis, nempe coronis, granis, imaginibus, Quod in ſpecie etiam declarauit idem Vicepœnitentiarius ex mente dicti Sanctiſſ. vt teſtatur dictus Alphonſus Leo loc. cit.

4 Neque etiam ſuſpenduntur anno Iubilæi indulgentiæ pro defunctis; dictus Alphonſ. num. 246. Neque altaria priuilegiata; idem ibid. num. 248. Non ſunt enim eæ indulgentiæ cōtra finem ſuſpenſionis indulgentiarum, qui ſolùm eſt, ne retardentur fideles ire Romam hoc anno, quo modo retardarentur, ſi haberent in ſuis partibus commoditatem plenarias indulgentias conſequendi.

§. IV.

5 NOta, quòd dictas indulgentias non plenarias in noſtris Eccleſijs poſſumus, non obſtante quacumq; prohibitione, liberè, & licitè publicare, per conceſſionem huius Pontificis. Sed obſtat decretum Concilij Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 9. vbi habetur. *Indulgentias verò, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit;* Intellige. Neque etiam in Eccleſijs proprijs. Quod tamen de indulgentijs poſt Concilium conceſſis intelligendum eſſe, non de conceſſis ante illud, & quæ vſu receptæ ſunt, hæ enim publicari poſſunt, nullo verbo cum Epiſcopis facto, dicitur ſacram Congreg. declaraſſe, & refert Franc. Leo 4. p. theſau. for. eccleſ. c. 2. n. 119. Sed conſultius eſt, vt omnes indulgentiæ cum licentia Ordinariorum publicentur, qui hanc licentiam denegare non poſſunt, vt per decretum Congregationis apud Naldum ver. Indulgentia, n. 16. conſtat; & nos etiam diximus tom. 1. Relig. pag. 687. Notat tamen Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 98. art. 1. quòd ſi Papa concedat aliquas indulgentias alicui Superiori pro ſuis ſubditis, & familiaribus, poteſt eas Superior conuentualis in ſuo Conuentu promulgare, abſque licentia Epiſcopi. Nec in hoc caſu loquitur Trid.

CONSTITVTIO VIII.

Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſiam SS. Trinitatis de Vrbe omnibus Dominicis Quadrageſimæ, & diebus Aſcenſionis, &c. Et omnibus diebus à media Quadrageſima vſque ad octauam Paſchæ indulgentias S. Mariæ de Populo. Et omnibus diebus Dominicis totius anni concedit triginta annos, & totidem quadragenas, cum poteſtate deputandi confeſſores dictis diebus, qui abſoluant ab omnibus caſibus, etiam Papæ reſeruatis, exceptis contentis in bulla Cœnæ.

LEO EPISCOPVS.

Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū.

ET ſi cunctæ orbis Eccleſiæ ſub Sanctorum fundatæ vocabulis, ſint pia deuotione fidelium venerandæ, illas tamen, quæ in honorem, & ſub vocabulo ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis dedicatæ noſcuntur, eo celebriori memoria conuenit venerari, quò ipſa ſancta Trinitas immediatiùs, & perfectiùs vota fidelium dirigit, & ad gratias exauditionis admittit.

Indulgentias elargitur cū propoſitu confitendi.

Nota pro ædificatione Conuētus S. Trin. de Vrbe.

§. 1. *Cupientes igitur, vt clauſtrum domus eiuſdem SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe Ordinis Minimorum à Beato Franciſco de Paula inſtituti, & à fel. rec. Alex. VI. & Iulij II. Romanis Pontific. prædeceſſoribus noſtris, ac nobis approbati, ac pluribus priuilegijs, & diuerſis decorati, commoda fratrum dictæ domus habitatione conſtrui cœptum, celeriùs perfici valeat, ac Eccleſia eiuſdem domus, ad quam Romanus Populus, & etiam Curiales, ac alij Chriſti fideles diuerſarum nationum ſingularem gerunt deuotionis affectum, congruis frequentetur honoribus, ac Chriſti fideles ipſi eò libentiùs deuotionis cauſa confluant ad eamdem, quò ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos. De omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ſeu firmum confitendi propoſitum habentibus, qui prædictam Eccleſiam*

SS. Tri-

SS. Trinitatis ſingulis diebus Dominicis cuiuslibet Quadrageſimæ, & in Reſurrectionis, & Aſcenſionis D. N. Ieſu Chriſti, Pentecoſtes, & eiuſdem SS. Trinitatis, ac Natiuitatis eiuſdem D. N. Ieſu Chriſti feſtiuitatum diebus, à primis veſperis ſingularum Dominicarum, & feſtiuitatum, ſeu dierum huiuſmodi, vſque ad occaſum Solis cuiuslibet ipſarum, deuotè viſitauerint, & ibidem in honorem SS. Trinitatis ter orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam recitauerint annuatim, ſingulis earumdem Dominicarum, & feſtiuitatum diebus huiuſmodi, plenariam, & veram omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & indulgentiam concedimus. Eiſdem verò Chriſti fidelibus vniuerſis, qui Eccleſiam prædictam à media cuiuslibet anni Quadrageſimæ, vſque ad octauas Paſchæ incluſiuè annuatim ſimiliter viſitauerint, dictaſque Dominicas orationes, & ſalutationes Angelicas ibidem ſimiliter recitauerint, ſimiles omnino indulgentias, quas conſequuntur, ſeu pro tempore conſequentur ſinguli Eccleſiam B. Mariæ de Popolo viſitantes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in Domino concedimus, & elargimur.

Indulgentias non plenarias elargitur.

§. 2. Alijs verò ſingulis Dominicis diebus cuiuſlibet reſpectiuè anni Eccleſiam ipſam modo prædicto viſitantibus, triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus.

Concedit auctoritatem confeſſores deputãdi. Vide cõſt. 2. eiuſdem, à nu. 3. & nota hic, quid per iſtam conſtit. cõfeſſores debent eſſe noſtri Ord.

§. 3. Et vt Chriſti fideles ipſi indulgentiarum huiuſmodi commodiùs participes eſſe poſſint, Correctori dictæ domus pro tempore exiſtenti, confeſſores religioſos dicti Ordinis, qui eoſdem Chriſti fideles ad eamdem Eccleſiam pro huiuſmodi indulgentijs conſequendis, dictis ſingulis diebus Dominicis Quadrageſimæ cuiuslibet anni, & à medio Quadrageſimæ, vſq; ad octauam Paſchæ incluſiuè, etiam cuiuslibet anni, diebus ſingulis accedentes, eorum confeſſiones audire, eorumq; confeſſionibus, diligenter auditis, eoſdem à quibuſcumq; caſibus etiam Apoſt. Sedi reſeruatis (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini) abſoluere poſſint, & valeant, deputandi, auct. Apoſt. tenore præſentium de vberiori gratia licentiam, & facultatem etiam concedimus, pariterque indulgemus.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis etiam ſuſpenſionibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum pro tempore factis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1518. Kal. Iulij, Pontif. noſtri anno 6.

§. 1.

1 NOto 1. circa illa verba *Verè pœnitentibus, & confeſſis*, quòd ad lucrandam indulgentiam requiritur in primis ſtatus gratiæ, ita Cord. in quæſt. theol. lib. 5. q. 23. prop. 1. Suar. tom. 4. in 3. part. diſp. 52. ſect. 2. numero 4. Et ratio eſt, quia, ſecundùm D. Thom. in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 5. q. 1. & in addit. ad 3. p. q. 27. art. 1. & communiter Doctores, indulgentia ſolùm valet ad remiſſionem pœnarum temporalium Deo debitarum pro peccatis iam quò ad culpam dimiſſis, homini enim inimico Dei, quamdiu in peccato exiſtit, nulla fit remiſſio, neq; quò ad culpam, neq; quo ad pœnam, quia indignus eſt tali remiſſione. Ergo manente culpa mortali, non prodeſt remiſſio pœnarum per indulgentias; Patet conſeq. quia opera ſatisfactoria Chriſti, & Sanctorum non poſſunt communicari niſi in vtilitatem eorum, pro quibus ea operati ſunt, ſed Chriſtus, & Sancti non fecerunt illa opera ſua bona pro vtilitandis membris Diaboli, quales ſunt peccatores, ſed ſolùm pro vtilitandis membris Chriſti, qui ſunt fideles exiſtentes in gratia.

2 Si quæras, quo tempore requiratur gratia ad lucrandam indulgentiam, an ſcilicet illo, quo fiunt opera ad eam requiſita, nimirum ieiunium, eleemoſyna; an verò illo, quo indulgentia conſummatur, & effectus illius confertur. Videri poteſt pro hac quæſtione Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 2. num. 7. Cord. loc. cit. q. 24. Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 6. num. 138. Breuiter dic, ſufficere, quòd ſit in gratia, quando conſummatur indulgentia, id eſt quando fit vltimum opus ad indulgentiã requiſitum; V. G. pro lucranda aliqua indulgentia, requirit Papa ieiunium, eleemoſynam, & viſitationem per quatuor vices alicuius Eccleſiæ, dico, quòd non eſt neceſſe, quòd ſit in ſtatu gratiæ quando ieiunat, neque quando dat eleemoſynam, neque quando viſitat. 1. 2. 3. Eccleſiam, ſed ſufficit, quòd ſit, quando 4. vice viſitat Eccleſiam, in qua ſuppono quòd conſummetur indulgentia: Et in noſtra indulgentia, in qua requiritur viſitatio Eccleſiæ, & recitatio trium Pater noſter, & totidem Aue Maria, non eſt neceſſe ex vi talis operis, quòd ſit in gratia, quando pergit ad viſitandum, neq; quando viſitando diceret 1. & 2. aut 3. Pater noſter, &c. ſed ſufficit, quòd conteratur, & ſit in gratia, quando dicit vltimum Aue Maria, in quo ſupponitur dictæ indulgentiæ conſummatio, & collatio eius effectus. Et ratio eſt, quia etiam opera facta in peccato mortali ſatiſfactoria ſunt, licèt non meritoria, vt Nauar. comm. de Iubilæo, not. 32. num. 46. verſu 3. quòd ea, tom. 3.

3 Sed quid, ſi quis manens in mortali faciat omnia opera requiſita ad conſequendam indulgentiam, licèt tunc non conſequatur illius effectum, propter defectum gratiæ omnino requiſitæ, vt dixi, conſequetur ne ſaltem per contritionem, vel ſacramentalem confeſſionem gratia ſuprauueniente? Affirmat Henriq. l. 7. de indulg. c. 9. n. 3. alios citans. Probabile putat Filliuc. loc. cit. nu. 140. quia ſicuti datur ſacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, in quo, fictione ſublata, confertur gratia, ita & hic. Probabilius, & tutius eſt contrarium, nimirum, indulgentiam non habere effectum, fictione recedente. Ita Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 2. n. 13. & ſeq. Filliuc. loco cit. n. 141. quia communiter indulgentiæ conceduntur verè pœnitentibus, & confeſſis.

4 Noto 2. quòd maxima controuerſia eſt inter Doctores, an per illa verba, *verè pœnitentibus, & confeſſis*, præcipiatur confeſſio in actu, an ſolummodo in voto, de qua videri poteſt Cord. loc. cit. q. 27. Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 3. n. 10. Alphon. Leo de Iub. p. 1. q. 1. à n. 56. Breuiter dic, quòd licèt multi velint, quòd vi illorum verborum non requiratur actualis confeſſio, ſed quòd ſufficiat contritio, quæ illam includit in voto, & exponant illam particulam & diſtributiuè, id eſt, tam contritis, quàm confeſſis, quo modo ſumitur in c. 2. de elect. ibi, *arma deferentes, & vſurarij excommunicentur*: ſeu quòd confeſſio requiratur, quatenus ad iuſtificationem eſt neceſſaria, vnde ſi aliter iuſtificatio poſſit haberi, V. G. per contritionem, confeſſio neceſſaria non ſit, vt Suar. loc. cit. n. 13. Comitul. l. 1. reſp. mor. q. 39. num. 3. Quia aiunt, ad participandum Eccleſiæ theſaurum, ſufficit ſtatus gratiæ. Licèt, inquam, iſti cum multis alijs, quos citant, ita ſentiant, tutior tamen, & communior opinio eſt, quòd per dicta verba præcipiatur actualis confeſſio. Ita Caiet. Adrian. Duran. apud Suar. loc. cit. num. 10. & in praxi dicit hanc eſſe conſulendã Alphon. Leo loc. cit. n. 65. Et ratio eſt, quia cum Papa præcipere poſſit in hoc caſu actualem confeſſionem, non ſolùm mortalium, ſed etiam venialium, aut etiam reconfeſſionem mortalium, iam ritè confeſſorum, & remiſſorum, vt Cord. loc. cit. prop. 1. Filliuc. loc. cit. n. 144. Suar. loco cit. num. 5. tamquam conditionem neceſſariam ad lucrandam indulgentiam, præcipere videtur, cum vti-

tur

tur verbis, quæ communi omnium ſenſu actualem confeſſionem dicunt. Et quòd communiter exiſtimentur illa verba actualem confeſſionem importare, nemo inficiari puto. Addo, quòd Pontifices quando nolunt obligare ad actualem confeſſionem, addunt illa verba Propoſitum confitendi habentibus, vt in noſtra hac indulgentia; quæ verba ſuperflua eſſent, ſi per prima propoſitum confitendi ſufficeret. Adde, quòd particula & in proprio, & primario ſignificatu, copulatiuè ſumitur, quare impropríanda non eſt ſine neceſſitate; & licèt fatendum ſit, quòd ad participandum Eccleſiæ theſaurum ſufficiat ſtatus gratiæ, hic tamen ſufficiens non cenſetur, quando theſauri diſpenſator aliam conditionem requirit.

5 Aduerto tamen, quòd qui non haberet niſi venialia, non teneretur confiteri. Ita Alph. Leo de Iub. p. 1. q. 1. n. 75. Suar. loc. cit. n. 5. Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 6. n. 145. Ratio eſt, quia communiter loquendo, confeſſio ſolùm de neceſſitate exigitur, quando adeſt materia mortalis. Poſſet quidem Papa exigere etiam confeſſionem venialium, vt dixi nu. 4. ſed cum communiter non faciat, ideo dicimus, hanc venialium confeſſionem non prærequiri ad indulgentiam lucrandam, vigore illorum verborum *verè pœnitentibus, & confeſſis*.

6 Aduertè etiam, quòd in noſtro priuilegio hæ omnes quæſtiones ceſsāt; nam Pontifex expreſsè declarat, actualem confeſſionem non requiri ad noſtras indulgentias lucrandas in noſtris Eccleſijs dictis diebus, cum dicat, ſe eam concedere verè pœnitentibus, & confeſſis, ſeu propoſitum confitendi habentibus.

7 Noto 3. circa illa verba *deuotè viſitauerint*, quòd deuotè viſitare dicitur ille, qui accedit ad Eccleſiam, ſeu altare viſitandum piè, modeſtè, & religioſè, ad colendum in tali loco Deum, vel in ſe ipſo, vel in alio Sancto, qui propter ipſum ibi afficitur honore. Ita Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 1. nu. 4. Nau. to. 3. in comm. de Iub. not. 32. n. 46. verſu 2. quòd fieri poteſt, fine; quem ſequitur Rodriq. to. 2. q. reg. q. 98. ar. 6. d. 1. dicunt enim quòd ille deuotè dicitur viſitare quò ad indulgentiam lucrandam, qui modeſtè, ac deuotè ingreditur, precatur, & exit Eccleſiam, etiamſi reliquum itineris immodeſtè faciat. Alphon. Leo p. 1. q. 2. n. 143. dicit, quòd ad hoc vt quis dicatur deuotè viſitare, oportet, vt ille actus viſitādi ſit moraliter bonus. & probat ex definitione deuotionis, quam affert D. Th. 2. 2. q. 82. art. 1. quòd ſit voluntas promptè faciendi, quòd ad ſeruitium Dei pertinet. Cum quo bene ſtat, vt quis poſſit deuotè Eccleſias viſitare, etiamſi ſit in peccato mortali. nam exiſtens in mortali poteſt actum bonum moralem, ſeu opus honeſtum facere, vt probat Nauarr. loc. cit. verſu Tertio quòd ea, & D. Tho. 2. 2. q. 19. art. 4. & Azor tom. 1. inſtit. mor. lib. 8. c. 25. q. 14. & colligitur ex Trid. ſeſſ. 6. can. 7. de iuſtif.

8 Si quæras, an peccatum veniale factum in ipſa viſitatione poſſit cauſare, quominus dicta viſitatio dicenda ſit deuotè facta. Graue dubium dicit Nau. loc. cit. num. 44. verſu Deuotè. Ex quo in num. 45. ſic breuiter Rℓ. ſermonem hic eſſe de peccato veniali concomitante actum, nam de antecedente certum eſt, quòd non ſolùm veniale, ſed neq; etiam mortale, vt dictum eſt, impedit deuotam viſitationem: Peccatum autem veniale concomitans poteſt conſiderari tripliciter in ordine ad ipſum actum viſitationis. 1. extrinſecè, vt V. G. viſitat quis Eccleſiam, ſiue in ſtatu gratiæ, ſiue non, bono fine, & bono modo, tempore opportuno, ſed durante viſitatione, vel aliqua eius parte, peccat venialiter, inordinatè intra ſe iraſcendo concupiſcendo honorem, voluptatem, vel aliud malum venialiter volendo. 2. ita vt peccatum veniale contingat ſolùm circumſtantiam actus viſitationis. V. G. viſitatio ad hoc vt ſit deuota, debet fieri tempore, & modo debito: iſte licèt viſitet bono fine, & ad lucrandam indulgentiam, non viſitat tamen tempore decenti, nec modo debito ſed ridendo, aſpiciendo per Eccleſiam, loquendo, &c. 3. poteſt conſiderari iſtud peccatum veniale, quatenus contingit ſubſtantiam actus ipſius viſitationis, V. G. quia viſitat, non ex deuotione, neque ad indulgentias lucrandas, ſed ob vanam gloriam venialem, vel ad alteri, vel ſibi venialiter complacendum. Peccatum veniale 1. modo non impedit, quominus viſitatio dicenda ſit deuotè facta, quia opus illud intrinſecè moraliter bonum eſt. Peccatum veniale 2. modo neq; etiam impedit deuotionem viſitationis, nam circumſtantia mala non impedit, quin actus ſit bonus. Peccatum veniale 3. modo communiter dicunt quòd impedit deuotam viſitationem, & per conſequens effectum indulgentiæ. Nauar. loc. cit. Alphon. Leo loc. cit. n. 141. quia actus moraliter malus, ineptus eſt, vt per ipſum Chriſti merita, & Sanctorum applicentur.

9 Verùm dico, quòd qui actum iſtum viſitationis facit cum peccato veniali tangente ipſam ſubſtantiam actus, ſi habeat intentionem lucrandi indulgentiam, licèt ex alia parte habeat intentionem peccaminoſam, V. G. inanem gloriam, oſtentationem, &c. quæ non ſolum concomitanter ſe habeat ad ipſum actum, ſed etiam in illum influat, ita vt illi communicet malitiam, non per hoc impeditur, quin ipſa viſitatio dicenda ſit deuota ſufficienter ad indulgentiam lucrandam; nam iſta intentio peccaminoſa non excludit neceſſariò intentionem lucrandi indulgentiam. Videatur Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 6. num 3. Secus autem eſſet, ſi intentio illa venialiter peccaminoſa omnino excluderet intentionem indulgentiam lucrandi, nam tunc actus ille eſſet omninò malus.

10 Aduerte etiam hic, quòd, quæ dicta ſunt de peccato veniali, pariformiter dicenda ſunt de mortali, nimirum quòd peccatum mortale concomitans dictam viſitationem, non impedit, quominus ipſa viſitatio dicenda ſit deuota, niſi quando contingit ipſam ſubſtantiam actus, modo prædicto.

11 Noto 4. quòd viſitantes noſtras Eccleſias à medio Quadrageſimæ vſq; ad octauam Paſchæ, conſequuntur omnes indulgentias, quas conſequuntur illo tempore viſitantes S. Mariam de Populo, & non ſolùm eas, quæ tempore datæ huius priuilegij erant dictæ Eccleſiæ conceſſæ, ſed etiam illas, quæ conceſſæ ſunt poſtea, & concedentur in poſterum, quouſque duret hoc priuilegium. Indulgentias autem conceſſas dictæ Eccleſiæ vide apud Albericum in tract. de Eccleſia S. Mariæ de Populo, à pag. 79. & pag. 90. Sed Paulus III. infra, in conſt. eius 2. §. 1. ait, quòd Leo X. conceſſit non ſolùm hoc tēpore viſitantibus noſtras Eccleſias indulgentias S. Mariæ de Populo, ſed etiam illas, quas conſequuntur viſitantes Eccleſias, tam intra, quam extra muros Vrbis tempore Stationum. Quod ipſe Paulus confirmauit, & de nouo conceſſit §. 4.

§. II.

12 NOto 1. quòd indulgentia eſt duplex, plenaria, & temporalis; ſeu totalis, & partialis. 1. eſt, quæ remittit totam pœnam peccatis debitam. 2. quæ partem. Hæc ſolet multis modis concedi.

13 Primò, cum limitatur quò ad tertiam, vel quartam partem peccatorum, & tunc ſenſus eſt, concedi indulgentiam, & remiſſionem pœnæ, quæ tertiæ, vel quartæ parti peccatorū debetur coram Deo, & in Purgatorio.

14 Secundò, cum limitatur quò ad tempus mille, vel bis mille annorum, & tunc ſenſus eſt remitti totam illam pœnam, quæ remitteretur, ſi homo ſecundùm Canones pœnitentiam ageret toto illo tempore, & conſequenter remittitur etiam pœna Purgatorij, illi tempori correſpondens.

15 Tertiò, cum tempori limitato additur numerus quadragenæ, ſeu quarantenæ, aut etiam carenæ, & ſeptennæ. Pro quorum terminorum intelligentia nota, quòd ſecūdùm Canones pro peccatis mortalibus grauioribus antiquitus imponebantur ſeptem anni pœnitentiæ, & dicebatur ſeptemna, ſiue ſeptemnis pœnitētia, vt cuius pœnitens tenebatur ſingulis ſextis ferijs

V.G. ieiunare, toties recitare pſalmos pænitentiales; aliquando etiam imponebatur quarantena, & erat ieiunium quadraginta dierum, & ſi ieiunium tali quarantena impoſitum commune erat, dicebatur quarantena; ſi autem ieiunium erat rigidius in pane, & aqua, & cum ſeparatione à conſortio hominum, dicebatur carena à carendo cibis, & hominum conſortio; & iſta forma ſignificabatur, per eiuſmodi indulgentiam tolli omnem pœnam Purgatorij, quæ correſponderet, ſi tot annis pœnitentia, cum tot quarantenis, & carenis peracta fuiſſet, ita vt quarantenæ debeant computari intra tempus prædictorum annorum.

16 Quartò, cum indulgentiæ tot annorum, vt centum, vel mille, adiungitur etiam remiſſio tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, & tunc eſt indulgentia quædam compoſita, nam vltra pœnam, quæ remitteretur tot annis, etiam additur remiſſio tertiæ, vel quartæ partis, ita vt remiſſio annorum tantùm cadat ſuper alias duas, vel tertias partes peccatorum remanentes. Ita Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 7. nu. 190. Suar. to. 4. in p. diſp. 50. ſect. 5. num. 14.

17 Quintò aliquando conceditur limitata indulgentia de pœnitentijs iniunctis, vt eſt iſta noſtra. Et nunc graue dubium eſt, de quibus pœnitentijs intelligenda ſit, an ſcilicet de iniunctis ſolùm in ſacramentali confeſſione, an verò non ſolùm de ibi iniunctis, ſed etiam de ijs, quæ non ſunt iniunctæ, ſed ſunt iniungendæ à Deo, vel eſſent iniungendæ à ſacerdote ſecundùm Canones. Primùm tenet Cord. in qu. theol. lib. 5. q. 9. prop. 3. & q. 27. prop. 4. Secundum tenet Suar. loc. cit. ſect. 3. num. 14. & ſeq. quem ſequitur Filliuc. loc. cit. num. 173. Caſar. in comp. ver. Indulgentiæ, not. 1. qui dicunt, eſſe opinionem D. Tho. & mihi probabilior videtur; nam particula illa *de pœnitentijs iniunctis* non eſt reſtrictiua, ſed ampliatiua, quia maius quid videtur eſſe remittere pœnas, pro quibus iam ſacramentalis pœnitentia iniuncta eſt, quàm reliquas pœnas, vnde in foro exteriori facilius eſt iudici remittere delictum, aut pœnam eius ante ſententiam latam, quàm poſt illam; & difficilius eſt tollere duplex vinculum, delicti ſcilicet, & ſententiæ, quàm vnum. Quare in illa particula *de pœnitentijs iniunctis* ſubintelligitur hæc dictio, Etiam, de pœnitentijs iniunctis. Sed conceſſo maiori, minus etiam conceſſum eſſe videtur, vt habetur in cap. Ex parte, el 3. de decim. Et patet etiam, quia ſi concedatur alicui, vt poſſit abſoluere à reſeruatis, multò magis intelligitur eſſe conceſſum, vt etiam à non reſeruatis abſoluat; Et dicterium illud in materia de indulgentijs commune, quòd tantum valeant, quantum ſonant, huic ſententiæ non repugnat, nam particula illa *de pœnitentijs iniunctis* ampliatiua eſt, vt dixi, & ideo ad omnes pœnas, quoquo modo iniunctas extendi debet, ſunt autem aliquo modo impoſitæ pœnæ, quæ iure aliquo taxatæ, & iniunctæ ſunt, & à Deo pœnas peccatis taxatas eſſe fatendum eſt: ſenſus ergo illorum verborum eſt, Concedo viſitantibus Eccleſiam SS. Trinitatis triginta annos indulgentiæ de pœnitentijs iniunctis, ideſt de tali pœnitentia, quæ, claue non errante, deberet iniungi, ita vt triginta anni lucrati de indulgentia tantum valeant dictis viſitantibus, quantum illis valerent illi triginta anni, qui eis debebant imponi, ſi impoſiti fuiſſent; vel valeant ad delendam tantam pœnam imponendam à Deo in Purgatorio quæ huic numero correſpondeat.

18 Noto 2. quòd indulgentia plenaria remmittit non ſolùm tempotalem pœnam à confeſſario impoſitam, ita vt qui lucratur indulgentiam, ab ea ſoluenda ſit liber; Sed etiam pœnam luendam in Purgatorio; Ita Nau. tom. 3. de Iub. not. 31. numer. 43. Regin. in praxi, libr. 7. num. 149. Suar. loc. cit. diſp. 50. ſect. 2. num. 5. Probat Nauarr. ex cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiſſ. quatenus in eo dicitur, per indulgentiam eneruari pœnitentialem ſatisfactionem, quod non contingeret, niſi tolleret obligationem eam implendi; Notat tamen ibi Nauarr. numer. 44. ſemper eſſe conſulendam pœnitentiæ impletionem, quia homo quandoque plus debet, quàm credat. Nota etiam, quòd per indulgentiam non relaxatur pœnitentia à confeſſario iniuncta in medicinam, & tamquam neceſſaria ad vitanda peccata in poſterum, quia hoc cederet in præiudicium pœnitentis. Regin. loc. cit. num. 147.

CONSTITVTIO IX.

Præcipit ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, abſolutionem ſibi reſeruando, quòd nullus audeat habitum noſtri coloris deferre.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Correctoribus, Vicecorrectoribus, & alijs fratribus Ordinis Minimorum B. Franciſci de Paula vbilibet conſtitutis, & eorum cuilibet ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *LIcèt aliàs, cum B. Franciſcus de Paula Ordinis Minimorum Fundator, Regulam ſtrictiſſimam inſtituiſſet, & eam ſub perpetua quadrageſimali vita per fratres Ordinis huiuſmodi obſeruari, ac habitum, ab habitibus aliorum Religioſorum differentem, videlicèt ex lana naturaliter nigra, & ſine tinctura contextum, quem aſſumpſerat, per eoſdem fratres geſtari voluiſſet: ac, ſicuti nobis tunc innotuerat, nonnulli fratres tertij Ordinis S. Franciſci, contra Regulam, & votum vitæ quadrageſimalis Religionis veſtræ, carnes, & lacticinia quæcumque, à quibus vos omnino abſtinere debetis, comedebant, habitum coloris per vos geſtari ſolitum in nonnullis Prouincijs, & præſertim Hiſpaniarum degentes, ſibi aſſumpſerant, in graue præiudicium Ordinis veſtri, & Religionis huiuſmodi ſcandalum, cum diuerſæ perſonæ vtriuſque ſexus illarum partium videntes eoſdem tertiarios, ſeu fratres huiuſmodi carnibus, & lacticinijs veſci, ex delatione dictorum habitus, & coloris, illos eſſe veros Religioſos B. Franciſci de Paula exiſtimantes, murmuraſſent, eos Regulam, & votum vitæ quadrageſimalis non ſeruare, ob quod grauia ſcandala in Ordine veſtro huiuſmodi potuiſſent ſuſcitari; Per alias noſtras in forma Breuis literas decreuerimus, & declarauerimus, eoſdem fratres tertiarios, & quoſuis alios Religioſos, non habitum coloris illius, ſed ipſorum ſolitum, & Religionis Minorum S. Franciſci, albi ſcilicet coloris, geſtare debere; Iniungentes, & præcipientes eiſdem tertiarijs, & alijs Religioſis quibuſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua niſi à nobis, & à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui non poſſent, quatenus à ſuſceptione habitus coloris veſtri, & illius geſtatione omnino deſiſterent, ac in eorum, & ſolito fratrum Minorum habitu, dictique coloris albi, in ea, qua vocati erant, vocatione degerent; & propterea venerabili*

Iſte Pontifex per alias ſuas, quas hic nõ habes, prohibuerat geſtari habitum coloris noſtri.

fratri

fratri Epiſcopo Malaginen. eiuſque officiali commiſerimus, & mandauerimus, quatenus vobis in præmiſſis opportunæ defenſionis præſidio aſſiſterent, & non permitterent, per eoſdem tertiarios, & alios quoſuis Religioſos habitum veſtrum, & coloris veſtri huiuſmodi quoquo modo geſtari.

Supplicatio.

§. 2. *Tamen, ſicut nobis exponi feciſti dilecti filij Gienen. & Corduben. Matris Dei, ac Hiſpalen. S. Ioannis de Alſaraxa nuncupatorum Monaſteriorum, Conuentuum, necnon nonnulli alij fratres tertiarij, & eremitæ, ac mulieres etiam habitum veſtrum, ſeu coloris veſtri deferre utuntur, & præſumunt; eleemoſynas etiam nomine fratrum Minimorum petendo, & Ordinem ſuum Ordine veſtro priorem fore aſſerendo, in graue præiudicium dicti Ordinis veſtri, & ſcandalum plurimorum. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt vobis in præmiſſis de opportuniori remedio prouidere benignè dignaremur.*

Prohibet de nouo geſtari habitum coloris noſtri, eandē prohibitionem fecit Paulus V. in ſua conſt. 6. infra.

§. 3. *Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auct. Apoſt. tenore præſentium decernimus iterum, & declaramus, eorumdem Gienen. & Corduben. ac Hiſpalen. Conuentuum, necnon alios tertiarios fratres, & eremitas, ac mulieres, habitum veſtrum, ſeu coloris veſtri deferre, & geſtare præſumentes, non habitum veſtrum, & coloris ipſius, ſed ipſorum ſolitum, & Religionis Minimorum Sancti Franciſci, albi coloris, ſeu ad albitudinem potiùs, quàm ad nigredinem tendentem geſtare debere. Iniungentes, & præcipientes eiſdem tertiarijs, eremitis, mulieribus, & alijs Religioſis quibuſcumque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo abſque alia declaratione incurrenda, à qua niſi per nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui non poſſint, vt à ſuſceptione, & delatione habitus coloris veſtri huiuſmodi penitùs, & omninò deſiſtant, & abſtineant.*

§. 4. *Et nihilominus ven. fratri Epiſcopo de Marrucos nuncupato, & dilectis filijs Priori domus S. Dominici Ciuitatis Aſtigiæ, & officiali Granaten. nunc, & pro tempore exiſtentibus harum ſerie committimus, & mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet vobis in præmiſſis opportunæ defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant dictorum Gienen. & Corduben. ac Hiſpalen. Conuentuum, nec non alios fratres tertiarios, & eremitas, ac mulieres, & alios Religioſos quoſcumque habitum veſtrum, & coloris veſtri huiuſmodi, ſed ad albedinem potiùs, quàm ad nigredinem tendentem deferre, vel geſtare. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs.

§. 5. *Non obſtantibus præmiſſis, & conſtitutionibus, ac ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque & conſuetudinibus Ordinis huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon priuilegijs, & indultis Apoſtolicis, illis, ac fratribus præfatis forſan conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 20. Martij, 1519. Pontif. noſtri anno 7.*

CONSTITVTIO X.

Mandat Archidiacono, & Cantori Eccleſiæ maioris Conſentinen. ne ſinant, fratres noſtros moleſtari à Parochis ſuper quarta funeralium, &c.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Archidiacono, & Cantori Eccleſiæ Conſentinen. vel eorum alteri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. E*Xponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Franciſcus de Terano, modernus Prouincialis, & alij fratres Ordinis fratrum Minimorum B. Franciſci de Paula Prouinciæ Calabriæ, quòd licèt in priuilegijs, & indultis per fel. rec. Iulium Papam II. prædeceſſorem noſtrum dicto Ordini, & illius fratribus, tunc, & pro tempore exiſtentibus conceſſis, ac per nos confirmatis, & approbatis, inter alia caueatur expreſſè, quòd fratres prædicti tunc, & pro tempore exiſtentes, de hortis, virgultis, & alijs quibuſcumq; bonis, Ordinis Minimorum domibus, & illarum Eccleſiis huiuſmodi pro tempore relictis, & legatis, ac de luminaribus, & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartam portionem ex funeralibus ſoluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam, cuiuſcumque ſtatus, nobilitatis, conditionis, vel dignitatis exiſtat, valeant quomodolibet coarctari: Tamen nonnulli parochialium Eccleſiarum Rectores, ſeu illarum Vicarij, ac in ipſis perpetui Beneficiati, auaritiæ cupiditate obcæcati, & quidam alij Clerici, & laici dictæ Prouinciæ, eoſdem Prouincialem, & fratres ad ſoluendum ſibi quartam portionem huiuſmodi delegatis pro tempore decedentium, vel alijs bonis eiſdem Prouinciali, & fratribus, ſiue pro miſſis, ſiue pro fabricis, vel ornamentis, eccleſiaſticis, aut aliàs quomodolibet relictis, per ſe, vel alios exigere, ſeu extorquere temerè præſumentes, & interdum illos, qui in domibus dictorum fratrum eccleſiaſticam ſibi eligere ſepulturam deliberato animo propoſuerãt, perſuaſionibus, & inductionibus, eorum propoſitum, ac vltimas voluntates deſuper factas mutare, & variare procurantes, dictos fratres in eiuſmodi bonis relictis, & legatis defraudari, ac damnum, & iacturas pati procurant, nonnullaq; ab ipſis fratribus contra huiuſmodi priuilegia eis conceſſa extorquere præſumpſerunt, in animarum ſuarum periculum, & priuilegiorum huiuſmodi contemptum, ac fratrum prædictorum non modicum præiudicium, & grauamen. Quare pro parte dictorum Prouincialis, & fratrum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt ſibi ſuper ijs opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Eximit à ſolutione quartę, &c. Vide ſupra, in cõſt. Pyrrhi n. 54. & 1. Iulij II §. 32. & 2. Iul. §. 19. 26. 28. 30.

§. 2. *Nos itaque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, per præſentes mandamus, quatenus vos, aut alter veſtrum, ſi, & poſtquam, vobis de præmiſſis legitimè conſtiterit, vniuerſis, & ſingulis Rectoribus, Vicarijs, Beneficiatis, Plebanis, & alijs Clericis, ac laicis dictæ Prouinciæ, cuiuſcumq; ſtatus, Ordinis, conditionis, aut*

præeminĕtia fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ac alijs cenſuris eccleſiaſticis præcipiatis, ne ipſi contra dicta priuilegia quicquam ab eiſdem fratribus, occaſione quartæ portionis huiuſmodi, directè, vel indirectè, quouis quæſito colore, per ſe, vel per alios, contra tenorem priuilegiorum prædictorum, exigere, aut extorquere, ac aliàs ab ipſis fratribus extorta, & indebitè exacta retinere; Nec defunctorum huiuſmodi parentes, vel hæredes, aut etiam executores ſuarum vltimarum voluntatum, præmiſſorum occaſione, aliquatenus moleſtare, ſeu inquietare, aut impedire: Nec teſtatores intendentes apud dicti Ordinis domus eorum ſepulturas eligere, ab eorum propoſito perſuaſionibus retrahere, aut ipſorum voluntates reuocari, aut mutari facere præſumant; inuocato etiam ad hoc, quatenus opus ſit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs. §. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, ac alijs conſtitutionibus Apoſtolicis, priuilegijs quoque, & indultis illis conceſſis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Viterbij, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Septembr. 1518. Pontific. noſtri anno 6.*

§. II.

1 QVæres, numquid perſuadentes, ne defunctorum parentes vocent fratres ad aſſociandum corpus defuncti ad ſepulturam, hac conſt. comprehendantur.

℞. Sine dubio quòd ſic. Tum propter rationis identitatem; Tum quia, conceſſo maiori, minus etiam conceſſum eſſe videtur, cap. Ex parte, el 3. de decim. Et maius quid eſt perſuadere, ne quis ſepulturam eligat, quàm ne aliqui ad ſepulturam aſſocient. Puto itaque poſſe Conſeruatores contra Rectores procurantes retrahere fratres, ne corpora defunctorum aſſocient, procedere cenſuris eccleſiaſticis, per iſtam conſt. Poteſt etiam ad id adduci dicterium illud egregium iuris, Quòd quando aliquid eſt prohibitum, præſumitur etiam prohibitum omne illud, quo ad id perueniri poteſt: de quo Menoch. tom. 2. de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 93. Si enim prohibiti ſunt Curati retrahere à ſepultura eligenda, ſunt etiam prohibiti retrahere ab aſſociatione corporum, qua ad ipſam ſepulturam peruenitur.

2 Si quæras etiam, quid ſentiendum ſit de illo nouo inuento, quòd obſeruatur in aliquibus Eccleſijs, vt nolint Curati leuare corpora defunctorum, niſi tot Clerici vocentur ad aſſociandum corpus defuncti, quot Regulares.

℞. Meo videri illud ſtatutum habere radices in auaritia: audio enim ſolùm eſſe, & obſeruari in ijs locis, in quibus aſſociantibus datur magna aliqua intorcia, ſeu aliquid, quod ſit quid, & cogit fideles ad eleemoſynam faciendam; illa. n. intorcia datur pro eleemoſyna. Et videtur contra priuilegia Regularium, quibus libera ſepultura conceditur, quomodo enim libera erit ſepultura, ſi parentes defuncti non poſſunt vocare quot fratres volunt, niſi vocentur tot Clerici? & habere ſpeciem monopolij. Ad quæ vellem aduerterent dicti Clerici, & quòd iniuſtum eſt locupletari cum alterius iniuria, vel iactura, vt dicitur in regul. Locupletari, quę eſt 48. de reg. iuris in 6. Nec mirentur, quòd eos auaros dixerim, nam de temeritate argui non poteſt, qui ſequitur maiorum ſenſum, c. Ne innitaris, de conſt. at Clericos eſſe auariſſimos, docet Gloſſa in c. Si pluribus, verbo Maioris, de pręb. in 6. & in c. Quia Nonnulli de Cler. non reſid. Plura Maſch. conclut. 150. num. 2. qui etiam refert quinque, quæ habent Clerici in armis ſuis. Cauſam autem tantæ auaritiæ in Clericis puto prouenire ex turba nepotum; dicitur enim.

Cum factor rerum p.inaſſet fœmina Clerum,
Ad Satanæ votum ſucceſſit turba nepotum.

Et taliter dementantur ab iſtis, vt vix aliquando comedere audeant, vt illos impinguent.

CONSTITVTIO XI.

Concedit, quòd tempore interdicti ordinaria auctoritate appoſiti, poſſimus, ianuis apertis, diuina celebrare.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Correctori generali, & fratribus Ordinis Minimorum, B. Franciſci de Paula vbilibet conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *QVamuis in priuilegijs, & indultis Apoſtolicis, vobis, & Ordini veſtro conceſſis, inter alia caueatur expreſsè, & indultum exiſtat, quòd vos omnibus, ac ſingulis priuilegijs, & gratijs omnibus quatuor Mendicantium Ordinibus quomodolibet conceſſis vti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſetis, & valeretis: Et in dictis Mendicantium Ordinum, & præſertim fratrum Minorum priuilegijs inter cætera, vt accepimus, expreſsè contineatur, quòd ipſi fratres Mendicantes, præſertim Minores, in eorum Eccleſijs tempore interdicti ordinaria auctoritate pro tempore appoſiti, etiam ianuis apertis, celebrare poſſint, & valeant: Et licèt vobis dicta priuilegia Ordinum Mendicantium, conceſſa, communicata, & ad vos extenſa fuerint, vt præfertur; ipſique Mendicantes & præſertim fratres Ordinis Minorum conſueuerint, & ſoliti ſint tempore interdicti huiuſmodi in Eccleſiis domorum ſuarum, ianuis apertis, celebrare, & propterea idem vobis iure merito licere minimè dubium ſit, cupitis tamen id vobis ſpecialiter denuò concedi, & indulgeri.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur, qui Ordinem veſtrum huiuſmodi, illiuſque religioſas perſonas in viſceribus charitatis complectimur, vos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes. Motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia, vobis, vt in quibuſuis Eccleſijs domorum veſtrarum, nunc, & pro tempore in quibuſuis locis conſiſtentibus, tempore interdicti ordinaria auctoritate appoſiti, etiam ianuis apertis, diuina officia celebrare liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, pariter & indulgemus.* Tempore interdicti, ianuis apertis, poſſumus diuina officia celebrare.

§. 3. *Et inſuper omnibus, & ſingulis locorum quorumcumque Ordinarijs, quacunque etiam archiepiſcopali, epiſcopali, vel alia inferiori dignitate præfulgeăt, ſub interdicti Eccleſiarum ſuarum, ac ſuſpenſionis à diuinis, necnon quibuſuis perſonis alijs eccleſiaſticis, etiā laicis, ac Parlamentis regijs, vel aliorum DD. temporalium, ſeu Principum vbilibet conſtitutis, quauis auctoritate, & dignitate præfulgeant, ſub excommunicatio-* Impedientibus pœnas appoũit.

nis

nis latæ ſententiæ pœnis harum ſerie expreſsè inhibemus, ne vos, quominus in Eccleſiis veſtris tempore interdicti huiuſmodi, etiam ianuis apertis, celebrare poſſitis, ac vos, & res veſtras quaſcumque quæ ſub ſpeciali Apoſtolicæ Sedis protectione immediatè conſiſtunt, quouis quæſito ingenio, vel colore, perturbare, ſeu moleſtare, aut de vobis, & rebus veſtris ex quauis cauſa ſe ſe quomodolibet intromittere audeant, vel præſumant; Decernentes nihilominus, eos, qui huiuſmodi excommunicationis ſententiam incurrere non formidauerint, ab illa abſolui non poſſe, niſi à uobis, aut Sede præfata, præterquam in mortis articulo conſtituti.

Decretũ irritans. §. 4. *Et inſuper irritum, & inane fore quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrarijs. §. 5. *Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis literis, etiam Apoſtolicis, aduerſus præmiſſa forſan conceſſis, quibus, illarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſertus eſſet, præſentibus pro expreſſo habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſè derogamus, ac quibuſuis friuolis appellationibus, etiam deſuper forſan interponendis, per quas, & alia quæcumque contraria, literas huiuſmodi, & illarum effectum impediri, aut ſuſpendi nullo modo volumus, cæteriſque alijs in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 6. Septembr. 1516. Pontif. noſtri anno 4.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto, quòd Caſar. in comp. priuil. ver. Interdictum, 1. n. 22. verſu Circa ſupradictam conſt. putat, quòd ſupradictum priuilegium ſit ſubreptitiũ; *Nam*, inquit, *ego, qui exactiſſimam diligentiam appoſui circa collectionem priuilegiorum fratrum Mendicantium, & præſertim Minorum, numquam vidi, nec audiui Romæ, nec alibi (quamuis diligenter quæſierim à patribus doctiſſimis in huiuſmodi) quòd tale priuilegium haberent fratres Mendicantes, nec quòd vmquam iſtud fuerit in vſu.* Et ſubdit, quòd *ſuper hoc conſultus vir doctus, reſpondit, illud eſſe ſubreptitium.*

2 Et verè ſi hoc priuilegium numquam fuit aliquibus Mendicantibus conceſſum, non potuit à Pontifice confirmari; nam quod non eſt, confirmari non poteſt. Sed huiuſmodi priuilegium fuiſſe conceſſum Ordini Equitum Ieroſolimitanorum à multis ſummis Pontificibus, quos refert A Sorbo in compend. verbo Interdictum 3. pag. 387. verſu Sed alijs Doctoribus, docent Rodriq. Miran. & alij, de quibus ſupra, in conſt. 2. Sixti IV. §. 11. nu. 52. Vnde poteſt eſſe, quòd error fuerit, non in ſubſtantia rei, ſed in priuilegiatis, qui error per diſpoſitionem motu proprio ſuppletur, vt dixi ſupra, in conſt. 4. Sixti IV. §. 3. num. 2.

3 Deindè quòd non ſit hoc priuilegium ſubreptitium probatur. Nam narratiua non eſt cauſa finalis illius, ſed impulſiua tantùm, licet enim fortè cum maiori difficultate conceſſiſſet, non erat tamen negaturus, ea falſitate non expreſſa; vt patet ex illa clauſula *Motu proprio*, qua indicatur, quòd Papa in eo concedendo, non ſe fundauit in narratiua, ſed in ſua mera liberalitate, vt dixi ſupra in conſtit. 4. Sixti IV. §. 3. nu. 1. Et quòd cauſa impulſiua falſa non vitiet priuilegium, docent Henriq. lib. 12. cap. 3. num. 7. Sylu. verb. Reſcriptum, q. 6. verſu Secunda, & qu. 7. verſu Primò ſi; Couar. lib. 1. var. cap. 20. num. 5. verſu Falſitas; & alij, quos refert, & ſequitur Sanctarell. p. 1. var. reſol. q. 51. num. 1. Non fuit itaque hoc priuilegium ſubreptitium, eſt tamen reuocatum per Concil. Triden. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 12. iuxta dicta ſupra, in conſt. 2. Sixti IV. à num. 50.

CONSTITVTIO XII.

Concedit, quòd tempore interdicti, etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti, poſſint noſtri fratres, non ſolùm in proprijs, ſed etiam in alienis Eccleſiis, & etiam in itinere ianuis clauſis, celebrare diuina, excluſis excommunicatis, & interdictis, non pulſatis campanis.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Franciſco Binet Correctori Generali, ac eius ſocijs, ſinguliſque fratribus Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula vbilibèt conſtitutis, & eorum cuilibet ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *ETſi in priuilegijs, ac indultis Apoſtolicis, vobis, & Ordini veſtro Minimorum conceſſis, inter alia caueatur expreſſè, ac indultum exiſtat, quòd vos in Eccleſiis veſtris tempore interdicti ordinaria auctoritate pro tempore appoſiti, etiam ianuis apertis, celebrare poſſitis, & valeatis: Quia tamen, ſicut accepimus, & exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, ſummoperè etiam cuperetis, vobis, & vnicuique veſtrum per Sedem Apoſtolicam concedi, vt tempore interdicti, etiam Apoſtolica auctoritate pro tempore vbilibet appoſiti, ſeu apponendi, nedum in veſtris, verum etiam in alijs Eccleſiis, & deuotis locis, tam in itinere, quàm alibi, vbicumque vos pro tempore reperiri contigerit, voce tamen ſubmiſſa, clauſis ianuis, & excluſis excommunicatis, ac interdictis, campaniſque non pulſatis, admiſſis ſingulis veſtris ſocijs, ac fratribus, miſſas, & alia diuina officia celebrare, ac recitare poſſitis, & valeatis; eapropter humiliter petijſtis, vobis per Sedem Apoſtolicam huiuſmodi prouideri, deſuperque ſalubre remedium adhiberi.* Supplicatio.

Tempore interdicti, etiam Apoſtolica auctoritate appoſiti poſſumus diuina celebrare ianuis clauſis. §. 2. *Nos igitur, qui ordinem veſtrum huiuſmodi, ac illius perſonas in viſceribus charitatis amplectimur, vos omnes ſpiritualibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, vobis, & vnicuique veſtrum, vt nedum in veſtris, verumetiam in quibuſuis alijs Eccleſiis, ac deuotis locis, vbicumque vos pro tempore reperiri contigerit, tempore interdicti, licèt Apoſtolica auctoritate, ſub quacumque etiam verborum forma, nunc, & pro tempore vbilibet appoſiti, ſeu apponendi, voce tamèn ſubmiſſa, clauſis ianuis, & excluſis excommunicatis, ac interdictis, campaniſque non pulſatis, admiſſis veſtris ſingulis ſocijs, ac fratribus, in Chriſti paſſionis memoriam, ad veſtram deuotionem, miſſas, & alia diuina officia celebrare, ac recitare liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus.*

§. 3. *Et nihilominus omnibus, & ſingulis locorum quorumcumq. Ordinarijs, quacumq. etiam Archiepiſcopali, epiſcopali, vel alia inferiori dignitate præfulgeant, ſub ſuſpenſionis à diuinis, & ingreſſus Eccleſiæ,* Impedientibus apponit pœnas

Digitized by Google

nec non quibuſuis perſonis, etiam Parlamentis regijs, cuiuſuis nobilitatis,& præeminentiæ exiſtentibus, videlicet Archiepiſcopis,& Epiſcopis, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ,& ſuſpenſionis à diuinis; inferioribus verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, harum ſerie inhibemus, ne vos, quominus tempore dicti interdicti Apoſtolici miſſas,& alia diuina officia modo præmiſſo celebrare poſſitis, quouis modo impedire audeant, vel præſumant. Decernentes, eos, qui huiuſmodi excommunicationis ſententiam incurrere non formidauerint, ab ea, niſi à nobis aut Sede Apoſtolica, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium obtinere non poſſe.

Decretum irritans. *§. 4. Irritum quoque,& inane, ſi ſecus ſuper ijs à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrarijs. *§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis literis Apoſtolicis aduersùs præmiſſas forſan conceſſis,& concedendis, quibus, illarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter,& expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 20. Maij, anno 1521. Pontif. noſtri anno 9.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOta, quòd hoc priuilegium, quatenus concedit, quòd tempore interdicti poſſimus in noſtris Eccleſijs, ianuis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, diuina celebrare, nihil concedit præter ius commune, cap. Quod in te, de pœn. & rem. & cap. Alma mater, de ſent. excomm. in 6. & dixi ſupra in conſtit. 2. Sixti IV. num. 55. Quatenus autem concedit, quòd non ſolùm in Eccleſijs, ſed etiam in deuotis locis, & in itinere, admiſſis ſocijs, & fratribus noſtris, ea celebrare poſſimus, priuilegium eſt. Et aduerte, quòd per ſocios intelligo, non fratres, nam hi exprimuntur expreſsè, ſed ſocios ſeculares, vel eccleſiaſticos nobiſcum itinerantes: Et per deuota loca, intelligo Oratoria priuata, & cultui diuino ab habente auctoritatem dicata, vt in eis diuina celebrari poſſint. Et eſt in ſuo robore, nec reuocatum per Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 12. quod ſolum prohibet, ianuis apertis, & in publico diuina celebrari, modo dicto ſupra in conſt. 2. Sixti IV. nu. 50.

CONSTITVTIO XIII.

Concedit facultatem Generali, & Prouinciali, ac alijs Superioribus Ordinis Minimorum capiendi apoſtatas,& fugitiuos,& mandat excommunicari eos retinere præſumentes.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Franciſco Binet Correctori generali, ac Auguſtino Cotronen. Prouinciali Calabriæ Prouinciæ, cœteriſque ſingulis Superioribus, nunc, & pro tempore exiſtentibus Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula, & eorum cuilibet, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1. *EXhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quòd cum quandoque contigāt, fratres Ordinis veſtri Minimorum S. Franciſci de Paula debitam correctionem ſuſcipere nolle,& illos, abſque licentia Correctoris generalis, ſeu Prouincialium, aut aliorum Superiorum ſuorum, à domibus dicti Ordinis recedere, & ad ſecularium domos ſe conferre, & in eis degere, ac vitam vagabundam ducere, recuſantes ad domos veſtras cum humilitate redire, ac reuerentiam, & obedientiam debitas ſuis Superioribus exhibere, excommunicationis,& alias ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, in tales, tā à iure, quam etiam iuxta dicti Ordinis inſtituta promulgatas incurrendo, in opprobrium dicti Ordinis, & animarum ſuarum periculum non modicum,& grauamen; eapropter humiliter petijſtis, per Sedem Apoſtolicam prouideri, deſuperque ſalubre remedium adhiberi.*

§. 2. Nos itaque ſalutaribus petitionibus veſtris libenter annuere,& ita prouidere volentes, quòd exceſſus huiuſmodi non remaneant impuniti, vobis ac ſingulis veſtrum, dicti Ordinis fratres, talia pro tempore perpetrantes, per vos,& familiares veſtros, Clericos,& laicos, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, capiendi, & ad dictum Ordinem ſeu ad aliquam domorum eius deducendi, ſeu deduci,& mancipari faciendi, liberam concedimus tenore præſentium licentiam,& facultatem; Ita quòd, propter captionem fratrum per vos, vel laicos faciendam huiuſmodi nullus ex fauentibus cenſuras, aut aliquam excommunicationis ſententiam incurrat. Facultas capiendi apoſtatas.

§. 3. Et nihilominus venerabilibus fratribus Melfiten. cæteriſque ſingulis Archiepiſcopis, necnon Licien.& ſancti Marci, ac alijs Epiſcopis, Prælatis eccleſiaſticis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios F. aliàs I. de Trano, & eius ſocios tamquam dicti Ordinis Protectori, & generali Correctori huiuſmodi inobedientes, & contumaces, ac omnes, & ſingulos alios dicti Ordinis profeſſores fugitiuos, & apoſtatas extra dicti Ordinis domos per ſeculum, ſeu aliàs, abſque dicti Generalis obedientia vagantes, in eorum domibus, vel aliàs occultare præſumentes, aut de illis quouis modo notitiam habentes, ex parte, & auctoritate noſtris publicè in Eccleſiis coram populo moneant, quatenus ipſi infra certum terminum, quem ad hoc eis præfixerint, dictum F. aliàs I. ac eius ſocios, alioſque ſingulos dicti Ordinis apoſtatas, & fugitiuos huiuſmodi, vobis, ſeu alicui veſtrum, cum omnibus, & ſingulis libris, literis, inſtrumentis, ac mulis, cæteriſque quibuſcumque dicti Ordinis, quæ ſecum detulere, bonis, etiam cum fauore regio, ſeù brachij ſecularis auxilio, cum effectu reſtituant,& reuelent. Quòd ſi forſan ipſi taliter moniti non adimpleuerint, infra alium competentem terminum, quem ad hoc eis peremptoriè duxerint præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam auctoritate noſtra publicè proferant, & eam faciant, vbi, quoties, & quando id expedire viderint, vſque ad omnium prædictorum reſtitutionem,& condignam reuelationem, ſolemniter publicari. Deputat Commiſſarios.

§. 4. Singulis etiam literis Apoſtolicis, ac indultis per præfatum F. aliàs I. dicti Ordinis profeſſorem, ac eius ſocios, ſeu quoſcumque fugitiuos,& apoſtatas huiuſmodi ſub plumbo, vel aliàs à nobis, ſeu Sede Apoſtolica, ſub qualibet etiam verborum forma ſubreptitiè, vel obreptitiè forſan impetratis, ſeu pro tempore impetrandis, Derogat contrarijs.

trandis, quibus ſingulis, eorum totos tenores hic pro expreſſis haberi volentes, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, etiamſi de ipſis, ac eorum quolibet ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, & non per generales clauſulas, fieri deberet mentio in literis, pro hac vice expreſsè derogamus; eaſque F. aliàs I. ac eius ſocijs, vel alijs quibuſcumque dicti Ordinis fugitiuis, & apoſtatis huiuſmodi nullatenus ſuffragari debere decernimus: Necnon fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & de duabus dictis in Concilio generali editis, dummodò vigore præſentium aliquis vltra tres dictas ad iudicium non trahatur, ac alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas, ad ſingula loca, vbi expediens fuerit, deferri volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd literarum huiuſmodi tranſumptis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & alicuius Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut alterius Prælati Eccleſiaſtici, vel perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, aut dicti Correctoris generalis ſigillo munitis, vbicumque illa exhiberi contigerit, ea prorſus, & indubitata fides in iudicio, & extra, vbique locorum adhibeatur, ac ſi præſentes forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum in Villa noſtra Manliana, ſub annulo Piſcat. die 4. Maij, 1521. Pontif. noſtri anno 9.

§. I.

1 NOto 1. quòd extat huius Pontificis aliud omnino ſimile priuilegium, quod incipit, Exhibita, datum Viterbij, ſub annulo Piſcat. die 26. Sept. anno 1518. Pontif. ſui anno 6. directum F. Michaeli de Comitis Vicegenerali, ac etiam moderno Viceprouinciali Prouinciæ Aquitaniæ, cœteriſque Superioribus Ordin. Minim. Quod quia eſt ferè eiuſdem tenoris cum iſto, conſultò omitto. Habetur tamen in Archiuio noſtro Romano, apud P. Zeloſum.

2 Noto 2. quòd ſimilem facultatem, conceſſit Iulius II. in eius conſtit. 1. §. 38. Vide quæ noto ad dictum §. nu. 95. Et pro intelligentia huius conſt. vide quæ dico to. 1. Relig. qu. 1. cap. 26. vbi declaro, qui dicantur apoſtatæ, qui fugitiui.

3 Noto 3. vltra notata ibi, quòd qui non iniuſtè grauatus fugam arripit, peccat omnino mortaliter, tum quia eſt petra ſcandali fratribus, & ſecularibus, tum quia ſubtrahit ſe à poteſtate, & dominio Prælati, cui vi ſtatus obedire tenetur; tum quia Trid. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 4. hos fugitiuos tamquam ſui Inſtituti deſertores puniri iubet. Ita Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. libr. 3. c. 1. n. 2. Quod Conc. decretum Sixtus V. ampliauit in ſua bulla, quæ incipit, Cum de omnibus, quam refert Cherub. tom. 2. bull. in conſtit. eius 71. §. 7. pag. 601. *Præcipiendo vniuerſis, & ſingulis locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, vt per ſuos officiales, miniſtros, vel executores curent ab omnibus perſonis regulari habitu indutis, quas per ſuas Ciuitates, vel Diœceſes iter facere, vel tranſire, & ad quæcumque hoſpitia, vel diuerſoria ſe recipere contigerit, diligenter perquiri, num literas commendatitias, ſeu obedientias ſecum deferant. Quod ſi eos dictas literas non habere, vel ignotos eſſe deprehenderint, poſſint contra ipſos etiam tamquam dictorum criminum ſuſpectos procedere, & tamdiu illos ſub cuſtodia detinere, donec certa notitia de eiſdem habeatur.* Et Regulares, qui alterius Prouinciæ fratres ignotos ſine prædictis literis recipiunt, etiam prætextu pietatis, & hoſpitalitatis, incurrunt priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ, & officiorum, ac dignitatum, quas obtinent, & inhabilitationem in futuro. Quod deinde extendit ad recipientes etiam qui de vno in aliud Monaſterium eiuſdem Prouinciæ proficiſcuntur, tam ſui, quàm alterius Ordinis, ſi ſcilicet ignoti ſint. Et aduerte, quòd iſta bulla Sixti, & eius declaratoria non ſunt reuocatæ per conſtit. Greg. XIV. quæ incipit, Circumſpecta, apud Cherub. tomo 2. bullar. in Gregor. XIV. conſt. eius 3. hic enim Pontifex ſolùm moderauit conſtit. Sixti quò ad illegitimos. Neq; etiam ſunt reuocatæ per conſt. Clem. VIII. quæ incipit, In ſuprema, & refert idem Cherub. to. 3. bull. in Clem. VIII. conſtit. 83. ſolùm enim moderauit quò ad nullitatem profeſſionum.

4 Sed quid, ſi literæ ſint in itinere amiſſæ? Tunc, ait Scort. in ſelect. bull. theor. 374. quòd ſatis erit, ſi ſecum peregrinantes fide digni de amiſſione teſtentur, vel alterius viri grauis ſcriptum teſtimonium aliunde afferant, vel aliquod aliud ſignum, quo vagabundos non eſſe demonſtretur. Et aduerte hic de paſſu, quòd virum grauem voco: vel qui in dignitate aliqua conſtitutus eſt de præſenti: vel aliquando fuerit aliqua dignitate honorificè functus: vel qui honeſtos habet mores ab adoleſcentia ſua: vel tandem qui ab omnibus perſona grauis reputatur. Videatur Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 69. & c. Miramur, d. 61.

5 Noto 4. eſſe propriè apoſtatam eum Religioſum, qui vagatur animo ad Religionem non reuertendi etiamſi habitum eius non deſerat, nec habeat animum deſerendi. Ita Syl. ver. Apoſtaſia, q. 4. nu. 9. Armil. nu. 11. Angel. nu. 4. Suar. tom. 4. de Relig. tractat. 1. lib. 3. cap. 1. num. 13. Et conſtat ex decreto Clem. VIII. de caſ. qui poſſunt reſeruari a Superioribus regularibus: quod habes infra, in Vrb. VIII. conſtit. 10. nu. 63. vbi ponitur apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento; Et patet, quia qui ſic vagatur, non vult ampliùs ſub obedientia Prælati manere. ergo ſimpliciter retrocedit, & conſequenter eſt apoſtata. Et licèt habitum deferat, non per hoc deſinit eſſe apoſtata, quia habitus non facit Monachum, nec eſt de Religionis ſubſtantia. cap. Porrectum de regul. Et apoſtatam eſſe excommunicatum, dixi cum multis tom. 1. Relig. q. 1. cap. 26. concl. 1. licèt alij ibi negent, vltra quos Suarez loco cit. num. 17.

6 Noto 5. quòd Religioſus, qui exit Monaſterio, & abſque habitu vagatur, animo tamen ad Religionem reuertendi, etiamſi ad longum tempus vagetur, apoſtata non eſt, vt dixi in Relig. loc. cit. pag. 314. & DD. ibi adductis adde Bannem, & Aragon 2. 2. q. 12. art. 1. licet contrarium doceat Suar. loco cit. num. 21.

7 Noto 6. quòd etiam ſine priuilegio poſſunt Prælati regulares ſuos ſubditos fugitiuos, & apoſtatas capere. Ita Nauar. comm. 3. de Reg. num. 50. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 2. num. 16. Anton. Gabr. comm. op. tom. 1. lib. 3. tit. De iuriſd. nu. 75. Et hoc non ſolùm, quia illorum iuriſdictioni ſubſunt, ſed etiam ratione dominij, vi cuius poteſt quilibet rem propriam, vbicumque inuenerit, recuperare. Et dominus poteſt fugientem ſeruum propria auctoritate capere; & Religioſus in multis æquiparatur ſeruo, vt Nau. loc. cit.

8 Noto 7. quòd recipientes in domibus ſuis apoſtatas, & fugitiuos, vel illos occultare præſumentes, poſſunt per hanc conſt. excommunicari. Et multa ſimilia refert Cruz libr. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 3. concl. 2. ſed per alias cóſt. pontificias eſſe eo ipſo excommunicatos, probaui tom. 1. Relig. cit. concl. 5. vbi etiam explicaui, quinam dicendi ſint receptatores, ad effectum hanc excommunicationem incurrendi.

9 Noto 8. quod fugitiui, & apoſtatæ debent priuari libris, & alijs rebus omnibus ſuo vſui conceſſis, vt colligitur ex §. 3. huius conſtit. & expreſsè conceſſit Paulus II. Congreg. Lombardiæ, Ord. S. Auguſt. in quadam conſtitut. relata in eius priuileg. quæ incipit, Diuina diſpoſitione, data Romæ, apud S. Petrum, anno 1469. Non. Ian. Pontif. eius anno 6. in qua etiam concedit, quòd dicti fugitiui, & apoſtatæ, ſi quæſtuauerint, quæſitis huiuſmodi priuentur, & Conuentui, in cuius territorio quæſtuauerint, reſtituantur. Et probari poſſe puto ex cap. Abbates 18. q. 2.

CON-

Digitized by Google

CONSTITVTIO XIV.

Concedit, quòd Generalis poſſit deputare quoſcumque Viſitatores cum plenaria poteſtate. Reſiſtentes excommunicat, abſolutionem ſibi reſeruando.

LEO PAPA X.

Dilecto filio Franciſco Binet Ord. Minim. Beati Franciſci de Paula generali Correctori, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Memorat conſtit. 5. Iulij II. §. 3.

§. 1. LIcèt aliàs fel. rec. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter ad Ordinem Minimorum, illiuſque Religionem ſingularem gerens deuotionis affectum, illius propagationem cupiens, tibi, tuiſque ſucceſſoribus dicti Ordinis generalibus Correctoribus per ſuas in forma Breuis literas benignè conceſſerit, & indulſerit, quatenus ſuper omnes, & ſingulos dicti Ordinis fratres, tam Prælatos, quàm ſubditos, omnimodam poteſtatem, & iuriſdictionem haberes, & exerceres, illoſque iuxta Ordinis Regulæ per ipſum Iulium approbatæ, & confirmatæ tenorem, per tuos Vicegerentes, ſeu oculatos Viſitatores, vbicumque exiſterent, quoties opus foret, cum plenaria auctoritate tua viſitare, ac eos per te, vel Viſitatores tuos huiuſmodi corrigere, punire, caſtigare, incarcerare, & excommunicare, ac, iteratis vicibus, aggrauare, & reaggrauare poſſes, & valeres, prout in eiſdem literis plenius continetur. Quia tamen, ſicut non ſine magna animi noſtri perturbatione accepimus, modernus Prouinciali dicti Ordinis Prouinciæ Hiſpaniæ, literis Iulij prædeceſſoris, ac tuæ per illas tibi conceſſæ auctoritati temerè contrauenire non formidans, tuis mandatis, ac literis authenticis, manu etiam tua propria ſubſignatis, magnoque dicti Ordinis ſigillo ſigillatis parere, ſpecialemque tuum Vicegerentem, ſeu Viſitatorem oculatum, dilectum filium Hieronymum de S. Ella Hiſpanum presbyterum, ac Ordinem huiuſmodi expreſsè profeſſum, per te ſpecialiter deputatum, iuxta dictarum authenticarum literarum tuarum, dictique Ordinis Regulæ tenorem, tuam veluti perſonam acceptare, ipſique reuerentiam, & obedientiam, vt decebat, exhibere noluit, & contumaciter recuſauit, aliaque indebita contra dictum tuum Vicegerentem, & Viſitatorem committere non eſt veritus, in animæ ſuæ præiudicium, dictique Ordinis ſcandalum non modicum, & malum exemplum plurimorum.

Viſitatores à Generali miſſos tenẽtur fratres recipere. Vide conſtit. 2 §. 2. Gregor. XIII. infra.

§. 2. Nos attendentes, præcipuum quarumuis Religionum fundamentum obedientiam exiſtere, qua ſublata, non Religio, ſed confuſio potiùs dicenda eſſet; volentes pro debito paſtoralis officij, quo vniuerſas Religiones, & potiſſimum hanc, quæ noſtris temporibus, Domino concedente, florere, & vberes fructus producere in agro Domini cœpit, paterna charitate amplectimur, præmiſſis, ne in deterius ſerpant, & Ordinem ipſum, ac Regulam labefactare incipiant, opportunè prouidere, ac duram ceruicem ipſius Prouincialis, vt alijs cedat in exemplum, contundere. Motu proprio, & ex noſtra certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium dicto Prouinciali Hiſpaniæ, ac omnibus alijs, & ſingulis eiuſdem, & aliarum quarumuis Prouinciarum vbilibet conſtitutarum fratribus Ordinis Minimorum huiuſmodi, tam Prælatis, quàm ſubditis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam tam impedientes, & contradicentes, quàm conſenſum, auxilium, vel fauorem directè, vel indirectè præbentes, eo ipſo incurrere volumus à qua, niſi à nobis, vel Sede præfata, præterquàm in mortis articulo conſtituti, abſolui non poſſint, diſtrictè præcipimus, & mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli dictum Hieronymum Vicegerentem tuum, cæteroſque Vicegerentes, & oculatos Viſitatores, per te, & ſucceſſores tuos dicti Ordinis generales Correctores pro tempore deputatos, iuxta tuarum, tuorum vel ſucceſſorum huiuſmodi literarum tenorem, recipere, ac illis, veluti perſonæ tuæ, parere, & obedire, ac debitam reuerentiam exhibere habeant, & teneantur.

Commiſſarios deputat.

§. 3. Omnes, & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & quaſuis alias eccleſiaſticas perſonas, tam in Regno Hiſpaniæ, quàm alibi conſtitutas, quacumque præfulgeant dignitate, harum ſerie hortantes in Domino, vt præfato Hieronymo Vicegerente tuo, cæteriſque tuis, dictorumque tuorum ſucceſſorum huiuſmodi literis, & contentis in præmiſſis huiuſmodi, opportuno defenſionis præſidio aſſiſtentes, eum, ſeu eos, per te, vel ſucceſſores tuos generales Correctores pro tempore deputatos, ſeu deputandos iuxta earumdem tuarum, vel ſucceſſorum tuorum huiuſmodi literarum tenorem, tuis, dictorumque tuorum ſucceſſorum huiuſmodi literis, & contentis in eis frui, & gaudere, ac officio Vicegerentis, & Viſitatores huiuſmodi vti faciant, & permittant; ac ipſum Prouincialem, ſi quod abſit, contumax, & rebellis fuerit, vinculo excommunicationis huiuſmodi irretitum, per fratres, & Religioſos, & alios, quibus tu per literas tuas duxeris committendum, capi, & incarcerari, &, ſi opus fuerit ad huiuſmodi, auxilium brachij ſecularis inuocari faciant, & procurent, vt de eo per te, vel deputandos à te debita iuſtitia miniſtrari poſſit, & ipſe Prouincialis tandem ad cor reuerſus, mandatis Apoſtolicis, & tuis, ac Regulæ, & Ordinis huiuſmodi inſtitutis parere diſcat.

Derogat contrarijs.

§. 4. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis literis, etiam per nos forſan in contrarium conceſſis, & concedendis, quas quò ad præmiſſa nolumus Prouinciali huiuſmodi, vel cuicumque alteri ſuffragari, & quibus, illarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, harum ſerie derogamus, cæteriſque alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Cæterùm quia difficile foret, præſentes literas in quibuſuis locis, vbi opus foret, oſtendere, vel exhibere, volumus, & eadem auctoritate decernimus quòd tranſumptis ipſarum, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Religionis, vel alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis, ea prorſus fides vbique adhibeatur, ſicut originalibus literis adhiberetur, & adhiberi deberet, ſi eſſent in medio exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſca-

ſcatoris, die 3. Septembris, 1516. Pontificatus noſtri anno 4.

§. II.

1 NOto 1.quòd obedientia eſt præcipuum Religionis fundamentum, & ea ſublata, non remanet Religio,ſed confuſio. Vide quæ dico in dedic. ad Lect. tom. 1. Relig. verſu Et quoniam inter.

2 Noto 2.quòd to.1.Relig.quæſt.1.cap. 18. §. 1. quæſiui, an poſſet P. Generalis, ſemel viſitata aliqua Prouincia, eam ad libitum iterum, & quoties illi viſum fuerit,viſitare. Et reſpondi,quòd non;non obſtantibus iſtis conſtit.Iul.Greg.& Leon.quas dixi eſſe intelligendas, quando vtile, expediens, & neceſſarium fuerit.

3 Noto 3.quòd aliqui verterunt in dubium,an vigore harum conſtitut. poſſit P. Generalis inſtituere Vicarium generalem in partibus Hiſpaniarum V. G. qui reſidendo ordinariam eius haberet auctoritatem. Et non poſſe,videtur certum; hæ enim conſtit.ſolùm loquuntur de Viſitatoribus,quibus licèt Generalis poſſit concedere plenariam ſuam auctoritatem, vt hic dicitur, eſt tamen plenaria ſolùm ad effectum viſitationis faciendæ, non ad effectum reſidendi cum ordinaria poteſtate, quæ ſunt omnino diuerſa: Aliud enim eſt conſtituere Vicarium generalem ordinarium, qui vices Generalis gerat tempore pacis, & belli, vt ita dicam; & aliud inſtituere Viſitatorem, qui Prouincias viſitando, plenariam, ſeu etiam pro illo tempore ordinariam habeat auctoritatem; & à diuerſis non fit illatio; c. Ad audientiam, de decim.

4 Si autem quæras, an aliundè habeat P. Generalis poteſtatem inſtituendi Vicarium ordinarium cum plenaria, vel limitata facultate.

℞. De iure communi non eſſe dubium,iudicem ordinarium, qualis eſt Generalis, poſſe ſuam auctoritatem,vel plenariè, vel limitatè alteri committere; cap. Paſtoralis,de off. iud. ord. & cap. Cum Epiſcopus, de off.Ord.in 6.Panor. in dicto cap. Paſtoralis,num. 3. & cap. Ex literis,de conſangu. & aff. num. 8. Hoſtien. in ſumm.lib.1.de off.de leg. num. 2. facit reg. Poteſt,quæ eſt 68. de reg. iur. in 6. in qua dicitur. *Poteſt quis per alium,quod poteſt facere per ſe ipſum.* De iure Regulæ noſtræ id etiam eſt mihi conſtitutiſſimum; nam in Correct.num.106. ſtatuitur,quòd *P.Generalis,& Prouinciales poſſint ſuo loco delegare aliquem fratrem idoneum ad cuncta ſibi ſubdita loca, pro emergentibus ibidem negotiis.* Deinde additur,*Prædictus etiam Generalis poterit,quoties opus fuerit,ad quaſcumque voluerit Prouincias,cum ſua omnimoda poteſtate delegare aliquem fratrem idoneum, ſuæ poteſtatis plenitudinem habentem*; illa enim dictio, Etiam,eſt implicatiua,& ampliatiua. leg. Etiam, ff. de minor.Clem.Religioſus,de procur. vbi Cardin. nu. 1. & Clem.1.de teſtam.vbi Card.num.1.& Clem. 1. §. In quibus,de ſuppl. negl. Præl. vbi etiam Card. atque ita denotat, aliam eſſe facultatem à iam conceſſa, vt Nauar.in cap.Si quando,de reſcr.except.2.num.2. tom. 4. Panor.in cap.vn.de comm.num.3. Vnde cum in principio capitis fecerit legiſlator pares Generalem, & Prouincialem in conſtituendis Vicariis pro emergentibus negotiis;volens P.Generali maiorem facultatem tribuere,addit,*Prædictus etiam Generalis, &c.* Et quòd talis debeat neceſſariò eſſe ſenſus dicti textus Correct. patet; vt quid enim addit dicta verba *Prædictus etiam,* ſi per ea non datur Generali amplior poteſtas? cum poteſtas pro emergentibus iam data ſit ei in ſuperioribus. Addo,quòd conſuetudo,quæ eſt optima legum interpres,vt dicitur cap. Cum dilectus, de conſuetud. §. Dictus, ita ſemper interpretata eſt dictum locum Correct. Semper enim Generales poſt diſceſſum ab Italia inſtituerunt Vicarium generalem abſolutum. Id etiam frequenter, & à multis annis factum eſt in Hiſpania,& fieri poterat in Gallia. Quod in facti contingentia,contrarium contendente Prouinciali Neapolitano,anno 1626.Romæ fuit deciſum hoc pacto videlicet.*Cum anno præterito 1625.menſe Nouembris,P.Corrector generalis Ordinis Minimorum S.Franciſci de Paula deputauerit in Vicarium generalem Prouinciæ Neapolitanæ F. Bartholomæum Roſa cum facultatibus, de quibus in eius literis patentibus;& F.Stephanus de S.Seuerino Prouincialis eiuſdem Prouinciæ, prædictæ deputationi inter cætera obiecerit, Generali non competere hanc facultatem deputandi Vicarios generales,Re ad S.D.N. delata,atque à Sanctitate ſua illuſtriſs.Cardinalibus S.Suſannæ,S. Sixti,& Biſſiæ commiſſa,iidem Cardinales,partibus auditis,ac re diligenter diſcuſſa,cenſuerunt,& decreuerunt, Correctori generali competere eiuſmodi facultatem deputandi Vicarios generales in Prouinciis ſui Ordinis, quoties expedierit; & ita obſeruari mandarunt. Quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.Datum Romæ die 17. Martii,1626. Oct. Cardin. Bandinus. P. Fagnanus Secret.*

5 Noto 4.occaſione huius conſtit. quòd viſitare Religionem pertinet ad Prælatos ordinarios;cap.final.de ſtatu Monach. nimirum ad Prouincialem,qui tenetur ſingulis annis ſuam Prouinciam viſitare ſecundùm laudabilem Religionis conſuetudinem,& ſacros Can. cap. Decreuimus,& cap. Epiſcopum, 10. q. 1. & cap. Mandamus,de off.Arch.Facit Trid.ſeſſ. 24. de reform. cap.3.in princ.& ad Generalem,qui tenetur ſecundùm eamdem conſuetudinem de ſexennio in ſexennium, licèt enim antea de triennio in triennium viſitaret; cum tamen Religio,benedicente Domino, creuiſſet, & non poſſet Generalis in triennio totam Religionem viſitare,extendit Paulus V. ad hunc finem,Generalatum ad ſexennium,per ſuam conſt.4.infra; & dixi tomo 1.Religioſi; q.1.cap. 18. §. 1. Si autem neceſſitas poſtulauerit,poteſt Prouincialis,& Generalis, non ſolùm ſemel in anno,& in ſexennio, ſed toties, quoties opus fuerit,Religionem viſitare. Anton. 3. part. tit. 20. cap.5.ante §.1.Goffred.in ſumm. tit. De cenſibus fine; & habetur in cap.Mandamus,de off. Arch. Poſtulabit autem neceſſitas quò ad Prouinciales,ſi,viſitatione ordinaria peracta,talis cauſa emergat, quæ ipſum cogat denuo Conuentum viſitare, poſtulantibus fratribus illius,vel delicti publicitate.Quò ad Generales verò,ſi maior pars Correctorum, immo maior pars fratrum Prouinciæ petierit, iuxta dicta tom. 1. Relig. cap. 18. concl.2. His caſibus exceptis,non poteſt Prouincialis, neque Generalis, ſemel viſitato Conuentu, vel Prouincia,ea ampliùs viſitare. Dicunt præfati DD. & habetur expreſſe in dicto ca. Mandamus. Quòd ſi dicti Prælati,infirmitate, vel aliquo alio negotio impediti, prædictam viſitationem per ſe ipſos facere non poſſent, poterunt alicui perſonæ ad id idoneæ id munus committere.Habetur dicto cap.Epiſcopum,& cap.Inter cætera, de off. Ordin.

6 Noto 5. quod quando Prælatus ordinarius per alium Religionem, ſeu Conuentum, vel Prouinciam viſitat, tenentur viſitati facere expenſas ad talem viſitationem conſuetas,& neceſſarias Viſitatori. Habetur in cap. Romana. de cenſ. & in cap. Si Epiſcopus, de offic.Ordin.in 6. & tunc non tenentur viſitati dare aliquid Prælato ordinario.Habetur dicto cap.Si Epiſcopus. Etſi Prælatus ordinarius,V. G. Generalis,haberet aliquos redditus ad hunc effectum viſitationis, tunc viſitati non tenerentur prouidere Viſitatori, niſi de victualibus,id eſt de eſu, & potu pro Viſitatore, & eius familia,ac equis: Cætera autem neceſſaria, vt equos, veſtes, expenſas pro itinere pro dicto Viſitatore,& ſociis teneretur tribuere Generalis ipſe, qui ad hunc effectum habet dictos redditus. Habetur dicto cap. Si Epiſcop.

7 Cauere autem debent dicti Viſitatores in primis à munerum receptione; cap. Romana,§. Procurationes,de cenſ. in 6. vbi dicitur,*Caueat inſuper, Viſitator, ne ipſe, vel quiſquam ſuorum aliquod munus, quodcumque ſit,& qualitercumque offeratur, præſumant recipere, vt non quæ ſua ſunt videatur quærere, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti; Quod ſi fuerit contra præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua numquam niſi duplum reſtituat, liberetur.*

Et in

Digitized by Google

Et in Trid.ſeſſ.24. de refor.cap.3. habetur *Nec minus, quodcumque ſit & qualitercumque offeratur ſuſcipiant. Nõ obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, exceptis victualibus,* Et paucis interpoſitis, ait, *quod ſi quiſquã, quod abſit, aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit, is, præter dupli reſtitutionem, intra menſem faciendam, alijs etiam pœnis iuxta conſt. Concilij generalis Lugdunen. quæ incipit, Exigit,* cap.2.de cenſ. in 6. *mulctetur:* ideſt inferiores Prælati remaneant ſuſpenſ.ab officio, quouſque de duplo plenariam ſatisfactionem impendant, nulla eis in ho c dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura. Et peccant etiam mortaliter, vt conſtat ex illis verbis *maledictionem incurrat:* Et dicit Gloſſa in c.1.de decim.in 6.in princ. Excipiuntur tamen parua eſculenta, & poculenta, & etiã xenia, ſeu eulogiæ, vt ait Anton.3.par.tit.20.c.5.§.5.not. 19. Nomine autem xeniorum intelliguntur illa munuſcula, quæ dantur Prælatis humanitatis, vel vrbanitatis gratia, vt declarant Turrecr.& Archid.in cap.De eulogijs, diſt. 18. Hæc autem munuſcula quærere minimè debent Prælati, oblata tamen ſpontè recipere poſſunt, vt dicitur dicto cap.De eulogijs.

8 Cauere etiam debent Viſitatores, ne nimis grauent viſitatos, in cibo, & potu, quærendo ab eis cibos delicatos, & pretioſa vina, ſed debent mediocritate eſſe cõtenti, vt aduertit Gloſſa in c.Cum Apoſtolus.ver. Sumptuoſę, de cenſ. Vnde Gloſſa in c.Cum inſtantia, verbo Prægrauari, de cenſ.dicit, Potum ad tertiam dumtaxat vicem, non ad ſeptimam, vel ad ſextam deberi. Videatur Azor.p.2.lib.3.cap.42. Aduerte etiam, quòd ſi Conuentus aliquis ſit adeo pauper, vt non poſſit prouidere de victualibus dictis Viſitatoribus, poſſunt iſti auocare Superiorem, & fratres illius ſucceſſiuè in Conuentum commodiorem. Ita refert Anton.loc.c.not.24. ſenſiſſe Hoſtien. & ita ſeruatur in praxi in noſtra Religione. Et habetur expreſsè in cap.Romana dę cenſibus in 6. §. 1.

9 Aduerte etiam, quòd Viſitatores debent, quàm citiùs poſſunt, ſe expedire, ne grauent ſubditos in expenſis. Quòd præcipitur in Trid.ſeſſ.24.de reform. c. 3. vbi dicitur, *Studeant quam celerrimè, debita tamen diligentia, viſitationem ipſam abſoluere, interimque caueant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graues, oneroſique ſint.* Et aduertit Zerola in praxi, p.1.verſ.Viſitatio, q.5.verſu Præterea, quòd non debent Viſitatores ſe occupare in alijs negotijs ad viſitationem non pertinentibus · ſed debent aſſiduè laborare, ad hoc vt quam citiùs viſitatio terminetur, alioqui ad reſtitutionem tenerentur, ſi ſubditi pluſquam ſolitum expenderent.

10 Aduerte etiam, quòd ratæ, quæ debentur Generali pro expenſis, quæ fiunt ab illo inter viſitandum, illi nõ debentur, niſi actu viſitet; c.Relata, 10.q.1. cap. Procurationes de cenſ. Et in cap.Romana §. Deinde de cenſib.in 6.Suarez lib.5.de legib.cap.15.§.5.quatenus probat, quod tributa debita Regi propter defenſionem Reipublicæ, ei non debentur, niſi Rempublicam defendat. Ex quo probatur, quòd non debentur pictantiæ neque alia donaria Lectoribus, ſi ſuo muneri non ſatisfaciant. Nec poteſt plus velle ſibi dari, quam à Cap. generalibus determinatum ſit. Anchar.d.cap. Procurationes, nu.8. vbi Abbas nu. 6. Quòd ſi Conuentus velit plus dare, eo quia quantitas determinata temporum, vel locorum varietate vix ſufficiat, vel aliqua alia iuſta ratione, poteſt recipere; Anchar.loc.cit. modò additum determinatum plus iuſto non excedat.

11 Neque dicas, hæc intelligi debere de viſitatione, quę fit ab Epiſcopis vel alijs Viſitatoribus Apoſtolicis. Nam reſpondeo, proportionaliter etiam eſſe applicãda viſitationi Regularium, & ab illorum Viſitatoribus obſeruanda: tum quia Regulares Canones obſeruare tenentur: c.finali, de ſtatu Monac. §. Porro, vbi Abbas nu. 1. ait, quòd Canones ſimpliciter loquentes, extenduntur etiam ad Religioſos. Gloſſa in cap.Moniales, de purg.can.& habetur in noſtris conſtit.Cap. Genuẽ. 5.nu.8. tum quia id expreſsè præcipitur in Trid.ſeſſ.25. de Regul. cap. 8. vbi dicitur. *Teneantur Viſitatores ſuæ Congregationis Monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obſeruare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt decreta.*

12 Poſtremò aduerte, quòd dicti Viſitatores in ſingulis domibus Religionis, viſitatione abſoluta, poſſunt Religioſis illius Conuentus concedere benedictionem, & indulgentiam plenariam, per conceſſionem Leonis X.factam Minoribus, de qua Pereg. 1. p. ſui comp.verbo Viſitatores, qui etiam refert viuæ vocis oraculum, conceſſum a Greg.XIII. Societati Ieſu: quod tamen neſcio, an ſit firmatum ab aliquo Cardinali, iuxta 3.conſt.Greg. XV. infra. Aduertit autem, & benè, dictus Pereg. quòd hæc facultas non videtur reuocata per conſtit.8.Pauli V.infra: nam facultas concedendi indulgentias non eſt indulgentia, & ex diuerſis non fit illatio: cap.ad Audientiam, de decimis.

CONSTITVTIO XV.

Concedit quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua in genere.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs fratribus Ordinis Minimorum B. Franciſci de Paula, ſal. & Apoſt. bened.

Supplicatio.

§. 1. *CVm, ſicut nobis exponi feciſtis, ex Regula veſtra, per nos nuper, cum accumulatione, & conceſſione quamplurimorum priuilegiorum, & indultorum, Apoſtolica auctoritate confirmata, & approbata, caueri dicatur expreſsè, quòd vos, qui ſub perpetua quadrageſimali vita, & ex mendicatis eleemoſynis viuitis, perpetuas miſſas, ſeu aliqua perpetua ſuffragia pro aliquibus in veſtris domibus, & Conuentibus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, recipere non poſſitis: Et, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, nonnulli, ex fratribus Minimorum Ordinis huiuſmodi, forſan dictæ Regulæ ignari, vel eis id licere arbitrantes, nonnullas perpetuas miſſas, ſeu reſponſoria, & alia huiuſmodi ſuffragia perpetua, pro certis perſonis, quæ eis pro eorum ſuſtentatione certam pecuniæ ſummam, vel aliquid æquiualens erogarunt, acceperint; & in eadem expoſitione ſubiuncto, quòd cum Ordo ipſe nuper inſtitutus, & approbatus adeo, benedicente Domino, creuerit, & in dies creſcat, cumque nihil proprij vobis liceat habere, Chriſti fidelium præfata ſuffragia pro ſuſtentatione veſtra plurimum neceſſaria propterea fore noſcantur; & in Regula veſtra huiuſmodi contineantur, quòd vltra quinquaginta annos miſſas, & ſuffragia huiuſmodi particulariter, & in ſpecie ſuſcipere non debeatis; nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, vt ſuper ijs vobis de opportuno remedio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Fratres poſſunt ſe obligare ad ſuffragia perpetua in genere. Vide ſupra, in cõſtitut.4. Iul. II.§ 4. à nu. 18.

§. 2. *Nos itaque vt Regula veſtra huiuſmodi illibata ſeruetur, & animarum ſaluti Chriſti fidelium, pia ſuffragia huiuſmodi vobis pro tempore largientium conſulatur, prouidere volentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, quòd miſſas, ac ſuffragia quæcumque huiuſmodi, per vos in quibuſcumque* do-

domibus, & Conuentibus veſtris pro quibuſuis perſonis, & in quauis parte mundi, à quibuſcumque & cum quacumque etiam obligatione hactenus recepta, ad quinquaginta dumtaxat annos proximè futuros, particulariter, & in ſpecie recitare teneamini: Finito verò dictorum quinquaginta annorum ſpatio in genere miſſæ, ac ſuffragia quæcumque per vos, & pro tempore vbilibet exiſtentes dicti Ordinis fratres recitanda, eiſdem benefactoribus ſuffragentur, & animarum ipſorum ſaluti proſint, perinde ac ſi pro eiſdem benefactoribus, tam viuis, quam defunctis, miſſas, & ſuffragia huiuſmodi particulariter, & in ſpecie dietim perpetuò recitaretis, ac celebraretis.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 26. menſis Iunij, 1517. Pontif. noſtri anno 5.

CONSTITVTIO XVI.

Eſt Canonizatio Sancti Franciſci de Paula Ordinis Minimorum Fundatoris.

LEO EPISCOPVS.

Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Deus Eccleſiam ſuam precioſiſſimis lapidibus conſtruxit.

EXcelſus Dominus militantem Eccleſiam pretioſorum lapidum viuorum, ipſi ſummo angulari lapidi Chriſto Ieſu vnitorum ornatiſſima varietate decoratam; ſtructura mirabili fundare diſpoſuit.

Cuius primi fundatores fuerſit Patriarchæ.

§. 1. Hinc proceſſere Beati Patriarchæ, qui fide præclari, ſanctorum etiam Angelorum ſuſceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt. Hos ſequuti ſunt ſancti Prophetæ, quibus oſtendit Deus ſecreta ſua, vt ventura quaſi præſentia, Spiritu S. illuminati, agnoſcere, atque enunciare potuerint.

Apoſtoli deinde.

§. 2. Poſtquam autem venit plenitudo temporis, & nos in aſſumpta ſibi humanitate, oriens ex alto viſitare, noſtraque ſalutis myſteria (iuxta quod prædixerant Prophetæ) adimplere dignatus eſt, conſtituti fuere Beati Apoſtoli, diuinæ legis promulgatores, & prædicatores, qui per orbem vniuerſum genus humanum, quod ſub diabolicæ iugo poteſtatis tenebatur, ad ſalutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ finibus prædicarunt.

Martyres.

§. 3. Hos ſubſequuti ſunt Martyres ſplendidi, qui fidei loricam induti, & inconcuſſæ ſtabilitatis balteo ſuccincti, ſtolas ſuas in ſanguine innocentis agni lauantes, candidato exercitu Chriſtum Ieſum imitati, ſupernæ Ciuitatis Hieruſalem, hoc eſt triumphantis Eccleſiæ cum glorioſa victoria palmas manibus geſtantes, ſe dicto viuo lapidi Chriſto adiunxerunt, ſempiternam ſui memoriam, & exemplum venerabile militanti Eccleſiæ relinquentes.

Doctores poſtea.

§. 4. Progreſſi ſunt, & Doctores lucidi, qui ſuis doctrinis, & exemplis catholicam, & orthodoxam fidem defenſantes, falſiſque prophetis, ac iniquis doctoribus, fidem ipſam ſubuertere ſatagentibus ſe opponentes, dictam militantem Eccleſiam multipliciter illuſtrarunt, quibus eadem Eccleſia coniuncta progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulcra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Cōfeſſores etiam.

§. 5. Sequuntur poſtea ſancti Confeſſores, qui virtutum gemmis coruſcantes, Domino rationem de talentis creditis repoſcenti, vtpotè fideles, & boni ſerui, multiplicatum de ſuis laboribus fructum attulerunt; & in arcam cæleſtem repoſuerunt, omniaque mundi blandimenta, vt venenum aſpidum, fugientes, latibula in terris petierunt, antris abditi, rudi victu, & ſcaturientis aquæ leui potu carnem macerantes, tegmine hircino amicti, iunceo, vel ſtramineo cubili feſſa membra ſomno fouentes, nudis pedibus Dominum quæſierunt, æternamque patriam inuenerunt.

Virgineſq; & Viduæ.

§. 6. Adſunt & Virgines nitidæ, mundo corpore, ſincero corde, ſanctaque mente, cum oleo in lampadibus ſuis ſponſo, qui eſt præ filijs hominum ſpecioſus, obuiam venientes: Deuotæ tandem, continenteſque Viduæ & aliæ quam plurimæ ſexus vtriuſque perſonæ, pijs, ac ſanctis operibus ſemper intentæ, cum plenis etiam manipulis, eidem cæleſti ſponſo ſe repræſentant, cum Angelis gloriam in altiſſimis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis mirificè depromentes. Hæc omnia vnus, atque idem Spiritus admirando plurimùm operatur miniſterio; & ſicut Altiſſimus ab initio vineam ſuam talibus pijs cultoribus, iuxta ſanctam promiſſionem ſuam, viſitauit, firmauit, & auxit, ſic ſemper ad illam ſuæ protectionis auxilium multipliciter impertitur.

S. Frāciſcus Religionē fundauit.

§. 7. Nouiſſimè verò diebus noſtris, cæleſtis ille agricola vineam ſuam more ſolito viſitans, virum fortem ad huiuſmodi vineæ culturam adduxit, glorioſum ſcilicet Confeſſorem B. Franciſcum de Paula, ſuperno cœtui meritò ſociandum, immò veriùs ſociatum, qui inter cæteros Chriſti athletas ſuis meritis, & exemplis ipſam ſanctam Eccleſiam, diuina cooperante gratia, multipliter decorauit, præſentiſquè temporis caliginem ſuæ lampadis fulgore mirabiliter illuſtrauit; ipſe enim aduerſùs mundum, carnem, & dæmonem fortiter dimicauit, ac in odorem ſuauitatis Altiſſimi currens, copioſam vtriuſque ſexus fidelium multitudinem ſalubriter poſt ſe traxit, ac velut effuſam ſuper faciem terræ religioſam profeſſionis ſuæ generationem dereliquit, vt ad illuminationem gentium celebris ſui memoria, tamquam rutilum ſydus, in Eccleſiæ firmamento ſeruaretur.

Origo S. Frāciſci de Paula.

§. 8. De cuius quidem origine, vita, moribus, & fama, nec non mirabilibus, quæ in præmium ſanctitatis eius Deus mundo multipliciter oſtendere dignatus eſt, ne de tam celebri viro etiam poſteritas ipſa remaneat ignara, pauca ex multis duximus recenſenda. Conſtat ſiquidem in Regno Neapolitano inter Brutios, & Lucanos Paulę Oppidum ſitum eſſe, quod itinere vnius diei à Conſentia illius Prouincię Metropoli diſtat. Inde originem traxit Iacobus Martolilla. Illi proximum eſt caſtrum Fuſcaldi vbi nata eſt Vienna, quondam ambo in fide Chriſti baptizati, & confirmati, ac, vt veri catholici, educati, qui inuicem ſecundùm ritum S. R. E. matrimonium contrahentes, & vt fideles decet coniu-

ges,

ges,mutuam charitatem, vitæque honeſtatem ſeruantes,diu cohabitarunt.ex hoc matrimonio B. Franciſcus de Paula procreatur.

A pueritibus annis Religionē dilexit.

§. 9. *Qui ſacri baptiſmatis fonte lauatus, & chriſmatis ſacramento confirmatus, ab eiſdemque parentibus ſub Dei timore, & amore educatus, inſigne ſpecimen ſanctitatis futuræ præſeferens,ſolitudinem,& religionem diligere, ac orationibus, & ieiunijs aſſiduè vacare cœpit; quæ cum eius parentes animaduertiſſent, ipſum,annum circiter decimum tertium agentem,iuxta votum per eos emiſſum,domui S.Franciſci Ciuitatis S.Marci obtulerunt; in qua puer in ſortem Domini electus,anno per eum exacto,nullaque profeſſione emiſſa, vocatis parentibus, eos, vt ſe ad Eccleſiam Sancti Franciſci de Aſſiſio, & Sanctæ Mariæ de Angelis deuotionis cauſa ducere vellent, enixè rogauit, qui pio eius deſiderio annuentes,ſe ſe itineris comites præbuerunt, quibus Eccleſijs deuotè viſitatis, in patriam reuerſus,idem Beatus,S.Spiritu inſpirante, ad Eccleſiam conſtruendam animum addixit, ipſeque primus fundamenta effodere cœpit, quo inter vicinos diuulgato, vndique ad opus iuuandum concurritur, alij operi incumbebant,nonnulli calcem,lapides, cœmenta,& alia id genus futuro ædificio neceſſaria deportabant. Fertur etiam tunc fratrem quemdam,Sancti Franciſci habitu indutum, ex improuiſo B. Franciſcum de Paula increpaſſe,quòd tam anguſtam ædem facere incepiſſet,eamdemque demoliri ſibi mandaſſe,ac aliam maiorem deſignaſſe,Beatoque Franciſco de Paula aſſerenti ſibi vires ad tam ingens opus perficiendum non ſufficere, diuinitus reſpondiſſe,Deum omnipotentem ei nullo pacto defuturum,è veſtigioque diruptis muris,euanuiſſe; vnde non immeritò plerique illum B. Franciſcum fuiſſe exiſtimarunt. Poſtridie verò nobilis quidam Conſentinus ſuperuenit, qui eidem B.pro ædificanda Eccleſia, magnum auri,atque argenti pondus obtulit,vnde iuxtà ſitus deſignationem Eccleſiam notabili forma, non paruo ſumptu conſtruere cœpit.*

Sæpe orabat, aut laborabat.

§. 10. *Neque vmquam à laboribus ceſſabat, niſi cum orationi,diuiniſque rebus intendebat,qui,etſi vigilijs,continuiſque ieiunijs maximè eſſet attritus,lapides tamen, calcem, & ligna, aliaque ad fabricam neceſſaria, proprijs etiam humeris deferre non deſinebat.*

Affabilis erat.

§. 11. *Erat adeo in loquendo humanus,atq; affabilis,vt nullus vmquam ad eum acceſſerit, qui mellifluis eius verbis delectatus,& incredibili quadam ſermonis dulcedine captus, & quaſi diuino Spiritu repletus ab eo non receſſerit.*

Ordinem ſuum appellauit Minimorum.

§. 12. *Humilitatem eius etiam inſtituti, per eum Ordinis cognomentum oſtendit, quòd vt is omnium minimus eſſe volebat, ita Minimorum dici cenſuit, & inſtituit: eiuſdem etiam Ordinis Inſtitutor,& generalis Corrector exiſtens, omnium ſe infimum, quò ad poterat,exhibebat,& ad omnia etiam ſeruilia opera,vt & cæteris humilitatis præberet exemplum, deſcendere non dedignabatur; quippe diſcipulis ſuis diſcumbentibus miniſtrabat,ſæpeque Eccleſiam, & altaria verrebat, & mundabat, ac paramenta, & alia ad diuinum cultum neceſſaria componebat, aliorumque fratrum, etiam nouitiorum, indumenta proprijs manibus abluebat.*

Super ignē ſpinas, &c. ambulabat.

§. 13. *Et cum iuuenis adhuc eſſet,Calabriamq; incoleret,nunquam niſi nudis pedibus etiam per glacies, niues,montes,& acuta ſaxa,vepres, ſpinaſque incedebat, nullamque ex eo, etiam grauiſſimo ſæpe pondere preſſus, læſionem in pedibus patiebatur. Ipſum ſæpius ignem nudis pedibus conculcaſſe,ac ignitos,candenteſque lapides manibus portaſſe,liquido conſtat. Admirabilis erat vitæ eius auſteritas,quæ propterea admirabilior cenſenda eſt,quia in pueritia,adoleſcentia,iuuentute,ſenecta,& decrepita eius ætate,inter labores, vigilias,ieiunia, abſtinentias, innumeraſque corporis macerationes,eumdem pene viuendi modum ſeruauit.*

Claruit miraculis, mortuos ſuſcitauit.

§. 14. *Horum, & plurimorum aliorum ſanctorum operum ratione habita, adeo S. Spiritus gratia hominem complexa eſt,vt pijs eius meritis, & precibus, in Chriſti nomine dæmones à corporibus humanis ſæpius eiecti, pluresque infirmi diuerſis morborum generibus oppreſſi,& iam a medicis deſtituti,ac morti propinqui priſtinæ ſanitati reſtituti fuerint; idemque Beatus alijs compluribus,qui memoria,& ſenſibus capti,ſeu intelligentia debilitati erant,ſanitatem præſtiterit, ac multis claudis inceſſum, ſurdis auditum,mutis loquelam, cæciſque lumen reſtituerit, & leproſos mundauerit, nonnulloſque mortuos,vel pro mortuis habitos, ad vitam, priſtinamque lucem reduxerit.*

Paulus II. ſuum Cubicularium ad ſe informandum mittit.

§. 15. *Quorum quidem miraculorum fama cum iam per totum fere orbem vagaretur, & ad aures fel. recor. Pauli II. prædeceſſoris noſtri perueniſſet, Cubicularium quemdam ſuum ad bonæ mem. Pyrrhum Archiepiſcopum Conſentinenſem miſit mandauitque, vt ipſe ſuper miraculis huiuſmodi ſe diligenter informaret, ac deinde ipſum de veritate certiorem efficeret. Qui quidem Archiepiſcopus Pontificis mandato parere deſiderans, ac neminem habens, qui talia melius, quam ipſemet Cubicularius, explorare, fideliuſque referre poſſet, eidem ſuaſit, vt is cum ſocio, quem ei adiunxit, ad dictum beatum virum ſe conferret, ac de illius vita,miraculis,& fama huiuſmodi plenam informationem caperet.*

Cubiculario Papæ præſente ignem manibus accepit.

§. 16. *Cubicularius Archiepiſcopi fretus conſilio, hominem adijt, & cum inter ſalutandum dicti beati viri manum deoſculari vellet, ille omnino renuit, eumque rogauit, vt ſibi potiùs manum deoſculandam porrigeret,aſſerens, id multò iuſtius, & conuenientius fore,eo quod ipſe Cubicularius triginta tres annos iam presbyter eſſet; quod Cubicularius memoria repetens, vbi id verum eſſe cognouit,miratus eſt hominis ſpiritum,& cum eo ad colloquium in cameram conceſſit, vbi cum primus ſermo de tam ardua,difficilique vita fuiſſet,vt eam nulli,niſi robuſto,ac valido,tolerabilem fore, Cubicularius aſſeueraret; B.P. audito illius verbo, igni appropinquant, ardentes prunas abſque læſione manibus arripiens,dixit; Qui perfecto corde Domino ſeruiunt, omnia creata illis obtemperant: exterritus ille eo miraculo veniam petijt, cumque eius pedes humiliter oſculari vellet, ipſeque vir beatus id recuſaſſet, eius tunc veſtem manu apprehenſam deuotè oſculans,& ab eo recedens,ad Pontificem redijt,eique miracula,quæ viderat,enarrauit.*

Apoſtema incurabile Iacobi de Tarſia ſanauit.

§. 17. *Olim etiam vir nobilis Iacobus de Tarſia Baro terræ Bellimontis Conſentin. Diœceſis cum grauiſſima, & penè inſanabili apoſtemate longo tempore in*

cru-

erure laboraſſet, inſigneſque medici, & chirurgi in eo nihil proficerent, quin vlcus illud quotidie ingraueſceret, omnibuſque remedijs adhibitis, iam in deſperationem ſalutis res adducta eſſet; tandem dictus Iacobus fama ſanctitatis, & miraculorum beati viri, qui tunc Paulæ degebat, adductus, ad eum non ſine magno labore acceſſit: illique plagam detexit, & ſe deuotiſſimè commendauit. Primùm ſiquidem ipſi Beato, & omnibus, qui aſtabant, vlcus graue, & miſerabile, ac penè inſanabile viſum eſt: illum tamen Beatus admonuit, vt in Deo firmam fidem, & certam ſpem haberet, quia ſanitatis gratiam conſequeretur; ac ſtatim vnum ex ſuis fratribus miſit, qui aliqua folia herbæ, quæ vngula caballina dicitur, & inibi naſcitur, colligeret, & cum ipſis folijs certos pulueres, quos in cella ſua ipſe Beatus retinebat, ſibi afferret. Dum frater ille mandata exequitur, beatus vir ad propinquam Crucifixi imaginem conuerſus orauit, vt Baroni, in ſuæ diuinitatis gratia confidenti, miſericordiam ſuam aperiret, nec multò poſt folijs, ac pulueribus huiuſmodi ſibi, vt iuſſerat, apportatis, facto ſigno Crucis, aliquantulùm de dictis pulueribus vlceri impoſuit, illudque tribus ex folijs prædictis cooperuit, & omnia circumligauit, in Domino ſpem reponens, quòd ſanitatem recuperaret; illi ergo benedicens, iuſſit, vt illicò ſuam repeteret domum, ad quartumdecimum fermè lapidem inde diſtantem. Qui cum aliquandiu equitaſſet, ad vxorem ſuam Ioannam, quæ illum ſemper in eo itinere comitata fuerat, conuerſus, mihi videtur, inquit, quòd ſim ſanus, quia acerbum dolorem, & peſſimum fœtorem ampliùs non ſentio, & cum iam certum monticulum ſuperaſſent, Iacobus auidè cupiens intelligere, an poſſet ambulare, ex equo deſcendens, proprijs pedibus ambulare cœpit, & calce terram percutiens, nec aliquid doloris ſentiens, ſe liberum, & ſanum intellexit. Deo igitur, & B. Franciſco de Paula gratias agentes coniuges, voti compotes ad propria rediere.

Paralyticū & leproſū curauit.

§. 18. Iiſdem fermè diebus, in Ciuitate Conſentin. fuit quidam Marcellus de Cardilla, pedibus, & manibus contractus, ac totus leproſus, adeo vt iam vocem quaſi omnem amiſiſſet, eiuſque loquela vix audiretur, qui cum per conſanguineos ſuos ad Paulæ Monaſterium adductus, & beato viro præſentatus fuiſſet, ille miſericordia motus, parum ſecretò orauit, mox verò rediens, eum manu ſubleuauit, & ab omni membrorum contractu, & lepra incolumem reddidit. Guidonem quoque Lipantum nobilem Conſentin. grauiſſima infectum lepra in domo Paterni, quam vir beatus tunc ædificabat, ad ſe venientem ſanitati reſtituit.

Mutum à natiuitate liberauit.

§. 19. Cum idem beatus vir fabricam domus iuxta Paulæ Oppidum incœpiſſet, adductus eſt ei quidam à natiuitate mutus, quem cum parentes eius iuxta Eccleſiam poſuiſſent, dixit eis vir beatus, vt altè ſecum ter Ieſum acclamarent, & ita aperiretur illi ſenſus; beato viro inchoante, dictiſque parentibus proſequentibus, mutus ſimiliter alta voce dixit Ieſus, & inde liber, atque integer vſque ad eius obitum in loquela permanſit.

Puellæ cæcæ viſum reddidit.

§. 20. Rurſus Iulia Antonij Catalani in dicto Oppido Paulæ habitantis filia ab ortu cæca, & nihil proſus videns, cum à parentibus ad beatum virum, qui fortè tunc in horto domus erat, adducta fuiſſet, idem beatus vir herbam quamdam euulſit, eamque ſigno Crucis facto, ſuper ipſius puellæ oculos appoſuit, quæ ſtatim videre cœpit, ac ſenſu viſus tandiu, quandiu poſtea vixit, freta eſt.

Obrutos illæſos reperijt.

§. 21. In fabrica dictæ domus Paterni, cum duo laborantes, terram effodiendo, obruti fuiſſent, ita vt iam pro mortuis haberentur, ad ſuccurrendum inuocatus vir beatus, à duabus partibus terram effodi fecit, quo facto, dicti laborantes viui, & illæſi ſua, vt creditur gratia ſunt reperti.

Fabas ſine igne coxit.

§. 22. Cum quidam Antonius Architectus ad dictæ domus Paterni fabricam acceſſiſſet, & beatus vir, vt pro cibo illi miniſtrando nonnullæ fabæ coquerentur, cuidam fratri iuniori inibi exiſtenti mandaſſet, frater ille ollam cum dictis fabis, & aqua frigidis in coquina cineribus ſuperpoſuit, oblituſque ignem, quo coquina carebat, aliunde afferre diſceſſit; ſed cum vir beatus dictas fabas iam coctas eſſe credens, vnà cum hoſpite in coquinam veniſſet, nulluſque ibi ignis adeſſet, dictus Antonius ſubriſit de dicti Beati præcepto, & eius ferculo, quod nondum coqui cœpiſſet, cui vir beatus ferculum ipſum paratum eſſe reſpondit, tetigitque manu ollam, quæ illicò feruere viſa eſt, ſtatimque fabæ coctæ fuere, ita vt inde Antonius ipſe prandium ſumere potuerit, qua de re dictus Antonius, & nonnulli alij tunc præſentes, maxima ſunt admiratione affecti.

Lampadem abſque igne accendit.

§. 23. Idem etiam beatus vir die quadam, more ſolito miſſam audire cupiens, Eccleſiam ingreſſus eſt, cumque tunc Eccleſiæ lampas accenſa non eſſet, & aliqui ex his, qui ibi miſſæ audiendæ cauſa aderant, ignem foras quæſitum iuiſſent, illumque iam afferrent, vir beatus è bodam lampadis accepit, vt eam deduceret, illa verò in medio deſcenſu, abſque aliquo igne miraculosè accenſa, effulſit, ex quo circumſtantes candelas, pro miſſa tunc celebranda neceſſarias, deuotiſſimè accenderunt.

Filium viduæ mortuum ferè ſanauit.

§. 24. Cum in terra Montis alti dictæ Conſent. Diœceſis, quidam Franciſcus ipſius terræ incola, febri adeo vexaretur, vt de eius ſalute nullam medici ſpem promitterent, laboraretque in extremis, ac omnibus Eccleſiæ ſacramentis deuotè ſuſceptis, & candela benedicta more ſolito accenſa, in eiuſque manibus poſita, à circumſtantibus iam pro mortuo haberetur: Tunc Ioanna mater eius ad B. Franciſcum de Paula ſpecialem gerens deuotionis affectum, illum lacrymans deprecata eſt, vt filium ſuum ſanare, ac vitæ reſtituere dignaretur, vt illius ope tribus ſuis ex dicto eius filio nepotibus prouideri poſſet; præterea, ſi voti compos fieret, ſe ſtatim huius ſæculi vanitatibus omninò renunciaturam, & in habitu tertiæ Regulæ eiuſdem Beati Deo perpetuò famulaturam, deuotè vouit, ac promiſit; quo voto emiſſo, ſtatim eius filius, quaſi à morte reſurgens, circumſtantes aſpicere, ſeque meliùs habere incœpit, nec multis poſtea diebus, priſtinæ ſunt ſaluti reſtitutus, & per triginta ferè annos idem ſuperuixit.

Oculi albuginem abſtulit.

§. 25. Cum in dicto Oppido Paterni idem beatus vir moram traheret, quidam oculi albuginem patiens, ad eū acceſſit, humiliterq; rogauit, vt ſibi opem afferret, cuius precibus motus vir beatus, bombyce ſacro latice aſper-

aſperſam ſuper virginem calcem, quæ fortè pro Eccleſiæ fabrica ibi aderat, conuoluit, & ea oculum macula huiuſmodi infectum abſterſit, ſignoque Crucis deſuper facto, ab omni albugine, & macula ſtatim liberauit.

Mortuum in ſepulcrũ immitendũ incolumem reddidit.

§. 26. Cum quidam dicti Oppidi venatores hyemis tempore, in montibus niuibus repletis, hominem nullum viuentis ſignum præſeferentem inueniſſent illum ſepeliendum ad locum detulerunt, vbi tunc beatus vir morabatur, qui in illum reſpiciens, per charitatem, ait, viuit homo iſte, & ad eum conuerſus, ſurge, inquit, & ambula, ad cuius verba homo in ſepulcrum mittendus illicò ſurrexit, ac pedetentim ambulare cæpit, moxque hoſpitij domum ingreſſus, ac cibo, & potu refectus, priſtinæque valetudini reſtitutus, ad propria ſaluus, & incolumis remeauit.

In fornacẽ ignis intrauit, & exinde incolumis exiuit.

§. 27. Præterea in dicto Oppido Paulæ, dum ſui Ordinis domus ædificaretur, & calx in fornace coqueretur, accidit, quòd, vel propter nimium ignem, vel aliam cauſam fornax ipſa ruinam minaretur, tunc illius magiſtri, nullum penitus remedium adhibere ſcientes, ad beatum virum pro auxilio recurrerunt, eique periculum expoſuerunt, qui illis, per charitatem, inquit, ad collationem, ſeu prandium eatis, mihique curam fornacis relinquatis, quibus diſcedentibus, ipſe ſtatim, ſigno Crucis facto, intrepidè dictam fornacem ardentem intrauit, ac illam ſolus reparauit, idemq; abſque læſione aliqua incolumis exiuit.

Iulium ab euidenti mortis periculo liberauit.

§. 28. Iulius Bartuchius etiam de Paula, iuuenum multitudine adiutus, poſt beati viri obitum, è Conſentiæ Caſtro Paulam versùs eximiæ magnitudinis bombardam tranſportari curans, additis etiam ad laborem viginti bouum iugis, apud quemdam decliuem locum, non longè à Paula diſtantem, Lamachia nuncupatum, funem maximum cuiuſdam nauis onerariæ, quo bombarda ipſa alligata erat, cuidam arbori, vt paulatim laberetur, inuolui t, quam cum nec Iulius ipſe neque tot ſocij propter impetum velocem, qui ex magnæ molis lapſu ferebatur, retinere valerent, vbi dum idem Iulius, vltra quam eius vires ferebant, nititur, iuxta arborem, cui circumligatus erat funis, proſtratus cecidit, pedeſque ſuos intra eiuſdem funis orbes inuoluit; vnde cum nullo pacto, niſi munere diuino, quin eius crura frangerentur, euadere poſſet, arborem amplectens, ſumma cum deuotione clamauit, ò B. Franciſce de Paula, opem fer mihi miſero, his dictis, mirabile dictu, currus, cui bombarda ipſa impoſita erat, in loco præcipiti ſtatim reſtitit, apparuitque eidem Iulio quidam frater Ordinis Beati Franciſci de Paula, qui tunc funem ipſum manibus retinuit. Idem verò Iulius tanto periculo ereptus, omneſque qui illuc, quaſi ad ſpectaculum, conuenerant, miraculum exclamantes omnipotenti Deo, Beatoque Franciſco de Paula immenſas illicò gratias egerunt, ipſeque Iulius ante alios omnes nudis pedibus ad eiuſdem beati viri Monaſterium profectus, imaginem ſuam ceream, fune pedibus implicito, pro deuotione in tanti miraculi memoriam obtulit.

Ardentes titiones manibus proprijs ad proximi ſalutẽ accepit.

§. 29. Cum à quodam F. Antonio Ordinis Minorum profeſſore, viro doctiſſimo, integerrimæque vitæ, idem beatus vir, etiam in publicis prædicationibus, carperetur, quòd videlicet tam impudens eſſet, vt ſimplex laicus, & literarum penitus ignarus, quibuſdam herbis ægrotis ſalutem promitteret; accidit, vt idem F. Antonius ab alijs dicti Ordinis Minorum fratribus ad eumdem beatum virum miſſus fuerit, quatenus eum de præmiſſis redargueret, qui cum ad eum veniſſet, & magnis illum contumelijs affeciſſet, increpaſſetque eius ignauiam, & craſſitudinem, vir Dei conſtantiſſimus, patientiſſimuſque tot conuicijs, & iniurijs nullatenus fractus, ac nec commotus quidem fuit, ſed foco appropinquans, ardentes titiones nudis manibus accepit, eoſque ſtrictè compreſſit, ac manifeſtè oſtendit, in Dei virtute omnia fieri poſſe. At ille prudentiſſimè proſpiciens hominis ſimplicitatem, & fidem, omniaque ab eo diuina gratia, & ardentiſſimo fidei ſpiritu fieri, eius pedibus aduolutus, illos arctè complectens, oſcularique ſatagens, veniam ab ipſo humillimè poſtulauit, neque inde ſurrexit, donec ab eodem B. P. benediceretur; quod factum eſt, vt qui antea in illum publicè maledicta plurima congeſſerat, proprium confeſſus errorem, beati viri ſanctitatem dignis, veriſque poſtea laudibus meritò efferret.

Iuſſu Sixti IV. ad Regem Franciæ acceſſit, qui benignè eum recepit, & ei Eccleſiam ædificauit.

§. 30. Quæ omnia eum mirabilem quamdam, & rarè auditam viri ſanctitatem arguerent, eorumque celebris fama iam ad claræ mem. Ludouicum XI. huius nominis, Francorum Regem Chriſtianiſſimum perlata eſſet, Rex viri beati ſanctitate motus, ac ipſum coram videre cupiens, à piæ mem. Sixto Papa IV. etiam prædeceſſore noſtro impetrauit, vt eidem beato viro in virtute ſanctæ obedientiæ mandaret, vt ex Calabria in Franciam ſe conferret, dictumque Ludouicum Regem viſitaret, quibus iuſſis Dei famulus obediens, in Franciam iuit, vbi eum præfatus Rex ſingulari deuotione ſuſcipiens, ſeque ab eo benedici poſtulans, illi tamquam viro Dei magnum honorem, & reuerentiam exhibuit; Cognita deinde viri ſanctitate, ei, eiuſque fratribus ſedem propè Ciuitatem Thuronenſem, & regium Palatium aſſignauit, amplamque, & magnificam domum cum Eccleſia, quæ in hanc vſque diem extat, pro ipſius Beati Franciſci de Paula, ſuorumque fratrum vſu, & habitatione conſtrui fecit.

Regulas tres B. Frãciſcus inſtituit.

§. 31. Tantæ inſuper continentiæ fuit idem beatus vir, vt non carne, ſed ſolo ſpiritu compactus eſſe videretur; priùs enim, quàm ab hac luce diſcederet, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ſuæque Religionis propagationem, diuina, vt piè creditur, inſpiratione inſtructus, tres Regulas, fratrum ſcilicet, ac ſororum, & vtriuſque ſexus fidelium tertiariorum nuncupatorum inſtituit, & vt humilitatis amator erat, illamq; à ſuis etiam coli deſiderabat, fratres ſui Ordinis Minimos, & ſorores Minimas vocari debere, ordinauit, iniunxitque illis, vt decem mandata diuina, & Eccleſiæ præcepta ſalutaria vigilãter obſeruantes, Romano Pontifici pro tempore exiſtenti fideliter obedirent, ac ſub obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quadrageſimaliſque vitæ ſacris votis, perſeueranter viuere profiterentur, nonnullis ad Regularum fratrum, ac ſororum huiuſmodi, tam circa perſonarum ipſarum directionem, & informationem, quàm diuini cultus augmentum, debitam obſeruationem, & inſtitutionẽ, opportunis adiectis capitulis.

§. 32.

Digitized by Google

Romani Pontifices plurima illi priuilegia concesserunt.

§. 32. *Ipſas verò fratrum, ac ſororum eius decem, dictorum autem vtriuſque ſexus tertiariorum Regulas cum ſeptem capitulis, per eum piè inſtitutas, reuerendiſs. mem. Iulius Papa II. ſimiliter prædeceſſor noſter, eodem beato viro tunc in humanis agente, matura præhabita deliberatione, tamquam Religioni conſonas, poſtquam idem Sixtus prædeceſſor, ac ſanctæ commem. Innocent. VIII. & Alexand. VI. Roman. Pontifices etiam prædeceſſores noſtri, eidem beato viro, eiuſque Ordini, ac eius perſonis, & domibus quamplura priuilegia conceſſerant, per ſuas primò, & deinde nos per alias noſtras literas approbauimus, & confirmauimus, diuerſiſque priuilegijs, gratijs, & indultis Ordinem ipſum multipliciter communiuimus, prout in ipſorum prædeceſſorum, & noſtris inde confectis literis pleniùs continetur.*

Is, præuiſo ſuæ mortis die, ſacris ſuſceptis, obdormiuit in Domino in die Veneris Sancti.

§. 33. *Cumque vitæ ſuæ finem iam proximum diuina inſpiratione proſpiceret, idem beatus vir pridie quam decederet, qui fuit dies Cœnæ Domini, pluribus è fratribus ſuis, qui ex varijs Prouincijs, & Regnis tunc ad eum venerant, aſſiſtantibus, in miſſa conuentuali, poſt pœnitentiæ ſacramentum deuotè ſuſceptum, cum profundiſſima humilitate, vberrimaque lacrymarum effuſione, pectus ſuum percutiendo, ſacroſanctum Euchariſtiæ viaticum è manibus vnius ex ſui Ordin. presbyteris magna cum deuotione ſuſcepit; poſtea Domino noſtro Ieſu Chriſto, Beatæque Mariæ Virgini, & Sanctis omnibus deuotè peractis gratiarum actionibus, miſſaque huiuſmodi celebrata, ad cellam ſuam proprijs pedibus, licèt præ ſenectute debilis, & infirmus, baculo, quem more ſolito geſtabat, innixus rediit. Poſtero autem die, cum idem Beatus, fideliſque Dei ſeruus tempus inſtare videret, quo ſibi ex hac lachrymarum valle migrandum erat, dictos fratres ſuos ad ſe conuocari iuſſit, eoſque ad fraternam pacem, mutuamque charitatem dulciſſimis verbis, ac ſalutaribus monitis charitatiuè exhortatus eſt, illiſque benedictione more ſolito impertita, cum iam nonageſimum primum, vel circa, annum feliciter impleuiſſet, anno à partu virgineo 1507. Aprilis verò die ſecunda, quæ tunc fuit Paraſceues, Veneris ſancta nuncupata, circa horam, qua pro nobis Chriſtus paſſus eſt, ſigno ſanctæ Crucis deuotè ſignatus, omnibuſque ſacramentis eccleſiaſticis debitè communitus, perlecta coram eo Dominica Paſſione, iunctis deuotè manibus, erectiſque in cœlum oculis, ſanctæ Crucis triumphum piè amplectens, reuerenterque oſculans, ac ſæpius In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, aliaſque pias orationes deuotiſſimè repetens, dimiſſa huius carnis ſarcina, quaſi viuens, abſque aliquo doloris, aut mortis notabili ſigno migrauit ad Chriſtum.*

Miracula poſt eius obitũ Deus edidit.

§. 34. *Cumque tunc per vndecim dies eiuſdem Beati corpus inſepultum remanſerit, illucque maxima virorum & mulierum, ac religioſarum perſonarum multitudo acceſſerit, vt ſanctum virum, quem viuentem ſumma fuerant veneratione proſequuti, etiam defunctum viderent, & illius apud Deum ſuffragia mererentur; mirum omnibus fuit, quòd eius caro per tot dies incorrupta permanſerit, nec vllum prorſus fœtorem emiſerit, quin potius odor quidem ſuauiter fragrans ab ea manauerit. Poſt ipſius etiam obitum, multis eius ſuffragia deuotè implorantibus omnipotens Deus quam plures gratias elargiri, magnaque miracula palàm operari dignatus eſt.*

Rex Franciæ, ac alij inſtiterunt pro Canonizatione.

§. 35. *Propter quæ chariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus, huius nominis primum Francorum Rex Chriſtianiſſimus, chariſſimaq; in Chriſto filia Claudia Regina eius conſors, quæ, aliàs coram dicti Ordinis tunc Generali, ac alijs nobilibus perſonis emiſſo voto, quòd ſi gratiam pro maſculo aſſequeretur, in B. P. honorem, Franciſci nomen ei imponeret, fulgentiſſimum puerum in lucem edidit, illiq; iuxta dictum eius votum Franciſci nomen imponi fecit; necnon dilecta etiam in Chriſto filia nobilis mulier Aloyſia de Sabaudia Audegauenſis, & Angoliſmẽſis Duciſſa, Cenomanenſiſq; Comitiſſa, eiuſdem Frãciſci Regis genitrix, nobis per venerabil. fratrem noſtrum Dionyſium Epiſcopum Maclouienſem generalem, ac dilectos filios Iacobum Lucam Decanum Eccleſiæ Aurealianenſis, & nobilem virum Antonium Raphi, aliàs de Potom Dominum temporalem loci de Podio caluario Agennenſis Diœceſis, pro nonnullis particularibus ipſius Chriſtianiſſimi Regis negotijs Nuntios, & Oratores ad nos deſtinatos, humiliter ſupplicari fecerunt, vt, præmiſſis diligenter inquiſitis, & exploratis, ad eiuſdem B. viri Canonizationem procedere dignaremur.*

Hic ergo Põtifex annuens Canonizationi petitæ, examen & proceſſum fieri mandauit.

§. 36. *Quorum quidem precibus licèt libenter annuere vellemus, ſummoperèque gauderemus, huiuſmodi Canonizationem noſtris temporibus diuino quodam myſterio contigiſſe, ac nobis æquum videretur; vt idem B. Franciſcus de Paula, quem iam Deus in cœleſti gloria Sanctorum Choro dignum feciſſe, pluribus, ac manifeſtis indicijs, & miraculis oſtenderat, in terris etiam ſibi debito Sanctorum honore non defraudaretur. Ac ſuper eo maximè nobis inſtaret venerabil. frater noſter Bernardinus Epiſcopus Sabinenſis, Cardin. S. Crucis nuncupatus, in dicti Ordinis Protectorem ab eodem Beato viro nondum tunc ab humanis egreſſo aſſumptus, cumulatiſſimæque preces nobis, ac venerabil. fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, per dicti Ordinis tunc Zeloſum totius Minimorum Ordin. nomine, ſuper hoc ſæpius porrectè fuiſſent, non ſtatim rem tanti ponderis, ac momenti faciendam, ſed iuxta veterem, ac laudabilem conſuetudinem, cunctanter, maturèque conſiderandam duximus. Poſt complures igitur commiſſiones, aulæ Palatij noſtri Aduocato Conſiſtoriali, & Auditoribus cauſarum eiuſdem Palatij ſuper hoc debitè factas; tandem tribus etiam S. R. E. Cardinal. ex tribus illorum Ordinibus, videlicet venerab. fratri Nicolao Epiſc. Albanenſi de Fliſco, & dilectis filijs noſtris Dominico tit. Sancti Bartholomæi in Inſula Presbytero de Iacobatijs, ac Ioannis SS. Coſmæ, & Damiani, noſtro (ſecundùm carnem nepoti) Diacono de Saluiatis, reſpectiuè nuncupatis Cardinalibus, de fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu commiſimus, vt ipſi, viſis, & examinatis proceſſibus editis ſuper eiuſdem Beati viri vita, moribus, fama, & miraculis, ante, & poſt ipſius obitum eius interceſſionibus à Deo factis, alijſque cunctis ad Sanctorum Canonizationem huiuſmodi neceſſarijs, ſe ſuper omnibus, ac ſingulis diligenter informarent, & per eos comperta in noſtro ſecreto Conſiſtorio, vt moris eſt, fideliter referrent. Cumque ipſi Cardinales, viſis, ac diligenter examinatis*

diuerſis proceſſibus in partibus Calabriæ, & Franciæ, de Sedis Apoſtolicæ commiſſione habitis, & ad Curiam noſtram tranſmiſſis, teſtiumque fide dignorum depoſitionibus pro tantæ rei dignitate debitè ponderatis, de ſupradictis miraculis, ac vitæ ſanctimonia, & alijs à iure requiſitis, fidelem nobis relationem, in pluribus etiam ſecretis Conſiſtorijs, iam feciſſent, noſque ipſorum, & omnium aliorum Cardinalium vota pro facienda dicta Canonizatione, conuenientia, & conformia inueniſſemus.

Eiuſque relatio facta fuit in publico Conſiſtorio.

§. 37. Et pro vlteriori executione dilectus filius Angelus de Caſis, vtriuſque iuris Doctor, & dictæ aulæ noſtræ Conſiſtorialis, Aduocatus, in publico Conſiſtorio omnia de ipſius Beati viri vita, moribus, fama, & miraculis, copiosè recenſuiſſet, nobiſque humiliter ſupplicaſſet, vt ad eiuſdem Beati canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur. Nos de relatis coram nobis in primis humiliter Deo gratias agentes, rogauimus omnes in eodem publico conſiſtorio tunc aſtantes, vt ſuis orationibus, & ieiunijs Eccleſiam Dei iuuarent, vt, ne eam Altiſſimus modo aliquo in huiuſmodi canonizationis officio errare permitteret, inſtanter orarent.

Papa preces ad Deũ emitti præcipit & deinde vota pro canonizatione recipit.

§. 38. Demum poſt aliquot dies, conuocatis de nouo in aula noſtra conſiſtoriali, in Palatio Apoſtolico, vniuerſis, & ſingulis, qui tunc aderant in noſtra Romana Curia, Eccleſiarũ Prælatis, Patriarchis videlicet Archiepiſcopis, ac Epiſcopis, in præſentia eorumdem fratrum noſtrorum præfatæ S. R. E. Cardinalium, eoſdem proceſſus ſuper ipſius Beati vita, moribus, fama, & miraculis editos, per eumdem Angelum breuiter, ſummarièque repeti fecimus; Quæ cum ex ſerie per Cardinales, ac alios, quibus id munus per nos iniunctum fuerat, enarrata, & expoſita fuiſſent, omneſque aſtantes Prælati, quid ſibi ſuper huiuſmodi negotio videretur, interrogati, vnanimi conſenſu, nullo penitus diſcrepante, reſpondiſſent, ſibi videri, quòd idem beatus vir inter Sanctos meritò adſcriberetur, & connumeraretur.

Et modò B. Frãciſcũ Sanctorum catalogo adſcribit.

§. 39. Nos iterum humiles omnipotenti Deo gratias agentes, quòd ad beatum ſeruum ſuum debitis honoribus proſequendum, corda noſtra illuminare dignatus eſſet; ipſius canonizationis diem Dominicam in Albis nuncupatam, qua in Eccleſia cantatur, Quaſi modò geniti infantes, quæ tunc occurrebat. 1. die Maij, anno Domini 1519. in qua etiam tunc BB. Apoſt. Philippi, & Iacobi feſtum contingebat, deputauimus, ac in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe amplum ſuggeſtum ligneum de more parari, & exornari iuſſimus. Super quo quidem hodie, aſtante populo, ac vniuerſo Clero, de vita, miraculis, & fama eiuſdem B. Franciſci de Paula, humili, deuotioneque pleno ſermone per nos, vt moris eſt, habito, deindeque litania, & hymno Veni creator Spiritus, per omnia deuotè decantatis: Nec non à Procuratoribus cauſæ ipſius canonizationi, & à Chriſtianiſſimi Francorum Regis Oratoribus huiuſmodi, eiuſdemque Ordinis Minimorum nunc vicegenerali Correctore, à nobis magna cum inſtantia petito, pronunciari, adſcribi inter Sanctos eumdem B. Franciſcum de Paula. Cum iam omnia conſummata eſſent, omneſque conſuetas Eccleſiæ cæremonias ſuper ea re ritè ſeruauiſſemus, Deum præoculis habentes, ad canonizationem eiuſdem Beati ſub his verbis procedendum duximus, & proceſſimus. Ad honorem omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad exaltationem fidei catholicæ, chriſtianæque Religionis augmentum, ac Ordinis Minimorum conſolationem, & incrementum, auctoritate D. N. Ieſu Chriſti, beatorumque Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, & noſtra, de fratrum noſtrorum ſpeciali conſilio, & aſſenſu, decernimus, & definimus, bonæ mem. Franciſcum de Paula, eiuſdem Ordin. Minim. Inſtitutorem, in cæleſti Hieruſalem inter Beatorum choros iam receptum, æternæque gloriæ condonatum fuiſſe, ac SS. Confeſſorum catalogo adſcribendum fore, ipſumque huiuſmodi catalogo in præſentiarum adſcribimus, & eum tamquam Sanctum publicè, priuatimque colendum eſſe declaramus, atque mandamus.

Feſtumque die 2. Aprilis celebrari iubet.

§. 40. Statuentes, eius feſtum die 2. menſis Aprilis ab vniuerſali Eccleſia annuatim celebrandum fore, & ab eo ſuffragia à Chriſti fidelibus implorari, & expectari poſſe, omneſque ac ſingulos honores illi meritò præſtandos, & exhibendos eſſe, qui cæteris etiam SS. Confeſſoribus in huiuſmodi catalogo deſcriptis, conuenire noſcuntur.

Orationes proprias de Sancto decreuit.

§. 41. Quibus debitè peractis, inchoatoque per nos, ac decantato, & ad finem vſque à Cantoribus proſequuto hymno Te Deum laudamus, in illius etiam fine, Cardinali Diacono in canto dicente; Ora pro nobis B. Franciſce de Paula, à choroque reſponſo, Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti, nos illicò propriam orationẽ de eodẽ Sancto alta voce decantauimus, dicẽtes.

Oratio prima.

§. 42. Seruitutis noſtræ tibi, Domine, iura ſoluentes, quæſumus, vt, B. Franciſci de Paula Confeſſoris tui patrocinio ſuffragante, in nobis tua dona multiplices, & ab omnibus tuearis aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum; Deinde verò à dicto choro reſponſo Amen, ſolemnem illic miſſam nos ipſi celebrauimus dicta tũc currente Dominica in Albis, collectas ſingulas ſub vna cõcluſione terminantes, additis etiam prædicta, cæteriſq; ſpecialibus eiuſdẽ S. Franciſci de Paula collectis immediatè ſequentibus, pro ſecreta videlicet.

Secreta.

§. 43. Hoſtias, Domine, tuorum ſuſcipe populorum, quas tibi in B. Franciſci de Paula feſtiuitate dicamus, vt nobis conferant tuæ propitiationis auxilium; cum ſua concluſione, videlicet Per Dominum, &c. Deinde verò poſt communionem ſubiunximus dicentes.

Poſt communionẽ.

§. 44. Cæleſti, Domine, ſacramento conſolati, te ſupplices deprecamur, vt, intercedẽte B. Frãciſco de Paula ab omni nos mentis, & corporis labe cuſtodias, & per ipſum tuæ ſentiamus indulgẽtiæ largitatem; cum ſimili concluſione. Et ita miſſam ipſam ad finem vſque cum ſolitis cæremonijs, iuxta ordinariũ Apoſtolicũ, illic debitè terminauimus, indulgentiamque plenariam omnibus officio huiuſmodi tunc aſſiſtentibus deuotè cõceſſimus, ac etiam in loco ſepulturæ eiuſdem S. Franciſci de Paula, in depoſitionis ſuæ die, videlicet 2. Aprilis huiuſmodi perpetuò duraturam, quadraginta annorum, totidemque quadragenarum indulgentiam annuatim condonauimus, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, qui in Sanctis ſuis mirabilis, & glorioſus viuit, & regnat benedictus in ſecula ſeculorum.

§. 45.

Digitized by Google

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 45. *Cæterùm quia difficile foret præſentes originales literas ad omnium notitiam deferri, volumus, & decernimus, quòd earumdem tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ſub ſigillo venerab. fratris noſtri Paridis moderni, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Piſaurenſis, ac cæremoniarum Magiſtri, vel alicuius alterius Prælati eccleſiaſtici, fides adhibeatur indubia in omnibus, ac per omnia, & illis vbique ſtetur, ac ſi originalis literæ huiuſmodi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Apponit pœnas.

§. 46. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum proceſſus, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1519. 1. Maij Pontif. noſtri anno 7.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd canonizatio propriè dicta eſt publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera ſanctitate, & gloria alicuius hominis iam defuncti, & ſimul eſt iudicium, ac ſententia, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur cum Deo feliciter regnantibus. Ita Bellar. to. 2. controu. 4. de Eccl. triumph. l. 1. cap. 7. & D. Tho. quodl. 9. art. 6. dicit, quod canonizatio Sanctorum & honor quem Sanctis exhibemus, eſt quædam profeſſio fidei. Differt autem canonizatio à beatificatione in quatuor, nimirum tamquam prius, & poſterius; tamquam particulare, & generale; tamquam totum, & pars; & tamquam ſolemne, & minùs ſolemne. Beatificatio enim propriè dicta eſt antecedens ad canonizationem, & exhibitio particularis, non omnium honorum debitorum Sancti, ſed aliquorum, & non omni loco, ſed alicubi tantùm, & multò minorem ſolemnitatem requirit, quàm canonizatio; In reliquis quando aliquis declaratur Beatus à Papa, iam etiam Sanctus eſt, ſicut etiam omnis, qui decedit in gratia, apud Deum Sanctus eſt: Vndè Sanctus, & Beatus ſæpius in ſcriptura confunduntur, vt patet in confeſſione, quæ fit quotidiè à Sacerdotibus, vbi dicitur, Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Ioanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, &c.

2 Noto 2. quòd honores, qui debentur Sanctis canonizatis ab Eccleſia, ſunt ſeptem, vt Bellar. loc. cit. 1. eſt, quòd qui canonizantur, inſcribuntur in catalogo Sanctorum, id eſt ſtatuitur ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. 2. Inuocantur in publicis Eccleſiæ precibus. Templa, & aræ in eorum memoriam dicantur Deo. 4. Sacrificia, tam Euchariſtiæ, quam laudum & precum, quod vulgo officium, ſiue horæ canonicæ nuncupantur, in honorem eorum Deo publicè offeruntur. 5. Dies feſti in eorum memoriam celebrantur. 6. Pinguntur eorum imagines, addito certo quodam lumine, in ſignum gloriæ, quam habent in cælis. 7. Eorum reliquiæ ſpecioſis thecis includuntur, & publicè honorantur.

3 An autem per canonizationem acquiratur Sanctis maior gloria. Dico, acquiri maiorem, non eſſentialem, qua incapaces ſunt ratione ſtatus, ſed multam accidentalem.

4 Si quæras, cuius eſt Sanctos canonizare. ℞. canonizare Sanctos vniuerſaliter, ita vt in tota Eccleſia habeantur pro Sanctis, ad ſolum ſummum Pontificem pertinet. Habetur in cap. Audiuimus, & in cap. Cum ex eo, de reliq. & ven. Sanct. vbi Innoc. Io. Andr. Panor. & cæteri Canoniſtæ. Canonizare autem particulariter Sanctos, ita vt ſolùm in vna Prouincia, aut Diœceſi habeantur pro Sanctis, olim poterat quilibet Epiſcopus, vt docet Tho. Valdenſ. lib. de ſacram. tit. 14. cap. 122. num. 2. Sed hodie hæc facultas eſt Epiſcopis ablata, vt patet ex dictis cap. de reliq. & ven. Sanct. ita Bellar. tom. 2. controu. 4. de Eccl. triumph. lib. 1. cap. 8.

5 Si quæras vlteriùs, quæ debeant concurrere, ad hoc vt aliquis in Sanctorum numerum per canonizationem adſcribatur.

℞. id expreſſiſſe ſummum Pontificem Gregorium IX. in canonizatione S. Antonij de Padua, in ſua conſtit. quæ incipit, Cum dicat Dominus, & refert Cherub. tom. 1. Bullar. in conſt. eius 4. in cuius §. 3. ait *Nos attendentes quòd licet ad hoc vt aliquis Sanctus ſit apud Dominum in Eccleſia triumphante, ſola ſufficit finalis perſeuerantia, iuxta illud: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronã vitæ. Ad hoc tamen vt Sanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria; virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet, & miracula, vt hæc, & illa ſibi adinuicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis: Sed cum merita ſana præcedunt, & clara ſuccedunt miracula, tunc certum præbent iudicium ſanctitatis, vt nos ad ipſius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & ſignis ſubſequentibus exhibet venerandum; quæ duo ex verbis Euangeliſtæ plenius colliguntur, illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Hæc dictus Greg.*

6 Noto 3. quòd merita Sancti canonizandi probantur 1. laboribus multis, caſtis moribus, ſtrenuis actibus, & præconiis bonæ famæ, vt definitur in c. Miramur, diſt. 61. ibi *Pro laboribus multis*, &c. deinde ſimplicitate, & humilitate: Iacobi enim 4. dicitur *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Tertiò pluribus perſecutionibus, cap. Omnis, qui 7. q. 1. Et cap. Quærendum, de pœnit. d. 2. dicitur, quòd *ſanctitas manet in Sanctis, quamdiu mortale corpus geſtant, vt bonis inſiſtant actibus, voluntariam paupertatem diligant, manſuetudinem ſequantur, pro æternorum deſiderio lugeant, eſuriant, & ſitiant iuſtitiam, miſericordiam, munditiam cordis, tranquillitatem pacis amplectantur, & pro obſeruatione iuſtitiæ perſecutionem pati non vereantur, eleemoſynis, orationibus, cæteriſque fructibus ſpiritus inſiſtere deſiderent.*

7 Noto 4. quòd miracula, quæ requiruntur ad aliquẽ Sanctum canonizandum, debent habere quatuor conditiones 1. quòd ex Deo, non ex arte, contingant, nec ex diabolo, nam miracula fiunt quandoque per malos, c. Teneamus, 1. q. 1. & cap. Prophetauit, 2. qu. 7. §. Item Balaam, 2. quòd ſint ſupra naturam, ſicut de virga Moſi mutata in colubrum, & de aſina loquente ad Balaam; c. Cum ex iniuncto, §. Cum igitur, de hæreticis. 3. quòd non ex vi verborum, ſed hominis merito contingant; nam panis, & vinum virtute verborum miraculosè tranſſubſtantiantur in corpus, & ſanguinem, vt in cap. Quia corpus, de conſecr. diſt. 2. Quarta, quòd ſint ad corroborationem fidei noſtræ, nam & herba tranſit in vitrum miniſterio hominis, ſed propter hoc fides non corroboratur. Ita Hoſtien. in ſum. tit. De reliq. & ven. Sanct. lib. 3. num. 3.

8 Quòd ſi quæras, quare bona vita ſine miraculis nõ ſufficiat, nec miracula ſine bona vita. ℞. hoc 2. non ſufficere, quia miracula poſſunt etiam fieri virtute dæmonum, & à malis hominibus, vt dixi. Primũ autem fortè ſufficeret quò ad virtutem, ſed non ſufficit quò ad Eccleſiam: Quia tales in ſecreto potuerunt laxiorem vitã ducere. Innoc. in ca. Audiuimus, de reliq. num. 1. fine.

9 Noto 5. quòd catholica veritas eſt, Eccleſiam non poſſe errare in canonizatione Sanctorum. Ita Bellar. to. 2. controuerſ. 4. lib. 1. cap. 9. Garcia in digreſſ. de canoniz. Sanct. §. 13. Azor. p. 2. lib. 5. cap. 6. qu. 5. D. Tho. quodlib. 9. art. 16. qui in arg. Sed contra, ait, *In Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis, ſed hic error eſſet damnabilis, ſi veneraretur tamquam Sanctus, qui fuit peccator, quia aliqui ſcientes peccata eius, crederent hoc eſſe falſum, &*

Digitized by Google

ſi ita contingeret, poſſent ad errorem perduci. Ergo Eccleſia in talibus errare non poteſt. Illud dicterium, quòd Auguſtino tribuitur, Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna, ait Bellar. numquam in operibus Auguſtini ſe illud potuiſſe repetire. Poteſt nihilominus intelligi de impijs, qui honorantur ſuperbiſſimis ſepulcris, cum tamen eorum animæ torqueantur in gehenna. Vel de corporibus fraude aliqua ſuppoſitis pro corporibus Sanctorum. Vel denique de martyribus Donatiſtarum, qui honorabantur ab hæreticis vt martyres, cum eorum animæ reuera torquerentur in inferno.

CONSTITVTIO XVII.

Mandat celebrari feſtum S. Franciſci de Paula ſub ritu duplici; & in Eccleſijs Ordinis noſtri cum Octaua.

LEO PAPA X.

Inſtitutio feſtiuitatis cum Octaua.

LIcèt per alias noſtras literas Sancti Franciſci de Paula Ordinis fratrum Minimorum Inſtitutoris feſtum ab vniuerſali Eccleſia die 2. Aprilis annuatim celebrandum fore ſtatuerimus; Quia tamen de cætero eiuſdem S. Franciſci de Paula feſtum huiuſmodi etiam cum octaua celebrari voluimus; idcirco vniuerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs quibuſcumque Prælatis eccleſiaſticis, quatenus ipſi, & eorum ſinguli S. Franciſci de Paula feſtum huiuſmodi cum officio proprio, cum illud de Sedis Apoſtolicæ mandato ordinatum fuerit, aliàs cum officio vnius confeſſoris non Pontificis, cum propria oratione, in eius canonizatione à nobis edita die 2. Aprilis huiuſmodi; niſi tunc occurrat maior hebdomada, vel octaua Paſchæ, & tunc 2. feria poſt octauam Paſchæ huiuſmodi, in ſuis ſolemniter, in dictorum verò fratrum Minimorum Eccleſiis ſingulis ſub ritu feſti duplicis, & cum octaua annuatim celebrent, ſeu celebrari faciant, & mandent expreſsè, Apoſtolica auctoritate committimus, & mandamus per præſentes.

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 25. Martij, 1521. Pontif. noſtri anno 9.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd circa celebrationem officij Sancti Franciſci de Paula dixi multa in noſtro Rituali, ante dictum officium.

2 Noto 2. quòd in orationibus dicti Sancti non eſt neceſſe addere, De Paula, vt conſtat ex Breuiario reformato à Clem. VIII. Et fuit nouiſſimè declaratum à ſacra rituum Congr. ſub hac forma. *Cum Religioſi Ordinis S. Franciſci de Paula in litanijs, orationibus verſiculis, cæteriſque actibus inter diuina officia occurrentibus, quotieſcumque nomen ipſius Sancti innocandum ſit, aliqui patriam ipſius, nempe, De Paula, appenant, aliqui verò nequaquam. Vt vniformis in eadem Religione, cultus appareat, ſuppliciter à ſacra rituum Congreg. petierunt, declarari, an prædicta verba, De Paula, debeant in huiuſmodi precibus apponi. Sacra Congregat. reſpondit non debere. 23. Decemb. 1624. Franciſc. Card. à Monte, Io. Bapt. Rinuccinius Secretarius.*

CONSTITVTIO XVIII.

Concedit, quòd, ſi requiſitus Epiſcopus Diæceſanus pro noſtrarum Eccleſiarum conſecratione recuſauerit, eas conſecrari facere poſſimus à quocumque Epiſcopo, & quòd Superiores poſſint Eccleſias, & ornamenta pro eis neceſſaria benedicere, & Eccleſias, & cæmeteria reconciliare.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Generalibus, & Prouincialibus, Vicarijs, nec non Guardianis, fratribus Ordinis Minorum de obſeruantia nuncupatis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

REligionis honeſtas ſuadet, & deuotionis veſtræ promeretur affectus, vt vos Apoſtolici fauoris ſuffragio proſequendo, precibus veſtris, preſertim commodum, & decorem Ordinis veſtri concernentibus, prout poſſumus, fauorabiliter annuamus. Prœmium.

§. 1. *Cum itaque ſicut nobis nuper exponi feciſtis, dudum fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, vobis, vt paramenta, & ornamenta eccleſiaſtica, & corporalia, & alia, in quibus chriſma non interuenit, benedicere poſſitis, gratioſè conceſſerit, & ab illo tempore in poſſeſſione benedicendi paramenta, & corporalia huiuſmodi, ſecundùm limitationem inter vos in Capitulis veſtris factam, fueritis; Ac in diuerſis etiam remotis partibus, & inſulis de nouo ab infidelibus recuperatis, diuerſæ domus Ordinis veſtri conſtructæ exiſtant, & in dies conſtruantur, & Ordinarij locorum non ſemper in ſuis Ciuitatibus, & Diœceſibus reſideant, & interdum in remotis agant, & ſæpius contingat, loca, & cæmeteria earumdem domorum ſanguinis effuſione, ſeu aliàs populi, ac illarum fratres non ſemper Ordinarios locorum pro illis reconciliandis adire poſſint, immo quandoq; illis graue, ſeu diſpendioſum exiſtat, ad illos, quandoque per tres dietas ab eorum domibus diſtantes, accedere: Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt, cum piæ mem. Iul. Papæ II. etiam prædeceſſor noſter dilectis filijs fratribus Ordinis Minimorum indultum Eccleſias, & cæmeteria ſua benedicendi, & reconciliandi conceſſerit, ac interdum aliqui ex ijs, præſertim in remotis agentes, quandoq; per duas dietas diſtantes adiri nequeant, vobis ſuper his opportunè prouidere de benignitate Apoſtol. dignaremur.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur, qui religioſarum perſonarum vota, per quæ eorum diſpendijs obuiatur, ac commodis, & profectibus prouidetur, ſtudio charitatis libenter proſequimur, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore exiſtentibus Generalibus, & Prouincialibus, ac Guardianis, & fratribus veſtri Ordinis, & obſeruantia, vt Eccleſias, Oratoria, & loca quæcumque recepta, & recipienda, nondum conſecratas, ſeu conſecrata, facta prius requiſitio-*

Recuſante Diœceſano Epiſcopo, poſſumus noſtras Eccleſias ab alio quocũque conſecrari facere. Vide cõſtit. 1. Iul. II. §. 1. à nu. 46.

ſitione ab Epiſcopis locorum, eiſq; recuſantibus, vel negligentibus, per quemlibet alium catholicum Epiſcopum, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, conſecrari facere.

Superiores poſſunt ornamenta Eccleſiæ benedicere, & cæmeteria reconciliare. Vide 2. par. noſtri Ritual. notab. 4. 7. 8. 9.

§. 3. *Ac veſtri Ordinis Generalibus, & Prouincialibus, Vicarijs, & Cuſtodibus, ac Guardianis pro tempore exiſtentibus præfatis, vt omnia, & ſingula eiuſdem Ordinis, & obſeruantiæ Eccleſias, cæmeteria, ac Capitula, & Oratoria vbicumq; exiſtentia, receptas, & recepta, & recipiendas, ſeu recipienda, ac paramenta, & ornamenta, ac alia quæcumque ad diuinum cultum, & vſum veſtrum neceſſaria, in quibus chriſma non interuenit, pro veſtro vſu tantum, ſolemni benedictione, ac etiam per Vicarium, ſeu Guardianos, ſeu alios ad hoc à vobis in veſtris Capitulis generalibus prouidè deputandos, benedicere, ac illas, ſeu illa, & eorum quodlibet, ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos, præſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas diſtantem adire non poteritis, benedicta, reconciliare liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.*

Derogat contrarijs.

§. 4. *Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel particularibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Febr. 1514. Pont. ſ. noſtri anno 2.

CONSTITVTIO XIX.

Concedit, quòd poſſint expelli ab Ordine, qui fuerunt maculati in ſeculo grauibus delictis, & moniti in profeſſione, ea tacuerunt.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Vicarijs, generalibus, & Prouincialibus, ac fratribus, vniuerſis familiæ, fratrum Minorum de obſeruantia vbilibet conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *CVm, ſicut nobis exponi feciſtis, vos ab illis, qui Ordinem veſtrum Minorum de obſeruantia ſuſcipere, & ad illum ingredi cupiunt, inquirere, antequam à vobis recipiantur, ſoleatis, videlicèt ſi ſint fideles, & catholici, de nullo errore ſuſpecti, matrimonio non ligati, corpore ſani, animo prompti, debitis expediti, conditione liberi, ætatis ſaltem ſexdecim annorum, nulla infamia vulgari maculati, competenter literati, vel ad labores fratribus honeſtos, & vtiles apti, aut talis conditionis exiſtant, quòd eorum receptio Clero, & populo non modicam ædificationem afferat. Et, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, contingat ſæpius, quòd aliqui in eorum ad huiuſmodi Ordinem ſuſceptione, &, quod maius eſt, profeſſione, doloſè, & fraudulenter reticeant ſeſe crimino ſos, vel ſcandaloſos fore, licèt in rei veritate aliter exiſtant, & eorum receptio, & profeſſionis emiſſio propter grauia, & vulgaria, quibus maculati exiſtunt, delicta, de quibus vos recognitionem, & notitiam tunc habere non poteſtis, graue ſcandalum, & perturbationem Religioni veſtræ huiuſmodi nonnumquam afferat. Quare cum ex taciturnitate delictorum, & grauium exceſſuum huiuſmodi, veſtræ Religionis, & animarum, & conſcientiarum veſtrarum puritatibus, vitæq. veſtræ exemplaris normæ, grauis nonnumquam etiam in Chriſti fidelibus populis murmuratio de perceptione talium virorum facinoroſorum, ſcandaloſorum, de quibus vos, vt præmittitur, tunc nullam notitiam habebatis, ſcandala, & murmurationes, & bonorum operum ſubtractiones ſubſequantur; nobis propterea humiliter ſupplicari feciſtis, vt vobis in præmiſſis, ad obuiandum tot, & tantis ſcandalis, pro Religionis veſtræ, & animarum veſtrarum puritatis conſeruatione prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Diffamati ſcandaloſis delictis à Religione expelli poſſunt.

§. 2. *Nos itaq; veſtram Religionem, quæ, Domino concedente, inter alias vberrimos bonorum operum fructus exhibere conſueuit, in ſua puritate manere, ac tot murmurationibus, & ſcandalis obuiare volentes, vobis, quòd omnes, & ſingulos ad veſtram Religionem confugientes, etiam profeſſos, qui grauiſſimis, & ſcandaloſis delictis notati, & diffamati fuerunt, quæ fraudulenter, & doloſè in earum receptione, ſeu profeſſionis emiſſione (monitione ſuper his per vos præmiſſa) tacuerunt, non obſtante, quòd iam per vos recepti, & profeſſiones per eos emiſſæ fuerunt, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, aliiſq; cedat in exemplum, à domibus, & Conuentibus veſtris, prout conſcientiæ veſtræ, quam ſuper hoc oneramus, viſum fuerit, & iuſtum, & honeſtum fore decreueritis, expellere, & remouere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, pariterq; indulgemus.*

Derogat contrarijs.

§. 3. *Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & Ordinis veſtri huiuſmodi iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumq; Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 15. Martij, 1516. Pontif. noſtri anno 4.*

§. II.

1 NOto 1. circa illam clauſulam, *Prout conſcientiæ veſtræ*, &c. quòd per iſtam clauſulam non tollitur facultas Superioribus cauſam ſubdelegandi alteri, quia non relinquit deciſionem cauſæ conſcientiæ Superiorum, quo caſu ſubdelegare non poſſent, ſed illa clauſula eſt appoſita ſuper toto negotio; vnde ſatis eſt, quòd in eligendo Vicarium ad illam cauſam, non faciat contra conſcientiam propriam. Ita Panor. in c. Cum in veteri, de elect. n. 4. & in c. Quoniam, §. Is autem, de off. deleg. n. 7.

2 Noto 2. quòd vbicumq; ſuper aliquo actu oneratur per Superiorem conſcientia Commiſſarij, non poteſt de iuſtitia, vel iniuſtitia referri ei quæſtio, & ſi appellaretur, non teneretur Commiſſarius appellationi deferre, ex quo enim conſcientiæ ſuæ relictum eſt appellatio nec cauſam ad Superiorem deuoluit, nec Commiſſa-

miſſarij poteſtatem ſuſpendit. Superior tamen, ad quem eſt appellatum, emendare tenebitur, quod malè factum eſt. Quo pacto poteſt impugnari proceſſus iniuſtus factus ab illo, cuius conſcientiæ negotium commiſſum eſt. Ita Panor. in Clem. Vt conſtitutio, de iure patron. num. 4. Et nota hic, quòd ſi dicti delictis diffamati ſua crimina non tacerent in profeſſione, ſed ea manifeſtarent, vel fratribus eſſent nota, non poſſent per iſtam conſt. à Religione expelli; quia Papa hanc facultatem concedit ſolùm pro his, qui interrogati tacuerunt, vt conſtat ex iſto §.

§. III.

3 NOta circa illam clauſ. *non obſtantibus quibuſcumq. conſuetudinibus*, quòd per illud ſignum vniuerſale *quibuſcumq;* putant aliqui, derogari non ſolùm conſuetudini viginti, aut triginta, aut centum annorum, ſed etiam immemorabili; nam ſignum vniuerſale valet ac ſi ſingulas expreſſiſſet. Ita Henriq. lib. 7. de indulg. c. 27. n. 5. Sed per hanc eamdem clauſulam poſitam in Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 20. declarauit ſacra Congr. anno 1575. & 1580. non derogari immemorabili conſuetudini, refert Henriq. loc. cit. & Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſa 33. n. 5. Quare neq; etiam per ſimilem clauſulam poſitam in conſtitutionibus Pontificum, immemorabili conſuetudini derogatur, niſi de ea expreſſa fiat mentio. Pro iſta conſt. videnda ſunt, quæ dixi tom. 1. Relig. c. 25. §. 3. verſu Aduertendum tamen.

CONSTITVTIO XX.

Concedit, quòd dicendo vnam miſſam, ſatisfaciant Regulares omnibus eleemoſynis acceptis pro pluribus celebrandis, ſi hæ ſummam vnius Iulij papalis non excedant.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Vicarijs generalibus, & vniuerſis fratribus Ordinis Minorum de familia, ſeu obſeruantia, nunc, & pro tempore vbicumque degentibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *CVm, ſicut accipimus, propter deuotionem, quam vtriuſq; ſexus Chriſti fideles ad Ordinem fratrum Minorum de obſeruantia gerunt, contingat ſæpius, vt fideles ipſi plures miſſas per eoſdem fratres celebrandas, elargita eis aliqua eleemoſyna, committant, & in aliquibus regionibus in eleemoſynam celebrationis vnius miſſæ certa pecuniæ quantitas valde parua, & tenuis dari conſueuerit, adeo quòd vos, ob eleemoſynam, quæ ſingulariter à pluribus elargitur, tot miſſas, quot ſunt largientes, pro ſingulis celebrare non valeatis; vnde dubitatis ſuper his conſcientias veſtras prægrauari. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum vt vobis, & pro tempore exiſtentibus fratribus Ordinis, & obſeruantiæ prædictorum, & conſcientiarum veſtrarum puritati, paterna cura, de benignitate Apoſt. prouidere dignaremur.*

§. 2. *Nos itaq; qui Ordinem veſtrum propter vberes, & ſalutiferos fructus, quos Ordo ipſe in agro Domini in dies producere non ceſſat, in viſceribus charitatis gerimus; veſtriſq; in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ac pro tempore exiſtentibus fratribus Ordinis, & obſeruantiæ prædictorum, quòd celebrando vnam miſſam dumtaxat (ſi eleemoſyna æquiualens vnius Iulij non elargitur) etiamſi duas tres, aut quatuor, vel plures miſſas celebraturi occaſione diuerſarum, vel plurium eleemoſynarum huiuſmodi eſſetis, & in dicta celebranda miſſa, pro omnibus, qui pro dictis miſſis in eleemoſynam vſque ad ſummam huiuſmodi contribuerint, vel contribuent in futurum, commemorationem in genere faciendo in hoc conſcientiarum veſtrarum puritati ſatisfactum ſit, auctor. Apoſt. decernimus, pariter & indulgemus.* Concedit prout in ſummario.

§. 3. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. ac quibuſuis literis Apoſt. per quoſcũq; Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros prædicto Ordini ſub quibuſuis verborum formis, & expreſſionibus, aut clauſulis, quantumcumq; fortiſſimis, & inſolitis conceſſis, & concedendis, quibus, tenores illarũ, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, in quantum præmiſſis contrariare viderentur, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;* Derogat contrarijs.

§. 4. *Cæterùm quia difficile foret præſentes ad ſingula loca, in quibus opus eſſet, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd illarum tranſumptis, manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Vicarij prouincialis Ordinis huiuſmodi communitis, tanta fides adhibeatur, quanta adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ in medium. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 23. Martij, 1517. Pontif. noſtri anno 5.* Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. II.

1 NOta, quòd Caſar. in comp. priuil. verb. Miſſa 3. §. 14. putat, quòd iſta conſtitut. ſit ſubreptitia, & quod non debent ea vti fratres, & quod nullius eſt valoris. Rodriquez tamen tom. 1. q. reg. q. 43. art. 17. concl. 3. valere probat. Nam, inquit, Papa poteſt rationabili de cauſa concedere, vt pro vna miſſa recipiantur plura ſtipendia, etiam ſufficientia, ergo multò magis poteſt concedere, vt poſſint ſumi plura non ſufficientia. Antecedens eſt Arag. 2. 2. q. 85. art. 3. verſu Dico 2. pag. 659. Cord. q. theol. q. 4. dub. 3. Et probatur, ſicut enim poteſt ex cauſa rationabili relaxare obligationem iuramentorum, votorum, pactorum, & promiſſorum inter homines initorum, licèt iure diuino, & naturali Deo, & hominibus ad hæc teneamur, c. 1. de decim. in 6. ita etiã poteſt hoc caſu abſoluere ab obligatione, & promiſſione celebrandi plures miſſas, & pro illis concedere, vt vna tantùm, vel pro miſſis collectæ celebrentur. Cauſa autem rationabilis, quæ ſemper ſupponitur, niſi contrarium conſtet, poteſt eſſe paupertas aliquorum Religioſorum, ex quorum recollectione in Conuentibus magna vtilitas, & bonorum exemplorum, & literarum Eccleſiæ Dei prouenıat. Immo poteſt dici, quòd etiam ſine priuilegio id poſſit fieri, quando ſtipendium Miſſæ eſt taxatum, vel ſpeciali ſtatuto, vel conſuetudine, modò recipiens ſpecialiter, & expreſſè non promiſiſſet pro illo paruo ſtipendio miſſam celebrare: nam tunc teneretur ratione promiſſi.

CON-

CONSTITVTIO XXI.

Concedit, quòd vtriuſq; ſexus fideles ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ, audiendo miſſam in Eccleſijs fratrum Mendicantium.

LEO PAPA X.

Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, ſalut. & Apoſt. benedict.

Declarat prout in ſummario. §. 1. *INtelleximus, quoſdam in dubium reuocare, & proinde timoratis conſcientijs ſcrupulū inijcere, ſi Chriſti fideles qui Dominicis, & feſtis dieb. extra Eccleſias ſuas parochiales miſſas audiunt in Eccleſiis fratrum Ordinis Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de Miſſa audiunda ſatisfaciant. Nos enim ambiguitatem huiuſmodi penitus tollere volentes, vt cum ſinceriori conſcientia fideles quiq; Deo creatori ſuo ſeruiant, auctoritate Apoſt. tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſti fideles vtriuſq; ſexus, qui (non contempto proprio ſacerdote parochiali) in Eccleſiis fratrum Ordinis Mendicantium, Dominicis, & feſtis diebus miſſas audiunt, ſatiſfacere præcepto Eccleſiæ de miſſa audienda, nec aliquam labem mortalis peccati, pœnamue propterea incurrere. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.*

Transumptis fidem adhiberi iubet. §. 2. *Et quia difficile foret præſentes literas noſtras originaliter ad loca omnia, vbi opus fuerit, deferri, volumus, & decernimus, vt earum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea fides, vbi opus fuerit, detur, quæ originalibus ipſis daretur, ſi exhibita forent, vel oſtenſa. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die* 13. *Nouembris* 1517. *Pontificatus noſtri anno* 5.

§. I.

1 NOto 1. quòd ſimilem declarationem fecit Pius V. in ſua conſt. 7. §. 10. infra, quibus non eſt derogatum per Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. quatenus ait. *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Nam prætérquam quòd Concilium non loquitur de miſſa, ſed de concione; verbum illud *moneat* videtur correſpondere ſimili monitioni, quæ fieri præcipitur ſeſſ. 22. decr. de obſeru. & euit. in celebrat. miſſ. vbi dicitur *Moneant Epiſcopi populum, vt frequenter, ſaltem Dominicis diebus, & maioribus feſtis ad ſuas Parochias accedant*, vbi non includitur præceptum aliquod; quod etiam annuitur dicta ſeſſ. 24. quando dicitur *vbi commode id fieri poteſt*. verbum autem illud *teneri*, hoc loco poteſt optimè explicari de honeſtate non de neceſſitate, ſicut explicatur aliquando verbum, Debeat, quod habet eandem ſignificationem, vt Panor. in c. 1. de dol. & cont. num. 7. Adde, fuiſſe declaratum à ſacra Congreg. Concilij, quòd non poteſt Epiſcopus vigore Concilij Trid. mulctis, & pœnis, etiam in caſu notabilis negligentiæ, & contumaciæ, cogere populum ad audiendam miſſam, & ſacram concionem in Eccleſia parochiali, nec pueros ad diſcendam doctrinam chriſtianam, etiamſi hoc fieri voluerit in Oppidis, Villis, aut alijs locis extra Ciuitatem. Refert ex parte Zer. 1. p. prax. ver. Prædicatio, n. 4. Adde deniq; conſuetudine generali introductum eſſe, vt Chriſti fideles cenſeantur ſatisfacere Eccleſiæ præcepto audiendi diebus feſtiuis miſſam, quocumq; loco audiant; quam conſuetudinem Epiſcopus tollere non poteſt, cum vim legis generalis habeat vnde excommunicatio, quam ferret contra eam, eſſet nulla. Nau. in ſum. cap. 21. num. 5. Rodriq. to. 1. quæſt. regul. q. 43. art. 7. Reginald. in praxi, lib. 19. nu. 22. Gutier. lib. 1. canon. qu. c. 30. num. 22.

2 Noto 2. circa illa verba *non contempto proprio ſacerdote*, quòd tunc ſolum cenſetur contemptus proprius ſacerdos, quando expreſsè, & formaliter contemnitur, & planè deſeritur Parochia, ſcilicèt quando quis non vult audire miſſam in ſua Parochia, quia ſua Parochia eſt, nec vult eam audire à proprio Parocho, quia præcisè Parochus eſt alioquin auditurus. Cæterum etiamſi numquam audiat miſſam in propria Parochia, non peccat, quacumque occaſione, etiam leuiſſima, id faciat; immo etiamſi nulla; ſed ſolùm quia ſic videt eſſe in conſuetudine: In foro tamen exteriori quandoq; poterit cenſeri proprij Parochi contemptor, qui ſine cauſa debita, aut longitudinis, aut difficultatis, aut maioris aliarum Eccleſiarum commoditatis, frequenter, aut ſemper Parochiam deſerit Ita Azor 1. p. lib. 7. c. 6. q. 4. verſu Deinde quæres; Gutierr. loc. cit. n. 8. & 15.

CONSTITVTIO XXII.

Declarat, quòd ſorores tertij Ordinis vouentes etiam ſimplicem continentiam, gaudeant priuilegijs, etiamſi in proprijs domibus habitent.

LEO PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. *NVper in ſacro Lateranenſ. Concilio, in reformatione priuilegiorum Religioſis conceſſorum, inter alia ſtatuimus, quòd fratres, & ſorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizocharæ, Cordellati, & quocumq; nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes, ſepulturam, vbi voluerint, eligere valeant; ſed die Paſchatis tantùm Euchariſtiam, ac extremam vnctionem, cæteraq; eccleſiaſtica ſacramenta (pœnitentiæ ſacramento dumtaxat excepto) à proprio ſacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur. Et, ne cenſura vileſcat eccleſiaſtica, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur, ijdem dicti tertij Ordinis ad diuina audienda nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel ipſam cauſam nutriant, aut foueant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel fauorem quoquo modo præſtiterint. Collegialiter verò viuentes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs, quibus fratres Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum geſtant gaudere debeant, prout in conſtitutione dicti Lateranen. Concilij, eodem approbante Concilio, deſuper edita plenius continetur.*

Memorat conſt. ſuam 26. §. 21. Vide ſup. in conſtit. 4. Sixti IV. §. 7. à n. 31.

Vide Clem. Cum ex eo, de ſent. exc.

§. 2.

Digitized by Google

Declarat pro ut in ſummario. *§. 2. Cum autem, ſicut accepimus à quibuſdam nimium curioſis vertatur in dubium, an votum prædictum de voto ſolemni Religionis intelligatur, cum illud tria ſubſtantialia comprehendat, obedientiam ſcilicèt, paupertatem, & caſtitatem, & circa dictas mulieres virginalem, ſeu caſtam, & vidualem vitam ducentes, de virginitate, & caſtitate tantummodò mentio fiat. Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie decernimus, & declaramus, quòd in præmiſſis de voto ſolemni Religionis minimè intelligi debeat, ita vt mulieres virginalem, aut cælibem vitam ſimpliciter vouentes, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut proprijs domibus, vel ſeorſum habitantes, priuilegijs, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.*

Derogat contrarijs. *§. 3. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dicta conſtitutione noſtra voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumq; Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 1. Martij, 1518. Pontif. noſtri anno 6.*

CONSTITVTIO XXIII.

Prohibet ſub pæna excommunicationis ipſo facto, ne Religioſi poſſint conueniri coram iudice, qui de Ordine ſuo non ſit, & quòd non poſſint appellare à correctione ſuorum Prælatorum.

LEO PAPA X.

Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, ſalut. & Apoſt. benedictionem.

Proœmiũ. *Romani Pontificis, in quo, diuina diſpoſitione, poteſtatis plenitudo conſiſtit, prouidentia circumſpecta ſtatum perſonarum quarumlibet, præſertim ſub Religionis iugo degentium, diligenter intendens, ad ea partes ſua ſollicitudinis interponit, per quæ earumdem perſonarum paci, quieti, & tranquillitati valeat prouideri, & ad ea, quæ propterea prouidè ſtatuta, & ordinata dicuntur fuiſſe, vt firma perpetuò, & illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis adijcit firmitatem, aliaſque deſuper ordinat, & diſponit, prout, perſonarum, & temporum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.*

Supplicatio. *§. 1. Sanè per dilectum filium noſtrum Thomam tit. S. Sixti Presbyterum Cardinalem, ac Magiſtrum generalem totius Ordinis Prædicatorum nobis expoſito, quòd licèt olim Bonif. IX. in ſua obedientia nuncupatus, ſtatuerit, & ordinauerit, quòd nullus ex fratribus Ordinis Prædicatorum, aut ſororibus ſub obedientia eorumdem fratrum degentibus, aliquem, ſeu aliquam ex fratribus dicti Ordinis, vel ſororibus ſub dicta obedientia coram aliquo indice, qui de dicto Ordine non eſſet, ex quacumque cauſa conuenire, ſeu conueniri facere, nec à correctione quacumque ſeu aliàs ab aliquo Prælato, ſeu fratre dicti Ordinis, quauis occaſione, vel cauſa appellare, aut contra eos querelam proponere poſſet, aut deberet, niſi prius cauſam prouinciali, ſeu conuentuali Priori, & Magiſtro, & ſucceſſiuè in Capitulo generali dicti Ordinis cauſam, vel querelam ſuam verbo, vel in ſcriptis propoſuerit, prout in literis deſuper confectis pleniùs contineri dicitur. Nihilominus nonnulli fratres, & ſorores Ordinis, & obedientiæ huiuſmodi coram priuilegiorum ſuarum Prouinciarum, Congregationum, perſonarum, vel totius Ordinis Conſeruatoribus, vel Cameræ Apoſtolicæ Ciuitatis noſtræ Auenion. vel alijs eccleſiaſticis, aut ſecularibus iudicibus, ſeu Curijs conuenire; Nonnulli etiam à correctione, vel abſolutione ſuorum officiorum appellare non formidant, vnde Ordo prædictus laboribus, & impenſis plurimis grauatur, obedientia, & vita regularis eneruatur, pluraque alia inconuenientia ſequuntur.*

§. 2. Nos, qui ad Ordinem prædictum illiuſque perſonas ſingularem gerimus deuotionis affectum, eiuſque ſtatum tranquillum plurimùm deſideramus, literarum prædictarum tenorem præſentibus pro ſufficienter expreſſo, & inſerto habentes, ſtatutum, & ordinationem huiuſmodi, prout concernunt omnia, & ſingula in dictis literis contenta, auctor. Apoſtol. motu proprio, & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obſeruari decernimus; ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem: Ac pro potiori cautela omnia, & ſingula etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, auctoritate præfata, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus. Fratres non poſſunt appellare à Superiorum ſententia, nec alios conuenire, &c.

§. 3. Inhibentes ſub eadem pœna quibuſuis iudicibus eccleſiaſticis, & ſecularibus, etiam Conſeruatoribus priuilegiorum dicti Ordinis, aut quarumcumque perſonarum, Congregationum, aut domorum, & Monaſteriorum huiuſmodi, & Cameræ Apoſt. Auenionen. ne querelas huiuſmodi fratrum, & ſororum contra alios fratres dicti Ordinis ſuſcipiant, vel de eis cognoſcant. Iudices eccleſiaſtici nõ poſſunt recipere querelas fratrum.

§. 4. Et cauſas coram eis pendentes ad ordinarios iudices dicti Ordinis remittant, ac quoſcumque proceſſus inter fratres, & ſorores præfatos coram alijs, quàm iudicibus ordinarijs dicti Ordinis habendos, & ſententias faciendas, nullas, & inualidas, nulliuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, ſicq; per quoſcumque iudices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, in qualibet inſtantia pronunciari, & definiri debere, ſublata eis, & cuilibet eorum aliter interpretandi, & iudicandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Annullat cauſas, & proceſſus.

§. 5. Et nihilominus vniuerſis, & ſingulis venerab. fratribus noſtris Archiepiſcopis, Abbatibus, & alijs perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, necnon metropolitanarum, & aliarum cathedralium Eccleſiarum Canonicis committimus, & mandamus, quatenus ipſi, aut eorum quilibet, dum, & quoties pro parte ſingulorum Prouincialium, & Priorum, ac aliorum Superiorum dicti Ordinis fuerint requiſiti, literas noſtras, Commiſſarios deputat.

ac om-

Digitized by Google

ac omnia, & ſingula præmiſſa, quibuſuis iudicibus eccleſiaſticis, & ſecularibus, etiam Conſeruatoribus priuilegiorum dicti Ordinis, aut cuiuſcumque eius Prouinciæ, vel Congregationis inuiolabiliter obſeruari faciant; contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, & alia iuris remedia compeſcendo, inuocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs. ca. Statutū, de reſcrip. cap. Nonnull. de reſcri.

§. 6. *Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus inter alia cauetur expreſsè, ne quis extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine Diœceſis, ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices à Sede præfata deputati, extra Ciuitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumq; procedere, aut alij, vel alijs vices ſuas committere, præſumant: Et de duabus dietis in Concilio generali editis, necnon de perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, & alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis prædicto, & quibuſuis alijs Ordinibus, Prouincijs, Congregationibus, & perſonis, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus, tenores illorum, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè, motu proprio, & ſcientia præmiſſis derogamus, ac nulli in præiudicium præmiſſorum ſuffragari volumus; aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenã, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 7. *Et quia difficile foret præſentes literas originaliter ad omnia loca, in quibus opus eſſent, deferri; volumus, & prædicta auctoritate decernimus, quòd earum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius in dignitate eccleſiaſtica conſtituti munitis, ea fides indubia, in iudicio, & extra, vbicumque opus fuerit, adhibeatur, quæ originalibus ipſis, adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 29. Aprilis, 1518. Pontif. noſtri anno 6.*

§. I.

1 NOto 1. quòd conſtitutio Bonifacij IX de qua hic, refertur à Conſ. in Bonif. IX. conſtitut. 1. quæ incipit, Sacræ Religionis. Et circa id, quod prohibetur, ne fratres poſſint recurrere ad tribunalia, quibus non ſubduntur, etiamſi Eccleſiaſtica ſint, vide quæ dixi tom. 1. Relig. qu. 1. cap. 20. concl. 3.

2 Noto 2. circa id, quod dicitur, quòd fratres non poſſint appellare à correctionibus ſuorum Prælatorum, id intelligi, quando ſecundùm Regulam corriguntur, iuxta ea, quæ dixi tom. 1. Relig. cit. concluſ. 2.

3 Noto 3. quòd non poſſunt fratres appellare ſeu quoquo modo Superiores, aut alios confratres trahere ad tribunalia ſecularia, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Pontifici reſeruatæ, & pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, per conſt. Greg. XIII. quæ incipit, Ex paſtoralis officij, quam habes infra, in eius conſtit. 2. §. 3. vide quæ ibi noto.

§. IV.

4 NOto 1. circa illam clauſulam *Sic per quaſcumque ſublata eis aliter iudicandi, &c.* quòd conſtitutio data cum iſta clauſula, facit, quòd iudices aliter iudicare non poſſint. Tuſch. ver. Clauſula, concl. 344. num. 7. quòd ſi contrarium fiat, proceſſus eſt ipſo iure nullus; Tuſch. ibid. concl. 345.

5 Noto 2. circa illam clauſulam *Irritum, ac inane, &c.* quòd iſta clauſula ex natura ſua, etiamſi non ponerentur ibi iſta duo aduerbia Scienter, vel Ignoranter, etiam ignorantes ligat; Ant. Gabr. lib. 6. concluſ. tit. De clauſ. cap. 3. n. 1. & habetur c. 1. verſu Adijciebatur, de conceſſ. præb. in 6. vnde ſolùm ponuntur ad omnem dubitationem tollendam; idem Gabriel n. 2. & hoc procedit, ſiue conſtitutio ſit facta motu proprio, ſiue non, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, ſiue cauſa cognita, ſiue cauſa non cognita. Idem Gab. num. 7. Qui tamen n. 8. eam limitat quò ad pœnas; quia tunc ignorantes non ligat. c. Si beneficia, de præb. & dig. in 6. Tollit etiam iſta clauſula vires ſententiæ & eius executionem impedit; Gab. n. 51. & quidquid fit contra iſtam clauſulam, eſt ipſo iure nullum. Gab. n. 57. vnde ſi Papa in confirmatione ſtatutorum hanc clauſulam apponat, ſtatuentes non poſſunt dicta ſtatuta ſic confirmata reuocare, nec interpretari, aut declarare. Gab. num. 58. 59. Aduerte etiam, quòd priuilegio habenti iſtam clauſulam non poteſt renunciari, etiam de conſenſu partium. Mandoſ. in tract. de monit. nu. 46. ver. Exemptus à iuriſd.

CONSTITVTIO XXIV.

Concedit facultatem alienandi de conſenſu duarum partium Conuentus in euidentem vtilitatem.

LEO PAPA X.

Dilectis filijs Generali, ac vniuerſis prouincialibus Miniſtris Ordinis Minorum regularis obſeruantię, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ſal. & Apoſt. bened.

Facultas alienandi cum conſenſu maioris partis Conuentus.

§. 1. C*Vm ſæpe numero accidat, quòd pro vrgenti neceſſitate, aut aliqua euidenti vtilitate, bona immobilia Conuentuum, locorum, ac Monaſteriorum monialium Prouinciarum veſtrarum reſpectiuè commiſſarum, alienare, vel permutare expedit, & ea ſe offert opportunitas, quæ ſemel prætermiſſa magnam affert iacturam. Nos hoc paterno affectu conſiderantes, indemnitati, & vtilitati Monaſteriorum, Conuentuum, & locorum huiuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, opportunè conſulere cupientes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, vt pro emergentibus neceſſitatibus, & euidentibus vtilitatibus Conuentuum, & locorum veſtri Ordinis, & Monaſteriorum monialium Ordinis S. Claræ, necnon tertij Ordinis B. Franciſci de pœnitentia nuncupati, in dictis Prouincijs conſiſtentium, vendere, alienare, ac permutare quælibet bona immobilia de conſenſu duarum partium Conuentuum, domorum, & Monaſteriorum, quorum dicta bona fuerint, & de conſenſu maioris partis eorumdem etiam*

vltra

vltra triennium locare (vltimis teſtatorum voluntatibus non obſtantibus) dummodo id in Conuentuum, locorum, & Monaſteriorum ipſorum euidentem vtilitatem, habita diligenti informatione à duobus, aut tribus bonis viris locorum, in quibus bona conſiſtent, cedere dignoſcatur, ſuper quo prudentiam veſtram, & bonorum virorum huiuſmodi requirimus, & conſcientiam oneramus, licentiam, & facultatem harum ſerie vobis concedimus. Inſuper & locationes in præiudicium domorum, & Monaſteriorum ipſorum factas retractare. Permutationes, & venditiones, quæ per ignorantiam conſtit. fel. rec. Pauli Papæ II. prædeceſſoris noſtri, in euidentem tamen vtilitatem, & neceſſitatem, factæ fuerint (dum id conſtet coram Vicario Epiſcopi loci) confirmare, & approbare poſſitis, & valeatis, præſentium tenore eadem auctoritate indulgemus.

Derogat contrarijs.

§. 2. *Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim dicti Pauli noſtri prædeceſſoris, alijſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 3. *Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Curiæ epiſcopalis munitis, eadem prorſus fides tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi illæ eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 27. Nouembr. 1519. Pontif. noſtri anno 8.*

§. I.

1 NOta circa illam clauſulam *ſuper quo prudentiam veſtram requirimus*, quòd non poſſunt fieri alienationes pro libito, ſed debent Superiores, ad quos pertinet licentiam concedere, ſequi in hoc regulam prudentiæ, non ſolùm ſecundùm iudicium proprium, ſed etiam ſecundùm iudicium prudentum, & bonorum virorum, alioquin ſi paſſione, vel intereſſe ducantur, non euitabunt pœnas poſitas contra alienantes: Nam priuilegium conditionatum, conditione non ſeruata non valet, præſertim quando conditio cadit ſuper ſubſtantiam facti. Vide quæ dico ſupra, in conſtit. 9. Iulij II. §. 1. à num. 1. & ſcias hoc priuilegium cum multis alijs eſſe derogatum per decretum Congregation. ſub Vrban. VIII. infra, in eius conſtitut. 8.

CONSTITVTIO XXV.

Declarat, quòd indulgentijs S. Mariæ de Populo poſſint gaudere fratres Mendicantes, ac moniales, & tertiarij, ac eorum familiares, non autem ſeculares.

LEO PAPA X.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſal. & Apoſtolicam benedictionem.

Omnia priuilegia ab alijs Pontificibus diuerſis Religionibus

§. 1. D*Vdum per nos accepto, quòd Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, aliqui ad Minorum, alij verò ad Eremitarum S. Auguſtini, alij ad B. Mariæ de monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordinum fratres, & domos, iuxta ipſorum vota deuotionis affectum gerentes, illorum ſingulis nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, ac dona, tam ſpiritualia, quàm corporalia per diuerſas ipſorum literas reſpectiuè conceſſerunt. Nos ad ſingulos Ordines prædictos, ſingulaſq; ipſorum Ordinum domos, vbi religioſè viuitur, indifferenter, abſque acceptione perſonarum, deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes, & ſingulas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, tam ſpiritualia, quàm temporalia, qualiacumque illa eſſent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum fratrum in domibus, & illorum Eccleſiis, Oratorijs, ac Eccleſias ipſas, & Oratoria pro tempore viſitantibus, cuiuſcumque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & Præſidentibus, non ſolùm Generalibus, ſed & Prouincialibus, fratribuſque & ſororibus, necnon monialibus, & conuerſis, oblatis, ac vtriuſque ſexus perſonis de pœnitentia, ſeu tertij habitus nuncupatis, à dictis prædeceſſoribus, aut à nobis, ipſiſque ſucceſſoribus, aut aliàs auctoritatem habentibus, coniunctim, vel diuiſim, in genere, vel in ſpecie conceſſa fuerunt, aut in poſterum concedentur, illa, & omnia ſingula, ac ſi nominatim exprimerentur, pro ſufficienter expreſſis tunc habentes, ſingulis Ordinibus prædictis, illorumq; ſingulis Eccleſiis, Oratorijs, & Eccleſias, ac Oratoria viſitantibus, cuiuſcumque ſtatus, aut ſexus exiſterent, ſeu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon domibus, & conuentualibus fratribus, & etiam ſororibus, vel monialibus, conuerſis quoque, & oblatis, ac vtriuſq; ſexus perſonis de pœnitentia nuncupatis, & alijs ſingulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera noſtra ſcientia, & liberalitate, de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine communicauimus: Illaq; omnia, & ſingula inter dictorum Ordinum perſonas pariformiter communia eſſe, fuiſſe, & eſſe volumus, prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.*

conceſſa hic Pontifex omnibus in communi communicauit.

Indulgentiæ communes inter fratres non communicantur ſecularibus.

§. 2. *Et deinde, ſicut accepimus, nonnulli fratres dictorum Ordinum volentes ſapere pluſquam oportet, atque ad ipſorum nutum verba ipſa interpretantes, diuerſis, tam ſecularibus, quàm etiam alijs perſonis publicè, & priuatè ſuggeſſerunt, quod ipſi ſeculares viſitando vnam dictorum Ordinum domum, omnes, & ſingulas indulgentias, & remiſſiones peccatorum, tam per dictos prædeceſſores noſtros, quàm per nos domui B. Mariæ de Populo de Vrbe conceſſas, conſequi poterant perinde, ac ſi dictam domum S. Mariæ de Populo viſitarent; quod præter ipſorum prædeceſſorum, & noſtram mentem fuiſſe, & eſſe dignoſcitur. Attendentes igitur, quòd indulgentia intuitu Religionis conceſſa, ad ſeculares extendi non debet, volentes mentem dictorum prædeceſſorum, & noſtram declarare, & omnem ambiguitatem, & occaſionem tollere; motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, volumus, & auctoritate Apoſtolica declaramus, quòd vniuerſi, & ſinguli dictorum Ordinum fratres, & moniales tertij Ordinis vtriuſque ſexus, & familiares dumtaxat, omnibus, & ſingulis indul-*

Digitized by Google

dulgentijs, & gratijs per eoſdem prædeceſſores, & nos domui B. Mariæ de Vrbe, vt præfertur, conceſſis, & concedendis vtantur, potiantur, & gaudeant, ac vti, potiri, & gaudere poſſint quomodolibet in futurum perinde, ac ſi ipſi dictam domum B. Mariæ de Populo his diebus, & feſtiuitatibus, quibus indulgentiæ huiuſmodi conceſſæ fore dignoſcuntur, perſonaliter viſitarent; quòdque vigore prædictarũ literarum ſeculares gratijs, & indulgentijs huiuſmodi vti, & gaudere non poſſint.

Non poſſunt fratres publicare indulgentias de Populo eſſ. ſecularibus communes cum ipſis.

§. 3. Inhibentes nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo per contrafacientes incurrenda, omnibus, & ſingulis fratribus cuiuſcumque Ordinis exiſtentibus, & quibuslibet alijs perſonis, ne deinceps indulgentias, & gratias huiuſmodi S. Mariæ de Populo de Vrbe ad ſeculares extendi prædicent, aut publicè, vel priuatì publicent.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, aut quibuſuis alijs literis Apoſtolicis, priuilegijs quoque, & indultis dictis Ordinibus conceſſis, quæ quoad præmiſſa reuocamus, caſſamus, & annullamus, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Volumus autem, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd præſentium tranſumptis, manu Notarij publici ſignatis, & alicuius Prælati, aut perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo munitis, ea fides prorſus in iudicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes literæ eſſent, exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 20. Decembr. 1519. Pontif. noſtri anno 7.

§. II.

1 NOta, quòd per iſtam conſt. non derogatur indulgentijs, expreſſe; & ſpecialiter ab eodem Pontifice conceſſis, viſitantibus Eccleſiam noſtram SS. Trinitat. de Vrbe, & conſequenter alias omnes Ordinis; nam Papa clarè mentem ſuam explicat, dum dicit, quòd vigore ſuarum literarum, quibus æqua lance indulgentias, & priuilegia inter Mendicantes communicauerat, numquam intellexit concedere, vt ſeculares viſitantes vnam ex Eccleſiis Mendicantium, gauderent, & fruerentur indulgentijs, ac ſi perſonaliter Eccleſiam S. Mariæ de Populo viſitaſſent. Quare alij Mendicantes vigore prædictarum literarum Leonis non habent in ſuis Eccleſijs dictas indulgentias S. Mariæ de Populo, ſicut nos habemus à media quadrageſima ſingulis diebus vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè. Quod eſt magnopere aduertendum, propter aliquos, qui ſolam illam primam conſtitutionem communicationis inſpicientes, dicunt eaſdem ſe habere in ſuis Eccleſijs, quas nos Minimi in noſtris. Quod etiam dixi ſupra, in conſtitut. 2. huius Pontif. §. 1. num. 2.

CONSTITVTIO XXVI.

Eſt moderatio priuilegiorum Mendicantium facta in Concilio Lateranenſi.

LEO EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio.

Dignitas epiſcopalis eſt cæteris eminentior. & Mendicantium opera fructuoſa nimis ſunt.

§. 1. DVm intra mentis arcana reuoluimus, & diligenti conſideratione penſamus operoſæ ſollicitudinis ſtudia, continuoſq; labores pro diuini nominis gloria, exaltatione catholicæ fidei, Eccleſiæ vnitate ſeruanda, & inſtitutione, ac ſalute fideliũ animarũ, per Epiſcopos, eorumque Superiores, in diuerſis orbis partibus ad regimen ſuarum Eccleſiarum à Sede Apoſtolica conſtitutos; necnon per fratres diuerſorum Ordinum, præſertim Mendicãtium indefeſſè, & indeſinenter impenſos, tanta ex eorum in vinea Domini fructuoſis operibus, & opportunè, ac laudabiliter geſtis cordi noſtro prouenit ſatisfactio, vt ijs, quæ ad pacem, & quietem inter eos conſeruandam conducere cognoſcimus, omni ſtudio intendamus. Nouimus enim Epiſcopos ipſos in partem ſollicitudinis noſtræ aſſumptos fuiſſe, quorum honor, & ſublimitas, teſtante Ambroſio, nullis poteſt comparationibus adæquari; Religioſos etiam in agro dominico pro chriſtianæ Religionis defenſione, & ampliatione complura feciſſe, ac vberes fructus protuliſſe, & in dies ſingulos proferre, ita vt eorumdem Epiſcoporum, ac Religioſorum bonis operibus orthodoxam fidem incrementa ſumpſiſſe, & per orbem terrarum vndique dilatatam fuiſſe, fidelium nullus ignoret. Et ſicut ipſi ſæpenumerò vigilantiſſima, & ſolerti cura ſchiſmata in Dei Eccleſia extinguere, & Eccleſiæ vnitatem reddere, &, vt idem Eccleſiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores ſubire non dubitarunt; ita quoque par eſt, eos inter ſe noſtris prouiſionibus, pacis vinculo, ac fraterna charitate, & vnitate coniungi; vt eorum concordi doctrina, & mutuis operibus vberiores in Eccleſia Dei fructus proueniant.

Moderat priuilegia Mendicantium pro concordia inter ipſos, & Epiſcopos.

§. 2. Sanè cupientes, vt iura ſpiritualia, quæ ad Dei laudem, & Chriſti fidelium animarum ſalutem pertinent, & quorum exercitium præfatis Epiſcopis, & eorum Superioribus in ſuis Diœceſibus (cum ipſi in partem ſollicitudinis, vt præfertur aſſumpti, ac Diœceſes diſtinctæ cuilibet eorumdem Epiſcoporum aſſignatæ fuerint) commiſſum extitit, per ipſos Epiſcopos exerceantur, & ius illa liberè exercendi, quantum fieri poteſt, eis illæſum præſeruetur. Et ſi aliquam dictis fratribus Mendicantibus in eorumdem Epiſcoporum læſionem, per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam cõceſſa fuerint, cõceſſiones huiuſmodi, eiſdem Religioſis factas in ſubſequentibus duximus moderandas, vt ipſi fratres potiùs ab eiſdem Epiſcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo moleſtentur, & inquietentur. Vna enim eſt Regularium, ſecularium, Prælatorum, & ſubditorum exemptorum, & non exemptorum vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur, eorumque omnium vnus Dominus, vna fides: Et propterea decet, eos, qui eiuſdem ſunt corporis, vnius etiam eſſe voluntatis. Et ſicut fratres nexu inuicem charitatis aſtricti ſunt, ſic non conuenit, alterum in alterius iniuriam, ſeu iacturam proſilire, dicente Saluatore, Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Ad conſeruandam igitur inter Epiſcopos, & eorum Superiores, ac Prælatos, & fratres huiuſmodi mutuam charitatem, & beneuolentiam, diuini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus; Quod ita demum fieri poſſe cognoſcimus, ſi vnicuique quantum fieri poteſt, ſua iuriſdictio conſeruetur.

Digitized by Google

Epiſcopi viſitent Eccleſias parochiales Mendicantibus ſubiectas.

§. 3. *Sacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, quòd Epiſcopi, & alij Prælati præfati, parochiales Eccleſias ad eoſdem fratres ratione locorum ſuorum legitimè ſpectantes, quò ad ea, quæ ad parochianorum curam, & ſacramentorum conſeruationem, adminiſtrationemque pertinent, ſine tamen viſitatorum inſolito grauamine, vel impenſa, viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi Religioſi fuerint, iuxta ipſius Ordinis regularia inſtituta, intra ſepta regularis loci; ſeculares verò presbyteros, & fratres huiuſmodi beneficia obtinentes, liberè tamquam ſuæ iuriſdictioni ſubiectos punire.*

Quiſque in eorum Eccleſiis celebrare poſſit.

§. 4. *Ac tam Prælati, quam presbyteri ſeculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, miſſas in Eccleſiis domorum eorumdem deuotionis cauſa celebrare volentes, celebrare poſſint. Ipſiq; fratres tales celebrare volentes libenter recipere debeant.*

§. 5. *Ac ab eiſdem Prælatis ad proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodò eorum loca ſuburbana vltra vnum milliare à ciuitatibus reſpectiuè non ſint remota, accedere.*

Ad proceſſiones ire cogantur. Vide ſupra in conſtit. 2. Sixti IV. à num. 57.

Confeſſores ab Ordinarijs approbentur.

§. 6. *Necnon Superiores eorumdem fratrum, fratres, quos ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorumdem Prælatorum pro tempore elegerint eiſdem Prælatis perſonaliter exhibere, ac præſentare, ſi eos ſibi exhiberi, & præſentari petierint, alioquin eorum Vicarijs, dummodò ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur, omnino teneantur; poſſintq; illi per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti literatura, & aliqua ſaltem huiuſmodi ſacramenti peritia dumtaxat examinari, talibuſq; præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, conſtitutioni, quæ incipit, Omnis vtriuſq; ſexus, quò ad confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur.*

Forenſium confeſſiones audire, & ſacramenta miniſtrare quomodò poſſint.

§. 7. *Ipſiq; fratres etiã forenſiũ confeſſiones audire valeant; Laicos tamẽ, & clericos ſeculares à ſententijs ab homine latis nullatenus abſoluere poſſint; Euchariſtiæ verò, & extremæ vnctionis, aliaq; eccleſiaſtica ſacramenta illis, quorum etiam infirmorum, ac decedentiũ confeſſiones audierint, dicẽtibus propriũ ſacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorũ teſtimonio probata, aut requiſitio coram publico Notario facta doceretur.*

Famulis ſacrame nta miniſtrare quomodò poſſint Vide conſt. 1. Iul. II. §. 15. nu. 11.

§. 8. *Eorumdem verò fratrum obſequio inſiſtentibus ſacramenta huiuſmodi nullatenus miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio.*

Pacta inita inter Epiſcopos, & Mendicantes ſeruentur. Vide ſup. conſtit. 4. Iul. II. §. 3 à num. 6.

§. 9. *Pacta autem, & conuentiones inter eoſdem fratres, & Prælatos, atq; Curatos pro tempore inita valeant, niſi per ſubſecutum Capitulum proximum generale, vel prouinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.*

Mendicantes quando mortuos leuare poſſunt.

§. 10. *Parochias autem cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorumdem ſuam elegerint ſepulturam intrare non poſſint, niſi prius præmonito, & requiſito, ac recuſante parochiano Presbytero, & tunc ſine eius, ac Ordinarij præiudicio. Niſi eiſdem fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſeruantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur.*

Volentes ſepeliri cũ habitu, ſe-

§. 11. *Volentes quoque ſepeliri in habitu eorumdem fratrum in clauſtro non degentes, ſed in proprijs domibus habitantes, in eorum vltima voluntate ſepulturam ſibi liberè eligere poſſint.*

pulturam eligere poſſint. Vide ſup. in conſt. 4. Sixti IV. § 9.

Ordines ab Epiſcopo recipiant diœceſano.

§. 12. *Quodq; fratres ipſi ad Ordines promouendi, per Ordinarios grammatica, & ſufficientia examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eoſdem Ordinarios liberè admitti: Ac nullatenus in eorum Eccleſijs, ſeu domibus, aut alijs eorum locis, ab alio, quàm à diœceſano Epiſcopo, niſi prius ipſo diœceſano Epiſcopo, vel eius Vicario ſuper hoc cum debita reuerentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel eo à Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoueri debeant.*

Et Eccleſiarum conſecrationes à diœceſanis Epiſ. petant. Vide conſt. 1. Iulij II. §. 21. nu. 46.

§. 13. *Nec ab alieno Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ, vel altaris, aut cœmeterij benedictionem petere, ſeu in Eccleſijs per eos pro tempore ædificandis primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint, niſi vbi Ordinarius, bis, aut ter cum debitis reuerentia, & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſauerit.*

Sponſos nõ benedicant.

§. 14. *Etiam abſq; Curatorum conſenſu ſponſum, & ſponſam benedicere nequeant.*

Campanã die Sabbathi ſanctã poſt cathedralem pulſent.

§. 15. *Et vt debitus honor matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi fratres, quàm alij Clerici ſeculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis priuilegio muniti, die Sabbathi maioris hebdomadæ ante quam campana cathedralis, vel matricis Eccleſiæ pulſauerit, campanas in Eccleſijs ſuis pulſare minimè poſſint; contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.*

Cenſuras Ordinariorum ſeruent, & publicent.

§. 16. *Cenſuras autem per eoſdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in matrice Eccleſia Ciuitatum, necnon in collegiatis, & parochialibus Eccleſijs Caſtrorum, & Oppidorum reſpectiuè ſolemniter publicatas, quandò ſuper hoc ab eiſdem Ordinarijs requiſiti fuerint, in Eccleſijs domorum ſuarum publicare, ac ſeruare.*

Decimarum ſolutionem ſuadeant.

§. 17. *Et, vt animarum vtriuſque ſexus Chriſti fidelium ſaluti vberius conſulatur, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, cuiuſcumq; ſtatus, & conditionis fuerint, ad ſoluendum decimas, ſiue aliam bonorum, ſeu fructuum quotam in locis, in quibus decima ipſa, aut ſimilia ſolui conſueuerunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum mouere, & hortari, ipſiſq; etiam illas ſoluere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publicè prædicare, & perſuadere teneantur.*

Conſeruatores habeant. Vide infra, conſtit. 5. Greg. XV.

§. 18. *Conſeruatores autem eiſdem fratribus pro tempore à Sede Apoſtolica deputandi, doctrina, & probitate præſtantes, & in eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & coram eis per eoſdem fratres, quibus dati fuerint, vltra duas dietas à loco ſuæ ſolitæ habitationis nullus trahi poſſit, priuilegijs ſuper hoc alias eis conceſſis nullatenus ſuffragantibus.*

Excommunicati ad religionem nou recipiantur.

§. 19. *Excommunicati quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, vbi de intereſſe tertij agitur, abſolui non poſſint, niſi præuia ſatisfactione.*

Famuli quomodo poſſint excommunicari. Vide ſup. in conſtit. 1. Iul. 2. § 15. n. 11.

§. 20. *Procuratores quoque, & negotiorum geſtores, ac operarij eorumdem fratrum ſeruitijs inſiſtentes, ſententijs excommunicationis promulgatis illaqueati ſint, & eſſe cenſeantur ſi illis cauſam dederint, aut dantibus conſilium, auxilium, vel fauorem præſtiterint.*

Tertiarij in proprijs domibus degẽtes vti

§. 21. *Fratres autem, & ſorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizochare, Cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati, in proprijs domibus habi-*

laici reputentur. Vide ſup. in conſtit. 4. Sixti IV §. 7. à nu. 30.

habitantes,ſepulturam vbi voluerint, eligere valeant. Sed in die Paſchatis tantum Euchariſtiam,necnon extremam vnctionem, cæteraq; eccleſiaſtica ſacramenta (pœnitentiæ ſacramento dumtaxat excepto) à proprio ſacerdote recipere,& ad onera,quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur,ac in foro ſeculari coram iudicibus ſecularibus conueniri poſſint.Et,ne cenſura vileſcat eccleſiaſtica,& minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur,ijdem dicti tertij Ordinis ad diuina audienda in Eccleſijs ſuorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur,ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant, ſeu foueant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel fauorem, quoquomodo præſtiterint.Collegialiter autem viuentes,ſeu cum clauſtralibus habitantes,ac,mulieres virginalem,ſeu cælibem, aut caſtam vidualem,expreſſo voto,& ſub dicto habitu vitam ducentes,priuilegijs,quibus fratres Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant.

Vide conſt. eiuſdem 22. ſupra.

Hæc moderatio omnes Religioſos tangit.

§. 22. Omnia etiam, & ſingula ſupradicta ad reliquos Religioſos Ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam ſeruari debere volumus, atque decernimus.Saluis tamen in reliquis deſuper non expreſſis,tam Epiſcoporum,quàm fratrum,& aliorum Religioſorum prædictorum iuribus,quibus per præmiſſa in aliquo præiudicare, ſeu quidquam innouare non intendimus.

Derogat contrarijs.

§. 23. Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,ac ſtatutis,& conſuetudinibus dictorum Ordinum,iuramento,confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis;priuilegijs quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum eiſdem Ordinibus conceſſis,etiam in Mari magno contentis: Quibus, etiamſi ad illorum derogationem,de eis,eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,expreſſa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas idem importantes,mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet,illorumq;tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes,ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Ordinarij, & Mendicantes benignè ſe tractent.

§. 24. Eoſdem inſuper fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, vt eoſdem Epiſcopos loco SS. Apoſtolorum ſubrogatos,pro debita,& noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reuerentia,congruo honore,& conuenienti obſeruantia venerentur: Ipſos quoque Epiſcopos hortamur,ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, vt fratres ipſos affectu beneuolo proſequentes charitatiuè tractent,ac benignè foueant,ſeq; illis minimè difficiles,aut duros,vel moroſos,ſed potiùs faciles,mite,propitios,piaq;munificentia liberales exhibeant;ac in omnibus prædictis tamquam in agro dominico cooperatores, eorumq; laborum participes prompta benignitate recipiant,eorumq;iura cum omni charitate cuſtodiant, atque defendant.Vt tam Epiſcopi,quàm fratres præfati, quorum opera, veluti lucernæ ardentes ſupra montem poſitæ,omnibus Chriſti fidelibus lumen præbere debent, ad Dei laudem, fidei catholicæ exaltationem, populorumq; ſalutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largiſſimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium conſequi mereantur.

§. 25. Nulli ergo, &c. Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateran. ſacroſancta Baſilica ſolemniter celebrata anno Incar.Dom.1516.die 19.Dec.Pontif.noſtri anno 4.

§. I.

1 NOto 1. quòd noſtra,& cæterorum Mendicantium priuilegia fuerunt, & ab eodem Leone, & ab alijs Pontificibus confirmata, non obſtante iſta modificatione,vt dixi ſupra,in conſt. 4. Iulij II. nu. 9. & 13.

2 Noto 2. quòd non minora fecerunt Religioſi pro augmento Eccleſiæ, & catholicæ fidei defenſione, quàm Sancti Epiſcopi. Nec minora nunc faciunt noſtri temporis Religioſi,quàm fecerint antiqui illi,quorum intuitu ſanctiſſimi Pontifices tot, tantaque priuilegia ſacris Religionibus conceſſerunt.Quinam enim, quæſo, ſunt illi, qui quotidie ſe mille mortibus exponunt pro defenſione,& propagatione catholicæ fidei? Qui ſunt illi,qui inter hæreticos occulti manent ad catholicos confirmandos,hæreticoſq; ipſos reducendos, ærumnis, & laboribus incredibilibus preſſi, morte ſemper illorum vitas inſidiante? Quinam gentibus Chriſti fidem ſanguine proprio diſſeminant? Qui vaſtiſſima maria fluctibus, procelliſque pleniſſima propter ſanctam Romanam Eccleſiam dietim tranant? Qui terras ignotas ſiti,& fame,labore,& nuditate propter catholicam fidem penetrant? Qui hæreticorum ſuperbiam ſcriptis,& diſputationibus retundunt? Qui catholicos ipſos concionibus,& exemplis in dies confirmant? Hi certè Regulares ſunt, præſertim Mendicantes. Vnde ſanctiſſimus Pontifex Pius V. in quadam conſtit. quæ incipit, Romanus Pontifex, in quo poteſtatis,apud Rodriquez in bull.in Pij V.conſt.2.hæc habet: *Nos attendentes fratres ipſos, qui onus diei, & æſtus, tam in prædicationibus, quàm in cæteris ſpiritualibus muneribus quotidie ſuſtinent*. Et idem Pontifex in conſtit. eius 7.infra,in princ.ait *Facere non poſſumus,quin eos*(Regulares Mendicantes) *propenſiori charitate, & paterno affectu amplectamur,ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudijs, honeſtiſque laboribus,pro q; ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cuius continue pacem, & dignitatem ordines ipſi fortiter tutati ſunt*, &c. Et in §. 2. dictæ conſt.ait, *Attendentes etiam illos,qui onus diei,& æſtus, tam in prædicationibus, quàm in cæteris ſpiritualibus muneribus quotidie ſuſtinent*. &c. Si non, dicat illuſtriſſima Prædicatorum Familia: Sanctiſſima Franciſcanorum Religio. Antiquiſſimus Auguſtinienſium Ordo: Deuotiſſimus Carmelitarum Cœtus; Doctiſſima Ieſuitarum Societas: Et Minimorum Grex puſillus. Quare non eſt mirum,ſi ſanctiſſimi Pontifices,quorum eſt de Eccleſia benemeritos remunerari,tot priuilegia Regularibus,& antiqui conceſſerint,& moderni confirment.Vnde prægrauati non deberent DD. Epiſcopi, nec tam difficiles, & aſperos quandoq; ſe in illis obſeruandis oſtendere, cum omni iure ſtrenuè certantibus præmium debeatur: Quod licèt ſit quid extrinſecum (præmium namque ſuorum laborum à Domino in Paradiſo Religioſi expectant) dat tamen vires, augetque animum ad fortiùs propugnandum.Vt enim ait Cicero 3.de natur.Deorum *Nec domus, nec Reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent vlla,nec ſupplicia peccatis*: Et 1. de orat. *Iuſtus,atq; honeſtus labor præmijs,ac ſplendore decoratur*. Vnde Abraham,Gen. 15. dicebat *Domine Deus, quid dabis mihi?* Et Matth. 19. Petrus, *Quid ergo erit nobis?* Et nota etiam, quòd priuilegia in remunerationem laborum conceſſa,dicuntur irreuocabilia (quia ſ. non ſine grauiſſima cauſa reuocari debent) à Rom.conſil. 436. nu. 14.Fel.in cap.Nouit,de iud.num 7.& alijs multis,quos refert Sanctar.varia,reſol. q. 16. nu. 19. Vnde ſi clariſſimè non conſtat,ea eſſe reuocata, in ſuo robore permanere dicenda ſunt.

§. II.

3 NOta, quòd iſtam moderationem fecit Pontifex in gratiam Epiſcoporum, ne ampliùs de Regularibus conquererentur, ſed eos magis fouerent, & adiuuarent, & deſinerent eos inquietare, ac moleſtare; Quod intentum an obtinuerit Pontifex, non diſcutio. Quæ non mortalium pectora cogis regni infauſta fames? Non ſatiatur auarus auro, nec iuriſdictione Præpoſitus. Hydropicorum ſitis cupiditas regni. Sciendum tamen, quòd imperij dilatandi auiditas, imperium quandoque deſtruit. Et ſe malè cum ſubditis gerere, expulſionem à regno cauſat. Vt contigiſſe Epiſcopis cum Regularibus, dicunt multi, vt refert Rodriq. tom. 2. qu. reg. q. 63. ar. 2. his verbis. *Putant quidam, Papam in pœnam iuſtam priuaſſe Epiſcopos iuriſdictione, eo quòd Regularibus, quos fauore proſequi debuiſſent, cum ſibi ſint dati coadiutores, & nullus præter illos meliùs, & præſtantiùs ſacramenta fidelibus adminiſtret, erant infeſti, &c.* Atque ita poteſtatem, & priuilegium à Papa deriuata meruerunt Epiſcopi, illis abutentes, amittere, vt conſtat ex traditis per Gregorium IX. de exceſſ. Prælat. cap. Nimis iniqua, vbi ponit 15. & cap. Nimis praua, vbi ponit 12. grauamina, & clem. Ad noſtrum de cenſ. & clem. 1. de exceſ. Præl. vbi ponuntur 30. & conſt. 7. Pij V. infra, vbi ponuntur 40. grauamina, quæ Epiſcopi Regularibus faciebant.

§. III.

4 VIde quæ dico ſupra, in conſt. 2. Sixti IV. à nu. 24. Et nota hic, quòd fratres Parochi Eccleſiarum parochialium, nobis Minimis ſubiectarum, ſunt omnino ſubditi Correctoribus Conuentuum, nec poſſunt, ſub obedientiæ præcepto formali, eleemoſynas, ſeu prouentus, decimas, ſeu primitias, & quæ pro miſſis celebrandis dantur, atque alia iura, ad Parochos quomodocumq; ſpectantia directè, vel indirectè, per ſe recipere, neque de ijs diſponere abſque Correctorum licentia. Et qui ſecus fecerint, pro prima vice debent ipſo iure priuari per triennium voce actiua, & paſſiua, & pro ſecunda officio Parochi in perpetuum, & in alios Conuentus per Prouinciales amandari. Quòd ſi huic mutationi parochiani ſe oppoſuerint, dicti Parochi ſuo Superiori obedire teneantur, & dicto muneri renunciare ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum, & incarcerationis per annum. Quibus pœnis etiam ſubiacent dicti Parochi, ſi à Conuentu exierint ſine licentia, & ſocio, à Superiore habitis. Et Correctores in Parochos aſſumi non valent, ſub pœna priuationis vtriuſque officij. Ita ſtatutum eſt in Capitulo Auenionen. 2. num. 26.

§. IV.

5 NOta, quòd Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſeru. & euitan. in celebrat. miſſ. præcipit Epiſcopis vt in ſuis Diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto ſacerdoti miſſas celebrare liceat. Et ſeſſ. 23. de refor. cap. 16. mandat, quòd nullus Clericus peregrinus ſine commendatitijs ſui Ordinarij literis ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda admittatur. Quæ decreta tenentur etiam Prælati regulares obſeruare. Verum quidem eſt, quòd peregrinus, qui non haberet tales literas teſtimoniales, celebrando, nullam incurreret irregularitatem, nec qui eum ad celebrandum admitteret: Quia nulla talis in iure reperitur, prout ad id requiritur, cap. Is, qui, de ſent. excom. in 6. Vnde faciens fidem iuſtam de ſua ordinatione, poteſt admitti ad ſecretò celebrandum; arg. cap. Tuæ fraternitatis de Cler. pereg. Ita Nau. lib. 3. conſil. de celebrat. miſſ. conſil. 5. Reginal. in praxi, li. 29. num. 42. verſ. Tantoperè. Henriq. lib. 10. cap. 34. numero 6. in comm. lit. I. Sylu. verbo Pereg. qu. 4. Religioſis autem peregrinis ſufficit oſtendere literas ſuorum Superiorum ad iter peragendum Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 43. ar. 18. Qui addit, poſſe etiam admitti peregrinum ad celebrandum publicè, quando eſt notus, aut etiam quando bonis coniecturis creditur, quòd non ſit impeditus; arg. dicti cap. Tuæ fraternitatis. Et aduerte quod per hanc declarationem moderatur priuilegium regularibus conceſſum in cap. Luminoſo 18. q. 2. & ab Eugenio IV. vt refert Rodriq. in bulla. 7. Eugenij IV. nu. 3. innouatum ſub pœna excommunicationis ipſo facto contradicentibus poſt habitam notitiam priuilegij quo conceditur quod non poſſint Epiſcopi, vel alij Prælati in eccleſiis regularium celebrari facere: videatur Rodriq. to. 3. quæſt. reg. q. 4. art. 1. Portel in addit. ad dub. reg. verbo Miſſa nu. 3. Niſi velis dicere, quod iſta declaratio Leonis eſt conſultiua non præceptiua vt indicant illa verba, *libenter recipere debeant*. Et alioqui ſæpius declaratum eſt officia defunctorum à regularibus, non à Clericis fieri debere.

§. VI.

6 VIde quæ dico ſupra, in conſtit. 2. Sixti IV. à nu. 41. & tom. 1. Relig. q. 1. cap. 21. Et circa præſentationem Regularium ad audiendas confeſſiones, vide in Relig. loc. cit. §. 2. verſu Circa autem, pag. 242. Et quando cenſeatur Epiſcopus immeritò Regulares vexare quò ad dictam approbationem, vide ibid. ver. Sed inquies.

7 Nota 1. circa illam clauſulam *indebitè recuſatis*. Quòd videtur confirmare decretum factum in Concilio Viennen. ſub Clem. V. & habetur in clem. Dudum, de ſepul. §. Statuimus, vbi Regulares præſentatos Epiſcopis iuxta formam ibi traditam, perperam tamen, & ſine cauſa ab eis reiectos, approbat Papa de plenitudine poteſtatis. Quare ſi Epiſcopus Regularem debitè præſentatum, & examinatum indebitè reprobauerit, poterit nihilominus per hoc priuilegium licitè, & validè confeſſiones audire, Nec hoc eſt contra Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. Nam credendum eſt, Concilium voluiſſe tantùm idoneis miniſtris facultatem concedere confeſſiones audiendi per examen Epiſcoporum rectè, & rationabiliter iudicantium, non autem conſouere aliquos eorum in ſuis paſſionibus, & odijs contra Regulares, & quandoque cum maximo Chriſti fidelium ſcandalo; Cum fraus, & dolus nemini debeat ſuffragari, cap. Sedes Apoſtolica de reſc. cap. Sicut de conſec. d. 1. Quare ſi quis Regularis cum licentia ſui Prælati examinatus, & iudicio Examinatorum, vel maioris partis ipſorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter paſſiones ſuas fuerit ab Epiſcopo reprobatus, ſaluo ſaniori, & meliori iudicio, puto, quòd licitè, & validè poterit confeſſiones audire; ſi nihil aliud obſtet. V. G. quòd non ſit malæ famæ, nec ſcandaloſè viuat. Quod tamen præſumendum non eſt, quando adeſt legitimi Superioris licentia. In cuius doctrinæ confirmationem adduco Nau. in ſum. cap. 27. num. 264. præſertim in ſumma Hiſpanica; Mirandam tom. 1. man. quæſt. 45. ar. 6. Vegam 1. p. ſum. cap. 62. caſu 4. Rodriq. tom. 1. q. regul. qu. art. 2. quatenus dicunt quòd Clem. Dudum, de ſepult. per dictum Concilij decretum non eſt reuocata. Expreſsè Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 6. numero 4.

8 Nota 2. quòd hoc examen debet ſolùm fieri ſuper ſufficienti literatura, ideſt, an ſciant ſtudere libris de hoc ſacramento tractantibus, ſiue conſcripti ſint latina, ſiue vulgari lingua, hoc nihil refert: Et ſuper aliqua ſaltem huius ſacramenti peritia; Vnde non eſt neceſſe, quòd habeant exactam, & conſummatam peritiam illius; nec requiritur, quòd ſint Theologi, aut Canoniſtæ. Super vita autem, & bonis moribus examinandi non ſunt, dictio enim illa *Dumtaxat* taxatiua eſt, & omnia alia excludit, vt dixi plurieſ; hanc enim ſemper præſupponit Papa adeſſe quando adeſt legitimi Superioris licentia, & præſentatio. Quæ non ſunt reuocata per Trid. loc. cit. cum ſolùm dicat. Regulares eſſe

admit-

admittendos per examen; de quibus autem ſit examen faciendum non dicit. Vnde linquit antiquos Canones, & antiquas conſtitutiones Apoſtolicas in ſuo vigore. Et vſus communis obtinuit, vt Regulares non examinentur ab Epiſcopis, niſi ſuper ſufficienti literatura, & peritia ſacramenti pœnitentiæ.

§. VII.

9 NOta 1. circa illam clauſulam, *fratres poſsint forenſium confeſsiones audire*, quòd in foro exteriori receptum eſt, vt ratione criminis commiſſi quis forum ſortiatur, & in loco, vbi delictum commiſerit, puniatur; licèt aliàs ibi ex ea cauſa non poſſet in iudicium vocari, nec forum ſortiretur; maximè enim congruit Reipublicæ, ſcelera in eo loco publicè puniri, in quo fuerint perpetrata, propter exemplum. Ita Couarr. practic. q. 11. nu. 3. At in foro conſcientiæ nemo ratione delicti forum ſortitur, nec illius ſubditus ea ratione fit, cuius alioquin iure non eſſet. Vnde ſi quis in vna Parochia delicta committit, non poteſt ea confiteri Parocho illius, ſi ſubditus eius non eſt, ſed debet ea confiteri proprio Parocho. Decet enim Parochum oues ſibi commiſſas diligenter etiam interiùs agnoſcere, vt valeat ægris adhibere medelam. Couar. loc. cit. nu. 4. Rodriq. to. 1. q. regul. q. 60. ar. 6. A Sorbo in comp. ver. Abſolutio quò ad ſeculares 2. pag. 42. Summi tamen Pontifices Leo X. hic, Nicol. IV. Sixtus IV. Vrb. IV. Paul. III. apud Rodriq. loc. cit. conceſſerunt, vt poſſent Regulares quorumcumq; vndecumq; venientium confeſſiones audire, tam exemptorum, quàm non exemptorum, tam ſecularium, quàm eccleſiaſticorum.

10 Aduerte tamen, quòd huius priuilegijs vigore non poterunt dicti confeſſores Regulares forenſium vota commutare, ac diſpenſare; Nam ad id requiritur ſpecialis conceſſio, quæ hic non habetur; confeſſiones enim communiter ſolùm ſunt de peccatis; Poterunt tamen per aliud priuilegium Pauli III. conceſſum presbyteris Societatis Ieſu, de quo dico tom. 1. Relig. q. 1. cap. 21. §. 1. concluſ. 5. & per aliam conſtit. Eug. IV. apud Rodriq. loc. cit. verſu Ex quibus infertur. Vnde patet, quòd Regulares habent maiorem auctoritatem, quàm Epiſcopi, qui vota forenſium commutare, ac diſpenſare non poſſunt, vt communis habet ſententia, de qua Sylueſt. ver. Domicilium, in fine; & dixi etiam loc. cit. Et multò minus poterunt dicta vota extraneorum commutare, ac diſpenſare Parochi, ſeu presbyteri ſeculares, à dictis Epiſcopis ad confeſſiones audiendas approbati.

11 Noto 2. circa illam clauſulam *laicos tamen, & Clericos ſeculares à ſententijs ab homine latis nullatenus abſoluere poſsint*, quòd per iſtam clauſulam moderatur Papa, priuilegium Eug. IV. conceſſum Monachis S. Benedicti, de quo Caſar. ver. Abſolutio 2. quò ad ſeculares, n. 19. in quo concedebatur facultas abſoluendi à quibuſcumq; eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis etiam ab homine latis, cum ſatisfactione tamen partis. Et quòd non poſſint abſolui, etiam ſatisfacta parte, indicat dictio illa *Nullatenus*, quæ cum vniuerſalitatem importet, excludit quemcumq; caſum. Tuſch. ver. Dictio concl. 315. Vnde, ſiue cenſura ſit lata generaliter ab homine, ſiue particulariter, puto, quòd per hoc priuilegium non poſſit abſolui. Rodriq. tamen to. 1. q. reg. qu. 61. art. 6. contendit, quòd etiam nominatim excommunicati poſſunt abſolui à confeſſarijs Regularium, ſatisfacta parte, ad cuius petitionem excommunicantur. Et idem ait dicendum, non ſatisfacta realiter parte, ſed præſtita cautione legitima de ſatisfaciendo. Fundatur in quadam declaratione Pij V. quam affert. Fundatur etiam in Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. de reform. vbi dicitur quod *excommunicati nominatim, ex quo ſubtrahunt decimas, vel ne ſoluantur impediunt, non abſoluantur, niſi plena reſtitutione ſecuta*. Confirmat ex ſententia, quam dicit communem (licet alij, quos citat, contrarium ſentiant) nimirum, quòd abſolutus ab excommunicatione nominatim lata ad ſupplicationem alicuius partis, concedente ipſa parte prorogationem vſque ad certum tempus, finito tali tempore, ſtatim ipſo iure reincidit in excommunicationem, etiamſi ipſa prorogatio auctoritate iudicis facta non ſit; nam cum excommunicatio à iudice lata ſit ad inſtantiam partis, iudex in ea ferenda, vel termino aſſignando, nihil aliud videtur intendere, quàm partis ſatisfactionem; vndè ſi pars terminum proroget, cenſebitur iudicis auctoritate prorogare, & ſic abſolutus, ſi intra terminum à parte prorogatum non ſatisfaciat, incidet iterum excommunicationem, pro qua ſententia multos citat. Ergo, ait, à cenſura nominatim lata poſſunt confeſſores regulares abſoluere, ſatisfacta parte, aut præſtita ſufficienti cautione. Nam cum iudex excommunicationem ſolùm tulerit ad ſupplicationem partis, quando hæc eſt ſatisfacta, cenſetur dare auctoritatem à dicta excommunicatione abſoluendi ijs, qui aliàs habent auctoritatem abſoluendi ab excommunicatione à iure, vel ab homine quocumq; modo lata. Inſuper ait Rodriq. quòd vigore ſuorum priuilegiorum, iuxtà dictam declarationem Pij V. poſſunt confeſſarij regulares abſoluere nominatim excommunicatos, ſatisfacta parte, non ſolum in foro interiori, ſed etiam exteriori. Et verè declaratio Pij V. prout eam ipſe refert, id non obſcurè indicat, dicens, *Non autem in foro fori, aut contentioſo, niſi ſatisfecerint vllatenus ſuffragari*; ergo, ſi ſatisfecerint ſuffragabitur.

12 Suar. tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 2. nu. 21. 22. probat ex priuilegio Pauli III. conceſſo Societati Ieſu, quòd poſſunt confeſſarij regulares abſoluere ab excommunicatione, non ſolùm generaliter, ſed etiam ſpecialiter lata, quando pars eſt ſatisfacta. Nam ait, Pontifex concedit facultatem abſoluendi à quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pœnis; ergo cum ſit fauor, & priuilegium Principis, limitandum non eſt; verba enim ſimpliciter poſita, generaliter intelligenda ſunt, cap. Quia circa, de priuil. Gloſſa in c. Præterea, ver. Simpliciter, de off. deleg. Videatur Guttier lib. 1. can. q. cap. 2.

13 Sed prima opinio, quòd confeſſores regulares non poſſint abſoluere vigore priuilegiorum particulariter, & nominatim excommunicatos, ſtante præſertim modificatione huius Pontificis, ſecurior eſt; & eam tenet Caſar. in comp. ver. Abſolutio 2. quò ad ſecul. nu. 19. Opinio tamen Rodriq. & Suar. probabilis eſt, ſecluſo præſertim ſcandalo & ſtante confirmatione noſtrorum priuilegiorum facta à Paulo III. non obſtante Concilio Lateran.

14 Noto 3. quòd poſſunt confeſſores regulares confeſſiones infirmorum in proprijs domibus habitantium audire, vt hic ſupponitur, & expreſsè conceſſit Paulus IV. in ſua conſtit. 3. quæ incipit, Cum ſicut, quam refert Rodriq. in ſuo bull. vbi dicitur *Indulgemus, declaramus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, vt confeſſores regulares à ſuis Superioribus deputati, poſsint confeſsiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorumdem fratrum audire, ac omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, ſacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quàm alijs quibuſuis perſonis licitè miniſtrare*. Ex qua conſt. etiam colligitur, quòd hoſpitibus in noſtris domibus infirmantibus poſſimus Euchariſtiam miniſtrare. Vide quæ dico tom. 1. Relig. cap. 21. §. 2. pag. 245. verſu Sed nota.

15 Noto 4. circa illam clauſulam eodem §. poſitam, *Euchariſtiæ verò, & extremæ vnctionis*, &c. quòd, recuſante Parocho, ſine cauſa legitima, poſſunt Regulares infirmis Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis ſacramenta miniſtrare, cum circumſtantijs hic poſitis. Si autem Parochus non adſit in periculo mortis, neceſſitate vrgente, putant Rodriq. tom. 1. qu. reg. qu. 56. art. 5. Henriq. lib. 8. de Euch. cap. 55. §. 1. in comm. lit. H. Suar. loc. cit. cap. 3. num. 15. (licet alij apud Rodriq. negent) poſſe quemlibet ſimplicem ſacerdotem, ſiue regularis, ſiue ſecularis ſit, viaticum infirmo dare ex præſumpta voluntate, vel Parochi, vel Epiſcopi, vel ſummi Pontificis. Regularibus verò expreſsè id con-

dictione Diœceſum Epiſcoporum,ſed extra illam; vnde Epiſcopi id illis præcipere non poſſunt,vt bene Panor.dicto cap. Abolendæ,nu.4. Tum quia etiamſi diœceſani Epiſcopi id Regularibus exemptis præcipere poſſent,dum tamen non præcipiunt, poſſunt dicti Regulares conſuetudinem ſeruare. Illa cap. Queſta, cum ſequ. loquuntur potiùs conſulendo, quàm præcipiendo;& ſicut potuerunt tolli quò ad prohibitionem ſepeliendi mortuos in Eccleſijs, ita quò ad terram pro ſepultura vendendi. Poterit itaque vendi in Eccleſia, vel cœmeterio modo prædicto terra pro fabricanda ſepultura, quod ſi ea ſit fabricata, poterit etiam exigi quod in ea expenſum eſt;& ius ſepeliendi;ita vt in tali loco, qui emit,& ſui ſepeliantur,& non alij.Ita Panor.loc.cit. nu.5.Non poteſt tamen vendi ius ſepulturæ, quatenus quid ſpirituale eſt;licèt etiam quò ad hoc poſſint Religioſi accipere quicquid pro eo à laicis datum fuerit; exigere autem nequaquam;dicto cap. Queſta,13. qu.2. Immo ſi ſit conſuetum dari aliquid pro officio ſepulturæ,poſſunt compelli laici id obſeruare,cap. Ad Apoſtolicam,de ſimon.Gloſſa in cap. Abolendæ, ver. Exigere, vbi Panor. num. 6.

22 Si quæras etiam, an poſſit Prælatus ſepelire aliquem in alterius ſepulcro, eo inuito. Dico, quòd ſic, ſi iuſta aliqua adſit cauſa, puta, ſi ſepeliendus non haberet propriam ſepulturam,vel non eſſet in Eccleſia, vel cœmeterio ſepultura communis;quia faceret eleemoſynam extremè indigenti,quæ poteſt fieri de bonis alterius;inuito domino.Ita Archidiac.in cap.Præcipiendum,13.qu.2.Romanus ſingul.692.Panor.in cap. Abolendæ, de ſepult. num. 5.

23 Nota etiam,quòd ſepulti in alieno ſepulcro,etiam ſine iuſta cauſa, non debent exhumari, niſi ſint publici excommunicati, nominatim interdicti, ſeu vſurarij manifeſti. Ita Zabarel. in clem. 1. de ſepult. q. 30. num. 32. Irrogatur enim illis maxima iniuria ſine ſua culpa.

24 Nota etiam, quòd habens capellam cum ſepultura in Eccleſia, in quibus ſua inſignia, ſeu arma in ſui memoriam repoſuerit,licèt iſte per proditionem è Ciuitate fuerit expulſus,non poſſunt tamen dicta inſignia poſita in capella deleri; immo delentes poſſunt puniri iudicis arbitrio.Roman.ſing.480.& 673. Probatur ex leg. Qui liberalitate, & leg. Opus nouum, ff. de oper. publ.

§. XII.

25 LImitat priuilegia Regularibus conceſſa, vt poſſent ordines recipere à quocumque Antiſtite, gratiam,& communionem Apoſtolicę Sedis habente, vt ſupra in Iulio II.conſtit.2.§.6.Vide quæ dico,& noto ibi à num.22.Et hic nota vnum particulare, quòd licet Epiſcopo initiare ſacris, & ſacerdotio Regularem,qui bene legit, & cantat, quamuis minùs ſit literatus, ſic enim in aliorum ſocietate,& pro officijs Religionis ſit idoneus miniſter.Ita Henriq.lib.10.cap.16. nu. 2. Nau. cap.1.§.Cautat.num.19. de pœnit.d.6.to.3.Maiol. apud Henriq.in com.lit.V.lib.1.de irreg cap.31.num.5.& 10. Neque obſtat Trid.ſeſſ.23.de reform.cap.11. Quatenus generaliter requirit in ordinandis ſcientiam ſaltem linguæ latinæ.Nam finis legis potiùs,quàm ipſius verba, attendendus eſt, cap. Marcion.1.q. 1. Adde, quod Concilium id relinquit Epiſcoporum arbitrio; ait enim *minores ordines ijs, qui ſaltem linguam latinam intelligant,per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur*; arbitrium enim illud Epiſcopi non ſolùm eſt ſuper interſtitijs, ita vt, ijs non ſeruatis,ſi Eccleſiæ vtilitas poſtulet,poſſit ordines conferre, ſed etiam ſuper grammatica, ita vt neſcienti grammaticam,ſi alioquin bonæ indolis ſit, & docilis, vel poſſit optimè inſeruire miniſterio,ad quod ordinatur, ſine grammatica poſſit ordines quoſcumque conferre.Neque enim ex verbis Concilij colligi poteſt ratio, quare arbitrio Epiſcopi relinquatur potiùs diſpenſatio ſuper interſtitijs, quàm ſuper grammatica, cum verbum *conferantur*, ſub quo ſtant illa duo, poſt arbitrium collocetur, atque ita interpretatur Concil. Menoch.lib.2.de arbitr.caſu 425. nu.58. Et videtur dictum Trid. fauere ſeſſ. 14. cap. 2. de refor. ibi, *nec diuina officia peragere*.

§. XIV. & XV.

26 NOta, quòd in clem. 1. de priuil. prohibetur Religioſis ſub pœna excommunicationis ipſo facto, quam ſibi Pontifex reſeruat, ne matrimonia ſolemnizent ſine Parochi licentia.Et Trid ſeſſ.24. cap. 1.de reform.matrim.declarat nulla ea matrimonia,quę fiunt non præſente Parocho, aut altero ſacerdote de eius licentia.

27 Sed an hæc licentia debeat eſſe expreſſa,vel ſufficiat quòd ſit tacita, & an ſit in ſcriptis proferenda, vel ſufficiat verbo. Et vtrum ſacerdos debeat credere dicentibus ſe habere licentiam à Parocho, vt poſſint coram eo contrahere, & an talis licentia dolo, vel metu extorta valeat, diſputant Doctores. Ego breuiter.

28 Ad 1.R.licentiam debere eſſe expreſſam.Menoch. de arbitr.caſu 453.num.13.& 14. Henriq.lib.11.cap.3.§. 5.& dicitur ſacram Congr. in hæc verba id declaraſſe. *Non ſufficit tacita licentia,quæ reſultat ex tolerantia:requiritur verò vel commiſſio generalis ad adminiſtrandum Sacramentum,vel,ſi hæc abſit,expreſſa, vel ſpecialis licentia*.

29 Ad 2. dico, quòd non eſt neceſſe, quòd detur in ſcriptis.Henriq.loc.cit.cit.Sanch.li.3.de matr.diſp.36.n. 9. quia id non exprimitur in Concilio.

30 Ad 3. dic quòd credere non debet faciliter, niſi certa ſigna afferant,vel teſtes producant.Sanch.loc.cit. diſp.37.num.2.Rodriq.to.3.q.reg.qu.2.art.1.in ijs enim quæ pertinent ad forum externum, non creditur parti intereſſatæ, niſi probet,ad lites dirimendas. Facit cap. Sicut, de ſent. excom.

31 Ad 4. dic, quòd valet, niſi ſit circa ſubſtantiam. Sanch. lib.3. diſp. 39. num.13. & 14.Nam licentia hoc caſu metu extorta licentia eſt.

32 Nota circa §. 15. quòd ſacra Congr. Concil. apud Quar. in ſumm. bull. verbo Confeſſor, pag. 235. ver. Quartò, declarauit, quòd *ordinarij non impediant fratres pulſare campanas ad matutinum, ad horas, & ad miſſam, antequam pulſetur campana maioris Eccleſiæ, præterquam in die Sabbathi ſancti*.

§. XVI.

33 NOto 1. quòd Trid. ſeſſ.25. de Reg.cap.12.præcipit, vt cenſuræ, & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinarijs promulgata,mandante Epiſcopo,à Regularibus in eorum Eccleſijs publicentur, atque ſeruentur; Et in clem. 1. de ſent. excom. ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, præcipitur omnibus Religioſis, vt interdicta,tam Ordinarij,quàm Sedis Apoſtolicæ auctoritate poſita omninò ſeruent, quando illa ſeruat Eccleſia cathedralis, aut matrix, ſeu parochialis. Quam excommunicationem declarat Nau.in ſumm. cap. 27. numero 146.

34 Noto 2. quòd tenentur dicti Regulares obſeruare dicta interdicta,ſiue valeant, ſiue non, quando ea ſeruat Eccleſia matrix.Ita Nau. in cap.Cum contingat,de reſcr remed.2.num.39.tom.4.Rodriq.to.2.quæſt.reg. q. 108.art.4. in quo aiunt differre interdictum ab excommunicatione, quia hæc, ſi eſt inualida, ſeruanda non eſt; ſecus illud.

35 Et aduertit vlterius Nau.nu.40.& Rodriq.art.5. & Syl.ver.Excommunicatio 9.caſu 47.nu.90. quòd quandò interdictum eſt nullum, etiamſi matrix Eccleſia illud ſeruet,& ſeruent etiam omnes Regulares, illud tamen ſeruare non tenentur Clerici ſeculares, vt etiam aduertit Gloſſa in dicta clem. 1. ver. Religioſi.

36 No-

36 Nota etiam, quòd ad hoc, vt Religioſi teneantur ſeruare dicta interdicta, & alias cenſuras, non eſt neceſſe per dictam clem. quòd illis intimentur, ſed ſufficit, quòd ad illorum notitiam peruenerint per auditum probabilem. Sylu. & Rodriq. loc. cit. Secus verò videtur dicendum per hoc priuilegium, cui congruit Trid. loc. cit. Si autem Eccleſia matrix ſeruat interdictum, quia ipſa eſt ſpecialiter interdicta, tunc ad illud ſeruandum non tenentur Religioſi. Syl. & Rodriq. cit.

37 Nota vlteriùs circa hoc, quòd ſi interdictum ſit appoſitum in Prouincia, licèt Eccleſia metropolitana ſeruet interdictum, Religioſi totius Prouinciæ illud ſeruare nõ tenentur; ſolùm enim loquitur clem. de Religioſis non ſeruantibus interdictum, quod ſeruat Eccleſia matrix loci, vt aduertit Rodriq. loc. cit. fine. Vide ſupra, in conſt. 2. Sixti IV. à num. 50.

§. XVII.

38 NOta, quòd in Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 12. habetur, quòd impedientes ſoluere decimas excommunicentur. In clem. Cupientes, de pœnis, §. 1. excommunicantur ipſo facto Religioſi, qui in ſermonibus, vel alibi proferunt aliqua, vt retrahant à ſolutione decimarum. Ad quam excommunicationem incurrendam ſecundùm Cai. in ſumm. ver. Excommunicatio, cap. 65. requiruntur tria. 1. quòd ſint Religioſi. 2. quòd habeant intentionem retrahendi. 3. quòd decimæ debeantur Eccleſiæ, quibus quartum addit Nauar. in ſumm. cap. 27. nu. 145. vt ſcilicèt audientes, ſint, qui eas debent.

39 Excommunicantur etiam in dicta clem. Religioſi, qui de induſtria nullum conſcientiæ ſcrupulum iniciunt in confeſſionibus pœnitentibus de ſolutione decimarum, & poſtea, non expiata hac negligentia, cum commode poſſent, præſumunt concionari. Ad quam incurrendam, ait Nau. loc. cit. quòd quinque requiruntur. 1. quòd ſit Religioſus. 2. quòd fuerit negligens in oneranda ſcrupulis conſcientia pœnitentis in confeſſione, vt ſolueret decimas. 3. quòd faciat hoc ſcienter, & non purget illam negligentiam, cum commodè poſſit. 4. quòd concionetur abſque purgatione illius ſi autem non prædicet, numquam incurret iſtam pœnam, vt bene Cai. ver. Excommunicatio, cap. 66. 5. quòd non ſit Religioſus Monaſterij, quod accipit decimas. Notant etiam Cai. & Nauar. quòd ad incurrendam iſtam excommunicationem non eſt neceſſe, quòd confeſſarij ſint requiſiti ab Eccleſiarum Prælatis. Contrarium tamen requiri, nimirum requiſitionem Prælatorum, ait Sylu. ver. Excommunicatio 9. caſu 46. nu. 89. & Eugen. IV. vt refert Rodriq. tom. 2. q. reg. q. 44. art. 8. conceſſit, quòd fratres omittentes facere conſcientiam de decimis, ſi non fuerint requiſiti à Prælatis, non cadunt in excommunicationem. Hic etiam requiritur requiſitio. Iſta autem requiſitio debet fieri quando prædicabunt in prima, quarta, & vltima Dominica Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſionis, Pentecoſtes, Natiu. S. Ioannis Baptiſtæ, Aſſumptionis, & Natiuitatis B. M. V. vt habetur in dicta clem. §. Et quia. Quòd ſi in alijs feſtiuitatibus requirantur, & nolint prædicare pro decimis, modò contra illas non prædicent, non incurrunt. Sylu. & Rodriq. loc. cit. Quo pacto intelligendus eſt etiam hic textus.

40 Quò verò ad illud, quod dicit hic Pontifex quod abſolutionem denegent ſoluere recuſantibus, intelligit Rodriq. ſi ter admoniti fuerint, iuxta Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 12. de pœnis, & cenſuris contra non ſoluentes, noluerint ſoluere. Et ſic ille, qui iuſſus à ſuis confeſſoribus ſemel, iterum, atque iterum ſoluere, ſi ſoluat, poteſt abſolui, non obſtante hac prohibitione, quæ in hoc caſu locum non habet.

41 Aduerte etiam circa hoc, non poſſe confeſſores abſolutionem denegare illi, qui decimas non ſolùm nullo modo poteſt ſoluere, ſed qui non poteſt commodè. Ita cum multis Sanch. lib. 2. in decal. cap. 20. num. 19.

§. XIX.

42 NOta, quòd moderat priuilegium. Iul. II. ſup. in eius conſt. 2. §. 9. in quo licèt dicatur, quòd adſtricti debitis ſatisfaciant, poſſint tamen abſolui, modò ſatisfaciant, etiam poſtquam habitum ſumpſerint, vel profeſſionem emiſerint, data videlicèt cautione debita. Hic autem Pontifex non vult, vt ad profeſſionem admittantur, à cenſuriſque abſoluantur, niſi præuia ſatisfactione.

43 Sed quid, ſi non habuerint, vnde ſoluant. Gutier. lib. 1. can. q. cap. 5. nu. 29. Sotus in 4. d. 22. q. 2. art. 3. verſu Præterea, Suar. tom. 5. in 3. p. d. 23. ſect. 5. num. 27. dicunt, quòd non poſſunt abſolui, quia illud arbitramentum, vtrum debitor poſſit ſoluere, necne. Papa non committit niſi ſoli iudici excommunicanti. Med. lib. 2. ſum. ca. 12. pag. mihi 203. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 20. num. 19. cum multis, quos citat, contrarium cenſent. Ratio poteſt eſſe, quia nemo ad impoſſibile tenetur: leg. Impoſſibilium, ff. de reg. iuris, cap. Olim, el 2. de reſt. ſpol. tantum enim bonum, qualis eſt Religionis ingreſſus, non eſt propter realem impotentiam omittendum. Hoc caſu dicendum puto, quòd, ſi impoſſibilitas eſt euidens, probabilis eſt 2. opinio, quia tunc pars eſt irrationabiliter inuita, Facit cap. Cum tu de vſur. ibi Euidenter excuſet, & Gloſſa in c. Quamquam, verſu, facultates eod. tit. in 6. quando autem non eſt euidens, veram puto primam propter fraudes, quæ in hoc fieri ſolent. Vniuerſaliter autem quando ante abſolutionem requiritur realis ſatisfactio partis, cenſeo, quòd, ſi adſit impoſſibilitas, poſſit excommunicatus abſolui. In caſu autem huius textus Papa non requirit niſi præuiam ſatisfactionem, ad quam non eſt neceſſe realis reſtitutio, ſeu debiti ſolutio, ſed ſufficit iuratoria cautio, vel fideiuſſio.

§. XXIV.

44 NOto 1. quòd Regulares debent Epiſcopos venerari ſub pœna peccati mortalis, verbum enim illud, Moneo hic interpretor pro, Præcipio; verba namque deſeruiunt intentioni, non intentio verbis, vt bene Panor. in cap. Nam concupiſcentiam, de conſtit. num. 3. Facit Corſ. ad repert. Panor. ver. Clauſula, Moneas, & inducas. Inde autem videtur intentio Pontificis conſtare, cum in virtute obedientiæ moneat, eoſque ducat Apoſtolorum loco ſubrogatos, ac pro reuerentia, quam Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ debemus, eos venerari moneat. Seu ſic poſſumus interpretari; Monemus, vt fratres Epiſcopos venerentur, & hoc in virtute ſanctæ obedientiæ: quæ verba licèt non ſemper peccatum mortale inducant, pro ſubiecta tamen materia inducunt quandoque vt hic Pro quo adduco textum in cap. Re vera 3. qu. 8. vbi expreſſe Gloſſa verbo, monemus. Venerari itaque debemus DD. Epiſcopos, ſed abſque læſione noſtrorum priuilegiorum. Vide Rodriquez to. 2. quæſt. reg. qu. 63. art. 9. Et exemptum à iuriſdictione, non eſſe exemptum à iure reuerentiali, docet Rom. ſing. 486.

45 Noto 2. quòd ad dictum honorem Epiſcopis exhibendum pertinet, vt reuerenter eos recipiant Regulares, quando ad celebrandum in eorum Eccleſiis venerint. Et aduerte, quòd in Eccleſijs Mendicantiũ poſſunt Epiſcopi diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in pontificalibus ibidem celebrare, & ſolemniter populo ibidem benedicere per illa verba, Sit nomen Domini benedictum, & ibidem facere corã ſe celebrari, ſed ſine põtificalibus. Ita habetur in clem. Archiepiſcopo, de priuil. &c. Non poſſunt tamen propter hoc in dictis Mendicantium Eccleſijs ea, quæ iuriſdictionem dicunt, exercere, vt enriſmare, ordinare, confirmare, degradare, &c. dicta clem. §. Si tamen, vbi expreſsè Gloſſa ver. Etiam celebrare, & Card. ver. Simili, num. 6. & §. Si tamen, num. 2. & 3. Et poſſunt

etiam

etiam dicti Epiſcopi in dictis Mendicantium Eccleſijs baldachino vti, & contradicentes fratres ad id poſſunt pœnis, & cenſuris eccleſiaſticis cogi, per nouum decretum Congr. quod refert Quar. in ſumm. bull. ver. Priuilegia Regul. pag. 515. & Piaſ. in praxi epiſ. p. 2. c. 3. pag. 191. quod ſic habet. *Decet Epiſcopis pro eo quod in Eccleſia Dei excellunt dignitatis gradu, in quocumque ſuarum Diœceſum loco, quoties eos ibi pontificalia exercere, aut in pontificalibus adeſſe, & aſsiſtere contingit, eam, quam par eſt, reuerentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non ſine graui animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares vano quorumdam immunitatum, & priuilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſijs in pontificalibus intereſſentibus, non modò renuiſſe in eis ſupra locum epiſcopalis ſolij baldachinum erigere, verùm id etiam iuſſu ipſorummet Epiſcoporum curantes, prohibere & arcere auſos fuiſſe: atque ideo ſacra Congreg. S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum S. D. N. Papa Clem. VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, hoc præſenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro, declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, vt de cætero Epiſcopi, vbi tam ex conſuetudine, & priuilegio, quam ex ſacrorum Canonum conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio iure, pontificalia exercere, aut pontificalibus paramentis cum mitra, vel etiam ſola cappa induti, in quibuſuis Regularium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Monachorum, etiam Caſsinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cuiuſuis alterius Ordinis, & Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis eccleſijs intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud aſportari, & in quacumque earumdem Regularium, aut alia quantumuis exempta Eccleſia, ſupra epiſcopale ſolium, ſeu pontificale faldiſtorium erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodum in proprijs & cathedralibus eorum Eccleſijs ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen dumtaxat tempore, quo pontificales huiuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant ſe ab eiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas huius decreti vigore cogi, & compelli poſſe, alijſque pœnis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus arbitrio ſummi Romani Pontificis ſubiacere, & obnoxios fore. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum, Religionum, Militiarum, Societatum, & Congregationum, quocumque nomine cenſeantur, ſtatutis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium præmiſſorum hactenus quomodolibet conceſsis, confirmatis, & approbatis: quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi talia eſſent, quæ ſub generali expreſsione, & derogatione non venirent, ſed de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua mentio habenda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſsis, & ad verbum inſertis habens eadem Sanctitas ſua, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Romæ die 10. Iunij 1603. Alex. Car. Flor. Epiſ. Præneſt. Hier. Agucchius Secret.*

46 Si quæras, an poſsit in dictis Eccleſijs proceſsionem ſolemnem, & generalem ordinare. Dico, quòd non. Quia hoc iuriſdictionis actus eſt potiùs, quam honoris. Vital. ſuper clem. Archiepiſcopo, nu. 55.

47 An autem poſsit prædicare dubitant aliqui, quia actus videtur honoris. Sed credo, quòd non, per doctrinam Card. in dicta clem. §. Si tamen, num. 2. & 3. Nam exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in ſuo priuilegio, niſi quatenus exprimitur, & priuilegiatus in aliquo non poteſt ad aliud extendere ſuum priuilegium. Si tamen concedatur, quod prædicare poſsit, non tamen poterit indulgentias concedere. Card. nu. 4.

48 Noto 2. quòd Epiſcopi tenentur etiam fratres affectu beneuolo proſequi, charitatiuè tractare, benignè fouere. Vide quàm paternè, quàm ſanctè Epiſcopos moneat ſanctiſſimus, & optimus Pontifex, de tali equidem dignitate benemeritiſſimus.

CONSTITVTIO XXVII.

Statuit, Correctorium eſſe addendum Regulæ, & ſecundùm illud, & iſtam omnia in Religione debere definiri: Et concedit, quòd in Capitulis generalibus poſsint fieri ſtatuta, non tamen contra Regulam, nec contra Correctorium, quæ tamdiu durent, quò fuerint per ſequens Capitulum generale reuocata.

IO: DOMINIC. CZIATIVS.

I. V. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Therdon. & Comes. Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, lecturis, viſuris, & legi audituris, ſal. in Dom. & præſentibus fidem indubiam adhibere.

§. 1. *VNiuerſitati veſtræ notum facimus, qualiter, nobis præſentibus, necnon pro reuerendiſs. D. Cardinali S. Crucis Ordinis fratrum Minimorum Protectore vices gerentibus, ac præſidentibus Romæ in 4. Capitulo generali dicti Ordinis B. Franciſci de Paula, apud domum SS. Trinit. eiuſdem Ordinis celebrato anno Domini 1517. die verò 22, menſis Maij ad Eccleſiam S. Trinitatis huiuſmodi acceſsit prædictus reuereuerendiſs. in Chriſto P. & D. D. Bernardinus Carnaczal Epiſcopus Sabin. Card. S. Crucis, Patriarcha Ieroſolimitan. Et ibidem primùm audita miſſa, acceſsit ad locum deputatum pro dicti 4. generalis Capituli eorumdem fratrum celebratione, & inibi incipiendo à diuinis, dictis orationibus ſolitis, propoſuit cauſam aduentus ſui, vt ſcilicèt videret, & conſolaretur eoſdem Patres, & rogaret, vt ipſi inſtanter bonæ directioni Ordinis ſui, & Regulæ, ac Correctorio, per bonæ mem. Iulium II. approbatis intenderent, & vt deinceps ſuper eiſdem B. Patris eorum Fundatoris Regula, atque Correctorio huiuſmodi per ſanctam Sedem Apoſtolicam ſub dicto Iulio II. confirmatis, nulla inter eos in futurum eſſet diſcordia, ſed, ſicut bonos decebat filios obedientiæ, vniformiter Regulam, & Correctorium huiuſmodi omnes in perpetuum acceptarent, & fideliter obſeruarent, ita quòd ipſi Regulæ in aliquo non derogetur, ſed ſemper, vt iacet, illibata permaneat.* Exhortatio pro pace Capituli.

§. 2, *Dictum verò Correctorium, quod prædictus B. P. eiuſdem Ordinis Inſtitutor edidit, & prædictus fel. rec. Iulius Papa II. confirmauit, primitùs ſiquidem per bonæ mem. Cardinalem Senogallen. ſeu eiuſdem literarum vigore, in primo eiuſdem Ordinis generali Capitulo Romæ ſimiliter per eundem auctoritate Apoſtolica celebrato, in quinque duntaxat articulis, tandem verò in hoc 4. generali Capitulo in viginti quinque articulis, primò ſiquidem per dictum reuerendiſs. D.* correctoriũ addendum Regulæ. quibus generale Capitulum derogare non poteſt.

Pro-

Protectorem viſis, & deinde per reuerendiſs. D. Cardinalem SS. quatuor Coronatorum, eiuſdem etiam Ordinis Protectorem reuiſis, & per eoſdem iuſtis repertis, & ſimiliter per eorum quemlibet, & poſtmodùm per prædictum S. D. N. pro totius Ordinis vniuerſali pace, & conſolatione vnanimiter admiſſis, necnon per totum generale Capitulum huiuſmodi tandem vniformiter acceptatis, auctoritate Apoſtolica modificatum, & emendatum, præfatæ Regulæ maneat annexum; ita quòd Regulæ, & Correctorio huiuſmodi per ſequentia generalia Capitula quæcumque nullo modo derogari poſſit: Sic etiam, quòd iuxta dicti B. P. Inſtitutoris vltimam voluntatem, cui ſemper ſtandum erit, vnica ſit ipſorum fratrum Regula cum vnico eius Correctorio huiuſmodi: Et ſimiliter eiuſdem Ordinis ſororum ſit vnica Regula: Ac pariformiter Ordinis huiuſmodi vtriuſque ſexus tertiariorum vnica ſit Regula, prout idem B. P. Inſtitutor vltimò ſtatuit, & ordinauit, & Apoſtolica Sedes ſub prædicto Iulio Papa II. approbauit, & confirmauit.

Regula & Correctorium, non emendentur.

§. 3. *Inſuper etiam, nobis præſentibus, eadem auctoritate Apoſtolica ibidem ſtatuit, & ordinauit præfatus reuerendiſs. D. Protector, quòd de cætero per quæcumque ſequentia generalia Capitula de Regula, & Correctorio huiuſmodi nil penitus emendari, aut ſubtrahi poſſit.*

In Capitulis generalibus poſſunt fieri ſtatuta, non tamen contra Regulam & Correctoriũ; & quæ durent, vſq; per aliud generale Cap. fuerint derogata.

§. 4. *In dictis tamen ſequentibus generalibus Capitulis de communi totius generalis Capituli pro tempore celebrandi, aut ſaltem duarum eiuſdem Capituli partium conſenſu ad decorem, & quietem Ordinis licitè poterunt fieri aliqua noua ſtatuta, & ordinatione, quæ non ſint contra Regulam, & Correctorium huiuſmodi. Quæ quidem taliter ſtatuta, & ordinata vſque ad aliud pro tempore immediate ſequens generale Capitulum durare, & ſtare debeant. Quę etiam, niſi aliquo ſequenti generali Capitulo reuocentur, firma ſemper remaneant. In ipſis etiam generalibus Capitulis, & non alibi, per Patres inibi pro tempore capitulares reuocari, aut moderari poterunt ſtatuta huiuſmodi. Talis autem natura aliquando eſſe poſſent prætacta ſtatuta, quòd ipſa ob eorum vtilitatem, & grauitatem, Apoſtolicam confirmationem obtinere mererentur, & deberent, & tunc iuxta dictorum reſpectiuè Capitulorum generalium determinationem, ſimiliter illibata permaneant ſtatuta huiuſmodi.*

Contra Regulam, & Correctorium nullus poteſt recalcitrare.

§. 5. *Tandem verò, nobis ſimiliter præſentibus, per dictum reuerendiſs. D. Protectorem eadem auctoritate Apoſtolica inibi concluſum extitit, ac definitum, quòd vlteriùs in quibuſcumque ſequentibus generalibus Capitulis huiuſmodi contra Regulam, & Correctorium huiuſmodi nullatenus recalcitrare, neque multum in ſtatutis abundare liceat, ſed de cætero, & in antea iuxta Regulam, & Correctorium huiuſmodi, cęteraque dictorum reſpectiuè generalium Capitulorum ſtatuta maturè prouidèque definiantur ſinguli pro tempore emergentes caſus.*

Conſtitutionis firmatio.

§. 6. *In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas exinde fieri, & per Notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandauimus, ſigillique noſtri iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum, & actum Romæ, in domo habitationis noſtræ, ſub anno a Natiuit. Domin. 1517. Indictione 5. die verò 28. menſis Iunij, Pontif. SS. in Chriſto P. & D. N. D. Leonis diuina prouidentia Papæ X. anno 5. præſentibus ibidem ven. viris DD. Iacobo Roſſero Clerico, & Chriſtophoro Prauido laico Lunen. & Therdon. Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis. Et ego Nicolaus Remigij de Vlmis, Clericus Therdon. Diœceſis, publicus Apoſtolica, & imperiali auctoritatibus Notarius, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis vnà cum prænominatis teſtibus præſens fui, ideo hoc præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum ſubſcripſi, & publicaui, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis vnà cum prædicti reuerendiſs. P. D. Io. Dominici Epiſcopi ſigilli appenſione ſignaui, in fidem, & teſtimonium præmiſſorum rogatus, & requiſitus.*

CONSTITVTIO XXVIII.

Statuit, quòd fratres, non obſtante calendario Ordinis, poſſint feſta municipalia celebrare; & quòd Capitula prouincialia poſſint anticipari, & differri.

BERNARDINVS.

Miſeratione diuina Epiſcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis S. Crucis in Ieruſalem, Patriarcha Ieroſolim. Ordin. fratrum Minim. B. Franciſci de Paula Protector; vniuerſis, ac ſingulis fratribus dicti Ordinis nunc, & pro tempore vbilibèt degentibus ſalutem in Domino.

§. 1. *Vobis, ac veſtrum cuilibet præſentium tenore ſignificamus, qualiter à S. D. N. D. Leone diuina prouidentia Papa X. viuæ vocis oraculo obtinuimus, quòd in quibuſcumque reſpectiuè Prouincijs, terris, & locis, vbi vos pro tempore reſidere, ſeu moram trahere habebitis, aliquo ſolemne feſtum, quod etiam iuxta dicti veſtri Ordinis calendarij, veſtrarumque rubricarum tenorem, & continentiam tali die celebrare non deberetis, ſolemniter celebrabitur, vos etiam ſinguli per totum veſtrum prætactum Ordinem de dicto feſto in Prouincia, ſeu terra huiuſmodi tunc taliter celebrando ad minus tali die miſſam vnam celebrare debeatis, vnà cum commemoratione feſti in dicto veſtro calendario pro tali die annotati, quod videlicèt tunc iuxta dicti veſtri calendarij, veſtrarumque rubricarum huiuſmodi tenorem vos celebrare contiget.*

Debent fratres celebrare miſſam de Sanctis municipalibus cũ commemoratione Sanctorum proprij calendarij.

§. 2. *Inſuper circa glorioſiſſimæ ſemper V. M. Conceptionis celebrationem à præfato S. D. N. ſimili viuæ vocis oraculo pariformiter obtinuimus, quòd cuique laudabili conſuetudini vniuſcuiuſque reſpectiuè Prouinciæ, ſeu terræ, vbi vos pro tempore reſidebitis, & licitè vos conformare poſſitis, & debeatis.*

In celebratione officij Conceptionis ſe conſuetudini locorũ conforment.

§. 3. *Vlterius ab eodem S. D. N. eodem viuæ vocis oraculo obtinuimus, quòd quotieſcumque in aliqua Prouincia, ſeu terra, vbi vos pro tempore moram*

In celebratione feſtorum municipa-

per-

pertrahere continget, aliquod inibi ſolemne feſtum, etiam in dicti veſtri Ordinis calendario minimè annotatum, communiter, ac ſolemniter celebrabitur; illud etiam idem feſtum apud dictam Prouinciam, ſeu terram taliter ſolemniz. audum, vos ſimiliter ſinguli vno, eodemque die veſtris in Eccleſiis more veſtro pariformiter celebrare valeatis; ita tamen, quòd, ſi feſtum ipſum, tunc in Prouincia, ſeu terra huiuſmodi per ſeculares, ac Regulares quoſcumque &, vt præfertur, veſtris in prætactis Eccleſijs per vos taliter celebrandum, in dicto veſtro calendario minimè annotatum foret, vltra dicti feſt. celebrationem huiuſmodi per vos, vt præfertur, tunc taliter faciendam, vos, ac veſtrum ſinguli dictum feſtum pro tempore taliter celebrantes, in vtriſq; veſperis, ac matutinis, & miſſa in veſtris diuinis officijs de quocumque tunc ob huiuſmodi reſpectiuè relicto feſto, in dicto veſtro calendario ſpecialiter annotato, aliaſque per vos iuxta ſupradicti veſtri calendarij, veſtrarumque rubricarum huiuſmodi continentiam tali die celebrãdo, ſpecialem commemorationem peragere debeatis. Ita etiam, vt attenta talis feſti commemoratione huiuſmodi per vos tali die, vt præfertur, facta, dictum feſtum in prætacto veſtro calendario taliter annotatum, & aliàs illa die per vos iuxta dicti veſtri calendarij, veſtrarumque rubricarum huiuſmodi continentiam celebrandum, iterum eodem anno nullatenus celebrare debeatis.

lium fiat commemoratio feſti proprij calendarij.

Capitula prouincialia poſſunt anticipari, & differri. Eſt derogatũ per cõſt. 4. pauli III. infra §. 4.

§. 4. *Tandem à præfato S. D. N. ſimili viuæ vocis oraculo obtinuimus, attento, quod prouincialium Capitulorum celebrationis locus, & tempus non ſunt eſſentialia Regulæ, neque Correctorio, ſed dumtaxat ipſa Capitulorum huiuſmodi celebratio, cum etiam nonnumquam, vrgente neceſſitate, interueniente Sedis Apoſtolicæ; totiuſque generalis Capituli conſenſu, mutari, differri, vel anticipari poſſint dictorum Capitulorum celebrationis locus, & tempus huiuſmodi, quòd interueniente ſuper huiuſmodi Capitulorum celebrationis loci, vel temporis mutatione, dilatione vel anticipatione, Ordinis veſtri Capituli generalis conſenſu ſpeciali, abſque Regulæ, Correctorijque tranſgreſſione aliqua, iuxta prætacti veſtri Ordinis cuiuſque reſpectiuæ Prouinciæ varietates, multipliceſque neceſſitates, etiam per integrum menſem veſtrorum reſpectiuè Capitulorum prouincialium celebrationem huiuſmodi iuxta dicti veſtri Correctorij tenorem facere debeatis, & teneamini.*

Conſtitutionis firmatio.

§. 5. *In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſarum præſentes literas exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, & publicari mandauimus, ſigillique noſtri iuſſimus, & fecimus appenſione communiri.*

Datum, & actum Romæ in domibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno à Natiuit. Dom. 1519. Indict 5. die verò 1. menſis Iun. Pontific. in Chriſto Patris, & D. N. D. Leonis Papæ X. præfati anno 5. præſentibus ibidem vener. viris DD. Matthæo Granata, & Vaſco de Caruaial. Clericis Tiraſonen & Placentin. Diœceſis, Camerarijs, & familiaribus noſtris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis. De mandato præfati reuerendiſſimi Dom. mei Cardinalis, Andreas de Beuilla eius Secretarius, &c. locus O ſigilli.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 PRo intelligentia huius conſtit. noto primò, quòd in Ordine noſtro erat ante reformationem breuiarij calendarium particulare, ſecundùm quod tenebantur fratres officium diuinum celebrare, vt patet ex Capitulo Bonon. 1. nu. 2. Immo ex Regula, num. 13. Quod erat ab Eccleſia approbatum, vt ex dicta Regula conſtat; vnde cum contingeret aliquando in Prouinciis, & terris, quibus degebant fratres, feſtum aliud celebrari ab eo, quod in ipſorum calendario deſcriptum erat, populorum deuotioni pro voto non ſatisfaciebant. Quare gratias, de quibus hic, impetrauerunt.

2 Noto 2. quòd Concilium Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 12. ſtatuit, quòd *dies feſti, quos in Diœceſi ſua Epiſcopus ſeruandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſeruentur.* Quod declarans ſacra Congregatio Concilij ſtatuit, intelligendum ſolùm eſſe quo ad conciones & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, vt refert Quar. in ſumm. bull. vet. Priuileg. Regul. pag. 515. & Rodriq. in bull. in Clem. VII. pag. 547. in hæc verba. *Congregatio Concilij cenſuit decretum, cap. 12. verſic. Dies etiam feſtos ſeſſ. 25. de regul. ita eſſe intelligendum, vt Regularium ritus illis feſtis ſemper permaneat quò ad miſſas celebrandas, & cætera diuina officia tam publicè, quam priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs perſoluenda, nec circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quicquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſet quod ſi de facto præceperint, Regulares nequaquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verum quò ad conciones, & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare euangelijs & epiſtolis, quibus Clerus ſecularis vtitur illis [illegible] feſtis.*

3 Noto 3. quòd poſt reformationem Breuiarij Romani, factam à Pio V. noſtra Religio in omnibus illud Breuiarium acceptauit, & ſecundùm illud ſemper diuinum officium celebrauit, illo antiquo calendario relicto, licèt ad id non teneretur, vt videri poteſt in dicta conſtitutione, quę habetur in principio Breuiarij. Quia noſtrum illud calendarium fuerat ex ſua prima inſtitutione ab Apoſtolica Sede approbatum, vt patet ex cap. Barc. 1. num. 5.

4 Quæres 1. an officium diuinum per aliquod priuilegium poſſit à fratribus mentaliter perſolui.

℞. Secundùm communiorem opinionem non eſſe neceſſe, quòd officium diuinum recitans priuatim, ita verba proferat, vt ſe ipſum audiat: ſed ſufficit formare verba in ea labia, & dentes, eaque diſtinctè ibi proferre, ſiue ſe ipſum audiat, ſiue non. Ita Nau. tom. 4. comm. de or. cap. 20. nu. 14. Leo verò X. viuæ vocis oraculo facto Laurentio Cardinali SS. quatuor *conceſſit, ne fratres ſe mutuò impediant, ne fieri diminuant alij ſint faſtidioſi, quòd illa, quæ ex ordinatione dicuntur dici ſecretè ſub ſilentio, tam in horis canonicis, quam etiam in miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatis faciant dicendo mentaliter, aut legendo intra ſe per librum, quia aliqui deuotius ſic dicunt, & abſque impedimento, & officio aliorum. Et eodem modo poſſe facere, qui dicat officium per ſe ſolus, cum prolatio verbalis ſit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.* Ita refert Rodriq. in ſuo bull. in viuæ vocis oraculis Leonis X. n. 12. & tom. 1. qu. reg. q. 42. ar. 4. Et Caſar. in con. p. verb. Officium diu. 1. nu. 9. Circa quod priuilegium Nau. loc. cit. c. 19. nu. 88. verſu Sextum eſt eiuſdem Papæ, & c. 20. nu. 14. ait, quòd licèt diſputando defendi poſſet, hoc non eſſe priuilegium, & iure communi officium diuinum poſſit mentaliter dici, quia verba ſolùm videntur principaliter requiri, quò alij audiant. conſulendo tamen ait, id eſſe priuilegium. Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 8. dub. 2. abſolutè docet, Religioſos poſſe, mentaliter legendo intra ſe per librum, recitare horas, & alia, quæ in officio diuino præcipiuntur dici ſecretò ſub ſilentio, quam opinionem ait eſſe reijciendam Scort. in ſelectas bullas, theor. 322. cum ſolùm Leo X. tantùm conceſſerit, vt ſubmiſſè dicerent. Certè priuilegium Leonis

ADRIANVS VI.

Germanus, ex Ciuitate Traiecti in Germania inferiori, Florentij de Florentijs filius, anno Domini 1522. die 9. Ianuarij ad Pontificatum aſſumptus, Ordini noſtro conceſſit infraſcripta.

CONSTITVTIO VNICA.

Quæ eſt viua vocis oraculum, in quo conceditur fratribus noſtris, vt tartarucas, ſeu teſtudines comedere licitè poſſint.

LAVRENTIVS.

Miſeratione diuina titul. SS. quatuor Coronatorum S. R. E. Præsbyter Cardinalis, ac maior pœnitentiarius, & Ordin. Minimor. Protector.

Concedit prout in ſummario.

§. 1. *Vniuerſis, & ſingulis præſentes literas noſtras patentes inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur, quatenus, cum à nonnullis nimiùm curioſis in dubium reuocaretur, an fratribus Ordinis Minimorum, quibus, præterquam in infirmitate conſtitutis, iuxta Regulam per S. Franciſcum de Paula dicti Ordinis primum Inſtitutorem ordinatam, ac per Sedem Apoſtolicam approbatam, & confirmatam, eſus carnium, & ouorum, ac caſei, & aliorum lacticiniorum eſt prohibitus, teſtudines tartarucas nuncupatas comedere liceret, ac quondam F. Franciſcus Binet tunc dicti Ordinis Generalis, medico iubente, illo tartarucarum, ſeu teſtudinum cibo veſci noluerit, aſſerenſque id ſibi, & alijs fratribus non licere, dicto medico parere, ac fratribus licentiam propter conſcientiæ ſcrupulum dare nollet; bonæ mem. Bernardinus Cardinalis S. Crucis, tunc dicti Ordinis Protector, eorumdem fratrum conſcientiæ ſerenitati conſultum eſſe cupiens, fel. rec. Adriano Papæ VI. nobis præſentibus, atque inſtantibus, humiliter ſupplicauit, vt ſua declaratione huiuſmodi dubium enucleare dignaretur: Ipſeque Adrianus Papa attendens fratres Ordinis Carthuſienſis, quibus carnium eſus, etiam infirmitatis tempore, perpetuò eſt interdictus, eas comedere, teſtudinum, ſeu tartarucarum huiuſmodi cibo, quolibet etiam quadrageſimali tempore, liberè, & licitè abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo veſci licere, viuæ vocis oraculo declarauit; ipſeque Bernardinus Cardinalis eidem Generali, vt medico iubenti pareret, ac tartarucas comederet, alijſque fratribus licentiam concederet, in virtute ſanctæ obedientiæ iuſſit, atque mandauit, prout etiam nos per præſentes moderno Generali iubemus, atque mandamus.*

Firmatio conſtitutionis.

§. 2. *In quorum fidem dictas patentes literas fieri, ac parui ſigilli noſtri impreſſione per infraſcriptum Secretarium noſtrum communiri fecimus, manuque noſtra propria ſubſcripſimus. Datum Romæ, in Palatio Apoſtolico in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ, die 14 Aprilis, 1524. Pontific. S. in Chriſto P. & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VII. anno 1. Ita eſt. Laurentius titul. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis manu propria. P. Bombaſius.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 Nota 1. quòd in Cap. gener. Tholoſ. nu. 32. dubitatum fuit, an liceret fratribus noſtris teſtudines, ſeu tartarucas comedere, propter dubium, an ſint natu piſcis, vel caro; Et quia dubium non potuit in dicto Cap. definiri, illud definiendum diſtulerunt in aliud cap. iubentes interim Patres, quòd fratres ſani nullatenus eis vterentur.

2 Nota 2. quòd ſemper de hoc, & adhuc eſt ſub iudice lis, fuit apud curioſos dubitatum. Quòd enim non ſint piſces, probatur ratione principij, quia vti gallinæ oua edunt, colore, ac ſubſtantia, & cortice ferè eadem. Deinde nec generatio eſt diuerſa, cum perfricatione piſces naſcantur. Spirant quoque, quod piſci non contribuit Ariſtoteles. Ambulant item, ſquammas non habent, ſed oſſa. Inſigniter porro nutriunt, & vitulinæ carni nonnulli conferre audent. Ex piſcibus alimentum lædere nemo dubitat. Ita Cælius lib. 10. cap. 3.

3 Dicunt alij, teſtudines eſſe ſerpentes, præterquod teſta perdura includuntur. Maiolus canic. to. 1. coll. 8. pag. 313. Vnde in Lombardia vocantur viperæ teſtaceæ.

4 Ego piſces puto, ſed apoſtatas, mari natos, qui fortè cutis duritiam pertæſi, vel aliquid aliud, ad aquas tranſierint fluuiales dulces; quas etiam pertæſi, ad paludes, inde ad nemora, vt de Teſteo piſce ſcribit Maiol. loc. citat. coll. 9. pag. mihi 365. A qua ſententia non videtur abhorrere Plinius lib. 9. hiſt. cap. 10. & 57. eo præſertim quia teſtudinum aquatilium oua in ſicco maturari dicit. Propter hæc itaq; & alia Patres illius Cap. de earum comeſtione dubitarunt: Et quia bonarum mentium eſt ibi culpam timere, vbi culpa nõ eſt; c. Conſiliũ, §. Cum autem, de obſer. ieiun. ideo ab illarũ comeſtione cenſuerunt eſſe abſtinendum, & abſtinuerunt de facto, quouſq; per Apoſt. Sedem cõcederetur.

5 Nota 3. ex abundanti, quòd teſtudinum quatuor ſunt genera. 1. & cæteris melius, terreſtre. 2. fluuiale. 3. marinum. 4. lutarium. Teſtudines terreſtres ſunt contra venena ſalutares, ex iure in cibo ſumptæ ſtrumas diſcutiunt, lienem tollunt, item & comitiales morbos. Sanguis earum recens valet ad tabem curandam, claritatem viſus facit, ſuffuſioneſq; oculorum tollit. Tegumenti cinis, vino, & oleo ſubactus, pedum rimas, vlceraque ſanat. Squammæ è ſumma parte deraſæ, in potu datæ venerem cohibent. Oua durata illinuntur ſtrumis, & vlceribus, frigore, aut aduſtione factis. Sorbentur in ſtomachi doloribus. Marinarum carnes admixtæ ranarum carnibus, contra ſalamandras præclarè auxiliantur. Sanguine alopeciarum inanitas, & porrigo, omniaq; capitis vlcera curantur; Inareſcere autem eum oportet, lenteq; abluſ. Inſtillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Si dentes per annum colluantur teſtudinum ſanguine, immunes à dolore fiunt. Fel earum claritatem oculorum facit, cicatrices extenuat, tonſillas ſedat, & anginas, ac omnia oris vitia. Plinius nat. hiſt. lib. 32. cap. 4.

6 Nota 4. quòd teſtudinum tegumento ad ornandos lectos,& repoſitoria,vtebantur antiqui,vt modò officula ligno affabrè iniungunt & ceroſtrata opera faciunt, maximè hic Genuæ ad cultrorum manubria conficienda. Plin.lib.9.cap.11. *Teſtudinum,ait, putamina ſecare in laminas, lectaſque & repoſitoria his veſtire. Carbilius Pollio inſtituit.* Et lib.16. cap.43. *Modo,ait luxuria non fuerat contenta ligno,iam lignum emi teſtudinem facit.* Et Seneca libr.7.de benef.cap.9. *Video,inquit,elaboratam ſcrupuloſa diſtinctione teſtudinem.* Et Martialis.

Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti.

Et Iuuenalis

Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum.

7 Nota 5. quod à Pierio libr.2.ex addit.cap. 34. ponitur teſtudo in prudentiæ ſymbolum,eo quod pedetentim,& maxima tarditate incedat: Ponitur etiam in ſymbolum ſilentij. Cæl.lib.10. cap. 3. & in ſignum pigritiæ ponitur a Plauto *Teſtudinem hunc tibi grandibo*, inquiens in aulul. *gradum,ſi fuſtem ſumpſero.* Ad quod facit Diogenianum illud. *Prius teſtudo leporem præterierit.* Vnde etiam creditum eſt,quòd ſi pes eius dexter inferatur nauigio, id ire tardiùs. Nec illud hic reticendum Anthiſtenis dictum, de quo Laertius in eius vita, qui Athenienſibus gloriantibus, ſe nunquam ſolo, in quo nati eſſent, exceſſiſſe, *Commune*, reſpondit, *hoc habetis cum teſtudine, & cochlea.*

8 Noto 6. quod nos Minimi teſtudinibus vtimur, quando poſſumus, non ad laſciuiam,ſed ad naturæ ſolamen; ſunt enim cibaria multùm confortantia, & guſtui ſuauia; omnium meliores terreſtres, & fœminæ. Marinæ, ſi non excedant libras 25. ſunt rationabiles, ſi excedant, beſtiales. Occidimus autem eas hoc pacto. Terreſtres in ſuccenſa ſarmenta coniectæ, diuidentibus ſe tegumentis,diripiuntur. Marinæ, amputato collo; ſanguineque in vas ſtillato, cultro deglubuntur. Tum euulſæ carnes, in cacabum, ſeu ollam fictilem, cum aquæ congijs ſufficientibus,addito ſale,coniiciuntur. Paramus autem, iuxta magnitudinem, & partium diuerſitatem,varijs modis. Nam marinæ elixantur cum cæpis, petroſellinis, pipere; & aromatibus, & in iure concoquitur pulmentum. Aſſantur etiam in olla cum cæpis, petroſellino, vua paſſa, granis pineis, pipere, & aromatibus. Quo eodem modo parantur terreſtres, fluuiales, & lutariæ. Et ſanguine cum adipe, pipere, fœniculo, & ſale farcimen facimus, quod hæmatiam vocant. Inteſtina in fruſtra conciſa, cum petroſellino, cæpis,vua paſſa,granis pineis,oleo,ſale,pipere,& aromatibus comedimus. Hepar, quod non minoris eſt saporis, quàm vitulinum, porcinum, ſeu etiam caprinum, frigimus in ſartagine. Oua partim aſſata, partim elixata,partim frixurata comedimus; elixata etiam cum cortice ſorbentur. Ecce igitur, quomodo ex vna teſtudine multis paropſidibus paratur conuiuium in quadrageſima. Sed aduerte in comedendo, quòd paucitas ſtrophos,ideſt tormina facit,copia verò detergit, atque expurgat; vnde paræmia, *Teſtudinea carne aut veſcendum, aut non omnino veſcendum.* Cæl. lib. 10. cap. 3.

CLEMENS VII.

Italus Florentinus, Iuliani de Medicis filius, ad Summum Pontificatum aſſumptus anno 1523. die 19. Nouembris, Ordini noſtro conceſſit infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Mandat Ordinarijs, & alijs in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, vt electi in Conſeruatores aſſiſtant defenſioni fratrum aduerſùs moleſtatores, & tradit eis modum procedendi.

CLEMENS PAPA VII.

Vniuerſis, & ſingulis venerab. fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus,& alijs perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis,ac metropolitanarum,& aliarum cathedralium Eccleſiarum Canonicis, necnon eorumdem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicarijs in ſpiritualibus generalibus vbilibet conſtitutis, ſalut. & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1. *Conqueſtionem dilectorum filiorum Generalis, & Prouincialium, ac aliorum Correctorum, & vniuerſorum fratrum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula percepimus, quòd nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Prælati, & Rectores, eorumque Vicarij, & Officiales, ac Clerici, & aliæ eccleſiaſticæ perſonæ, tam religioſæ, quàm ſeculares, necnon laici, communia Ciuitatum, & Diœceſum, ac aliarum diuerſarum partium, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, a prædictis Correctoribus, & fratribus quartam canonicam, ſeu alias portiones ex rebus, & bonis eis ratione funeralium, & Chriſti fidelium piorum legatorum etiam ad certos, & determinatos vſus, præſertim ad fabricam Eccleſiarum, domorum, & locorum ſuorum ſeu in eleemoſynam, aut aliàs ſibi piè relictis, vel erogatis, ac decimas fructuum ex poſſeſſionibus, & petijs terrarum, ad eos legitimè ſpectantibus, & pertinentibus prouenientium, contra priuilegia, & indulta Apoſtolica, eis, & Ordini, ac domibus prædictis conceſſa exigunt, & in dies exigere conantur, ac relicta, & erogata huiuſmodi indebitè occupata detinent, ſeu ea detinentibus, aut decimas,*

& por-

& portiones huiuſmodi exigentibus præſtant auxilium, conſilium, vel fauorem, & alias ipſis ſuper his, ac alijs libertatibus, priuilegijs, & indultis, domibus, & Ordini prædictis, illorumque perſonis, tam à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, quàm aliàs ritè à Regibus, & alijs Principibus ſecularibus conceſſis; necnon bonis, rebus & alijs iuribus ad dictas domos, illarumque ſacriſtias ſpectantibus multiplices moleſtias, iniurias, & iacturas inferunt, eoſque coram diuerſis, tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus iudicibus ad iudicium trahunt. Nonnulli etiam dictum Ordinem profeſſi poſt emiſſam ab eis regularem profeſſionem apoſtatantes, ad aliorum Ordinum loca ſe transferunt, & ſæpiùs per ſecularium habitationes ſecundum vana ſui cordis deſideria vagando, inſolenterque & ſcandaloſè viuendo, ſe ab obedientia, & ſubiectione ſuorum Prælatorum, etiam prætextu indultorum, ſeu literarum à Sede Apoſtolica ſubreptitiè impetratatarum, ſubtrahunt, in contemptum Religionis, & animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Quare Generalis, & Prouincialis, & alij Correctores, & fratres prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt, cum eis valde reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Sedem prædictam habere recurſum, prouidere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus.

Conſeruatorum poteſtas. Vide conſtitut. 5. Greg. XV. infra.

§. 2. Nos igitur, qui pro debito paſtoralis officij, religioſarum perſonarum quarumlibet diſpendijs occurrimus, & profectibus libenter intendimus, aduersùs exactores, occupatores, detentores, præſumptores, moleſtatores, & iniuriatores, ac ſubtrahentes ſe ab obedientia huiuſmodi, illo volentes eiſdem Correctoribus, & fratribus remedio ſubuenire, per quod illorum compeſcatur temeritas, & alijs aditus committendi ſimilia præcludatur. Diſcretioni veſtræ per hæc ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſeruatores, & iudices, prædictis Generali, Prouincialibus, & alijs Correctoribus, & fratribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis, eoſdem ſuper libertatibus, priuilegijs, indultis, rebus, & bonis prædictis, ab eiſdem, & quibuslibet alijs indebitè moleſtari; vel eis grauamina, vel damna, ſeu iniurias irrogari, aut coram quibuſcumque iudicibus ordinarijs, vel delegatis etiam Apoſtolicis, quauis occaſione, vel cauſa, etiam criminali, eoſdem fratres trahi, facturi Generali, Prouincialibus, & alijs Correctoribus, ac fratribus prædictis, cum ab eis, vel Procuratoribus ſuis, aut eorum aliquo fueritis requiſiti, de prædictis, & alijs perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione bonorum, ac rerum, & iurium prædictorum, necnon libertatum, priuilegiorum, & indultorum prædictorum, & aliorum eis pro tempore conceſſorum obſeruatione, necnon profeſſorum, & ſe ab obedientia ſubtrahentium huiuſmodi ad regularia loca dicti Ordinis reuocatione, & reductione, ac de quibuslibet moleſtijs, iniurijs, atque damnis præſentibus, & futuris, in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij; in alijs verò, prout qualitas eorum exegerit, iuſtitiæ complementum. Inhibendo etiam quibuſcumque iudicibus prædictis, tam in principio, quàm in medio, vel in fine cauſæ, ne in cauſis dictorum fratrum, etiam criminalibus, eiſdem inuitis, ſe quomodolibet intromittant; ac occupatores, ſeu detentores, exactores, præſumptores, moleſtatores, ac iniuriatores huiuſmodi; necnon inobedientes, & rebelles, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque, & quotieſcumque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Et nihilominus, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, illos, quos cenſuras, & pœnas per vos pro tempore latas, incurriſſe conſtiterit, eas incurriſſe declarare, & quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus, aggrauare curetis.

Citationes locis publicis affigendæ, vbi tutus non patet acceſſus.

§. 3. Cæterùm ſi per ſummariam informationem ſuper his per vos habendam etiam vobis conſtiterit, quòd ad loca, in quibus occupatores, detentores, exactores, præſumptores, moleſtatores, & iniuriatores huiuſmodi, ac alios, quos præſentes literæ concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipſis, & citationibus de eis faciendis tutus non pateat acceſſus. Nos vobis citationes, & monitiones quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis, & partibus illis vicinis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quòd ad notitiam citandorum, & monendorum huiuſmodi peruenire valeant, faciendi plenam, & liberam concedimus tenore præſentium facultatem, ac volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd monitiones huiuſmodi ſic factæ perinde eoſdem citatos, & monitos arcsent, ac ſi eis perſonaliter intimatæ extitiſſent.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus, tam felic. recor. Bonifac. Papæ V I I I. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur, quam alijs quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, tam de iudicibus delegatis, & Conſeruatoribus, quàm perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis; Necnon quibuſuis priuilegijs, & indultis Apoſtolicis quibuſuis perſonis ſecularibus, vel regularibus, Militijs, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Capitulis, Caſtris, Villis, Terris, & locis prædictis, ac quibuſuis cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis, aut alijs Eccleſijs, Capitulis, Conuentibus, Monaſterijs, Hoſpitalibus, & alijs pijs locis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, etiam de non trahendis eorum ſubditis, vel perſonis ipſarum Eccleſiarum, Ciuitatum, Vniuerſitatum, Caſtrorum, Villarum, & locorum reſpectiuè extra eas, aut coram alijs iudicibus, & perſonis, quàm eis etiam vigore quarumcumq; literarum Apoſtolicarum, aut aliàs quibuſuis modis, & qualitercumq; ac ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis, etiam per nos, & Sedem prædictam, etiam iteratis vicibus conceſſis, innouatis, & confirmatis; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illarum ſufficienti derog ationе de illis, eorumque totis tenoribus plena, expreſſa, ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu, quæ-

nis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus; Quòdque vos filij Canonici, Officiales, & Vicarij, de perſonis, quæ deputari poſſunt, Conſeruatores non ſitis; ſeu ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultum, quòd excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto, & earum perſonis, locis, & ordinibus, & nominibus proprijs mentionem, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Conſeruatores proſequi valeat articulum ab alijs inchoatum.

§. 5. Cæterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem incohans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus: Quòdque à datis præſentium ſit vobis, & vnicuiq; veſtrum in præmiſſis omnibus, & ſingulis cœptis, & non cœptis, præſentibus, & futuris perpetua poteſtas, & iuriſdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis, & non cœptis, præſentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia, & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & iuriſdictio veſtra, & cuiuslibet veſtrum in prædictis omnibus, & ſingulis per citationem, & modum alium perpetuata legitimè extitiſſet, conſtitutione prædicta ſuper Conſeruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtantibus.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. Volumus etiam, & dicta Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Curiæ eccleſiaſticæ, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 19. Martij, 1524. Pontificatus noſtri anno 1.

CONSTITVTIO II.

Approbat, & confirmat ex certa ſcientia officium, & miſſam S. P. N. Franciſci, & concedit indulgentias illud recitantibus, & miſſam propriam celebrantibus.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filijs fratribus Ordinis Minim. S. Franciſci de Paula ſalut. & Apoſtolicam benedictionem.

Memorat conſt. 17. Leonis X. Vide quæ dico 3. p. Rit. ante officium S. P. N. notab. 1.

§. 1. Libenter ad ea concedenda inducimur, quæ deuotionis reſpiciunt incrementum. Cum itaque poſtquam felic. recor. Leo Papa X. prædeceſſor noſter vniuerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs quibuſcumque Prælatis eccleſiaſticis, quatenus ipſi, & eorum ſinguli feſtum Sancti Franciſci de Paula cum officio proprio, cum illud de Sedis Apoſtolicæ mandato ordinatum foret, aliàs cum officio vnius confeſſoris non Pontificis, cùm propria oratione in eius canonizatione ab eodem prædeceſſore edita die 2. Aprilis annuatim, niſi tunc occurreret maior hebdomada, vel octaua Paſchæ, & tunc 2. feria poſt octauam Paſchæ huiuſmodi, in ſuis ſolemniter, in veſtris verò Eccleſiis ſub ritu feſti duplicis, & cum octaua annuatim celebrarent, ſeu celebrari facerent, & mandarent, expreſsè per ſuas in forma Breuis literas commiſerat, & mandauerat.

Supplicatio.

§. 2. Vos de Sedis præfatæ mandato miſſam, & officium eiuſdem S. Franciſci de Paula in dictis Eccleſiis, vt præfertur, deuotè celebranda & recitanda piè, & laudabiliter ordinari, & inſtitui procuraueritis. Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt ordinationi, & inſtitutioni miſſæ, & huiuſmodi officij poteſtatis nobis creditæ auctoritatem impertiri de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Concedit indulgentiam 100. dierum recitantibus officium, & miſſam S. Franciſci.

§. 3. Nos igitur, qui pijs deuotarum perſonarum, præſertim religioſarum votis libenter annuimus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationem, & inſtitutionem officij huiuſmodi (quod diligenter inſpici, & examinari fecimus) auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus. Ac vobis, necnon omnibus, & ſingulis alijs Chriſti fidelibus, qui pro ſua deuotione voluerint, vt miſſam, & officium Sancti Franciſci de Paula huiuſmodi dicere, & recitare liberè, & licitè valeatis, & alij prædicti valeant, cuiuſuis licentia ſuper hoc minimè requiſita, auctoritate, & tenore præſentium concedimus, pariter & indulgemus. Et nihilominus de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, tam veſtrum ſingulis, quàm omnibus, & alijs ſingulis Chriſti fidelibus præfatis, qui miſſam, & officium huiuſmodi in feſto, & octaua prædictis deuotè celebrauerint, vel recitauerint; pro ſingulis feſti, & octauæ huiuſmodi diebus, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque præſentibus perpetuis, & futuris temporibus valituris. Datum Romę, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Maij, 1528. Pontific. noſtri anno 6.

CONSTITVTIO III.

Declarat, & de nouo concedit, quòd conceſſa vni domui, intelligantur conceſſa omnibus conſtructis, & conſtruendis.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filijs fratribus Ordinis Minim. S. Franciſci de Paula ſalut. & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1.

Memorat. conſtit. 1. Iulij II. § 18. & 30. & Leonis X. 25. § 1.

§. 1. DEuotionis augmentum vobis, Deo propitio, prouenire confidimus, ſi in his, quæ ſtatus veſtri tranquillitatem concernunt, nos vobis gratioſos, & fauorabiles exhibuerimus. Cum itaque ſicut nobis nuper exponi feciſtis, licèt dudum fel. rec. Iulius II. & Leo X. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, & indulgentias, exemptiones, & indulta alicui domui veſtri Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula particulariter, ſeu domibus alicuius Prouinciæ eiuſdem Ordinis ſpecialiter conceſſa, ad omnes, & ſingulas domos ipſius Ordinis extendi voluerint; Ac idem Leo prædeceſſor omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus Eccleſias veſtrarum domorum in Pentecoſtes, & Annunciationis, ac Aſſumptionis glorioſæ V. M. feſtiuitatibus, necnon in feſtiuitate omnium Sanctorum deuotè viſitantibus, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam miſericorditer elargitus fuerit. Necnon Correctoribus earundem domorum, ſex, aut plures idoneos confeſſores pro dictorum Chriſti fidelium confeſſionibus audiendis deputandi facultatem conceſſerit. Nihilominus nimium curioſis hæſitetur, an domus poſt prædictam conceſſionem de nouo constructæ, ſeu ſusceptæ, eiſdem priuilegijs gaudere, & Correctores præfati tempore indulgentiarum huiuſmodi tot confeſſores, quot neceſſarij fuerint, deputare poſſint.

Vide conſt. 2. Leonis X.

Conceſſa vni domui intelliguntur conceſſa omnibus. Vide ſup. in conſtit. 4. Iulij II. §. 7.

§. 2. Nos dicti veſtri Ordinis vberes fructus in militanti Eccleſia afferentis, proſperum, & tranquillum ſtatum, ac felicem ſucceſſum paterno zelantes affectu, ac, ne ſuper præmiſſis aliquod hæſitationis inuolucrum exoriri poſſit, prouidere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, indulgentias, exemptiones, & indulta, vni, aut pluribus domibus Ordinis huiuſmodi ſpecialiter conceſſa, ad omnes, & ſingulas ipſius Ordinis domos de nouo ſuſceptas, & ſuſcipiendas auctoritate Apoſtolica per præſentes de nouo extendimus, & ampliamus, ipſaſque domos ſuſceptas, & ſuſcipiendas eiſdem priuilegijs, immunitatibus, gratijs, indulgentijs, & indultis alijs domibus ſpecialiter conceſſis, pariformiter, & æquè principaliter potiri, & gaudere, ac ſi ſingulis domibus ſuſceptis, & ſuſcipiendis, & Chriſti fidelibus illarum Eccleſias viſitantibus ſpecialiter conceſſæ fuiſſent.

Correctores tempore indulgentiarum poſſunt deputare omnes cōfeſſores, qui erunt neceſſarij.

§. 3. Ac tempore ipſarum indulgentiarum Correctores domorum huiuſmodi tot, quot iuxta multitudinem populi neceſſarij fuerint, confeſſores deputare poſſe, & ſic ab omnibus cenſeri debere, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

Derogat cōtrarijs.

§. 4. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, & ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, vbi de illis fides facienda fuerit, deferri; volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd ipſarum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, in iudicio, & extra eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 22. Septemb. 1532. Pontif. noſtri anno 9.

CONSTITVTIO IV.

Concedit viſitantibus Eccleſiam S. Ludouici de Neapoli ſextis ferijs cuiuslibet hebdomadæ centum dies de indulgentia.

CLEMENS PAPA VII.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmium.

SAluatoris noſtri D. N. Ieſu Chriſti, qui pro redemptione generis humani de ſummis cælorum ad huiuſmodi infima deſcendere, & in ara Crucis temporalem mortem ſponte ſubire dignatus eſt, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, oues gregis ſui curæ noſtræ diuinitus commiſſas, ad ſinceritatis deuotionem, ac pia, meritoria opera exercenda, ſpiritualibus muneribus, indulgentijs videlicèt, & peccatorum remiſſionibus inuitamus, vt per illa redemptionis ſuæ fructum, ſalutem videlicet ab omnibus deſideratam, conſequi, & ad æternæ beatitudinis gaudia feliciter peruenire mereantur.

Viſitātibus noſtras Eccleſias ſingulis ferijs ſextis conceſſit centum dies de iniūctis pœnitētijs. Vide ſup. conſtit. 8. Leo X. à n. 12.

§. 1. Cupientes igitur, vt Eccleſia domus S. Ludouici Neapolis Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, ad quam, ſicut accepimus, ſextis ferijs magnus Chriſti fidelium concurſus habetur, & in debita veneratione habeatur, & à Chriſti fidelibus congruis frequentetur honoribus, & ipſorum Chriſti fidelium ad Eccleſiam ipſam confluentium deuotio feruentius inualeſcat, & animarum ſalus per ampliùs propagetur: De omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus vndecumq; exiſtentibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui ſingulis ſextis ferijs cuiuslibet hebdomadæ totius anni Eccleſiam prædictam deuotè viſitauerint, & inibi ſemel orationem Dominicam, & tantumdem ſalutationem Angelicam recitauerint, pro ſingulis ſextis ferijs, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus.

Hæ indulgentiæ per nullas reuocationes reuocatæ intelliguntur.

§. 2. Præſentibus, quas ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, & derogationibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, per nos, & Sedem prædictam, etiam in fauorem expeditionis contra infideles, aut fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ſeu aliarum Eccleſiarum, vel piorum locorum, ſeu Ordinum quorumcumque & ex quibuſuis cauſis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & aliàs quomodolibet factis, & faciendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas eſſe, & cenſeri debere, ac Chriſti fidelibus præfatis ſuffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 26. Iunij, 1533. Pontificatus noſtri anno 10.

CONSTITVTIO V.

Concedit, quòd Generalis, & Prouincialis poſſint concedere licentiam alienandi res, quæ non excedunt valorem centum ducatorum auri de Camera, cum conſenſu duarum partium Conuentus, cuius ſunt bona.

CLEMENS PAPA VII.

Dilectis filijs Magiſtro generali, & prouinciali Romano reformato Ordinis Prædic. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio. §. 1. EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Thomas de Strozijs, Ord. Præd. profeſſor, quòd licet aliàs fel. rec. Leo Papa X. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Breuis literas, tam Magiſtro generali, quàm Vicario Congregationis S. Marci de Florentia Ordinis prædicti pro tempore exiſtentibus, facultatem ſibi ſubditis in Italia Conuentibus, fratribus, Monaſterijs, ſororibus, ſeu monialibus, necnon Collegijs, ac perſonis vtriuſque ſexus de pœnitentia dicti Ordinis nuncupatis, bona immobilia pro euidenti vtilitate ipſorum locorum, ac perſonarum permutare, & vendere poſſent, licentiam dandi, ſub datis die 25. Iulij, Pontif. eiuſdem anno 2. conceſſerit. Quia tamen à nonnullis in dubium reuocari poſſit, an literæ prædictæ cenſeantur reuocatæ, eo quod nos nuper certis ex cauſis tunc expreſſis, Congregationem ipſam S. Marci ſuppreſſerimus, ac penitus extinxerimus domoſque ac loca, necnon vtriuſq; ſexus perſonas quaſcumque Congregationis ſuppreſſæ, & extinctæ huiuſmodi ſub Prouincia Romana perpetuò exiſtere, ac per Prouincialem dictæ Prouinciæ Romanæ reformatum perpetuò regi, per noſtras ſub plumbo literas, ſub datis 6. calend. Nouemb. Pontific. noſtri anno 7. inſtituimus, & voluimus.

Concedit prout in ſũmario. Vide ſup. conſtit. 9. Iul. II. & 24. Leon. X. & 5. Gregor. XIII. §. 2. Nos ad huiuſmodi dubium tollendum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, vt pro tempore exiſtens, tam Magiſter generalis, quàm prouincialis Prouinciæ Romanæ reformatæ huiuſmodi, ſibi ſubditis in Italia Conuentibus, fratribus, Monaſterijs, ſororibus, ſeu monialibus, nec non Collegijs, ac perſonis vtriuſque ſexus de pœnitentia dicti Ordinis nuncupatis, dicta facultate vti poſſint, videlicet licentiam concedendi bona Conuentuum, & locorum huiuſmodi ad certum tempus, ac in perpetuum locandi, vel in emphyteuſim ad lineam maſculinam concedendi, ſiue commutandi, aut vendendi, vel quomodocumque alio titulo alienandi bona immobilia, & pretioſa mobilia minus vtilia, quæ nunc habent, & in poſterum iuſto titulo habituri ſunt, tam pro ſatisfactione debitorum aliàs pro neceſſitate, ſeu vtilitate Conuentuum, & locorum prædictorum contractorum, aut, eadem vtilitate ſuggerente, contrahendorum, quàm alia euidenti vtilitate ipſorum Conuentuum, Monaſteriorum, vel Collegiorum: Prouiſo tamen, quòd pretium ipſorum bonorum immobilium, ſi vendantur, vel aliàs quouis modo alienentur, centum ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedat, & in emptionem, reparationem, aut augmentum aliorum immobilium, aut neceſſariorum bonorum, ſeu præfatorum debitorum realem ſolutionem cum effectu conuertatur. Et ad hoc accedat conſenſus duarum partium vocalium Conuentus, Monaſterij, vel Collegij, cuius ſunt.

§. 3. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſpecialiter fel. rec. Pauli II. prædeceſſoris noſtri contra alienantes res eccleſiaſticas, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumq. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Febr. 1531. Pontific. noſtri anno 8. Derogat cõtrarijs.

CONSTITVTIO VI.

Concedit facultatem Superioribus damnandi fratres ſcandaloſos ad triremes.

CLEMENS PAPA VII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. EXponi nobis nuper feciſti, quòd nonnulli tui Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula profeſſores, Dei timore poſtpoſito, eorumq. ſalutis immemores, habitum ſuum regularem abiecerunt, ſeu cum illo hic inde per abrupta ſeculi vagando diſcurrunt, & vitam à regularibus ipſius Ordinis inſtitutis plurimum alienam ducentes, aliorum facinoroſorum perſuaſionibus, ac propria malitia ducti, diuerſis quæſtionibus, & alijs illicitis actibus, necnon diuerſorum generum malis ſe immiſcere non expaueſcunt, in ipſius propriæ ſalutis perniciem, & aliorum dicti Ordinis profeſſorum malum exemplum, ac dicti Ordinis dedecus, & maximum ſcandalum. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt ſcandalis, quæ ex præmiſſis, & alijs ſimilibus oriri poſſent, ac pro ipſorum fratrum diſcolorum compeſcenda malitia, & effrænata voluntate, in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Supplicatio.

§. 2. Nos igitur ſcandalis huiuſmodi, ne eueniant, celeri paſſu occurrere, & dicti Ordinis, quem in viſceribus charitatis gerimus, felici ſucceſſui paternè conſulere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, & pro tempore exiſtenti generali, ac Zeloſo, necnon alijs Superioribus dicti Ordinis, omnes, & ſingulos dicti Ordinis fratres, quos in quibuſuis Ciuitatibus, & locis, tam S. R. E. quam quorumuis Regum, Ducum, & aliorũ Principum ditioni ſubiectis, inhoneſtè, & præter regularium inſtitutorum eorumdem obſeruantiam viuentes, & ſcandalum generantes, & incorrigibiles repereritis, ac vobis de eorum prauato viuendi modo per vos, vel teſtes fide dignos conſtiterit, corporaliter capiendi, ſeu capi, eoſque iuxta criminum, & delictorum per eos Concedit prout in ſũmario. Vide to 1. Relig. cap. 27. ſub concluſ. 1.

per-

Digitized by Google

perpetratorum qualitates, ad triremes perpetuò, vel ad tempus, abſque aliqua iudicum eccleſiaſticorum, vel ſecularium ſuper eiſdem criminibus, & delictis cognitione, vel ſententiæ prolatione, detrudendi, & condemnandi, ſeu detrudi, & condemnari faciendi, ſine conſcientiæ ſcrupulo, omni tamen malitia, & ſpecie vindictæ ex parte veſtra, & vobis in hoc aſſiſtentium ceſſantibus, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus.

Capitanei triremium tenentur fratres ad triremes dãnatos recipere, & retinere.

§. 3. Mandantes triremium earumdem Capitaneis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt eoſdem fratres, quos iuxta conſcientiam veſtram, & de vobis aſſiſtentium conſenſu huiuſmodi pœna dignos iudicaueritis, eis pro tempore conſignatos, inibi delictorum ſuorum pœnitentiam facturos recipiant, & retineant.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, & in prouincialibus, ac ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumq; Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Auguſti, 1529. Pontif. noſtri anno 6.

CONSTITVTIO VII.

Prohibet ſub pœna excommunicationis, cum reſeruatione, mulieribus ingreſſum in noſtra Monaſteria, & declarat, quænam debeant dici Fundatrices.

LAVRENTIVS.

Miſeratione diuina Epiſcopus Præneſten. S.R.E. Card. tit. SS. quatuor Coronatorum, ac maior Pœnitentiarius, necnon Ordinis Min. S. Franciſci de Paula Protector, ſalutem.

Motiua. *§. 1. Conqueſti ſunt nobis Prouincialis, & fratres Prouinciæ Calabriæ Ordinis Minim. S. Franciſci de Paula, quòd licèt in eorum Regula per ſummos Pontifices approbata, & confirmata, expreſſè caueatur, quòd nullæ mulieres eorum Monaſteria, & ſepta ingredi poſſint, nec debeant, niſi fuerint dictorum Monaſteriorum Fundatrices, aut de ſanguine regio procreatæ. Fuerunt tamen nonnullæ prædictas conditiones non habentes, quæ ſolo prætextu, quòd fratres huiuſmodi habent Conuentus in eorum, aut maritorum, ſiue parentum dominio, dicunt ſe Fundatrices, & curioſitate magis, quàm deuotione ductæ, dictos Conuentus in Ordinis præiudicium, vi, & violentia, etiam contra fratrum voluntatem ingreſſæ ſunt, ac in futurum ingredi comminantur.*

Nullæ mulieres poſſunt noſtros Conuentus ingredi Vi- de ſup. in conſtit. 6. Iul. II. §. 3. nu. 7. & conſtit. 4. §. 5.

§. 2. Nos igitur dictam Regulam illibatam, & in ſui vigore tamquam ſanctam permanere deſiderantes, auctoritate S. D. N. Papæ, nobis in hac parte tamquam dicti Ordinis Protectori, & maiori Pœnitentiario expreſſè commiſſa, inhibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna quibuſuis à prædictis Fundatricibus, aut de ſanguine regio procreatis mulieribus quæcumq; auctoritate, aut dignitate præfulgeant, ne Monaſteria, aut ſepta quæcumq; fratrum Ordinis huiuſmodi contra eorum Regulam, præſentium publicatione eis priùs facta, niſi à Sede Apoſtolica deſuper licentiam obtinuiſſent, ingredi præſumant, aut attentent; aliàs ſciant, ſe excommunicationis ſententiam incurſuras, à qua nullus ſine noſtra licentiam, præterquam in mortis articulo, eas abſoluere poſſit, niſi Prouincialis, in cuius Prouincia hoc facere attentauerint, aut aliquis per eum deputatus, etiam præmiſſa iniuriæ ſibi factæ ſatisfactione.

Mulieres, quæ dicuntur Fundatrices.

§. 3. Inſuper declaramus, iuxta factam per Capitulum generale fratrum huiuſmodi expoſitione, nullas mulieres debere vocari Fundatrices, niſi locum, ſiue fundum ſitus Monaſterij conceſſerint, aut Monaſterium proprijs ſumptibus fabricari fecerint, ſiue redditibus ad victum, & veſtitum fratrum dotauerint. In quorum omnium fidem præſentes noſtra manu propria ſubſcriptas, ſigillo noſtro communiri iuſſimus. Datum Romæ, in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ anno Domini 1527. die 15. menſis Martij, Pontific. S. D. N. D. Clementis Papæ VII. anno 4.

§. IIJ.

1 NOto 1. quòd approbat ſtatutum factum in Capitulo Tholoſ. nu. 21. in quo determinatur, quod vnius Conuentus poſſint eſſe tres Fundatores, vt dixi ſupra, in conſt. 1. Iulij II. §. 24. nu. 50. Et habetur in Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 9. ibi *Vt igitur debita in omnibus*. vbi in fundatione includit ædificationem, quæ ſine fundo eſſe non poteſt, licèt ab alio fiat, vt Zerola 1. p. prax. verbo Ius patronatus, n. 2.

2 Et aduerte, quòd non repugnant, vnius Conuentus eſſe plures Fundatores, quam tres. Nam poſſunt duo conuenire ad emendum fundum, & duo ad fabricandum, & duo ad dotandum, præſertim ſi Conuentus ſit magnus. Colligitur ex clem. fin. de iur. patr.

3 Sed quid? Sunt duæ Fundatrices vnius Conuentus, quę reliquerunt duas filias, ſingulæ vnam; iſtæ filiæ ſunt etiam Fundatrices, per ſtatutum Capituli Rom. 4. ſeſſ. 9. Deinde iſtæ filiæ relinquunt poſt ſe decem filias, ſingulæ quinque; iſtæ decem filiæ nepotes primarum duarum Fundatricum, eruntne omnes Fundatrices, ita vt poſſint ingredi Monaſteria noſtra?

℞. Verum quidem eſſe, duas filias relictas à duabus primis Fundatricibus eſſe Fundatrices, & gaudere priuilegijs, per dictum ſtatutum, quod congruit dictæ clem. At decem illæ neptes non ſunt omnes Fundatrices, ſed duæ ſolùm; nam Fundatricibus ſuccedunt omnes filiæ, quas relinquunt per capita, ita vt ſi vna Fundatrix haberet decem filias, illæ omnes eſſent Fundatrices; filiæ verò iſtarum filiarum, ſeu neptes primarum Fundatricum ſuccedunt per ſtirpes; Vnde duæ ſolùm primogenitæ filiæ filiarum, ſeu primarum neptes, Fundatrices erunt dicendæ. Colligitur ex declaratione arboris iuris patronatus dictæ clem. notab. 5. Habet etiam Zerola 1. p. prax. verbo Ius patronatus, §. 8. dub. 11.

4 Noto denique, quòd in illo ſtatuto Tholoſ. num. 21. quòd hic approbatur, ſtatuitur etiam, quòd Fundatrices poſſint ingredi, non ſolùm in illos Conuentus, quorum ſunt Fundatrices, ſed etiam in omnes alios Conuentus Ordinis; quod vſus, & conſuetudo ab illo tempore vſque nunc approbauit. Quam ampliationem optimè admittit hoc priuilegium, quod eſt omnino fauorabile.

CON-

CONSTITVTIO VIII.

Indulget, vt moniales poſſint cantare, & quòd in earum Monaſteria poſſint intrare Generales cauſa viſitationis, confeſſarius cauſa adminiſtrationis ſacramentorum, medicus, & chirurgus cauſa infirmitatis, & cæmentarij cauſa ædificij.

ANTONIVS.

Miſeratione diuina tit. SS. quatuor Coronatorum, Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto monialibus ſub cura fratrum Minim. Ordinis S. Franciſci de Paula, vbicumque degentibus ſalutem in Domino.

Proœmium.

INiunctum nobis ab Apoſtolica Sede ſeruitutis officium nos admonet, & inducit, quòd ad ea libenter intendamus, per quæ Monaſteriorum, & Religioſorum locorum omnium, & perſonarum, præſertim fœminei ſexus, in illis regulari caſtimoniæ deditarum, felici regimini conſulatur, & ex hoc populi erga illa deuotio augeatur.

Supplicatio Vide infra in conſtit. 4. Pauli III. §. 4. à n. 1.

§. 1. Sanè pro parte veſtra nuper fuit expoſitum coram nobis, quòd licèt in Regula, & ſtatutis veſtris inter alia expreſsè caueatur, quòd vos in miſſis coram vobis in Monaſteriorum veſtrorum Eccleſiis ſolemniter celebrandis, introitum, & cætera officia per moniales aliarum Religiorum decantari ſolita decantare non poſſitis: Nec aliquas perſonas in veſtra Monaſteria, præterquam ad Eccleſiam, & crates quouis modo ingredi permittatis, prout in Regula, & ſtatutis prædictis dicitur pleniùs contineri. Quia tamen ex talibus ſtatutis deuotio populi ad Eccleſias prædictas pro ſolemni miſſa audienda confluentis in dies minuitur, & quamplures virgines ab ingreſſu Ordinis huiuſmodi retrahuntur, necnon viſitationes Monaſteriorum veſtrorum à veſtris Superioribus, & veſtri curam gerentibus debitæ fieri nequeunt, propter quod à ſinceræ veſtræ Regulæ obſeruantia vos, vel alias pro tempore moniales veſtri Ordinis in poſterum declinare facilè poſſet contingere, cupitis, ſtatuta, & Regulam huiuſmodi circa præmiſſa moderari, ſuper quibus ſupplicare feciſtis humiliter, vobis per Sedem Apoſtolicam de opportuno, & ſalubri remedio miſericorditer prouideri.

Moniales poſſunt alta voce in miſſis reſpondere.

§. 2. Nos igitur auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali, & expreſſo mandato ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt vos, & pro tempore moniales Ordinis prædicti in miſſis coram vobis in veſtrorum Monaſteriorum Eccleſijs ſolemniter celebrandis, etiam alta voce, ſine tamen notulis, prout alia officia tam diurna, quàm nocturna ſimpliciter decantatis, reſpondere.

Generalis cauſa viſitationis poteſt Monaſteria monialium ingredi. Item confeſſarius tempore infirmitatis.

§. 3. Necnon modernum, & pro tempore exiſtentem dicti Ordinis fratrum Minimorum Generalem, vel ab eo Viſitatorem deputandum cauſa viſitationis ſemel tantùm quolibet triennio.

§. 4. Ac tempore maximæ infirmitatis confeſſorem pro Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis ſacramentis vobis adminiſtrandis cum veſtimentis ſacerdotalibus; prout Superiores Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci Monaſteria monialium S. Claræ viſitantes facere conſueuerunt.

Item medicus, & chirurgus & artifices.

§. 5. Necnon phyſicum, aut medicum pro flebotomia, apoſtemate, peſte, inciſura, aut alia vrgentiſſima cauſa, & artifices pro domus, vel Monaſterij conſtructione, & neceſſaria reparatione ingredi permittere, liberè, & licitè poſſitis, & valeatis; ipſiq; Generalis, & Viſitator ingredi abſque alicuius eccleſiaſticæ cenſuræ incurſu poſſint, & valeant, tenore præſentium indulgemus, ac vobiſcum deſuper miſericorditer diſpenſamus, vobiſque, & Generali, ac Viſitatori prædictis, & confeſſori, phyſico, & artificibus præfatis licentiam, & liberam concedimus facultatem.

Derogat contrarijs.

§. 6. Non obſtantibus Regula, & ſtatutis præfatis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, quibus quoad præmiſſa dumtaxat, illa in melius reformante, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub ſigillo officij Pœnitentiariæ, tertio idus Iulij, Pontific. D. Clementis Papæ VII. anno 9. Iulius Cardellus, locus ſigilli.

CONSTITVTIO IX.

Concedit, quòd Generalis quolibet triennio poſſit indulgentiam plenariam fratribus, & ſororibus, tertiarijs, ac Fundatoribus Procuratoribus, & Conſeruatoribus concedere, & quòd dicti poſſint ſibi eligere confeſſorem in Ordine profeſſum, qui eos abſoluat à caſibus Epiſcopis reſeruatis.

LAVRENTIVS.

Miſeratione diuina tit. SS. quatuor Coronatorum, S.R.E. Presbyter Cardinalis, ac maior Pœnitentiarius, & Ordinis Minimorum Protector.

Concedit prout in ſummario.

§. 1. VNiuerſis, & ſingulis præſentes literas noſtras patentes inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur, quatenus S. in Chriſto P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VII. moderno, & pro tempore exiſtenti Generali Ordinis fratrum Minim. vt omnibus, & ſingulis fratribus, & ſororibus tertiarijs, necnon ſingulis Fundatoribus, Conſeruatoribus, & Procuratoribus ſingularum domorum dicti Ordinis, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem ſemel dumtaxat ſingulo quoq; triennio elargiri, & concedere poſſit.

§. 2.

Tertiarij, &c. et in ſummario confeſſorē poſſunt eligere.

§. 2. Ipſiq; fratres, & ſorores tertiary, necnon Fundatores, Conſeruatores, & Procuratores de licentia dicti Generalis eligere poſſit vnum confeſſorem idoneum eiuſdem Ordinis profeſſum, qui eos ab omnibus caſibus, etiam epiſcopalibus, & cenſuris eccleſiaſticis abſoluere, & pœnitentiam ſalutarem pro modo culpæ iniungere valeat, viuæ vocis oraculo deſuper nobis facto conceſſit, pariter atq; indulſit.

Confirmationis firmatio.

§. 3. In quorum fidem ac teſtas patentes literas fieri, ac parui ſigilli noſtri impreſſione per infraſcriptum Secretarium noſtrum communiri fecimus, manuq; noſtra propria ſub ſcripſimus. Datum Romæ, in Palatio Apoſtolico, in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ, die 8. Aprilis, 1524. Pontific. præd. S. D. N. anno 1. Ita eſt. Laurentius tit. SS. quatuor Coronatorum Presb. Card. manu propria, locus ſigilli. T. Bombaſius Secretarius.

§. I.

1 QVæro 1. an iſtam indulgentiam poſſit nunc Generalis concedere. 2. an poſſit concedere quolibet triennio.

Ad 1. R. Poſſe optimè nunc Generalem dictam indulgentiam concedere; non enim vidi huius conſtit. aliquam reuocationem. Vide quæ dixi ſupra in conſt. 14. Leonis X. n. 12.

Ad 2. Licèt videri poſſit alicui, mentem Papæ fuiſſe concedere, vt ſinguli Generales ſemel tantùm, ſuo officio durante poſſent talem indulgentiam concedere; & cum Generalatus tunc non duraret, niſi ad triennium, & modò fuerit ad ſexennium extenſus, poſſet, dici, quòd nunc facultatem non habeant ſinguli Generales, niſi ſemel in toto ſexennio. Tamen quia nulla particula hic eſt, quæ mentem Papæ talem fuiſſe demonſtret, ideo, cum priuilegium hoc ſit omnino fauorabile, & nemini præiudiciale, puto, quòd poſſit P. Generalis etiam nunc ſingulo quoque triennio hanc indulgentiam concedere; Cap. cum dilecti, de donat.

§. II.

2 QVæro 1. an iſta facultas eligendi confeſſorem modò duret. 2. an dictus confeſſarius debeat eſſe approbatus ab Ordinario.

Ad 1. puto durare; ſed non poſſe dictum confeſſarium abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis de iure, vel conſuetudine, per decreta Congreg. ſub Clem. VIII. ſæpius cit. & probabile eſt, poſſe etiam ab ipſis abſoluere, per ea, quæ dico infra in conſt. 2. Pauli III. §. 5. num. 6.

Ad 2. dico, dictum confeſſorem quo ad perſonas ſeculares debere nunc eſſe approbatum ab Ordinario, per Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. de reformat.

CONSTITVTIO X.

Concedit Superioribus Ordin. Minim. & primis eorum Socys, & ſpecialiter fratribus omnibus domus SS. Trinitatis de Vrbe in certis diebus facultatem celebrandi miſſas ad liberandum animas de Purgatorio.

LAVRENTIVS.

Epiſcopus Albanenſis S.R.E. Cardinalis SS. quatuor, ac maior Pœnitentiarius.

§. 1. VNiuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, præſentes literas noſtras inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur, qualiter S. in Chriſto P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VII. ad humiles preces noſtras, dilectis nobis in Chriſto venerab. Religioſis, Correctori domus SS. Trinitatis de Vrbe, Ord. Minim. S. Franciſci de Paula, ac alijs fratribus domus SS. Trinitatis dũtaxat; Generali verò, ac Zeloſo, necnon Prouincialibus, & localibus Correctoribus, & alijs Superioribus Ordinis, etiam pro tempore exiſtentibus, ac vni cuiuslibet ipſorum ſecundum Religionis ingreſſum antiquiori Socio, vbicumque ſe transferre ex merito obedientiæ contigerit, vt ſingulis ſecundis, & quartis ferijs cuiuslibet hebdomadæ totius anni, miſſas pro animabus defunctorum celebrare volentes, eaſdem indulgentias pro animabus defunctorum huiuſmodi conſequantur, ac ſi in Eccleſijs SS. Sebaſtiani, Laurentij, & Scalæ Cæli, ac etiam Gregorij, & Potentianæ, extra, & intra muros almæ Vrbis celebraſſent, ac pari modo miſſæ huiuſmodi animabus defunctorum, pro quibus eas celebrandas duxerint, ſuffragentur proinde, ac ſi in præfatis, & alijs quibuſcumque etiam qualitercumq; priuilegiatis Eccleſijs intra, & extra muros Vrbis celebraſſent, facto nobis deſuper viuæ vocis oraculo, conceſſit, pariter atque indulſit, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Concedit prout in ſũmario.

§. 2. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumq; In quorum omnium fidem literas noſtras fieri, noſtriq; ſigilli oblongi iuſſimus appenſione communiri. Datum Romæ, in ædibus noſtris, ſub anno à Natiuitate Domini 1524. die verò 10. menſis Iulij, Pontific. S. D. in Chriſto P. & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VII. anno 1.

Derogat contrarijs.

§. I.

1 NOto, quòd omnes Sacerdotes conuentuales in Conuentu SS. Trinitatis de Vrbe Correctores locales, Prouinciales, ac Generales, necnon primus Senior Correctoris, & primus Collega Prouincialis, ac Generalis, ſingulis ſecundis, ac quartis ferijs cuiuslibet hebdomadæ totius anni celebrantes miſſas pro animabus Purgatorij, conſequuntur pro dictis animabus omnes indulgentias, quas conſequerentur, ſi celebrarent in Eccleſia S. Sebaſtiani, &c.

2 His occurrunt aliqua dubia. 1. an fratres Sacerdotes hoſpites in dicto Conuentu SS. Trinitatis poſſint miſſam dictis diebus cum prædictis indulgentijs celebrare. 2. an hoc priuilegium conceſſum fratribus dicti Conuentus, extendatur omnes Conuentus Religionis. 3. an Superiores, & alij dicti, qui habent hoc priuilegium, illo vtantur ſi celebrent extra Eccleſias Ordinis. 4. an Vicarij Generales, & conuentuales fruantur hoc priuilegio. 5. an Socius primus P. Zeloſi hoc priuilegio fruatur. 6. an Vicarij generalis Hiſpaniæ primus Collega hoc priuilegio fruatur.

3 Ad 1. R. mea videri poſſe; Tum quia per noſtras conſtitutiones hoſpites ſunt ſubditi illi Correctori, in cuius Conuentu ſunt hoſpites; Cap. Val. 3. nu. 47. Tum quia quò ad fratres illos hoc priuilegium videtur locale, non perſonale, ſicut quò ad alios: Tum denique quia hoc priuilegium eſt ſummè fauorabile, & fauores ampliandi ſunt.

4 Ad 2. R. non extendi, nam conceditur fratribus domus SS. Trinitatis dumtaxat, quæ dictio eſt taxatiua, ac cuius natura eſt negare non expreſſa, quia ha-

ber

bet annexam negatiuam implicitam. Tuſchus verbo Taxatiua con.23. Ad quod non aduerterunt quidã qui exiſtimauerunt, poſſe omnes fratres Minimos celebrãdo dictis diebus frui hoc priuilegio, & fortè id practicauerunt. Nec hic valet illud, Quod eſt conceſſum vni in ſpecie, eſt conceſſum omnibus in communi; nam intelligitur, quando aliter non conſtat de mente concedentis, vt conſtat hic per illam dictionem, *Dumtaxat*, quæ ſi non eſſet appoſita, extenderetur hoc priuilegium ad omnes Sacerdotes Ordinis.

5 Ad 3. dico, frui, vt patet ex illis verbis *Vbicumq; ſe transferre ex merito obedientiæ contigerit*.

6 Ad 4. dico, quòd gaudent; nam ibi dicitur *Et alijs Superioribus Ordinis*, per quos, cum Prælati ordinarij expreſsè nominati ſint, non poſſunt intelligi, niſi Vicarij ordinarij Conuentus, & Vicarij generales ad aliquod negotium deputati.

7 Ad 5. dico, quòd ſine dubio fruitur, dicitur enim ibi, nominatis Superioribus, inter quos P. Zeloſus, *ac vni cuiuslibet ipſorum ſecundum Religionis ingreſſum antiquiori Socio*: At P. Zeloſum habere vnum, vel plures Socios, conſtat ex noſtris conſtitutionibus.

8 Ad 6. puto, quòd fruatur; quia hoc priuilegium, vt ſummè fauorabile, amplè eſt interpretandum. Et patet, quia Vicarij generales dicti ſunt Superiores, & habent Socios, & priuilegium conceditur antiquiori Socio.

9 Solùm poſſet eſſe difficultas de Socio P. Zeloſi, & Socio Vicarij generalis. Quia non eliguntur per electionem canonicam, ſicut Socij aliorum Prælatorum. Sed ꝶ. quòd electio Seniorum non eſt neceſſe quòd ſit canonica, & audiui, in Capitulo generali Romæ vltimò celebrato ita declaratum fuiſſe à Prælatis viſitationis tempore Clementis VIII. ſicut neque etiam dixerunt eſſe canonicam electionem Commiſſorum. Ad quod confirmandum habetur in Correctorio nu. 70. bonus textus, in quo electio Seniorum remmittitur diſcretioni ſuperiorum Prælatorum, & tamen nullus dicet, quòd primus Senior ex electis à Prælato non gaudeat hoc priuilegio. Quare etiam puto, poſſe Prouincialem, quando deputat aliquem in Vicarium alicuius Conuentus, etiam ad ſuum nutum amouibilem, illi deputare ſuos Seniores, quorum primus hac poteſtate fruatur, quia hoc priuilegium, vt ſimpliciter fauorabile, eſt late interpretandum. Quod vt meliùs intelligatur.

10 Noto, quòd priuilegia ſunt duplicis generis. Alia, quæ ſunt puri fauores, & pura beneficia, nulli præiudicium afferentia, neq; iuri communi derogantia. Alia, quæ rigoroſius priuilegia appellantur, quæ derogant iuri communi, vel alicuius tertij. Priora priuilegia ſunt latè interpretanda, quantùm ſcilicet recta ratio, & prudentia permittit, quia ſunt mera beneficia Principis, & fauores ampliandi ſunt in fauorem eorum, quorum fauores ſunt, iuxta cap. Olim de ver. ſignif. Poſteriora priuilegia odioſa reputanda ſunt in ordine ad interpretationem, & ideo reſtringenda potiùs, quàm extendenda. Ita Sanch. 8. de matrim. diſp. 1. n. 1. & 4. Nauarr. in ſum. cap. 12. n. 79. & habetur in cap. Sanè, & cap. Porro, de priuil. Et ratio eſt, tum quia derogatio iuris communis ex eo capite odioſa eſt, ideo vitanda quoad fieri poteſt, quòd ſi vitari omnino non poſſit, ne priuilegium reddatur inutile, erit reſtringenda. Tum quia priuilegium derogans iuri communi eſt iuris diſpenſatio, diſpenſatio autem eſt ſtricti iuris.

11 Ab hac autem regula excipienda ſunt priuilegia motu proprio, ſeu ex certa ſcientia conceſſa; nam hæc ſemper, etiamſi ſint contra ius commune, latè ſunt interpretanda. Abbas in cap. Cum in cunctis, §. Cum verò, de elect. n. 8. Fel. in c. Ex parte, de reſcript. num. 13. lim. 6.

12 Excipienda etiam ſunt ab hac regula priuilegia, quæ ſunt in fauorem cauſæ piæ, ſeu Religionis, quæ etiam latè interpretanda ſunt vt Suar. lib. 8. de leg. cap. 27. num. 7.

13 Priuilegia autem, quæ inferunt præiudicium tertiæ perſonæ contra ius iam acquiſitum, etiam ſtrictè interpretanda ſunt, quantum fieri poteſt, modò priuilegium inutile non reddatur: cap. In his, de priuil. & c. 1. de reſcript. Sylu. ver. Priuileg. q. 3. Nauarr. in ſumm. c. 12. n. 79. verſu illud autem, quia ſimpliciter non eſt præſumendum, Principem velle alteri ius ſuum auferre, niſi id expreſſè declaret: ſumitur ex c. Licet in corrig. de off. ord. c. Suarum, de auct. & vſu pall. Ita Panor. in c. Certificari, de ſepult. n. 9. & Suar. cap. 27. cit.

14 Cum igitur noſtrum hoc priuilegium non ſit contra ius commune, neque in præiudicium tertij, ſed ſit merum beneficium Papæ in fauorem Religionis, ex omni capite latè interpretandum eſt, quantùm ſcilicèt recta ratio, & prudentia permittit: quæ mihi viſa eſt permittere extenſionem ad caſus dictos.

15 Ad quæ magis corroboranda, nota, quòd quando perſonæ noſtræ Religionis in re aliqua redduntur ancipites ſuper priuilegijs, & gratijs conceſſis, & concedendis, poſſunt dicta priuilegia intelligere ſecundùm æquitatem in fauorem ſalutis animarum (non ſolum ſuarum, ſed etiam aliorum proximorum, etiam quæ in Purgatorio exiſtunt) iuris rigore, & Doctorum ſubtilitatibus relictis. Ita conceſſit Sixtus IV. Canonicis regularibus S. Saluatoris, vt refert Peregr. 1. p. ſui comp. tit. Declarare, §. 2.

CONSTITVTIO XI.

Concedit, quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua.

A N T O N I V S.

Miſeratione Diuina tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis.

Dilectis in Chriſto Generali, & Prouincialibus, ac localibus Correctoribus, & fratribus Ordinis Minim. S. Franciſci de Paula vbique locorum degentibus ſalutem in Domino.

§. 1. *EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quòd cum ex inſtitutione veſtri Ordinis ad aliqua ſuffragia in ſpecie, ſed dumtaxat in genere, ac ſub generalitate omnium miſſarum, & ſuffragiorum dicti Ordinis, aut ſolùm pro quinquaginta annis, vel citra, obligari nequeatis, & temporibus iſtis, ſolita fidelium charitate plurimum tepeſcente, vos ſub vita quadrageſimali Deo famulantes, & mendicitate vobis permiſſa, victui neceſſaria vix inuenire, & habere poſſitis; ac vobis, & locis veſtris eleemoſynas, & pia legata largiri, & concedere volentes, illa ſub aliquo certo onere libentiùs, quàm ſub generalitate miſſarum, & ſuffragiorum prædictorum facerent, ſi certum pro eorum animarum ſalute ſuffragium poſt mortem eorum fundatum, & ſtabilitum reliquiſſe conſpicerent, ex quo veſtris, & locorum veſtrorum commoditatibus non parum conſuleretur. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis,* Supplicatio.

vobis

vobis ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer prouideri.

Concedit prout in ſũmario.

§. 2. *Nos igitur auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali mandato ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt quæcumq; legata, & relicta, vobis, & locis veſtris hactenus, & in poſterum pro tempore facta, etiam cum onere recitandi certas miſſas ſeu alia certa ſuffragia, perpetuò, vel ad tempus, etiam vltra quinquaginta annos, prout pia fidelium voluntas ordinauerit, de licentia tamen, & conſenſu Capituli generalis, vel prouincialis veſtri Ordinis acceptare, & retinere, ac vos, & ſucceſſores veſtros pro executione, & implemento talium onerum obligare, abſque alicuius conſcientiæ ſcrupulo, aut cenſuræ eccleſiaſticæ incurſu, liberè, & licitè valeatis, tenore præſentium perpetuò indulgemus, ac vobiſcum deſuper, quatenus opus ſit, miſericorditer diſpenſamus.*

Vide ſup. in conſtit. 4. Iul. II. §. 4. à nu. 18.

Derogat contrarijs.

§. 3. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſq; in contrarium facientibus quibuſcumq;*

Datum Romæ, apud S.
Petrum, ſub ſigillo
officij Pœni-
ten-
tiariæ, Idibus Octobris, Pontific.
D. Clementis Papæ VII.
anno 9.

FINIS PRIMI TOMI.

ADM. R. P.
F. LAVRENTII
DE PEYRINIS
GENVENSIS
Ordinis Minimorum
S. FRANCISCI DE PAVLA,
in Prouincia Genuenſi olim Vice Generalis;

Necnon Sanctiſsimæ Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem Vicarii,

PRIVILEGIA
REGVLARIBVS, PRAESERTIM MINIMIS
per Summos Pontifices Sixtum IV. vſque ad Vrbanum VIII. conceſſa.

TOMVS SECVNDVS.

Editio Tertia.

Digitized by Google

PAVLVS III.

Romanus, Petri Aloyſij de Farneſijs filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno Domini 1534. die 12. Octobris, dedit Ordini noſtro infraſcripta priuilegia.

CONSTITVTIO I.

Confirmat in ampliſſima forma ex certa ſcientia omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus Minimis conceſſa, tam in genere, quàm in ſpecie, & ea extendit ad omnes, & ſingulos Conuentus Religionis, tam conſtructos, quàm conſtruendos.

PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *REgimini militantis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, circa ſtatum fidelium quorumlibet, præſertim Religioſorum ſtudio piæ vitæ vacantium, proſperè dirigendum attentiùs cogitamus; & eos, vt quietiùs Altiſſimo vota ſua perſoluere poſſint, eorumque domos, & loca benignis fauoribus confouemus, ac his, quæ propterea per prædeceſſores noſtros prouidè conceſſa fuiſſe dignoſcuntur, vt firmiora perſiſtant, cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium propenſiùs impertimur.*

Memorat conſt. 1. Sixti IV. §. 1. *Dudum ſiquidem fel. rec. Sixto Papæ IV. prædeceſſori noſtro pro parte quondam Franciſci de Paula Ordinis fratrum Minimorum Inſtitutoris inter alia expoſito, quòd antea bonæ mem. Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus, tunc in humanis agens eidem Franciſco, vt Oratorium ſub vocabulo S. Franciſci in tenimento de Paula Conſentinen. Diœceſis ædificare poſſet, per ſuas literas licentiam conceſſerat: ipſeq; Franciſcus Oratorium huiuſmodi proprijs manibus, ac expenſis cum dormitorio pro ipſius, & ſociorum ſuorum vſu, & habitatione pro magna parte ædificauerat, & nonnullos ſocios vitam eremiticam ducentes ibidem receperat. Idem prædeceſſor tunc Epiſcopo S. Marci, eius proprio nomine non expreſſo, per quaſdam ſuas literas dedit in mandatis, vt, ſi, vocatis qui forent euocandi, de præmiſſis ſibi legitimè conſtitiſſet, conceſſionem, & literas dicti Pyrrhi Archiepiſcopi, ac in eis contenta quæcumque cum ſuppletione defectuum auctoritate Apoſtolica approbaret, & confirmaret: Ipſeque prædeceſſor in euentum approbationis, confirmationis, & ſuppletionis huiuſmodi Franciſco, & eremitis præfatis, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, & gratijs, quibus frater Petrus de Piſis, cæterique eremitæ potiebantur, & gaudebant, vti, & gaudere poſſent, conceſſit.*

Memorat conſt. 2. Sixti IV. §. 3. & 4. ſupra. §. 2. *Et deinde eidem prædeceſſori expoſito, quòd bonæ memoriæ Goffredus Epiſcopus ſancti Marci tunc in humanis agens ad executionem literarum ipſius prædeceeſſoris, illarum forma ſeruata, procedens, conceſſionem, & literas Pyrrhi Archiepiſcopi huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta cum ſuppletione defectuum dicta auctoritate approbauerat, & confirmauerat. Quodque Præfatus Pyrrhus Archiepiſcopus per dictas ſuas literas eremitis, & fratribus ipſius Franciſci, vt quoſcumque Superiores, & officiales canonicè eligere, necnon ſtatuta, & ordinationes pro huiuſmodi vitæ obſeruantia, à iure tamen diuino, & ſanctorum Patrum Inſtitutionibus non deuiantia facere poſſent, ſibi, & huiuſmodi officialibus omnimodam iuriſdictionem ordinariam in ſpiritualibus, & temporalibus Congregationis huiuſmodi perſonarum, etiamſi ſacerdotali, ſeu quauis alia præfulgerent dignitate; at etiam iuriſdictiones locorum, & animalium, ac rerum omnium ad eumdem Francifeum, eiuſque Congregationem quomodolibet ſpectantum; ac quoſcumq; rebelles, & inobedientes, omniumque huiuſmodi Congregationis perſonarum delinquentium peccata, & delicta, & cuiuſcumque generis maleficia, & crimina, prout iuris foret, puniendi, delinquentes incarcerandi, corrigendi, cæteraque faciendi, quæ in præmiſſis, & circa præmiſſa Franciſco, & eremitis huiuſmodi viderentur fore neceſſaria, & opportuna, & quæ ipſemet Pyrrhus Archiepiſcopus facere poſſet; Sacerdotibus verò huiuſmodi Congregationis, ſeu ſecularibus, vel regularibus per eos eligendis miſſas etiam ante diem, & in quo-*

cumque loco ad id congruo, & honeſto cum altari portatili celebrandi. Eucharistiæ, & alia quæcumque eccleſiaſtica ſacramenta Franciſco, & alijs Congregationis huiuſmodi perſonis, quoties deuotio ingrueret, & neceſſitas poſtularet, & abſque quacumque Superiorum licentia miniſtrandi: Confeſſiones etiam audiendi, & ab omnibus caſibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac ſuper quacumque irregularitate eidem Pyrrho Archiepiſcopo tam à iure permiſſis, quàm ab eo reſeruatis, toties quoties opus foret, abſoluendi, & diſpenſandi, votaque quæcumque permutandi, & relaxandi, ac pœnitentiam ſalutarem iniungendi: Loca, & Oratoria quæcumque ac Eccleſias licitè recipiendi, & retinendi; Quaſcumque etiam perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares ad eos venientes, & cum eis moram trahere, & habitum per eos geſtari ſolitum recipere, ac profiteri volentes, ad huiuſmodi habitum, & profeſſionem obſeruantiæ caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ acceptandi, & recipiendi. Quodque omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus fratres Minores, cæterique Mendicantes fruebantur, & vtebantur, frui, ac vti poſſent, indulſerat: Quòdque prædictum, & alia quæcumque Oratoria, loca, & Eccleſias per ipſos in poſterum acquirenda, & recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, rebuſque ad eos, & eorum loca quomodolibet ſpectantibus, necnon eremitis, & perſonis, inibi pro tempore degentibus, ab omni iuriſdictione, ſubiectione, ac ſuperioritate matrum Eccleſiarum, ac ſua, ſuæque Eccleſiæ Conſentinenſis, cæterarum quoque perſonarum ex certa ſua ſcientia in perpetuum, etiam motu proprio exemerat, & totaliter liberauerat, ac protectioni, ſubmiſſioni, iuriſdictioni, & ſuperioritati Sedis Apoſtolicæ totaliter remiſerat, & relaxauerat.

Memorat conſtit. 2. Sixti IV. §. 6. ſupra.

§. 3. *Idem prædeceſſor per alias ſuas indultum, exemptionem, libertatem, remiſſionem, & relaxationem Pyrrhi Archiepiſcopi huiuſmodi, ſuaſque & dicti Pyrrhi Archiepiſcopi literas, necnon confirmationem, & defectuum ſuppletionem præfati Goffredi Epiſcopi ſancti Marci, proceſſuſq. deſuper habitos, ac inde ſecuta quæcumque, ac omnia, & ſingula in prioribus ſuis, & dicti Pyrrhi Archiepiſcopi literis, ac proceſſibus, & inſtrumentis publicis deſuper habitis contenta eadem auctoritate, & ex certa ſcientia, cum ſimili defectuum ſuppletione laudauit, approbauit, & confirmauit, decreuitque priores ſuas literas, ac proceſſus huiuſmodi, & inde ſecuta quæcumque valere, ac roboris firmitatem obtinere perinde, ac ſi omnia, & ſingula per præfatum Pyrrhum Archiepiſcopum Franciſco, & eremitis huiuſmodi conceſſa, & in ipſius Pyrrhi Archiepiſcopi literis contenta, in ſuis Prioribus literis huiuſmodi ſpecialiter, & ſingulariter narrata, & expreſſa fuiſſent.*

Memorat dictam cōſtit. Sixti IV. §. 7.

§. 4. *Et inſuper Franciſcum, & eremitas prædictos, ac eorum quemlibet, eremitoriumque ſiue Eccleſiam S. Franciſci huiuſmodi, necnon omnia, & ſingula alia eremitoria, Eccleſias, & loca per eos in quibuſcumque Ciuitatibus, & Diœceſibus, ac vbilibet eatenus recepta, & in poſterum recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, eremitaſque & perſonas in illis pro tempore degentes, ac res, & bona quæcumq; mobilia, & immobilia ad Franciſcum, & eremitas huiuſmodi, & ad eorum quemlibet, ipſorumque loca, & eremitoria, ſeu Eccleſias quomodolibet communiter, vel diuiſim ſpectantia, ab omni iuriſdictione, dominio, & poteſtate, viſitatione, correctione, & ſuperioritate præfati Pyrrhi, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Conſentinen. & aliorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Ordinariorum, Iudicum, ac Superiorum quorumcumque, etiam illorum, in quorum iuriſdictione, Ciuitatibus, & Diœceſibus eremitoria, loca, Eccleſiæ, eremitæ, ac perſonæ, res, & bona huiuſmodi conſiſterent, & conſiſtere poſſent quomodolibet in futurum, auctoritate, & ſcientia prædictis prorſus exemit, & totaliter liberauit, ac ſub beati Petri, & Sedis prædictæ, & Eccleſiæ Romanæ, ac ſua protectione ſuſcepit, & exempta, & immunia eſſe voluit, ſibique ac ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, canonicè intrantibus, ac prædictæ Sedi immediatè ſubiecit; ita quòd Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, ac Iudices ſupra dicti ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua ageretur, vbicumq; committeretur delictum, vel iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, nullam in eremitoria, loca, Eccleſias, eremitas, & perſonas huiuſmodi, ac res, & bona prædicta iuriſdictionem, poteſtatem, aut dominium poſſent quomodolibet exercere, ſed dumtaxat coram dicta Sede, vel eius Legatis eremitæ, & perſonæ huiuſmodi in locis, Eccleſijs, & eremitorijs præfatis pro tempore degentes tenerentur de iuſtitia reſpondere.*

Memorat dictam cōſtit. Sixti §. 8. & 10.

§. 5 *Ipſiſq. omnibus, & ſingulis eremitis, & perſonis, locis, Eccleſijs, & eremitorijs huiuſmodi, vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, indulgentijs, conceſſionibus, gratijs, & indultis, cæteriſque omnibus, & ſingulis in prioribus, & poſterioribus ſuis, & dicti Pyrrhi Archiepiſcopi literis, ac ſuper eis habitis proceſſibus prædictis contentis in quacumque Ciuitate, & Diœceſi, ac vbicumque, & in quocumque loco vti, & gaudere; ac omnia, & ſingula in literis, & proceſſibus prædictis contenta, cuiuſuis Superioris ſuper his, aut aliquo præmiſſorum licentia minimè requiſita, auctoritate Apoſtolica præfata liberè exercere poſſent, conceſſit, & indulſit; decreuitq. omnes, & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliaſque eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas, ac proceſſus, quos, & quas contra eremitas, ac perſonas, Eccleſias, eremitoria, & loca huiuſmodi, ac eorum quemlibet promulgari, & haberi contingeret, irritos, & inanes ac nullius exiſtere firmitatis, vel momenti.*

Alexand. VI. omnia priuilegia confirmauit. Vide ſupra in conſtit. 1. eiuſdem, n. 4. & 6.

§. 6. *Et ſucceſſiuè piæ memoriæ Alexander Papa VI. etiam prædeceſſor noſter per quaſdam in forma Breuis literas omnia, & ſingula priuilegia, indulgentias, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta Franciſco, & eremitis huiuſmodi, ac eorum Ordini, & domibus, etiam ante inſtitutionem ipſius Ordinis, dum adhuc eremitæ nuncuparentur, per eoſdem Sixtum, & Innocentium prædeceſſores quomodocumq. conceſſa auctoritate Apoſtolica præfata approbauit, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decreuit. Et quia Sixtus prædeceſſor huiuſmodi ſingula priuilegia, exēptiones, immunitates, indulta quæcumq. Prædicatorū, Minorum, eremitarum S. Auguſtini, ac Carmelitarum, necnon alijs Mēdicantium Ordinibus, & eorum cuilibet, ac illorum profeſſoribus, & domibus, ac eorum Eccleſias viſitantibus,*

tibus quomodocumque conceſſa, ad Ordinem Minimorum huiuſmodi extenderat. Idem Alexander prædeceſſor extenſionem huiuſmodi confirmauit, & ſi qua alia indulta, priuilegia, & gratiæ poſt datam extenſionis huiuſmodi, ab eodem Sixto, & ſanctæ mem. Innocentio Papa VIII. etiam prædeceſſore noſtro, vel ab ipſo Alexandro eiſdem Ordinibus Mendicantium, aut alicui eorum conceſſa erant, illa etiam ad eoſdem eremitas, & fratres, ac illorum Ordinem, & domos extendit, & ampliauit, ac ipſis ſuffragari voluit in omnibus, & per omnia, ac ſi pro eiſdem eremitis, & illorum Ordine huiuſmodi emanaſſent. Deinde pro parte Franciſci, & eremitarum, ſeu fratrum Ordinis Minimorum huiuſmodi eidem Alexandro prædeceſſori expoſito, quod ipſe Franciſcus Regulam, ſeu modum viuendi ſui tertij Ordinis pro vtriuſque ſexus perſonis ſub eadem Regula, ſeu modo viuendi pœnitentiam agere volentibus ediderat. Idem Alexander prædeceſſor Pyrrhi Archiepiſcopi, ac Sixti, & Innocentij prædeceſſorum, ac ſuas literas huiuſmodi, necnon omnia, & ſingula in eis contenta, ac alia priuilegia, conceſſiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eiſdem fratribus Minimis, ac eorum Ordini, & domibus à Sede prædicta, vel eius Legatis, ſeu alias quomodolibet facta, & conceſſa, necnon Regulam, ſeu modum viuendi tertij Ordinis huiuſmodi pro vtriuſque ſexus perſonis, & in illius Capitulis contenta quæcumque cum ſuppletione defectuum per reliquas ſuas approbauit, & confirmauit, & pro potiori cautela Societatem pauperum quondam eremitarum huiuſmodi in Ordinem fratrum Minimorum Franciſci de Paula erexit, & ſingulas literas prædictas, & in eis contenta quæcumque necnon priuilegia, & indulgentias tam generales, quam ſpeciales, conceſſiones, immunitates, exemptiones, & indulta quæcumque eiſdem fratribus, ac eorum Ordini, & domibus à Sede præfata, & eius Legatis, ſeu aliàs quomodocumque facta, & conceſſa innouauit, & de nouo conceſſit, & Regulam, ſeu modum viuendi tertiariorum eiuſdem Ordinis Minimorum laudauit, benedixit, approbauit, & confirmauit, ac normam, Regulam, ſeu modum viuendi tertiariorum huiuſmodi per quaſcumque perſonas vtriuſq; ſexus ſuſcipi, ac pro pia in Chriſto Regula, & modo viuendi ſalutari, & commodo amplecti, & obſeruari poſſe decreuit.

Vide conſt. 1. Iul. II. §. 7.

Vide conſt. 1. Iul. §. 9.

§. 7. *Ac etiam conceſſit, & indulſit, quòd omnes, & ſinguli Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres tunc præſentes, & futuri, qui ſingulis Quadrageſimæ, & alijs cuiuslibet anni Stationum temporibus aliquam ipſorum Eccleſiam, vel aliam, in qua eos pro tempore cum obedientiæ merito fore contigeret, viſitarent, & inibi ante illius altare maius quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam deuotè recitarent, omnes, & ſingulas indulgentias conſequerentur, & conſequi poſſent, quas temporibus huiuſmodi conſequuntur viſitantes Eccleſias ſtationum Vrbis, & alias extra illius muros, pro ſtationibus deputatas, quaſque fratres ibi conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias ſtationum huiuſmodi eiſdem temporibus perſonaliter viſitarent. Inſtituit etiam, atq; ordinauit, quòd liceret ipſis fratribus Minimis, à promiſſa paupertatis perfectione, puritateque non recedendo, perpetuas, & temporales eleemoſynas eis pro eorum, & Eccleſiæ neceſſitatibus ſubleuandis piè legatat, ac vtenſilia, & oblationes quaſcumque cuiuſcumq; ſpeciei exiſterent, ſeu exiſtere poſſent, ſub certis tunc expreſſis modo, & forma ad ſe recipere, & diſtribuere, oſtiatimque mendicare, ac in qualibet ipſorum Eccleſia tam constructa, quàm conſtruenda cippum, ſeu truncum ad quotidianas deuotorum eleemoſynas commodè reponendas vbiq; habere.*

Alexand. cõceſſit fratribus noſtris viſitantibus vnam Eccleſiam indulgentias ſtationum. Vide conſtit. 1. Iul. §. 4.

Vide conſt. 1. Iul. II. §. 11.

§. 8. *Et poſtremò ſimilis mem. Iulius Papa II. etiam prædeceſſor noſter per quaſdam eidem Franciſco directas literas omnia, & ſingula priuilegia, gratias, conceſſiones, immunitates, libertates, exemptiones, ac indulta prædicta, quibus præfati quatuor Mendicantium Ordines, ac illorum perſonæ in genere vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ſeu vti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet futurum, Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi conceſſit, ac, vt illis Ordo Minimorum, & illius perſonæ, ac fratres huiuſmodi vterentur, potirentur, & gauderent, ac vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valerẽt, approbauit, & ſui ſcripti patrocinio communiuit; dictiſq; fratribus Minimis, vt de dictis priuilegijs, & indultis fidem facere poſſent, quod ſumpta ex Camera Apoſtolica ſuper ſingulis priuilegijs, cõceſſionibus, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis huiuſmodi præfatis quatuor Mendicantium Ordinibus per quoſcumque Romanos Pontifices, & Sedem præfatam conceſſis, & in poſterum concedendis, habere, & illa, ac literas Apoſtolicas, eas, & ea quomodolibet concernentes, necnon literas ſuas huiuſmodi per ipſius Cameræ Auditorem, & quoſcumq; alios iudices ordinarios ritè tranſumptari, & authenticari facere valerent, & poſtquam tranſumptata, & authenticata forent, illis, ac ſuis, & alijs literis huiuſmodi ſuper dictis priuilegijs, conceſſionibus, gratijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indultis ad inſtantiam quatuor Ordinum Mendicantium, & perſonarum, ac fratrum eorumdem, aut aliquorum ex eis iam ritè factis, & tranſumptatis, ea prorſus fides adhiberetur, vbi forent exhibita, vel oſtenſa, ac ſi ſuæ, & aliæ literæ huiuſmodi tunc exhiberentur, ac priuilegia gratiæ, conceſſiones, immunitates, libertates, exemptiones, & indulta præfata Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi conceſſa, & in eis Ordo Minimorum, ac illius fratres, & perſonæ huiuſmodi ſpecialiter, & nominatim expreſſi fuiſſent, ac pro eis principaliter emanaſſent. Quodq; de cætero famuli domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi, necnon cæteri eiuſdem Ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus ſepulturam eligentes, omnibus, & ſingulis priuilegijs Ordini Minimorum huiuſmodi quomodolibet conceſſis gaudere valerent, indulſit. Ac quòd fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi in vigeſimoſecundo ſuæ ætatis anno tunc, & pro tempore conſtituti ad presbyteratus ordinem, alias tamen ritè, ſe promoueri facere poſſent. Necnon loca, & Oratoria quæcumque eatenus vbilibet recepta pro eorum perpetuis vſu, & habitatione vigore conceſſionis ipſius Sixti prædeceſſoris ipſius retinere, conſtruere, ac ædificare, ſeu conſtrui, ac ædificari facere abſque alia deſuper facienda noua conceſſione Apoſtolica: Et quòd deinceps Ordinis Minimorum huiuſmodi Conſeruatores, quoties opus foret, eidem Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus in præmiſſis efficacis defenſionis*

Memorat conſt. 1. Iul. II. §. 14.

Vide dictã 1. conſt. Iulij, §. 15.

Vide dictã conſtit. §. 16.

Vide ibid. §. 20.

præſidio aſſiſtentes, ne aliqui, cuiuſcumque nobilitatis, aut dignitatis exiſtentes, Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres alicubi in aliquo damnificare, moleſtare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibere poſſent.

Vide eamdẽ 1. conſt. Iul. §. 22.

Quódque Ordinis Minimorum Generalis, & Vigiles, ac Prouinciales, eorumque vices gerentes omnes, & ſingulas eiuſdem Ordinis Minimorum Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria vbicumque receptas, ſeu recepta, & recipiendas, ſeu recipienda ſolemni benedictione benedicere, ac etiam illas, ſeu illa, & eorum quodlibet ſanguinis, ſiue ſeminis effuſione, ſiue aliàs quomodocumque pollutas, ſiue polluta, quoties opus foret, aqua tamen priùs per aliquem catholicum Antiſtitem, vt moris eſt, benedicta, reconciliare; Ac ſingulæ

Vide eamdẽ 1. conſt. Iulij §. 24.

Ordinis Minimorum huiuſmodi Tutrices, prout ipſius Ordinis Minimorum Fundatrices, etiam cum earum vtriuſq; ſexus liberis procreatis, & procreandis, omnibus, & ſingulis eiuſdem Ordinis Minimorum priuilegijs, gratijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, indultis, conceſſionibus, & indulgentijs vti potiri, & gaudere valerent, licentiam, & facultatem conceſſit, pariter, & indulſit.

Memorat eamdem cõſtitut, Iulij §. 36.

§. 9. Et ſucceſſiuè pro parte præfati Franciſci eidem Iulio prędeceſſori expoſito, quòd ipſe Regulam ſororum eiuſdem Ordinis ad inſtar Regulæ fratrum Minimorum huiuſmodi de nouo ediderat, & inſtituerat, ac Regulam ſororum dicti Ordinis Minimorum irrefragabiliter appellari, ac per ipſum Iulium prædeceſſorem benedici, approbari, & confirmari cupiebat. Idem Iulius prædeceſſor per alias ſuas Regulam huiuſmodi cum defectuum ſuppletione approbauit, & confirmauit, ac ipſam Regulam ſororum eiuſdem Ordinis Minimorum perpetuò irrefragabiliter nuncupari voluit.

Memorat eamdẽ conſtitut. §. 27.

§. 10. Et deinde idem Iulius prædeceſſor tunc Epiſcopo Pariſienſi per alias ſuas in forma Breuis literas mandauit, quatenus dicti Ordinis Minimorum Cõſeruator eſſet, &, quoties opus foret, Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus huiuſmodi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſteret, & non permitteret, quòd aliqui, cuiuſcumq; dignitatis, aut nobilitatis exiſterent, fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi alicubi in aliquo dãnificare, moleſtare, perturbare, aut inquietare vllatenus auderent, nec eos de cætero ſuper ſepulturis, & corporibus illorum, qui in eiuſdem Ordinis Minimorum Eccleſiis ſepeliri eligerent pro tempore, impedire præſumerent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pęna inhiberet, ac Eccleſias, ad quas corpora defunctorum, qui in Ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſiis iuxta ordinationem ipſorum defunctorum ſepeliri deberent, deferrentur, eccleſiaſtico ſupponeret interdicto, donec corpora ipſa eiſdem fratribus Minimis in domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſiis reſtituerent.

Memorat eamdẽ conſtit. §. 29. & 30.

§. 11. Et poſtremò idem Iulius prædeceſſor eiuſdem Frãciſci ſupplicationibus per reliquas ſuas ſub plumbo literas Tyrrhi Archiepiſcopi, & Goffredi Epiſcopi S. Marci, ac Sixti, & Alexandri prædeceſſorũ prædictorum, ac ſuas literas præfatas, necnon omnia, & ſingula in eis contenta approbauit, innouauit, & confirmauit, ac ſui ſcripti patrocinio communiuit, illaque omnia, & ſingula Franciſco, & alijs Ordinis Minimorum huiuſmodi fratribus, & perſonis, ac illorum Eccleſiis, domibus, & locis conſtructis, & conſtruendis ſub Minimorum nomine de nouo conceſſit, & indulſit. Ac pro potiori cautela omnia, & ſingula in dictis literis quomodolibet contenta, etiã quò ad hoc, vt Frãciſcus, & alijs Vide §. 31.

Ordinis Minimorum huiuſmodi fratres pro tẽpore exiſtentes, tam quatuor Mendicantium, quàm aliorum quorumcumque, quantumcumque priuilegiatorum Ordinum, quaſcumq; religioſas perſonas ad ſe venientes, & habitum per eos geſtari ſolitum ſumere volentes, primitus verbo, vel ſcripto à ſuis immediatis Superioribus, per ſe, vel per interpoſitam perſonam petita licentia, quamuis non obtenta, ad Minimorum Ordinem, & habitum huiuſmodi recipere; Necnon confeſſiones qua- Vide §. 32.

rumcumque perſonarum, tam religioſarum, quàm eccleſiaſticarum, & ſecularium vbilibet audire, &, illis auditis, perſonas ipſas, & earum quamlibet iuxta formam, & tenorem priuilegij per præfatum Sixtum prædeceſſorem Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & fratribus dudum conceſſi, & confirmati abſoluere, & pœnitentiam ſalutarẽ illis iniungere valerent;

Necnon Ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſiæ, Ora- Vide §. 33.

toria, domus, & loca, tam recepta, quam recipienda, tamquã Sedis, & Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi ſpecialia Oratoria, Eccleſiæ, domus, & loca, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis prorſus ab omni decimarum, & oblationum ſolutione, ſeu iuriſdictione perpetuò libera eſſent, & eſſe cenſerentur, ac ſub beati Petri, & dictæ Sedis, ac ſua protectione immediatè ſubiacerent; Ipſiuſque Ordinis Minimorum fratres pro tempore exiſtentes de hortis, & virgultis, & alijs quibuſcumq; bonis Ordini Minimorum huiuſmodi, & illius domibus, & Eccleſiis pro tempore relictis, & legatis, ac ſuper luminaribus, & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis decimas, aut oblationes aliquas, etiam ex noualibus, vel quartã ex funeralibus ſoluere minimè tenerentur, nec ad id à quoquam, cuiuſcumque nobilitatis, aut dignitatis exiſteret, valerent quomodolibet coarctari;

Quòdq; Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſo- Vide §. 34

nis, & domibus per eumdem Sixtum prædeceſſorem ſub eremitarum nomine dudum conceſſa priuilegia, ſub ipſius prædeceſſoris nomine, mutatis in eis nominibus eremitæ, ac eremitarum, in Minimi, ac Minimorum, ac eremitorij, & eremitoriorum, in domorum Ordinis Minimorum huiuſmodi nomina, cæteriſq; ſingulis ad hunc effectum de neceſſitate mutandis, innouata, & mutata eſſent, & eſſe cenſerentur. Necnon ſuper omnibus, ac Vide §. 35

ſingulis Maris magni, & alijs quibuſcumque bullis quatuor Mendicantium Ordinibus, & eorum cuilibet quomodolibet conceſſis, vnum, vel plura tranſumpta coniũctim, vel diuiſim fieri facere poſſent perinde, ac ſi illa, mutatis in eis nominibus quorũcumq; Romanorum Pontificum prædeceſſorum ſuorũ, & ipſorum Mendicãtium, in ipſius prędeceſſoris, & fratrum Ordinis Minimorum huiuſmodi nomina, cæteriſq; ſingulis ad huiuſmodi effectum de neceſſitate mutandis, conceſſa forent. Ac quòd tranſumptum, ſeu tranſumpta huiuſmodi taliter facta, & manu alicuius Notarij publici ſubſcripta, ac ſigillo alicuius Pręlati eccleſiaſtici ſigillata, Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius perſonis, & fratribus pro tempore exiſtentibus, vbiq; locorum ſuffragarentur perinde, ac ſi ſingulę prędictę bullę prętatis

qua-

quatuor Mendicantium Ordinibus per quoſcumq; prę- deceſſores prædictos quomodolibet conceſſæ, fratribus ipſis Minimis, & eorum Ordini præfato ſub Minimorum nomine ſpecialiter, & expreſsè indultæ fuiſſent, ac pro eis principaliter emanaſſent. Quodq; ſanctæ

Vide §. 36. *Trinit. tunc ad Eccleſiam S. Stephani Gemmi. & S. Rochi tunc ad Monaſterium S. Saturnini Tholoſan. Ordinis S. Auguſtini pleno iure ſpectantes Eccleſias, ac illorum domos, necnon reliquiam S. Blaſii per tunc Dominam de Borbon, ac tunc Epiſcopum Gratianopolitanum, etiam tunc dicti Monaſterij Abbatem, necnon omnia, & ſingula alia Oratoria, Eccleſias, reliquias, domos, loca, Conuenſus, & bona in Galliæ, Calabriæ, Siciliæ, Hiſpaniæ, Bohemiæ, & alijs Regnis, ac Italiæ, Picardiæ, Aquitaniæ, Patrimonij, Paulen. & Paternæ, alijſque Prouincijs, Ciuitatibus, & locis quibuſcumque Ordini Minimorum, ac illius perſonis, & fratribus præfatis quomodocumque conceſſa, & per Franciſcum, & alios fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi vigore priuilegij Sixti prædeceſſoris prædicti recepta, & per eos eatenus poſſeſſa abſque alia noua conceſſione Apoſtolica perpetuò pacificè poſſidere valerent, ac ſuper illis, aut aliquo eorum à quoquam moleſtari nequi-*

Vide §. 37. *rent. Et quod fratres ipſi Minimi in eorum Eccleſiis conſtructis, & conſtruendis curialibus, mercatoribus, peregrinis, ac tranſeuntibus, & alijs quibuſcumque perſonis Euchariſtiæ ſacramenta, quoties opus foret,*

Vide §. 39. *miniſtrare, ac miniſtrari facere; Necnon eiuſdem Ordinis Minimorum fratres, ſorores, & oblati, necnon vtriuſq; ſexus Chriſti fideles tertij Ordinis Minimorum huiuſmodi, ac eiuſdem ordinis Conſeruatores per fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi pro tempore capitulariter elect., ac Tutores, & Tutrices, Fundatores, & Fundatrices, Procuratores, & Procuratrices, ac eorum vtriuſq; ſexus liberi procreatis, & procreandi ſemel in vita, & in morte, ſicut ac quæcumque perſonæ in dicto Ordine Minimorum de cætero recipiendæ in earum ingreſſu plenariam omnium peccatorum ſuorum veniam, & indulgentiam plenè, ac integrè conſe-*

Vide §. 40. *querentur, & conſequi poſſent. Ac tam iam conſtructæ quam aliæ quæcumq; ſororum ſecundi Ordinis Minimorum huiuſmodi de cætero vbicumq; conſtruendæ, & ædificandæ domus, ac Eccleſiæ, omneſque prænominatæ perſonæ ad eumdem Ordinem Minimorum quomodolibet ſpectantes omnibus priuilegijs, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus, indultis, exemptionibus, fauoribus, & gratijs Ordini Minimorum huiuſmodi, ac illius fratribus, & domibus per eorumdem Sixti, & Alexandri prædeceſſorum, ac ſuas literas huiuſmodi quomodolibet conceſſis vti, potiri, & gaudere poſſent, ac ſi illa omnia eis expreſsè conceſſa fuiſſent, de nouo indulſit, extendit, & ampliauit, prout in*

Supplicatio. *ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.*

§. 12. *Cum autem, ſicut dilecti filij moderni Generalis, & Zeloſus Ordinis fratrum Minimorum huiuſmodi nobis nuper exponi fecerunt, ea firmiora cenſeantur, quæ eiuſdem Sedis confirmatione ſæpius roborantur, ijdem Generalis, & Zeloſus nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt prædictis priuilegijs, immunitatibus, indulgentijs, facultatibus, libertatibus, indultis, exemptionibus, fauoribus, conceſſionibus, & gratijs, necnon ſingulis Sixti, Alexandri, & Iulij prædeceſſorum huiuſmodi literis noſtræ approbationis robur adijcere, aliáſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

§. 13. *Nos igitur ad fructus vberes, quos Ordo fratrum Minimorum huiuſmodi in agro militantis Eccleſiæ producere non ceſſat, debitum reſpectum habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædicta omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias eidem Ordini fratrum Minimorum, ac illius Eccleſiis, domibus, & perſonis, tam in genere, quam in ſpecie per eoſdem prædeceſſores, vt præfertur, conceſſa, necnon prædeceſſorum huiuſmodi deſuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis haberi volumus, ex certa ſcientia noſtra, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adijcimus, eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari debere, ac Generali, Zeloſo, fratribus, & perſonis Ordinis Minimorum huiuſmodi, necnon alijs quibuſcumque, quos illa concernunt, ſuffragari.* Confirmat omnia dicta priuilegia.

§. 14. *Et ſic per quoſcumque iudices, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi auctoritate, & facultate, iudicari, & diffiniri debere.* Tollit facultatem aliter iudicandi.

§. 15. *Necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.* Decretum irritans.

§. 16. *Necnon priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias huiuſmodi, modo, & forma, quibus conceſſa ſunt, ad domos, & loca quæcumque dicti Ordinis fratrum Minimorum hactenus recepta, & in poſterum recipienda extendimus, & ampliamus.* Extendit prædicta priuilegia ad Conuentus receptos, & recipiendos.

§. 17. *Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam generalis Concilij Lateranen. vltimò celebrati, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon omnibus, quæ ſinguli prædeceſſores præfati in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.* Derogat contrarijs.

§. 18. *Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad quæcumque loca, vbi illæ neceſſariæ fuerint, deferre, volumus, & præfata Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd earumdem præſentium literarum tranſumptis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillis alicuius Prælati eccleſiaſtici munitis, ea prorſus in iudicio, & extra fides plenaria adhibeatur, ac illis ſtetur in omnibus, & per omnia ſicut ipſis originalibus literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.* Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

Datum Romæ, apud ſanctum Marcum, ſub annullo Piſcat. die 25. Iulij, 1540. Pontif. noſtri anno 6.

CONSTITVTIO II.

Concedit viſitantibus Capellam S. Franciſci de Paula Conuentus S. Aloyſii Neapolis, omnes indulgentias, quas Leo X. ſupra, conſtit. eius 8. conceſſerat viſitantibus Eccleſiam SS. Trinitatis de Vrbe.

PAV-

Digitized by Google

PAVLVS PAPA III.

Proœmiũ.

SVpragregem dominicum, noſtræ vigilantiæ diuinitùs creditum, prout nobis deſuper conceditur, inſenti, excreenses ſpeculatoris officium, ad ea, per quæ animarum ſaluti conſulitur, & vt illa demum lucrifians, noſtri miniſterij partes ſolertiùs impertimur.

Memorat conſtit. 8. Leonis X. §. 1.

§. 1. Nuper ſiquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Correctoris, & fratrum domus S. Aloyſij prope, & extra muros Neapolis Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula expoſito, quòd aliàs fel. rec. Leo Papa X. prædeceſſor noſter, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus Eccleſiam SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe Ordinis prædicti ſingulis diebus à medietate Quadrageſimæ, vſque ad, & per totam octauam Paſchæ Reſurrectionis D.N. Ieſu Chriſti annuatim deuotè viſitantibus, & ibidem in honorem eiuſdem SS. Trinitatis ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam recitantibus, eaſdem indulgentias, & peccatorum remiſſiones per ſuas ſub plumbo literas conceſſerat, & elargitus fuerat, quas, ſi alias almæ Vrbis noſtræ, & extra eam pro ſtationibus viſitari ſolitas necnon B. Mariæ de Populo Eccleſias ſingulis diebus eiſdem viſitarent, conſequerentur.

Memorat aliam ſuã conſtitut. quam hic non habes.

§. 2. Nos tunc cupientes, vt Eccleſia dictæ domus S. Aloyſij, & Capella S. Franciſci de Paula in ea conſtructa in debita veneratione haberetur, & à Chriſti fidelibus congruis frequentaretur honoribus, ipſique Chriſti fideles eò libentiùs deuotionis cauſa ad Eccleſiam domus S. Aloyſii huiuſmodi confluerent, & Capellam ipſam viſitarent, quò exinde pro animarum ſuarum ſalute maiora ſpiritualia dona adipiſci poſſe cognoſcerent; omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones per eumdem Leonem prædeceſſorem Eccleſiam SS. Trinitatis huiuſmodi diebus prædictis viſitantibus, vt præfertur, conceſſas, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ſeu ſtatutis à iure temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui eiſdem diebus Eccleſiam S. Aloyſii, & Capellam prædictam perpetuis futuris temporibus viſitarent, & ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam deuotè recitarent, per alias noſtras literas in forma Breuis conceſſimus, & elargiti fuimus, prout in iiſdem literis pleniùs continetur.

Memorat dictam conſtitut. Leonis X. §. 1. & 3.

§. 3. Cum autem, ſicut accepimus, idem Leo prædeceſſor Chriſti fidelibus præfatis, qui etiam præfatam Eccleſiam SS. Trinitatis, & etiam in ſingulis diebus Dominicis cuiuslibet Quadrageſimæ, ac in Reſurrectionis, & Aſcenſionis D.N. Ieſu Chriſti, necnon Pentecoſtes, ac eiuſdem SS. Trin. ac Natiuitatis eiuſdem D. N. Ieſu Chriſti feſtiuitatum diebus, à primis veſperis ſingularum Dominicarum, & feſtiuitatum, ſeu dierum huiuſmodi, vſque ad occaſum Solis cuiuslibet earum deuotè viſitarent, ac ſimiliter ibidem in honorem SS. Trinit. ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam deuotè recitarent, annuatim ſingulis earumdem Dominicarum, & feſtiuitatum diebus huiuſmodi plenariam, & veram omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & indulgentiam conceſſerit, & largitus fuerit; Alijs verò ſingulis Dominicis diebus cuiuslibet reſpectiuè anni Eccleſiam ipſam modo prædicto viſitantibus triginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxauerit, prout etiam in eiſdem literis pleniùs continetur.

§. 4. Nos cupientes, vt deuotio fidelium ad Capellam ipſam feruentiùs inualeſcat, & animarum ſalus peramplius propagetur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, plenariam Chriſti fidelibus in ſingulis dictis cuiuslibet Quadrageſimæ, ac Natiuitatis, Reſurrectionis, & SS. Trinit. feſtiuitatum diebus, necnon triginta annorum, & totidem quadragenarum in alijs diebus Dominicis cuiuslibet anni, necnon omnes, & ſingulas alias, quas haberi volumus pro expreſſis, indulgentias, & peccatorum remiſſiones, tam per priores prædictas, quàm per quaſcumque alias literas ab eodem Leone prædeceſſore Chriſti fidelibus Eccleſiam SS. Trinit. quibuſcumque alijs diebus, & temporibus viſitantibus, & quibuſuis modis, & formis, nullis prorſus exceptis, quomodolibet conceſſas, ad Cappellam prædictam, ita quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles præfati pœnitentes, & confeſſi, ſeu propoſitum confitendi, vt præfertur, habentes, dictam Capellam ſingulis diebus Dominicis cuiuslibet Quadrageſimæ, ac Natiuitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis D. N. Ieſu Chriſti, necnon Pentecoſtes, & SS. Trinit. feſtiuitatum diebus, à primis veſperis ſingularum Dominicarum, & feſtiuitatum, ſeu dierum huiuſmodi, vſque ad occaſum Solis cuiuslibet earum deuotè viſitantes, ac inibi ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam recitantes, plenariam, & veram omnium peccatorum ſuorum: ſingulis verò alijs Dominicis diebus cuiuslibet anni triginta annorum, & totidem quadragenarum: Alijs autem temporibus, & diebus prædictis viſitantes, omnes, & ſingulas alias indulgentias, & plenarias peccatorum remiſſiones conſequantur, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Dominicis, & feſtiuis alijs diebus, & temporibus ſupradictis præfatam Eccleſiam SS. Trinit. perſonaliter viſitarent, & inibi orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, vt præmittitur, recitarent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ampliamus, illaſque concedimus, & elargimur.

Concedit indulgentias prout in ſummario.

§. 5. Et, vt Chriſti fideles præfati indulgentiarum huiuſmodi commodiùs participes eſſe poſſint, Correctori pro tempore exiſtenti, & fratribus domus S. Aloyſij huiuſmodi confeſſores religioſos dicti Ordinis, qui eoſdem Chriſti fideles ad Capellam prædictam pro huiuſmodi indulgentijs conſequendis feſtiuitatum, & Dominicarum Quadrageſimæ diebus prædictis cuiuſlibet anni, & à medio Quadrageſimæ, vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè etiam cuiuslibet anni ſingulis diebus accedentes in eorum confeſſionibus audire, ac, illis diligenter auditis, ipſos, & illorum ſingulos à quibuſuis caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis contentis in literis Cœnæ Domini legi ſolitis, abſoluere, & eis pro commiſſis per eos delictis pœnitentiam ſalutarem iniungere poſſint, deputandi auctoritate, & tenore præſentis facultatem concedimus.

Facultas deputandi confeſſores cum poteſtate abſoluendi.

§. 6.

Derogat contrarijs.

§. 6. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis reuocationibus, & ſuſpenſionibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum pro tempore factis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnat. Dom. 1539. quarto Non. Iulij, Pontif. noſtri anno 5.*

§. I.

1 NOto, quòd meo videri in relatione facta Pontifici ſunt duo errores. 1. eſt. quòd dicitur, Conuentum S. Aloyſii eſſe prope, & extra muros Neapolis, nam, vt audio, eſt intra Ciuitatem in nobiliſſimo loco, vicino Palatio Viceregis. Niſi fortè extenſi ſint muri illius Ciuitatis poſt iſtam conceſſionem, & ſic Conuentum noſtrum extra muros exiſtentem intus incluſerint. Sed hic error eſſentialis non eſt, nec ſufficeret ad vitiandam conceſſionem. 2. eſt, quòd dicitur, Leonem X. conceſſiſſe viſitantibus Eccleſiam SS. Trinitatis omnes indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quas lucrantur viſitantes Eccleſias intus, & extra muros Romæ diebus ſtationum. Quod non inuenio dictum Leonem conceſſiſſe, vt patet ex eius bulla 8. in qua ſolum conceduntur indulgentiæ S. Mariæ de Populo. Niſi fortè dicamus, quòd Leo per alias ſuas literas id conceſſerit, quas ego non viderim.

§. II.

2 NOta circa illa verba *peccatorum remiſſiones*, quòd indulgentia per ſe non valet ad remiſſionem peccati, & eſt certum de fide. Et ratio eſt; nam peccatum non remittitur, niſi vel per contritionem, vel per ſacramentum pœnitentiæ. Indulgentia autem nihil horum eſt, ergo. Antecedens eſt certum ex Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 4. & ſeſſ. 7. de ſacram. in genere, canon. 4. vbi dicitur *Sine ſacramentis, aut eorum voto, neminem poſſe iuſtificari*. Ita Filliu. tom. 1. tract. 8. c. 7. n. 181. Cord. in ſuo quæſt. theol. lib. 5. q. 8. propoſ. vn. Neq; ſolùm non poteſt indulgentia remittere peccatum mortale, ſed nec etiam veniale, vt Filliuc. n. 183. nam veniale ordinariè non poteſt deleri ſine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur, at per indulgentiam non datur homini talis actus contra peccatum veniale. Quando ergo dicitur hic, & alibi, Conceditur indulgentia, & remiſſio peccatorum, intelligitur per peccatorum ibi, pœnarum peccatis debitarum; peccatum enim in ſcriptura ſæpe accipitur pro pœna peccati, 1. Pet. 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit*, ideſt. Pœnam noſtris peccatis debitam. Et 2. Machab. 12. dicitur *Vt à peccatis ſoluantur*, ideſt à pœnis; loquitur enim de animabus Purgatorij, quæ culparum expertes ſunt. Et quando dicitur, quod conceditur indulgentia à culpa, & à pœna, intelligitur, quod ibi remittitur culpa, non ratione indulgentiæ, ſed ratione contritionis, vel ſacramenti, quæ prærequiruntur ad conſequendum effectum indulgentiæ. Vel etiam poteſt intelligi, quod quando conceditur indulgentia, quæ abſoluat à culpa, & pœna, datur per iſtam formam facultas, vt volens eam indulgentiam lucrari, poſſit abſolui ſacramentaliter ab omni peccato quo ad culpam, etiam de reſeruatis. Ita Cord. loc. cit. qui dicit, talem eſſe ſtylum Curiæ; Non datur tamen per iſtum modum facultas abſoluendi à cenſuris, niſi ſpecialiter exprimatur.

3 Nota hic etiam obiter quod indulgentia per modum ſuffragij, eſt diſpenſatio, ſeu communicatio theſauri indulgentiarum, auctoritatiuè facta per Prælatum Eccleſiæ, pendens quo ad ſuum fructum, ſeu effectum remiſſionis pœnarum, à ſola liberali, & gratuita Dei acceptatione. Ita Cordub. in ſuo quæſt. theol. lib. 5. de indulg. cap. 15. opin. 4.

§. IV.

4 NOta, quod hic Pontifex omnes, & ſingulas indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſiam SS. Trinitatis, extendit, & de nouo concedit viſitantibus Capellam S. Franciſci de Paula iiſdem diebus. Quare in noſtris Eccleſiis diebus prædictis habentur indulgentiæ, & ad altare maius, & ad Capellam S. P. N. Franciſci de Paula, quas indulgentias puto omnino eſſe diſtinctas. Leo enim concedit viſitantibus Eccleſiam Trinitatis, & ante altare maius dicentibus ter Pater noſter indulgentiam. Iſte Pontifex concedit hanc eandem indulgentiam viſitantibus Capellam S. Franciſci. Nec te turbent verba illa §. 2. *Qui eiſdem diebus Eccleſiam S. Aloyſij, & Capellam prædictam*, quaſi ad lucrandam dictam indulgentiam velit, vt viſitetur ſimul altare maius, & Capella prædicta: Nam, præterquàmquod nihil de nouo concederet, & priuilegia ſemper ſunt interpretanda, vt aliquid de nouo concedant; cap. Si Papa, de priu. in 6. videretur imponere volentibus lucrari dictam indulgentiam, nouum onus; qui enim viſitant altare maius per conceſſionem Leonis eam indulgentiam lucrantur: Si iſte Pontifex ad eamdem lucrandam addit dictam Capellam cum dictis tribus Pater noſter, onus nouum imponit, & non priuilegium concedit. Addo quòd particula, &, quæ communiter eſt coniunctiua, ſæpe ponitur pro Seu, quæ eſt disiunctiua, Tuſch. verbo Dictio, concl. 254. num. 3. Et in disiunctiuis, ſeu alternatiuis ſufficit alterum verificari. Tuſch. ibid. concl. 268. Et ad mentem legislatoris potiùs eſt attendendum, quàm ad verba; mens autem conſtat clarè ex hoc §. 4. vbi nulla mentio fit de viſitantibus Eccleſiam S. Aloyſii, ſed ſolùm conceduntur indulgentiæ viſitantibus Capellam S. Franciſci.

§. V.

5 NOta, quòd concedit facultatem Correctoribus in diebus indulgentiarum deputandi confeſſores noſtri Ordinis, qui accedentes ad lucrandas dictas indulgentias poſſint abſoluere ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis contentis in bulla Cœnæ. Quæ conceſſio adhuc eſt in ſuo robore; & poſſunt dicti confeſſores abſoluere ab omnibus caſibus dictos accedentes, præterquam à ſeptem; de quibus dixi in appendice tom. 1. Relig. pag. 682.

6 Nota hic, quòd licèt ſupra in conſt. 2. Leonis X. §. 2. nu. 3. dixerim, dictos confeſſarios deputatos dictis diebus non poſſe abſoluere à caſibus epiſcopalibus, vt in dicto §. 2. concedebatur, probabiliter tamen poteſt defendi, quòd poſſint etiam ab epiſcopalibus abſoluere: Nam qui obſeruationem legis ad tempus ex priuilegio quò ad vnum effectum ſuſpendit, illam etiam eo tempore dicitur obſeruare. Qua ratione vtitur Henriq. lib. 13. c. 48. n. 1. ad probandum, quod priuilegia Regularium concedentia ſuſpenſionem interdicti in certis diebus, non ſunt reuocata per Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reg. c. 12. Vnde cum caſus videatur omnino ſimilis, pro iſta opinione adduco omnes Doctores, quos adduxi ſupra, in conſt. 2. Sixti IV. n. 51. Ad decretum Clem. VIII. de prohibitione abſoluendi à caſibus epiſcopalibus, dic, quòd loquitur de prohibitione generali abſoluendi à dictis caſibus, & ſic derogat ea priuilegia, quæ dictam generalem abſolutionem concedebant; cum qua tamen ſtat, quòd poſſint Minimi in aliquibus diebus anni à dictis caſibus abſoluere. Et hic etiam aduerte quòd dictum decretum Clem. non habet vim niſi in Italia, & extra Vrbem, vt ex illo conſtat. Vnde in alijs partibus mundi poterunt Correctores noſtri diebus indulgentiarum prædictarum confeſſarios deputare, qui etiam poterunt abſoluere à caſibus epiſcopalibus.

7 Et

Digitized by Google

7 Et aduerte, quòd poſſunt dicti Correctores ad hoc munus explendum deputare non ſolùm ſacerdotes profeſſos, ſed etiam nouitios, vt docent Henriq. lib. 7. cap. 22. nu. 7. & Suar. tom. 4. de Relig. tract. 3. lib. 9. cap. 1. num. 18.

CONSTITVTIO III.

Mandat ſub pœna excommunicationis poſt debitam monitionem ipſo facto incurrenda, vt extra Ordinem degentes in locis, in quibus non ſunt Conuentus Ordini noſtri, non deferant caputium noſtro ſimilem.

PAVLVS PAPA III.

Vniuerſis, & ſingulis venerab. fratrib. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs Abbatibus, & alijs Eccleſiarum; necnon metropolitanarum, & aliarum cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ac eorumdem Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicarijs in ſpiritualibus generalibus, & eorum cuilibet ſal. & Apoſt. bened.

Supplicatio. §. 1. *CVm, ſicut dilecti filij generalis, & prouinciales Correctores, ac Zeloſus Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula nobis nuper exponi fecerunt, diuerſi ipſius Ordinis profeſſores poſt emiſſam ab eis in ipſo Ordine profeſſionem, diuerſis prætextibus ab obedientia ſuorum Superiorum ſe ſubtrahant, & cum habitu eiuſdem Ordinis, illius regularem obſeruantiam contemnendo, ſoli per plateas, & vicos ad eorum libitum diſcurrant: Necnon priuilegijs, gratijs, & libertatibus præfato Ordini a Sede Apoſtolica conceſſis abutantur; ac diuerſis medijs alios ipſius Ordinis profeſſores ſub obedientia ſuorum Superiorum degentes, in eorum ſocietatem, ac conſimilem vitam trahere ſatagant, in grauem Dei offenſam, & animarum periculum, ac profeſſorum ſub obedientia degentium maximam perturbationem, necnon ſcandalum plurimorum: Correctores, & Zeloſus prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt præmiſſis occurrere, aliáſq; opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Mandat Commiſſarijs deſignatis, vt exequãtur pt out in ſummario. §. 2. *Nos igitur eorumdem Correctorum, ac Zeloſi in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis per præſentes committimus, & mandamus quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios omnes, & ſingulos dicti Ordinis profeſſores, qui poſt emiſſam ab eis in ipſo Ordine profeſſionem quocumq; prætextu ſe ab obedientia ſuorum Superiorum hactenus ſubtraxerunt, vel in poſterum ſubtrahent, extra loca, & domos eiuſdem Ordinis degendo, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per eos, niſi monitionibus veſtris paruerint, eo ipſo incurrenda, à qua non niſi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, aut in mortis articulo conſtituti abſolui poſſint, auctoritate noſtra moneatis, & requiratis, prout etiam eos harum ſerie monemus, & requirimus, quatenus infra terminum per vos eis arbitrio veſtro præfigendum, caputium cæteris caputijs per ipſos profeſſores geſtari ſolitis aliquantò breuius, ita quòd ſolùm ad medium pectoris extendatur, vt ab alijs ipſius Ordinis profeſſoribus ſub obedientia degentibus dignoſci poſſint, geſtare debeant cum effectu: Et, ſi monitionibus, & requiſitionibus veſtris huiuſmodi non paruerint, elapſo termino prædicto, eos excommunicationis ſententiam, huiuſmodi incidiſſe, & incurriſſe declaretis. Et nihilominus, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, eamdem excommunicationis ſententiam etiam iteratis vicibus, prout expediens fuerit, aggrauare curetis, inuocato etiam, vt monitionibus noſtris huiuſmodi pareatur, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs. §. 3. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis literis per eoſdem profeſſores extra domos, & loca huiuſmodi degentes ſuper ſubtractione ſui ab obedientia Superiorum ſuorum, etiam à dicta Sede ſub quibuſcumq; verborum formis, & expreſſionibus, ac quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; fortioribus, & inſolitis clauſulis irritantibus quoq; & alijs decretis, etiam in forma Breuis pro tempore obtentis, quas, illarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, nemini aduerſus præſentes ſuffragari poſſe decernimus, cæterijſq; contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. §. 4. *Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, in quibus de eis forſan facienda erit fides, deferre, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd ipſarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ eccleſiaſticæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 6. Auguſti, 1539. Pontific. noſtri anno 5.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd iſta conſtitutio fuit impetrata ad inſtantiam Capituli generalis Bononiæ 1. celebrati nu. 29. vbi dicitur *Viſum eſt Patribus Capituli, quòd Generalis, & Zeloſus futuri nitantur impetrare Breue, quo illi, qui Ordinem reliquerint, & habitum nihilominus Religionis detulerint, cogantur habitum dimittere, vel notabiliter diſtinctum portare.*

2 Noto 2. quòd iſta conſtitutio non loquitur propriè de apoſtatis: Nam contra apoſtatas adſunt ſupra multæ conſtitutiones; ſed de ijs, qui poſtquam profeſſionem fecerunt, diuerſis prætextibus, V. G. adiuuandi parentes extremè, vel grauiter indigentes, vel impotentiæ vitæ quadrageſimalis ſeruandæ, vel alicuius infirmitatis, vel ſimilis, ſe à Religione ſubtrahunt, & deferunt Religionis habitum, cum quo non viuunt eo modo, quo debent; quibus præcipitur portare caputium, quòd ſolùm ad medium pectoris protendatur. Sed iſta conſtitutio non eſt in vſu.

3 Noto 3. quòd Iulius II. commiſit Prælatis omnibus eccleſiaſticis, vt examinent literas qualitercumque exeuntium ab Ordine; &, ſi cauſas in eis allegatas, inſtantibus Ordinis Superioribus, veras non reperErint, poſſint dictas literas reuocare, & annullare. Et

quod

quod ſaltem non permittant, eos morari in locis, vbi fuerint domus noſtri Ordinis. Ita refert Rodriq. in ſuo bull. in Iul. II. conſtit. 12. quæ incipit, Exponi nobis.

CONSTITVTIO IV.

Confirmat acta Capituli generalis Paulæ celebrati, & derogat quibuſdam priuilegijs Apoſtolicis contra Regulam impetratis.

PAVLVS PAPA III.

Dilectis filijs Generali, prouincialibus, Correctoribus, cœteriſq; Superioribus, & ſubditis fratrum Minimorum, & eorum ſingulis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Sincerę deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geritis Eccleſiam, necnon Religionis puritas, & exemplaris vita, quibus Ordo veſter fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula in noſtro, & Sedis Apoſtolicæ, ac totius militantis Eccleſiæ conſpectu hactenus, Deo fauente, refulſit, promerentur, vt his, quæ pro dicti Ordinis, & veſtra ſalubri directione prouidè geſta dicuntur, vt illibata perſiſtant, potiſſimùm, cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium propenſiùs impertiamur.

Impetrarāt fratres aliqua Apoſtolica diplomata contra Regulā.

§. 1. *Exponi ſiquidem nobis nuper feciſtis, quòd vos generale Capitulum in Oppido Paulæ Conſentinen. Diœceſis in feſto Aſcenſionis Domini vltimè lapſo ſecundùm morem dicti Ordinis celebrantes, & prouidè attendentes, quòd aliàs eidem Ordini, ac illius domibus nonnullæ literæ Apoſtolicæ ſuper diuerſis caſibus ſecundùm exigentiam temporum, & ad petitionem fratrum Ordinis huiuſmodi, quæ tunc eidem Ordini neceſſariæ videbantur, conceſſæ fuerant, quarum vſus ſucceſſu temporis Ordinis huiuſmodi candorem, & veram regularem obſeruantiam obnubilare videbatur.*

Memorat conſt. … eo- ius X. §. 3.

§. 2. *Quòd licet dudum fel. rec. Leo Papa X. prædeceſſor noſter, quarumuis Religionum fratribus quantumcumque priuilegiatis, eorumque Superioribus, & Prælatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipſo incurrere voluerat, & à qua niſi ab eo, & Romano Pontifice canonicè intrante, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolui non poſſent, per eius in forma Breuis literas diſtrictè inhibuerat, ne ex tunc aliquos fratres dicti veſtri Ordinis ad eos confugientes, vel venientes prætextu quorumcumque priuilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis deſuper conceſſorum, in eorum domibus, ſeu Conuentibus recipere, aut eis ipſorum habitum concedere, ſeu exhibere auderent, vel præſumerent; decernens, quaſcumque receptiones, & habituum exhibitiones factas, & faciendas nullius exiſtere roboris, vel momenti, nullumque tunc, & pro tempore exiſtenti generali Correctori dicti Ordinis fratrum Minimorum præiudicium propterea generari potuiſſe, aut in futurum poſſe: Ipſiſque fratribus, Religioſos, & profeſſores Ordinis fratrum Minimorum huiuſmodi penes ſe, aut in eorum domibus, locis, & conuentibus tenentibus ſub dicta excommunicationis pœna modo præmiſſo incurrenda præceperat, ac in virtute ſanctæ obedientiæ mandauerat, quatenus fratres per eos receptos huiuſmodi infra ſpatium nouem dierum, à die intimationes literarum earumdem computandorum, cum eorum priori habitu Correctori generali Ordinis fratrum Minimorum huiuſmodi reſtituere haberent, ac de cætero à ſimili fratrum Minimorum Ordinis huiuſmodi receptione abſtinerent, & ad eos accedere volentes cum omni humilitate, & in ſpiritu ſapientiæ, & charitatis, ipſos de indulto, & inhibitione huiuſmodi certificantes, ad omnem ipſius Correctoris generalis, ac illius vices gerentis petitionem reſtituerent, prout in literis Leonis prædeceſſoris huiuſmodi pleniùs continebatur. Nihilominus nonnulli ex fratribus prædicti Ordinis prætextu literarum, & priuilegiorum per eos ab ipſa Sede multoties ſub reptitiè, & obreptitiè impetratorum, & ab ipſo Ordine diſcedere, & cum eorum habitu extra Ordinem ipſum manere, ſeu ad alios Ordines, etiam excogitatis medijs, tranſire, & habitum Ordinum eorumdem ſuſcipere, ipſorumque Ordinum Superiores, etiam de literis Leonis huiuſmodi certificati, illos recipere non verebantur, in animarum ſuarum periculum, & ipſius veſtri Ordinis depreſſionem.*

§. 3. *Vos pro dicti veſtri Ordinis conſeruatione præmiſſis occurrere, & opportuna remedia adhibere volentes, procuraſtis, quòd nobis, & Sedi Apoſtolicæ pro reuocatione literarum earumdem, in quantum ipſius Regulæ candorem, & veram obſeruantiam obnubilare, ſeu vos turbare, aut ex literarum earumdem vſu ſcandala oriri poſſent, ſupplicaretur.* Supplicatio.

Celebratio Capit. non poteſt anticipari vel retardari: nec fratres ſe obligare ad ſuffragia perpetua; nec Superiores ingredi Monaſteria monialium. Generalis ſtatim electus exercet officium, nec eo durante, viſitur.

§. 4. *Quòdque celebratio prouincialium Capitulorum dicti Ordinis contra Regulæ huiuſmodi diſpoſitionem anticipari, vel retardari. Et fratres ipſius veſtri Ordinis ad ſuffragia perpetua ſe obligare. Seu Generalis, vel quicumque alij Superiores, aut fratres dicti Ordinis Monaſteria monialium quorumuis Ordinum, etiam pro viſitationibus inibi faciendis, niſi iuxta ipſius Regulæ tenorem ingredi nullatenus poſſent.*

§. 5. *Et idem Generalis, poſtquam iuxta regularia inſtituta dicti veſtri Ordinis electus foret, officium ſuum, abſque aliqua deſuper expectanda confirmatione, ad certum tempus exerceret, &, eius officio durante, nullatenus, ſed, eo ceſſante, per alium Generalem nouiter electum, & eius Collegas viſitaretur.*

Conuentus S. Trin. Generali immediatè ſubijcitur.

§. 6. *Necnon domus S. Trinitatis de Vrbe dicti Ordinis eidem Generali, vel ab eo deputato, aut Viſitatori oculato dicti Ordinis, prout etiam ipſe B. Franciſcus voluerat, immediatè ſubijceretur, & nonnulla alia tunc expreſſa ſtatuiſtis, & ordinaſtis.*

Vide conſt. 7. Paul. V. §. 3. infra.

§. 7. *Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt literas Apoſtolicas, in quantum ipſius Regulæ candorem & veram obſeruantiam obnubilare, ſeu vos turbare, aut ex earum vſu ſcandala oriri poſſent, reuocare, ac literas Leonis prædeceſſoris huiuſmodi, necnon præmiſſa omnia, & ſingula in dicto Capitulo, vt præfertur, ſtatuta, decreta, & ordinata approbare, & confirmare, aliàſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.* Supplicatio.

§. 8. *Nos itaque ipſius veſtri Ordinis felicem ſucceſſum* Reuoca

conſt. quæ obſeruantiam Regulæ obnubilare videntur.

ceſſum ſinceris deſiderantes affectibus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, primò dictas literas Apoſtolicas, Ordini, aut domibus prædictis, vt præfertur, conceſſas, in quantum ipſius Regulæ candorem, & veram obſeruantiam obnubilare, ſeu vos turbare, aut ex earum vſu ſcandala oriri poſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium reuocamus, & annullamus, ac pro reuocatis & annullatis, ac viribus penitus vacuis haberi volumus.

Confirmat literas Leonis, & ſtatuta in Cap. Paulæ.

§. 9. *Necnon literas Leonis prædeceſſoris huiuſmodi, ac præmiſſa omnia, & ſingula, ac quæcumq; alia per vos in ipſo generali Capitulo ſtatuta, decreta, & ordinata, quorum tenores præſentibus pro expreſſis, ac ſpecificè deſcriptis, & annotatis haberi volumus, licita tamen, & honeſta, & ſacris Canonibus non contraria, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adyciimus.*

Superiores, & ſubditi tenentur obſeruare decreta Capituli Paulæ.

§. 10. *Ac vos, & pro tempore exiſtentes Correctorem generalem, ac Superiores, & fratres veſtri Ordinis huiuſmodi pro tempore exiſtentes, ad illorum omnium obſeruantiam teneri, & obligatos exiſtere.*

Iterum confirmat literas Leonis, & ſupplet defectus.

§. 11. *Necnon etiam literas Leonis prædeceſſoris huiuſmodi iuxta illarum tenorem inuiolabiliter ſeruari debere decernimus. Supplentes omnes, & ſingulos iuris, & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.*

Derogat contrarijs.

§. 12. *Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon alijs dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 13. *Verùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de illis fides forſan facienda fuerit, deferri, volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd præſentium literarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 27. Martij, 1536. Pontif. noſtri anno 2.*

§. IV.

1 NOto 1. quòd in Capitulo Januen. 1. num. 34. fuit ſtatutum poſſe P. Generalem, ſeu eius Vicarium ſemel in quolibet triennio cum ſuis Collegis, ac Prouinciali, ſi præſens fuerit, liberè in Monaſteria noſtrarum monialium ingredi pro inibi viſitatione facienda, & in tempore infirmitatis alicuius ſororis poſſe ingredi earum confeſſarium. Et quia hæc duo puncta erant directè contra Regulam ſororum nu. 17. 18. ideo Patres illius Capituli mandauerunt P. Zeloſo, vt ſuper hoc Breue à Sanctiſſimo obtineret; Quod P. Zeloſus impetrauit per modum viuæ vocis oraculi à Clemente VII. de quo teſtimonium fert Antonius Card. SS. quatuot, vt ſupra, in Clem. VII. conſt. eius 8.

2 Et eſt aduertendum, quòd dictum viuæ vocis oraculum continet quinque indulta. Primum, quòd moniales noſtri Ordinis poſſint in miſſis coram ipſis ſolemniter celebrandis introitum, & cœtera alia voce, ſicut ſolent alia diuina officia, canere, quod illis erat vetitum in Regula ſororum, nu. 9. Secundum, quòd P. Generalis, vel ab eo deputandus, ſemel tantùm in triennio cauſa viſitationis monialium Monaſteria ingredi poſſit. 3. quòd tempore maximæ infirmitatis poſſit earum confeſſarius pro Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis ſacramentis adminiſtrandis. 4. quòd etiam poſſit ingredi phyſicus, aut medicus pro monialibus infirmis. 5. quòd poſſint etiam alij artifices pro Monaſterij ædificatione, vel neceſſaria reparatione. Ex quibus per hanc conſtitutionem non video quod reuocatum ſit niſi ſecundum: quia in ſupplicatione, quæ fit Papæ §. 4. ſolùm fit mentio de Generali, aut Viſitatoribus. Vnde, cum conſtitutio ad inſtantiam ex relatione iuſtificetur, certum eſt, quòd Papa ſolùm illud, quod ab illo petitur, reuocat. Atque ita declaratum eſt in Capitulo Valent. 4. num. 35. & docuerunt Paſſar. ad dictum viuæ vocis oraculum Clem. VII. & Rodriq. in ſuo bull. in Clem. VII. conſt. eius 10. fine.

3 Quò verò ad 4. & 5. hodie requiritur licentia Superiorum Ordinis, iuxta Concilium Trid. ſeſſ. 25. de reg. cap. 5. Reliqua ſtant in ſuo vigore; nam licèt cap. 22. eiuſdem ſeſſ. dicatur. *Si qui verò Regulares, tam viri, quam mulieres ſunt, qui ſub arctiori Regula, vel ſtatutis viuunt, eos ab eorum inſtituto, & obſeruantia ſancta Synodus amouere non intendit.* Tamen circa confeſſarios tempore neceſſitatis, & alios ſeculares, tam medicos, quàm operarios conſuetudo obtinuit, vt in noſtra Religione dicto priuilegio vtamur, iuxta formam à Trid. traditam ſeſſ. 25. de regul. c. 5. cit. quod nimirum dicti confeſſarij, medici, & operarij, ſtante neceſſitate, ingrediantur cum licentia in ſcriptis Superiorum.

4 Quam licentiam non poteſt dare Correctrix; nam tum ex Trid. tum ex bullis Pontificum, de quibus infra in Pio V. conſtit. eius 6. §. 1. num 4. colligitur, non fuiſſe mulierum prudentiæ relictum tanti momenti negotium. Ita Sanch. 6. in decal. c. 16. nu. 22. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 46. art. 2. In caſu autem repentinæ neceſſitatis poſſet dicta M. Correctrix ex præſumpta Superiorum voluntate talem licentiam concedere. Sanch. loc. cit. n. 37. & Rodriq. etiam cit. Poſſet verò Superior iuſtè generalem licentiam concedere Correctrici, aut confeſſario concedendæ huius facultatis ingreſſus in caſibus frequenter occurrentibus Nauar. comm. 4. de reg. n. 6. verſu Quarto quod dubitari, Rodriq. loc. cit. Graff. 1. p. deciſ. lib. 4. c. 23. n. 6. fine. Sanch. loc. cit. n. 23.

5 Si quæras, an licentia ſpecialis, & in ſcriptis requiratur ad ingreſſum confeſſariorum, Vicariorum, ad ſacramenta infirmis miniſtranda; medici, chirurgi ad medendum; latomorum, cœmentariorum, lignariorum, qui ad aliquod ædificium neceſſarij ſunt.

℞. Licentiam ingrediendi ſemper debere eſſe ſpecialem, vt conſtat ex c. Periculoſo, in princip. de ſtatu Monach. in 6. ibi *Niſi ſpecialis licentia*, ideſt ſpecialiter obtenta, nec enim neceſſarium eſt licentia ſpecialem alicuius perſonæ mentionem fieri, ſed ſatis eſt generalis licentia a Superiori conceſſa, vt medici, aut fabri, & ſimiles ingrediantur, quippe hæc ſpecialis dicitur, quia ſpecialiter ad ingreſſum conceditur, etſi non ſpecialis quò ad perſonam ſingularem, in ea nominatam. Ita Sanch. 6. in decal. cap. 16. numer. 28. Nec ſolùm debet eſſe ſpecialis, ſed in ſcriptis, per Trid. ſeſſ. 25. de reg. cap. 5. ita vt, etiamſi adſit legitima cauſa, & licentia ſpecifica Superioris, ſi hæc licentia non ſit in ſcriptis, incurritur culpa lethalis, & aliæ pœnæ contra ingredientes monialium clauſuram. Ita Sanch. citat. loc. num. 31. Sed Llamas in append. ſui meth. §. 6. putat in caſibus ſupradictis licentiam in ſcriptis non eſſe neceſſariam, neque ſpecialem, ſed eam imbibi in generali admiſſione talium perſonarum ad talia munia monialibus præſtanda, cum ſcriptura non videatur de eſſentia, niſi quatenus habet fidem facere, quòd licentia ritè, & iuſtè conceſſa ſit, tam pro ingrediente, quàm pro licentiam concedente. Quod licèt poſſet ſuſtineri, tutius tamen eſt primum. In caſibus tamen repentinis, vbi neceſſitas vrgeret, & eſſet periculum in mora, ſi licentia Superioris in ſcriptis expectaretur, putat Sanch. loc. cit. num. 34. eam non eſſe neceſſariam.

6 Si quæras vlteriùs, an licentia data, non ad ingreſſum, ſed ad concedendum ingrediendi facultatem, debeat

debeat

Digitized by Google

debeat eſſe in ſcriptis. Putat Sanch. loc. cit. n. 38. id non eſſe neceſſarium. Sed neceſſarium puto pro rei iuſtificatione.

7 Si quæras etiam, an incurrat pœnas taxatas, qui de licentia Superioris in ſcriptis obtenta, non tamen conceſſa ex iuxta cauſa, id eſt in caſibus vrgentis neceſſitatis, prout infra in conſt. 6. Pij V. ingreditur monialium Monaſteria.

Reſpondet Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 73. Vel ingrediens proponit bona fide cauſam ingreſſus Superiori diſcutiendam, & approbandam; & hoc caſu nullam incurrit pœnam, etiamſi cauſa de ſe ſufficiens non ſit: nam Superioris culpa eſt, qui non diſcuſſit, vt debebat. Vel Superiorem decepit, proponendo cauſam falſam; & hoc caſu incipit, quia, cum illa licentia ſit fraude extorta, perinde eſt, ac ſi non eſſet conceſſa. Vel Superior non decipitur quidem, ſed ſua auctoritate abutens concedit licentiam extra caſum neceſſitatis, id ſciente ingrediente; & hoc caſu etiam incurrit, quia Superior hanc licentiam non poteſt dare, niſi in caſibus vrgentis neceſſitatis, vt ſtatuit Gregor. XIII. in ſua conſtit. quæ incipit, Vbi gratiæ, de qua infra in Pio V. conſtit. eius 6. num. 4. Et putat etiam Sanch. hunc incurrere in pœnas à Trid. taxatas ſeſſ. 25. de reg. cap. 5.

8 Noto 2. quòd in eodem Cap. Genuen. 1. nu. 37. decreuerunt Patres, quòd de conſenſu Capituli prouincialis poſſent ſe fratres obligare ad ſuffragia perpetua: Sed quia hoc erat contra Regulam num. 15. mandauerunt P. Zeloſo, vt ſuper hoc reſcriptum Apoſtolicum impetraret: Quod fecit, & obtinuit viuæ vocis oraculum à Clem. VII. de quo teſtatur Cardinalis SS. Quatuor. Et eſt illud, quod derogare intendit, & de facto derogat hic Pontifex, §. 8. Quo ad hoc punctum tamen vide quæ dico ſupra, in conſt. 4. Iulij II. §. 4. à num. 18. vbi iſtam materiam tracto diffuſè.

9 Noto 3. quòd in eodem Cap. Genuen. 1. nu. 38. publicatum fuit quoddam Apoſtolicum diploma, ſeu viuæ vocis oraculum Leonis X. de quo teſtatur Bernardinus Epiſcopus Sabinen. & S.R.E. Card. & pono ſupra in Leone, conſt. eius 28. §. 4. circa anticipationem, & dilationem Capitulorum prouincialium; & eſt illud, quod hic reuocatur §. 8. quæ reuocatio ſemper ſuum obtinuit effectum.

§. V.

10 NOto, quòd duo hic dicuntur. 1. quòd Generalis ſtatim ac electus eſt, poteſt ſuum officium exercere, & cenſetur confirmatus: quod etiam conceſſerat Iulius II. in eius conſtit. 2. ſupra §. 1. & ſtatuerunt Patres Capituli Paulæ, num. 23. 2. eſt, quòd Generalis, durante ſuo officio, non viſitetur, ſed poſt abſolutum officium, à ſuo ſucceſſore. Conformat cum cap. fin. de de ſtatu Monach. §. Quòd ſi Abbas, verſu Sequentes autem, vbi Gloſſa verbo & eorum negligentias; & Gloſſa marginalis multa adducit; Quod etiam fuit ſtatutum in dicto Cap. Paulæ, n. 17. & 23.

§. IX.

11 NOto, quòd confirmat 1. literas Leonis, de quibus in poſtilla: Deinde confirmat omnia, & quæcumque ſtatuta facta in Cap. Paulæ, quorum tenores haberi vult pro expreſſis. Vnde colligo, quòd iſta confirmatio ſit ex certa ſcientia. 1. propter illam clauſulam poſitam §. 6. *Et nonnulla alia tunc expreſſa*. Quæ clauſula indicat, Papam habuiſſe certam notitiam de omnibus ſtatutis in dicto Capitulo. 2. quia clauſula *Quorum tenores* operatur indiuiduam omnium expreſſionem cum ſuis qualitatibus. Riccius collect. 949. Tuſch. verbo Clauſula, concl. 339. num. 1. & 6. Felin. in cap. Nonnulli, de reſcript. num. 6. Pariſ. lib. 8. de reſig. quæſt. 7. num. 183. & in ſpecie, quòd confirmatio ſtatutorum cum clauſula *Quorum tenores*, ſit ex certa ſcientia, docet theſaurus Parnorm. in verbo Clauſula pag. 15. & Farin. tom. 1. 2. p. deci. Rot. deciſ. 339. num. 3. facit clem. 1. de prob. Adde 3. quod dictio, *Et ac quæcumq; alia* poſita in §. 9. eſt vniuerſalis, & diſtribuitur ſingulariter ſingulis, ac ſi omnia ſingulariter eſſent ſpecificata, immo etiam includit ea, quæ ſpecialem requirerent ſpecificationem. Tuſch. verbo Dictio, concluſ. 351. num. 4. & 5. Addo denique, quòd clauſula illa *omnia, & ſingula* importat ſpecificationem ſpecialem, & quod omnia ſingulariter cenſeantur comprehenſa. Tuſch. verbo Clauſula, concl. 296. num. 1. & 2. & dicit expreſſè Vrb. VIII. infra in eius conſt. 2. §. 2. fine.

CONSTITVTIO V.

Declarat, quòd vota ſororum, & fratrum tertij Ordinis collegialiter viuentium ſolemnia ſint.

PAVLVS PAPA III.

Dilectis filijs Magiſtro generali, & prouincialibus, ac conuentualibus Prioribus, vniuerſiſq; fratribus Ordinis Prædicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *EXponi nobis nuper feciſtis, quòd licèt aliàs fel. rec. Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter, accepto per eum, quòd quidam fratres, & ſorores tertij Ordinis S. Franciſci, ex eius, vel prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum ſpeciali conceſſione collegialiter viuentes, poſt annum probationis in manibus ſui Miniſtri, ſeu Miniſtræ ab eorum Collegio canonicè electi, vel electæ, coram toto ſuo Collegio tria ſubſtantialia vota emittebant; & quòd à pleriſq; dubitabatur, an talia vota eſſent ſolemnia, & ad Religionis obſeruantiam obligarent, per ſuas literas decreuerit, & ſtatuerit, vota præfata, vt præmittitur, emiſſa, vel quæ in futurum emitterentur, de cætero eam vim, & efficaciam habere, quam ſolemnia vota habent, & omnem inducere effectum, quem inducunt ipſa vota ſolemnia facta per quoſcumq; Religioſos, & Religioſas de Religionibus à Sede Apoſtolica approbatis; mandans omnibus, & ſingulis cuiuſcumque gradus, dignitatis, conditionis, ordinis eſſent, ſub quorum cura, vel iuriſdictione fratres, vel ſorores præfati degebant, vel morabantur, aut degere, vel demorari contigerit in futurum, ne de cætero fratres, vel ſorores præfatos, præfata vota modo præfato emittentes, matrimonium de cætero contrahere, ſeu antea contractum poſt emiſſa vota huiuſmodi conſummare, vel Religionem ipſam dimittere, & ad ſecularem vitam redire permitterent: Quodq; ſi ipſi fratres, & ſorores contrarium feciſſent, matrimonium huiuſmodi nullum fuiſſe, & eſſe, Apoſtolica auctoritate de-*

Memorat quaſdam literas Sixti IV. quas hic non habes. Vide ſupra, in conſtit. 4. Sixti IV. §. 7. à n. 31.

Digitized by Google

cernerent; ac ipſos fratres, & ſorores id facientes excommunicationis ſententia innodatos tamdiu denunciarent, donec ad cor reuertentes, habitum dictæ Religionis reſumerent, & votum, ac profeſſionem ſuam iuxta ſtatuta, & conſuetudines dicti Ordinis obſeruarent, meminiſſentq; ab huiuſmodi excommunicationis ſententia à ſuis Superioribus abſolutionem obtinere, prout in eiſdem literis plenius continetur: Ac omnia, & ſingula priuilegia, & indulta, Apoſtolica auctoritate eidem Ordini S. Franciſci quomodolibet conceſſa, vobis, & Ordini veſtro generaliter communicata fuerint.

Motiua.

§. 2. *Nihilominus, quia literæ prædeceſſoris huiuſmodi vobis, & Ordini veſtro prædictis, ac ſub cura degentibus ſororibus tertij Ordinis, ſeu tertiæ Regulæ S. Dominici ſpecialiter communicatæ non reperiuntur, à nonnullis hæſitatur, an literæ prædeceſſoris huiuſmodi etiam in fratribus, & ſororibus dicti tertij Ordinis, ſeu tertiæ Regulæ S. Dominici collegialiter, vt præfertur, viuentibus, qui tria vota huiuſmodi emittere conſueuerunt, locum ſibi vendicent. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt omnem hæſitandi materiam tollere, aliaſque vobis, & Ordini veſtro præfato in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Declarat vota emiſſa à tertiarijs collegialiter viuentibus eſſe ſolemnia.

§. 3. *Nos igitur quarumcumque animarum ſalutem obnubilantia dubia de cordibus fidelium tolli cupientes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, ac ſtatuimus, quòd vota per fratres, & ſorores dicti tertij Ordinis, ſeu tertiæ Regulæ S. Dominici huiuſmodi eo modo emiſſa, ſecundumque vota per fratres, & ſorores dicti tertij Ordinis S. Franciſci emiſſa, iuxta decretum prædeceſſoris huiuſmodi, ſolemnia ſint, & cenſeantur, ac eumdem effectum prædictum faciant, & ad Religionis obſeruantiam arctent, & obligent.*

Vnde non poſſunt contrahere matrimonium, & contrahentes excommunicat.

§. 4. *Mandantes omnibus, & ſingulis, ſub quorum cura, aut iuriſdictione fratres, aut ſorores tertij Ordinis, ſeu tertiæ Regulæ S. Dominici huiuſmodi degunt, & morantur, ſeu in poſterum degere, vel morari contigerit, cuiuſcumque gradus, dignitatis, ordinis exiſtant, ne de cætero fratres, vel ſorores tertij Ordinis, ſeu tertiæ Regulæ S. Dominici huiuſmodi, qui prædicta vota modo præfato emiſerunt, matrimonium contrahere, ſeu antea contractum poſt emiſſionem huiuſmodi conſummare, aut Religionem ipſam dimittere, & ad ſecularem vitam redire permittant; Quodq; ſi ipſi fratres, vel ſorores contrarium fecerint, matrimonium huiuſmodi nullum fuiſſe, & eſſe, eadem auctoritate decernant, ac fratres, & ſorores contrafacientes excommunicationis ſententia innodatos eſſe tamdiu denunciet, donec ad cor reuerſi, habitum Religionis S. Dominici reſumpſerint, & votum, ac profeſſionem ſuam, ſecundùm ſtatuta, & conſuetudines dicti tertij Ordinis, aut tertiæ Regulæ modo prædicto collegialiter viuentes, obſeruent, mereanturque ab huiuſmodi excommunicationis ſententia à ſuis Prioribus abſolutionem obtinere.*

Derogat contrarijs.

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dictus prædeceſſor noſter in literis ſuis voluit non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.*

Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 26. Iunij. 1542. Pontif. noſtri anno 8.

CONSTITVTIO VI.

Eximit fratres, & ſorores à ſolutione cuiuſcumque portionis legatorum.

PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. H*oneſtis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimus opportunis. Exponi ſiquidem nobis fecerunt dilecti filij Generalis, & Miniſtri prouinciales Ordinis fratrum Minorum de obſeruantia nuncupatorum, necnon dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac moniales, & ſorores S. Claræ, & tertij Ordinis S. Franciſci, quòd licet domus, & loca Ordinis fratrum Minorum de obſeruantia nuncupatorum, eorumque Guardiani, & fratres, necnon Monaſteria, & domus Ordinis S. Claræ cuiuslibet Regulæ, ac tertij Ordinis S. Franciſci de pœnitentia nuncupati, eorumque Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac moniales, & ſorores eiſdem fratribus de obſeruantia ſubiecta, ex priuilegijs Apoſtolicis, eis, ſeu eorum Ordinibus conceſſis, fuerint, & ſint exempta a ſolutione, ſeu præſtatione cuiuſuis quartæ, ſeu quintæ legatorum, eis pro tempore factorum, Ordinario loci, vel quibuſuis alijs quomodolibet facienda, ac in pacifica poſſeſſione, ſeu quaſi exemptione huiuſmodi. Nihilominus cum diuerſi Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & domus S. Ptholomæi Nepeſin. Ordinis Prædicatorum, ac S. Feliciani, necnon Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia etiam de Vrbe, ac alij quæſtores, ſeu Commiſſarij prætextu diuerſorum priuilegiorum eis deſuper conceſſorum prætendant, quartas, vel quintas legatorum huiuſmodi ſibi deberi: Generalis, & Miniſtri prouinciales, necnon Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac moniales, & ſorores præfati dubitant ſuperinde ab eis vexari, ſeu moleſtari, aut aliàs diuerſimodè perturbari poſſe tempore procedente. Quare pro parte eorumdem Generalis, & Miniſtrorum, ac Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, ac monialium, & ſororum huiuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus tranquillitati eorum conſulere, ac aliàs ipſis in præmiſſis opportunè tunc prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Eximit a ſolutione quartæ legatorum. Vide ſup. in conſt. 1. Iul. II. § 33. & conſtit. 2. § 26.

§. 2. *Nos igitur eoſdem Generalem, & Miniſtros, ac Abbatiſſas, & Prioriſſas, necnon moniales, & ſorores ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem omnibus, quòd ipſi de cætero, de, & ſuper legatis, & alijs relictis, eis per quoſcumque quomodolibet pro tempore factis, prætextu quartarum, ſeu quintarum huiuſmodi ab eiſdem, ſeu quibuſuis alijs quæſtoribus, ſeu Commiſſarijs etiam pro S. Cruciata, aut aliàs quomodolibet deputatis vexari, ſeu moleſtari, aut aliàs*

quomo-

quomodolibet perturbari non poſſint, nec quicquam ab ipſis peti valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò concedimus.

Exigentibus pœnam excommunicationis imponit.

§. 3. *Ac eiſdem, & quibuſuis alijs quæſtoribus, & Commiſſarijs, cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, & quacumque iuriſdictione, & facultate fungantur, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, ne Generalem, & Miniſtros, Abbatiſſas, & Prioriſſas, ac moniales, & ſorores præfatos occaſione quartarum, ſeu quintarum legatorum, ſeu relictorum huiuſmodi directè, vel indirectè, aut aliàs quomodolibet vexare, ſeu moleſtare, perturbare, ſeu quicquam ab ipſis petere poſſint, ſub excommunicationis, & alijs ſententijs, & pœnis eccleſiaſticis diſtrictius inhibemus.*

Decretum irritans.

§. 4. *Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commiſſarios deputat.

§. 5. *Quocirca vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, & Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quacumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Generalis, & Miniſtrorum, & Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, ac monialium, & ſororum huiuſmodi, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præfatos Generalem, & Miniſtros, ac Abbatiſſas, & Prioriſſas, ac moniales, & ſorores, & eorum quemlibet conceſſione, & indulto, ac omnibus præmiſſis pacificè frui, & gaudere; non permittentes, eos, vel eorum aliquem deſuper quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores, moleſtatores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac etiam pecuniarias pœnas, eorum arbitrio imponendas, moderandas, applicandas, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs.

§. 6. *Non obſtantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur; & alijs ordinationibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Baſilicæ, & Ordinis fratrum Prædicatorum, necnon S. Feliciani, & S. Spiritus, ac quorumuis aliorum Hoſpitalium, & Monaſteriorum, aliorumque regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, necnon facultatibus, & auctoritatibus, etiam quæſtoribus, & Commiſſarijs prædictis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Peruſiæ, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Septemb. 1544. Pontif. noſtri anno 10.*

CONSTITVTIO VII.

Concedit, quòd fratres poſſint ſe obligare ad ſuffragia perpetua.

ANTONIVS.

Miſeratione diuina S. R. E. Presbyter Cardinalis, tit. SS. quatuor Coronatorum, & S. Sedis Apoſtolicæ maior Pœnitentiarius, necnon Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Protector, venerabil. Religioſis Correctori, & fratribus domus S. Trinitatis de Vrbe Ordinis Minimorum ſalutem in Domino.

Supplicatio.

§. 1. N*Vper S. in Chriſto P. & D. D. N. Paulo diuina prouidentia Papæ III. per vos expoſito, quòd licèt aliàs per Sedem Apoſtolicam vobis, & Ordini veſtro quæcumque ſuffragia perpetua acceptandi facultas conceſſa fuiſſet: Nihilominus vos ad Regulæ veſtræ candorem, & puritatem prouidè attendentes, & ſincerè obſeruari cupientes, in vltimo veſtro generali Capitulo in Oppido Paulæ celebrato facultatem huiuſmodi reuocare, ac per ipſam Sedem Apoſtolicam reuocationem confirmandam eſſe per vos decretum fuiſſet, ne vos deinceps ad aliqua perpetua ſuffragia obligare deberetis. Cum autem Io. Baptiſta de Turchis, dum viueret, ex deuotione, quam Ordini veſtro, & præcipuè domui veſtræ S. Trinitatis de Vrbe gerebat, in Eccleſia dictæ domus vnam Cappellam conſtrui, ac picturis ornari feciſſet, licèt non dotaſſet, ſeu pro dote aliquos redditus aſſignaſſet, tamen ante eius obitum ex teſtamento eiſdem Correctori, & fratribus quamdam vineam, vnà cum domo in eadem exiſtente liberam, poſitam extra portam S. Mariæ de Populo iuxta ſuos fines, pro dote ipſius Capellæ reliquit; cum onere, tamen, quòd ipſi fratres præſentes, & pro tempore exiſtentes teneantur ſingulis annis tres miſſas cantatas, vnam videlicet in feſto Concept. B. M. V. aliam in feſto Natiu. S. Io. Baptiſtæ, reliquam verò in die omnium defunctorum de eiſdem ſemel tantùm in anno, necnon etiam aliã legendo ſingulis hebdomadis totius anni die Sabbathi in perpetuum celebrare, ſeu celebrari facere, ſi vineam, & domum in ea exiſtentem cum onere ſuffragiorum prædictorum eiſdem Correctori, & fratribus dictæ domus acceptandi, & recipiendi, ac receptas tenendi, &, ſi opus fuerit, in alios redditus in eiuſdem Eccleſię vtilitatem commutandi licentia concederetur.*

Nota, quòd hoc indultum obtentum eſt ante confirmationem c. Paulæ; hæc enim obtenta eſt anno 1536. anno 2.

§. 2. *Profectò, vt conſcientijs veſtris, ac neceſſitati*

Digitized by Google

conſuleretur; ſua Sanctitas vobis vineam, vnà cum domo in ea exiſtente cum onere ſuffragiorum prædictorum acceptandi, & recipiendi, ac receptas tenendi, ac in alios redditus in eiuſdem Eccleſiæ vtilitatē commutandi liberè, & licitè, viuæ vocis oraculo deſuper nobis facto, licentiam conceſſit, pariter & indulſit.

Concedit prout in ſūmario. Vide ſupra, in conſtit. 4. Iul. II. § 4. num. 26.

§. 3. In quorum fidem præſentes manu noſtra propria ſubſcripſimus, & per Secretarium noſtrum fieri, ſigillique noſtri parui iuſſimus impreſſione muniri. Datum Romæ, in Camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ die 13. menſis Octobris 1535. Pontific. prælibati S.D.N. anno 1. Ita eſt. Antonius Card. SS. quatuor, maior Pœnitentiarius. Pe. Io. de Viterbio, locus ſigilli.

Subſcriptione firmat.

CONSTITVTIO VIII.

Erigit Monaſterium monialium tertij Ordinis Minimorum.

ANTONIVS.

Miſeratione diuina, tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis, dilectis in Chriſto Religioſis, Beatis nuncupatis, domus ſub inuocatione Ieſu Mariæ Toleti, ſub tertia Regula Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula degentibus ſalutem in Domino.

Proœmiū. *§. 1. INiunctum nobis ab Apoſtolica Sede ſeruitutis officium nos admonet, & inducit, vt ad ea libenter intendamus, per quæ diuinus cultus vbique ſuſcipiat incrementum, & religioſarum mulierum, quæ virginitatem ſuam Deo ſub profeſſionis regularis vinculo dedicare intendunt, ſalubribus votis gratum, immo debitum præſtemus aſſenſum.*

Supplicatio. *§. 2. Sanè exhibita nobis pro parte veſtra petitio continebat, quòd cum vos à quinque annis, vel circa in dicta domo vobis amore Dei donata permanſeritis, & clauſuram ſeruaueritis, præterquam quando ad confitendum peccata veſtra, & ſacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum ad domum fratrum dicti Ordinis acceſſiſtis, & ſub correctione, & obedientia Prælati Prouinciæ Caſtellæ, & Generalis dicti Ordinis, quando ad iſtas partes accedere contingit, vixeritis: Nihilominus, quia Regula veſtra & vxoratis, & nuptis, cæteriſque quibuſuis communis exiſtit, neq; tria vota ſolemnia emittitis, cupitis vos, quæ omnes virgines eſtis, tria vota ſubſtantialia caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere, veſtramq; domum prædictam in Monaſterium monialium profitentium erigi; ſuper quibus ſupplicari feciſtis humiliter, vobis per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer prouideri.*

Concedit prout in ſūmario. *§. 3. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate D. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali mandato, ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, domum veſtram prædictam in Monaſterium monialium dicti Ordinis tertiæ Regulæ profeſſarum erigimus, ita vt tria vota ſubſtantialia prædicta in manibus Superiorum dicti Ordinis Minimorum emittatis, & quæ pro tempore Monaſterium veſtrum ingredientur moniales, poſt annum, & vnum diem probationis elapſum, vt aliorum eſt mos, emittant: Omnibuſque & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, gratijs, conceſſionibus, & indultis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliæ moniales dicta tria vota ſubſtantialia emittentes dicti Ordinis Minimorum vtuntur, potiuntur, & gaudent, ſeu vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, & pro tempore veſtri Monaſterij huiuſmodi moniales poſſint, & valeant, veris exiſtentibus præmiſſis, tenore præſentium indulgemus, ac licentiam, & liberam facultatem concedimus.*

§. 4. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub ſigillo officij Pœnitentiariæ, quarto Nonas Auguſti, anno Domini 1539. Pontific. D. Pauli Papæ III. anno 5. Derogat contrarijs.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto, quòd iſtud Monaſterium deſtructum eſt, quia, petentibus dictis monialibus regi, & gubernari à Religione. Religio eas acceptare noluit, vt conſtat ex Cap. 2. Foriulij, numero 5. Sed poſtmodum, petente Sereniſſima Hiſpaniarum Regina, in Cap. Valent. 3. num. quinto Patres dicti Capit. eas receperunt in tertiarias, cum propoſito, ſi poſitæ fuiſſent in clauſura, & ſufficienter dotatæ, eas recipiendi in ſanctimoniales. Sed quia numquam id efficere potuerunt, ideo Patres eas numquam receperunt, & deſtructæ ſunt. Audio tamen, quòd in Gallia virtute huius conſtitutionis, quæ reuocata non eſt, ſimiles tertiariæ in moniales receptæ ſunt.

2 Nota etiam hic, quòd Paulus III. inſtituit altare priuilegiatum pro animabus defunctorum in Eccleſia S. Trinitatis de Vrbe Ordinis noſtri, nimirum in Capella S. Crucis, & S. Helenæ pro omnibus ſacerdotibus, tam ſecularibus, quàm regularibus, & quocumque anni tempore, per ſuas literas datas Romæ apud S. Petrum, decimo kalendas Aprilis, Pontif. eius anno 14. Sed quia ex communi ſtylo Curiæ hæc altaria priuilegiata non communicantur cœteris Eccleſiis noſtri Ordinis, vt cœtera priuilegia, ideo hic illud non poſui, nec multa alia ſimilia diuerſis Eccleſiis conceſſa. Annotare autem id volui, propter aliquos exiſtimantes hæc etiam communicari, per conceſſionem præſertim Clem. VII. ſupra, in conſtit. eius 3. §. 2. vbi dicitur, quòd conceſſa vni domui intelliguntur conceſſa omnibus. Sed falluntur; nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, vt dicitur in reg. in generali, quæ eſt 81. de reg. iur. in 6.

Digitized by Google

IVLIVS III.

Italus, ex Oppido S. Sabini Diœceſis Aretinæ in Prouincia Hetruriæ, Vincentij de Monte filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno 1550. die 8. Februarij, Ordini noſtro dedit infraſcripta.

CONSTITVTIO VNICA.

Recipit Minimos, & bona ipſorum ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, & confirmat omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus conceſſa.

IVLIVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus, Correctoribus, ac Zeloſo, necnon vniuerſis fratribus Ordinis Minimorum ſal. & Apoſtol. benedict.

Concedit prout in ſũmario.

§. 1. *Cum à nobis petitur, quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigore æquitatis, quàm quia ordo exigit rationis, vt id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & loca, in quibus diuino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum in communi rationabiliter poſſidetis, & in futurum iuſtis modis, præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub B. Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtras. Omnes quoque libertates, & immunitates à fel. recor. Sixto IV. Alexandro VI. Iulio II. Leone X. Clemente VII & Paulo III. prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per priuilegia, conceſſiones, & alia indulta, vobis, & domibus veſtris communiter conceſſa; Necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, ac alijs Chriſti fidelibus vobis, & domibus prædictis, etiam in communi rationabiliter indultas: Specialiter autem decimas, primitias, obuentiones, affictus annuos, reſponſiones, cenſus, fructus, redditus, prouentus, vineas, domos, hortos, virgulta prata, paſcua, oliueta, viridaria, nemora, ſyluas, lacus, ſtagna, piſcarias, & alia bona ad vos, & domos veſtras huiuſmodi etiam communiter ſpectantia, ſicuti ea omnia iuſtè, & pacificè poſſidetis, vobis, & eiſdem domibus veſtris auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; ſalua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1553. quinto kal. Maij, Pontif. noſtri anno 4.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 Noto 1. circa illam clauſulam *Suſcipimus ſub protectione*, quòd per eam eximitur Religio à poteſtate Ordinariorum. Ita Mandoſ. in praxi, tract. de ſignatura gratiæ, tit. Exemptiones, verſu Et de clauſula priuilegij: Operatur etiam iſta clauſula, quòd non poſſint fratres ſe ſubijcere iuriſdictioni Ordinariorum. Rota coram Seraphino deciſ. 595. nu. 7. Sed quid, ſi diceret, Suſcipimus vos in proprios filios Romanæ Eccleſiæ Dico, quòd iſta clauſula non dicit exemptionem ab Ordinarijs, ſed ſolùm quòd ſic recepti non poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici à quoquam iudice, præterquam à Papa, vel eius Legato. Ita deciditur in c. 1. de verb. ſignif. in 6. Vide c. Recepimus de priuil. Barb. de pot. Epiſc. p. 3. alleg. 123. n. 28. Rodriq. to. 2. q. reg. q. 63. art. 3. in fine Chokier de exempt. p. 1. qu. 9. nu. 3.

2 Noto 2. circa illam clauſulam in fine poſitam *ſalua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis*, quòd in Concilio Viennenſi, de quo in clem. 1. de decimis, ponuntur quatuor caſus, in quibus Religioſi grauantes, vel fraudantes Eccleſias circa decimas eis debitas, ſi requiſiti per illos, quorum intereſt, non deſiſtunt intra menſem, vel de vſurpatis, vel retentis intra duos menſes non fecerint emendam, ſuſpenſi ſunt ab officijs, adminiſtrationibus, & beneficijs, & talia non habentes ſunt excommunicati. Videatur Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 12. Videantur etiam quæ ſupra dixi in conſt. 2. Iulij II §. 30.

PAVLVS IV.

Italus ex Ciuitate Neapolis, Ioannis Antonij de Caraffa filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno 1555. 23. Maij, dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Recipit Minimos, & bona ipſorum ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, & confirmat omnia priuilegia à ſuis prædeceſſoribus conceſſa.

PAVLVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & Prouincialibus, Correctoribus, ac Zeloſo, necnon vniuerſis fratribus Ordinis Minimorum, ſalut. & Apoſtolicam benedictionem.

Concedit prout in ſũmario.

§. 1. *Cum à nobis petitur, quod iuſtum eſt, & honeſtum, tam vigore æquitatis, quàm quia ordo exigit rationis, vt id per ſollicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & loca, in quibus diuino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum in communi rationabiliter poſſidetis, & in futurum iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub B. Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra. Omnes quoque libertates, & immunitates à fel. recor. Sixto IV. Alexandro VI. Iulio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. & Iulio etiam III. prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per priuilegia, conceſſiones, & alia indulta, vobis, & domibus veſtris communiter conceſſa; Necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, & alijs Chriſti fidelibus vobis, & domibus prædictis, etiam in communi rationabiliter indultas: Specialiter autem decimas, primitias, obuentiones, affictus annuos, reſponſiones, cenſus, fructus, redditus, prouentus, vineas, domos, hortos, virgulta, prata, paſcua, oliueta, viridaria, nemora, ſyluas, lacus, ſtagna, piſcarias; & alia bona, ad vos, & domos veſtras huiuſmodi etiam communiter ſpectantia, ſicuti ea omnia iuſtè, & pacificè poſſidetis, vobis, & eiſdem domibus veſtris auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; & ſalua in prædictis decimis moderatione Concilij generalis. Nulli ergo, & cet. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incar. Domin. 1555. decimo kalend. Octobris, Pontific. noſtri anno 1.*

Digitized by Google

CONSTITVTIO II.

Declarat, quomodò tractandi, & recipiendi ſint apoſtatæ ad Religionem reuertentes.

MICHAEL GHISLERIVS.

Miſeratione diuina tit. S. Mariæ ſuper Mineruam, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Alexandrinus vulgariter nuncupatus, hæreticæ prauitatis in tota Republica Chriſtiana ſupremus Inquiſitor à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter delegatus, RR.PP. Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula ſuum generale Capitulum feliciter celebrantibus ſalutem in Domino, & Spiritus Sancti conſolationem.

Proœmiū. *INgens deuotionis affectus, quem erga Ordinem veſtrum gerimus, efficit, vt in omnibus, quæ ad proſperos ſucceſſus veſtræ regularis obſeruantiæ attinent, auxilium, & conſilium, & quicquid ſumus, & poſſumus, cum ratio poſtulat, & exigimur, vobis libenter impendamus.*

Supplicatio. Vide tom. 1. Reb. 3. c. 26. & conſt. 10. Vrba. VIII. à §. 3. infra. §. 1. *Cum igitur nobis in Chriſto chariſſimus frater Mathurinus Auberth Zeloſus veſter humiliter, & inſtanter ſupplicauerit, vt, ſicut illi verbo tenus declarauimus, quomodò de mente, & intentione S.D.N. Papæ recipi, & à vobis recepti tractari debeant apoſtatæ, qui poſt emanatam contra eos ex die 13. Kalend. Auguſti anni præteriti nouiſſimam eiuſdem ſuæ Sanctitatis bullam ad vos redeunt, vobis quoque in vnum pro Religionis veſtræ tractandis negotijs capitulariter congregatis exponere, & teſtimonialibus noſtris ad vos literis denunciare dignaremur, ne in re tanti momenti à voluntate, & recto inſtituto eiuſdem S. D. vel in minimo recedatis.*

Non omnes apoſtatæ recipiendi. §. 2. *Nos, quibus huiuſmodi apoſtatarum negotium per ſuam Sanctitatem ſpeciali cura demandatum eſt, viuæ vocis oraculo deſuper nobis facto, notum facimus, & tenore præſentium certiores reddimus, non fuiſſe, nec eſſe intentionis eiuſdem S.D. vt quoſcumque huiuſmodi apoſtatas ſine diſcrimine, & abſque vllo delectu recipiatis, & veſtræ Societati admiſceatis, ſed eos tantùm, de quibus emendatioris vitæ propoſitum concipere, & ſperare probabiliter poteſtis, & qui veſtræ Religioni poſſint eſſe bono vſui.*

Apoſtatæ cogendi renunciare literis Apoſtolicis. §. 3. *Quos in primis oportet cogere ad renunciandum omnibus, & ſingulis Apoſtolicis literis contra profeſſionem ſuam, vel quouis modo contra regularem obſeruantiam in forma Breuis, vel etiam plumbatis, aut ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ac quibuſuis priuilegijs, & exemplis per eos hactenus impetratis.*

Debent iurare, quòd talia ampliùs non attētabunt. §. 4. *Præſtito etiam per eos iuramento in manibus Generalis, vel Prouincialis, aut eorum, quibus commiſerint, quòd talia, aut ſimilia impetrare numquam attentabunt, ſed in ſtatu profeſſionis ſuæ, cui per ſolemne votum ſe addixerunt, poſt hac ſtabunt, & perſeuerabunt, iuxta Regulæ, & ſtatutorum Ordinis exigentiam.*

Probandi in humilitate, & patientia. §. 5. *Quos ſic per vos receptos, quamuis non vt inimicos habere, ſed de eorum reſipiſcentia gaudere, & lætari debeatis, probandi tamen veniunt à vobis in camino patientiæ, & humiliationis, vtrum pœnarum timore, an virtutis amore, & vitę melioris propoſito ad Religionis ſuę gremium reuertantur.*

Sunt priuati voce actiua, & paſſiua, &c. per nullos Superiores rehabilitandi. §. 6. *Ideo de eiuſdem S. D. mente, & voluntate eſſe tenore præſentium declaramus, huiuſmodi apoſtatas per vos, vt præmiſſum eſt, receptos, & Religioni iterum inſertos, actiua, & paſſiua vocibus, iureq; ſuæ primogenituræ, necnon publica ad populum prædicatione, & confeſſionis ſecularium audientia priuatos eſſe, per nullos Superiores, nec etiam per generale, ſeu prouinciale Capitula rehabilitandos, donec ad minùs per quadriennium bene, & laudabiliter ſub correctionis, & diſciplinæ ferula patienter, & humiliter vixerint. Quo quidem quadriennio ſic expleto, poſſe ad huiuſmodi, generalis, & prouincialis Capitulorum duarum ex tribus partibus vocalium accedente conſenſu, rehabilitari, & omnes, & ſingulos Religionis legitimos actus reſtitui, eiuſdem S. D. N. Pauli Papæ IV. auctoritate, & gratia permittimus, & indulgemus; dummodò tempus, quo manſerunt extra Religionem, inter ſuæ profeſſionis annos non computetur.*

Contra iſtā formam recepti eijciendi. §. 7. *Declarantes etiam, hactenus contra præſcriptam formam per vos receptos non (niſi duarum præſentis Capituli generalis partium ſuffragante illis conſenſu) eſſe pro receptis habendos, ſed habitu Religionis exuendos, & à Societate veſtra eijciendos, & ſic eiectos nihilominus pœnis in bulla prædicta contentis remanere obnoxios.*

Subſcriptione firmat. §. 8. *In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſentes literas manu noſtra ſubſcriptas, per noſtrum infraſcriptum Secretarium fieri fecimus. Datum Romæ, in ſacro Apoſtolico Palatio in ædibus ſolitæ reſidentiæ, die 10. Menſis Aprilis anni 1559. Pontif. S.D.N. Pauli Papæ IV. anno 4. ſub ſoliti ſigilli noſtri appenſione. F. Michael G. Card. Alex. Io. Matth. Rober. Secr.*

PIVS

Digitized by Google

P I V S V.

Italus, ex Oppido Boſchi Diœceſis Alexandrinæ in Prouincia Lombardiæ, Pauli de Ghislerijs filius, Ordinis fratrum Prædicatorum, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno Domini 1566. die 6. Ianuar. dedit Ordini noſtro infraſcripta.

C O N S T I T V T I O I.

Decernit, quòd ad Capitulum generale Ordinis Minimorum non teneantur accedere Collegæ Prouincialium, nec duo Commiſſi ipſius Prouinciæ, ſed tantùm Prouincialis cum vnico Commiſſo cuiuslibet Prouinciæ; & quòd in poſterum non celebrentur Capitula prouincialia intermedia, niſi dumtaxat per ſingulos Prouinciales cuiuslibet Prouinciæ, vnà cum Definitoribus eiuſdem Prouinciæ capitulariter eligendis in primo anno cuiuslibet triennij.

P I V S P A P A V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *SVper familiam domus Dei, meritis licèt imparibus, diuina diſpoſitione conſtituti, ad ea, per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim ſub ſuaui Religionis iugo, & humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium diſpendijs occurri poſſit, opportunis remedijs prouidemus, ac deſuper diſponimus, & ordinamus, prout, perſonarum, & temporum qualitate penſata, in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.*

Motiua. *§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filij fratres totius Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula nuncupatorum, iuxta Regulam dicti Ordinis Capitulum generale pro electione ipſius Ordinis Generalis in die feſtiuitatis Aſcenſionis D. N. Ieſu Chriſti de triennio in triennium celebrare conſueuerint, & ad Capitulum generale huiuſmodi ſex ex qualibet Prouincia, videlicet Prouincialis cuiuslibet Prouinciæ cum tribus Collegis, & duobus Commiſſis, ad quos pro tempore exiſtentium dicti Generalis, & Collegarum, & Procuratoris generalis, Zeloſi nuncupati electio ſpectabat, accedere teneantur: Ipſique fratres ſimiliter de triennio in triennium Prouinciales triennales in ſingulis Prouincijs eligere; dictique Prouinciales in ſingulis Prouincijs, vnà cum dilectis filijs Correctoribus, & Commiſſis Monaſteriorum, ſeu domorum ſingularum Prouinciarum pro Capitulis prouincialibus, ſeu intermedijs nuncupatis, in qualibet Prouincia anno ſecundo, & tertio dicti triennij celebrandis, in feſto Sancti Michaelis annis ſingulis, dicto triennio durante, iuxta ipſam Regulam ſeſe congregare, & Capitula intermedia huiuſmodi celebrare conſueuerint: Cumque etiam ſicut nobis innotuit, quoties Prouinciales, ac Collegas, & Commiſſos præfatos ad Capitulum generale huiuſmodi accedere contingit, id cum maximo eorum vitæ periculo, his præſertim calamitoſis temporibus, & eorum detrimento, maximiſque Prouinciæ ſumptibus fiat; & Capitula intermedia huiuſmodi in quibuſdam Prouincijs, ea præſertim de cauſa, ſeu nulla alia, quàm pro electione quatuor, aut plurium, ſeu minoris numeri Definitorum in qualibet Prouincia eligendorum facienda, per quos Definitores ferè omnia, quæ in ipſis Capitulis intermedijs fiunt, executioni demandantur, celebrare ſoleant, maximique ſumptus propterea ſubeundi ſint, quos dicti fratres maxima paupertate oppreſſi ſufferre nequeunt; idque etiam non ſolùm in non modicum dicti Ordinis, illiuſque Monaſteriorum, & regularium locorum detrimentum, & iacturam, ſed etiam, cum quam plures fratres ipſius Ordinis ad Capitula intermedia huiuſmodi annis ſingulis accedentes, & præcipuè in B. thicæ, ac Calabriæ, alijſq; Prouincijs, & partibus in magno numero confluentes, eorum Monaſteria quaſi deſolata interim relinquere videantur, in diuini cultus diminutionem cedat, & proinde etiam eiſdem fratribus ad Capitula intermedia, ſeu prouincialia huiuſmodi accedentibus non modica vagandi occaſio præſtetur.*

§. 2. Nos igitur diſpendijs, & alijs præmiſſis opportunè prouidere, ac dicti Ordinis ſingulares perſonas vberiores in vineâ Domini fructus in dies afferre non ceſſantes, ſpiritualibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, ipſoſque & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de cætero perpetuis futuris temporibus Prouincialem ex qualibet Prouincia, vnà cum Commiſſo dumtaxat, ad quos dicti Generalis

Ad Capitulum generale ſolus Prouincialis cum vno Commiſſo accedat.

nera-

Digitized by Google

neralis, illiuſque Collegarum, & Procuratoris prædictorum electio, vt moris eſt, dumtaxat ſpectare debeat, prout antea ad ſex prædictos ſpectabat, ad Capitulum generale huiuſmodi, abſque Collegis, & Commiſſo prædictis accedere debere.

Quatuor, aut plures Definitores eligantur.

§. 3. Necnon quatuor, ſeu plures, aut minoris numeri, prout Prouinciali, & Correctoribus, ac Commiſſis Capitulum prouinciale primi anni pro tempore celebrantibus viſum fuerit, in Definitores etiam triennales de cætero etiam tempore electionis eorumdem Prouincialium eligi debere.

Capitula intermedia per Prouinciales & Definitores abſque Correctoribus celebrētur.

§. 4. Et Capitula intermedia huiuſmodi per ſingulos Prouinciales, vnà cum Definitoribus ipſis, abſque eo quòd Correctores, & Commiſſi prædicti ad Capitula intermedia huiuſmodi accedere, ſeu conuocari debeant, vel teneantur, in ſingulis Prouincijs dicto die S. Michaelis celebrari poſſe.

Ius eligendi Generalem ad ſolos Prouinciales cum ſuis Commiſſis ſpectat.

§. 5. Ac ius, & facultatem eligendi Generalem dicti Ordinis, illiuſque Collegas, & Procuratorem præfatos ad Prouincialem ex qualibet Prouincia, vnà cum Commiſſo dumtaxat, prout antea ad ſex prædictos ſpectabat, ſpectare; ipſoſque Prouincialem, & Commiſſum, abſque alijs Collegis, & Commiſſis prædictis, dumtaxat ex qualibet Prouincia ad Capitulum generale huiuſmodi accedere.

Ius celebrādi Capitula intermedia ad Prouinciales cum Definitoribus.

§. 6. Ius verò, & facultatem celebrandi Capitula intermedia huiuſmodi etiam ad ſingulos Prouinciales dumtaxat in qualibet Prouincia, vnà cum Definitoribus predictis, abſque eo quòd dicti Correctores, & Commiſſi eiſdem Capitulis intereſſe, aut ad illa conuocari debeant, ſpectare, & pertinere.

Generalis, &c. electiones prædicto modo factæ validæ ſunt.

§. 7. Et inſuper tam Generalis, ſuorumque Collegarum, ac Procuratoris, quàm Definitorum prædictorum electiones, per Prouincialem cuiuslibet Prouinciæ, & Commiſſum, ac Prouinciales prædictos reſpectiuè pro tempore factas, validas, & efficaces, ac canonice factas fore, & eſſe, ſuoſque plenarios effectus ſortiri debere in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi Generalis, & Collegarum, ac Procuratoris prædictorum electio per ſex ſupradictos facta fuiſſet.

Capitula intermedia prædicto modo facta valent.

§. 8. Definitorum verò electiones huiuſmodi in dictis Capitulis intermedijs faciendas, vt præfertur, omniaque & ſingula Capitula intermedia huiuſmodi per ſingulos Prouinciales, & Definitores præfatos dumtaxat in qualibet Prouincia pro tempore celebrata, in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi vnà cum Correctoribus, & Commiſſis eo tempore celebrata, dictorumque Definitorum electiones quolibet anno cum interuentu eorumdem Correctorum, & Commiſſorum facta fuiſſent, perpetuò valere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

Hæc conſtitutio habet vim validi contractus.

§. 9. Necnon preſentes literas nullo vmquam tempore de ſurreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, ſeu inualidari poſſe, minimeque ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & derogationibus comprehendi, ſed ſemper in priſtinum ſtatum reſtitutas, ac ſub data per ipſos fratres eligenda de nouo conceſſas cenſeri, vimque validi, & efficacis contractus inter Sedem Apoſtolicam, & fratres præfatos ſortiri; ipſiſque nullatenus, ac non niſi expreſſa de verbo ad verbum derogatione huiuſmodi facta fuerit mentio, derogari poſſit; Sicque per quoſcumque iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, ac ipſius Ordinis Protectorem, Correctores, & Commiſſos præfatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu ſimili declaramus, & ordinamus.

Commiſſarios deputat.

§. 10. Et nihilominus venerab. fratribus Compoſtellan. & Toletan. ac Hiſpalen. Archiepiſcopis, ſiue eorum in ſpiritualibus Vicarijs, aut Officialibus generalibus per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipſorum fratrum, aut alicuius eorum ſuper præmiſſis fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia, & ſingula iuxta earumdem præſentium tenorem integrè, & inuiolabiliter obſeruari, eoſdemque fratres illis pacificè vti, frui, & gaudere, non permittentes, eos, aut eorum quempiam deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores, moleſtatores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, ac alia opportuna iuris remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs.

§. 11. Non obſtantibus Regula ipſius Ordinis, & Correctorio nuncupato, & alijs præmiſſis, & quibuſuis Apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac ipſius Ordinis, illiuſque Monaſteriorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, & reformationibus: priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Monaſterijs, & Ordini prædictis, illorumque Superioribus, perſonis quibuſuis alijs ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu ſimili quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad id ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 27. Maij, 1568. Pontific. noſtri anno 3.

Digitized by Google

§. IX.

1 NOta, quòd priuilegia per modum contractus, vt eſt iſtud, non reuocantur per clauſulam generalem, etiam expreſſam, niſi ſaltem in genere reuocentur priuilegia, etiamſi per modum contractus fuerint conceſſa: Quia cum talia priuilegia iure ordinario irreuocabilia ſint, & neceſſaria ſit grauiſſima cauſa, vt iuſtè reuocentur, non præſumuntur reuocari, niſi prædicto ſaltem modo ſufficienter exprimantur. Ita Sanch. li. 8. de matrim. diſp. 33. nu. 8. Suar. li. 8. de leg. ca. 38. nu. 3. Mandol. in reg. 12. Cancellar. q. 9. nu. 2. Circa hanc conſtit. multa eſſent dicenda, ſed quia pertinent ad Ordinis conſtitutiones; conſultò omitto, dicturus in actuum generalium recollectione, ſi Religio iuſſerit.

CONSTITVTIO II.

Capuccini non poſſunt transferri ad Ordinem Minimorum, nec è contra.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *SEdis Apoſtolicæ ſolertia, dum ad ſalutare quorumdam remedium extructa in eorum detrimentum vergere conſpicit, ne, quod illis profuturum maturitate ſumma prodiſſe comperitur, noxium incauto miniſterio efficiatur, celeris prouiſionis opem afferre conſueuit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.*

Motiua. *§. 1. Sanè accepimus, quòd, cum aliquando contingat, aliquos fratres religioſos, tam Ordinis S. Franciſci Capuccinorum, quàm eiuſdem S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum de vno loco ad alium, etiam forſan abſque ſuorum Superiorum licentia, transferri, exinde perturbationes, & mala exempla inter eoſdem fratres ſæpius oriri ſolent.*

Statuit pro ut in ſummario. *§. 2. Nos cupientes perturbationibus, & malis exemplis huiuſmodi, quantùm cum Deo poſſumus, obuiare; motu proprio, non ad alicuius inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa noſtra ſcientia, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus Capuccinis ad dictum Ordinem S. Franciſci de Paula, nec è conuerſo, quòd vllus frater eiuſdem S. Franciſci de Paula ad Ordinem fratrum Capuccinorum huiuſmodi vllo vnquam tempore, & quacumque etiam, & quantumcumque iuſtiſſima cauſa, etiam de licentia ſuorum Superiorum, ſe transferre poſſit, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.*

Decretum irritans. *§. 3. Decernentes, ſtatutum, & ordinationem huiuſmodi per fratres præfatos ſub indignationis noſtræ pœna inuiolabiliter obſeruari debere; ac ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate tam ordinaria, quàm delegata, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrarijs. *§. 4. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

§. 5. Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quaque loca, in quibus de eis fides forſitan facienda foret, deferri; volumus, vt ipſarum tranſumptis manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 6. Octobris 1567. Pontif. noſtri anno 2. Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. II.

1 NOto quò ad illam partem, qua prohibet Minimis ingreſſum ad Capuccinos, quòd videtur, Pontificem fuiſſe malè informatum: Nam cum Religio noſtra ſit omnium ſtrictiſſima, vt dictum eſt ſæpius ſupra, & probo latè tom. 1. Relig. q. 1. c. 24. §. 1. de iure communi non poterant ad Capuccinos tranſire. Adde, quòd per multas conſtitutiones ſupra relatas prohibiti ſunt Minimi ad alium Ordinem tranſire ſub grauibus pœnis, quas tam recepti, quàm recipientes ipſo facto incurrere habeant, vt videri poteſt conſtit. 4 Pauli III. §. 2. Sed ſuſpicor, quòd aliqui apoſtatæ à noſtra Religione ad Capuccinos tranſirent, quos fortè recipiebant bona fide, putantes id ſibi licere; licèt ſi, vt verum fatear, numquam audiui, quòd vllus ex noſtris ad Cappucinos tranſierit, quamuis antiquiſſimos in Religione ſenes ſuper hoc interrogauerim. Scio bene, quòd ex Capuccinis ad nos conuolarunt multi, qui iure communi recipiebantur, & tot fuerunt aliquando, vt multùm ſuper hoc grauata Religio noſtra, pro remedio ſupplicauerit Pontifici, qui reciprocum hunc tranſitum prohibuerit, licèt quò ad nos fuerit pro potiori cautela, ſeu ad tollendos ſcrupulos, ſeu ad declarandum ius commune. Quò verò ad tranſitum ipſorum ad nos fuit omnino neceſſarium, nam derogat iuri communi, & tot priuilegijs ſupra conceſſis, quibus poſſumus ex omnibus Religionibus ad nos conuolantes recipere, ius commune corroborantibus.

CONSTITVTIO III.

Declarat, Ordinem Minimorum inter Mendicantes eſſe connumerandum, eique omnia priuilegia Mendicantibus conceſſa communicat.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolicæ Sedis benignitas, ſicut ex debito paſtoralis officij erga omnes fideles generaliter affectum charitatis oſtendit, ſic eos, quos ſub regularis obſeruantiæ iugo diuino cultui emancipatos eſſe cognoſcit, ſpeciali tenetur patrocinio confouere. Proœmiũ.

§. 1. Exponi ſanè nobis nuper fecerunt dilecti filij fratres Ord. Minimorum S. Franciſci de Paula, iamdudum Apoſtolica auctoritate approbati, quòd licèt inter alia eis conceſſa priuilegia, & indulta, omnia, & ſingula quatuor Mendicantium Ordinum priuilegia ad Supplicatio.

Ordi-

Digitized by Google

Ordinem Minimorum huiuſmodi, ac illius profeſſores, & domos, eorumque Eccleſias per Sedem Apoſtolicam extenſa, & ampliata fuerint, & propterea fratres Ordinum huiuſmodi etiam ſub Mendicantium nomine comprehendi debeant, nec ſuper præmiſſis à quoquam moleſtari poſſint. Cum tamen, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, ex eo quòd nos nuper in quadam declaratione per nos ſub Mendicantium fratrum Ordinibus, certis tunc expreſſis de cauſis, facta, præter S. Dominici, S. Franciſci, ac eremitarum S. Auguſtini, necnon Carmelitarum Mendicantium Ordines, etiam in illis B. Mariæ ſeruorum inſeri voluerimus, ac propterea facile à quibuſdam dubitari meritò poſſet, quòd, ſi Ordinis Minimorum fratres huiuſmodi ſub illis comprehendi voluiſſemus, nos ſpecialem etiam de illis mentionem omnino feciſſemus. Quare, ne ſuper præmiſſis vnquam dubitari contingat, iidem fratres nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Declarat prout in ſũmario. §. 2. Nos attendentes, eos, cum actu mendicent, non niſi honeſta de cauſa in Mendicantium Ordines eſſe aſcriptos, ac propterea ſua priuilegia illæſa conſeruare volentes, eoſque & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; necnon quarumcumque litium, & cauſarum ſtatus, ac merita, nomina, & cognomina iudicum, coram quibus illæ pendent, ac collitigantium, aliorumque necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eis conceſſorum præſentibus pro expreſſis habentes, cauſaſque huiuſmodi ad nos harum ſerie auocantes, illaſque penitus, & omnino extinguentes, ac litigantibus huiuſmodi perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias, tam per nos nuper, quàm per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem eamdem quomodolibet Mendicantibus Ordinibus conceſſa, ad præfatum Minimorum Ordiuem de nouo extendimus, & ampliamus; ipſoſque verè Mendicantes eſſe, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere, necnon omnia, & ſingula Concilij Trid. decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata, & modificata, etiam pro Ordine Minimorum huiuſmodi declaramus, & modificamus.

Mandat Ordinarijs, ne moleſtent fratres contra ſua priuilegia. §. 3. Diſtrictiùs in virtute ſanctæ obedientiæ, ac alijs arbitrio noſtro infligendis pœnis inhibentes quibuſuis locorum Ordinarijs, ac alijs quibuſcumque ne eoſdem fratres Ordinis Minimorum contra eis ſit conceſſa priuilegia moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præſumant.

Clauſulæ præſeruatiuæ. §. 4. Decernentes quoque, præſentes literas vllo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus poſſe, minuſue ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, reſtrictionibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus, tam per nos, quàm etiam ſucceſſores noſtros quomodolibet, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorum exiſtant, includi, ſed, illis non obſtantibus, in ſuis robore, & efficacia perſiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, etiam ſub data per ipſos fratres Ordinis Minimorum eligenda de nouo conceſſas eſſe, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis noſtræ eſſe, & ad hoc vt perpetua firmitate ſubſiſtant, vim validi, & efficacis contractus inter dictam Sedem, & præfatorum Ordinum Mendicantium fratres huiuſmodi habere.

Clauſula ſublata, & decretum irritans. §. 5. Sicque per quoſcumque iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardin. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputat Commiſſarios. §. 6. Quocirca venerab. fratribus Archiepiſcopo Theatino, & Epiſcopo Amerino, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem fratrum Ordinis Minimorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ipſos fratres Ordinis Minimorum huiuſmodi voluntate, ſtatuto, declaratione, & alijs præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, eos per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari: contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Et nihilominus; legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs. §. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non extrahatur, & alijs, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtoliea, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus quoque, & alijs decretis, ingenere, vel in ſpecie, & quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros præfatos, ac nos, & Sedem præfatam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, etiam conſiſtorialiter, & de fratrum noſtrorum conſilio, necnon Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine

dine

Digitized by Google

dine conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 9. Nouemb. 1567. Pontif. noſtri anno 2.

§. II.

1 NOto 1. quòd Religio Minimorum, antequam inter Mendicantes annumeraretur per hoc priuilegium, Mendicans Religio erat, tum quia & actu mendicabat, & ex ſua primæua inſtitutione euangelicam paupertatem profitetur, vt patet ex Regula, num. 24. vbi dicitur, *Præterea ſub paupertate euangelica perpetuo militantes omnes dicti fratres clerici, & laici pecunias nullatenus tangant, nec illas ſcienter deferant. Neque ipſi in iudicio, aut extra contendendo repetant eleemoſynas temporaneas, vel annuas, aut perpetuas, huic Ordini quomodolibet oblatas, cum illæ ab eis in toto, vel in parte auferentur.* Quod eſſe ſatis ad rationem Religionis verè Mendicantis, docet Suar. tom. 4. de Relig. tract. 2. lib. 1. c. 8. nu. 3. & 4. Quare iſta annumeratio potiùs eſt quædam ſolemnis declaratio, quàm aliud; non enim Religio noſtra eſt Mendicans, eo quia eam talem declarauerit Pius V. Sed eam ſic declarauit, quia talis erat, & patet ex ipſa bulla §. 2. ibi. *Quare, ne ſuper præmiſſis vmquam dubitari contingat.* Et §. 3. fine, vbi ait. *Ipſoſque verè Mendicantes eſſe, & ſub Mendicantium Ordinibus eſſe, & comprehendi debere declaramus.* Vnde conſtat clarè, quòd Papa ad tollenda dubia declarat Ordinem Minimorum eſſe Mendicantem.

2 Noto 2. quòd Prædicatores præferuntur ſemper alijs Mendicantibus, & obtinent primum locum inter illos; cap. Quorumdam, de elect. vbi Gloſſa verbo Prædicatorum dicit, id eſſe, quia ille Ordo eſt antiquior, & antiquiores ſunt honorabiliores; cap. 1. & cap. Statuimus, de mai. & obed. Sed hæc ratio non valet; quia Ordines Auguſtinienſium, & Carmelitarum ſunt antiquiores Prædicatoribus, vt Caſſanæus in catal. gl. mund. p. 4. conſid. 69. & 70. Azor. tom. 1. inſtit. mor. lib. 12. cap. 25. q. 3. verſ. Quæres. Ratio itaque poteſt eſſe. Vel quia dictus Ordo Prædicatorum fuit primò ſcripto & ſolemni conſtitutione ab Apoſtolica Sede approbatus, vt dicit Azor. loc. cit. Vel (ſi hoc non valet, vt contendunt dicti Auguſtinienſes, & Carmelitæ) quia dictus Ordo apud dictam Sedem plus alijs literis, & ſanctitate promeruerit: Et certè genuit ſemper, & aluit hic Ordo à primęua ſui inſtitutione viros grauiſſimos, doctiſſimos, & ſanctiſſimos, qui Romanam Eccleſiam verbis, & operibus conſtantiſſimè, & indefeſsè propugnarunt. Vel denique quia ita placuit ſummis Pontificibus erga hanc Religionem bene affectis, vt in rebus iſtis poſitiuis communiter fieri ſolere docet Gloſſa in ca. Cum ad ſacroſanctæ, de ſent. excom. extr. Io. XXII. verb. Duodecimi; & Gloſſa in cap. fin. de ſent. excom. verb. Velle; & habetur in l. 1. ff. de conſt. princ. Vt vt ſit, certum eſt, Prædicatores pręcedere omnes alios Mendicantes in proceſſionibus, diſputationibus, ſeſſionibus, cœterìſque actibus publicis, vel priuatis, in quibuſcumque Ciuitatibus, locis, & terris, etiamſi ibi Eccleſias, domos, & Conuentus non haberent, vt ita, appoſita pœna excommunicationis latæ ſententiæ contradicentibus, & dictos fratres inquietantibus, declarauit Pius V. per ſuam conſt. quæ incipit, Diuina diſponente, apud Cherub. tom. 2. bull. in eius conſtit. 71. §. 3. & 4. pag. 267. Quæ declaratio licèt fuerit mutata à Greg. XIII. per eius conſt. 84. quæ incipit, Expoſcit, apud dictum Cherub. loc. cit. in Greg. pag. 469. fuit tamen poſtea reſtituta, & ampliata per Clem. VIII. per eius conſt. 13. quæ incipit, Inter cætera, apud dictum Cherub. tom. 3. bull. in Clem. pag. 16. De his Feſtus in ſum. conſt. ſui Ord. p. 1. cap. 23.

Noto 3. quod inter alias omnes Religiones in honoribus ſeſſionibus, diſputationibus, prædicationibus, locutionibus, orationibus 40. horarum pro publico bono indictis, & alijs quibuſcumque actibus publicis non attenditur ordo fundationis Conuentus in Ciuitate, vel oppido, vt fit in proceſſionibus ſolemnibus, & publicis per ſpeciales declarationes Pontificum, vt dico to. 3. priuil. cap. 2. num. 27. Sed attenditur ordo antiquitatis Religionis, *nam qui prior eſt tempore, potior eſt in iure*, reg. Qui prior, de reg. iur. in 6. c. Antiqua; de priuileg. c. Renouantes d. 22. l. Qui prior. ff. de iudic. inſtit. §. ſingulorum de rer. diu. Plures Doctores, & textus ad id probandum affert Caſſaneus in catal. glor. mun. 4. p. conſ. 52. verſ. Quinto ergo modo; quod ſi antiquitas verificari non poſſit conſuetudini legitimæ ſtandum eſt.

CONSTITVTIO IV.

Declarat, quòd Ordines tam S. Dominici, & S. Franciſci, quàm Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, ac Seruorum B. M. ſunt verè, & propriè Ordines religioſi Mendicantes, etiamſi in communi bona, quamuis immobilia, poſſideant, eorumque gratijs omnibus perfruuntur.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, tam vniuerſalis Chriſtianæ, quàm ſingularum eius Religionum præcipuus defenſor, omnibus illarum incommodis pro ſui paſtoralis officij debito libenter occurrit, & eorum indemnitati ſalubribus, iuxta temporum, morumque exigentiam, declarationibus, & alijs remedijs conſulere ſolet opportunis.

§. 1. Sanè licet dilecti filij omnium Mendicantium Ordinum fratres à contributione ſeminarij Clericorum, in qualibet Ciuitate iuxta eiuſdem Concilij formam erigendi, per Trident. Concilij decreta eximantur; Noſque inter alia eiſdem Mendicantium Ordinum fratribus conceſſa priuilegia, eos, & eorum quemlibet, tam à ſeminarij huiuſmodi contributione, quàm ſubſidio quomodolibet, necnon decimis quibuſcumque & certis alijs oneribus Apoſtolica auctoritate ſimiliter exemerimus, & liberauerimus, eoſque ad illorum omnium contributionem nullo vmquam tempore cogi, & compelli poſſe decreuerimus: Tamen non ſine animi moleſtia nuper accepimus, quòd nonnulli locorum Ordinarij, & forſan in prouincialibus Concilijs, eo forſan ſub prætextu, quòd Ordinum Mendicantium fratres huiuſmodi bona ſtabilia ex indulto, ſeu diſpenſatione Apoſtolica retinere poſſunt, & propterea Mendicantes re vera

Mendicantes sũt exẽpti à contributione ſeminarij, & ſubſidij, &c.

non

non ſint, eos ad ſemiuarij, ſubſidij, decimarum, & aliorum onerum huiuſmodi contributionem cogere forſan præſumpſerunt, & in dies præſumunt, in graue ipſorum Ordinum grauamen, & præiudicium non modicum.

Declarat, qui ſint Ordines Mendicantes.

§. 2. Nos animo reuoluentes, eos ex fructibus bonorum huiuſmodi varias Reipublicæ Chriſtianæ vtilitates afferre, cum ex ipſis varios Magiſtros, & Doctores manuteneant, ex quorum doctrina ipſorum fratres nouitij eruditi poſtmodum effecti, gregem Dominicum prædicationibus ſuis, conſilijs, confeſſionibus, orationibus, alijſque innumeris pietatis operibus iuuent, & paſcant, eorumque domos non minus, immo magis quàm ea, quæ per Ordinarios erecta ſunt, ſeminaria vocari poſſe, & propterea Mendicantium nomen amittere nullo modo debere. Volentes idcirco omnem dubitandi materiam amputare, omnes, & ſingulos Mendicantium Ordinum fratres huiuſmodi, ac eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon quarumcumque litium, & cauſarum coram quibuſuis iudicibus, & vbicumque quomodolibet pendentium ſtatus, & merita, nominaque & cognomina iudicum, & colligitantium, necnon quorumcumque priuilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eorumdem Ordinum Mendicantium fratribus hactenus quomodolibet conceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes; lites quoque & cauſas præfatas, vt præfertur, pendentes ad nos harum ſerie auocantes, illaſque penitus extinguentes, & collitigantibus huiuſmodi perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponentes; Motu proprio, non ad ipſorum fratrum, vel alicuius eorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulos quatuor Mendicantium Ordinum, videlicet S. Dominici, & S. Franciſci, ac Eremitarum S. Auguſtini, necnon Carmelitarum, inter quos etiam recenſeri volumus Seruorum B. M. nominibus comprehenſos fratres, eorumque domus, Monaſteria, & loca, etiamſi in communi propria bona, tam mobilia, quàm immobilia, & ſtabilia, ac alia quæcumque poſſederint Mendicantium vocabulo, omnibus, ac ſingulis Mendicantium priuilegijs, eis quomodolibet conceſſis vti poſſe, & debere, nec ſuper præmiſſis vllo vmquam tempore moleſtari poſſe, auctoritate Apoſtolica per præſentes ſtatuimus, & declaramus: Ac tam Concilij Trid. quàm omnia, & ſingula alia decreta, ſtatuta, ordinationes, priuilegia, & iura de Mendicantibus loquentia, ad omnes, & ſingulos Ordines præfatos, eorumque domos, & loca etiam propria bona, in communi tamen, retinentes extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per eaſdem præſentes declaramus.

Eximit de nouo Mendicantes à contributione ſeminarij, & decimarū &c.

§. 3. Ac inſuper eiſdem Ordinarijs, & quibuſuis alijs, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, quauis auctoritate fungentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & alijs arbitrio noſtro moderandis pœnis, ſimiliter per præſentes mandamus, vt, ſi quid per eos tam noſtro, quàm prædeceſſoris noſtri temporibus, tam ratione ſeminarij, ſubſidij, & decimarum, quàm aliorum onerum huiuſmodi exactum fuit, id totum eiſdem fratribus, omni mora, & dilatione poſtpoſitis, reſtituant; Diſtrictius inhibentes eiſdem locorum Ordinarijs, cæteriſque perſonis, tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, quauis auctoritate fungentibus, & cuiuſuis dignitatis, gradus, & conditionis exiſtentibus, ne eoſdem Mendicantium Ordinum fratres præfatos, bona huiuſmodi retinentes, quouis prætextu ſuper ſeminarij, ſubſidij, & decimarū contributione moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præſumant.

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 4. Decernentes quoque, præſentes literas nullo vmquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari vllatenùs poſſe, minuſuè ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, modificationibus, limitationibus, reſtrictionibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus, tam per nos, quàm etiam ſucceſſores noſtros quomodolibet, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorum exiſtant, includi, ſed, illis non obſtantibus, in ſuis robore, & efficacia perſiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, etiam, ſub data per ipſos eligenda de nouo conceſſas eſſe, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis noſtræ eſſe, &, ad hoc vt perpetua firmitate ſubſiſtant, vim validi, & efficacis contractus inter Sedem Apoſtolicam, & præfatorum Ordinum Mendicantium huiuſmodi fratres habere debere.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 5. Sicque per quoſcumque iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari debere. Irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commiſſarios deputat.

§. 6. Quocirca dilectis filijs Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon quorumcumque tam cathedralium, quàm collegiatarum Eccleſiarum Decanis, Præpoſitis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Theſaurarijs, & quibuſuis alijs in eiſdem Eccleſiis dignitates obtinentibus, vbilibet, & in quibuſcumque regionibus, terris, & locis exiſtentibus, per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum fratrum, vel alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis omnibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem fratres, & eorum ſingulos præmiſſis omnibus pacificè frui, & gaudere; non permittentes, eos, vel eorum quempiam ſuper illis quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, & nihilominus, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam aggrauan-

uan-

uando, innocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs. *§. 7. Non obſtantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prędeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas quis vigore præſentium ad iudicium non trahatur, & alijs Apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſq; & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam conſiſtorialiter conceſſis, approbatis, confirmatis, & ſæpius innouatis: quibus omnibus, etiamſi de illis, illorũq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, ſeu aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. *§. 8. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, aut alicuius Prælati in dignitate eccleſiaſtica conſtituti ſigillo munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Iubet has literas publicari. *§. 9. Quòdque eædem præſentes in valuis Cancellariæ Apoſtolicæ, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon in acie campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris publicentur, & inter extrauagantes conſtitutiones perpetuò valituras conſcribantur, ac, poſtquam publicatæ fuerint, plenam, & indubiam fidem faciant, necnon omnes, & ſingulos illas concernentes perinde ligent, ac ſi eſſent perſonaliter intimatæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 1. Octobris, 1567. Pontif. noſtri anno 2.*

§. II.

1 NOto 1. quòd vltra dictos Ordines, inter Mendicantes relati etiam ſunt Ordines Minimorum, vt ſupra conſt. anteced. Fratrum S. Hieronymi Ieſuatorum per eumdem Pium in bulla, quæ incipit, Romanus Pontifex priuilegia; & refert Rodriq. in ſuo bull. in Pio V. bulla eius 21. & Cherub. tom. 2. bullar. in Pio V. conſtit. eius 50. Et Fratrum Societatis Ieſu, per conſtit. Pij V. quæ incipit, Dum indeſeſsè; & refert Rodriq. in bullar in Pio V. conſtit. eius 5. & fratrum Carmelitarum diſcalceatorum à Clem. VIII. per ſuam conſtit. quæ incipit, Decet pacem, apud Rodriq. in bull. in Clem. VIII. conſtit. eius vlt.

2 Noto 2. quòd omnes Religioſi, qui ſunt in Eccleſia Dei, in quatuor primarias, & principales ſpecies diuiduntur. In Monachos, in Mendicátes, in Clericos regulares, & in Clericos ſeculares. Monachi ſunt, & dicuntur illi, qui toti contemplationi dediti, ſolitariam

vitam agunt. Mendicantes ſunt, & dicuntur illi, qui Martham, & Magdalenam imitantes, Deo, & proximo ſtudent inſeruire. Vnde Panor. in cap. Cauſam, el 1. de iudic. nu. 2. ait Monachi propriè, & ſtrictè poſſunt dici illi, qui vi Regulę ſtant ſolitarij in Monaſterio, nec immiſcent ſe in prædicationibus, niſi habeant adminiſtrationem; dicuntur enim Monachi à ſolitudine: vnde omnes Monachi poſſunt dici fratres, ſed non conuertitur, quia omnes fratres non dicuntur Monachi, nam Mendicantes in rigore non accipiunt illam denominationem ſtrictè ſumptam. Clerici regulares dicuntur, & ſunt illi, qui collegialiter viuunt ſub votis Religioni eſſentialibus, & à Monachis, vel fratribus Mendicantibus parum, vel nihil differunt: In eſſentialibus nihil, in accidentalibus differunt. Clerici ſeculares dicuntur illi, qui in proprijs domibus habitant, & ex proprio, vel patrimoniali, vel labore parto viuunt: & conſtituunt tertium genus hominum. 1. enim genus eſt purè ſecularium; 2. purè Religioſorum; 3. eſt mixtum ex 1. & 2. & vocatur Clericorum ſecularium. Ita Hoſtie. in ſum. dę vita, & honeſt. Cler. §. 2.

3 Noto 3. quòd diſputant inter ſe Doctores, an Apoſtoli fuerint Clerici regulares; an verò Monachi, ſeu fratres. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 7. num. 12. Caracciol. in conſt. Cleric. regul. in præfat. num. 1. Clericos fuiſſe aſſeuerant. Communis opinio eſt, fuiſſe Monachos, & Monachorum Patres. Ita Caſſian. collat. 18. cap. 5. Quòd tria Religionis vota emiſerint, docet D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 4. ad 3. Ex quo aliqui prætendunt probare, Apoſtolos Monachos fuiſſe. Sed non valet, nam & Clerici regulares eadem vota faciunt. Mihi videtur quæſtio de nomine; cum iſti omnes in eſſentia conueniant, & ſolùm in nomine, habitu, & conſtitutionibus accidentalibus differant. Nihilominus dico, probabilius, & certius eſſe, Apoſtolos fuiſſe Monachos, ſeu fratres, quàm Clericos: Tum quia ita videntur ſenſiſſe omnes SS. Patres. Chryſoſt. homil. 3. contra vituperat. vit. monaſt. Iſidor. li. 2. de off. eccl. cap. 15. Bern in apolog. ad Guliem. Abb. versùs finem: Tum quia credendum eſt, Apoſtolos eam elegiſſe vitam, quæ eſſet omnium perfectiſſima, vt perfectionis magiſtri poſſent meritò dici, & ex abundantiſſima gratia, quam à Chriſto acceperant, aliud promanaſſe credendum non eſt. Sed illa vita eſt omnium perfectiſſima, quæ eſt omnium ſtrictiſſima, vt probo cum multis tom. 1. Relig. q. cap. 24. concl. 7. Et patet. 1. quia ad ſtrictiſſimam, vtpotè perfectiſſimam, datur tranſitus a quacumque minùs ſtricta, & minùs perfecta. 2. quia illa Religio perfectior eſt, quæ magis religat, & ſubijcit ſenſus rationi, cum enim hæc vulnerata fuerit per peccatum Adæ, contra eam recalcitrarunt illi, & in ſe ipſos laxati ſunt: ſenſus autem non ſubijciuntur rationi magis quàm per abſtinentias, & pœnitentias; vndè dictum eſt *Vexatio dat intellectum, & caſtigaſti me, & eruditus ſum*. Ergo, cum negari non poſſit, Religiones Monachorum eſſe ſtrictiores: tum propter multitudinem, tum propter duritiam præceptorum; tum propter alia, quæ ipſi probant: neque etiam negari poteſt, quin Apoſtoli fuerint veri Monachi. Adde, quòd forma habitus, qui modò defertur à Papa, & à Cardinalibus, quam ab Apoſtolis deriuaſſe credendum eſt, habitui monachali, & capitio fratrum aſſimilatur potius, quàm habitui Clericorum. Similiter corona, ſeu tonſura Papæ, & Cardinalium magis aſſimilatur coronæ Monachorum, quàm Clericorum. Etſi non abradantur ex parte inferiori capitis, vel id vſus obtinuit, vel eſt, quia ratione ſtatus à temporalibus non ſunt omnino abſtracti. Et ſi vis ſcire, quid ipſa tonſura ſignificet, & quare fiat in ſummitate capitis cum abraſione capillorum: & quare eam non deferant conuerſi, & quare iſti in inferiori parte capitis abradantur (licèt hoc vltimum apud nos non ſit in vſu) conſule Gloſſam in clem. final. de vita, & hon. Cler. ver. Et tonſuram.

CONSTITVTIO V.

Reuocat omnes licentias conceſſas mulieribus ingrediendi Monaſteria fratrum,& prohibet tales ingreſſus ſub pœna excommunicationis ipſo facto, poſtquam harum literarum notitiam habuerint, abſolutionem ſibi reſeruando; introducentibus verò apponit pœnam priuationis, & ſuſpenſionis à diuinis.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. *REgularium perſonarum, quæ, relicto ſeculo, Dei ſe obſequio dedicarunt, pro commiſſo nobis officio quieti conſulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religioſum earum propoſitum impedire poſſunt, curam noſtram libenter intendimus, vt nulla re, quæ eas à diuino cultu nocet, præpeditæ, ſecundùm Ordinum ſuorum regularia inſtituta,& decretum ſacri Trid. Concilij tranquillis mentibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum.*

Motiua. §. 1. *Quia igitur & Carthuſienſium Ordinis, & aliorum regularem vitam profeſſorum quies non parum ſolet,ſicut accepimus, perturbari, propterea quòd mulieres modeſtię matronalis oblitæ,domos, ac Monaſteria eorum contra ipſorum inſtituta, prætextu confeſſionalium,aut aliarum literarum Apoſtolicarum ingredi audeant,ipſis etiam Abbatibus,Præpoſitis,Prioribus, & alijs Præſidentibus aliquando recuſantibus, & renitentibus, non ſine magna eorum moleſtia, nec ſine graui laicorum etiam offenſione, ac ſcandalo, ſi quando admitti nimis facilè videantur.*

Prohibet prout in ſũmario Vide conſt. 6. Iul. II. §. 3. à pu. 4. §. 2. *Huic rei prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas facultates, ac licentias ingrediendi Monaſteria,ac domos Carthuſienſium, & aliorum,quorumcumque regularium Ordinum,etiam Mendicantium,mulieribus cuiuſcumque ſtatus, gradus,ordinis, conditionis,& quacumque dignitate,ac præeminentia præditis, etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis,necnon irritantibus decretis,ab Apoſtolica Sede quomodocumque conceſſas, quarum tenores perinde, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro expreſſis, tenore præſentium reuocamus, & caſſas, irritas, & inanes eſſe decernimus.*

Introeuntibus apponit pœnas. §. 3. *Diſtrictè probibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus ſub excommunicationibus latæ ſententiæ pœna, poſtquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non poſſint, niſi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit,abſolui,præterquam in mortis articulo, ne dictas domos,& Monaſteria ingredi audeant.*

Introducẽtibus apponit pœnas. §. 4. *Ipſis verò Monaſteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & alijs Præſidentibus, quocumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, ſiue Mendicantibus,ſiue non Mendicantibus, ſub priuationis officiorum, quæ in præſentia obtinent,& inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto, ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereuè præſumant.*

§. 5. *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, & mandamus,vt hæ literæ ad valuas Baſilicę B. Petri Apoſtolorum Principis,& in Cancellaria noſtra,atque in acie campi Floræ de more publicentur.* Derogat cõtrarijs; & has literas publicari iubet.

§. 6. *Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri: volumus,& declaramus,vt earum exemplis, & tranſumptis manu ſcriptis, vel impreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis,ac ſigillo alicuius Prælati munitis,par vbique fides habeatur, ac ſi præſentes exhibitæ eſſent, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 24. Octobr. 1566. Pontif. noſtri anno 1.* Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

CONSTITVTIO VI.

Mandat omnibus monialibus clauſuram, etiam tertiarijs, & alijs, qui nec eam promiſerunt, nec vmquam ſeruauerunt. Prouidet, quòd per Conuerſas colligantur eleemoſynæ pro ipſarum monialium ſuſtentatione; quas tamen Conuerſas in ipſis Monaſterijs recipi vetat: quòd ſi eleemoſynæ per Conuerſas collectæ non ſufficiant, prouideant Ordinarij colligi per alias perſonas pias; nec plures moniales recipiantur, quàm quæ commodè ſuſtentari poſſunt.

PIVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CIrca paſtoralis officij nobis, meritis licèt imparibus, deſuper commiſſi curam, quantùm nobis ex alto permittitur, inuigilantes aſſiduè, ad ea,per quæ ſingulis erroribus, & exceſſibus obuiatur,ac perſonis quibuslibet,præſertim fœminei ſexus,virginitatem ſuam Altiſſimo vouentibus, ſub Religionis iugo Chriſto Saluatori in caſtitatis holocauſto famulari affectantibus,ſemita iuſtitiæ, & honeſtatis declinantibus,ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honeſtatis gloria maculam,& diuinam meritò poſſit offendere maieſtatem, opportunè ſuccurritur, libenter intendimus, ac in his noſtrę vigilantię partes propenſiùs impertimur, prout in Domino ſalubriter expedire conſpicimus. Procemiũ.

§. 1. *Hac igitur perpetuò valitura conſtitutione, inhęrentes etiam conſtitutioni fel. record. Bonif. Papę VIII.* Moniales tacite vel expreſsè profeſſæ clauſuram ſeruent.

Digitized by Google

VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo; & decretis Concilij Trid. ſuper clauſura monialium editis, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium ſtatuimus atque perpetuò decernimus, vniuerſas, & ſingulas moniales preſentes, atque futuras, cuiuſcumque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Ieroſolimitan. ſint, quæ vel iam receptæ ſint, vel in poſterum in quibuſuis Monaſterijs, ſiue domibus recipientur, & tacitè, vel expreſsè Religionem profeſſæ, etiamſi Conuerſæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamſi ex inſtitutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clauſuram non teneantur, nec vmquam earum Monaſterijs, ſeu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea ſeruata non fuerit, ſub perpetua in ſuis Monaſterijs, ſeu domibus de cætero debere permanere clauſura, iuxta formam dictæ conſtitut. fel. record. Bonifac. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, in ſacro Concilio Triden. approbatæ, & innouatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandamus.

Inobedientes coerceãtur per Ordinarios.

§. 2. Quòd ſi aliqua moniales forſan reperiantur quæ conſuetudine etiam immemorabili, aut inſtituto, vel fundatione Regulæ ſuæ fretæ, animo obſtinato huic clauſuræ reſiſtant, aut quoquo modo reluctentur; Ordinarij, vnà cum Superioribus earum, omnibus iuris, & facti remedijs compellant eaſdem tamquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè ſubeundum dictam clauſuram, & perpetuò obſeruandum.

Tertiariæ ſi ſolemne votum emiſerint, clauſuræ ſubijciantur; ſin autem per Ordinarios ad clauſurã ſuadeãtur.

§. 3. Mulieres quoque quæ tertiariæ, ſeu de pœnitentia dicuntur, cuiuſcumque fuerint Ordinis, in Congregatione viuentes, ſi & ipſæ profeſſæ fuerint, ita vt ſolemne votum emiſerint, ad clauſuram præcisè, vt præmittitur, & ipſæ teneantur. Quòd ſi votum ſolemne non emiſerint, Ordinarij vnà cum Superioribus earum hortentur, & perſuadere ſtudeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac poſt emiſſionem, & profeſſionem eidem clauſuræ ſe ſubijciant; Quòd ſi recuſauerint, & aliquæ ex eis inuentæ fuerint ſcandaloſe viuere, ſeueriſſimè puniantur.

Volentes ſine clauſula, & profeſſione viuere, non recipiantur in aliqua Religione, ſeu Congregatione.

§. 4. Cæteris autem omnibus ſic abſque profeſſionis emiſſione, & clauſura viuere omnino volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorſus in ſuum Ordinem, Religionem, Congregationemuè recipiant. Quòd ſi contra huiuſmodi hanc noſtram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad ſic viuendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet profeſſiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas; prout etiam præſenti decreto irritas facimus, & annullamus.

Eleemoſynæ pro monialibus colligãtur per Conuerſas, aut per profeſſas habitantes propè Monaſteria ætatis annorum 40.

§. 5. Porro, ne moniales, & tertiariæ prædictæ propter hanc clauſuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum neceſſitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum, patiantur, ſed vt eis opportunè conſulatur, auctoritate Apoſtolica præfata ſtatuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemoſynas per Conuerſas, quæ non ſint profeſſæ, vel ſi profeſſæ fuerint, ſint tamen annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monaſterium degant, & non ingrediantur clauſuram aliarum monialium, niſi in caſibus ex earum conſtitutionibus permiſſis, & de earum domibus exire non poſſint pro huiuſmodi eleemoſynis colligendis, niſi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum.

Conuerſæ profeſſæ de cætero non recipiãtur.

§. 6. Et de cætero nullæ aliæ Conuerſæ profeſſæ recipi ampliùs, etiam de conſenſu ſuorum Superiorum, vel Prælatorum poſſint. Quòd ſi aduersùs hanc noſtram prohibitionem receptæ fuerint; illarum receptio nulla, irrita, & inanis ſit, prout ex nunc nullam, irritam facimus, & annullamus.

Si eleemoſynæ à Cõuerſis receptæ non ſufficiant, prouideant Ordinarij de alijs.

§. 7. Quòd ſi prædicto modo neceſſitatibus monialium, & mulierum tertiariarum prædictarum ſuccurri ſufficienter non poterit, mandamus ipſis Ordinarijs, & Superioribus earum, vt ipſi prouideant de alijs perſonis pijs, & Deo deuotis, quæ fidelium eleemoſynas colligant, vel aliàs eo meliori, & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipſarum monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earumdem, & prout eis congruentius expedire videbitur, prouideatur, & ſuccurratur.

Monialium numerus reguletur iuxta Monaſteriorum redditus.

§. 8. Et, ne propter monialium numerum exceſſiuum clauſuræ obſeruatio violetur, inhærentes etiam ſimiliter diſpoſitioni dictæ conſtit. Bonif. & Concilij Trid. decreto, monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs diſtrictè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monaſterijs recipiant, & admittant, ſeu recipi, & admitti permittant, quàm ex proprijs redditibus ipſorum Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſint.

Executores deputat.

§. 9. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vniuerſis vener. fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, quatenus in Ciuitatibus, & Diœceſibus proprijs præſentes literas noſtras publicari faciant, ac in Monaſterijs monialium ſibi ordinario iure ſubiectis: In his verò, quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vnà cum Superioribus eorumdem Monaſteriorum, clauſuram, vt permittitur, quamprimùm poterint, ſeruari procurent. Contradictores, atque rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Rogat Principes ſeculares, vt hoc opus adiuuent.

§. 10. Ac, vt hoc tam ſalutare decretum faciliùs obſeruetur, omnes Principes ſeculares, & alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ D.N. Ieſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccatorum iniungentes, quòd in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs monialium Superioribus aſſiſtant, ac ſuum fauorem, & auxilium præſtent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

Derogat contrarijs.

§. 11. Præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apoſtolicam approbatis, & confirmatis, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, etiam in fundatione, & inſtitutione eiſdem Monaſterijs, vel domibus, & monialibus ſub quibuſcumq; verborum formis, & clauſulis irritantibus, & alijs decretis quibuslibet conceſſis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis,

eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, quò ad effectum validitatis noſtræ conſtitutionis tantùm derogamus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, aut ſuſpendi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Ordinarij in hoc caſu etiam in locis exemptis procedant.

§. 12. *Per hoc autem in Monaſterijs exemptis Ordinarij locorum quò ad alia ſibi nullam credant iuriſdictionem, vel poteſtatem aliquatenus eis attributam.*

Iubet has literas publicari.

§. 13. *Volumus autem, quòd præſentes literæ ad valuas Baſilicæ B. Petri Apoſtolorum Principis, & in Cancellaria noſtra, ac acie campi Floræ publicentur, & inter conſtitutiones extrauagantes perpetuò valituras conſcribantur.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 14. *Et quia difficile foret, præſentes ad ſingula quæcumque loca deferri, volumus, ac etiam declaramus, quòd earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbicumque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1566. quarto Kal. Iunij, Pontif. noſtri anno 1.*

§. I.

1 NOto 1. quod innouat Papa conſtitut. Boniſ. VIII. quæ habetur cap. vn. de ſtatu Regul. in 6. & incipit, Periculoſo, vbi prohibetur monialibus tacitè, vel expreſsè profeſſis, clauſuras Monaſterij exire, niſi in caſu grauiſſimæ infirmitatis, non valentis cum alijs curari, niſi cum periculo graui, & ſcandalo. Prohibetur etiam ingreſſus, & acceſſus ad illas, niſi cauſa adſit legitima, & de Superioris licentia. Iubetur etiam, quòd in Monaſterijs monialium non mendicantium non recipiantur, niſi tot ſorores, quot poterunt de ipſorum Monaſteriorum bonis ſine penuria ſuſtentari. Statuitur etiam, quòd ſi moniales debeant facere homagium pro feudo, quod Monaſterium ipſum tenet, quòd illud faciant per Procuratorem, ſi poſſit fieri, ſed ſi dominus nolit eas recipere per Procuratorem, debent ire ad ipſum dominum in decenti comitiua, &, facto homagio, ad Monaſteria redire. Statuit etiam, quòd domini temporales in ſuis Curijs admittant, Abbatiſſas per Procuratores litigare, & ad id per ſuos Ordinarios cenſuris eccleſiaſticis compellantur. Eccleſiaſtici verò in temporalibus, & ſpiritualibus earum Procuratores admittere debent.

2 Noto 2. quòd S. Trid. Synodus ſeſſ. 25. de Reg. cap. 5. innouat dictam conſtit. Boniſ. & præcipit Epiſcopis ſub obteſtatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ, vt etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in Monaſterijs exemptis clauſuram conſeruari, vel reſtitui diligenter procurent, contradictores per cenſuras eccleſiaſticas compeſcendo. Prohibentur etiam moniales profeſſæ è Monaſterijs exire, niſi ex legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda. Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini licere determinat ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, quæ tamen nemini reſeruatur, quam dicti dare non debent, niſi in caſibus neceſſarijs. Determinat etiam, quòd Monaſteria monialium Epiſcoporum, & aliorum Superiorum cura intra Ciuitates, & Oppida frequentia reducantur.

3 Noto 3. quòd idem Pius declarans hanc eamdem conſt. quam præ manibus habemus, per aliam ſuam, quæ incipit, Decori, & honeſtati, apud Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. ſub conſtit. eius 8. pag. 185. primò ſtatuit, quòd moniales, cuiuſcumque gradus, aut conditionis ſint, non poſſint clauſura exire, etiam cauſa infirmitatis, aut gratia alia Monaſteria eiuſdem Ordinis, vel parentes viſitandi. Excipit tamen caſum magni incendij, & infirmitatis lepræ, aut epidemiæ. Quæ tamen infirmitas approbari, & cognoſci debet, non ſolùm à Superiore ipſarum monialium, ſi exemptæ ſint, ſed etiam ab Epiſcopo loci, & licentia exeundi in ſcriptis danda eſt. Nec durat, niſi durante tali neceſſitate; aliter autem, quàm vt præfertur, exeuntes, ſunt ipſo facto excommunicatæ, & abſolutio eſt Papæ reſeruata. Simili excommunicationi ſubiacent licentiam concedentes, quomodocumque comitantes, ac illarum receptatrices, ſiue ſeculares, ſiue eccleſiaſticæ perſonæ ſint, ſiue conſanguineæ, ſiue non. Et inſuper tam egreſſas, quàm earum Superiores licentiam aliter, quàm dictum eſt, concedentes, priuat dignitatibus, quas obtinent, & inhabilitat ad alias in futurum obtinendas. 2. annullat omnes licentias datas etiam à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis etiam à ſe ipſo, & nulli ſuffragari poſſe declarat. Et has literas ſingulis annis publicari mandat per Epiſcopos, vel alios ab ipſis deputatos, & hoc ſub pœna peccati mortalis.

4 Noto 4. quòd extat etiam alia conſtitutio Greg. XIII. quam habes apud Paſſar. pag. 261. & Cherub. tom. 2. bull. in Greg. XIII. conſt. eius 8. pag. 368. quæ incipit, Deo ſacris, in qua declarat, & ampliat iſtam conſtit. Pij V. prout in ſingulis §. notabo. Adeſt etiam eiuſdem Greg. alia conſtitutio, quæ incipit, Vbi gratiæ & refert Cherub. tom. 2. bull. in Greg. conſtit. eius 28. pag. 93. vbi reuocat omnes licentias quibuſuis etiam Comitiſſis, & quibuſuis viris eiuſdem ſtatus, &c. conceſſas ingrediendi Monaſteria, & loca monialium, & virorum, & excommunicat ipſo facto, ſibi abſolutionem reſeruando, qui, vel quæ dictarum licentiarum prætextu dicta loca, & Monaſteria virorum, ac monialium ingredi præſumpſerint. Abbatiſſis verò, & Abbatibus ſub eadem excommunicatione, & pœna priuationis officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, præcipit, ne prætextu dictarum licentiarum quancumque ex dictis perſonis in ſua Monaſteria, vel loca ingredi faciant, vel permittant. Prohibet etiam ſub iiſdem pœnis omnibus, & quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam quorumcumque Ordinum Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel ſuperioribus vigore Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 5. pro caſibus neceſſitatis obtentarum Monaſteria monialium ingredi, neuè moniales ſub eiſdem pœnis eos admittere, niſi in vrgentibus neceſſitatibus præſumant. Extat etiam eiuſdem Greg. alia conſtitutio, huius proximè declaratiua, quæ incipit, Dubijs, & refert Cherub. tom. 2. bull. in Greg. XIII. ſub dicta conſt. 28. Vbi declarat quòd Superiores ipſi, ad quos pertinet dare licentiam ingrediendi in Monaſteria monialium in neceſſitatibus vrgentibus, ea ingredi non poſſint pro libito, ſed ſolùm in caſibus neceſſarijs, & à paucis, iiſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati. Quòd ſi contrafecerint, ſtatuit, atque decernit, eos qui pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice, qua contrafecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda, à munere pontificali, & à diuinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto, abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere. Regulares verò omni officio, ac miniſterio priuatos, excommunicationis ſimiliter ſubiacere.

5 Noto 5. quòd Paulus V. per ſuam conſtit. quæ incipit, Facultatum apud Cherub. in ſuo bull. tom. 3. in Pau-

Digitized by Google

in Paulo V. conſtit. eius 52. circa modum vtendi facultatibus conceſſis à Romanis Pontificibus ingrediendi Monaſteria monialium, declarauit, & ordinauit, quòd nulla perſona cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, vigore licentiarum plura Monaſteria pluribus vicibus ingrediendi poſſit ingredi aliqua, vel ſingula Monaſteria pluribus vicibus. Sed quòd licentiæ huiuſmodi reſpectu vniuerſorum, non autem aliquorum, vel ſingulorum Monaſteriorum ſuffragentur; ita vt cui bis in anno, ſeu ampliùs plura Monaſteria ingredi conceditur, bis vel ampliùs tantùm vniuerſa, non autem eorum aliqua, vel ſingula ingredi liceat, etiamſi prædicta Monaſteria in diuerſis Ciuitatibus, Terris, Diœceſibus, & locis exiſtant. Quas licentias aliter interpretari, vel ijs vti prohibet ſub pœnis in Concilio Trid. & alijs conſtitutionibus Apoſtolicis inflictis contra ingredientes in Monaſteria monialium abſque licentia. Extat etiam aliam eiuſdem Pontificis conſtitutio, quæ incipit Monialium, apud Cherub. tom. 3. bull. in Paulo V. conſtitut. eius 74. in qua reuocat omnes licentias datas mulieribus, cuiuſcumque gradus, & conditionis, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, ingrediendi Monaſteria monialium; & inhibet prædictis mulieribus ſub pœna excommunicationis ipſo facto, abſolutionem ſibi reſeruando, ne prætextu dictarum licentiarum in dicta monialium Monaſteria ingredi præſumant, cui excommunicationi ſubiacere vult omnes Abbatiſſas, ac alios Superiores introducentes, & admittentes, ac admiſſas quoquomodo retinere præſumentes. Quas etiam Abbatiſſas, & Superiores priuat officijs, quæ obtinent, & inhabilitat ipſo facto, ſine alia declaratione, ad illa in poſterum obtinenda.

Regulares ad Monaſteria monialium nõ accedant.

6 Noto 6. quòd ſacra Regularium Congregatio de mandato Sixti V. edidit decretum tenoris ſequentis. *Illuſtriſſ. & reuerendiſſ. DD. Cardinales ſacræ Regul. Congreg. præfecti, ad occurrendum ſcandalis, quæ contingere poſſunt, alijſque iuſtis, & rationabilibus cauſis animum piè mouentibus, de ſpeciali, & expreſſo mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ, Viuæ vocis oraculo eis factas, decreuerunt, & mandauerunt, nulli poſthac Religioſo, cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat, (Superiore, cui Monaſterij, ſeu domus cura incumbit Viſitatore, vel Viſitatoribus, confeſſarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) licere, abſque licentia expreſſa eiuſdem ſacræ Congregationis, accedere ad Monaſteria, ſeu domus quarumcumque monialium, vel ſororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quòd ſi aliquando mandato ſui Superioris aliquos Religioſos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas miſſas in ipſarum monialium, ſeu ſororum Eccleſijs, ſiue Oratorijs exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti Religioſi, vllo quæſito colore moniales, ſorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degentes alloqui poſſint. Confeſſarijs autem ſimiliter interdixerunt, ne in ædibus Monaſterij, ſeu domus, vel Monaſterio, ſeu domui monialium, aut ſororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel aliàs ſecum retineant, neue extra tempora generalium confeſſionum, quibus ſoli tantùm confeſſario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet cum ſua habitatio, aut virorum domus, vel Monaſterium, in quo degit, à monialium, ſeu ſororum Monaſterio, vel domo nimium diſtat, niſi tamen & eo caſu contrarium ſpecialiter conſtitutum ſit, ibi nullo modo cõmedant, reficiantur, aut cibum ſumant. Quæ omnia, & ſingula ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendis, alijſque eiuſdem Congregationis arbitrio, præceperunt inuiolabiliter obſeruari. Iniungentes cunctis RR. PP. Generalibus, Prouincialibus, & alijs quorumuis Monaſticorum, & Mendicantium, ac non Mendicantium Ordinum, & Congregationum Superioribus, ad quos ſpectat, quatenus infra terminum vnius menſis, à die, quo præſens decretum ipſis notificatum fuerit, computandi, debeant eiuſdem decreti copiam cum huiuſmodi præcepto, omnibus ſuorum Ordinum, & Religionum Monaſterijs, domibus, & Conuentibus intimare, & notificare, & intimaſſe, & notificaſſe, ne vllam aliquando deſuper ignorantiam in futurum allegare, aut prætendere quoquo modo poſſint. Romæ, Nonis Maij, 1590.* Quod decretum ſacra Congregatio extendit ad milites Ieroſolimitanos, vt eſt apud Quarant. verbo Monaſt. monialium, pag. 451.

7 Noto 7. quòd decretum hoc immediatè præcedens fuit ab eadem ſacra Congreg. de mandato Vrbani VIII. moderatũ hoc pacto, videlicet. *Cum alias de anno 1590. per ſacram Cardinal. negotijs Regularium præfectorum Congreg. de mandato fel. rec. Sixti Papæ V. circa acceſſum Regularium cuiuſcumque Ordinis ad monialium Monaſteria fuerit decretum, quòd nulli Religioſo, cuiuſcumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat Superiore, cui Monaſterij, ſeu domus cura incumbit, Viſitatore, vel Viſitatoribus, confeſſarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) liceat, abſque licentia expreſſa eiuſdem ſacræ Congreg. accedere ad Monaſteria ſeu domus quarumcumque monialium, vel ſororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quod ſi aliquando mandato ſui Superioris aliquos Religioſos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas miſſas in ipſarum monialium, ſeu ſororum Eccleſijs, ſiue Oratorijs exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus, mitti contigerit, ne dicti Religioſi, vllo quæſito colore, moniales, ſorores, aut quamlibet aliam perſonam intra clauſuram degentes alloqui poſſint, ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendis, alijſque eiuſdem ſacræ Congreg. arbitrio; fueritque poſtmodum declaratum, etiam Equites S. Ioannis Ieroſolimitani ſub eodem decreto comprehendi, & quoſcumque contrafacientes ab alio, quam ab Apoſtolica Sede, aut à ſacra Congregatione abſolui, & rehabilitari non poſſe; ampliſſimi eiuſdem ſacræ Congr. Patres decreta huiuſmodi innouanda, & inuiolabiliter obſeruanda ſtatuerunt.*

Verùm quia experientia compertum eſt, interdum ob pias, & rationabiles cauſas, eaſque ita ferente caſu, repentinas, vt ab eadem ſacra Congregatione licentiam expectari ſummè incommodum, vel inutile ſit Regularibus ſupradictis colloquendi cum Monialibus ſibi attinentibus neceſſitatem obuenire, facto verbo cum S. D. N. Vrbano VIII. & de Sanctitatis ſuæ expreſſo ordine, & mandato, facultatem tribuerunt in poſterum locorum Ordinarijs, vt quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere poſſint per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuicumque Regulari, vt moniales ſibi in primo, & ſecundo tantùm conſanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui poſſit. Id verò non aliter, quam ſeruata ad vnguem forma infraſcripta: Vt id nullo modo liceat diebus feſtiuis, aut in Aduentu, Quadrageſima feria ſexta, ſabbatho, & vigilijs, prædictaque licentia obtenta ab ordinario, & ab alio, ad quem ſpectet eam concedere, conſignetur confeſſario ordinario Monaſterij, qui penes ſe retinere debeat, iſque aſſociet, & præſens ſit, & auſcultatrices de more, non autem aliæ aſſiſtant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in ſcriptis concedatur, in libriſque Cancellariæ eiuſdem Ordinarij annotetur. Quòd ſi prædicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter, quam ſeruata forma ſupradicta, licentias conceſſerint, vel permiſerint, ſciant, ſe intentionis S. D. N. & ſacræ Congregationis tranſgreſſores, iudiciumque reformident. Regulares autem pœnis in ſupradicto decreto contentis, ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent, eo ipſo ſe nouerint eſſe addictos, & arbitrio ſacræ Congregationis ſeuerius puniendos, Romæ 12. kal. Decembr. 1623. Oct. Card. Bandinus. Laur. Campegius Sec.

Regulares conſanguinei poſſunt per quatuor vices in anno ad Monaſteria monialium accedere.

8 Noto 8. quòd pro reformatione monialium factæ ſunt à Congreg. Regul. vna, & quinquaginta ordinationes, quas habes apud Quar. in ſum. bull. verbo Monaſt. monial. pag. 453. & pag. 459. Et 460. habentur quædam declarationes dictarum ordinationum,

quæ ordinationes omnino videndæ ſunt à Viſitatoribus monialium, & eas etiam refert Paulus Piaſ. in ſua praxi, p. 2. c. 3. tit. De Viſit. monial. pag. mihi 204.

Moniales ſupranumerariæ in loco defunctarum nō ſubrogantur.

9 Noto 9. quòd circa numerum monialium recipiendarum in Monaſterijs iuxta eorum facultatem, adeſt decretum Congreg. apud Quar. pag. 461. & apud Piaſ. pag. 201. tenoris ſequentis. *Quemadmodum ſacri olim Canones, & nouiſſimè ſacrum generale Concilium Trid. ſumma ratione decreuit, vt in Monaſterijs, & domibus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia poſsidentibus, vel non poſsidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus proprijs Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſsit ſuſtentari; ſic ea quoque ſacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, quæ negotijs, ac conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præeſt: cui antiquius nihil eſt, quàm ſalutaria huiuſmodi decreta debitæ executioni demandari curare; ſæpius locorum Ordinarijs reſcripſit, vt certum numerum in ſingulis Monaſterijs monialium, etiam cura Regularium, ſeu Militiarum ſubiectis, iuxta cuiuſque Monaſterij facultates præſcriberent, & ſi, quæ ſupra ſtatutum numerum reciperentur, duplicem eleemoſynam adferre, & ſupranumerariarum locum tenere deberent. Verum quia in dubium plerumque venit, num ſupranumerariæ prædictæ, aliquibus ex numero in quolibet Monaſterio definito decedentibus, in earum locum ſubrogari poſſent, aut deberent; eadem ſacra Congregatio quæ peculiariter ſuper ea re ſæpenumerò reſcripſit, prouidere volens, ne quis deinceps dubitationis locus relinquatur, huius generalis decreti tenore ſtatuit, & declarat, moniales, quæ ſupra numerum in quolibet Monaſterio conſtitutum recipiuntur in locum monialium decedentium, intra numerum nequaquam ſubrogari, neque impedimento eſſe, quin aliæ in locum earumdem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in ſingulis Monaſterijs moniales intra numerum poſſunt admitti; quinimmo eaſdem ſic ſupra numerum receptas, ſupranumerarias ſemper quo ad hoc remanere; etiamſi in cæteris ab alijs nihil differant, ſed illis in omnibus pares, & æquales iuxta cuiuſque Monaſterij inſtitutum eſſe debeant.*

Quid duplicis eleemoſynæ nomine intelligatur.

Declarat inſuper eadem ſacra Congregatio duplicis eleemoſynæ nomine intelligi ſemper debere duplicatam ſummam eius, quæ in receptione cuiuſque monialis intra numerum in quolibet Monaſterio conſtitutum erogari pro tempore conſueuerit. Ita tamen, vt vbi ſumma, quæ confertur, minor eſt ſcutis ducentis, ibi ſaltem ratione duplicatæ eleemoſynæ ſoluenda ſint ſcuta quadringenta, & non minus.

Loca vacatura per obitum monialium nō concedantur, niſi reali vacatione ſecuta.

Eadem quoque ſacra Congregatio diſtrictè prohibet ne loca per obitum monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura, cuiquam puellæ ad habitum regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, niſi ſecuta vera, & reali illorum vacatione; atque ita demum, & non antea de eis diſponi, ac in monialis demortuæ locum promiſsionem, aut receptionem in Capitulo, ſeu quouis alio modo fieri iubet, dummodo tunc temporis puella ipſa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cæteras qualitates requiſitas, quibus etiam præditas eſſe debere vult eas puellas, quæ ſupra numerum recipiendæ ſunt tam tunc cum eis loca vel promittuntur, vel dantur: Si quid verò contra à quoquam fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & eſſe decernit. Ac nihilominus Abbatiſſas, Prioriſſas, & alios quoſcumque Monaſteriorum Superiores, qui cuiuſuis puellæ receptioni, vel admiſsioni, aut locorum vacaturorum promiſsioni, ſeu conceſsioni, aduerſus præſentis decreti diſpoſitionem conſenſerint, priuationi vocis actiuæ, & paſsiuæ, alijſque arbitrio eiuſdem Congregationis infligendis pœnis obſtrictos, & obnoxios fore declarat, ſaluis etiam ſemper, & in ſuo robore permanentibus alijs quibuſcumque ipſius Congregationis decretis aliàs latis, præſenti decreto non contrarijs: præſertim circa monialium admiſsionem, & receptionem ad habitum, & profeſsionem & circa eleemoſynarum depoſitionem, ſolutionem, & erogationem in bona ſtabilia, quibus nullatenus derogare vult, & intendit. Romæ die 6. Menſis Septembris, 1604.

10 Noto 10. quòd per dictum decretum non impeditur, quin poſſint in Monaſterijs monialium recipi puellæ educandæ, iuxta decretum Congregationis Concilij ad Epiſcopum Hieracenſem apud Piaſec. in praxi Epiſcop. pag. 202. quod ita habet. *Reuerendiſs. D. ex ſacra Congregatione Cardinalium Trid. Concil interpretum, Amplitudinis tuæ nomine quæſitum eſt, an puellæ in Monaſterijs monialium educationis cauſa permanere poſsint. Ii verò ſic cenſuerunt ad te ſcribendum: Iamdudum ab eadem Congregatione ſtatutum eſſe, nullo Concilij decreto prohiberi, quominus puellæ in Monaſterijs monialium educentur, ſi tamen eadem Monaſteria ante Concilium conſueuerint huiuſmodi puellas recipere, ſique à Superioribus Monaſteriorum ſcriptam licentiam impetrarint, atque Abbatiſſæ, & reliquarum monialium conſenſus acceſſerit: Tum verò hæ ipſæ puellæ eo veſtitu in Monaſteria intromittantur, qui virginali pudori, modeſtiæ conueniat, nullamque ſeruum famulam adducant, nec manere in eis poſſunt, niſi vſquè ad ætatis ſuæ annum vigeſimum quintum, atque in eis dum erunt, eamdem ſeruent clauſuræ legem, quam moniales ipſæ, & ſi ſemel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi facultatem. Proindè Congregatio his literis impertiendam tibi hanc facultatem duxit, vt quotieſcumque in iſta tua Ciuitate, & Diœceſi Hieracenſi id expedire Amplitudo tua iudicauerit, poſsit permittere, puellas in monialium Monaſteria, in quibus piè, & honeſtè inſtituantur, introduci, adhibitis tamen conditionibus ſupraſcriptis: Et bene in Domino valebit. Romæ die vlt. Auguſti, 1575. Amplitudinis tuæ vti frater, Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Sixti.* Videatur Sanch. 6. in decal. c. 16. n. 61. Confet. in ſum. tit. 22. c. 8. Suar to. 4. de Relig. tra. 1. lib. 1. c. 10. nu. 21. qui videtur etiam dicere, quod dictæ moniales cum prædictis conditionibus poſſint recipere alias honeſtas fœminas ob graues cauſas.

11 Noto 11. quòd multa nouiſſimè ſtatuta ſunt circa moniales a Greg. XV. in extrauag. De exemptorum priuilegijs, quam pono infra in Greg. XV. conſtit. eius 2. vbi etiam ſunt aliquæ declarationes Congregationis, factæ de mente dicti Pontificis, quæ confirmatæ, & auctæ ſunt ab eadem Congreg. de mandato Vrbani VIII. quas omnes habes infra poſt dictam conſtit. Greg. XV. Et aduerte de paſſu, quòd extrauagantes ſunt eiuſdem auctoritatis, ac leges, & extrauagantes inſertæ in corpore iuris, vt Rodriq. to. 1. quæſt. regul. qu. 44. art. 3. poſt Ludouic. Gomez in princ. reg. Cancell. q. 2. verſus finem, pag. mihi 13. cum hac tamen differentia, quòd ſacros Canones ignorari non licet, & contra illos lata ſententia nihil valet; at iſtas extrauagantes licet aliquando ignorare, ſi ſcilicet non ſint in aliquo certo volumine inſertæ, ſeu authenticæ non oſtendantur, vel ſint contra ius commune, vel non habeant decretum irritans, vel non ſint notoriæ, vel à parte non productæ. Ita Baldus in cap. In cauſis, de re iud. num. 3. Abbas in cap. Paſtoralis, de fide inſtrum. nu. 1. Sed omnino dic, quòd ſententia contra dictas extrauagantes lata eſt ipſo iure nulla, quia iſtæ publicantur in Curia, & poſt duos menſes à publicatione omnes arctant; & quæ publicè facta ſunt ignorare non licet; c. 1. de poſtul. præl. §. Verum, & Gloſſa in cap. Exceptionem, de excep. verbo Publicè; & in hanc ſent. magis videntur inclinare Gomez & Abbas loc. cit.

§. II.

12 QVæres, an ſummus Pontifex poſſit obligare moniales ad clauſuram, quam numquam ſeruauerunt, neque vouerunt.

℞. Poſſe, quia hoc non eſt ſimpliciter ſupra Regulam, immo maximè ad caſtitatem, quam ſolemniter vouerunt, ſeruandam neceſſarium. Quare cum dicimus in noſtro Relig. to. 1. qu. 1. c. 8. §. 1. Pontificem non poſſe præcipere Religioſis aliquid ſupra Regulam, quam vouerunt, id intelligi debet de ijs, quę ſimpliciter ſunt ſupra Regulam, non de ijs, quæ implicite ad illam

per-

Digitized by Google

pertinent, vt notaui dicto cap. verſu Primò expreſsè. Atque ita docent Sanch.lib.6.in decal.cap.2.n.42. multos citans.Suar.tom.4.de Relig.tract.1.lib.1.cap.8.num. 7.Sylu.verbo Religio 6.§.6.verſu Ad primum.Rodriq. tom.1.q.reg. qu. 44. artic. 1. Nauar. comm. 4. de regul. num.40.Non poſſunt tamen cogi ad vouendum vt clarè colligitur ex §. 3. huius conſtit. vbi Pontifex ait: *Si autem votum ſolemne non emiſerint, Ordinarij hortentur*, &c. Et ratio eſt, quia hominis liberam requirit voluntatem; poſt votum autem poteſt vouens ad implendum cogi, vt habetur in cap. Licèt, de voto. Dubitat autem Sanch.6.in decal.cap.15.n. 3. an hæc clauſura ſit monialibus indicta iure humano,an potius diuino naturali: Et reſoluit cum multis, eſſe ſolo iure humano, nam nullibi in Scriptura, vel Patrum traditione id indici iure diuino reperitur.

§. III. & IV.

13 NOta, quòd ad hoc, vt moniales tertiariæ ad clauſuram teneantur, requiruntur duæ conditiones. 1. vt in Congregatione viuant. 2. vt ſolemne votum profeſſionis emiſerint. Ex quo probat Nauar. comm.4.de regul.nu.44.verſu Secundò nota hic; quòd illa mulier, quæ exiſtens in domo ſua faceret profeſſionem in manibus potentis eam recipere, ea lege, vt in ea remaneret, ad clauſuram non teneretur propter defectum primæ conditionis.Quod dicit etiam Sanch. loc.cit.nu.17.& Graff.1.p.deciſ.lib. 4. cap. 23. num. 17.

14 Nota Pontificis prudentiam; mira enim ſuauitate deſtruit ſuis mandatis obedire irrationabiliter recuſantes; quod etiam factum eſt cap.1.§.1. de relig. dom. in 6. & meritò quidem. Nam cum Pontifex ſit Religionum approbator,& confirmator,& ille, à quo Religiones recipiunt formaliter eſſe, & qui Religionibus priuilegia,gratias, & indulta concedit, poteſt rationabiliter hæc denegare ijs,qui irrationabiliter illi obedire recuſant,in his præſertim, quæ ad ipſorum ſalutem pertinent.

§. V.

15 ADuerte 1. quòd ſalubrius, & efficacius remedium adhibitum eſt ad ſubleuandas dictas moniales à Gregorio XIII. in eius conſt. Deo ſacris; vbi §. 3. ſtatuit, vt dimidium omnium eleemoſynarum, à quibuſcumq; in quacumq; mundi parte, quacumque lege, diſpoſitione, vel obligatione faciendarum pauperibus diſtribuatur Monaſterijs monialium tertiariarum, vel aliarum neceſſitate preſſis, conſiſtentibus in terris, & locis in quibus illæ faciendæ ſunt; abſque alia particulari iuſſione Papæ, vel alterius, & abſque vlla petitione illarum, vel quorumlibet aliorum, dummodò duplex conditio concurrat. 1. Ne illæ eleemoſynæ ſint in pauperes certos diſtribuendæ. 2. vt licèt pauperibus incertis elargiendæ ſint, non ſint tamen ad vſus alios deſtinatæ, præterquam ad pauperum alimenta.Quod tamen remedium non eſt perpetuum, ſed ſolùm temporale,durante neceſſitate, vt patet ex §. 8.Et notat Nauar.comm.4.de regul.num. 55. verſu Secundò collige. Quòd ſæpius in multis bullis Cruciatæ viſum eſt huiuſmodi eleemoſynas applicari illi ſancto operi.

16 Aduerte 2. circa eumdem §. quatenus loquitur de Conuerſis,quòd circa illum Greg.§.6.ita diſpoſuit; iubendo nimirum Ordinarijs, vt quibus Monaſterijs prædictarum monialium cognouerint circa victum,& veſtitum fuiſſe ſufficienter prouiſum, computatis quotidianis ipſarum monialium laboribus, horum Monaſteriorum Conuerſas reducant ſub eadem clauſura cum alijs monialibus, neque inde ampliùs exire permittant. Conuerſas verò non profeſſas,& profiteri nolentes,dimiſſo habitu, domum remittant, neque alias in futurum, niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, atque ſub perpetua clauſura manſuras, in Monaſteria huiuſmodi recipi permittantur.

§. VI.

17 ITa decernit Gregorius eodem §. 6. *Quòd autem idem Pius prædeceſſor ſtatuit, de cætero nullas alias Conuerſas recipi ampliùs etiam de conſenſu ſuorum Superiorum poſſe; Ita eſſe intelligendum declaramus, præter illas Conuerſas, quæ extra Monaſterium in domibus contiguis degerent*. Ex quibus colligit Nau. comm. 4. de regul. num. 56. verſu Ex quibus colligo: quòd iam non poſſint recipi ampliùs Conuerſæ aliquæ in Monaſterijs, niſi tantùm illæ, quæ debent manere extra Monaſterium in domibus contiguis cauſa quæſtus eleemoſynarum faciendi.Sed meliùs de Conuerſis diſtinguit Rodriq.tom.1.qu.reg.qu.44.art. 4. aſſert. 2. duplicis generis dari Conuerſas: Alias, quæ Donatæ dicuntur,& ſeruiunt pro eleemoſynis quærendis, & duo tantùm vota emittunt,caſtitatis nimirum, & obedientiæ. Alias verò, quæ Sorores ſeruitiales dicuntur, quæ emittunt omnia vota, ſicut aliæ moniales ad chorum deſtinatæ, & clauſuram quoque perpetuam ſeruant. Et ait,quòd de primis loquuntur Pontifices,non de ſecundis,quæ omnia vota eſſentialia faciunt, ſicut cæteræ moniales.Sed quicquid ſit de iſta diſtinctione;conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, obtinuit, quòd in Monaſterijs Conuerſæ recipiantur, & ideo licitè fieri poſſe dicendum eſt.Ita Sanch.6. in decal. cap. 15.nu.59.Videatur Suar.tom.4.de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 8. nu. 19. & 20.

§ VIII. & IX.

18 NOta ſanctiſſimum remedium ad obſeruantiam Regularium omnium, præſertim monialium penes neceſſarium. Vide Nauar.loc.cit.nu.57. & de reddit. eccleſ. q. 1. monitu 62. Quod inculcauit etiam Greg.loc.cit.& Trid.ſeſſ.vlt.de Reg.cap.3. & pro Regularibus viris Clem. VIII. Paul. V. Greg. XV. & nouiſſimè ſacra Congregatio de mandato Vrbani VIII.prout ſuis locis annotatum eſt; Addit verò vnum Greg. nimirum, quòd Ordinarij ſtatuant in Monaſterijs ſibi ſubiectis, & etiam in exemptis, cum Superioribus eorum, quot moniales in eis de ſuis redditibus. & eleemoſynis conſuetis ſuſtentari valeant; & quòd nulla vltra illum, etiam de conſenſu Superiorum, recipi valeat; ad quod faciendum Ordinarij ſub pœna peccati mortalis obligantur per illa verba, *Super quo eorumdem Ordinariorum conſcientiam oneramus*. Sed circa hoc adeſt decretum ſacræ Congregationis ſupra nu. 9.

19 Nota, quòd mortaliter peccant Epiſcopi, & alij, ad quos ſpectat, hanc extrauagantem non publicantes, vbi publicari præcipitur, & ſingulis annis publicari iuſſit idem Pontifex in extrauag. Decori, huius declaratiua; quod ſuſtulit Greg. §. 11. Ita Nauarr. comm.4.de regul.nu.54.& 58.Sanch.loc.cit. nu. 23. qui etiam n. 20. dubitat, cuius ſit moniales ad hanc clauſuram cogere;& reſoluit num. 21. id pertinere ad Epiſcopum quò ad moniales illi, vel Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectas;quò verò ad ſubiectas Regularibus, ad ſuos Superiores.

§. X.

20 NOta, quòd Principes non præcipiuntur, ſed rogantur tantùm.Et congruit clem. 1. de teſt. vbi Gloſſa verbo Exhortamur,ait, quòd Papa loquitur curialiter;& licèt hęc exhortatio videatur conſilium,eſt tamen reuerentiæ, cui neceſſariò parendum. At Nau. comm. 4. cit. num. 46. verſ. Ex quibus nota, ait quòd non peccant mortaliter vi huius legis ob neligentiam hoc faciendi, quia exhortatio non importat præceptum.§.fin.d.4.c. Quod præcipitur. 14. q. 1. Poſſent tamen peccare mortaliter vi aliarum legum. vt ſi ſuum brachium ſeculare ordinatè petitum,& inuocatum,abſque iuſta excuſatione non præſtarent, vel ſi eorum omiſſio eſſet cauſa diſſolutionis. Ita Nau. comm. 4. de

reg.

Digitized by Google

reg.n. 46. verſu Ex quibus. Magiſtratus verò ſeculares ad ſuum brachium præſtandum ſub pœna excommunicationis ipſo facto tenentur, per Trid. ſeſſ. 25. de reg. cap. 5. Ita Sanch. 6. in decal. cap. 15. num. 22. Sed quia ſupradicta multas patiuntur difficultates, ideo aliqua ſpeciatim enucleare decreui ad materiam facilitandam.

21 Quæres 1. Quinam ſint limites, intra quos clauſura monialium continetur, & quouſq; prætergrediendo clauſuram violent.

℞. Id declaraſſe Greg. XIII. in bulla Deo ſacris, §. 9. vbi ait, *Declaramus præterea nullis monialibus*, &c. Ex quo deducitur, locum clauſuræ eſſe, eum, qui ianua clauſa continetur, ad quem ſecularibus non patet acceſſus; Atque ita ſi locus huiuſmodi ſit, in quem ſeculares admittuntur, eſt extra monialium clauſuram, illucque exeundo eam violant. Videatur Suar. to. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 10. nu. 6.

22 Quæres 2. Cuiuſnam ſit dare licentiam monialibus exemptis, & Regularibus ſubiectis ad egrediendum clauſuram.

℞. Multos contendere, ad Superiores regulares pertinere. Llamas in append. ſui meth. §. 6. Rodriq. tom. 1. qu. reg. qu. 49. art. 6. Sed verè iſta opinio non eſt tuta; nam Trid. ſeſſ. 25. de reg. c. 5. ait, *Nemini autem ſanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire a Monaſterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda*. Et Pius V. in ſuo motu proprio, qui incipit, Decori, & honeſtati; poſtquam decidit, nulli monialium licere exitum, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, ait; *Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monaſteriorum incumbet, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci Ordinarium, etiamſi prædicta Monaſteria ab Epiſcoporum, & Ordinariorum iuriſdictione exempta eſſe reperiantur, cognita, & expreſſè in ſcriptis approbata ſit*. Quæ verba ita clara ſunt, vt expoſitione non egeant. Quare reſponſiones allatæ à Rodriq. & alijs apud Sanch. 6. in decal. c. 15. nu. 25. 27. extortæ nimium ſunt, & ad fauendum Regularibus videntur inductæ. Verùm nobis veritas colenda eſt, cap. Ad conditorem, de verb. ſignifi. extr. Ioan. XXII. Quare puto ſimpliciter, & abſolutè, in Monaſterijs Regularibus ſubiectis, ad hoc vt monialis exire poſſit, requiri licentiam Superiorum regularium, & Epiſcoporum, ſeu Ordinariorũ loci, ideſt Vicariorum generalium Epiſcoporum, qui ſunt Ordinarij. Ita Azor tom. 1. inſtit. moral. li. 13. ca. 8. q. 1. verſu Item quærebatur. Zer. p. 2. prax. verbo Moniales, dub. 8. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. ca. 9. nu. 13. Si autem in partibus Hiſpaniarum conſuetudine approbatum ſit, quòd huiuſmodi licentia detur à ſolis Prælatis regularibus, vt Rodriq. & Llamas dicunt, ſeruanda eſt, ſi eſt legitima; Quod teſtantur etiam Sanch. loc. cit. n. 28. & Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 5. dub. 3.

23 Quæres 3. quænam ſit iuſta cauſa licentiam concedendi moniali ad exeundum clauſura.

℞. Tres explicari in bulla Pij V. quæ incipit, Decori, vt dixi quæſito præced. Nimirum magni incendij, lepræ, & epidemiæ. Sed difficultant Doctores, quid nomine epidemiæ intelligatur. Dicendum eſt, nomine epidemiæ non ſolùm intelligi morbum peſtis, ſed etiam quemcumq; morbum plurimos inuadentem, vt morbus Gallicus, S. Lazari, &c. licèt peſtifer non ſit. Ita Rodriq. tom. 1. qu. reg. qu. 49. art. 4. verſu Ex dictis ſequitur. Sanch. 6 in decal. c. 15. n. 35. Et aduerte, quòd cauſæ iſtæ non erunt legitimæ, ſi Monaſterium ita ſit capax, ac ea ſit in illo eis medendi morbis commoditas, vt nullum eſſet periculum alias moniales inficiendi. Nam tunc non eſſet licitus exitus. Llamas in append. meth. §. 10. Sanch. loc. cit. num. 32. Et probant ex cap. Periculoſo, de ſtatu reg. in 6. Quod fuit innouatum à Trid. & Pontificibus Pio, & Gregor. in quo conceditur exitus moniali infirmæ, quando infirmitas eſt talis conditionis, vt non poſſit monialis cum alijs abſque graui periculo commorari.

24 Quæres 4. an prædicti tres caſus poſſit ad alios ſimiles extendi.

℞. Quòd ſic; nam dictio taxatiua ſe extendit etiam ad caſus ſimiles, vbi eadem, & vrgentior eſt ratio, Abbas in cap. fin. num. 3. de donat. & in cap. Cum dilecta, num. 8. de confir. vtil. vel inutil. Sanch. cum multis loc. cit. num. 37. Vnde primò iuſtè poterit concedi moniali licentia exeundi clauſtro cauſa medendi morbo ita periculoſo, vt eius ſalus deſperetur, ea non egreſſa; tum quia credendum non eſt, ſummos Pontifices cum tanto diſpendio voluiſſe moniales ad clauſuram obligare; tum quia leges eccleſiaſticæ non obligant cum tanto periculo; tum quia quod pro charitate inuentum eſt, contra illam retorqueri non debet; tum quia defenſio naturalis nemini tollenda eſt. Ita Nau. comm. 4. de reg. num. 49. Llamas in append. meth. §. 10. Azor. tom. 1. inſtit. moral. li. 13. cap. 8. qu. 1. ad finem, verſu Tertiò quæres A Sorbo in comp. verbo Ingredi Monaſt. monial. pag. 363. verſu Et ſic etiam; Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 9. num. 9. Videatur Gutier. lib. 1. canon. quæſt. cap. 14.

25 2. Iuſtè poterit concedi licentia exeundi monialibus ob belli imminentis timorem, ſiue à catholicis inimicis, ſiue ab hæreticis bellum geſtum ſit. Ita Llamas in append. meth. §. 11. Nauarr. comm. 4. de regul. num. 48. Sanch. 6. in decal. cap. 15. num. 44. ſi bellum ab hæreticis, vel infidelibus geſtum ſit. Azor. to. 1. lib. 13. cap. 8. q. 1. verſu Tertiò quæres, qui abſq; tali limitatione loquitur. Et verè talis limitatio neceſſaria non eſt; nam milites omnes milites ſunt; & qui dixit.

Nulla fides, pietaſq; viris, qui caſtra ſequuntur. de omnibus loquutus eſt, ſicut etiam ille. *Iocus, & ludus ſunt in militia, domos diripere, ſana ſpoliare, virgines rapere, ſolidas Vrbes, atq; oppida incendere. Hæc ſunt militum decora, profuſiſſe neminis, necuiſſe quamplurimus, nullo reſpectu, aut recordatione præſidentis mundo Dei*. Ita gerunt in pollutis corporibus cæcos animos, vt Dei iuſtitiam non videant, & admoneri indignè ferant. Iſti ſunt, qui dicunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Et qua inſolentia, & ore quàm importuno diuinas leges negligunt, & humanas aſpernantur, vt militari videatur eſſe, nihil arbitrari æqui, ac boni propter ſe eſſe ſancitum, nullo ſe iuri eſſe ſubditum, ſe in vagina leges omnes cum ferro geſtare, quicquid conſcelerato animo collibuerit, id ſolùm eſſe ius, atque æquum. Vnde rectè dixit quidam, *Diaboli regnum non eſt, ſi in bello non eſt*. Quod tantum malorum in ſe comprehendit, vt à commemoratione humanum quoquè pectus abhorreat. Et alter in carminibus.

Arma amens amat, & gaudet fera bellua bello.
Bellum mors vita eſt, bellum ſentina malorum.
Pernicies hominum, vitij fons, hydra quietis.
Et ſcelerum torrens, & viua puerpera mortis.

Nec putandum eſt, hæc ſolùm eſſe ſpeculatiuè dicta; nam hæc proprijs oculis vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt in bello illato Reipublicæ Genuenſi à die 25. Martij, anni 1625. à Rege Gallorum, & Duce Sabaudiæ. Meritò itaque dixi, quòd tempore ingruentis belli poſſunt moniales clauſura egredi.

Et ſic cordatè, & prudenter ſtatutum eſt ab illuſtriſſimis noſtræ Reipublicæ Senatoribus, vt moniales, quæ extra Ciuitatem haberent Monaſteria, intra Ciuitatem introducerentur, vt fuerunt introductæ moniales terræ Nouarum, & moniales Monaſterij noui, & S. Claræ. Vidiſſes ſanctiſſimas & ſacratiſſimas illas virgines, Dei ſponſas, Spiritus ſancti habitacula, binas eſſeda vectas, oculo demiſſo, facie decora, lacrymabundas, trementes, ac pallentes, quaſi nouum mundum aſpicientes, mirantes, ſtupentes, ecſtaticas; parentibus, conſanguineis, & affinibus, ac viris religioſis, & decoris ſenibus comitatas, in Ciuitatem quamq; ad deſignata Monaſteria concedere. Vidiſſes ex alia parte ſenes,

& mu-

& mulietes illas cum lacrymis aſpicientes diuinam iuſtitiam implorantes, temporum miſeriam lugentes, vitam propriam deſpicientes: Iuuenes in hoſtes, tot, tantorumq; malorum cauſas ferocientes, ad bellum ſe præparantes, inuicem ſe animantes, mori pro lege, & patria diſponentes.

26 3. Iuſta etiam erit cauſa exitus, quando monialis eſſet electa in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, vel Correctricem alterius Conuentus eiuſdem Religionis, quia ſic congruit bono communi illius Religionis. Ita Nau. comm. 4. de regul. num. 48. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 49. art. 5. coroll. 1. Sanch. 6. in decal. cap. 15. num. 45. Llamas in append. meth. §. 11. Gutier. loc. cit. num. 10. Et habetur expreſsè in Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 70. Nec ſolùm poteſt egredi vt ſit Abbatiſſa, ſed etiam, vt ſit Magiſtra nouitiarum, ſi id bono communi congruat, Rodriq. ibid. Sanch. num. 46. Poterit etiam egredi ad nouum Monaſterium fundandum, quia hoc etiam ad bonum commune pertinet; Qui caſus expreſſus eſt in noſtra Regula monialium, num. 33. vbi licèt ſit particula exceptiua, Niſi, quæ ſolùm communiter ad caſum expreſſum extenditur; puto tamen, quòd etiam in caſibus dictis, & dicendis poſſint noſtræ moniales egredi, quia ſunt maximæ neceſſitatis. Rodriq. ar. cit. Sanch. num. 47. qui addit, poſſe etiam monialem egredi clauſura cauſa correctionis, ſi in proprio Monaſterio non poteſt commodè corrigi, & poteſt mutari in aliud eiuſdem Religionis, quia hoc etiam ad commune bonum ſpectat. Et idem Sanch. ait, hos tres caſus eſſe in praxi receptos. Et nu. 62. ait, quòd ſi neceſſitas egreſſus vrgeret, & ratione longæ diſtantiæ Superioris, non poſſet adiri abſque graui periculo, poſſet, eo Superiore inconſulto, monialis egredi, quia neceſſitas caret lege. Ita etiam Sylu. verbo Religio 7. q. 16. d. 2. fall. 1. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 49. art. 2. verſu Aduertendum 2.

27 Quæres 5. quas pœnas incurrat monialis egrediens clauſura abſque licentia debita.

℞. Id conſtare ex his, quæ dixi ſupra, num. 3. Et quò ad pœnas priuationis officiorum, & dignitatum videnda ſunt, quæ dixi in conſtit. 6. Iulij II. num. 23. Hic ſolùm aduerte circa receptantes, aut comitantes, quòd non incurrunt has pœnas, quæ non ſunt cauſa egreſſus, nec vt monialis extra Monaſterium perſeueret, ſed eam recipiunt, aut comitantur poſt egreſſum, vt eius honori, & caſtitati conſulant. Ita Nauarr. comm. 4. de regul. num. 51. Graff. p. 1. deciſ. lib. 4. cap. 23. num. 17. Llamas in append. meth. §. 11. fine; Sanch. 6. in decal. cap. 15. num. 72. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 49. art. 7. verſu Aduertendum denique. Et ratio eſt, nam excommunicatio contra recipientes hæreticos non comprehendit, niſi eos recipientes vt hæreticos, & vt talibus illis fauentes, non autem recipientes vt amicos & conſanguineos, quadam naturali ſanguinis inclinatione, ſeu amicitia, vt communiter. Et dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 26. concl. 5. verſu Notat autem. Notat etiam Sanch. nu. 74. quòd incurrunt has pœnas Epiſcopi, Religioſi, & aliæ perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ comitantes, aut recipientes moniales modo dicto iniuſtè egreſſas, & etiam Epiſcopi illicitam egreſſus licentiam concedentes.

28 Quæres 6. an monialis iuſta cauſa egreſſa Monaſterio, poſſit in aliud monialium Monaſterium ingredi.

℞. Bene Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 10. Vel loquimur de moniali iter agente, & accedente ad Monaſterium ſui Ordinis, vt hoſpitio recipiatur; Et licitè poteſt ingredi, & admitti abſq; alia Superioris licentia, quia iſta extranea non eſt, & debitum fraternitatis id poſtulat. Vel loquimur de moniali egreſſa pro recuperanda ſalute, quæ recreandi animi gratia, vel moniales inuiſendi, vellet aliud Monaſterium ſui Ordinis ingredi; Et dicendum eſt, quòd poſſit, propter eamdem rationem. Vel loquimur de moniali iter agente per loca, vbi non eſſet Monaſterium eiuſdem Ordinis, ſed alterius; Et poterit admitti de licentia Superioris illius Monaſterij, quia religioſa charitas, quæ perſonas religioſas maximè decet, & honeſtas ſtatus monialis id petit. Vel loquimur de moniali, quæ recreandi animi tantùm cauſa, vel inuiſendæ monialis cognatæ, vellet Monaſterium alterius Ordinis, aut habitus ingredi; Et tunc non eſt iuſta ingreſſus cauſa, nec Superior eam dare poteſt.

29 Quæres 7. Quis poſſit licentiam concedere ingrediendi Monaſteria monialium.

℞. Epiſcopum in ſibi, & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiectis. In ſubiectis verò Regularibus poſſe illorum Superiores, iuxta Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 5. Ita Nauar. comm. 4. de regul. num. 60. verſu Quintò quòd ille. Llamas in append. meth. §. 5. Rodriq. tom. 1. quæſt. regul. q. 46. art. 2. Azor. tom. 1. inſtitut. moral. lib. 13. cap. 8. q. 7. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 10. num. 12. Nam cum hæc Monaſteria Epiſcopis ſubiecta non ſint, non poſſunt in ea vllam iuriſdictionem exercere, niſi quatenus ſpecialiter deputantur tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ſed eſſe deputatos non conſtat, ergo. Et ita declarauit Pius V. infra conſtitut. eius 7. §. 7. Adde, quòd in praxi in noſtris Monaſterijs monialium ita ſeruatur. Prælati autem, ad quos pertinet talem licentiam concedere, ſunt Generales, & Prouinciales, vel quibus ipſi commiſerint: vt Rodriquez loc. cit. Qui tamen ſemper committunt Correctoribus localibus, cum ipſi non poſſint vbiq; eſſe præſentes. Sed Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 15. putat, id Correctori locali iure competere, ſi ſit Superior illius Monaſterij monialium, & illi talis facultas per ſuperiores Prælatos, vel Capitula generalia ablata non ſit; nam Trid. loc. cit. abſolutè loquitur de Superioribus; & Superiores locales Superiores ſunt. Verùm cum Concilium non ſpecificet, integrum eſt Capitulo generali declarare, de quibus Superioribus id intelligendum ſit. Ipſi tamen Superiores in noſtro Ordine ingredi non poſſunt, per expreſſum Regulæ textum, vt dixi ſupra in conſt. 4. Pauli III. §. 4. num. 2. Poterunt tamen ingredi tamquam confeſſarij, ſeu ſocij ſacramenta miniſtrantium, quia hoc nullo iure video eſſe prohibitum, & confeſſarios poſſe ingredi, probaui in dicta conſtit. Pauli III. loc. cit. num. 3. licèt Regula etiam id prohibeat. De Superioribus autem aliorum Ordinum, quòd poſſint ingredi abſq; alia licentia, conſtat manifeſtè ex bulla Gregor. XIII. Dubijs, quæ emergunt, de qua dixi num. 4. & docet Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 25.

30 Quæres 8. Propter quas cauſas, ſeu in quibus caſibus poſſint Superiores concedere licentiam ingrediendi.

℞. Propter caſus vrgentis neceſſitatis; Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 5. & Greg. XIII. in ſua conſtit. Vbi gratiæ, de qua ſupra, num. 4. Sed hæc neceſſitas non eſt metaphyſico modo ſumenda idest, vt ſit extrema, ſeu ſtrictiſſima, ſed ſatis eſt, quòd ſit moralis. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 46. art. 4. Llamas in append. meth. §. 6. verſu Addimus inſuper. Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 40. Quia, cum præceptum ſit eccleſiaſticum, more aliorum præceptorum eccleſiaſticorum accipiendum eſt. At reliqua præcepta tantùm neceſſitatem moralem ad excuſandam tranſgreſſionem petunt; neceſſitas autem moralis erit, quando miniſterium exercendum concernit moralem Cœnobij neceſſitatem, nec per moniales cōmodè exerceri poteſt, nec abſq; Monaſterij ingreſſu: Secus, ſi per illas poſſit exerceri, vel abſque Monaſterij ingreſſu. Confert. in comp. titul. 22. capitul. 7. Hinc dicas, habere iuſtam cauſam ingrediendi in dicta monialium Monaſteria confeſſarios pro audiendis confeſſionibus monialium infirmarum de lecto etiam in principio infirmitatis, etiamſi dicti confeſſarij Regulares ſint, etiam cum ſocio, & ad miniſtrandum Euchariſtiam, & ad commendationem animæ; medici, chirurgi, fabri, cœmentarij, hortolani, baiuli ad deferenda onera, vel auferenda, & alij quicumque miniſtri moraliter neceſſarij ad aliquod miniſterium intra clauſuram exercendum. Hinc etiam dicas; eſſe iuſtam

cauſam

cauſam ingrediendi, vt deferatur aliqua inſignis reliquia moniali infirmæ de lecto, eam in magna veneratione habenti ab eaq; expectanti firmiter ſanitatem; vt contingit frequenter hic Genuæ, in qua eſt in maxima deuotione Caputium S. P. N. Franciſci de Paula, per cuius merita dictum Caputium quotidie multa mirabilia operatur, multas cōfert gratias, & patrat miracula, ex quorum multitudine inſigniora quædam collegi, lucem aliquando aſpectura, ad Dei gloriam, Sancti honorem, & populi deuotionem. Dico itaque, quòd deuotio monialis huiuſmodi reliquiæ eſt cauſa iuſta ingreſſus, tum quia nos Minimi habemus ſtrictiſſimum præceptum dictum Caputium non confidere cuiquam perſonæ, cuiuſcunque dignitatis, & auctoritatis exiſtat, tum quia huiuſmodi reliquiæ more Eccleſiæ per manus fęminarum non tractantur; tum quia poteſt ſacerdos ingredi ad confirmandam, & conſolandam infirmam vicinam morti, vt Sanch. loc. cit. num. 48. & Llamas. cum hoc officium per mulieres, etiam impleri poſſit; tum quia poteſt Epiſcopus ingredi ad miniſtrandum ſacramentum confirmationis moniali in periculo mortis exiſtenti; & tamen hoc ſacramentum non eſt neceſſitatis; tum quia piè poſſumus interpretari, piam voluntatem Eccleſiæ non eſſe denegaturam tam pium officium tam piæ deuotioni monialis ita indigentis; tum deniq; quia ingrediuntur medici corporales. Videatur Sanch. loc. cit. à nu. 42. & Llamas loc. cit.

31 Quæres 9. An liceat in Conuentibus monialium admittere famulas ad monialibus ſeruiendum.

℞. Si adſint Conuerſæ, quæ poſſint miniſterijs Monaſteriorum inſeruire, non poſſe introduci dictas famulas: Secus ſi non adſint; Nam tunc propter neceſſitatem admitti poſſunt; non enim poſſunt choro deſtinatæ his miniſterijs implicari; vltra quod ſæpe delicatæ ſunt, nec his exercitijs aſſuetæ. Ita Sanch. 6. in decal. c. 16. num. 66. Quod etiam inuenio conceſſiſſe Gregor. XIII. per ſuam conſt. apud Rodriq. in bull. in Greg. bulla eius 6. pag. mihi 458. tenoris ſequentis *Significaſti nobis, te in omnibus ferè monialium Hiſpaniæ Monaſterijs, quæ curæ, & regimini fratrum tui Ordinis ſubſunt, eum inueniſſe morem, vt coquinæ, refectorio, horto, & alijs huiuſmodi adhibeantur ancillæ, quia talibus rebus moniales nolunt ſe immiſcere: quæ tamen ancillæ, dum ibi operantur, clauſuram egredi ſolitæ non ſunt: Et cum incertum ſit, verane conceſſione, vel potius conſuetudine, ſeu abuſu hæc inualuerint ſupplicaſti etiam, vt aliqua opportuna ineatur ratio, qua ipſarum monialium conſcientiæ ſecuritati melius conſulatur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, vt in quibuſuis Monaſterijs hoc neceſſarium eſſe duxeris, & donec Conuerſas apud ſe receperint, denis monialibus ſingulas habere ancillas indulgeas: quæ ancillæ, ſicut moniales, clauſuræ legem ſeruent, & ibi perpetuò, durante ipſarum vita, maneant, & Conuerſarum loco ſint: Sed tamen, infirmitate incurabili, vel perpetua ingruenti, aut ob corruptos mores, inde educi Superiorum iudicio poſſint, ita vt in eiſdem Monaſterijs, aut alijs amplius non recipiantur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem tribuimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcat. die 31. Decembr. 1583. Pont. noſtri anno 13.* Quod etiam puto procedere in noſtro Ordine, in quo ſtrictiſſima clauſura ſeruatur, & ita, vt nulla poſſit perſona ingredi abſque licentia Papæ, vt patet in Regula, num. 17. Sed in caſu neceſſitatis id non procedit, quia neceſſitas non habet legem. Et iſta clauſura quò ad confeſſores, medicos, & chirurgos, &c. moderata eſt per Clement. VII. vt ſupra dixi in Paulo III. conſt. eius 4. num. 2. & 3. Et ita intelligo ſtatutum factum in cap. Rom. 6. nu. 14. dub. 9.

32 Quæres 10. an ingredientes Monaſteria monialium ex legitima cauſa teneantur finito negotio exire.

℞. teneri. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 47. art. 11. Sanch. loc. cit. num. 68. Sicut enim monialis, quæ habet legitimam cauſam egrediendi, ea ceſſante, ſtatim redire tenetur, vt conſtat ex cap. Periculoſo, §. Verùm quando, de ſtatu regul. in 6. & expreſsè etiam in motu proprio Pij V. qui incipit, Decori. Vbi poſtquam interdixit egreſſum, niſi ob triplicem cauſam ibi declaratam, ſubdit hæc verba, *Sed nec in prædictis caſibus extra illa miniſteria, niſi ad neceſſarium tempus ſtare licet.* Ita videtur dicendum in hoc caſu: Sed cum hoc morale præceptum ſit, morali etiam modo interpretandum, vnde ſi quis aliquantulùm demoretur circuiens officinas ex aliqua curioſitate, non peccabit. Ita Rodriq. & Sanch. loc. cit. num. 69. qui addit, neque etiam incurrere pœnas, & cenſuras, contra ingredientes inflictas, ſi diuturnam moram etiam cum praua intentione in Monaſterio trahat: quia hæ pœnæ ſolùm ſunt contra ingredientes ſine licentia. Sed hoc mihi non probatur; nam probant Doctores, ingredientes Monaſteria monialium, ſtatim, loquendo moraliter, finito negotio, teneri exire, ex eo quòd etiam monialis egreſſa, finito negotio, ſtatim etiam, moraliter loquendo, reuerti tenetur ad clauſuram. Sed monialis tenetur id facere ex præcepto iure communi in dicto cap. illo Periculoſo, de ſtatu regul. in 6. & per conſtit. Pij V. Decori: Ergo monialis legitimè egreſſa, ſi, ceſſante cauſa, non reuertitur, tranſgreditur præceptum Papæ, & conſequenter incurrit pœnas contra tranſgreſſores. Quo eodem pacto philoſophandum eſt de ingreſſo legitimè in Monaſteria monialium, ſi finito negotio, non reuertitur, reus erit tranſgreſſionis præcepti, & conſequenter incurret pœnas tranſgreſſoribus inflictas. Naldus in ſum. verbo Clauſura, nu. vlt. & verbo Monialis, nu. 15. Secundò quia negotio finito, licentia non præſumitur ampliùs legitima 3. ex fine huius prohibitionis, qui fuit ad tollendam omnem occaſionem monialibus peccandi. Poſſet quidem dici, quòd ſi durante negotio, V. G. durante animæ cōmendatione, quæ ſolet durare per vnam, aut duas noctes, ſeu durante fabrica Monaſterij, quis cum moniali fornicaretur, dictas pęnas nō incurreret, quia hic legitimus ingreſſus eſt, nec tenetur exire, niſi negotio finito.

33 Quæres 11. quas pœnas incurrat ingrediens Monaſteria monialium abſque licentia.

℞. Per Trid. ſeſſ. 25. de reg. cap. 5. incurrere pœnam excommunicationis ipſo facto, qui ſine licentia Superioris in ſcriptis obtenta, Monaſteria Monialium ingreditur. Greg. XIII. in ſua conſtit. quæ incipit, Vbi gratiæ, de qua ſupra n. 4. excommunicat omnes perſonas cuiuſcumq; gradus, & conditionis, etiamſi Comitiſſæ, & Duciſſæ, quæ ingredi audent monialium Monaſteria virtute facultatum à Sede Apoſtolica conceſſatum, & ſibi abſolutionem reſeruat. Excommunicat etiam ipſo facto, vt ſupra dictus Greg. omnes Abbatiſſas, & Abbates, eos officijs, quæ habent, priuando, & ad futura inhabilitando, ſi in ſua reſpectiuè Monaſteria quemquam prætextu huiuſmodi licentiarum admiſerint. Excommunicat etiam eodem modo, & priuat, ac inhabilitat idem Pontifex eos, qui ex licentia Superiorum ingrediuntur eadem Monaſteria abſq; vrgenti neceſſitate: quibus pœnis ſubiacere etiam vult moniales, abſq; dicta neceſſitate admittentes. In bulla verò, quæ incipit, Dubijs, quæ emergunt, ponit alias pœnas contra Superiores ingredientes, de quibus ſupra num. 4.

34 Quæres 12. an fœmina bona fide intrans monialium Monaſteria animo profitendi in eo, abſq; vlla Superioris licentia, incurrat pœnam in Trident. poſitam.

℞. Bonam fidem poſſe hanc fœminam excuſare, præſertim, ſi timeat ne ſcientes parentes ingreſſum prohibeant; ceſſante autem bona fide, non vitabit pœnas. Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 74.

35 Quæres 13. An pœnæ inflictæ à Greg. XIII. in ſua conſtit. Vbi gratiæ, incurrantur ab eo, qui ingreditur Monaſteria monialium, non virtute alicuius facultatis, ſed abſque vlla prorſus licentia.

℞. Certum eſt, hunc incurrere pœnam excommunicationis poſitam à Trid. ſeſſ. 25. de reg. cap. 5. quæ tamen nemini reſeruata eſt. Mihi etiam certum eſt, incurrere pœnas inflictas à Gregorio, eaſq; etiam ſubire

admit-

Digitized by Google

admittentes; Nam credendum eſt, Pontifices principaliùs intendiſſe ad vetandum factum, quod eſt ingredi, quam illius ſolemnitatem, quæ eſt prætextu licentiarum, & magis impudenter videntur peccare ingrediẽtes ſine licentia, quàm qui illa cooperti. Et idem eſt de admittentibus. Atque ita tenet Nauar. comm. 4. de reg. num. 62. verſ. Quarto quod; qui ait, hanc fuiſſe mentem Pij V. in ſuo motu proprio contra ingredientes Monaſteria virorum prætextu quarumcumq; licentiarum. Et ita ſeruari in prætorio Pœnitentiariæ de ſententia S.D.N. Gregor. XIII. Ex profeſſo Beia 1. p. caſ. caſu 3. verſu Hæc omnia; qui ita in tota Italia practicari ait, verſu Nihilominus. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 13. cap. 8. q. vlt. Quar. in ſum. verbo Monaſt. monial. pag. 448. Contrarium tenet Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 79. & alij apud Quar.

36 Quæres 14. an Regulares, ſtante decreto Congreg. de non accedendo ad Monaſteria monialium, ad colloquendum cum eis, de quo ſupra, num. 6. ſine expreſſa licentia Congreg. peccent mortaliter, ſi ſine dicta licentia id faciant; vel etiam non obſeruatis circumſtantijs poſitis in decreto eiuſdem Congreg. ſub Vrbano VIII. de quo num. 7.

℞. Caſum fuiſſe aliquando dubium; modo tamen eſſe clarum: Nam Congreg. anno 1606. die 1. Iulij declarauit in hæc verba *Attentis narratis, ac dubio præfato maturè diſcuſſo, & examinato, cenſuit, ac declarauit, Regulares accedentes ad Monaſteria monialium contra formam decreti, quo huiuſmodi acceſſus per ſacram Congreg. prohibetur, vltra pœnas priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & paſsiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Refert Longus de caſib. reſeru. p. 2. caſu 3. num. 29. Et docet etiam, abſque iſta declar. Nald. in ſumm. verb. Monialis. num. 17. quod procedit etiam poſt decretum Congreg. ſub Vrb. VIII. modo dicto. Notat etiam Longus num. 3. quòd non incurritur peccatum, neque pœna prædicta propter aliquod verbum cauſa vrbanitatis dictum, dummodò limites non tranſcendantur, in quo boni viri iudicio ſtandum eſt, quia paruitas rei in quacumque materia excuſat à mortali: Nec etiam incurritur, ſi quis Religioſus declaret aliquem caſum conſcientiæ alicui moniali, cum talis alloquutio ſpeciem habeat ſermonis, & exhortationis. Nequè etiam incurrit ille, qui per interpoſitam perſonam loquitur, cum odia ſint reſtringenda. Videatur Suarez tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 10. à num. 24. Qui loquitur cum moniali nihil reſpondente, peccat, ſecus ſi monialis cum nil reſpondente loquatur; nam prohibitio loquendi viros afficit, non mulieres. Diana to. 3. tract. 2. reſol. 48. not. 1. neque peccat, qui per nutus loquitur, ſumus, enim in odioſis: Nec ſimiliter peccat, qui loquitur cum Abbatiſſa nam in odioſis nomine monialium non venit Abbatiſſa. Ita Diana loc. cit. not. 3 apud quem vide plura huiuſmodi.

37 Quæres 15. An Regulares accedentes ad Monaſteria monialium abſq; Epiſcopi licentia, incidant in excommunicationem, quam Epiſcopus propoſuit contra tales.

℞. Non incurrere, ſi habeant priuilegium, vt non poſſint excommunicari ab Epiſcopis, quale habent omnes Mendicantes, vt videre eſt apud Caſar. verbo Exemptio, n. 9. 23. & 24. & Feſtum 4. p. ſui ſumm. ca. 1. & patet ex bulla 2. Sixti IV. §. 10. Ita Rodriq. tom. 1. qu. reg. qu. 45. art. 2. fine. Quar. in ſum. bull. verbo Monaſt. monial. pag. 453. Et refert Suar. loc. cit. num. 27. declarationem ſacræ Congreg. datam die 9. Aprilis, anno 1587. in hæc verba. *Regulares adeuntes Monaſteria monialium ſine licentia Epiſcopi incidunt in pœnam excommunicationis, quam Epiſcopus ſuo edicto propoſuit, niſi Regulares illi haberent ex priuilegio, quod non poſſent excommunicari & tunc deberent puniri à ſuis Superioribus alia pœna. Qui Regulares ſic excommunicati non poſſunt abſolui à ſuis Superioribus, ſed ab Epiſcopo, qui ſibi hanc abſolutionem reſeruauit.* Vide Dianam loc. cit. not. 8. Quid ſi moniales ſint exemptę. Dic quod ſic, quia procedit tunc tamquam delegatus ſedis Apoſtolicæ, cap. 5. ſeſſ. 25. de reg. Concil. Trid. Riccius 2. p. praxis reſol. 181.

38 Quæres 16. ad quem pertineat concedere licentiam adeundi Monaſteria monialium ſecularibus, ſeu alijs eccleſiaſticis ad colloquendum cum eis, quando moniales ſunt ſubiectæ Regularibus.

℞. Congregationem cenſuiſſe, id ſpectare ad Superiores regulares ipſarum monialium, niſi conſuetudo legitimè præſcripta haberet, hanc facultatem concedere pertinere ad Epiſcopum, vel ad Superiorem Regularium, & Epiſcopum coniunctiuè. Ita Quar. in ſumm. verbo Monaſteria monial. pag. 453.

39 Quæres 17. An moniales admittentes aliquem intra clauſuram, incurrant aliquas pœnas.

℞. Si moniales Superiores ſint, incurrere pœnã excommunicationis ipſo facto, & priuationem dignitatis, quam habent, & inhabilitatis ad alia; poſſet tamen excuſari ex inaduertentia, vel etiam negligentia; nam ſolùm feruntur iſtæ pœnæ contra præſumentes admittere, vel facientes ingredi ex præſumptione, quæ temeritatem magnam dicit. Cœteræ verò moniales, ad quas ex officio impedire non pertinet, non incurrent iſtas pœnas, etiamſi, cum poſſent, non impediuerint; ſecus autem ſi inuitarent, vel aliquo poſitiuo modo illam perſonam facerent ingredi; quia tunc directè admitterent, Naldus in ſum. verbo Monialis, num. 16. Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 96.

40 Quæres 18. Qui violaret clauſuram monialium ingrediendo duos paſſus, & ſtatim reuertendo, incurret ne iſtas pęnas?

℞. Certiſſimum eſſe in omni materia paruitatem materiæ excuſare à peccato mortali; Atq; ita hoc caſu dicendum eſt. Naldus verbo Clauſura, nu. 1. Graff. de caſib. reſeru. lib. 1. cap. 5. num. 45. & 1. p. deciſ. lib. 4. cap. 23. num. 15. & idem dicendum eſt de moniali ad dictos paſſus egreſſa. Et ſimiliter de muliere intra virorum clauſuram ingreſſa. Aliter videtur ſentire Sanch. 6. in decal. cap. 16. num. 70.

41 Quæres 19. Quis poterit abſoluere ab excommunicatione, quã incurrit monialis clauſura egreſſa, ſeu perſona illicitè ipſarum Monaſteria ingrediens, vel fœmina ingrediens virorum Monaſteria, & dictas perſonas admittentes contra has enim omnes perſonas adſunt excommunicationes Trid. Pij V. & Gregorij XIII. vt patet hic ſupra, num. 3. & 4.

℞. Circa ingredientes Monaſteria virorum iam dixi ſup. in cõſt. 6. Iulij II. à n. 21. Circa monialem egreſſam ait Sanch. 6. in decal. cap. 15. num. 76. Si delictum eſt occultum, poſſe Epiſcopum, per Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6. poſſe etiam confeſſores regulares, per priuilegium Pauli III. quo poſſunt abſoluere ab omnibus caſibus Pontifici reſeruatis, exceptis contentis in bulla Cenæ. Quod idem Paulus nobis etiam conceſſit in quibuſdam anni feſtiuitatibus, vt patet ex eius conſtit. 2. §. 5. Et dixi in append. tom. 1. Religioſi, etiam poſt decretum ſacræ Congreg. ſub Clem. VIII. de caſibus reſeru. de quo ibi ex profeſſo. Circa inhabilitatem dixi ſupra in conſtitut. cit. Iulij II. à num. 23. At verò circa ingreſſum virorum intra dicta Monaſteria monialium ad malum finem, eſt ſpecialis difficultas. Nam confeſſores regulares etiamſi poſſint abſoluere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ab hoc tamen non poſſunt abſoluere, quia ſpecialiter reſeruatur in dicto 2. decreto Congreg. quod incipit, Cũ autem. Et refert Quarant. in ſum. verbo Caſus reſeruati, pag. 200. Et habes in noſtro Religioſo loco cit. pag. 682. Puto tamen, quòd poſſint Epiſcopi vigore dicti cap. 6. Concilij Trid. quia in dicto decreto eis non adimitur facultas. Quicquid dicat Graff. lib. 1. de caſibus reſeru. cap. 5. num. 17.

42 Sed dices. Poteritne Prælatus regularis abſoluere ſuum ſubditum, qui monialium clauſuram ad malum finem violauit?

Certè iſte caſus propter atrocitatem mihi ſemper viſus eſt difficilis, & neminem diſcutientem vidi. Cum

tamen

tamen ſupra dixerimus in conſtit.4.Sixti IV.à num.6. poſſe Prælatos regulares abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis in bulla Cœnæ, præter aliquos ; Dicendum etiam eſt ab hoc abſoluere poſſe. Neq; obſtant dictum decretum Congreg.neq; bulla Clem.VIII.Quæcumq; quam refert Cherub.tom.3.bull.in Clem.conſtit. eius 115. pag. 164. Nam loquuntur clarè de poteſtate Regularium in ordine ad ſeculares,cum alioquin certum ſit, poſſe dictos Prælatos regulares abſoluere ſuos ſubditos, ab omnibus caſibus, quos ſibi reſeruant Epiſcopi, à quibus tamen illis locis prohibentur Regulares abſoluere.Et quod quinque caſus reſeruati à Clem. VIII. non afficiant regulares,dicit Naldus in ſum.verb.Reſeruatio. verſic.Et præter.& verſu ſequenti ait, ita fuiſſe declaratum à Congreg.Regul.& ab hoc caſu ſi ſit occultus poſſe Epiſcopum abſoluere vigore Trid.ſeſſ.24.ca. 6.de refor.tenet Homob tom.1. exam. tract. 7. cap. 26. quæſt.110.verſu quinimo. Si autem dictæ cenſuræ ſint deductæ ad forum contentioſum, quis poterit ab eis abſoluere, vide quæ dico ſupra.in conſt. 6. Iulij II. num.21.

CONSTITVTIO VII.

Numerat quadraginta grauamina illata Mendicantibus ab Epiſcopis, & Parochis, à quibus eos liberat, multa loca Concilij Trid. declarando; poſtremò confirmat omnia Mendicantium priuilegia.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Motiua. *ETſi Mendicantium Ordines, qui ſedulum in vinea Domini quotidie exhibere non ceſſant famulatum, ſummo ſemper ſtudio, etiam dum in minoribus eſſemus, amplexi ſumus, ad ſummi tamen Apoſtolatus apicem, meritis licèt imparibus, diuina fauente clementia aſſumpti, dum id mente recolimus, facere non poſſumus, quin eo propenſiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudijs, honeſtiſq; laboribus, proq; ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cuius continuè pacem, & dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt, tam ſpiritualia, quam temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperint, & accipiant, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem faciliùs, atque expeditiùs exequi, & tranſigere poſſint, & cæteræ religioſæ perſonæ, Ordineſq; alij exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſq; ad ſua officia perſoluenda reddantur.*

Ponit 40. grauamina Mendicantib. illata. §. 1. *Hinc eſt, quòd nos attendentes, pleroſq; ex venerab. fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui eoſdem Ordines præcipuè tamquam fructiferos in agro Domini palmites & colere, & adiuuare deberent, non ſolùm id exequi negligere, verumetiam, Concilij Trident. decretis in prauum ſenſum retortis, eos, & eorum quemlibet varijs afficere incommodis, & perturbationibus, eorumque priuilegijs non modi-*
eum afferre grauamen conantur. Quidam enim Epi-
ſcopi, vt accepimus, nolunt admittere quoſdam Regula- Primum grauamen
res ad prædicationem etiam in ſuis Eccleſijs facien- Vide §. 3.
dam, quamuis de eorum habilitate ad huiuſmodi opus
exercendum habeant bonum teſtimonium à ſuis Su- 2. Vide § 4.
perioribus. Alij verò volunt, vt nedum ſemel, ſed etiam
pluries in anno coram ipſis, vel eorum Vicarijs præ-
dicatores præſententur, ac pro licentia prædicandi,
quam non niſi in ſcriptis dare volunt, aliquid quan- 3. Vide §. 4.
doq; exigunt. Alij etiam Epiſcopi maximam Regulari-
bus iniuriam irrogare videntur, dum præter ordinem,
& veterem conſuetudinem, abſq; vlla ratione quoſ-
dam reijciunt, & quoſdam pro eorum libito admittunt
ad prædicationem huiuſmodi habendam in locis ſuæ
Diœceſis. Quorumdam etiam locorum Ordinarij quoſ- 4. Vide § 4.
dam Religioſos probos viros, & idoneos, etiam à ſuis
Superioribus approbatos, ad confeſſiones audiendas ad-
mittere nullo modo volunt. Quidam ex eis volunt, 5. Vide §. 4.
non ſolùm ſingulis annis, ſed etiam pluriès in anno in
aliquibus partibus eoſdem confeſſores ſibi præſentari.
In aliquibus verò Oppidis, tam Epiſcopi, ſeu eorum 6. Vide §. 3.
Vicarij, quàm presbyteri Curati nolunt, vt fratres
Mendicantes vocati ad audiendas confeſſiones infir-
morum, maximè ſi infirmitas eſt grauis, aut etiam ſa-
norum in priuatis illorum domibus, vel alibi, præter-
quam in ſuis Eccleſijs, aut Monaſterijs, poſſint accede- 7. Vide §. 5.
re. Nonnulli etiam audent confeſſores monialium,
qui pleno iure ſubſunt Regularibus, examinare, cum
tamen id minimè per Concilium decernatur; ſicut &
de fratribus, qui ſunt audituri confeſſiones aliorum
fratrum. Quidam etiam in aliquibus partibus nitun- 8. Vide §. 6.
tur aſſerere, ſeu facere, ne quiſquam infra annum
poſſit ſacram Euchariſtiam in Eccleſijs Mendicantium
recipere, neque etiam moniales Tertiarias nuncupatas
ſuorum Ordinum, vt aliqui aſſerunt, in aliquibus par-
tibus fieri, cum tamen ſolùm in Paſchate quò ad ſecu-
lares dumtaxat, iuxta priuilegia ſummorum Pontifi-
cum prædeceſſorum noſtrorum eiſdem Ordinibus con-
ceſſa, id obſeruari debeat. Alij verò Epiſcopi, ſeu eorum 9. Vide §. 7.
Vicarij audent ad eorum libitum dare licentiam qui-
buſcumque quæcumque Monaſteria monialium, etiam
S.Claræ ingrediendi, etiamſi Regularium curæ ſubdita
ſint. Quidam verò ſub prætextu exquirendi voluntates 10. Vide §.
puellarum, ante profeſſionem earum volunt eas extra- 8.
here à Monaſterijs, & per longum tempus alibi deti-
nere, ipſaſque puellas, ſeu nouitias de pleriſque rebus in-
terrogant, neq; neceſſarijs, neque in decreto Concilij
Trid. deſuper contentis, ex quibus non modica poteſt
oriri occaſio ſcandali. Alij verò pleriq; noluerunt quoſ- 11. Vide §.
dam Regulares aliarum Diœceſum ſacris ordinibus 9.
initiare, ac etiam à ſui Ordinis Prælatis approbatos
admittere nolunt. Aliqui verò ſingulis Dominicis die- 12. Vide §.
bus in ſuos parochianos ad ſonum campanæ excom- 10.
municationem promulgant, vt non poſſint intereſſe
miſſis, concionibus, & diuinis officijs, niſi in propria 13. Vide §.
Parochia. Alij verò in aliquibus partibus in eorum 10.
Eccleſijs conciones ſacræ ſcripturæ, & ſermones pro
mortuis haberi nolunt; Et ſi aliquid ipſis relictum fue-
rit, vt ab ipſis miſſæ dicantur, vel alia officia pro mor-
tuis celebrentur, ipſi ſibi ea vſurpant, dicentes, quòd
ipſi ea exequi non poſſunt, quia ipſi ſunt paſtores. Alij
verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & exilij XIV. Vide §.
10.

per de-

Digitized by Google

per decennium à Diœceſi pœna inhibuerunt, ne miſſæ in
eorum Eccleſiis celebrentur in diebus feſtiuis, ante-
15. Vide §. 10. *quam Rector parochialis Eccleſiæ celebrauerit. Alij*
etiam volunt, vt dum prædicatio in Eccleſia cathedra-
16. Vide § 11. *li habetur, alibi prædicetur. Ac inſuper in quibuſ-*
dam omnem ordinem, & quietem perturbant, dum
controuerſias iamdiu ſopitas, & extinctas ſuper præ-
cedentia excitarunt, & vbi nullæ erant, pepererunt,
dum pro arbitrio, & voluntate eorum hos illis præfer-
17. Vide §. 12. *re voluerunt. Quidam etiam Epiſcopi volunt, Regula-*
res à cura animarum excludi, & illam ſolis presbyte-
ris ſecularibus committi. Quidam verò quartam fune-
18. Vide §. 13. *ralium extendere volunt etiam ad miſſas, legata, &*
alia quæcumque quæ domibus Regularium relinquun-
19. Vide §. 14. *tur. Alij autem volunt quartam partem omnium eo-*
rum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum,
planetarum, cortinarum, pannorum, & eorum etiam,
20. Vide §. 15. *quæ pro victu fratrum relinquuntur. Aliqui etiam in*
quibuſdam partibus volunt, vt non ſolùm ius ſepulturæ
ſolui conſuetum, quod ſemper ſoluitur, neque denega-
tur, ſed etiam omne illud, quod Eccleſiis Ordinum ad
eorum libitum partes dant, quando ſepeliuntur ibidem
defunctorum corpora, id totum Curatis etiam de nouo
ſoluatur, inſtanter conantur, impedientes, ne aliter cor-
pora defunctorum ad Monaſteria fratrum deferantur;
vnde in hoc maximè tam partes, quàm ipſos fratres
21. Vide §. 16. *grauari contingit. Aliqui verò etiam ex locis Mendi-*
cantium, qui curam habent animarum, volunt pro ſemi-
nario decimas exigere, ac in caſu renitentiæ etiam pi-
22. Vide §. 16. *gnus exigunt. Alij autem præfatos fratres, ac moniales*
ſub eorum cura degentes ſubſidium regium perſoluere
cogunt, cum multæ earumdem monialium vix habeant
23. Vide §. 17. *pro earum victu, & veſtitu neceſſaria vitæ. Alij etiam*
in quibuſdam partibus pauperes Mendicantes eleemo-
ſynas petere prohibent pro eorum dumtaxat ſuſtenta-
tione, &, ſi inuenerint, eos panem, vel aliquid aliud ſi-
mile amore Dei ſibi collatum portantes, quandoque ab
eis auferre minantur, afficientes graui iniuria, & con-
24. Vide §. 16. *tumelia. Nonnulli verò Epiſcopi, vel Capitula Canoni-*
corum pauperes Mendicantes, tam fratres, quàm mo-
niales ſuorum Ordinum, tam de redditibus bonorum, ſi
quæ habent, quàm de poſſeſſionibus, vineis, agris, &
alijs ſuis bonis quibuſcumque non ſolùm largitione fide-
lium ſibi conceſſis, ſed etiam aliàs iuſtis de cauſis ab eis
acquiſitis, ac pecunijs emptis, ſibi decimas, ac primitias
25. Vide §. 18. *alijs reſpectiuè ſoluere cogunt. Alij autem auſi ſunt*
inquirere, & proceſſus facere contra aliquos Regula-
res intra clauſtra delinquentes, vel de quorum deli-
ctis aliqua erat ſuſpicio, non expectata ſuorum Superio-
26. Vide §. 7. *rum cenſura. Alij verò Epiſcopi monialium Monaſte-*
ria ingredi, & illa ingrediendi licentias alijs conce-
dere, & aduersùs illas proceſſus formare, ipſorum Or-
dinum Superioribus irrequiſitis, præſumunt. Ali-
27. Vide §. 7. *qui etiam dominium temporale ſuper moniales habe-*
28. Vide §. 7. *re prætendunt. Nonnulli verò frequentiſſimè Regula-*
res citant, & iuriſdictioni ſuæ ſubijcere tentant, ac eo-
rum Conuentus occupant, ipſos expellendo, ac in ipſos
29. Vide § 19. *iuriſdictionem, vel poteſtatem exercent. Aliqui ve-*
rò ipſos carceribus abſque cauſæ cognitione manci-
pant, ac manibus, pedibuſque laborant, vt Regula-
res Mendicantes ſuæ ditioni ſubijciant, & vſque ad eo
ſe intromiſerunt in gubernatione Conuentuum, & in
correctionibus fratrum, vt Prouincialibus, & Genera-
libus nullus ampliùs videatur relictus locus, aut vlla
iuriſdictio. Aliqui autem Conuentuum Priores, & 30. Vide §. 19.
Guardianos rationes, & computa facere cum Syndicis
Conuentuum huiuſmodi prohibent. Fratres quoque, qui 31. Vide §. 20.
ad Epiſcopos huiuſmodi recurſum habent, à Prioribus,
& Guardianis præfatis caſtigari, & puniri interdicunt. 32. Vide §. 20.
Inhibent quoque Superioribus Ordinum, ne faciant
proceſſus contra fratres, ac in ipſos imperium, & bra-
chium ſeculare exercent. Alij verò ipſas extra clauſtra 33. Vide §. 21.
degentes ſub eorum protectione recipiunt, eoſq; ſic per-
manere permittunt, eoſque etiam, inuitis ſuis Superiori-
bus, detinent. Aliqui verò bonorum ipſorum fratrum, 34. Vide §. 22.
tamquam ad eos, ſi extra clauſtra defuncti fuerint, ſpe-
ctantium, poſſeſſionem occupare præſumunt, & ad ha-
bitum Religionis reuerſis ſua bona conſignare nolunt.
Ac etiam vniones à Sede prædicta, aut aliàs ritè fa- 35. Vide §. 23.
ctas de beneficijs eccleſiaſticis impediunt, & ſibi rela-
xari debere volunt, & contradictores excommunica-
tionis gladio feriunt. Alij verò, Regulares campanas 36. Vide §. 24.
diebus feſtiuis pulſare, vel eodem tempore, quo ipſi ce-
lebrant, miſſas celebrare nolunt. Aliqui etiam pro li- 37. Vide §. 25.
centia danda ædificandi quamdam domum regularem,
triginta, vel quadraginta ducatos exigere non erubue-
runt. Alij verò eos mortuorum corpora aſſociare; alij 38. Vide §. 15. & 26.
autem illos cum Parocho ſimilia munera ſubire non
permittunt, niſi maior Canonicorum pars interuenerit.
Alij verò mortuorum officia in Regularium Eccleſijs 39. Vide §. 27.
peragi nolunt, niſi cum ipſorum præſentia, & ipſorum
moniales, vel alias perſonas, etiamſi in earum funere
Parochus interuenire non deberet, ſepelire prohibent,
niſi ipſi Parocho priùs certum quid ſolutum fuerit, &
ſi aliquem ipſi ſciuerint in Regularium Eccleſijs ſepul-
turam elegiſſe, eum, vt dicitur, non ante ad illas defer-
re ſinunt, quàm ad Parochi Eccleſiam delatum, ini- 40. Vide 28.
bique officium peractum fuerit. Poſtremò verò teſta-
menta ſine presbyterorum præſentia fieri prohibent, &
ſi quid ipſis Regularibus relictum fuerit, id, aſſerentes
contra Concilij Trid. Canones eſſe, reuocare omnino
procurant.

§. 2. *Ac propterea volentes præmiſſis, ac alijs ſimi-* Declarare Concilia ad Papam ſpectat.
libus exceſſibus, & grauaminibus ex noſtri paſtoralis
officij debito prouidere, attendẽtes etiam, illos, qui onus
diei, & æſtus tam in prædicationibus, quàm in cæteris
ſpiritualibus muneribus quotidie ſuſtinent, niſi etiam
aliquantiſper ſubleuentur, facile fore, vt oppreſſi, à ſuis
officijs omnino deſiſtant, ne in poſterum eis aliquod in-
feratur grauamen, Concilij Trid. huiuſmodi decreta,
quorum falſa, ſeu minùs vera intelligentia præmiſſa ir-
repſerunt, quorumq; declaratio non niſi ad nos ſpectat,
modo, & forma infraſcriptis declaranda cenſuimus.

§. 3. *Nos igitur motu proprio, non ad alicuius in-* Mendicantes poſſunt in ſuis Eccleſiis ad ſuum libi ſi prædicare.
ſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcien-
tia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine de-
claramus, Canonem ſeſſ. 24. c. 4. per quẽ omnibus Regu-
laribus etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, contradi-
cente Epiſcopo, prædicationis officium interdicitur,
Mendicantium Ordinum fratres huiuſmodi, quando a
ſuis Generalibus, vel eorum Miniſtris prouincialibus
ad id deputati fuerint, non comprehendere, neq; eos af-
ficere poſſe; immo volumus, quòd in ſuis Eccleſijs, quã-
do eis placuerit, licitè, & abſq; vllo impedimento, vel

contradictione, etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicauerit, prædicare poſſint.

Mendicantes poſſunt vbique confeſſiones audire.

§. 4. *Quod verò in ſeſſ.23.c.15.circa confeſſiones à Regularibus non audiendas ſtatuitur, hoc etiam dictorum Ordinum fratres à præfatis ſuis Generalibus, vel Miniſtris prouincialibus ad audiendas cõfeſſiones vtriuſque ſexus Chriſti fidelium approbatos, vt præmittitur, minimè comprehendat, ita vt à confeſſionibus audiendis, tam intra eorum Eccleſias, domos, quàm extra minimè prohibeantur, ſuper hoc literas fel.recor. Pauli Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri, concedentes eiſdem fratribus Mendicantibus regularis obſeruantiæ poſſe confeſſiones ſecularium perſonarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & Monaſteria ſua, & vbilibet audire, approbando, & de nouo concedendo. Statuimus etiam, quòd ille, qui ſemel in vna Diœceſi admiſſus per Epiſcopum fuerit, ſemper in eadem Diœceſi habeatur pro admiſſo, nec ampliùs examinari, vel præſentari in dicta Diœceſi debeat, tam quò ad prædicationes faciendas, quàm quò ad confeſſiones audiendas; Nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat.*

Cõfeſſores fratrum, & monialiũ, neque etiã Lectores examinentur ab Epiſcopis Quò ad confeſſores monialium vacat per conſtit. 2. Greg. XV. §. 4. infra, & etiã quò ad Lectores, hic infra, nu. 8.

§. 5. *Confeſſores verò monialium, quæ degunt ſub cura Regularium, ab Ordinario examinari nolumus; quemadmodum neque etiam fratres, ſi debeant audire confeſſiones aliorum fratrum, examinari debent. Lectores inſuper ex eiſdem fratribus, & in theologia graduati, qui cum licentia ſuorum Superiorum ad gradum admiſſi fuerint, cum de ipſorum doctrina ambigendum non ſit, tam confeſſiones audituri, quàm prædicationis munus ſubituri, ab Epiſcopis minimè examinentur.*

Euchariſtię ſacramentum miniſtrare poſſunt, & in feſtis ſuorũ Ordinũ interdicta ſuſpendũtur. Quò ad Euch. vide conſt. 1. Iul. II. § 37. nu. 85. Quò ad interdicta, vide cõſtit. 2. Sixti IV. à nu. 50.

§. 6. *Ipſique Chriſti fideles ſacramentum Euchariſtiæ, Reſurrectionis Dominicæ feſtiuitate dumtaxat excepta, ſumere, eiſque illud per fratres huiuſmodi adminiſtrari valeat, nec ad illud faciendum per locorum Ordinarios, aut eccleſiarum Rectores pręfatos, ſeu alios quoſcumque (illorum licentia minimè requiſita) etiam ſub cenſuris eccleſiaſticis, & alijs pœnis cogi, vel compelli poſſint, ſeu debeant, etiam decernimus, & declaramus. Et licèt in ſeſſ.25.cap.12.caueatur, quòd cenſuræ, & interdicta Eccleſiaſtica, etiam à locorum Ordinarijs promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſijs publicari debeant, tamen ſi tempore celebrationis alicuius ex feſtis Sanctorum Ordinum eorumdem, ac alijs feſtiuitatibus iuxta eorumdem Ordinum priuilegia Apoſtolica, interdictum huiuſmodi emanauerit, illud in præfatis feſtiuitatibus, & earum octauis ſuſpendimus.*

In moniales Superioribus regularibus ſubiectas Epiſcopi nullatenus ſe impediant.

§. 7. *Cumq; inhoneſtum ſit, quemlibet in aliena meſſem falcem inijcere: cumq; monialium Monaſteria non niſi de Epiſcopi, vel Superioris licentia, & in caſibus neceſſarijs aliquis ingredi præſumat, in ſeſſ.25.c.5.prohibetur; hoc tantùm in illis Monaſterijs locum habere volumus, quę Ordinarijs ipſis pleno iure ſubſunt, in quibus in caſibus neceſſarijs ipſi dare licentiam poſſint, & non in alijs Monaſterijs: Ita vt in præfatis Monaſterijs, quæ Ordinarijs ipſis pleno iure non ſubſunt, ipſi Ordinarij illa ingredi non poſſint, prout in Regulis earum, ſeu de iure ſtatuitur, & eis aliquos proceſſus aduersùs moniales ipſas, ſeu fratres huiuſmodi propterea, ſeu aliàs, ipſorũ Ordinum Superioribus irrequiſitis, quoquomodo formare, aut facere poſſit omnino prohibemus, ita vt aliquam iuriſdictionem, ſeu aliquod quodcumq; dominium in moniales, & fratres huiuſmodi reſpectiuè habere, exercere, aut exequi nullatenus poſſint, aut debeant, immo illas, & illos omnes ab eorũ ſuperioritate, dominio, & iuriſdictione, & poteſtate eximimus, & liberamus, prout eis conceſſum eſt per ſua priuilegia à Sede præfata obtenta. Et ita pręfatę moniales, ac fratres ſint excluſi à ſuperioritate, & iuriſdictione Ordinariorum reſpectiuè huiuſmodi, vt etiam in illarũ, vel illorum Syndicis, aut Procuratoribus deputãdis, vel in diſponendis illorum facultatibus, vel ad alia ſibi non competentia facienda vllatenus non ſe intromittant. Nec etiam Ordinarij ipſos Regulares præfatos citare, & iuriſdictioni ſuę ſubijcere, ac eorum Conuentus occupare, ipſos ab eis expellendo, ac in ipſos iuriſdictionem aliquam, & poteſtatem exercere, vt præmittitur, aut ipſos carceribus mancipare, & contra eos aliud facere poſsint, vt ſuæ ditioni ſubijciantur.*

Examen puellarum Deo dicandarum quo modo, & quando ab Epiſcopis fieri debeat.

§. 8. *Volumus etiam quòd puellarum Deo dicandarum, an ſcilicet coactæ, vel ſeductæ fuerint, examen faciendum, non niſi infra quindecim dies, poſtquam iuxta Concilium Trid. Epiſcopi, vel eorum Vicarij requiſiti fuerint, fieri poſſit. Quibus elapſis, ampliùs in hoc illis ſe intromittere non liceat. Cuius occaſione nec Epiſcopus, nec eius Vicarius intra ſepta Monaſteriorum ingrediantur, ſed ſtent ante cratem ferream. Et interrogationes alias, quàm eas, quas præfatum Concilium Trid. iubet, eis fieri omnino prohibemus. Ac ſimiliter volumus, quòd puellæ, ſeu nouitiæ ipſæ ad alias interrogationes reſpondere minimè teneantur.*

Mendicantes à quocũque Epiſcopo ordines poſſunt ſumere. Vide ſup. in cõſt. 2. Sixti IV. à nu. 33.

§. 9. *Seſſione verò 23.cap.8. Neminem, niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus. Ita quòd fratres huiuſmodi præfatos etiam ſacros ordines à quolibet Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè requiſita licentia, in locis, ſeu domibus fratrum huiuſmodi, aut alibi recipere poſsint.*

Poſſunt ſẽper, & vbiq; miſſas celebrare, etiã antequam Parochus celebrauerit.

§. 10. *Et inſuper ſeſſ.22. decretum, per quod populum ſæpe ad ſuas Eccleſias, ſaltem Dominicis, & maioribus feſtiuis diebus conuenire debere monet, inſequendo, volumus, quod fratribus Mendicãtibus huiuſmodi nõ ſolũ prohiberi non poſsit, ne miſſas, & alia diuina officia faciant in eorum Eccleſijs, verumetiam in quibuſcumq; alijs, vbi celebrari miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis, ſeu ad id requiſitis, celebrare valeant; Ac etiã quòd conciones, & lectiones ſacrę Scripturę, & ſermones pro mortuis etiã in Eccleſijs facere, ac eleemoſynas pro celebrandis huiuſmodi miſsis, & alijs diuinis officijs peragẽdis, ſi eis illas donari, ſeu relinqui contingat, recipere. Necnon miſſas, & diuina officia huiuſmodi etiam in diebus Dominicis, vel feſtiuis, etiam antequã Rector parochialis Eccleſiæ celebrauerit, celebrare, & facere, & quando eis videtur, etiamſi tunc in Eccleſia cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam quicumque vtriuſq; ſexus Chriſti fideles totius anni tempore illas, & illa in Eccleſijs fratrum huiuſmodi audire poſsint; Ipſique Chriſti fideles vllatenus deſuper moleſtari, aut impediri per locorum Ordinarios, ſeu Rectores parochialium Eccleſiarum, aut alios quoſcumque vllo pacto, cauſa, vel occaſione non valeant, ſeu debeant, ſed præfati Chriſti fideles audiendo miſſas, & alia*

divina

Digitized by Google

diuina officia in Eccleſiis fratrum huiuſmodi diebus Dominicis, aut feſtiuis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatiſfeciſſe cenſeantur.

Controuerſiæ de præcedentia ab Epiſcopis quomodò dirimendę. Vide ſup. in conſtit. 2. Sixti IV. num. 58. & hic infra, §. 19.

§. 11. *Controuerſias autem omnes de præcedentia, quæ eadem ſeſſ. 25. cap. verò 13. per Epiſcopum terminari mandantur, non niſi durantes per illum dirimi, finitas autem nullo pacto innouari poſſe ſtatuimus.*

Regulares poſſunt admitti ad curam animarum ſecularium non ſuis Conuentibus annexam. Vide ſup. in cōſt. 2. Sixti IV. à num. 23.

§. 12. *Cumque licèt cap. 11. ſeſſ. 25. ſtatuat, quod in domibus virorum, ſeu mulierum, quibus animarum perſonarum ſecularium cura imminet nulli etiam ad nutum amouibiles inibi deputentur, niſi de Ordinarij conſenſu, ac præuio examine huiuſmodi præcedente, ad curam huiuſmodi admitti poſſe omnino volumus præfatos Regulares.*

Quarta funeralium quomodo ſoluenda.

§. 13. *Quartam autem funeralium, de qua ſeſſ. 25. c. 13. nequaquam ſoluere teneantur Monaſteria, quæ a quadraginta annis citra fundata exiſtunt, poſtquam Concilium ipſum loquitur tantùm de Monaſterijs ante annos quadraginta fundatis, quæ ipſam quartam ſoluere conſueuerunt; & vbi ſolui conſueuit, id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad ſepulturam deferuntur, non autem de miſſis, ſeu legatis, vel alijs, fratribus ipſis, ſeu monialibus huiuſmodi relictis, aut aliàs quomodolibet donatis, ſolui debet; ſicque intelligi Concilij decretum quò ad quartam huiuſmodi ſoluendam debere decernimus. Vbi verò non eſt conſuetudo ſoluendi quartam huiuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolui debere declaramus.*

Nec etiam tenētur ad quartā relictorum. Vide in conſt. Pyrrhi, nu. 54.

§. 14. *Nec ad quartam, ſeu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Eccleſiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & aliorum, quæ dictis Eccleſiis relinqui, vel dari contigerit, etiamſi pro victu fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur.*

Non poſſūt impediri quo minus corpora defunctorum ad ſuas Eccleſias tumulāda deferant.

§. 15. *Ac etiam ius ſepulturæ ſolui tantùm conſuetum Curatis, & non aliquid aliud eis ſolui debeat, quamuis partes ad earum libitum Eccleſiis Ordinum huiuſmodi, ſeu eorum fratribus alia quæcumq; tribuant ſeu eleemoſynas elargiantur, quando ſepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiuſmodi. Nec propterea impediri debeant, quin poſſint defunctorum corpora præfata ad eorum Eccleſias tumulanda deferri facere.*

Non tenentur ad contributionē pro ſeminario, aut decimarū. &c.

§. 16. *Inhoneſtum quoque eſſe cenſentes, Mendicātium Ordines ad aliquorum onerum cōtributionem teneri, illos, illorumq; loca, etiamſi curam animarum habeant, ac quæcumq; beneficia illis vnita ad contributionem pro ſeminario, aut decimarum aliquarum ſolutionem, immo illos, & eorum domos, Monaſteria, beneficia, & loca quæcumque, & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque poſſeſſiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque tam ad ipſos, quam ad moniales præfatas, etiam largitione fidelium, ſeu aliàs iuſtis de cauſis ab eis acquiſita, ac pecunijs empta, vel aliàs quomodolibet pertinentia minimè teneri, illoſque & illas à quibuſcumq. decimis, primitijs, quartis, medijs, & alijs fructuum partibus, necnon ſubſidijs charitatiuis, etiam per nos conceſſis, ad quorumcumq. etiam Regum, Principum, & Dominorū temporalium inſtantiam, quacumque etiam vrgentiſſima, & de neceſſitate exprimenda cauſa, ac etiam alijs quibuſcumque oneribus, tam ordinarijs, quam extraordinarijs, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum, beneficiorum, & aliarum quarumcumque rerum, tam pro victu, quàm veſtitu, aut aliàs ſibi neceſſariarum quomodolibet, etiam auctoritate Apoſtolica nunc, & pro tempore impoſitis, ita vt penitus, & omnino ad alicuius rei contributionem minimè teneātur, omnino eximimus, & liberamus, illoſque & illas, ad illos, & illa, etiamſi ſeculares, & aliæ perſonæ quæcumque in eas exigendi poſſeſſione fuerint, minimè teneri debere volumus. Nec ſub cap. 12. ſeſſ. 25. comprehendi poſſe, vel debere decernimus.*

Mendicantes poſſunt eleemoſynas quærere.

§. 17. *Quod verò de vſu quæſtorum eleemoſynarū auferendo loquitur ſeſſ. 21. c. 8. id ad Mendicantiū Ordines nullo modo referri poſſe, vel debere, etiam decernimus: quin potiùs, cum eleemoſynis huiuſmodi viuere cogātur, eis id facere liberum omnino eſſe declaramus.*

Epiſcopi quomodo Regulares notoriè delinquentes punire poſſint. Vide ſup. in conſtit. 2. Sixti IV. à num. 61.

§. 18. *Quoniam vero ex nimia Epiſcoporum ſibi irrogata auctoritate, ipſi perſonas Regulares ſuæ iuriſdictioni ſubijcere omnino ſtudent, ac decreto Concilij præfati ſeſſ. 25. c. 14. edito, quo cauetur, quòd ſi Regularis intra clauſtra exiſtens, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandaloſus ſit, termino ab Epiſcopo præfigendo, à ſuo Superiore omnino puniatur; ſin minùs, ab Ordinario delinquēs puniri poſſit, confiſi, varijs, indebitiſq. grauaminibus Regulares afficiunt; Ordinarios præfatos aliquid, contra Regulares in clauſtris degētes huiuſmodi, quouis prætextu, occaſione, vel cauſa innouare non poſſe, vel debere, nec aliquos proceſſus contra ipſas perſonas regulares formare, aut facere poſſe volumus, niſi propter manifeſtum ſcandalum, & ſuorum Ordinū Superioribus priùs conſultis, & negligentibus, alioquin omnia, & ſingula contra præmiſſa facta, & geſta, ac facienda in futurum pro nullis, & infectis habeantur.*

Epiſcopi non ſe intromittant in gubernatione Regularium.

§. 19. *Neque etiam ſe intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum, tam fratrum, quàm monialium huiuſmodi, & illorum correctionibus; ſed omnia iſta, & alia neceſſaria ad correctionem, & gubernationem fratrum, aut monialium huiuſmodi, eorum Generalibus, ac Miniſtris, ſeu Prouincialibus, vel alijs eorum, aut earum reſpectiuè Superioribus, etiam ratione computa faciendi cum Syndicis Conuentuum huiuſmodi omnino relinquatur, nec vllo modo in prædictis per ſe, vel alios ſe intromittant.*

Fratres recurrētes ad Epiſcopos à ſuis Superioribus puniantur.

§. 20. *Fratres quoq; ſi contigerit eos ad huiuſmodi Ordinarios recurſū habere, à præfatis Generalibus, Miniſtris, ſeu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & alijs Superioribus caſtigari, & puniri poſſe, & debere, neq; ipſos Ordinarios præfatis Superioribus Ordinū huiuſmodi vllatenus inhibere; Quin immo præfatos Superiores proceſſus contra fratres ſuos, & moniales huiuſmodi, quādo opus fuerit, circa delictorū, inquiſitionem, vel caſtigationem facere poſſe decernimus, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Epiſcopi fratres extra clauſtra degentes ſub protectione non recipiant.

§. 21. *Inhibemus etiam ipſis Ordinarijs, ne fratres extra clauſtra degentes ſub eorum protectione recipiant, eoſque inuitis ſuis Superioribus, detineant.*

Bona fratrū decedentiū extra clauſtra etiam ſine habitu ad Ordinē, quem profeſſi ſunt, pertinent.

§. 22. *Prohibemus quoq; eiſdem Ordinarijs, ne aliquomodo ſe intromittant in bonis dictorum fratrum extra clauſtra ſuorum Monaſteriorum pro tempore degentium, ſiue decedentium, & quamuis in habitu, ſiue abſque habitu moriantur, volumus, quòd eorum bona mobilia, & immobilia, ad Ordinem, quem profeſſi ſunt, per-*

Digitized by Google

pertineant, diſponenda iuxta conſtitutiones, ſeu ordinationes præfatorum Ordinum, neque illa Ordinarij præfati occupare præſumant, immo huiuſmodi, & ad habitum Religionis reuertentium bona omnia Monaſterijs ipſis, cum ea, quæ acquirit Monachus, de iure Monaſterio acquirantur, pertinere etiam decernimus,

Epiſcopi vniones nõ impediant, & poſſunt Regulares curam animarũ ſuis Eccleſiis annexam per ſe ipſos, vel Capellanos ad ſuum nutum amouibiles exercere.

§. 23. *Ac ipſis Ordinarijs, ne quaſcumque vniones, etiam perpetuas, à Sede prædicta, vel aliàs, vt præfertur, hactenus factas, & pro tempore faciendas de beneficijs eccleſiaſticis, ſeu illorum fructibus, quin ſuum ſortiãtur effectum impediant, omnino etiam prohibemus, & cenſuras eccleſiaſticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore lata, nullius eſſe roboris, vel momenti ſimiliter decernimus, & declaramus. Inſuper volumus, quòd præfati Regulares, quibus cura animarum eſt, poſſint per ſe ipſos iuxta ſuorum Superiorum ordinationem, aut alios Vicarios, ſeu Capellanos ſeculares, ipſorum Regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos, præfatam curam exercere, neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum conſignatione pro præfatis Capellanis, ſeu Vicarijs ſecularibus, ſi per tales curam exerceri contigerit, Epiſcopi vllo pacto ſe intromittant.*

Ordinarij nõ poſſunt impedire fratres quocumque tẽpore pulſare campanas, & miſſas celebrare, &c. Quò ad campanas vide ſup. in conſtit. 26. Leõ. X §. 15. nu. 32.

§. 24. *Prohibemus inſuper eiſdem Ordinarijs, ac alijs quibuſcumque perſonis, ne impediant ipſos fratres quando eis placuerit, tam in diebus Dominicis, ſeu feſtiuis, aut alijs totius anni temporibus campanas pulſare, & etiam tempore, quo ipſi celebrauerint, miſſas celebrare, necnon mortuorum corpora aſſociare, & illa per fratres ipſos, quando in Eccleſiis ſuis præfatis delata fuerint, abſque præſentia Rectorum Eccleſiarum huiuſmodi ſepeliri facere, ac officia mortuorum huiuſmodi peragi poſſe, neceſſariamque præſentiam Rectorum, aut aliorum Clericorum, quin infirmi liberè ſua poſſint condere teſtamenta, minimè eſſe, ac ipſos Regulares legata, aut quæuis alia ſibi in teſtamentis relicta exigere, & obtinere poſſe, neque aliquod ius in contrarium eſſe decernimus, & declaramus.*

Licentiam conſtruendi Conuentus gratis dare debẽt Epiſcopi, quam ſine legitima cauſa negare non poſſunt.

§. 25. *Licentias verò pro conſtruendis domibus regularibus, quæ 3. cap. ſeſſ. 25. niſi de Ordinarij licentia conſtrui prohibentur, gratis omnino dari, & non niſi legitima ſubſiſtente cauſa, Superioribus explicanda, illas recuſari poſſe.*

Fratres poſſunt etiam ſoli corpora aſſociare, & mandatum in die Cœnæ facere.

§. 26. *Necnon fratres præfatos etiam ſolos mortuorum corpora aſſociare, ac mandatum in die Cœnæ Domini fieri ſolitum, in Eccleſiis, ſeu domibus fratrum cuiuslibet Ordinis prædictorum ſolenniter facere, & prędicta die prædicare hora, qua eis videbitur, nec per locorum Ordinarios, aut Rectores Eccleſiarum, ſeu alios quoſcumque prohiberi poſſe etiam decernimus, & declaramus.*

Vide hic infr. §. 15. n. 15. & ſup. in cõſtitut. 10. Leõ. X. §. 2. num. 1.

Officia defunctorum in Eccleſiis fratrum Parochi facere non poſſunt, nec corpora ſepelire abſq; fratribus ad ea ſepelienda vocatis. Vide conſt. 2. Iul. II §. 21. nu. 57. Vide ſup. in conſtit. 4. Sixti IV. n. 39.

§. 27. *Mandantes etiam vniuerſis locorum Ordinarijs, ne mortuorum officia agere Rectores parochialium in Eccleſiis ipſorum fratrum contra illorum voluntatem permittant. Ac moniales dictis fratribus ſubditas, vel perſonas ſepulturam in eorum Eccleſiis eligentes, nulla ſoluta Parocho portione, ſepelire, vel, ſi fratres ad mortuorum corpora aſſocianda vocati fuerint, illa abſque fratrum huiuſmodi præſentia ſepeliri facere audeant, vel præſumant.*

Abrogat vſum non faciendi teſtamenta ſine Parochis.

§. 28. *Cumque maximè deceat, liberam eſſe cuiuſuis teſtantis voluntatem, prauum illum vſum paruo adhuc tempore, vt præfertur, introductum, per quem teſtamenta abſque presbyterorum præſentia fieri interdicuntur, omnino abrogamus.*

Ad quas proceſſiones vocati fratres accedere teneantur.

§. 29. *Poſtremò quod c. 13. ſeſſ. 25. cautum fuit, quòd omnes ſcilicet tam Clerici, quàm Regulares quicumque ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur, id quò ad fratres præfatos, de illis tantũ proceſſionibus intelligi volumus, ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur. Quod etiam de illis Conuentibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus fratres ſub arctiori clauſura degunt, ita vt nec in choro cantent, nec ad mortuos accedant; ſed tantum ſtudijs, & lectionibus vacent.*

Extinguit lites ſuper dictis pendentes.

§. 30. *Præterea ſi fortè inter Epiſcopos, vel Collegia, aut Capitula, vel alias quaſuis perſonas, & præfatos fratres, ſeu moniales, aut eorum aliquos ſuper præmiſſis, vel aliquo eorum coram quocumq; ſeu quibuſcumque iudicibus, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, ac S.R.E. Cardinalibus, tam in Romana Curia, quàm extra eam vbilibet, lis, ſeu lites reſpectiuè pendeant, nos litem, ſeu lites, & cauſam, vel cauſas huiuſmodi ad nos aduocamus, ac illam, & illas, quarum ſtatum, ac nomina, & cognomina iudicum, & colligitantium præſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, caſſamus, & extinguimus, ac partibus ipſis perpetuum ſilentium deſuper imponimus.*

Confirmat omnia priuilegia Mẽdicantium.

§. 31. *Ac inſuper, vt faciliùs præmiſſa omnia illibata perſiſtant, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, diſpenſationes, fauores, & gratias, quæ decretis Concilij Trid. aliàs, quam vt ſuperius eſt dictum, conceſſum, & declaratum, non contrariantur expreſsè, eiſdem fratribus, necnon monialibus quibuſcumque & ſororibus tertij Ordinis prædictorum Ordinum reſpectiuè, Ordinibus, ac illorum Eccleſiis, domibus, & perſonis etiam viuæ vocis oraculo, in genere, vel in ſpecie, tam per recolendæ mem. Eugenium IV Sixtum IV. Leonem X. Paulum III. ac dictum Paulum IV. & Pium etiam IV. quàm alios quoſcumque Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem eamdem quomodolibet conceſſa, confirmata, & innouata, necnon noſtras, & prædeceſſorum noſtrorum, ac alias quaſcumque deſuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac eorumdem prædeceſſorum noſtrorum nomina, & alia de neceſſitate exprimenda, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, etiam præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari debere, ac fratribus, Superioribus, & perſonis Ordinum huiuſmodi, necnon alijs quibuſcumque quos illa cõcernunt, ſuffragari debere, ſeu poſſe volumus. Necnon priuilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, diſpenſationes, exemptiones, fauores, & gratias, tam ſpirituales, quàm temporales, modo, & forma, quibus conceſſa ſunt, etiam per viam communicationis, & extenſionis actiuè, & paſſiuè inter ſe, &*

alios

Digitized by Google

alios quoſcumq; Ordines reſpectiuè de nouo concedimus,illaq; omnia, & ſingula ad domos, & loca quæcumque dictorum Mendicantium Ordinum, & monialium quarumcumque ac ſororum de tertio Ordine nuncupatarum in Congregatione viuentium dictorum Ordinum, vt præfertur, hactenus re cepta, & in poſterum recipienda: Necnon eorum perſonas, & bona, etiamſi priuilegiorum, & aliarum gratiarum præfatorum authẽtica originalia propter temporis antiquitatẽ, vel varias Vrbis ruinas deperdita exiſtant, dummodò de eis aliàs legitimè conſtet,extẽdimus,& ampliamus.

Decretum irritans. §. 32. *Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumq; iudices,& perſonas quauis auctoritate fungentes,etiã Cardinales,& Auditores præfatos, ſublata eis,& eorũ cuilibet quauis aliter iudicãdi,& interpretandi facultate,& auctoritate,iudicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.*

Commiſſarios deputat. §. 33. *Quocirca dilectis filijs noſtris Prædicatorum Cardinali Protectori, & S. Hieronymi Generali Ordinum,ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ etiam generali Auditori,nunc,& pro tempore exiſtentibus per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi,vel duo,aut vnus eorum per ſe,vel alium,ſeu alios præſentes literas,& in eis contenta quæcumq; vbi, & quando opus fuerit,ac quoties pro parte eorumdem fratrum,aut monialium, vel alicuius eorum fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta huiuſmodi firmiter obſeruari,ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt,pacificè frui,& gaudere;non permittentes,eos,vel aliquem eorum deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumq; etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoslibet,& rebelles per cenſuras,& pœnas eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris remedia,appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus,cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggrauando,& interdictum eccleſiaſticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs. §. 34. *Non obſtantibus præmiſſis,& alijs Apoſtolicis,necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus,vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam iuramẽto,confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis,& conſuetudinibus;priuilegijs quoque, indultis,& literis Apoſtolicis eiſdẽ Epiſcopis,vel quibuſuis alijs perſonis ſub quibuſcumq; tenoribus,& formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili,ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione,de illis,eorumq;totis tenoribus,ſpecialis,ſpecifica expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importãtes,mentio ſeu quauis alia expreſſio habenda,aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus. Necnon omnibus illis, quæ in literis confirmationis, & innouationis priuilegiorum eorumdem,aliàs per eoſdem Paulum IV. & Pium etiam IV. prædeceſſores noſtros prædictos Ordini fratrum Minorum huiuſmodi conceſſorum conceſſum eſt, non obſtare,contrarijs quibuſcumque. Aut ſi locorum Ordinarijs,vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum,quòd interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint per literas,Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.* Pro intelligentia huius clauſulæ Aut ſi &c. Vide cap. Ne aliqui, de priuil. in 6.

§. 35. *Et quia difficile foret,earumdem præſentium literarũ notitiam ad quaſcumq; perſonas peruenire, & vbiq;illas præſentare,etiam motu,& ſcientia ſimilibus volumus,& decernimus, quod tranſumptis earumdem præſentium literarum, etiam per impreſſionem factis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, aut ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis, quemadmodum adhiberetur præſentibus literis originalibus,ſi præſentarentur,vbiq; adhibeatur, tam in iudicio, quàm extra illud,plena, & indubitata fides. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Romæ,apud S. Petrum, anno Incar. Dom. 1567. 17. Kal. Iunij, Pontific. noſtri anno 2.* Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd iſta conſtitutio variè proponitur à Doctoribus quò ad ordinem ipſum materialem. Ego in hoc ſequutus ſum Cherub. qui mihi viſus eſt diligens auctor, & qui bullas emendatiores alijs proponit, vtpotè qui Romæ, & huic rei in ſpecie ſtuderit, & qui vltimò, viſis alijs, ſcripſit. Quod admonendum eſſe cenſui, ne quis Paſſar. Rodriq. & Quar. legens, meo marte me illam peruertiſſe ſuſpicetur.

2 Noto 2. communiter teneri, iſtam conſtit. Pij V. cum alijs concernentibus Regularium priuilegia, fuiſſe reuocatam per conſt. Gregor. XIII. quæ incipit, In tanta, & eſſe reductam ad terminos priuilegiorum ante dictam bullam Regularibus conceſſorum, & Concilij Trid. decreta. Sed dicunt alij, quòd dicta conſtitutio In tanta, non fuit ſufficienter promulgata, nec in praxi recepta. Ita Henriq. lib. 7. de indulg.cap.24.n. 8. Thomas à Ieſu de procur.omnium gent.ſal. lib. 12. cap. 8. tit. Sequitur collectio,pag. 847. verſu Nec ſolùm in foro interiori. Apertiſſimè Llamas 1.p.meth.c.7.§. 6. qui ſic ait.*Bullam,ſiue motum proprium Greg. XIII. dictum numquam fuiſſe publicatum, neque in praxi receptum quò ad forum conſcientiæ, affirmat pius, & doctus Nauarrus eiuſdem Gregorij XIII. Pœnitentiarius, & Conſultor, manual. cap. 27. fine. Cum enim promiſiſſes cap. 21. num. 5. quòd in fine cap. 27. motum proprium Gregorij XIII. poneret, dicis, quod nondum ille motus proprius exierat, neque publicatus fuerat anno 1587. cum decretus fuerit anno 1572. Pontific. Greg. anno 1. vt ex literis, quæ nunc circumferuntur, conſtat.* Quod vt clariùs conſtet, affero verba ipſa Nauarr. deſumpta ex manuali impreſſionis de anno 1588.vbi cap. 27.fine ait.*Quoniam vero in cap. 21. num. 5. promiſimus inſerere hic tenorem cuiuſdam bullæ fel. rec. Pij V. & moderationes eorum, de quibus in ſubiecta Gregorij XIII. bulla, ſi exiret, intereà, quæ quia non exiuit, ſolam hanc illius ſummam ſubijcimus.* Et ſubijcit bullam Gregor. XIII. In tanta, quam referunt Quar. in ſum. bull. verbo Priuil.Regul.pag.mihi 539.Cherub.tom.2. bull. in

Digitized by Google

Greg. XIII. conſt. eius 9. pag. mihi 370. ſub data 1572. kalen. Martij. Ex quibus conſtat, quòd, cum iſta moderatio facta fuerit anno 1572. ſi anno 1588. nondum exierat, nec erat publicata, vt colligitur ex verbis Nauarri, non potuit amplius ſub nomine Greg. exire, neque publicari, cum dicto anno 1588. iam eſſet vita functus Gregorius, & regnaret Sixtus V. eius ſucceſſor. Vnde, cum non conſtet, ab alijs Pontificibus fuiſſe ſufficienter publicatam, nullo modo obligabit, cum de eſſentia legis ſit, vt promulgetur; cap. In iſtis, §. Leges, d. 4. Tanta tamen ineſt auiditas in pectoribus aliquorum priuilegia Regularium exoſſandi, vt inde putem prouenisse, quod dictam bullam, decretam quidem à Gregorio, ſed propter legitimas rationes à ſanctiſſimo, & doctiſſimo Pontifice non promulgatam, diuulgauerint.

3 Noto nihilominus 3. quòd etiam dato, quòd dicta bulla fuerit ſufficienter promulgata, vt communiter creditur, dubitatur, an iſta ſit ſolùm reuocata quatenus concedit aliquid, quod eſt contra Concilium Trid. an verò ſit omnino reuocata, ita vt, etiamſi concederet aliquid, quod non eſſet contra Concilũ, tamen illud poſt dictam reuocationem nihil valeret. Et dico, quod tantùm reuocat ea, quæ Pius V. Regularibus conceſſerat contra Concilium Trid. Ita Rodriq. tom. 1. q. reg. qu. 8. art. 9. fine; & q. 43. art. 7. & q. 39. art. 2. Mirand. tom. 2. man. q. 48. art. 7. Sanch. 5. in decal. cap. 4. nu. 16. Thomas à Ieſu de conuerſ. omn. gent. lib. 12. tit. Sequitur collectio, pag. 846. Molf. 2. p. ſumm. tract. 13. cap. 9. num. 30. qui ait, ita fuiſſe declaratum ex ſacra Congreg. Concilij, & conſtat ex his, quæ dico hic infra, num. 8. fine, & num. 25. Et ad minus dicta conſt. In tanta, declarationes Concilij, quæ in hac conſt. continentur, vtpotè factas à doctiſſimo, & ſanctiſſimo Pontifice, nullo modo reuocauit. Paulus V. dictas declarationes approbauit per conſt. quam ex certa ſcientia, confirmauit Vrban. VIII. per ſuam conſt. 21. Dilectis filijs, quam habes to. 4. bull. §. 1. fol. 258.

§. II. & III.

4 NOto 1. quòd Papa vult ſubleuare Mendicantes à prædictis grauaminibus. Ex quo collige, quod ſi Mendicantes erant grauati, neceſſariò id erat, quia Epiſcopi illorum priuilegia obſeruare nolebant; alioqui enim in quo poterant grauari? exemptus enim in tantum ordinario Prælato non ſubditur, in quantum priuilegio à Superiore conceſſo ſe defendit. Quare videtur ſequi, quòd iſta conſtitutio nihil de nouo conceſſerit, ſed tantùm ius antiquum Mendicantibus ab alijs Pontificibus conceſſum conſeruauerit, & dubia circa illud, Canones, & priuilegia emergentia declarauerit. Vnde etiam ſecundùm illos, qui dicunt conſtit. Gregorij XIII. In tanta, relinquere Mendicantes in ſtatu, quo erant ante hanc conſtitutionem, clarè patet, quòd ſolùm per dictam moderatoriam Gregorij reuocantur ea, quæ contra Trid. fuerant Mendicantibus conceſſa. Quod etiam fecerat ipſum Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 22. & Pius IV. per ſuam conſt. In Principis Apoſtolorum, quam refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio IV. conſt. eius 94. pag. 136.

5 Noto 2. quòd Mendicantes portant onus diei, & æſtus, tam in prædicationibus, quàm in cœteris ſpiritualibus muneribus; ac proinde tanquam palmites fructiferi in agro Domini colendi, & adiuuandi eſſent, vt vberiores in dies fructus producerent.

6 Noto 3. quòd Epiſcopi falſa, ſeu minùs vera intelligentia Concilij Trid. decreta in Mendicantium priuilegiorum grauamen interpretabantur; Vnde Pontifex, ad quem ſpectat Canones iuridicè interpretari, vt hic patet, & habetur in c. Venerabilem, qui filij ſint legitimi: Concilij Trid. decreta in prauum ſenſum contra Regulares retorta, ſecundùm veram intelligentiam declarat; Vnde confirmo quod dixi num. 3. has declarationes non reuocari per conſt. Gregorij In tan. Nam ſi reuocaret, concludendum eſſet, quòd doctiſſimus, & ſanctiſſimus Pontifex Pius non bene fuiſſet Concilium interpretatus, & ideo illius interpretationes, tamquam contra Concilij mentem, fuiſſe per Gregorium reuocatas; Quod non videtur dicendum.

7 Noto 4. quò ad §. 3. quæ dico ſupra in conſtit. 2. Sixti IV. à num. 21. Et adde, quòd idem Pontifex Pius in ſua conſtit. declaratiua huius, quæ incipit, Ad hoc nos Deus, §. 8. quam refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. pag. 234. ait: *Et inſuper, quòd fratres dicti ordinis (ab eorum Superioribus tamen approbati) in eorum Eccleſijs, quando eis placuerit, etiam quòd in cathedrali Eccleſia, (non tamen ab Epiſcopo met) prædicetur, liberè, & licitè, abſque aliquo impedimento, ſine etiam ipſius Epiſcopi contradictione, & abſque eo quòd coram dicto Epiſcopo ſe non præſentauerint, nec eidem licentiam muneris prædicationis huiuſmodi exhibuerint, & ab eodem Epiſcopo benedictionem, vt præfertur, non obtinuerint, prædicare, & munus prædicationis huiuſmodi exequi.* Hæc tamen declaratio moderanda eſt ad formam conſt. Gregorij XV. Inſcrutabili, infra in Gregorio, conſt. eius 2. §. 8. quòd nimirum teneantur dicti Regulares benedictionem ab Epiſcopo petere, quam tamen obtinere neceſſe non eſt, vt dictum eſt in conſt. 2. Sixti IV. loc. cit. Quòd ſi non petierint, poſſunt ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato puniri.

§. IV.

8 VIde quæ dico ſupra in conſt. 2. Sixti IV. §. 11. à num. 41. & conſt. 26. Leonis X. §. 7. nu. 14. Et nota, quòd approbat conſt. Pauli IV. quæ incipit, Cum ſicut exponi, quam refert Rodriquez in bull. in Paulo IV. conſt. eius 3. in qua concedit, quòd fratres poſſint ſacramentum confeſſionis, tam intra eorum Eccleſias, quàm extra, etiam in domibus infirmorum miniſtrare. Et aduerte etiam, quòd idem Pontifex hanc conceſſionem moderauit quò ad confeſſorum pro ſecularibus approbationem, per ſuam conſt. quæ incipit, Romani Pontificis, quam refert Cherub. tom. 2. bull. in Pio V. conſt. eius 133. pag. 345. vbi ſic habet; *Declaramus, decretum Concilij Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de approbatione Regularium audiendis confeſſionibus ſecularium præpoſitorum ab Epiſcopis facienda, obſeruari debere in omnibus Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam ſub regulari diſciplina viuentibus, etiam ſi ſint Lectores, aut in theologia, etiam de Superiorum licentia, graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris generalibus, vel prouincialibus Miniſtris ſecularium confeſſionibus audiendis expoſiti. Volumus tamen, eos, qui ſemel ab Epiſcopo in Ciuitate, & Diœceſibus ſuis, præuio examine, approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari; Ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro maiori conſcientia ſua quiete examinari de nouo poterunt.* Circa quod adeſt etiam declaratio ſacræ Congr. quam habes ſupra in conſt. 2. Sixti IV. num. 41. ex qua conſtat apertè id quod dixi n. 3. nimirum hanc conſtitutionem non eſſe reuocatam, niſi quatenus determinat aliquid contra Concilium Tridentinum.

§. VII. & VIII.

9 NOta quò ad §. 7. quæ dico ſupra in conſt. 6. huius Pontificis, q. 7. nu. 29. Quò ad illud quòd Epiſcopi non poſſint ſe intromittere in diſponendis monialium facultatibus, nota, quòd Gregor. XV. in ſua conſt. 2. §. 5. voluit, quòd adminiſtratores dictarum facultatum ſint obligati ſingulis annis rationem ſuæ adminiſtrationis reddere Epiſcopo loci.

10 Aduerte quò ad §. 8. quòd hic determinata ſunt in ſuo robore; vt etiam dicit Zerola 1. p. prax. verbo Monialis, num. 1. Solùm inuenio, per declarationem Congreg. quam refert ibid. idem Zerola, additum, quòd Epiſcopus habens cauſam iuſtam, vel certam

ſuſpi-

ſuſpicionem, quòd ſtando puella intra Monaſterium, non liberè ſuam voluntatem manifeſtabit, poterit illam examinare in Eccleſia Monaſterij exteriori, vel in alia proxima, præſentibus duabus matronis, ætate grauibus,& honeſtis,& illæ duæ matronæ non debent eſſe conſanguineæ, vel coniunctæ puellæ. Quod idem agendum eſt, antequam dicta puella iam induta habitu monachali, ſolemniter profiteatur. Et idem Zerol. ibid. ad 14. refert aliam ſacræ Congreg. declarationem, in qua dicitur, bis eſſe explorandam voluntatem puellæ, & antequam ſuſcipiat habitum, & antequam profeſſionem emittat, & hoc ab Epiſcopo, vel eius Vicario, iuxta decretum Trid. ſeſſ. 25. cap. 17. de regul. Declaratio autem ita habet. *Primum moniales ſubiectæ iuriſdictioni Regularium exemptorum, ſi ſine licentia Ordinarij egreſſæ fuerint è Monaſterijs, debent ipſæ, & earum Superiores, de quorum licentia de Monaſterijs egreſſæ fuerint, per cenſuras eccleſiaſticas & alia iuris remedia ab eorum Ordinario puniri, non obſtantibus quibuſcumque, priuilegijs, &c. Secundum, ſi Superiores earum iem monialium alicui monialium habitum dederint, antequam ab Ordinario examinata fuerit, contra decreta ſacri Concilij Trid. faciunt. Tertium item, ſi prædictæ moniales profeſſionem emiſerint, antequam iterum ab Ordinario examinentur, contra eiuſdem Concilij decreta faciunt. Quartum, quod, caſus ſi euenerit, tenetur Ordinarius explorare voluntatem earum, quæ habitum tantum ſuſceperint, antequam in Religione profiteantur. Quintum, ab illis verò virginibus ſacris, à quibus non modo habitus eſt ſuſceptus, ſed iam facta eſt profeſſio, & ſi examinata non fuerint, tamen ab eis nihil ſciſcitari debet Ordinarius, ſed eas permittere in ſuo ſtatu manere. Sextum, & prout à Concilio Trid. ſtatuitur, in Abbatiſſas, & Præfectas animaduertere poteſt, debetque idem Ordinarius; & debent etiam moniales, & earum Superiores moneri, ne vllis virginibus ſacrum habitum, ac multò minus patiantur in Religione profiteri, niſi prius earum voluntas perſpecta, & explorata ſit ab eodem Ordinario, quo facto, contrafacientes poterit idem Ordinarius coercere, non ſolum pœnis à Concilio Trid. ſtatutis, & præſcriptis, ſed etiam eccleſiaſticis cenſuris, & alijs iuris remedijs, non obſtantibus quibuſcumq; priuilegijs, &c.*

§. X.

11 QVò ad id, quod dicitur, fratres celebrare poſſe miſſas, &c. & quòd fideles ſatisfaciant, &c. vide quæ dico ſupra in conſtit. 21. Leonis X. num. 1. Quò ad prædicationes vide hic ſupra § 3. Quò ad id verò, quòd dicitur, Mendicantes celebrare poſſe miſſam, etiam antequam Rector parochialis celebrauerit in diebus feſtiuis, aduerte, quòd inter quædam dubia miſſa à Curatis Bononienſis Diœceſis ad Congregationem Cōcilij, adeſt etiam declaratio huic priuilegio conformis. Et quoniam hæ declarationes ſunt multùm vtiles ad tollendas quamplurimas lites inter Mendicantes, & Rectores parochialium Eccleſiarum, ideo has omnes hic inſerendas cenſui eo modo, quo ſunt impreſſæ.

DICHIARATIONI

Della ſacra Congregatione dell' illuſtriſs. & reuerendiſſimi Signori Cardinali interpreti del ſacro Concilio di Trento, riceuute da Roma dall' illuſtriſs. & Reuerendiſs. Signor Cardinal Ludouiſio Arciueſcouo di Bologna, e Prencipe, alli 2. di Luglio, 1620.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. Signori.

I Curati della Città, e Dioceſe di Bologna ſupplicano humilmente le Signorie voſtre illuſtriſſime a fare loro gratia di determinare, ſe li frati, che hanno Chieſe non curate dentro le loro Parochie, poſſano fare li infraſcritti atti, per prouedere alle controuerſie, che naſcono ſpeſſo trà di loro. 1. Annunciar le feſte, & digiuni all' altare nella celebratione della meſſa. 2. Raccogliere le offerte, & dar la pace al popolo alla meſſa. 3. Portar piuiale, ò ſtola per la Parochia fuori della Chieſa, ò clauſtro. 4. Quando ſono chiamati alla ſepoltura di qualche morto, ſe habbiano d'andare alla caſa del morto, ò trasferirſi alla Chieſa parochiale, doue ſi eaduna il Clero, ò pur aſpettare per la ſtrada. 5. Celebrare la prima meſſa nella loro Chieſa auanti quella del Curato. 6. Publicare frà la meſſa li ordini del Signor Cardinale Arciueſcouo, i matrimonij, & altro, che occorra. 7. Predicare nelle loro Chieſe l'Auuento, la Quareſima, & frà l'anno, quando ſi predica nella Chieſa parochiale. 8. Portar fuori delle loro Chieſe, ò clauſtri piuiale, ò ſtola quando fanno le proceſſioni del loro Ordine, ò del cordone, ò della centura, ò del roſario. 9. Riceuere nelle loro Chieſe le donne alla purificatione doppo il parto. 10. Morendo frati, com' auuiene alle volte, & in particolar de Canonici Regolari Lateranenſi fuori del Monaſtero in caſa de loro parenti, & hauendo i Curati amminiſtrat. loro i ſantiſſimi Sacramenti, ſe poſſano i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chieſa ſenza dirne coſa alcuna al Curato, & ſenza darli le ragioni parochiali. 11. Quando muore alcun loro Superiore, ò Maeſtro, ò Theologo collegiale in Conuento, ſe poſſano farlo portar per la Città per diuerſe Parochie, e per la piazza con muſiche, & riti ſtraordinarij, & metterli anche il piuiale ſenza interuento del Curato. 12. Eſſendo publicato vn ordine generale dal Signor Cardinal Arciueſcouo, che niuno laſci celebrar meſſa à preti foraſtieri, ſenza prima vedere, che ne habiano hauuta licenza da ſua Signoria illuſtriſs. ò dal ſuo Vicario generale, ſe li frati ſiano tenuti ad oſſeruarlo. 13. Se poſſano racorre grano, vua, legne, & ſimili altre coſe, prima che il Curato habbia raccolto le ſue primitie. 14. Se poſſano benedir le caſe nella Dioceſe la ſettimana ſanta, eſſendo queſto vfficio del Curato, come ſi legge nel Rituale Romano nouo.

13 Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum ad ſingula capita ſuperiùs propoſita hunc in modum reſpondit, videlicet.

Ad 1. Regulares non prohiberi dies feſtos, & ieiunia in ſuis Eccleſiis annunciare.

Ad 2. Reſpondit poſſe, dummodo à perambulationibus per Eccleſiam, ac ſimilibus eleemoſynarum extorſionibus abſtineant.

Ad 3. Non poſſe.

Ad 4. Debere ad parochialem Eccleſiam accedere, vbi Clerus congregari conſueuit.

Ad 5. Prohiberi non poſſe, quominùs miſſa in Eccleſiis Regularium celebretur ante miſſam parochialis Eccleſiæ.

Ad 6. Non poſſe publicare matrimonia.

Ad 7. Poſſe p iſta tamen benedictione ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo.

Ad 8. Non licere Regularibus huiuſmodi proceſſiones facere extra Eccleſias, & ambitum illarum.

Circa proceſſionem autem Roſarii refert Feſtus in conſt. ſui Ord p. 1. c. 23. declar. Congr. qua declaratur, poſſe dictam proceſſionem fieri per totam Ciuitatem, ſi ita habeat conſuetudo à decem retrò annis ſeruata, in quatuor feſtiuitatibus B. M. nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis.

Ad 9. Regulares non prohiberi in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere.

Ad 10. Regulares extra clauſtra decedentes poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam Parochis inconſultis.

Ad 11. Non poſſe.

Ad 12. Non licere Regularibus in ſuis Eccleſiis ad celebrandum admittere presbiteros ſeculares contra prohibitionem illuſtriſſ. Archiepiſcopi.

Ad 13. Non eſſe id prohibitum Regularibus.

Ad 14. Non poſſe. Hor Card. Lancellottus. loco ✝ ſigilli. in Bologna per Vittorio Benacci Stampator Archiepiſcop.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

14 VIde quæ dico ſupra in conſt. Pyrrhi, §. 12. à num. 54. Et nota huius §. declarationem in conſt. huius Pontificis Ad hoc nos Deus prætulit, §. 10. quam Cherub. in Pio V. pag. 234. vbi ait, *Quartam autem funeralium quò ad domos, ſiue Conuentus, & Monaſteria ipſius Ordinis tempore dicti Concilij Trid. ante 40. annos fundata, & erecta, & ratione illorum, vbi conſuetudo illam ſoluendi tantùm extitit, ac de ceris, & alijs, quæ deferuntur iuxta cadauer, dum ad ſepulturam defertur, non autem de alijs quibuſuis, eiſdem fratribus, ſeu monialibus, aut eorum domibus, Conuentibus, Monaſterijs, Eccleſiis, & locis, etiam pro funeris, ſiue anniuerſarij, aut miſſarum celebratione donatis, legatis, ſiue alias quomodolibet largitis, & vbi dua quarta forſan ſolui conſueuerent, vna ſcilicet parochiali Eccleſiæ, alia verò Epiſcopo, ſiue cathedrali, aut collegiata Eccleſia, ſiue Canonicis, & Capitulo eiuſdem vna tantùm, ſcilicet Epiſcopo: vbi verò conſuetudo illam ſoluendi non fuit, ſiue domus, Conuentus, & Monaſteria dictorum fratrum, & monialium poſt 40. annos erecta, ſiue fundata fuerint, nequaquam, nec vllo modo ſoluere, ſeu tradere. Omnem aliam præmiſſis contrariam conſuetudinem, ſiue morem harum ſerie caſſantes, & extinguentes: Ac omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, deſuper perpetuum ſilentium imponentes.*

§. XV.

15 NOta eiuſdem Pontificis huius §. declarationem in conſt.cit. Ad hoc nos Deus, §. 9. vbi ait. *Necnon fratres ipſi quæcumque corpora defunctorum, qui ſe in eorum Eccleſiis ſepeliri ordinauerint, vel ſi à defunctorum hæredibus, ſiue curam funeris habentibus vocati fuerint ipſorum fratrum Cruce eleuata, etiam ſine dictorum Canonicorum, ac capitularium perſonarum, necnon Curatorum, vel aliorum presbyterorum interuentu, ex ipſorum defunctorum domibus leuare, eaque accipere, & aſſociare, ac ad ipſorum fratrum Eccleſias directè deferri, & in eorum Eccleſijs (non tamen tempore interdicti) ſepeliri facere, ſaluo dumtaxat iure parochiali: Nec fratres ipſi ad alterius cuiuſuis contrariæ conſuetudinis, vſus, ſiue moris obſeruationem teneri, vel ſuper præmiſſis à quoquam quauis auctoritate moleſtari, ſeu perturbari poſſint, vel debeant.* Hæc tamen moderanda ſunt iuxta dicta ſupra in conſt. 26. Leonis X. §. 10. num. 20. ſi ſcilicet, requiſito Parocho, venire expreſsè recuſauerit.

§. XVI.

16 VIde ſupra in conſt. 1. Iulij II. §. 33. & in conſt. eius 2. §. 30. à nu. 123. Et attende aliam declarationem eiuſdem Pij in conſt. ſæpius cit. Ad hoc nos Deus prætulit, §. 11. vbi ait; *Minuſque fratres, & moniales ipſi ad aliquorum onerum realium, vel perſonalium, etiam ratione eorumdem domorum, ſeu Conuentuum, Monaſteriorum, Eccleſiarum, & locorum, ac quorumcumq; beneficiorum eiſdem vnitorum, etiamſi, vt præfertur, curam animarum habeant, contributionem, ſiue ſolutionem, etiam pro ſeminario, & decimarum quarumcumque, aut cuiuſcumque ſubſidij, etiam charitatiui, & triennalis nuncupati, nunc, & pro tempore per nos, & quoſcumque Romanos Pontifices, aut Sedem præfatam impoſitorum, & imponendorum ex quauis cauſa, quantumcumque vrgentiſſima, teneantur, vel deſuper aliter moleſtari poſſint, ſeu debeant.*

§. XVII. & XIX.

17 VIde quæ dico tom. 1. Relig. q. 1. c. 22. verſu Circa 6. Et declaratum extitit à ſacra Congreg. quòd Mendicantes nullatenus à quæſtuatione, quæ de licentia ſuorum Superiorum fit, & in dies fieri continget, ab Epiſcopis prohibeantur. Ita refert Quar. in ſum. bull. verbo Confeſſor, pag. 235. Vide ſupra in conſt. 4. Sixti IV. §. 8. à num. 41.

18 Quò ad §. 19. nota declarationem Concilij apud Quar. loc. cit. quæ ſic habet. *Ordinarij in cognitionibus cauſarum fratrum Mendicantium, tam ciuilium, quàm criminalium minimè ſe ſe ingerant: pariter nec in viſitatione eorumdem fratrum, vel Eccleſiarum ſuarum, niſi quatenus eis per Concily Trid. decreta conceditur*; Vide hic ſupra §. 7. num. 9.

§. XX. & XXI.

19 NOta, quòd fratres appellantes ad tribunalia eccleſiaſtica, quibus non ſubduntur, ſunt excommunicati, quia excommunicatione feriuntur iudices appellationes acceptantes, per conſtit. Boniſ. IX. & Leonis X. vt dico to. 1. Relig. q. 1. c. 20. concl. 3.

20 Quò ad §. 11. vide ſupra in conſt. 13. Leonis X. §. 2. & quæ noto num. 8. eiuſdem. Hic quæro, an Superiores capere poſſint propria auctoritate ſuos fratres ab Epiſcopis, vel alijs retentos, abſque auxilio brachii ſecularis. R. quòd ſic, vt etiam dixi ſupra in conſt. 13. Leonis X. n. 7 Qui enim debent obedientiam perpetuam, ſi ab obedientia fugiant, poſſunt propria auctoritate capi, & ad obedientiam reduci. Sic maritus vxorem, dominus ſeruum, Prælatus ſubditum vbique capiunt etiam in Eccleſia. Gloſſa in leg. 1. §. 1. ff. de rei vendic. ver. Vendicare poſſe; Nald. ver. Cleric. n. 25. Et hoc non ſolùm quando Religioſus fugit ſine licentia, ſed etiam quando iuit cum licentia per certum terminum; &, eo tranſacto, non vult ad obedientiam redire. Auil. de cenſ. p. 2. c. 3. diſp. 2. dub. 4.

21 Quæres etiam an ſubditi Religioſorum exemptorum, extra loca, in quibus degunt, delinquentes, ligentur excommunicationibus ſuorum Prælatorum. Videtur enim, quòd non, per ea, quæ dicta ſunt ſupra, in conſtit. 2. Sixti IV. num. 9. de Clerico. Sed dic, quòd ſic. Ita Auila loc. cit. Ang. verb. Sententia, num. 5. Quia Monachus vbicumq; eſt, ſemper eſt de iuriſdictione Abbatis, quem vice Dei ſuper caput ſuum impoſuit: cap. Statuimus, 19. q. 3. cap. Si Religioſus, de elect. in 6. Et fictione iuris ſemper eſt in clauſtro? Ang. loc. cit. Clerici autem non ſunt tam ſtricto vinculo aſtricti ſuis Epiſcopis, ſicut Religioſi ſuis Prælatis, vnde abſque licentia ab vna in aliam ſe conferunt Diœceſim, & ſolum ſunt aſtricti ſuis Epiſcopis ratione iuriſdictionis, veluti ſubditi Regis. At Regulares etiam ratione dominii. Adde, quòd contrarium dicere, eſſet in totum ferè eneruare diſciplinam regularem. Prælati enim regulares non habent territorium; vnde ſubditi ad obſeruationem præceptorum ſuorum non tenerentur ſolùm in propriis domibus, quod abſurdum eſt.

§. XXII. & XXIII.

22 HOc temperandum eſt iuxta conſt. Greg. XIII. quæ incipit, Officii noſtri, apud Cherub. to. 2. bull. in Gregor. conſtit. 43. pag. 411. in qua diſponitur, quòd bona eorum Religioſorum, qui extra Religionem decedunt, pertineant ad Cameram Apoſtolicam. Quatenus autem decernit, quòd bona eorum, qui ad Religionem reuertuntur, ad Religionem pertineant, nihil eſt immutatum. Vide quæ dico to. 1. Relig. q. 1. c. 26. concl. 8.

23 Quò ad §. 23. nota, quòd in Concilio Trid. ſeſſ. 7. cap. 6. de reform. ſtatuitur, quòd *vniones perpetuæ à 40. annis citra factæ, examinari ab Ordinarijs, tamquam à Sede Apoſtolica delegatis, poſſunt, & quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur*. Quod decretum confirmatur ſeſſ. 24. cap. 13. de reform. ibi, *Et quæ vnita ſunt, reuideantur ab Ordinarijs*. Quibus auctoritatibus freti aliqui Epiſcopi, non ceſſabant grauiſſimas moleſtias Regularibus inferre, qui Eccleſias parochiales, ſeu alia beneficia ſuis Eccleſiis

habent

habent aliquando vnita. Vnde Papa hic prouidet, quòd non poſſint Epiſcopi ſuper dictis vnionibus, etiam perpetuis, tam à Sede Apoſtolica, quàm ab ipſiſmet Epiſcopis, vel eorum anteceſſoribus, vel alijs factis, fratres Mendicantes amplius moleſtare. Et declarat nullas ſententias ad hunc effectum contra Mendicantes latas. Decernit etiam, quòd Eccleſiæ Regularium, quibus eſt cura animarum annexa, poſſint regi per ipſoſmet Regulares, ſeu per Clericos ſeculares ab ipſis deputatos, & ipſorum nutu amouibiles. Quod etiam dixerat, ſed non tam claré, §. 12. & vide locum quem ibi cito in Sixto IV. Et nota, quòd, petentibus Ieſuitis, an Parochia Toletana in Monaſterium erecta, & vnito eorum Collegio, gubernari poſſit à deputato ab ipſis, modò ſit approbatus ab Ordinario, ſacra congregatio Cardinalium cenſuit poſſe: Sicut etiam Monachi poſſent, ſi ad id approbarentur.

§. XXV.

24 Videnda ſunt omnino quæ dico ſupra in conſt. Pyrrhi, §. 9. n. 48. Quia multa ſunt circa hoc de nouo ſtatuta, quæ omnino ſeruanda, non obſtante declaratione facta ab eodem Pontifice in ſua conſt. Ad hoc nos Deus, ſæpe cit. §. 12. his verbis, *Quodque fratres, & moniales præfati vbique locorum nouas domus, ſiue Conuentus, & Monaſteria, ac Eccleſias dictorum ordinis, cum clauſtris, cellulis, refectuarijs, dormitorijs, alijſque officinis neceſſarijs, Ordinarij loci, ſine cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita, conſtruere, ædificare, erigere, & inſtituere, nec pariter ſuper his moleſtari poſſint, ſiue debeant, eiſdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò ſtatuimus, ordinamus, & declaramus: eiſque fratribus, & monialibus ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur.*

§. XXIX.

25 Vide notata hic ad §. 11. Et nota, quòd non poſſunt Epiſcopi compellere Regulares accedere ad alias proceſſiones, quàm ad hic notatas, vt declarauit ſacra Congregatio Concilij in hæc verba, *Ordinarius poteſt præcipere Regularibus, vt eant ad proceſſiones publicas, vt puta in feſto Corporis Christi, in litanijs, & iubilæi publicis faciendis in plebibus, in quibus ipſi habent Monaſteria, dummodo proceſſiones ſint eius generis, quod in bulla S. D. N. Pij V. Mendicantibus conceſſa, quæ incipit, Etſi Mendicantium, publicata 17. kal. Iunij anno 1567. comprehendantur: Et dummodò Regulares non ſint ex illis Conuentibus Collegia nuncupatis, quæ in eadem bulla excipiuntur.* Ex qua declaratione apertè conſtat, hanc conſt. non eſſe reuocatam à Greg. XIII. niſi quatenus ſtatuit aliquid, quod ſit contra Concilium Trid.

26 Nota etiam, quòd per publicas proceſſiones intelliguntur etiam hæ, quæ pro bono publico de nouo indictæ ſunt, vt declaratum eſſe à ſacra Congreg. teſtatur Quar. verb. Præcedentia, verſu De præcedentia in proceſſionibus, pag. 505.

CONSTITVTIO VIII.

Concedit nouitijs monialibus in articulo conſtitutis, vt profeſſionem poſſint emittere ante annum probationis expletum, dummodò ſint ætate legitima conſtitutæ; ijſq; etiam indulgentiam plenariam concedit in forma iubilæi.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū. *Svmmi ſacerdotij cura, meritis licèt imparibus, nobis ex alto commiſſa, requirit, vt votis illis, per quæ animarum Chriſti fidelium, præſertim ſanctimonialium virtutum, Domino ſub ſuaui Religionis iugo, virgineaq; perpetuæ caſtitatis laureola famulantium ſaluti, ſpiritualiq; conſolationi conſulitur, libenter annuamus, illaq; fauoribus proſequamur opportunis.*

Supplicatio. §. 1. *Sanè exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum monialium nouitiarum nuncupatarum ad Regulam profitendam Ordinis S. Dominici fratrum Prædicatorum petitio continebat, quòd quoniam aliquando accidit, vt illæ, durante tempore probationis illarum ad emittendam profeſſionem regularem, & ante illius emiſſionem, ab hac vita migrant, & in dicto tempore probationis, obſtantibus conſtitutionibus, ſiue ſtatutis, & ordinationibus dicti Ordinis, non valentes dictam profeſſionem emittere, carent, cæleſti merito, quo ex dono, & benignitate Sedis Apoſtolicæ ceteræ dicti Ordinis moniales profeſſæ, in dicta profeſſione, & Regula decedentes gaudent. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Concedit prout in ſūmario. §. 2. *Nos igitur, qui ſalutem animarum dictarum monialium nouitiarum ſic ante profeſſionis emiſſionem, & durante tempore probationis earumdem decedentium, ſincero deſideramus affectu, ipſaſq; moniales nouitias, & earum ſingulas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem monialibus nouitijs, nunc, & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, vt quando, & quoties aliqua ex eis nondum profeſſa, de alicuius medici conſilio ab hoc ſeculo tranſitura conſpicitur, ipſa pro conſolatione animæ ſuæ profeſſionem prædictam ante tempus requiſitum, quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit ad illam emittendam, in manibus Abbatiſſæ, ſeu Priorißæ, vel alterius Superioris nouitiarum ipſius Monaſterij, ſeu domus, ita tamen quòd ipſæ moniales nouitiæ ſic decedentes indulgentiam, & alias gratias, quas moniales verè profeſſæ decedentes conſequuntur, conſequi poſſint, emittere in articulo mortis liberè, & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus; Necnon eiſdem monialibus nouitijs ita tunc profeſſis, decedentibus plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem in forma iubilæi miſericorditer in Domino eiſdem auctoritate, & tenore elargimur.*

Clauſulæ præſeruatiuæ. §. 3. *Ac conceſſionem, indultum, & elargitionem huiuſmodi, ac præſentes literas ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum & gratiarum ſuſpenſionibus, reuocationibus, & limitationibus, etiam in fauorem quorumcumq; factis, & faciendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & de nouo conceſſas exiſtere, ipſiſq; monialibus, & profeſſionem emittentibus ſuffragari poſſe.*

Clauſula ſublata, cū decreto irritante. §. 4. *Et ſic per quoſcumq; iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditores, ſublata eis,*

lata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Derogat contrarijs. §. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterij, ſeu domus, & Ordinis huiuſmodi, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumq; Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Auguſti, 1570. Pontificatus noſtri, anno 5.

§. II.

1 NOto 1. quòd profeſſio monialis facta in tali articulo cum conditionibus & ſolemnitatibus hic requiſitis, valida eſt, etiamſi monialis non decedat. Nam nihil deeſt ad validam profeſſionem, niſi tempus nondum completum, quod cum de iure poſitiuo ſit, ſupplet Papa per ſuum priuilegium. Vnde producit dicta profeſſio omnes illos effectus, quos produceret, ſi fieret anno completo: & Monaſterio acquiruntur tam eleemoſyna pro moniali dari ſolita, quàm alia iura ipſi moniali competentia. Nam ſicut matrimonium in articulo mortis contractum verè matrimonium exiſtit; cum aliter in iure non reperiatur expreſſum; & filij illegitimi ex eiſdem perſonis procreati, per illud ſubſequens matrimonium legitimi efficiuntur, adeo quòd in omnibus parentum bonis ſuccedere poſſunt; ita pariter profeſſio nouitiæ in articulo mortis emiſſa, qua matrimonium ſpirituale cum Chriſto ſponſo contractum dicitur, virtute priuilegij omnes parit effectus, quos produxiſſet, ſi expleto anno probationis emiſſa fuiſſet; vnde vt Monaſterium ſuæ profeſſæ ſuccedat, eleemoſyna non ſoluta ei debetur; & tamquam de iure debita peti, & exigi poſſe videtur. Ita Confett. in comp. tit. 22. cap. 13. Sanch. 5. in decal. cap. 4. nu. 16. Henriq. lib. 13. cap. 40. num. 2. in comm. litera R. Quicquid in contrarium dicat Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 15. art. 6. verſu Secundò notandum eſt. Et quòd hoc priuilegio fruantur omnes participantes, tradit A Sorbo in comp. verbo Abbatiſſa, verſu Eſt hic aduertendum, pag. 3.

2 Noto 2. quòd hoc priuilegium eſt in ſuo robore, nec eſt reuocatum per conſtit. Greg. XIII. in tanta. Ita Henriq. Sanch. & Rodriq. locis cit. Et ſi obijcias, hoc priuilegium eſſe contra Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regul. & ideo reuocatum. Reſpondet Rodriq. Gregorium tantùm reuocaſſe ea, quæ Pius conceſſerat contra Concilium ſuper ſtatu, & regimine monialium, non autem ſuper profeſſione in articulo mortis emittenda. Sed melius mihi videtur poſſe dici, mentem legiſlatoris eſſe ſemper prouidere ijs, quæ communiter accidunt: Leg. Nã ad ea, ff. de leg. Et D. Th. 2. 2. q. 120. art. 1. corp. docet; non caſibus particularibus. Quare licet concedamus, Gregorium reuocaſſe quæ contra Concilium conceſſerat Pius, non per hoc cogimur concedere, etiam reuocaſſe hoc priuilegium pro caſu aliquo particulari, ad monialis particularis conſolationem, & bonum ſpirituale conceſſum.

3 Si quæras, an nouitij hoc priuilegio fruantur. Neminem vidi tractantem. Sed ſi à paritate rationis argumentari licet: Sicut moniales fruuntur omnibus priuilegijs conceſſis fratribus, cum proportione, vt patet ex conſtit. 4. Sixti IV. §. 7. & ex conſtit. 1. Iulij II. §. 40. Et conſtat etiam ratione: quia quando conceditur aliquod priuilegium viris, cenſetur etiam eſſe conceſſum fœminis ab illis viris dependentibus, ſi illius ſint capaces. Ita Rodriq. tom. 1. qu. reg. q. 13. art. 22. & Suar. lib. 8. de legib. cap. 10. num. 7. Ita fratres debent gaudere priuilegijs conceſſis monialibus cum eadem proportione. Quod poſtea reperi docere Pereg. in comp. priuil. ſui Ord. tit. Nouitij, §. 2. Et ſequitur ex natura priuilegij ſimpliciter fauorabilis.

4 Noto 3. quòd nouitij habentes animum perſeuerandi, in articulo mortis poſſunt eligere confeſſorem, qui eos abſoluat ab omnibus peccatis, & cenſuris eccleſiaſticis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiue ex alia quacumq; cauſa prouenientibus, quiq; eis plenariam omnium peccatorum indulgentiam largiatur. Quam indulgentiam prædicti nouitij conſequentur, etiamſi dictum confeſſorem eligere non potuerint, ſeu obliti fuerint, dummodo moriantur in ſtatu gratiæ. Ita refert Caſarub. in comp. verbo Abſolutio extraord. quò ad fratres, num. 2. conceſſiſſe Eugen. IV.

5 Sed quæres, quænam erit vtilitas huius priuilegii quò ad abſolutionem; cum pro illo articulo nullus ſit caſus reſeruatus.

Reſpondet Suar. tom 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 19. num. 14. quòd duplex eſt vtilitas; 1. quia quilibet confeſſarius ordinarius, etiam præſente Prælato habente auctoritatem abſoluendi à reſeruatis, poterit infirmum abſoluere. 2. quòd nulla infirmo remanebit neceſſitas comparendi. Ita etiam Nugnus in explic. bullæ Cruciatæ, §. 11. verſu Secundò, notandum eſt, fine.

6 Noto 4. quòd hic Pontifex concedit dictis nouitiis ſic profeſſis indulgentiam in forma iubilæi, quæ nihil aliud ſignificat, quàm quòd Papa tribuit illis facultatem, vt poſſint abſolui, & diſpenſari ab, & ſuper omnibus his, à, & ſuper quibus poſſunt tempore iubilæi. Quod nota pro omnibus ſimilibus indulgentiis.

CONSTITVTIO IX.

Concedit, quòd Superiores regulares in vnaquaque Prouincia poſſint conſtituere etiam plures ſui Ordinis fratres, ab eis approbatos, in Notarios publicos prointimandis mandatis, & reſcriptis Apoſtolicis, publicam, vel priuatam dicti Ordinis vtilitatem concernentibus.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum paſtoralis officij nobis, meritis licèt Proœmiũ.
imparibus, ex alto commiſſi, nos admonet, & indueit, vt circa Religionum quarumlibet præſertim Ordinis fratrum Prædicatorum S. Dominici, ad quem patrio quodam iure peculiarem gerimus paternæ charitatis affectum, ſtatum proſperè dirigendum, & reſcripta Apoſtolica quæcumque publicam, ac aliàs priuatam dicti Ordinis, & fratrum,

Digitized by Google

trum, ſiue monialium eiuſdem vtilitatem concernentia, per probos, & idoneos eiuſdem Ordinis Religioſos perſonis, quibus opus fuerit, inti manda, & inſinuanda, ac debitè exequenda, ſtudijs inuigilemus aſſiduis, ac aliàs omnibus illorum incommodis, & neceſſitatibus conſulamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Motiua. §. 1. Cum itaque, ſicut nobis, dum in minoribus conſtituti eſſemus, ſatis comprobatum fuit, fratres, Religioſi, & moniales dicti Ordinis fratrum Prædicatorum Sancti Dominici, ſiue Ordinem ipſum, vel illius Regulam profitentes, quem quidem Ordinem expreſsè profeſſi ſumus, tam vniuerſaliter, quam particulariter quamplura damna, incommoda, & detrimenta patiantur, & impenſas ſuſtineant, ex eo quòd Notarij, tam Clerici, quàm laici ſeculares, etiam Apoſtolica, Imperiali, Regali, aut alia auctoritate creati, & conſtituti, in plerisque mundi partibus, Regionibus, Regnis, Prouincijs, Dominijs, & locis exiſtentes, ex eis oriundi, ſiue aliàs inibi commorantes, mandata, conceſſiones, gratias, priuilegia, & indulta, aliaq; reſcripta Apoſtolica, tam ad publicam, quàm priuatam vtilitatem emanata ſiue conceſſa, & bonum, ſiue commodum publicum, ſiue priuatum concernentia, Dominis temporalibus, ſiue Poteſtatibus, Regibuſq; Ducibus, Principibus, Marchionibus, ac alijs Dominis, & perſonis, quibus intimanda, ſiue inſinuanda veniunt, ac intimare, & inſinuare oportet, intimare, notificare, ſiue inſinuare, varijs confictis reſpectibus, recuſant, ſiue non audent, contra eorumdem officij liberum, & publicum exercitium, debitamq; Sedi Apoſtolicæ obedientiam, ac in non modicum publicæ, & priuatæ vtilitatis, & commodi præiudicium, & detrimentum.

Concedit prout in ſũmario. §. 2. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo poſſumus, in præmiſſis Ordini, & fratribus præfatis, ac etiam monialibus ipſis de opportuno remedio prouidere, & incommodis, detrimentis, expenſis, & damnis eorum obuiare, neq; mandata, priuilegia, gratias, conceſſiones, indulta, & reſcripta Apoſtolica, in genere, vel in ſpecie dicto Ordini, ſeu ipſius Ordinis Magiſtro generali, Prouincialibus, alijſq; Superioribus, Prioribus, & fratribus, & eorum ſingulis, dictiſq; Monialibus, ſiue earumdem Abbatiſſis, Prioriſſis, & earumdem etiam ſingulis eiuſdem Ordinis, ſiuè dictum Ordinem, & illius Regulam profitentibus quomodolibet, in genere, vel in ſpecie conceſſa, aliaq; mandata, & reſcripta Apoſtolica, publicam, vel priuatam ipſius Ordinis vtilitatem quomodolibet concernentia, & emanata, ob id debito careant effectu, & vacua remaneant, prouidere volentes, ipſoſque Ordinem, ac illius Magiſtrum generalem, Vicarium, Procuratorem, & fratres, ac Abbatiſſas, Prioriſſas, & moniales, eorumque ſingulos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequentes, & à quibuſnis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon nomina, cognomina Magiſtri generalis, Prouincialium, Vicariorum Procuratorum & aliorum Superiorum, ac dictarum Abbatiſſarum, Prioriſſarum, & monialium, innocationeſq; denominationes, & dependentias Monaſteriorum, domorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum, tam virorum, quàm mulierum dicti Ordinis, ac etiam mandatorum, conceſſionum, indultorum, & reſcriptorum, aliarumq; gratiarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed ex certa noſtra ſciẽtia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, modernis, & pro tẽpore exiſtentibus d. Ordinis Magiſtro generali, Vicarijs, & Prouincialibus, tam citra, quã vltra, ac alias vbilibet conſtitutis, quòd in vnaquaq; corũ Prouincia vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque aut plures eis bene viſos d. Ordinis Religioſos, ſeu fratres, probatos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, & ab ipſis approbatos in Notarios creare, conſtituere, & deputare; Qui ſic creati, conſtituti, & deputati, ſine aliquo reſpectu, & omni ceſſante recuſatione, liberè, quoties requiſiti fuerint, omnia, & ſingula mandata priuilegia, conceſſiones, gratias, & indulta Apoſtolica, aliaque tam vniuerſalia, quàm particularia dicto Ordini, ac quibuſnis alijs, quæ de obſeruantia ſunt tantum, locis, domibus, Conuentibus, Monaſterijs, & Eccleſijs, tam virorum, quàm mulierum, ſeu eiuſdem Ordinis Magiſtro generali, Prouincialibus, Vicarijs, Prioribus, & alijs Superioribus, fratribus, ac Abbatiſſis, Prioriſſis, monialibus, & alijs perſonis ſub Regula dictorum fratrum degentibus, & quæ ſunt obſeruantiæ tantùm, in genere, vel in ſpecie, & ad vniuerſam, ſiue priuatam vtilitatem conceſſa, & emanata reſcripta Apoſtolica eiſdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, alijſq; perſonis eccleſiaſticis, & ſecularibus quibuſcumq; vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requiſiti fuerint, notificare, & intimare; ac eoſdem iuxta mandatorum, conceſſionum, indultorum, priuilegiorum, & reſcriptorum huiuſmodi formam, continentiam, & tenorem, monere, & requirere, aliaq; omnia, & ſingula circa ea requiſita, & opportuna facere, agere, exercere, & exequi, ac de eiſdem omnibus, & ſingulis publicos, & publica, actus, & inſtrumenta coram teſtibus ad hoc requiſitis conficere, & ſtipulari, ac in notam redigere, & exinde ſemel, vel pluries, prout ad id requiſiti fuerint, vnum, vel plures, ac plura, publicos, & publica, actus, & inſtrumenta, quibus eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbique, ac ſi per alios quoſcumque publicos, & authenticos rogatos Notarios ſtipulata, confecta, & publicata, & authenticata fuiſſent, conficere, & debitis ſignis, & characteribus ſubſcribere, publicare, & authenticare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem impertimur, concedimus, & indulgemus; eiſdemq; actis, notis, inſtrumentis, & ſcripturis per dictos Religioſos, vt præfertur, Notarios deputatos ſtipulatis, confectis, &, vt præfertur, authenticatis, plenam, & indubitatam fidem vbique, tam in iudicio, quàm extra adhiberi, ac eoſdem ſic intimatos, monitos, & requiſitos eis affici, & arctari debere volumus, ſtatuimus, & ordinamus.

Iubet prædictos Notarios non impediri. §. 3. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, & indignationis noſtræ, ac ſuſpenſionis a diuinis, quò ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos; quò ad alios verò inferiores ſub maioris excommunicationis latæ ſenten-

ſententiæ pœnis, locorum Ordinarijs, & alijs quibuſuis perſonis, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, & quacumque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, ſeu poteſtate, etiam Legati de latere, ac Cardinalatus honore fulgentibus, ne ipſos Notarios, vt præfertur, deputatos, & electos, ſiue eorum aliquem, in executione ſupradictorum omnium quouis modo impediant, ſeu impedire, aut perturbare audeant, vel præſumant.

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 4. *Ac decernentes, præſentes literas nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, ſeu intentionis noſtræ vitio, ſeu defectu notari, ſeu impugnari poſſe; ac ſub quibuſuis reuocationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris emanandis comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum, & validiſſimum, etiam ſub data per eoſdem Magiſtrum generalem, Prouinciales, & alios ſupra nominatos eligenda conceſſas, reſtitutas, & plenariè reintegratas exiſtere.*

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 5. *Et ſic per quoſcumq; iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: Ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Commiſſarios deputat.

§. 6. *Quocirca dilectis filijs Iacobo tit S. Mariæ in Coſmedin. Presb. Card. de Sabellis nuncupato, noſtro in alma Vrbe Vicario, & Curiæ cauſarum Cam. Apoſt. generali Auditori, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regenti, nunc, & pro tempore exiſtentibus per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magiſtri generalis, Procuratoris, Prouincialium, & aliorum prædictorum, ſeu alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum ſingulos indulto, conceſſione, voluntate, ſtatuto, ordinatione, mandato, & decreto noſtris huiuſmodi iuxta earumdem præſentium tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper per quoſcumq; quomodolibet indebitè moleſtari; contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus, aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerint, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs.

§. 7. *Non obſtantibus, fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prędeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dictis, dummodò quis auctoritate præſentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, alijſq; quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſtolicis, necnon in prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, etiam dictæ Sedis de latere Legatis, Nuncijs, locorum Ordinarijs, & alijs quibuſuis perſonis in præiudicium præmiſſorum, per quoſcumque Rom. Pont. etiam prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem præfatam, tam ſub plumbo, quàm in forma Breuis & etiam motu, & ſcientia ſimilibus conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcũq;. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultũ, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 8. *Volumus autem, quòd tranſumptis præſentium, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique locorum adhibeatur, & adhiberi debeat, quæ literis ipſis originalibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 21. Martij, 1571. Pontif. noſtri anno 6.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd Cher. tom. 2. bull. in Pio V, conſt. eius 124. pag. 336. hanc eamdem bullam refert, & notat in margine ad §. 2. quòd hoc idem priuilegium conceſſerat Iulius III. die 27. Febr. 1554.

2 Noto 2. quòd hoc priuilegio gaudent alij Mendicantes communicationem cum Prædicatoribus habentes in conceſſis, & concedendis, vt Paſſar. notat pag. 244. & Rodriq. to. 3. q. reg. q. 8. ar. 1.

3 Noto 3. quòd iſti Notarij poſſunt deputari non ſolùm pro negotijs communibus Religionis, ſed etiam pro particularibus.

4 Noto 4. quòd informationes intrantium Religionem, quas præcipit fieri Clemens VIII. approbando quò ad hoc bullam Sixti V. vt conſtat ex conſt. 10. Vrb. VIII. num. 80. poſſunt fieri ab iſtis Notarijs Religionis; nam verba legis intelliguntur iuxta ſubiectam materiam, vt dicitur in ca. Intelligentia, de verb. ſign. Ita Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. ca. 2. dub. 3. concl. 4. reg. 4. & pro hoc puncto vide infra in conſt. 2. Sixti V. nu. 7.

5 Noto 5. quòd iſti Notarij poſſunt etiam authenticare priuilegia Apoſtolica, eaq; tranſumptare, quando talis tranſumptatio conceditur cum ſubſcriptione alicuius Notarij publici.

6 Noto 6. quòd iſti Notarij poſſunt creari à Generalibus, Prouincialibus, & Correctoribus, non ſolùm pro cauſis ciuilibus, ſed etiam pro criminalibus. Caſtell. in tract. de elect. cap. 20. pag. 444.

7 Noto 7. quòd Notarius eſt perſona publica, cuius ſcripturis legitimè factis auctoritate iuris plena, & indubitata fides adhibetur, & de iure communi Monachus à tali officio repellitur; tum quia cenſetur mortuus mundo leg. Deo nobis C. de Epiſ. & Cler. tum quia non eſt ſui iuris; cap. Non dicatis 12. qu. 2. ca. Ex parte, de accuſatum quia non ſe debet impedire in negotijs ſecularium, leg. Repetita, C. de Epiſ. & Cler. Ita

Ioann.

Ioann.Iac.Caniſ.in libel.de tabell.tit.Quis poſſit facere Notarium: Vnde neceſſe omnino fuit hoc priuilegium Vide Hoſt.in ſum. lib. 3. Ne Clerici, vel Monach. numero 5.

8 Noto 8.quòd non poteſt ad tale munus aſſumi baſtardus, niſi ſit rehabilitatus, iuxta dicta ſupra in conſtit.2.Iul.II.§.29.à n.39. ita Muſſus in formul. inſtrum. cap.53. & debent habere omnes conditiones, quas hic requirit Papa §.1. nimirum vt ſint moribus probati, ac fide, & doctrina idonei.

9 Noto 9.circa modum iſtos Notarios creandi, quòd Superiores ad quos eos creare pertinet, adhibitis teſtibus ſufficientibus, & idoneis, etiam ex Religione, recipiunt iuramentum ab eo, qui in Notarium creandus eſt, vtpotè quod eſt de eſſentia talis officij, vt bene Aldr.lib.1.de diſcip.cap.8. nu. 8. & 9. Quod iuramentum poteſt fieri ſub hac forma. *Ego N. promitto, & iuro Deo omnipotenti, & S. D. D. N. Papæ N. & tibi P. quòd meum fideliter exercebo officium in omnibus, & per omnia, ad hæc ſancta Dei euangelia.* Ita Specul.p. 2. de inſtrum. edit.§. Reſtat, n. 37. & Muſſus loc. cit. Iuramento hoc pacto recepto, Prælatus, tradendo illi calamum, & atramentarium, dicit. *Accipe poteſtatem notificandi, & intimandi in iſta Prouincia quibuſcumq; perſonis, etiam Regibus, mandata, indulta, ac priuilegia Apoſtolica, iuxta bullam ſanctæ mem. Pij Papæ V. faciendiq; publicos actus, & inſtrumenta. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Forma autem litterarum pro fide facienda, quòd talis fuit in tale munus aſſumptus, poterit fieri hoc pacto. *Nos frater. N. Prouincialis, &c. auctoritate S. M. N. Papæ Pij V. per ſuas literas datas Romæ die 21. Martij anni 1571. quæ incipiunt, Debitum paſtorali, creamus, conſtituimus, & deputauimus in Notarium P. F. N. virum moribus probum, fide, & virtute idoneum, ad intimanda, & notificanda quæcumq; indulta &c. & faciendi quæcumq; inſtrumenta, &c. recepto prius ab eo coram nobis genuflexo corporali iuramento fidelitatis ad ſacra Dei Euangelia coram teſtibus infraſcriptis. Datum, &c. In quorum fidem, &c.* Vel poteſt fieri alia forma ad placitum, modò ſubſtantialia non deſint.

CONSTITVTIO X.

Statuit, quòd Religioſi non poſſint vti bulla Cruciatæ, nec alijs indultis particularibus quò ad electionem confeſſorum, & quò ad abſolutionem à reſeruatis: poſſunt tamen abſolui, & diſpenſari à ſuis Prælatis, ſicut poſſunt Clerici, & ſeculares à ſuis Epiſcopis per Concilio Trid.

P I V S P A P A V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū.

R Omani Pontificis circumſpecta benignitas honeſta petentium vota, quæ perſonarum ſub Religionis iugo Altiſſimo famulantium ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam, libenter admittit, & fauoribus proſequitur opportunis.

Supplicatio.

§. 1. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior prouincialis Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis fratrum Prædicatorum, quòd, cum in bulla Cruciatæ ſanctæ, & alijs priuilegijs, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi confeſſorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis, & à quibuſdam etiam, quæ dictæ Sedi reſeruata ſunt, Religioſi dicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli etiam his facultatibus vti præſumunt, & illarum prætextu eligunt confeſſorem aliquando præter eos, qui à ſuis Prælatis pro audiendis eorum confeſſionibus deputati ſunt, quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Prior nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Non poſſunt Religioſi vti bulla Cruciatæ. Vide ſup. in conſtit 13. Iul. II. §. 2. n. 3.

§. 2. *Nos igitur huiuſmodi obuiare volentes, ac eumdem Priorem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem Cruciatæ ſanctæ, & aliorum indultorum particularium, quantùm ad prædictum articulum eligendi confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum fratribus, & ſororibus monialibus totius Ordinis prædicti, tam Prouinciæ Hiſpaniæ huiuſmodi, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere, nec cenſeri, ſed noſtræ intentionis exiſtere, quod ijdem fratres, & moniales quantum ad ſacramenti pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò declaramus: Eiſdem tamen Prælatis, vt in vſu huius poteſtatis ſe cum ſubditis benignos, & faciles exhibeant, præcipientes, & mandantes.*

Poſſunt tamen abſolui ab omnibus caſibus, ſicut ſubditi Epiſcopi. Vide ſup. in conſtit. 4. Sixti IV. §. 5. à num. 6.

§. 3. *Et inſuper quid ſacrum œcumenicum generale Trid. Concilium conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in irregularitatibus, prout ſeſſ. 24. c. 6. habetur, ne Prior conuentualis, & ſuperiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut ſeculares exiſtant, eiſdem Priori conuentuali, & ſuperioribus Prælatis, vt ipſi per ſe ipſos idem omnino poſſint in fratres, & moniales dicti Ordinis ſibi ſubditos, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & laicos ſibi ſubiectos, tam quò ad abſoluendi, & diſpenſandi huiuſmodi, quam alias quaſcumq; facultates, eiſdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.*

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 4. *Decernentes, præſentes literas perpetuò durare, & valere, & ſub quibuſuis illarum conſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, derogationibus, vel alijs contrarijs diſpoſitionibus, etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Rom. Pontif. pro tempore exiſtentes, aut Sedem Apoſtolicam, etiam ex quauis cauſa, aut aliàs quomodolibet, canonicè, vel de facto, nunc, & pro tempore factis, & faciendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, & de nouo conceſſas exiſtere, & fore, ac cenſeri, & ſuffragari debere; Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis Apoſtolicis, ac vniuerſalibus, prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac aliàs quomodolibet conceſſis, & approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores ſuos, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq; Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Iunij, 1571. Pontificatus noſtri anno 6.

GREGORIVS XIII.

Italus, ex Ciuitate Bononiæ, Chriſtophori de Boncompagnis filius, ad Pontificatum aſſumptus anno 1572. die 13. Maij, dedit ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Confirmat, & innouat de plenitudine poteſtatis Minimorum priuilegia cum clauſula Non obſtante Concilio Lateranenſi.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. *REgimini militantis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, circa ſtatum fidelium quorumlibet, præſertim Religioſorum, ſtudio piæ vitæ vacantium, proſperè dirigendum attentiùs cogitamus, & eos, vt quietiùs vota ſua Domino perſoluere poſſint, eorumq; loca, & domos benignis fauoribus confouemus, ac his, quæ propterea per prædeceſſores noſtros prouidè conceſſa fuiſſe dignoſcuntur, vt firmiora perſiſtant, cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium propenſius impertimur.*

Hi ſummi Pont. multas gratias Ordini noſtro conceſſerunt.

§. 1. Dudum ſiquidem, ſicut accepimus, felic. recordat. Sixtus IV. Innocen. VIII. Alexand. VI. Iul. II. Leo X. Clemen. VII. Paul. III. Iul. etiam III. Paul. IV. Pius etiam IV. ac Pius V. prædeceſſores noſtri, Ordini fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, illiuſq; Correctori generali, & alijs fratribus, eorumq; Eccleſijs, & Conuentibus nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, diuerſaq; alia priuilegia, & indulta, tam ſpiritualia, quàm temporalia, etiam per ſolam ſignaturã, aut viuæ vocis oraculo, tam pro foro conſcientiæ, quàm foro fori, in genere, & ſpecie, etiam per modum communicationis ſiue extenſionis priuilegiorum, etiam cum alijs quibuſcumq; Ordinib. Mendicantibus, & non Mendicantibus conceſſerunt, aut iam conceſſa confirmarunt, & approbarunt, prout in ſingulis conceſſionibus, & literis ipſorum prædeceſſorum deſuper confectis pleniùs continetur.

§. 2. Cum autem, ſicut dilecti filij modernus Corrector generalis, & Zeloſi dicti Ordinis Minimorum nobis nuper exponi fecerunt, ea firmiora cenſeantur, quæ Sedis Apoſtolicæ confirmatione ſæpius roborantur; ideo nobis ipſi Corrector generalis, & Zeloſi humiliter ſupplicari fecerunt, vt prædictis gratijs, conceſſionibus, & priuilegijs, & alijs præmiſſis, & in dictis prædeceſſorum literis contentis, noſtræ approbationis robur adijcere, aliaſq; in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Supplicatio.

§. 3. Nos igitur ad vberes fructus, quos Ordo fratrum Minimorum huiuſmodi in agro militantis Eccleſiæ producere non ceſſat, debitum reſpectum habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præmiſſa, ac omnia, & ſingula alia priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prerogatiuas, fauores, conſeruationes, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, eiſdem Correctori generali, & Zeloſis, ac alijs fratribus, Eccleſijs, domibus, Conuentibus, & locis dicti Ordinis Minimorum, ipſiuſq; Ordinis Minimorum monialium, Monaſterijs, & Eccleſijs, ac ipſis monialibus, ſeu ſororibus, & locis eorum quibuſcumque in genere, & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam viuæ vocis oraculo,

Confirmat, & innouat de plenitudine poteſtatis omnia priuilegia etiam per modũ viuæ vocis oraculi.

vt præ-

Digitized by Google

vt præfertur, aut aliàs, tam per præfatos, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedē præfatā, quam Imperatores, Reges, & alios Principes, ſub quacumq; forma, & expreſſione verborū conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, & declarationibus, ſingulas deſuper confectas literas, & in eis contenta, & inde ſecuta quæcumq; illorum omnium tenores, & formas, datas, effectus, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbū inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, dicta auctoritate Apoſtolica, ac poteſtatis plenitudine, quatenus ſint in vſu, & ſacris Canonibus, & decretis ſacri Concilij Trident. non aduerſentur, approbamus, confirmamus, & innouamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſeruari; necnon ipſis Correctori, Zeloſis, fratribus, monialibus, ſororibus, eorumq; Eccleſijs, domibus, Monaſterijs, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extenſionis huiuſmodi ſuffragari, illiſq; frui, vti, & gaudere, quando, ac quoties opus fuerit, poſſe, & debere in iudicio, & extra, ac etiam in foro conſcientiæ in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi ſpecialiter, & expreſsè eiſdem Correctori, Zeloſis, fratribus, monialibus, ſiue ſororibus, Eccleſijs, Monaſterijs, domibus, & locis præfatis conceſſa fuiſſent, decernimus; necnon priuilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, exemptiones, fauores, & gratias huiuſmodi modo, & forma, quibus confirmata à nobis ſunt, ad domos, & loca quæcumque dicti Ordinis fratrum Minimorum hactenus recepta, & in poſterum recipienda extendimus, & ampliamus.

Derogat contrarijs. §. 4. *Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam generalis Concilij Lateran. vltimò celebrati, ac Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ ſinguli prædeceſſores prædicti in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Cæterùm quia difficile foret præſentes literas ad quæcumque loca, vbi illa neceſſaria fuerint, deferre; volumus, & prædicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd earumdem literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati eccleſiaſtici, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, ea prorſus in iudicio, & extra fides adhibeatur plenaria, ac illis ſtetur in omnibus, & per omnia, ſicut originalibus ipſis literis adhiberetur, & ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 10. Octobr. 1575. Pontificatus noſtri anno 4.

§. III.

1 NOto 1. quòd per illam clauſulam *Quatenus ſint in vſu* ſignificatur, Pontificem intendere ſolùm confirmare priuilegia, quæ ſunt in viridi obſeruantia, ſuumq; valorem retinent. Non autem illa, quæ inualida ſunt per non vſum, vel per contrarium vſum. Secus autem ſi ſint in vſu, & inualida per quamcumque aliam cauſam; Nam tunc, cum confirmet ex certa ſcientia, ea reualidat & innouat, ſi ſint in vſu. Ita Rodriquez to. 1. q. reg. q. 8. ar. 3. Suarez lib. 8. de leg. cap. 18. num. 16. Videatur Cruz lib. 2. de ſtatu Relig. cap. 3. dub. 2. concl. 6.

2 Noto 2. circa illam clauſulam *Et ſacris Canonibus*, quòd ſacri Canones, de quibus hic loquitur Pontifex, non ſunt illi, qui ſunt inſerti in iure communi, & illud conſtituunt; Nam, cum omnia ferè priuilegia ſint contra ius commune, parùm proficeret dicta confirmatio: ſed ſunt Canones inſerti in Concilio Trid. Atque ita illa dictio *&* eſt coniunctiua, & coniungit Canones Concilij cum ipſius decretis. Ita A Sorbo in comp. verbo Priuilegia fratrum, verſu eſt etiam aduertendum, pag. 487. Rodriq. tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 8. artic. 8.

3 Noto 3. circa illam particulam *Et decretis ſacri Concilij Trident.* quòd per illam clauſulam reuocantur tantùm priuilegia, quæ à Concilio Trident. ſunt reuocata per clauſulam Non obſtantibus; aliud enim eſt, quòd priuilegia ſint contraria Concilio Trident. & aliud, quòd ſint ab illo reuocata: Quæ clauſula propterea interdum additur, & interdum non, vt patet ex ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. & ſeſſ. 24. cap. 11. Nam illa ſunt ſimpliciter Concilio contraria, quæ ab illo reuocantur. Quæ autem non reuocantur, tacitè admittuntur; atque ita illi non ſunt contraria. Neque obſtat, quòd ſeſſ. 25. de regul. cap. 22. ſancta Synodus præcipit obſeruari omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, &c. Nam ſolùm reuocat illa, quæ ſunt contra decreta illa ſeſſ. de regul. non autem illa, quæ contra alias ſeſſiones. Neque etiam obſtat bulla Pij IV. In Principis Apoſtolorum Sede, quæ reuocat omnia priuilegia, quæ Concilij Trid. decretis contrariantur; Nam, cum illa bulla ſit facta in robur, & obſeruationem decretorum Concilij, vt patet, debet intelligi ſecundùm quòd intelligitur illud, & terminis illius eſt concludenda, vt docet Gloſſa in cap. Statutum eod. verbo, de elect. in 6. Rodriquez tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 8. artic. 6. Suar. lib. 8. de leg. cap. 18. num. 18. Nauarr. in ſumm. cap. 27. nu. 190. Thomas à Ieſu lib. 12. de conuerſ. omn. gent. tit. Sequitur collectio, pag. 847. verſu Illud tamen. Sed ſenſus communis illius clauſulæ modo obtinet in praxi, vt deroget non ſolùm quæ derogantur à Trident. ſed etiam, quæ illi ſunt ſimpliciter contraria.

CONSTITVTIO II.

Statuit, quòd Generalis Ordinis Minimorum poſſit deputare quoſcumque Viſitatores in omnibus Prouincijs, & appellantes ad tribunalia ſecularia, & ſe dictis Viſitatoribus opponentes ſint excommunicati.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX paſtoralis officij noſtri debito ad ea aciem noſtræ mentis dirigimus, per quæ perſonæ eccleſiaſticæ præſertim Regulares, ſub obedientia, quam profitentur, quietè, & pacificè vitam ducant. Proœmiū.

Memorat ſtatutum Capit. generalis 4. Genuæ, n. 33. §. 1. *Sanè ad aures noſtras peruenit, quòd in Capitulo generali fratrum Ordinis Minimorum nuncupatorum, Ianuæ nuperrimè celebrato, inter alia nonnulli*

Vicarij generales in diuerſis orbis Prouincijs deputati fuerunt, qui durāte triennio officij Correctoris generalis dicti Ordinis, alterius nationis in illis partibus res præfatorum fratrum gubernarent, & moderarentur. Verùm quia modernus generalis Corrector eiuſdem Ordinis intendit perſonaliter viſitare aliquas ex dictis Prouincijs, ex eo quia aliqui ex dictis Vicarijs, ſui officij immemores, in multis caſibus, præter, & contra dicti Ordinis inſtituta procedunt, ac proceſſus contra aliquos fratres formatos communicant cum iudicibus ſecularibus; ita quòd aliqui fratres huiuſmodi perterriti fugam arripiunt, & ab obedientia ſuorum Superiorum ſe alienant, & apoſtatare coguntur in maximum plurimorum ſcandalum; dubitetq; quòd, ſi ipſe, vel pro tempore exiſtens generalis Corrector dicti Ordinis ad illas partes accedat, vel alios Viſitatores deputet, prout ſuo officio incumbit, aliquis Vicarius, cornua contra ipſum erigendo, ipſi obedire recuſet, ſicque diſſidia, & ſcandala varia oriantur.

Generalis poteſt deputare quoſcumque Viſitatores. Vide to. 1. Relig c.. 18 § 1. v At obijt. Vide etiam ſup in conſtitut. 14 Leo X. & quæ ibi noto.

§. 2. *Ideo nos volentes deſuper opportunè prouidere, tenore præſentium, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, quòd generalis Corrector nunc, & pro tempore exiſtens, quoſcumque Viſitatores ſibi bene viſos in quacumq; Prouincia, ad eius nutum amouibiles, vbi, & quando ſibi expedire videbitur, cum generali, vel limitata auctoritate, poteſtate, & iuriſdictione cuiuſcumque nationis deputare poſſit, & valeat, iuxta priuilegia, & regularia inſtituta dicti Ordinis: Qui omnes Viſitatores in omnibus ſibi obedire debeant, & teneantur, & vbi ipſe generalis Corrector, tam in partibus Hiſpaniarum, quàm alibi præſens fuerit, ceſſet quæcumque auctoritas, poteſtas, & iuriſdictio prædictorum Vicariorum, & Viſitatorum, vel aliorum quorumcumque Officialium dicti Ordinis, etiam in Capitulo generali deputatorum.*

Nullus poteſt appellare ad tribunalia ſecularia, vel ea adire pro negotijs fratrum ſub pœnis &c. Vide to 1. Relig. ca. 20. concl. 4. & Rod. in bul. in Greg. XIII. bulla 2. Quoniā.

§. 3. *Necnon præcipimus, & mandamus præfatis Vicarijs, & quibuſuis alijs Prouincialibus, Viſitatoribus, & dicti Ordinis Prouincialibus, quouis nomine nuncupentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua contrauenientes non niſi à nobis, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolui poſſint; necnon priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia, & vocis actiuæ, & paſſiuæ eo ipſo incurrendis pœnis, ne quis Prouincialis, aut alius cuiuſcumq; dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis Ordinis huiuſmodi Religioſus, aut Religioſa ad tribunalia ſecularia, ſeu iudices ſeculares pro negotijs fratrum dicti Ordinis, ſeu ipſum Ordinem concernentibus, quouis prætextu, vel occaſione appellare, vel illa quoquo modo adire audeant, ſeu præſumant.*

Ordinem recurrendi præſcribit.

§. 4. *Sed vbi opus fuerit, ad generalem Correctorem, & dicti Ordinis Protectorem, ſeu ad nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem recurſum habeant.*

Fautores etiam dictas pœnas incurrunt.

§. 5. *Declarantes, non ſolùm contrafacientes, verumetiam eorum fautores directè, vel indirectè, eaſdem pœnas incurrere.*

Nullus poteſt Viſitatorib. à Generali miſſis reſiſtere.

§. 6. *Et inſuper ſub eiſdem pœnis præcipimus, & mandamus cuilibet Prouinciali, aut Correctori locali, & quibuſuis Religioſis dicti Ordinis, ne Viſitatoribus, aut alijs Officialibus cuiuſuis regionis, aut nationis à prædicto Correctore generali pro viſitandis Prouincijs miſſis reſiſtere, aut ſe opponere audeant, ſed illis faueant, & obediant, & aſſiſtant.*

Qui reſiſtit de facto nō de iure.

§. 7. *Quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.*

Derogat contrarijs.

§. 8. *Irritum, & inane decernentes quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Decretum irritans.

§. 9. *Cæterùm quia difficile eſſet præſentes literas ad quæcumq; loca, vbi illæ neceſſariæ fuerint, deferre, volumus, & prædicta auctoritate decernimus, quòd earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici, & alicuius Prælati ſubſcriptis, & ſigillo dicti Prælati ſignatis fides indubitata in iudicio, & extra adhibeatur in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi originales fuerint.*

Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Martij, 1576. Pontificatus noſtri, anno 4.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. IV.

1 VIde tom. 1. Relig. cap. 20. concl. 1. Et ſcias, recurſum ad Romanum Pontificem poſſe eſſe immediatum, per ſtatutum Cap. generalis Romani 6. num. 14. dub. 7. Et congruit c. Ad Romanam, & cap. Quoties. 2. q. 6. & cap. Si duobus, de appell. Docent etiam Nauarr. lib. 2. conſil. de appell. conſ. 2. num. 1. & conſil. 4. nu. 3. in caſu noſtræ Religionis; Pegna in direct. p. 3. com. 31. ver. Quòd ſi. Cum hac limitatione tamen, quòd non ſit de re leui, & ſi recurrens non probauerit, ſeueriori pœna plectatur.

§. V.

2 QVæres 1. an iſta clauſula *Verumetiam fautores* extendatur non ſolùm ad fautores eorum, qui ad tribunalia ſecularia appellant, an verò etiam ad eos, qui fauent reſiſtentibus Viſitatoribus.

℞. Solùm extendi ad fautores eorum, qui appellant ad tribunalia ſecularia. Quia quando in vna diſpoſitione ſunt diuerſa negotia, tunc clauſula poſita ad vnum negotium, non extenditur ad aliud, maximè quando eſt odioſa, vt hæc. At appellare, & reſiſtere ſunt omnino diuerſa. Ita Panor. in cap. Secundò requiris, de appell. num. 10. Nec obſtat dictum caput Secundò requiris, quatenus ait, quòd nihil intereſt ad hoc vt clauſula concernat omnia contenta in vna diſpoſitione habente plures articulos, an ponatur in principio, medio, vel fine; nam intelligitur, quando nulla omnino poteſt reddi ratio, quare magis debeat concernere vnum articulum, quàm alios. Sed hic poteſt reddi; Tum quia in §. ſeq. præcipit omnibus, tum Superioribus, tum ſubditis, vt dictis Viſitatoribus non ſolùm non reſiſtant, ſe illis poſitiuè opponendo, ſed etiam vt illis faueant, obediant, & aſſiſtant. Vnde, cum omnes fratres vnius Conuentus, vel Prouinciæ teneantur prædicta facere, nullus fautor videtur quaſi remanere; Tum quia dictio, Inſuper, importat diuerſitatem, vnde clauſula poſita in principio, vel ad finem vnius articuli, non refertur ad ſequentia, quando in illis adeſt dictio Inſuper. Ita Tuſch. ver. Dictio, concl. 295. Et ita videtur intellexiſſe hanc conſtitutionem Capit. generale Barchin. 1. num. 16.

3 Quæres 2. Quinam dicantur fautores.

℞. 1. Dici fautores, qui omiſſione, ſeu negligentia ex officio potentes impedire, ne quis ad dicta tribunalia recurreret, & non facerent, V. G. Prouinciales, aut Corrector. 2. dicuntur fautores, qui cooperantur de facto. 3. qui conſilio, & verbis ad appellandum impe-

Digitized by Google

ſmpellerent. Ita Farin. tract. de hær. q. 182. §. 1. num. 1.
4 Quæres 3. an fautor, non ſecuto effectu, incidat has pœnas.

℞. Non incurrere. Quia punitur ſeorſim à principali delinquente; per doctrinam Caí. in ſum. verbo Excomm. cap. 25. notab. 1. & Nau. in ſum. cap. 27. nu. 51. verſu Adde, quòd refert. Idem dic, ſi conſilium in tempore opportuno, quantum in ipſo fuit, contrarium ſuadendo, reuocauit. Innoc. in cap. Ad audientiam, de homic. nu. 2.

5 Quæres 4. an qui ex negligentia, vel quia non vult ſe immiſcere rumoribus, potens tamen obuiare dictam appellationem, non obuiaret, incurreret pœnas hic poſitas.

℞. Licèt prima facie poſſit videri alicui, quòd iſte talis incurrat, cum in c. Quantæ, de ſent. excomm. dicatur; quòd fauere præſumitur, qui, cum poſſit, manifeſto facinori deſinit obuiare; Cenſeo tamen, quòd, ſi abſit dolus, & ſolùm ſit pura negligentia, & ſolùm pura commoditas intendatur, non incurret iſtas pœnas. Ita Panormit. d. cap. Quantæ, num. 7. Secus tamen, ſi id doloſè fiat; nam tunc dicetur indirectè fauere; vel ſi vadat ad aſſociandum recurrentem; nam, cum dolus per coniecturas probetur, iſte, cum fuerit præſens, & non obuiauerit, cum potuerit, doloſè id egiſſe præſumetur; & ſic ſaltem indirectè conſenſiſſe, & fauiſſe. Ita Panorm. loc. cit. num. 8. & eius Additionator lit. C. Et nota hic, quod quatuor poteſt quis conſentire delinquenti, vt dixit Innocent. in cap. 1. de off. deleg. in gloſſa, verbo Pœna. 1. negligendo prohibere, vel punire delinquentem. 2. conſulendo. 3. cooperando. 4. præſtando auctoritatem; vel mandando, vel defendendo delinquentem. 1. & 2. modo minus punitur, quam agens. 3. æqualiter. 4. plus. Ita Steph. de Feder. de interpr. iur. p. vlt. nu. 45.

CONSTITVTIO III.

Decernit, quòd deſcendentes ex genere Iudæorum, & hæreticorum in Religione recipiantur, & ad dignitates admittantur, non tamen deſcendentes ex dictis relapſis, vſque ad quartam generationem incluſiuè.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ.

MVneris noſtri eſſe putamus ſedulò, ac deligenter omnia curare, quæ Religionum conſeruationi, earumque profeſſorum quieti, ac tranquillitati conferant, illamq; in primis curam ſuſcipere, vt iis, quæ materiam ſcandali præbere poſſunt, quamprimum viam præcludatur.

Memorat ſtatutũ factũ in Capitulo generali Forijulij. nu. 34. quòd deſcendentes ex genere confeſſorum non recipiantur.

§. 1. *Cum itaque, ſicut nuper accepimus, ſtatutis in Capitulo generali Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula editis caueatur, vt nullus de genere Iudæorum, aut Mahumetanorum in eum Ordinem recipiatur; ac vt nouitius tam ad habitum, quàm ad profeſſionem admittendus, interrogetur à Prælato, an ex huiuſmodi genere deſcendat, qui, ſi negatiuè reſponderit, recipiatur, præmiſſa etiam priùs proteſtatione, quòd quotieſcumque poſtea inuentum fuerit, eum ex tali genere originem ducere, profeſſio ab eo facta erit nulla ex parte Religionis. Quod non mediocrem dicti Ordinis tranquillitati, & multis, qui ex huiuſmodi genere originem duxere, perturbationem attulit.*

Deſcendentes ex genere Iudæorum &c. recipiantur in Religione.

§. 2. *Nos, qui deſideranter in votis gerimus, vt præfatus Ordo noſtris proſperetur temporibus, & materia ſcandali penitus ſuccisa, radicituſque euulſa longiùs propellatur, poſtquam præfatorum, qui ex genere Iudæorum, & Mahumetanorum originem trahunt, & ſcientes, vel ignorantes ſe ex huiuſmodi genere oriundos eſſe, profeſſionem in dicto Ordine emiſerunt, ſtatui, & quieti nuper, cum de eorum profeſſionis validitate, & ſtatu conſulti eſſemus, viuæ vocis oraculo ſufficienter, ſatis ſuperque prouidimus, attendentes, leges, & ſtatuta non ideo debere fieri, vt per ea ſcandala gignantur, & publica præſertim animarum tranquillitas perturbetur, aut commoueatur, ſed potiùs ad ea tollenda, & ipſam communem quietem augendam; ac propterea ſtatuta prædicta quò ad ea tantùm, in quibus præſentibus noſtris literis aduerſantur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium abrogantes, & abolentes, & ex nunc in poſterum nullius roboris, vel momenti fore decernentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia volumus, ſtatuimus, & ordinamus, vt de cætero in nouitiis recipiendis in Ordinem præfatum S. Franciſci de Paula fiat inquiſitio de moribus, & vita eorum, & de ſuorum progenitorum defectu. Volentes, quòd iis, qui ex Iudæorum, vel Mahumetanorum genere deſcendunt, cum poſt ſuſceptum ab eis baptiſma, Græci, & Iudæi diſtinctio eſſe non debeat, nullatenus defectus generis huiuſmodi, quominùs in Ordinem prædictum recipiantur, & ad conſequendas in dicto Ordine dignitates, gradus, & officia Religionis, nocere poſſit, vel debeat. Quantùm verè attinet ad filios, & deſcendentes hæreticorum, præcipimus, vt filiis, & deſcendentibus talium conuerſorum, & Eccleſiæ vnitati reſtitutorum pariter minimè circa præmiſſa quicquam obſtet.*

Deſcendentes ex relapſis nõ recipiantur.

§. 3. *Quò verò ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quod poſt baptiſma ab eis ſuſceptum iterum à fide catholica receſſerint, per ſententiam in foro eccleſiaſtico latam damnatis; Mahumetanis item, & hæreticis ſimiliter damnatis, viuis, vel defunctis, vel quorum oſſa, vel ſtatuæ combuſta ſunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vſq; ad quartam generationem incluſiuè, in Ordinem ipſum recipi, & admitti non poſſe; Et idem in iis profeſſoribus eiuſdem Ordinis, qui ad ſacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur, ſeruari decernimus.*

Derogat contrariis.

§. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac priuatis, & quibuſuis aliis dicti Ordinis, in generalibus, vel prouincialibus Capitulis editis, tam generaliter de vniuerſo Ordine, quam ſpecialiter de ſingulis eiuſdem Ordinis domibus, vel Conuentibus, ſeu Monaſteriis diſponentibus, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides vbique adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa.*

T 3 *Datum*

Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſc. die 1. Auguſti, anno 1583. Pontific. noſtri anno 12.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 VIde ſimilem conſt Pij V. apud Paſſar. pag. 255. Vide etiam conſt Pij IV. apud Rodr. in bull. in Pio IV. bulla eius 3. & 4. Vide Rodr. to. 1. q. reg. q. 14. ar. 1. & per totam. Vide quæ dico, to. 1. Rel. c. 25. §. 3. verſu Circa 2. interrogationem.

2 Aduerte etiam, quòd iſta conſtitutio non fuit recepta à Cap. gener. Genuæ 5. celebrato, num. 31. & ſtatutum, quòd per P. Zeloſum ſupplicaretur Sanctiſſimo, vt eam dignaretur reuocare pro Religionis quiete. Sed, cum Papa reuocare noluerit, dicendum eſt, quòd ſit in ſuo robore. Videatur Paſſar. in ſchol. ex Genuen. numero 31.

CONSTITVTIO IV.

Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſias Ordinis Minimorum in die ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri Franciſci.

GREGORIVS PAPA XIII.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſal. & Apoſtol. bened.

Concedit prout in ſũmario.

§. 1. *AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus verè pænitentibus, confeſſis, ac ſanctiſſima communione refectis, qui ſingulas Eccleſias Monaſteriorum, ſeu domorum fratrum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula vbicumq; conſtitutas, die feſto eiuſdem S. Franciſci de Paula à primis veſperis, vſq; ad occaſum Solis eiuſdem diei ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ſanctæq; matris Eccleſiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, toties plenariam ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem concedimus, & elargimur.*

De rogat. contrarijs & tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 2. *Contrarijs non obſtantibus quibuſcumq; præſentibus perpetuò valituris. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides vbiq; adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 1. Aprilis, 1579. Pontif. noſtri anno 7.*

§. I.

1 NOto 1. quòd Pontifex Gregorius concedit indulgentiam plenariam verè pœnitentibus, confeſſis, ac ſanctiſſima communione refectis, qui in die S. Franciſci de Paula viſitauerint vnam ex Eccleſiis ſui Ordinis, & hoc toties, quoties illo die id fecerint. Et aduerte, quòd indulgentiæ tantum valent, quantùm ſonant, & eſt communiſſimum dictetum in hac materia apud Theologos, & contrarium dicere, ait D. Th. in 4. d. 20. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 2. in princip. eſt valde periculoſum.

2 Noto 2. Nullum me vidiſſe Doctorem negantem, quinimmo nec dubitantem, an Papa poſſit huiuſmodi indulgentias concedere: Cum enim ſecundum D. Th. loc. cit. ad concedendam indulgentiam requiratur auctoritas, & vnio eius, cui diſpenſatur, ad eum, qui merebatur, quod eſt per charitatem; & ratio diſpenſationis, ſecundùm quam ſaluetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt; & hic interueniant omnia, auctoritas in Papa, qui eſt theſauri Eccleſiæ diſpenſator, gratia in recipientibus, mediante ſacramentali pœnitentia, ſacra communione; & ratio diſpenſationis, quia nimitum iſta indulgentia conceditur ad honorem Dei, qui honoratur in Sanctis ſuis, & ad vtilitatem Eccleſiæ: Non video, cur ſcioli quidam, vel meliùs ſciolos ſe reputantes, audientes hanc noſtram indulgentiam, tam caperata fronte & paruo, ac obliquo ore, quaſi ironicè fateantur, id ſe non intelligere; quos me hic docturum ſpero, niſi malitia ſit in voluntate, vel in malè affecto intellectu inſcitia.

3 Noto proinde 3. quod dubitant inter ſe Doctores, an qui eodem die pluries facit actum, per quem conceditur indulgentia, V. G. pluries viſitat Eccleſiam, cui conceſſa eſt indulgentia, pluries etiam indulgentiam conſequatur. Et optima reſolutio eſt, quam tradit Tab. de mente D. Thomæ, verbo Indulgentia, num. 15. Vel enim in indulgentia dicitur, quòd quoties quis viſitauerit talem Eccleſiam, toties indulgentiam lucretur, & clarum eſt, quòd toties lucratur, quot viſitat: Vel in conceſſione indulgentiæ exprimitur, quòd tantùm conceditur indulgentia pro vna vice; & tunc clarum etiam eſt, non poſſe pluries conſequi: Vel nihil horum exprimitur, & tunc adhuc diſtinguendum eſt: vel indulgentia eſt perpetua, & tunc conſequitur toties, quoties facit; vt D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad quartum. Ang. verb. Indulgentia, nu. 4. Tab. cit. Roſell. nu. 12. Henriq. 7. de Indulg. cap. 10. num. 2. Graff. in append. ad ſuas deciſ. lib. 2. cap. 5. num. 53. Cord. in ſuo quæſt. theol. lib. 5. q. 33. Et quòd poſſit bis, aut ter in die prudenter, & deuotè quis talem indulgentiam conſequi, docet Nauarr. to. 3. tract. de indulg. notab. 31. nu. 36. Suar. tom. 4. in 3. par. diſp. 57. ſect. 1. num. 7. Filliuc. tom. 1. tract. 8. ca. 8. num. 197. Vel eſt determinata; Et tunc adhuc diſtinguendum videtur; Nam vel eſt determinata ad vnum ſolum diem V. G. à primis veſperis, vſq; ad occaſum Solis alterius diei; & tunc dicunt omnes, cit. quòd ſolùm ſemel quis conſequitur indulgentiam etiamſi millies viſitet illo die Eccleſiam deſignatam, niſi aliter ſe explicet indulgentiam cõcedens, vt in ſpecie Cord. Tab. & Ang. Vnde Suar. quem ſequitur Filliuc. dicit ſemper tenorem indulgentiæ eſſe inſpiciendum: Vel eſt determinata ad tres, quinque, vel octo dies, & negat poſſe pluries illis diebus conſequi Tab. Roſ. Ang. Probabile poſſe ſingulis illis diebus conſequi dicit Alph. Leo in tract. de iubil. par. 1. q. 5. nu. 208. Immò dicunt Roſ. Ang. Cord. locis cit. & Caſar. verbo Indulgentia, notab. 6. cenſuiſſe Innoc. & Specul. quòd etiam quando indulgentia eſt determinato pro aliquo particulari die, poteſt quis eam lucrari toties, quoties dictam Eccleſiam eo die viſitauerit. Et ſic aiunt Caſar. & Cord. practicari in indulgentia Portiunculæ: Ad quam tamen praxim reſpondent, fortè ibi haberi ad hoc ſpecialem conceſſionem Papæ; vel certè adeſt eius voluntas tacita, ſeu interpretatiua, dum ſcit, & tolerat ex cauſa rationabili, nam ſæpe communis error facit ius arg. ca. Ecce ego, diſt. 95. quia ſcilicet ſæpe eſt cauſa aliqua, quæ facit, quòd Princeps conſentiat etiam licitè, vt validè fiat, quòd aliàs non valeret, vt Cord. loc. cit. Ex quibus ſatis conſtat, quòd quando tenor indulgentiæ eſt clarus, vt hic noſter, nulla poteſt eſſe difficultas, quin toties quis lucretur indulgentiam, quoties in die S. Franciſci P. N. prudenter viſitabit vnam ex noſtris Eccleſiis.

4 Sed

4 Sed dubium modò reſtat. Si quis viſitando prima vice cum debitis circumſtantijs lucratus eſt indulgentiam plenariam, & per conſequens omnem remiſſionem pœnæ, ſuis peccatis debitæ, quid conſequetur 2. vice, & 3. ſi, vt ſupponimus, nihil pœnæ remanet remittendum?

Certè hoc dubium faſtidioſum eſt, loquendo de indulgentia plenaria: nam de limitata, V. G. tertia parte peccatorum, facilè ſoluit Cord in ſuo quæſt. theol. lib. 5. q. 34. quòd prima vice remittitur illi tertia pars pœnarum, V. G ſi eſt debitor 60. annorum, conſequitur 20. annos de indulgentia; 2. vice lucratur non quidem totidem 20. annos, ſed lucratur tertiam partem de reſiduo pœnarum, quibus tenetur, quando lucratur indulgentiam, puta de 40. annis reſiduis lucrabitur 14. circiter, & ſic de reliquis.

5 De indulgentia verò noſtrâ plenaria optimè P. Montoya in Chronicis Minimorum, libro 2. cap. 25. dicit ſe conſuluiſſe viros doctiſſimos Vniuerſitatis Complutenſis, quorum placita refert, ex quibus & reſpondet, ſuppoſito, quod dicit communis ſententia; Quòd, quando conceditur indulgentia pro vno die, nullus poteſt eam lucrari niſi ſemel, etiamſi decies viſitet, quod hoc plus concedit noſtra indulgentia: Quòd ſi quis, poſtquam ſemel conſecutus fuerit plenariam indulgentiam, & conſequenter remiſſionem omnium pœnarum, eodem die aliud mortale, vel veniale peccatum committat, poterit, iterum conterendo; vel ſe confitendo de illo mortali, etiamſi Euchariſtiam non ſumat, lucrari dictam indulgentiam, & hoc toties quoties id illi eo die acciderit, vel etiamſi non mortale, ſed venialia plura committat. Quòd ſi nullum mortale, vel veniale committat certum eſt non poſſe pluries indulgentiam lucrari, ſi nihil remittendum remaneat. Vnde verba illa, *toties, quoties*, ſic ſunt interpretanda. Concedo, ait Papa, indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſiam S. Franciſci de Paula ſuo die & illo die toties indulgentiam concedo, quoties erit materia pœnarum, per indulgentiam delenda. Poſſet etiam dici, quòd conceditur toties, quoties, vt ſi caſu quis prima vice non fuiſſet bene diſpoſitus, & per conſequens indulgentiam non fuiſſet lucratus, additis gradibus charitatis ad gradus, per plures viſitationes tandem bene diſpoſitus indulgentiam lucretur. Seu etiam poſſet dici, quòd lucretur quis hanc indulgentiam prima vice pro ſe, ſecunda pro defunctis: Sed non inuenio fundamentum, licèt in S. Maria de Portiuncula, in qua non habentur iſta verba, vt dicunt Cord. & Caſar. locis cit. etiam vigeat opinio, quòd poſſint dictam Eccleſiam viſitantes indulgentiam lucrari pro mortuis. Et in multis locis etiam id practicatur in noſtra hac indulgentia in die S. Franciſci.

6 Et nota vnum particulare, quòd ſimilis indulgentia nullibi reperitur conceſſa, niſi Eccleſiæ S. Laurentij patrimonij Regis Hiſpaniarum die 24. Febr. à Pio IV. anno 1560. die 7. Februarij;

7 Nota etiam, quòd, vt dixi, debet iſta indulgentia prudenter ſumi, non ingrediendo, & ſtatim egrediendo, & ſic deinceps; Nam hoc eſſet magis deriſorium, quàm pium, nec hoc caſu præſumendum eſt, mentem Papæ eſſe talem indulgentiam concedere; vnde, tum defectu intentionis Papæ, tum defectu cauſæ iuſtæ, quæ hoc caſu non adeſſet, qui ſic ingrediendo, & ſtatim egrediendo, & iterum ingrediendo, viſitaret, non lucraretur hanc indulgentiam.

8 Solùm reſtat diſcutere, an quando transfertur feſtum S. Franciſci de Paula, transferatur etiam iſta indulgentia. Sed hoc dubium diſcuſſum eſt per Apoſtolicum diploma ab eodem Greg. XIII. quod ſic habet.

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Alias omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſanctiſſima communione refectis, qui ſingulas Eccleſias Monaſteriorum, ſeu domorum fratrum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula vbicumque conſiſtentas die feſto eiuſdem S. Franciſci de Paula a primis veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei ſingulis annis deuotè viſitarent, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſium extirpatione, ſanctæque matris Eccleſiæ tranquillitate, pias ad Deum preces effunderent, quoties id facerent, toties plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem conceſſimus, prout in noſtris inde ſub data die 1. Aprilis 1579. Pontific. noſtri anno 7. in forma Breuis confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, feſtum eiuſdem S. Franciſci de Paula, quod die 2. Menſis Aprilis quotannis celebrari ſolet, in Quadrageſimam incidat, illudque poſt octauam Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti transferri ſoleat, & propterea in dubium verti poſſet, an eadem indulgentia die, qua ipſum feſtum transferri contigerit, ab eiſdem Chriſti fidelibus conſequi valeat, Nos in præmiſſis opportunè prouidere volentes, ac ſupplicationibus dilecti filij Ioannis Ropitelli dicti Ordinis Zeloſi, & Procuratoris generalis, in hac parte inclinati, harum ſerie volumus, & declaramus, vt dicta indulgentia ad eum diem, quo feſtum ipſum, vt præfertur, transferri, & poſt octauam eiuſdem Reſurrectionis celebrari contigerit, tranſlata eſſe, & ab eiſdem Chriſti fidelibus eodem modo, quo die feſto prædicto conſequi poteſt, conſequi eiſque ſuffragari poſſe cenſeatur. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 22. Auguſti, 1580. Pontificatus noſtri anno 9.

CONSTITVTIO V.

Concedit, quòd electiones factæ in Capitulis generalibus à deputatis valeant.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. *EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Idelphonſus Villamaior Corrector generalis Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, quòd licet electio nonnullorum Vicariorum prouincialium eiuſdem Ordinis, & illorum Collegarum, ex ipſius Ordinis inſtitutis, & conſuetudinibus ad Correctorem generalem, ac Superiores, & Præſidentes Capituli generalis eiuſdem Ordinis, capitulariter facienda, pertinere dignoſcatur; Nihilominùs in Capitulo generali eiuſdem Ordinis nouiſſimè in Ciuitate Barchinonen celebrato, cum pro ipſius Ordinis felici directione, ac morum correctione multa ibidem ſtatuta, & ordinata fuiſſent, ac propter temporis anguſtiam, & rerum penuriam ad electionem Vicariorum prouincialium, & Collegarum huiuſmodi commodè procedi non poſſet, Superiores, & alij Præſidentes præfati eidem Idelphonſo Correctori generali; & duobus alijs ſibi ad id adiunctis Collegis, de gremio dicti Capituli generalis exiſtentibus, ius, ac omnimodam facultatem, & auctoritatem Vicarios prouinciales, eorumque Collegas præfatos eligendi conceſſerunt, & in eos tranſtulerunt; Ipſique Idelphonſus Corrector generalis, & eius in ea parte Collegæ, facultatis huiuſmodi vigore in Cataloniæ, & Tuſciæ, ac Hiſpalen. necnon Siciliæ, atque Lombardiæ, & Bethieæ, ac Caſtellæ, necnon Aragoniæ Prouincijs ſingulos ſuos* Memor. ſtatutũ Capituli generalis Barchinon. 1. celebrati.

Vica-

Vicarios prouinciales cum eorum Collegis elegerunt, & deputarunt, eademque electione facta, poſtmodùm idem generale Capitulum eoſdem denuo approbauit, prout in documentis publicis deſuper confectis pleniùs dicitur contineri.

Supplicatio. §. 2. *Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dictus Idelphonſus Correctior generalis, ut de viribus earumdem electionum, & deputationum, ob non ſeruatam in eis inſtitutorum, & conſuetudinum huiuſmodi, ſeu Conc. Trid. in ſimilibus electionibus, & deputationibus forſan requiſitam formam, aut aliàs dubitari contingat, cupiant electionibus, & deputationibus prædictis pro earum ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ confirmationis adijci.*

Concedit prout in ſummario. §. 3. *Nos, qui honeſtis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis, eumdem Idelphonſum Correctorem generalem à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, necnon formam electionum, & deputationum, ac tenores documentorum huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, ipſius Idelphonſi ſupplicationibus in hac parte inclinati, electiones, & deputationes præfatas Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, omneſque & ſingulos, tam iuris, quam facti, ac ſolemnitatum, etiam ſubſtantialium, alioſque defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ſupplemus. Decernentes, eaſdem electiones, & deputationes quouis prætextu impugnari, retractari, aut inualidari nullatenus poſſe, ſed illas validas, & efficaces eſſe, ac fore, ſuoſque plenarios effectus in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi per eos, ad quos ſpectabat, & ſeruatis ſeruandis, factæ, & celebratæ fuiſſent, ſortiri, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obſeruari debere; ipſoſque ad id cenſuris eccleſiaſticis, alijſque opportunis iuris, & facti remedijs, appellatione poſtpoſita, cogi, & compelli poſſe.*

Decretum irritans. §. 4. *Irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrarijs. §. 5. *Non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, ac in prouincialibus, ſynodalibus, & vniuerſalibus Concilijs editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Correctori generali, Præſidentibus, Superioribus, Vicarijs, Prouincialibus, Conuentibus, fratribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter, vel aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 15. Aug. 1580. Pontif. noſtri anno 10.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOta quòd iſte modus eligendi Superiores, qui deſunt in Capitulis generalibus, vel per mortem, vel per priuationem, vel per electionem ad maiora, eſt poſitus in praxi, licèt in aliquibus Capitulis generalibus non annotetur. Vnde ſtatutum Barchinonen. quod citatur §. 1. in dicto Capitulo non eſt inſertum, ſed eſt maxima incuria Scribæ. Et iſte modus eligendi eſt conformis cap. Quia propter, de elect. vbi approbatur electio per compromiſſum, qualis eſt hæc. Sed quia Trid. iubet, omnes electiones fieri per vota ſecreta ſeſſ. 25. cap. 6. de Reg. ideo fuit neceſſaria iſta conſtit. cum derogatione Concilij generalis. Sed aduertant dicti electores, in quos compromittetur per Capit. generale, quòd non poſſunt facere dictas electiones per communem inſpirationem, licèt hic modus eligendi in dicto cap. Quia propter approbetur. Tum quia eſt contra Trid. loc. cit. Tum quia apud nos non eſt in vſu: Tum quia, dato, quòd licitè poſſet fieri, deberet fieri à toto Cap. non à ſolis compromiſſarijs. Nam in hos Capit. compromittit, vt ſolùm faciant electiones ſecundùm vſum, & conſuetudinem Religionis, quæ ſolùm vtitur electione per ſcrutinium.

Digitized by Google

SIXTVS V.

Italus, ex Ciuitate Montis alti in Prouincia Piceni, Pereti de Peretis filius, Ordinis fratrum Minorum Conuentualium, ad ſummum Pontificatum aſſumptus die 24. Aprilis, anno 1585. dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Mandat, feſtum S. Franciſci de Paula celebrari ſub ritu duplici, & in Calendario Romano aſcribi.

SIXTVS EPISCOPVS. Seruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū. Vide 3. p. Rit. ante offic. huius Sancti noc. 1.

IN Cæli throno qui ſedet Rex omnipotens, terramque ſcabellum pedum ſuorum calcat, ſupremo è ſolio puſillorum ſeruorum reſpicit humilitatem, eoſque in quibus illa elucet, ad excelſa ſublimium honorum, & gaudiorum culmina extollit; quod in Sanctis ſuis omni ſempore demonſtrauit: Recenti verò Patrum noſtrorum memoria in B. Franciſco de Paula amplè teſtificari dignatus eſt. Is enim ab ineunte ætate cœleſtium rerum amore incenſus, ex minimo, qualem ſe in Dei, hominumque conſpectu fecerat, magnus euaſit: Interque alia, quibus claruit, virtutum ornamenta, vnam mirificè amplexus eſt Regi Regum ſemper acceptam humilitatem, quam, ſicuti nouerat primum ingreſſum fuiſſe Chriſti Saluatoris noſtri in mundum, ita in anguſto ad pietatem, & ſanctitatem introitu patefaciendo primam ſibi, & ducem, & ſociam aſciuit. Hac, atque alijs diuinæ gratiæ præſidijs B. confeſſor munitus, apud magnos Principes, & Reges, cum adhuc in mundo quaſi hoſpes peregrinaretur; in patria verò cæleſtes inter Choros poſt abſolutam peregrinationem à Deo, cui fideliter ſeruierat, ſeque in primis humiliauerat, eſt exaltatus, magnaſque virtutes, vt etiam in vita cum ſumma omnium, qui viderunt, vel audierunt, admiratione meruit operari.

Ordinem Minimorum inſtituit.

§. 1. *Quibus virtutibus, fratrum Minimorum, congruente ſuæ humilitati denominatione, Ordinem, quem viuens inſtituerat, mirum in modum auxit, ita vt ex ſancti viri imitatione, deuotiſque fratrum ipſorum ſtudijs, multis iam in Italia, quæ de eius natiuitate, atque in Gallia, quæ de ſancta obdormitione in Domino gloriantur, totiuſque Chriſtiani orbis Regionibus ædificatis templis, Cœnobijſque conſtructis, eius memoria in dies magis propagetur.*

A Leonis X. canonizatus.

§. 2. *Ipſe autem à fel. record. Leone Papa X. prædeceſſore noſtro, Sanctorum, quos catholica veneratur Eccleſia, catalogo ſolemni ritu aſcriptus, in Cœlo pro ipſa ſemper Eccleſia, aſſiduiſque paſtoralis ſeruitutis, & ſollicitudinis noſtræ laboribus apud Deum, vnà cum omnibus Sanctis, & ſibi cognomine, atque æternæ felicitatis conſorte B. Franciſco Ordinis fratrum Minorum Fundatore intercedit.*

Feſtum S. Franciſci ſub ritu duplicis celebretur.

§. 3. *Quare nos eius nomen, & ſanctitatem dignis, quantum noſtra patitur infirmitas, honoribus decorare volentes, hac præſenti conſtitutione mandamus, vt eiuſdem B. Franciſci de Paula Confeſſoris glorioſi feſtus dies, qui quarto Nonas Aprilis peragitur, duplici poſthac, & proprio & vbi propria non erunt, de communi Confeſſorum non Pontificum, officio per cunctas totius Chriſtiani orbis Eccleſias quotannis celebretur, & in Calendario cum duplicis feſti adiectione inſcribatur.*

Præſentes publicentur.

§. 4. *Præcipientes omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in vniuerſo terrarum orbe conſtitutis, vt faciant in ſuis quiſque Eccleſijs, Prouincijs, Ciuitatibus, & Diœceſibus præſentes noſtras ſolemniter promulgari, & ab omnibus eccleſiaſticis perſonis ſecularibus, & quorumcumque Ordinum Regularibus omnino obſeruari.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Volumus quoque, vt præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno Incar. Dom. 1585. Pontif. noſtri anno 1.*

CONSTITVTIO II.

Transfert celebrationem Capituli generalis, quæ fiebat die Aſcenſionis ad diem Pentecoſtes.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū.

IN his, quæ ad ſacrarum Religionum regimen non mediocriter pertinere cognoſcimus, partes noſtras, prout ſuadet vtilitas, & neceſſitas exigit, libenter interponimus.

Transfert Romam celebrationē Capituli generalis.

§. 1. *Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filij fratres Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, qui vigeſimum ſeptimum eorum Capitulum generale, iuxta ordinationem, & definitionem vltimo loco celebrati*

Capi-

Digitized by Google

Capituli generalis, in Ciuitate Aquenſi celebrare debebant; noſque illud ob varia impedimenta, præſertim epidemiæ contagionis in eadem Prouincia graſſantis incommoda, in alma Vrbe noſtra in domo SS. Trinitatis in monte Pincco dicti Ordinis celebrari mandauimus, in proximo feſto Aſcenſionis D. N. Ieſu Chriſti præſentis anni Domini 1587. celebraturi ſint, in quo generalis Corrector, & alij eiuſdem Ordinis Officiales ad triennium, vel aliàs iuxta eius Religionis morem canonicè deligendi ſunt.

Et à die Aſcenſionis ad diē Pētecoſtes.

§. 2. *Animaduertentes autem, vigente nunc in pleriſque ſiuitimis Italiæ partibus ingenti peſtis ſuſpicione, fratribus dicti Ordinis, quibus eam ob cauſam in dicta noſtra alma Vrbe ex Gallis, & Hiſpaniarum Regnis, alijſque Prouincijs, & locis conueniendum eſſet, liberum non patere iter, aut acceſſum, ac propterea multos pro purganda malignitate contracti aeris in ipſius Italiæ oris retardari; Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra celebrationem proximi generalis Capituli præſentis, quod ad dictam almam Vrbem per nos translatum fuit, cui is iam dictus eſt dies, in aliud tempus, videlicet in feſtiuitate Pentecoſtes eiuſdem præſentis anni 1587. Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium transferimus.*

Prouidet interim de Superiore.

§. 3. *Ac, ne interim idem Ordo in ſpiritualibus, vel temporalibus aliquod incommodum ſentiat, dilectum filium Stephanum de Francica nunc dicti Ordinis generalem Correctorem, vnà cum eius Socijs, necnon Zeloſum, videlicet Procuratorem generalem eiuſdem Ordinis, vſque ad dictum feſtum Pentecoſtes ipſius anni 1587. vt præfertur, quo tempore idem Capitulum celebrandum erit, cum eiſdem facultatibus, & auctoritate, quibus in obtentis per eos officijs, & muneribus exercendis, vt præfertur, confirmamus. Decernentes, per Correctorem generalem, & alios Officiales præfatos vſque ad tempus celebrationis dicti Capituli per nos præſcriptum, gerenda quæcumque valere, ac ſubſiſtere perinde, ac ſi illi in generali Capitulo iuxta eiuſdem Ordinis ſtatuta, & conſtitutiones denuo electi, & confirmati fuiſſent.*

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 4. *Sicque per quoſcumque iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatij Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere: Irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Derogat contrarijs.

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationib. Apoſtolicis, dictique Ordinis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & perſonis conceſſis, & confirmatis; quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. *Et quia difficile foret has literas ad ſingula quæque loca, quibus illis vtendum erit, deferri, volumus præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſiue quo Ordo præfatus vtitur, obſignatis, eamdem prorſus fidem haberi, quæ originalibus literis haberetur, ſi oſtenderētur. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 5. Maij, 1587. Pontificatus noſtri anno 3.*

§. II.

1 NOto, quòd ex iſta conſtitutione non videtur ſufficienter probari, translationem Capituli à die Aſcenſionis ad diem Pentecoſtes debere eſſe perpetuam; nam ſolùm prolongatum eſt tempus ad expectandos Patres Hiſpanos detentos cauſa peſtis pro facienda quarantena in Ciuitate Genuenſi. Et ſolùm eſt prolongatum pro celebrando Capitulo 27. poſt cuius quidem celebrationem, ceſſante etiam cauſa dictæ prolongationis, videbatur Capitulum generale eſſe celebrandum ſecundùm ordinationem Regulæ in die Aſcenſionis.

2 Sed reſponderi poteſt, quòd licèt veriſſimum ſit, quòd ceſſante cauſa finali primaria, & propria non ſecundaria, & impulſiua, ceſſat etiam priuilegium ipſo facto, vt habetur in cap. Cum ceſſante, de appell. & docent Panor. in cap. Suggeſtum, de decim. n. 5. & in cap. Recolentes, de ſtatu Monach. num. 1. Fel. in cap. Quæ in Eccleſiarum, de conſtit. nu. 29. Suar. lib. 8. de leg. cap. 30. num. 1. Dicta tamen cauſa finalis debet ceſſare non tantùm negatiuè, ſed etiam contrariè, ad hoc vt ceſſet priuilegium habens tractum ſucceſſiuum (ideſt quòd non vnico ſolo actu conſummatur, ſed datur per modum poteſtatis ad ſucceſſiuè operandum, vel omittendum.) Tunc autem dicitur cauſa finalis ceſſare negatiuè, quando ratio, quæ induxit Principem ad priuilegium concedendum iam non ſubſiſtit: Nihilominus tamen vſus priuilegij non eſt iniuſtus, nec per ſe contra aliquam virtutem. V.G. priuilegium non ſoluendi decimas datum Monaſterio propter indigentiam, non ceſſat, etiamſi Monaſterium iam non indigeat. Item priuilegium retinendi ſimul plura beneficia, quia neutrum ſufficiebat ad ſuſtentationem, non extinguitur, etiamſi beneficium creſcat, & fiat ſufficiens ad congruam ſuſtentationem. Item priuilegium ad anticipandum tempus recitandi diuinum officium vltra ius commune datum alicui propter nimiam occupationem alicuius muneris non videtur ceſſare, etiamſi munus relinquat, niſi in ipſo priuilegio dicatur, Quamdiu tale munus exercueris, vel aliquid æquiualens. Tunc autem dicitur priuilegium ceſſare contrariè, quando vſus priuilegij propter mutationem materiæ, vel circumſtantiarum factus eſt perpetuò iniuſtus, vel iniquus, vt V.G. ſi Monaſterio applicata eſſet aliqua pars decimarum alicuius Eccleſiæ, quia tempore conceſſionis ex reliquo poterat Eccleſia ſufficienter ſuſtentari, poſtea verò, mutatis rebus, ſuſtentari non poſſit, ſi tota illa parte decimarum defraudetur, tunc ceſſat cauſa priuilegij contrariè, & conſequenter priuilegium. Ita Suar. lib. 8. de leg. cap. 30. num. 6. Ex qua doctrina ad caſum noſtrum applicata optimè conſtat, quòd hoc noſtrum priuilegium, licèt, ſi ceſſauerit cauſa finalis, & primaria, quia tamen non ceſſauit niſi negatiuè, & in eo nihil apparet, per quod conijci poſſit, quòd Papa pro ſolo illo Capitulo concedere voluerit, non cenſendum eſt ceſſare.

3 Si dicas, mentem Papæ conſtare, tum ex eo quòd prolongauerit dictum tempus pro celebrando Capitulo 27. tum ex eo quòd in derogatione contrariorum ait *Hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus.*

4 Vt reſpondeam, noto doctrinam Suar. 8. de leg. c. 26. num. 2. quòd priuilegium conceſſum a Pontifice ſimpliciter, & ſine limitatione ad certum locum, valet vbique: Et ſimiliter priuilegium conceſſum ſine limitatione temporis, cenſetur perpetuum, niſi aliud conſtet de mente concedentis; Quia propoſitio indefinita æquipollet vniuerſali, vt eſt apud Iuriſtas commune

dicte-

Digitized by Google

dicterium. Cum ergo hic Pontifex indefinitè dicat, Transferimus Capitulum in feſtiuitate Pentecoſtes, abſque aliqua limitatione, V.G. pro hac vice ſolùm, vel dumtaxat pro hoc anno, vel Capitulo, &c. dicendum videtur, quòd iſta translatio perpetua ſit. Neque quidquam facit, quòd in derogatione contrariorum dicat, Hac vice dumtaxat. Nam iſta clauſula generalis eſt, & ſolita apponi de communi ſtylo Curiæ in quacumque derogatione.& ſignificat, quòd Papa derogat omnibus alijs conſtitutionibus, &c. non ſimpliciter, ſed ſolùm in quantum continent aliquid contrarium conſtitutioni, cui talis clauſula appoſita eſt.

5 Sed quicquid ſit de dictis, conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, vt habetur in cap. Cum dilectus, de conſuetud. ita obtinuit, vt celebrentur Capitula poſt hanc coſtitutionem ſemper in die Pentecoſtes.

6 Duæ conſtitutiones huius Pontificis hic ponendæ eſſent circa eos qui ad habitum Religionis admitti debent, quas refert Cherub. tom. 2. bull. in Sixto V. conſtit. eius 71. fol. 601. quarum prima incipit, Cum de omnibus. 2. ad Romanum, Quas moderauit quò ad illegitimos Greg. XIV. per ſuam conſtit. quæ incipit, Circumſpecta. quam Cherub. ibid. in Greg. conſt. 3. pag. 687. Et quò ad nullitatè profeſſionis moderauit Clem. VIII. per ſuam conſtit. quæ incipit. In ſuprema, apud Cherub. tom. 3. bull. in Clem. VIII. conſtit. 83. pag. 129. relictis in ſuo robore pœnis tranſgreſſoribus impoſitis. Sed quia de his dixi aliqua tom. 1. Relig. qu. 1. cap. 25. §. 3. ad 3. interrog. Et quia hæ explicantur à Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 54. per totam; & à Sanch. 4. in decal. cap. 19. de quibus etiam aliqua Llamas in append. ſuæ meth. à §. 14. Poteſt videri etiam Scott. in ſelec. bull. à theor. 371. & plenè mihi dicendum eſt tom. 2. Relig. ideo pro nunc eas omitto.

7 Hic ſolùm aduerto quò ad receptionem nouitiorum, quòd Clem. VIII per ſuam conſtit. quæ incipit, In his, quæ quam refert Rodriq. tom. 3. qu. reg. q. 54. in fine, *Priori, & Conuentui fratrum Prædicatorum S. Stephani Salmaticenſis, in perpetuum, vt quoſcumque iuuenes, etiam 16. ætatis ſuæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento quòd cratiocinijs, rationibus reddendis obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis, in dicta bulla Sixti V. contentis, detenti non ſint, recipere, ac poſtea per aliquem eiuſdem Conuentus Religioſum ad hoc deputatum, ad inueſtigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmiſſorum, abſque ſtrepitu iudiciario, ſed per ſcrutinium ſecretum procedi facere, qui ad hoc deputatus proceſſum, & informationem captam dictis Priori ſeu Præſidenti, ac Superiori, & Magiſtro nouitiorum, & ſtudentium, à quibus approbari, & reprobari poſſint, referre fideliter debeat, libere, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica conceſſit, & indulſit.*

8 Et idem Clem. per ſuam conſtit. Aſſidua, quam Cherub. tom. 3. bull. in append. in Clem. VIII. conſtit. eius 3. pag. 44. *Præpoſitis, & Religioſis Cong. Clericorum miniſtrantium infirmis conceſſit, & indulſit, vt in qualibet eorum domo, vbicumque locorum exiſtente tres ex antiquioribus Patribus à Capitulo conuentuali deputari poſſint, qui eamdem habeant facultatem, & poteſtatem in admittendis nouitijs, quæ commiſſa fuit Capitulis generalibus, & prouincialibus, alijſque deputandis iuxta conſtitutionem ſuper nouitiorum receptione, à fel. rec. Sixto Papa V. ſub data ſexto kal. Decemb. anno 3. & alteram eius declarationem ſub data 12. kal. Nouemb. anno 4. eius Pontific. dummodo in reliquis earumdem conſtitutionum formam ſeruent; Ad hocque plenam, & amplam dictis deputatis facultatem & auctoritatem impertiuit.*

9 Aliam etiam circa modum recipiendi nouitios edidit idem Clem. apud Cherub. in eodem, conſtit. eius 106. pag. 156.

10 Aliam declarationem pro nouitijs recipiendis circa dictas bullas Sixti V. pro Clericis regularibus Cong. S. Pauli decollati edidit Paul. V. apud Cherub. in Paul. V. conſtitut. 85. pag. 317. quæ incipit, Aliàs fel.

11 His adde decretum ſacræ Congreg. de propaganda fide, habitæ die 13. Decemb. 1624. quòd ſic habet. *Nihil tam magna cura eſt ſacra de propaganda fide Congregationi, quam vt operarios plures linguis inſtructos habeat, quos in meſſem Domini, præſertim ſub hæreticis, & infidelium Principibus conſtitutam, mittere poſſit. Proinde animaduertens, aliam quoque eſſe eoſdem multiplicandi, & augendi breuiorem viam, Generales omnes, annuente S. D. N. admonendos eſſe cenſuit, vt præter ſtudia linguarum aliàs à ſacra Congreg. Regularibus indicta, ſpeciali ſub decreto præcipere velint, vt in nouitiorum receptionibus in poſterum faciendis, aliqui ſemper ex varijs nationibus, & linguis, pro modulo tamen ſuarum Religionum, vnà cum alijs, qui hactenus recipi conſueuerunt, ad habitum aſſumantur, qui, peracto ſtudiorum curſu, & in ſimplici ſacerdotio conſtituti, & epiſcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias propagandæ fidei gratia mitti poſſint. Nam ſic facientes certò ſciant, ſe Chriſto Domino obſequium gratiſſimum, & acceptiſſimum præſtituros, & fidei catholicæ, & ſuarum Religionum generi, & amplificationi ſummoperè eſſe conſulturos.*

GREGORIVS XIV.

Italus, Mediolanenſis, Franciſci de Sfondratis filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno 1590. die 5. Decemb. dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Confirmat, & innouat priuilegia, & ſtatuta Minimorum.

GREGORIVS PAPA XIV.

Dilectis filijs fratribus Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Prooemiũ.

ORdinem veſtrum optimæ famæ odore redolentem, ac in Patris, & Inſtitutoris veſtri Beati Franciſci de Paula veſtigijs ambulantem meritò complectimur, ac fauoribus, & gratijs proſequimur opportunis.

Confirmat prout in ſũmario.

§. 1. *Veſtris itaque ſupplicationibus in hac parte inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, gratias, exemptiones, immunitates, conceſſiones, indulta, & indulgentias, vobis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, confirmata, & approbata, necnon etiam ſtatuta, Regulas, conſtitutiones, & ordinationes veſtri Ordinis, quatenus ſint in vſu, & ſacris Canonibus, Concilijque Trid. decretis ſint conformia auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò, confirmamus, approbamus, & innouamus, ac præſentis ſcripti patroci-*

nio

nio communimus, illiſque Apoſtolicæ ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque omnia, & ſingula perpetuò valida, & efficacia fore, vbiſque ſuffragari, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, aut in futurum ſpectabit, obſeruari debere.

Decretum irritans. *§. 2. Irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Derogat contrarijs. *§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in literis gratiarum, priuilegiorum, & indultorum huiuſmodi conceſſum eſt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, in Monte Quirin. ſub annulo Piſcat. die 5. Iulij, 1581. Pontific. noſtri anno 1.*

§. I.

1 NOto circa illam clauſulam *Confirmamus & innouamus*, quòd innouatio, ſicut confirmatio, eſt duplex. Vna in forma communi. Alia ex certa ſcientia. Innouatio in forma communi non reſtituit priuilegia reuocata, vel quomodocumque amiſſa, nec dat nouum ius, ſed ſolùm antiquum conſeruat, cap. Quia intentionis, de priuil. Innouatio autem ex certa ſcientia confert ius nouum de ſe, & æquiualet conceſſioni, ideoq; reſtituit priuilegium perditum. Ita Suar. lib. 8. de leg. c. 20. nu. 2. & 8. Iſta eſt innouatio in forma cõmuni.

CLEMENS VIII.

Italus, Florentinus, Sylueſtri de Aldobrandinis filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno 1592. die 30. Ianuar. dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Confirmat priuilegia Minimorum ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. *INiunCti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt ſacrarum Religionum in militanti Eccleſia ſuaues in Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſa, quò validiùs perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.*

Confirmat prout in ſũmario. *§. 1. Volentes igitur vniuerſum Ordinem fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, ex quo vberrimi in eadem Dei Eccleſia fructus, ad ipſius omnipotentis Dei laudem, & Chriſtianæ Reipublicæ ſpirituale commodum, & vtilitatem, ab ipſius Ordinis initio ſemper prodierunt, & in dies prodeunt, ac ipſius Ordinis Correctorem generalem, & fratres vniuerſos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi; ac eorum vniuerſos, & ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine per dilectum filium Franciſcum Humblot fratrem, & Procuratorem generalem eiuſdem Ordinis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conſeruationes declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum alijs Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Ordini Minimorum, eiuſque Correctori generali, ac fratribus, & ſororibus, aliiſque Religioſis vtriuſque ſexus, eorumque domibus, Monaſterijs, Eccleſijs, & locis regularibus quibuſcumque per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem ſub quacumque verborum forma, & expreſſione, in genere, & in ſpecie, aut aliàs quomodolibet conceſſa, ac pluries confirmata, cum omnibus, & ſingulis in eis cõtentis clauſulis, decretis, & declarationibus, ac ſingulas literas, tam ſub plumbo, quàm in forma Breuis, aut aliàs deſuper confectas, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, quatenus tamen ſint in vſu, & non ſint reuocata, ſeu ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, ac ſacris Canonibus, & Concilij Trid. decretis non aduerſentur, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ſupplemus.*

§. 2. Quocirca venerab. fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinarijs quibuſcumq; necnon dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque fuerint requiſiti, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Correctoris generalis, & fratrum prædictorum fuerint requiſiti ſolemni- Deputat Commiſſarios.

Digitized by Google

ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem plenum eorum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere: Non permittentes, quemquam deſuper contra præſentium tenorem ſub quouis prætextu, & cauſa, etiam defectu intentionis noſtræ, per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari; quinimmo quicquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omnino ſemper in priſtinum reponi: Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quaſcumque de quibus eis videbitur, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, & alia opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs. §. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum prædictorum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, etiam quòd in eis caueatur expreſsè, quòd illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus derogamus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. §. 4. *Verùm quia difficile foret, præſentes literas, vbicumque opus eſſet, deferri, volumus, & pariter auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd illarum tranſumptis, manu alicuius ex Secretarijs cuiuſuis prędictorum Prælatorum generalium, ac Romanæ curiæ Commiſſarij, & ſucceſſorum, aut Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo officij alterius eorumdem, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 15. Iunij, anno 1603. Pontificatus noſtri anno 12.*

CONSTITVTIO II.

Ordinationi, auuertimenti, e ricordi, che ſi danno dalla Santità di N. S. Clemente Papa VIII. alli Padri del capitolo generale di S. Franceſco di Paola radunati in Genoua queſt'anno 1596.

§. 1. T*Vtte l'elettioni, così nel Capitolo generale, come poi nelli altri prouinciali, e conuentuali, ſi faccino depoſta ogni paſſione, & affettione, conforme alla diſpoſitione del ſacro Concilio di Trento. Ne s'intenda per valida, e canonica quell' elettione, nella quale non ſaranno concorſi più della metà de i voti, non oſtante qual ſi voglia vſo, ò conſuetudine in contrario.* Electiones fiant, omni paſſione depoſita; nec pro validis ex habeantur, in quas non concurrerint vota vltra medietatem.

§. 2. *Nè poſſano li Superiori leuare i frati del Conuento per tre meſi auanti il tempo dell' elettione, che quiui s'harà da fare, eccetto ſe haueſſe commeſſo ſcandalo notorio: e nell' elettione d'eſſe, che s'haranno da fare ne i Capitoli conuentuali, non habbino voto quei frati, che non ſaranno ſtati locali in quel Conuento per tre meſi auanti il giorno dell' elettione.* Superiores non poſſint mutare fratres per tres menſes ante diem electionis, nec in electionibus votum h beāt, qui non fuerint locati per tres menſes ante diem electionis.

§. 3. *Il Generale, che ſarà eletto, faccia ſubito publicare i decreti di N. S. e procuri poi con efficacia poſſibile, e con le prouiſioni opportune l'eſſecutione d'eſſi.* Generalis faciat publicare, & obſeruare decreta.

§. 4. *Principalmente auuertiſca di fare, che in ogni modo ſia in tutto, e per tutto leuata ogni radice del vitio della proprietà, non ſolo apparentemente nell' eſteriore, mà anco interiormente con leuare a i frati tutte l'occaſioni, per le quali poſſi pullulare queſto pernitioſo vitio nelli animi loro; poiche da eſſo procedono ſcandali infiniti nelle perſone regolari.* Vitium proprietatis extirpetur.

§. 5. *E perche il quarto voto della vita quadrageſimale è quello, che fa riſplendere l'inſtituto, e la Regola della Religione; però per ouuiare alli abuſi, e fraudi de i frati poco zelanti della buona oſſeruanza, ſi rinoui, e reſtituiſca intieramente, per oſſeruarſi poi eſattamente, li ordini della Regola, e Correttorio: Cioè che ogni frate, qual ſarà giudicato dal Medico douer mangiar cibi paſcali, ſia tenuto ſtarſene all' infermaria per tutto quel tempo, che magnerà detti cibi, ſenza vſcir mai di Conuento, e ſenza mangiar fuora di detta infermaria, ſotto pena di priuatione di voce attiua, e paſſiua per tre anni ſubſequenti; dallaqual pena non poſſa eſſere habilitato, ſe non per gratia ſpeciale di queſta ſanta Sede.* Infirmi veſcentes carnibus in infirmaria Conuentu non egrediantor.

§. 6. *Il Generale ſia tenuto viſitare perſonalmente tutti li Conuenti più principali dell' Ordine; maſſime in Italia, Francia, & Spagna, & portar poi in queſta ſanta Sede tutte le ſue viſite con lo ſtato de i Conuenti, conforme all' inſtruttione, che è ſtata data dai Prelati della reforma: & il tutto debba eſſequire, ſe non ſarà ritenuto da giuſto impedimento, del quale porti, ò mandi proue legitime, e concludenti per ſua eſcuſatione: e ſe ſarà poſſibile, che giuſta cauſa non l'impediſca, finite dette viſite, ſe ne venghi il Generale con eſſe à Roma, per dar conto della buona eſſecutione delle commiſſioni di N. S. & informar la Santità ſua di quello, che conuerrà, che s'habbia à fare per ſeruitio, e buon gouerno della Religione.* Generalis tenetur viſitare perſonaliter Conuen. principaliores. Vide ſup. conſtit. 14. Leonis X. nu 8.

Collegæ Generalis non ſint ipſius conſanguinei, nec creaturæ. Dicti collegæ tenentur ſemper eſſe cum Generali ſub pœna priuationis.

§. 7. *Li tre Compagni del Generale s'eleggano perſone mature, e di gouerno, che non ſiano attinenti di ſangue al Generale iſteſſo, ne notoriamente creature ſue, ò da lui dipendenti.*

§. 8. *Li predetti tre Compagni vadano perſonalmente col Generale in viſita tutt' il triennio del ſuo Generalato, & ſe alcuno mancherà, non hauendo legitimo impedimento, da prouarſi dalla Santità ſua, caſchi in pena della priuation della voce attiua, e paſſiua per cinque anni ſubſequenti, ipſo facto, ſenz' altra dichiaratione, & nella viſita aiutino il Generale, facendo le parti loro, come diſpone la Regola, & Correctorio.*

Tres Collegæ Prouincialis, & Correctorũ non ſint ipſorum conſanguinei, nec creaturæ.

§. 9. *Li tre compagni de Prouinciali, & Correttori s'elegghino perſone non attinenti, ne dependenti notoriamente dal Prouinciale, ò Correttori, come s'è detto de Compagni del Generale, & faccino l'vfficio loro, come di ſopra s'è eſplicato.*

Superiores in Prouincijs ſtudia erigant.

§. 10. *Li Superiori vſino diligenza per mettere in ogni Prouincia, oue non ſono, li ſtudij dell' humanità, fi
loſofia, teologia, ò almeno alcune di dette profeſſioni, ſecondo la capacità de i luoghi con fare ogn' opra, che li frati attendano à ſtudiare.*

Examinent conſtitutos in ſacris.

§. 11. *Li medeſimi Superiori eſſaminino li frati conſtituiti in ordini ſacri, & ſuſpendino quelli troueranno ignoranti dalle funtioni delli ordini, procurando poi ch' imparino, & ſi faccino ſufficienti, nè li rehabilitino, ſin tanto che non ſiano idonei.*

Nouitij profeſſi ſint ſub cura Magiſtri.

§. 12. *Li nouitij etiamdio doppo fatta la profeſſione, ſtiano ſotto la diſciplina del Maeſtro loro de nouitij per due, ò tre anni appreſſo, ſecondo, che ricercherà la conditione, & natura del ſoggetto, à giuditio del Correttore. S. Tharuggio Commiſſ. di S. Spirito. M. A. Maſſa.*

Generalis faciat publicare decreta, eorumque copiã ſingulis Prouincialibus mittat, qui de ſtatu Religionis moneant.

§. 13. *Reuerendiſſ. Padre oſſeruandiſſ. D'ordine di N. S. ſi mandano à V. P. reuerendiſſ. alcuni decreti, ordini, & auuertimenti, fatti per il buon gouerno, & reforma di coteſta ſua Religione, quali vuole la Santità ſua, che ella li facci publicare nel Capitolo generale, facendone dar copia à tutti li Prouinciali, con ordine, che debbano eſſequire, & mettere in vſo in tutti li Conuẽti delle Prouincie loro, & inſieme con li altri, che furono molti giorni ſono conſignati al P. Zeloſo, & maſſimamente il fatto particolare di leuare tutti li Conuenti piccioli', nelli quali non poſſono ſoſtentarſi almeno dodici frati di famiglia, e di porre in ſcritto lo ſtato di tutta la Religione, diſtinto per Prouincia, e poi per Conuenti, ſecondo la forma, che ſi dirà di ſotto. Et caſo che per l'eſſecutioni di detti decreti, & ordini vi fuſſe qualche difficoltà, V. P. reuerendiſſ. li faccia metter in ſcritto con li temperamenti, che ſi deſiderarebbono, mandandone quà poi piena informatione, acciò ſi poſſa riſoluere, & ordinare appreſſo, quanto ſi giudicherà eſpediente. Mà frà tanto vuole, e commanda ſua Beatitudine ſenza replica alcuna s'oſſeruino detti decreti, & ordini, e che à carico del Generale ſtia il farli eſſequire intieramente, conforme alla pia, & ſanta intentione di ſua Beatitudine, con farli anco inſerire frà le conſtitutioni dell' ordine loro. Si vuol ſapere, quante Prouincie ſono quelle, nelle quali ſi diuide tutta la Religione, e come ſia ciaſcheduna Prouincia nominata, quanti Conuenti ſiano per ciaſcheduna Prouincia, quali, e quanti luogi di ſtudij, quanti, e quali luoghi di nouitij: Si mandi nota, & information del ſito, & fabrica di ciaſcheduno Conuento, da chi, & quando ſiano ſtati fondati, ſe vi ſono Religioſi inſigni, & quali: Se hanno obligo di meſſe, e di quante: Se vi ſia cura d'anime eſſercitata da frati, ò da altri; Quanti frati vi ſiano reſidenti, quanti di eſſi ſiano Sacerdoti, Diaconi, Subdiaconi, Clerici, quanti Conuerſi, & quanti ſeruienti: Se l'intrate ſono certe, e ſe conſiſtono in beni ſtabili, danari, ò elemoſine, & quante ſiano: Se dette intrate ſiano ſufficienti per il numero delli dodeci frati; Con tutto quello di più, che parerà poterſi dire, & aggiongere alli ſopradetti capi. Con che per fine, li baciamo le mani, e preghiamo dal Signor Iddio ogni vero contento.*

Da Roma, li 4. di Maggio, 1596. Di V. P. reuerendiſſ. per ſeruirla S. Tharugg. Commiſſ. S. Spiritus. M. Ant. Maſſa.

Dimittantur Conuẽtus, qui numerum 12. fratrum nequeunt ſuſtentare.

§. 14. *De mandato S. D. N. Papæ Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. præcipitur, & mandatur Superioribus Carmelitarum Mantuan. Sanctiſſ. Trinit. S. Franciſci de Paula Minimorum. S. Onofrij Auerd. vt ex cætero eligant, & eligere debeant ex Conuentibus, ſiue Conuentitijs, de quibus notam dederunt, illos, quos eis viſum fuerit poſſe ſuſtentare numerum duodecim fratrum; illos autem, quos numerum huiuſmodi ſuſtentare non poſſe iudicauerint, dimittere, & vlteriùs infra menſem poſt feſtum Pentecoſtes procurent à die ipſius feſti, videlicet prima die feſti Pentecoſtes prædictæ computandum, diſtinctam notam de Conuentibus electis, cum nominibus fratrum ibi reſidentium, ac de dimiſſis, & reelectis, cum ſpecificatione etiam locorum, in quibus exiſtunt, Admodùm Ill. Et R. P. D. Sorbolongo viſitationis Apoſtolicæ S. D. N. Papæ Secretario, omni, & quacumque acceptione moræ ceſſante, ſub pœna priuationis officiorum, ac alia S. D. reſeruata, realiter, & cum effectu, traditione, & conſignatione, tradere, & conſignare. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 22. Maij, anno 1596.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd iſta decreta fuerunt miſſa ad Capitulum generale, quod Genuæ 6. celebrabatur, & lecta coram toto Capitulo Patres acceptauerunt, & obſeruari mandauerunt, vt patet ex Actis illius Capit. nu. 2. Quare nulla poteſt eſſe difficultas quin ad ea obſeruanda teneantur fratres noſtri.

2 Noto 2. quod ſimul cum iſtis decretis fuerunt miſſa alia pro maiori obſeruantia regulari, quæ pariter acceptata fuerunt, vt patet ibidem. Quæ quoniã pro omnibus Regularibus deinde publicata ſunt, ideo ea hic omitto. Et quia poſtea dicta decreta fuerunt innouata, & aucta à Paulo V. & nouiſſimè à ſacra Congreg. ſub Vrb. VIII, & de mandato illius, ideo ea ponenda cenſui ſub dicto Vrb. infra in eius conſtit. 10.

3 Noto 3. quòd leges iuſtæ nimia ſeueritate, & aſperitate obſeruatæ, ſunt damnoſæ non minùs bonis, quàm malis, cum pauci admodùm ſint, quibus quandoq; illas, ſuadentibus vrgentibus occaſionibus, preuaricare non oporteat, vnde qui legislator vellet eas abſq; epicheia, & excluſis circumſtantijs, obſeruari, approbare videretur Stoicorum dogma, Omnia peccata æqualia eſſe confitentium; Preterquam quòd vel imprudentis, vel crudelis notam non effugeret; primum, ſi legem à ſe latam vt intolerabilem corrigere tenerentur; ſecundum, ſi videns damnum, quod ſequitur ex literali legis obſeruatione, vellet nihilominus illam de toto rigore obſeruari. Quæ tamen quia de mente Pontificum,

qui

Digitized by Google

qui in omnibus rationabiliter procedunt, qui que ſuas leges moderare conſueuerunt, ſi ex ijs ſperatum, & intentum finem prouenire non perſpiciunt, præſumenda non ſunt; ideo neque preſumendum eſt, quòd velint ſtatuta pro reformatione Religionum inducta, cum toto rigore literæ obſeruari, ſi ex tali obſeruatione intolerabilia reddantur.

4 Noto 4. quòd lex poteſt tripliciter interpretari. 1. Secundum totum verborum rigorem, nulla circumſtantia admiſſa; quo pacto dicitur ſummum ius, ſumma iniuria; & Eccleſiaſtici 7. *Noli eſſe iuſtus multum*, vnde imprudentes admodùm iudicantur Iephte Iudic. 11. Et Saul. 1. Reg. 14. qui hoc nimio rigore ſua iuramentum, & edictum interpretati ſunt. Ait enim D. Th. 2.2. q. 120. ar. 1. *quòd in aliquibus caſibus ſeruare legem eſt contra æqualitatem iuſtitiæ, & contra bonum commune, quod intendit lex.* 2. modo interpretatur lex, ſolo verbo rum tenore attento, & ſpreto legislatoris, & legis fine; quo pacto dicitur leg. Non dubium. Cod. de leg. *Fraudem facit legi, qui, ſaluis verbis legis, mentem eius circumuenit.* 3. modo interpretatur lex medio quodam modo, qui dicitur epicheia, ſeu æquitas, conſiderando circumſtantias temporum, locorum, perſonarum, attendendo præcipuè ad finem legis; quo pacto ſi Iephte ſuum iuramentum fuiſſet interpretatus, vidiſſet, quòd non ſe extendebat ad ſacrificandum, niſi vnum ex animalibus ſolitum Deo ſacrificari, quod ſibi primò occurriſſet. Et Saul, quòd ſuum edictum non comprehendebat, niſi eos, qui comedendo bellum potuiſſent turbare, & quòd paruitas materiæ Ionathan excuſabat. De iſta æquitate ait D. Th. 2.2. q. 120. ar. 1. quòd eſt virtus. Et ar. 2. quòd eſt pars iuſtitiæ legalis. Et Paulus Iuriſc. leg. In omnibus, ff. De regul. iur. ait. *In omnibus quidem maximè tamen in iure, æquitas eſt expetenda.* Et Poeta Horatius.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.
Quos vltra, citraque nequit conſiſtere virtus.

§. I.

5 NOta, quòd obſeruatur ad vnguem quò ad formam extrinſecam. An verò omni paſſione, & affectione depoſita, neſcio. Eſt enim tam radicatum in humanis pectoribus illud dominandi deſiderium, vt qui eo non trahitur, omnino perfectus dicendus ſit. Quare etiam dubito, an electores publicũ bonum, vel priuatum potiùs reſpiciant. Deus nos adiuuet. Moneo hic vnum electores, quod vellem decerni, & obſeruari in Religione noſtra, vt decretum eſſe lege imperiali, & canonica docet Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 564. vt honores, & dignitates gradatim conferrent, & qui de ſe experimentum non dedit bonum in dignitate inferiori, ad ſuperiorem non aſſumeretur: Aſſumuntur enim aliqui quandoque tam ex abrupto, & primo ictu ad Prouincialatus & Generalatus, vt meritò & ipſi lugendi ſint, & multò magis, qui illis ſubduntur. Vnde poteſt tunc dici, Veh terræ, cuius Rex puer eſt, puer non ætate, ſed experientia.

§. II.

6 NOto 1. quòd mens Pontificis in hoc ſtatuto condendo fuit, obuiare abuſibus, qui paulatim in Religione irrepſerant; Prouinciales enim, quos videbant ſibi futuros contrarios, vel requiſitos recuſare, vel etiam vltrò ſe non offerre, ne pretenſam electionem impedirent, amouebant à Conuentibus, in quibus electionem poterant impedire. Quem abuſum vt tolleret Pontifex, ſtatuit, vt non poſſint amoueri per tres menſes ante tempus electionis, niſi ratione notorij ſcandali.

7 Noto 2. quòd hoc non debet intelligi cum tanto rigore, vt Prouinciales non poſſint intra dictum tempus, etiam ſine ſcandalo, amouere fratres à dictis Conuentibus, & in alios Conuentus mittere, aliqua rationabili ſuadente ratione, tempore electionis reuerſuros. Nam hoc non eſſe contra mentem Pontificis, conſtat ex fine, qui non fruſtratur per iſtam amotionem.

8 Noto 3. quòd dubitari poteſt, an ſcandalum notorium, de quo hic, debeat eſſe notorium inter ſeculares, an ſufficiat, quòd ſit notorium inter fratres; Sed dico, ſufficere, quòd ſit notorium inter fratres; Nam notoriè ſcandaloſus, etiam inter fratres, indignus eſt vt ad eligendum Prælatum admittatur: quomodo enim penſandum eſt, debere bono communi conſulere, qui honori proprio, tanti æſtimando, non conſuluit; & qui ſibi nequam eſt, quomodò alijs bonus erit.

9 Si quæras, an iſte talis in Conuentu ad quem tranſmiſſus fuerit, poterit habere vocem in electione Correctoris. Dico quòd non. Quia Papa hoc eodem §. ſtatuit, vt nullus vocem habeat in electione Correctorum, qui non fuerit in illo Conuentu locatus per tres menſes ante diem electionis.

10 Noto 4. quòd iſta amotio fratrum non poteſt fieri, niſi per tres menſes ante tempus electionis; & ita, vt amotis remaneat tempus commodè ſe transferendi ad locum, in quo fiunt locales, ideſt ante tres menſes diei electionis, vt dicit Papa hic. Et ratio eſt, quia fratres non poſſunt ſine cauſa priuari iure eligendi; vnde ſi amouerentur intra tempus, quo non poſſent commodè ad locum, quò mittuntur, proficiſci, ita vt illuc non appellerent per tres menſes ante diem electionis, illis maxima irrogaretur iniuria; iure .n. ſuo ſine cauſa priuarentur; quod eſt iniquum, c. Satis peruerſum, d. 56. & cap. Inuentum 16. q. 7. & per conſequens poſſent proteſtari de grauamine, & de nullitate electionis, & appellare ad Superiorem, qui teneretur electionem illam nullam declarare, ſi illi conſtaret, quòd appellans fuiſſet amotus à Conuentu tam tempore coarctato, vt non potuiſſet in alium commodè ſe transferre, in cuius electione votum haberet, arg. cap. Quod ſicut, §. Quod ſi, de elect.

11 Noto 5. quòd per illam clauſulam *ante tempus electionis* ſignificatur, quòd amouendus debeat amoueri per tres menſes antecedentes diem electionis incluſiuè. Et ſic quando dicitur, quòd electores debent eſſe locati per tres menſes ante diem electionis, intelligitur etiam incluſiuè. Qui itaque fuerit locatus die 15. Iunij, dicetur locatus per tres menſes ante diem electionis quæ fit 15. Septembris, & ſimiliter qui eo die fuerit amotus, ſi commodè poterit ſe transferre ad locum in quo locatur, dicetur amotus per tres menſes ante diem electionis. Ante diem enim apud Iuriſtas idem ſignificat, quod ipſo die. Ita Cuiac. to. 1. ſuorum operum, leg. Qui ante, ff. de verb. obliqu. pag. 856. id multis probat Lexicon iuris.

12 Noto 6. quòd de tali aſſignatione ante tres menſes debet conſtare Superiori & Conuentui, in quo talis eſt aſſignatus, ad tollendas fraudes. Vnde ego in talibus aſſignationibus ſemper curaui, vt aſſignatus literas ſuæ aſſignationis coram Superiore, & fratribus localibus dicti Conuentus ſimul vnitis publicaret. Quod poſtea vidi eſſe ſtatutum apud fratres Prædicatores, prout refert Caſtell. cap. 5. de elect. num. 78. verſu Quod totum, pag. 151. Quòd ſi quis de ſua aſſignatione conſtare non fecerit Capitulo Conuentus, in quo eſt aſſignatus, tempore electionis non erit admittendus. præſumitur enim in fraudem ſuam aſſignationem tacuiſſe. Ita Caſtell. modò citandus pag. 134. verſu Aliæ aſſignationes.

13 Noto 7. quòd poteſt Prouincialis mittere aliquem fratrem localem in aliquem Conuentum ante tres menſes diei electionis, qui ſic miſſus, localitate ſumpta, & ibi per tres, aut quatuor dies permanens, poteſt redire, ſuadente id aliqua ratione, ad alium Conuentum, reuerſurus tempore electionis ad eligendum in illo Conuentu, in quo fuit localis aſſignatus. Ita declaratum eſt in Cap. 6. Romano, me præſente, inſtante Vicario prouinciali Aragoniæ, licèt hoc decretum negligentia Scribę inter alia decreta dicti Capituli inſertum

non fuerit. Quod lætus reperi deinde tenere Caſtell. de elect. cap. 5. num. 37. verſu Aſſignatus verò, pag. 133. Ex quo etiam confirmo id, quod dixi num. 7. Si enim poteſt quis pro ſuo libito id facere, quare non licebit Prouinciali aliqua iuſta ratione ducto, eum mittere? Hæc enim non ſunt contra mentem Pontificis, quæ ſolùm fuit obuiare abuſibus, qui auiditate regnandi in huiuſmodi electionibus ſiebant: Ita enim ante hoc decretum Prouinciales diſponebant res, vt vnus in tribus, aut quatuor electionibus votaret; Nondum enim erat ſtatuta dies electionis, quæ fuit ſtatuta in Cap. Rom. 6. num. 16. ſed eam ſtatuere ad Prouinciales pertinebat.

14 Si dicas, illud decretum Romanum non valere, nam Papa videtur tempus illud trium menſium requirere, vt fratres poſſint cognoſcere Conuentuum neceſſitates, & ita ſecundùm ſuam conſcientiam illis prouidere de Superioribus.

℟. Id nullo modo poſſe eſſe verum; nam 1. Prouinciæ non ſunt tam magnæ in noſtra Religione, vt fratres non ſciant plùs, minuſue, quid cuique Conuentui eſſet vtile; id enim vel ſciunt per experientiam, quia ibi aliàs fuerunt locales, vel ſaltem ab ijs, qui ibi fuerunt audierunt. Deinde non coguntur fratres eligere in Correctorem de corpore Conuentus, ſed ſufficit, quòd de corpore Prouinciæ; & fratres vnius Prouinciæ ſuſque deque ſe cognoſcunt.

15 Si quæras, quid dicendum de Collegis Generalis & de P. Zeloſo, qui, cum ſua officia terminentur in Capitulo generali, quod fit in die Pentecoſtes, non poſſunt vt plurimum ad ſuas Prouincias appellere in tempore, quo poſſint per Prouinciales aſſignari locales in aliquo Conuentu ante tres menſes electionis.

℟. In Cap. Rom. 7. ſeſſ. 9. matutina ſtatutum eſſe, quòd Patres Collegæ præteriti Generalis, & P. Zeloſus ſint locales, & habeant vocem in illis Conuentibus, in quibus fuerint aſſignati à P. Prouinciali, poſt ipſorum reditum ad Prouincias proprias, etiam ſi non fuerint locati per tres menſes ante diem electionis. Et ratio, quæ ibi redditur, eſt, quia fuerunt occupati in negotijs Religionis; & nemo debet abſque culpa iure eligendi priuari. Quod ſtatutum eſt valde conforme regulæ iuris Cæſarei 183. quæ dicit, quòd *abſentia eius, qui Republica cauſa abeſt, neque ei neque alij damnoſa eſſe debet:* & habetur expreſsè in cap. Expoſuit, de dilat. vbi Gloſſa verbo Vtilitate multa congerit; Et docet Bart. ad leg. Teſtamento, ff. de alim. & cib. legat. num. vn. Secus autem eſt de ijs, qui negotiorum propriorum gratia ad Capitulum generale accedunt: Hi enim vel remanent locales in ijs Conuentibus, à quibus diſceſſerunt, & in quibus erãt locales; vel, ſi ad alienam Prouinciam mittantur, pro eo anno, ſi tempore debito non appulerint, debent carere iure eligendi; proprij enim commodi gratia, non publici, abfuerunt. Ita expreſsè in leg. Qui libera. ff. de legat.

16 Si quæras etiam. Obtinuit quis obedientiam à P. Generali pro localitate alicuius Prouinciæ, ad quam iter capiendo attingit die 15. Iunij, & appellit primò Conuentum, in quo Prouincialis illius Prouinciæ non reperitur, qui eum poſſit aſſignare localem, votabitnè iſtè in Conuentu, ad quem primò appellit, an verò pro illo anno non votabit?

℟. Hunc caſum fuiſſe definitum in Cap. Val. 3. n. 23. his verbis. *Concluſerunt inſuper, quòd ſi quis fratrum per obedientiam P. Generalis ex vna Prouincia in aliam venerit, cumprimùm in aliquem talis Prouinciæ Conuentum ſe contulerit, & ad Prouincialem commodè adire non poſſit, inſtetque electionis tempus, voce actiua, & paſsiua in eadem illius Conuentus electione gaudebit; licèt à P. Prouinciali nondum ſit aſsignatus.*

§. IV. & V.

17 NOta ſanctum ſtatutum. Nam proprietas eſt Religionis ruina; vnde bene Papa ait, eam eſſe auferendam, non tantùm extrinſecè per præcepta, ſed etiam intrinſecè, dando Religioſis id, quod ſufficit ad victum, & veſtitum, vnicuique ſecundùm ſufficientiam. Verum eſt enim, quod dixit quondam Gregorius XIII. in quadam bulla, quæ incipit, Deo ſacris, quòd *quominùs Religioſi diſtrahuntur in quærendis ſibi neceſſarijs, eò feruentiùs in Dei ſeruitio occupantur.*

18 Nota quò ad §. 5. quæ dico to. 1. Relig. q. 4. cap. 8. vbi ex profeſſo hoc ſtatutum declaro. Et adde concluſioni 2. quòd propter rationes ibi dictas puto, quòd conualeſcentes ex longa infirmitate poſſunt etiam egredi Conuentu ad corporis exercitationem, & mentis exhilarationem de licentia Medici, & Superioris. Puto etiam, poſſe egredi prædicatores, qui infirmitate correpti neceſſitantur comedere carnes, eſt enim rationi conſonum. Et has omnes declarationes, & illas ibi dictas admittit grauiſſimum hoc pœnale ſtatutum ſecundùm æquitatem interpretatum. Ad quod facit optima doctrina Panor. in cap. Suggeſtum, de appell. nu. 2. vbi ait, quòd *diſpoſitio generalis reſtringenda eſt ad limites rationis illius; quòd ſi nullam rationem exprimat, reſtringi debet ad rationem naturalem, propter quam coniecturare poſſumus, dictam diſpoſitionem fuiſſe factam; & illam diſpoſitionem ita ſeruare, vt ratio naturalis interpretata militet.*

19 Adde hic etiam alium caſum, ſcilicet. Quòd Religioſus modis debitis diſpenſatus ad comedendas carnes, ſi debet peregrinari, poteſt vbique carnes comedere. Nec eſt neceſſe, vt in ſingulis Conuentibus diſpenſationem petat à Medico, & Superiore; quia iſta diſpenſatio eſt perſonalis, quæ perſonam ſequitur: Sicut à ſimili, ſi Epiſcopus diſpenſet cum aliquo ad comedendas carnes, vel ad non ieiunandum tempore Quadrageſimæ propter infirmitatem, quocumque iſte vadat, poteſt carnes comedere, abſque alia licentia Ordinariorum, in quorum Diœceſibus deget. Atque ita docet Suar. lib. 8. de leg. cap. 26. num. 14. & 15. multis id confirmans. Et denique concluſionem 3. qua probo, Superiores dicto ſtatuto non comprehendi, proba etiam ex clem. 1. de Regul. quæ loquendo de Monachis, & alijs habentibus adminiſtrationem, non comprehendit Abbatem, quia ibi non nominatur, & ſumus in odioſis. Ita Card. in d. clem. nu. 7. Gomes q. 4. ad reg. Cancell. verſu Et in eadem ratione, pag. mihi 16.

§. VII. & VIII.

20 NOta, quòd Collegæ Generalis, & Collegæ Prouincialis, vt infra, §. 9. non poſſunt eſſe nec fratres, nec nepotes, nec conſobrini, nec conſanguinei vſque ad ſecundum conſanguinitatis gradum, nec ipſius Generalis, vel Prouincialis creaturæ, V.G. quòd ab illis habitum, & profeſſionem receperint, quòd ſub illorum tutela ſemper permanſerint, quòd communiter ab illis dependere exiſtimentur; & hoc vt abſque reſpectu Superioris, quod iuſtum, & rectum illis viſum fuerit, pro ſua parte decernant.

21 Nota quò ad §. 8. quod Paſſar. in ſchol. ex Barchin. num. 17. defendit, quòd Collegæ Generalis, & Prouincialis non ſunt comparticipes officij, ſed ſolùm puri conſiliarij. Hæc quæſtio indiget longiori diſcuſſione, quæ huius loci non eſt. In expoſitione Regulæ, Deo dante, pro veritate reſoluam. Hic ſolùm dico, communem viſum eſſe contra doctrinam Paſſar. Et in Correct. num. 23. dicitur, quòd pœnitentiæ in dicto Correctorio taxatæ, de conſenſu Collegarum, qui intelliguntur nomine Seniorum, vt patet ex Regula, nu. 51. imponantur.

§. X.

22 NOta ſanctiſſimum ſtatutum, quod congruit cap. 1. & 2. de Magiſ. Et meritò pro reformatione Religionis inductum. *Ignorantia* enim *mater omnium delictorum eſt*, vt bene Lactan. lib. 3. diuin. inſtit.

Digitized by Google

inſtit.cap.26.& Clem.Alex.p.3.de offic.Sacer.multis de ignorantia dictis, ait. *Ex his colligitur, quòd origo totius mali ab ignorantia deſcendit.* Et Triſmegiſtus in Pimandro dixit, *ignorantiam mundum deſtruxiſſe*. Quare Eſai. cap.33. Timendum, aiebat, de deſtructione Ieruſalem, quia literatus in ea non erat. Ecce verba. *Cor tuum meditabitur timorem. Vbi eſt literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi Doctor paruulorum?* Quaſi dicat. Timebis, & meritò, deſtructionem tuam, ò Ieruſalem, quia non eſt in te vir literatus, qui ſcientiam ſcripturarum ignorantes doceat. Qui igitur cadentem Religionem ſuſtinere deſiderat, & relaxatam reformare, ſtudia inſtituat neceſſe eſt. *Scientia* enim *Scripturarum*, in quam ſpecialiter incumbunt Religioſi, *opprimit*, vt ait Lactan. loc.cit. *cupiditates, temperat iram, coercet libidinem, vitia omnia domat, & alterius naturæ hominem reddit.* Quare nobis magnificandus eſt valde hic Pontifex, qui ſtudia in Religione inſtituenda mandat, ſicut magnificatur à Scriptura S. Rex Ioſaphat, de quo dicitur 2. Paralip. 17. *Quod tertio anno Regni ſui miſit de Principibus ſuis, vt docerent in Ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, & Sacerdotes; docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas Vrbes, atque erudiebant populum.* Et ſubditur. *Creuit ergo Ioſaphat, & magnificatus eſt vſque in ſublime.* Et de Enoch dicitur Eccl.49. *Nemo natus eſt in terra ſicut Enoch: nam & ipſe receptus eſt à terra.* Cuius rei ſi rationem quæras; Reſpondet Sulpicius Seuerus Archiepiſcopus Bituricenſis in Apolog. Gilberti Abbatis, quòd ab Enoch Ciuitas condita eſt, auctoris nomine vocata, vbi Vniuerſitatem inſtituit ad veram ſcientiam Dei docendam.

23 Sed quid dicemus de Prælatis, qui negligentes fuerunt, & ſunt in exequendo hoc ſaluberrimo ſtatuto, & vnico Religionis remedio. Certè à grauiſſima culpa non excuſo, & peſſimi regiminis condemno. Vt quid enim tot iuuenes bonæ indolis, & optimæ expectationis ad Religionem recipere, & deinde ſine literis, & virtutibus nutrire? Neſciunt, quòd

Fertilis, aſſiduò ſi non renouetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.

Audiant, quid de eis Oſeas dicat cap.4. *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit ſcientiam: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego.* Quaſi dicat Deus, cum Prælatis iſtis loquens. Ego, ò Prælati, interrogaui populum, quem meum voco, quia ad mihi in Religione ſeruiendum duxi, Quare tantis me malis, & peccatis affecerit; quare ſic Religionem meam à ſeruo meo Franciſco inſtitutam pro parte ſua deſtruxerit. Qui conticuit, dicens, id eueniſſe, quia non habuit ſcientiam, ideſt qui illum ſcientiam doceret. Tu, Prælate, qui repuliſti ſcientiam, & noluiſti iuuenes ſcientiam doceri, in id exequendo deſes fuiſti, ſcito, quia & ego repellam te ab officio, quod habes, priuabo te ſacerdotio, & emeritas faciam luere & hic, & in inferno pœnas. Et tu Minimorum Religio, quia propter iſtorum Prælatorum nequitiam oblita es legis Dei tui, & filios tuos peccate, relaxatè, ſine diſciplina, & ſine mortificatione viuendo, feciſti, aut ſaltem permiſiſti, ſcias, quod ego filiorum tuorum, non meorum, quia deprauati ſunt, obliuiſcar.

24 At fortè reſpondebunt iſti, quòd noſtra Religio in humilitate fundata, ad ſe conſeruandum literis non indiget, & quòd S.P.N. vir literarum expers erat. O Deus bone. Vitia ſe virtutes deprædicant? Ignorantia vitiorum mater dicitur humilitas, virtutum nutrix? Malus quando bonum ſe ſimulat, peſſimus efficitur. Vbi vitia virtutibus veſtiuntur, actum eſt. Vnde ex Aug.4. contra Iul. cap. 3. refertur quòd *nullum vitium præſentius venenum habet, quam quod ſub virtutis, vel pietatis titulo venditatur.* & Baſil. epiſt.76. ait, Duplo puniendus venit, qui prætextu boni, quod malum eſt, facit, cum quod operatur, quod bonum non eſt, tum quòd ad perficiendum peccatum, bono, vt dicitur, vtitur cooperario. Vide Gloſſam in Clem.1. de relig. domib. verbo, ſanctitatis, quæ dicit, quod ſecundùm Greg. ſimulata æquitas duplex eſt iniquitas, quia malum facit, & abutitur bono. Vide P. Greg. lib.13. de repub. c.1. §.1. & 2. Et Seneca ep. 56. *omnia vitia*, inquit, *in aperto leniora ſunt; morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt: Et auaritiam itaque & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ pernicioſiſſima ſcias eſſe, cum ſimulata ſanitate ſubſidunt.* Impudens mendacium eſt, fuiſſe S. P. N. omnium literarum expertem, Inter Scriptores eccleſiaſticos eum repoſuit Poſſeuinus in bibliotheca ſancta. Et meritò. Tres n. Regulas cœleſti doctrina plenas, Correctorium, & cæremonias conſcripſit; Doctores Sorbonicos interrogantes de abſtruſioribus theologiæ ſacræ quæſtionibus confudit. Lectores inſtituit, atque Prædicatores. Hæc non ſunt ignorantium ſigna. Sed eſto, quòd humanarum ſcientiarum ignarus eſſet; quia tamen ad Religionem regendam literas eſſe omnino neceſſarias conſpexit, infuſas à Deo petijt, & obtinuit. Qui talem habet ſpiritum, per eaſdem gradiatur ſemitas. Cæterum cautum eſt in iure, cap. Cum ex eo, de elect. in 6. quòd plùs proficit in legendo Doctor, quàm ſimpliciter Curatus in Sacramentis miniſtrandis. Et ad regendam Religionem, iure naturali, & diuino requiri ſcientiam, & conſilij maturitatem, docet ex Ariſt. & Scriptura ſacra Gutier. par. 1. de tutel. cap.18. num. 2.

§. XII.

25 NOta, quòd nouitij, iuniores præſertim, etiam poſt profeſſionem debent manere ſub cura Magiſtri nouitiorum, & in ipſo nouitiatu per duos, aut tres annos, ſecundum iudicium Correctoris. Quod maximè obſeruandum eſt in ijs Conuentibus, in quibus Clericatus ſeparati à dormitorijs aliorum fratrum non reperiuntur. Nec obſtat illud decretum factum ab hoc eodem Pontifice in decretis generalibus pro educatione nouitiorum, de quo infra in Vrb. VIII. conſtit. eius 10. §. 98. quatenus dicit, quòd, durante nouitiatu, non liceat nouitijs vnà cum profeſſis commorari, intelligitur enim de profeſſis, qui à cura Magiſtri nouitiorum, & nouitiatu ipſo exierunt, non de illis, qui nec à nouitiatu, nec à dicta cura vnquam egreſſi ſunt. Neque etiam obſtat aliud decretum ibid §. 106. quatenus dicitur, quòd nouitij ſtatim, profeſſione emiſſa, in alium nouitiatum, ſi aderit; ſi non, in alium Conuentum transferantur: Nam ſupponimus, alium nouitiatum non adeſſe, neque etiam Conuentum, quo ita diſciplinarè poſſint nutriri. Quæ omnia confirmantur ex alio decreto ibid. §.107. vbi concedit Papa, quòd ſi conſuetudo ſit in aliqua Religione, quòd recenter profeſſi remaneant in nouitiatu ſub cura Magiſtri per duos, aut tres annos, aut vſque ad Subdiaconatum, vt id facere poſſint. Quod in hac noſtra Prouincia quò ad iuniores ſemper obſeruari vidi.

§. XIV.

26 NOto, quòd non fuit executioni mandatum. Vnde Sacra Congr. Regularium de mandato Greg. XV. vt infra in illo, conſtit. eius 6. ſtatuit, vt non reciperentur Conuentus, niſi in quibus duodecim fratres ſuſtentari poſſunt. Et nouiſſimè Congreg. Concilij ſub Vrb. VIII. vt infra in Vrban. conſtitut. 9. addidit ad dictum decretum, quòd Conuentus recipiendi poſt dictum decretum Congregationis, in quibus duodecim fratres ſuſtentari non poterunt, ſubijciantur correctioni, & iuriſdictioni Ordinariorum.

CONSTITVTIO III.

Concedit Generali Ordinis Minimorum, vt poſſit examinare rehabilitationes fratrum priuatorum voce actiua, & paſſiua, obtentas à ſacris Congregationibus, ſeu etiam à Papa ipſo.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto filio Correctori generali Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. *EXponi nobis nuper feciſti, quòd multi tui Ordinis fratres, qui à Superioribus propter demerita eorum, ac exceſſus, & delicta ab ipſis patrata, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac primogenituræ, alijſque pœnis, & cenſuris, iuxta regularia dicti Ordinis inſtituta, fuerunt affecti; ac alij etiam, qui tales pœnas ipſo iure ob tranſgreſſionem conſtitutionum eiuſdem Ord. incurrerunt, veluti apoſtatæ, & fugitiui, & ij, qui votis eſſentialibus per eos emiſſis contrauenerunt, videntes ſe ab ipſis eorum Superioribus ordinarijs, attento quòd non ſunt emendati, quinimmo de malo in peius quotidie prolabuntur, & in eorum pertinacia perſeuerant, rehabilitationem non facilè obtenturos eſſe, ambitionis ſpiritu moti, ad Apoſtolicam Sedem accedunt, ac fauoribus, ac alijs medijs ad ſacram Pœnitentiariam noſtram, & alias ſacras Congregationes recurrunt, & ab illis abſolutionem, ac rehabilitationem, & reſtitutionem vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac primogenituræ, ſæpe etiam antequam aliquam pœnitentiam propter eorum delicta facere incipiant, impetrant, vt eo pacto ipſis Superioribus manus ligent, qui contra eos procedere non poſſunt, in graue totius Ord. detrimentum, & bonorum offenſionem, prout nouiſſime frater G. frater M. & frater I. fecerunt; qui frater I. cum ſimili rehabilitatione Corrector Prouinciæ Venetiarum eiuſdem Ordinis factus fuit, ad quam Prouinciam iſti tales ferè omnes confugiunt. Quare nobis humiliter ſupplicare feciſti, vt pro tui Ordinis quiete, & conſeruanda Superiorum auctoritate, & ne alijs delinquendi occaſio ex facilitate veniæ conſequendæ præbeatur, in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Concedit prout in ſummario.

§. 2. *Nos igitur de tua fide, integritate, & Religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, ac huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi quaſcumque abſolutiones, & rehabilitationes, tam à prænominatis G. M. & I. quàm alijs quibuſcumque eiuſdem Ordinis fratribus, & tam a ſacra Pœnitentiaria, ac alijs Congregationibus, quam à nobis, & Apoſtolica Sede impetratas, & literas etiam deſuper Apoſtolicas, & in forma Breuis forſan expeditas reuidendi, & examinandi, ipſos impetrantes ad illas tibi exhibendas etiam ſub cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, alijſque opportunis iuris, & facti remedijs cogendi, & compellendi, plenam, & liberam facultatem, auctoritatem, & licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & impertimur.*

Derogat contrarijs.

§. 3. *Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ipſiuſque Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt antequam de validitate, aut inualiditate dictarum gratiarum obtentarum aliquid ſtatuas, vel decernas, ad nos referre, ſimulque tuam circa eas opinionem nobis ſignificare quamprimùm cures. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 5. Decembr. 1600. Pontif. noſtri anno 9. M. Veſtrius Barbianus.*

CONSTITVTIO IV.

Concedit, vt, decedente aliquo fratre, ſeu aliquo ex parentibus alicuius fratris, vel aliquo habente literas fraternitatis, vel qui fratres ad hoſpitium recipiunt, poſſint fratres illius loci, in quo vna ex talibus perſonis deceſſerit, miſſam vnam celebrare pro anima dictæ perſonæ defunctæ, quæ illam liberet à Purgatorij pœnis.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ.

DE omnium ſalute paterna charitate ſolliciti, ſpiritualia de theſauro Eccleſiæ libenter erogamus, per quæ animæ fidelium defunctorum (præſertim Religioſorum) D. N. Ieſu Chriſti, & glorioſiſſimæ eius genitricis Mariæ, ac Sanctorum omnium ſuffragia meritorum conſequi, & illis adiutæ ex Purgatorij pœnis ad æternitatis gloriam feliciter valeant peruenire.

Concedit prout in ſummario.

§. 1. *Supplicationibus igitur pro parte dilectorum filiorum Miniſtri prouincialis, & fratrum Prouinciæ S. Gabrielis Hiſpaniarum Ordinis S. Franciſci Diſcalceatorum nuncupatorum nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, concedimus, vt, decedente aliquo dicti Ordinis Religioſo, vel alicuius Religioſi parentibus, vel altero ipſorum, aut perſona, quam ipſi Religioſi fratrem appellant, & in quolibet loco dictæ Prouinciæ ad eorum receptaculum, & ſubuentionem paratam habent, ab aliquo, ſeu aliquibus eius Conuentus, in quo Religioſi parentes, vel alter ipſorum deceſſerit, vel perſona præfata in fratrem deſcripta fuerit, miſſam defunctorum pro anima ipſius defuncti, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, celebrante, ſeu celebrantibus, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequatur, ita vt, D. N. Ieſu Chriſti, ac B. V. M. & Sanctorum omnium meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorij pœnis liberetur.*

Derogat contrarijs.

§. 2. *In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 20. Iun. anno 1596. Pontif. noſtri anno 5.*

CIR-

Digitized by Google

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd iſta conſtitutio refertur à Rodriq; in bull. in Clem. VIII. conſtit. eius 8. pag. mihi 554. & in princ. 3. p. q. reg.

2 Noto 2. quòd iſto priuilegio gaudent omnes Mendicantes communicationem habentes nec eſt reuocatum per conſtit. Pauli V. reuocantis omnes indulgentias conceſſas fratribus, & nouas concedentis: Nam illa conſtitutio non comprehendit indulgentias conceſſas pro defunctis, prout idem Paulus declarauit, & dicam in ea, quæ eſt 8. illius Pontific. n. 5.

3 Noto 3. quòd poteſt quilibet ſacerdos Ordinum Mendicantium, habitans in Conuentu, in quo decedit aliquis frater, celebrare miſſam defunctorum pro anima illius, & eam liberare à pœnis Purgatorij per modum ſuffragij. Similiter poterit eamdem miſſam defunctorum dicere pro anima patris, vel matris, vel vtrorumq; alicuius Religioſi, eamq; vel eas liberare, vt ſupra. Similiter poterit eamdem miſſam celebrare pro animabus illorum benefactorum, ſeu benefactricum, qui, vel quæ ipſos fratres recipiunt hoſpitio in ſuis domibus, quando illac contingit eis tranſire: Et ſimiliter pro habentibus literas fraternitatis.

4 Noto 4. quòd Calliſtus III. conceſſit indulgentiam plenariam pro patribus, matribuſq; fratrum Minorum præſentium, & futurorum, & etiam defunctorum, vt refert Rodriq. to. 3. q. reg. q. 77. art. 2. qui etiam declarat quomodo ſit intelligenda. Et to. 3. ſum. c. 11. vbi ait, quòd hæc indulgentia eſt pro articulo mortis cum poteſtate eligendi confeſſarium qui eos abſoluat ab omnibus caſibus, & cenſuris.

5 Noto 5. quod de mandato huius Pontificis anno 1601. die 17. Aprilis factum fuit edictum à Congreg. Regularium de non retinendis in locis eccleſiaſticis, in Italia tamen, bannitis, & decoctoribus, ſeu fallitis, idq; Regularibus quidem ſub pœna priuationis officiorum; cœteris verò eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis. Ita dicit Scott. in ſelect. bull. theor. 357. verſu Porro. Sed ego decretum non vidi. Solùm vidi quaſdam literas ſcriptas à Cardinali de Florentia Vicario Archiepiſcopatus Genuenſi, quæ ſic habent. *Benche noſtro Signore voglia, che ſia oſſeruata l'immunità eccleſiaſtica, è che la conſtitutione di Greg. XIV. felice memoria ſia eſſequita, non li piace però, che le Chieſe, ne li altri luoghi ſacri ſeruano di aſillo, ne di recettacolo à triſti. Onde vuole, che facciate prohibire, & intimare per parte di ſua Beatitudine alli Superiori de Monaſteri de Regolari di tutti li Ordini, e delle altre Chieſe, è luoghi ſacri in coteſta Città, e Dioceſi, che per l'auuenire non diano ricetto à ſorte alcuna di condennati, ne banditi, ladri, ne altra gente di mal'affare, ne à falliti, ne debitori, ſotto pena della priuatione dell'Vfficio à i Superiori regolari, è di ſoſpenſione alli altri, e ſotto altre pene maggiori ancora ad arbitrio della Santità ſua, ancora che i delinquenti non fuſſero trouati in fatto ne i Monaſteri, e luoghi ſacri, purche vi fuſſero ſtati. E di più vuole ſua Beatitudine, che ſtiate auuertito, per punire quelli, ch'haueranno ardire di contrauenire à queſt'ordine. Potrete dunque coſi eſſequire: E conſeruateui ſano. Di Roma li 17. Aprile 1601. Al piacer voſtro il Cardinal di Firenze.*

6 Noto 6. quòd Farin. de immun. eccleſ. num. 348. & 349. refert eiuſdem fere tenoris literas datas Nuncio Neapolit. die 11. Aprilis 1602. ab eodem Cardinali de Florentia, & alias datas Vicario Archiep. Bononienſis à Cardinali Alexandrino die 7. Maij, anno 1595.

7 Noto 7. quòd per dictas literas non eſt derogatum conſtitutioni Greg. XIV. de immun. eccleſ. quò ad condemnatos, bannitos, latrones, alioſque facinoroſos homines, fallitos, & debitores, ita vt prædictæ perſonæ ad Eccleſiam confugientes illius immunitate generaliter gaudere non debeant, ſed etiam inuiti extrahi, & Curiæ ſeculari tradi. Sed ſolùm prohibetur illarum perſonarum receptatio, & manutentio à Superioribus eccleſiaſticis in præiudicium iuſtitiæ, & contra ſacrorum Canonum mentem. Atque ita, ſi dictæ perſonæ ad Eccleſias confugiant, gaudent quidem Eccleſiæ immunitate, ſed iubentur dictis literis Regulares eos licentiare, & expellere, ſub pœnis in eis contentis. Ita Farin. de immun. eccleſ. num. 57. 64. & 150.

8 Noto 8. quòd meo videri Superior regularis, qui reciperet, & retineret in ſuo Conuentu per aliquot dies bannitum, aliàs ſibi beneuolum, & benefactorem, aliquem propter homicidium, V. G. factum ſanguine calido, vel propter ſibi grauiſſimam illatam iniuriam, ſeu etiam ſaltum abſq; dolo, non incurreret dictas pœnas; mens enim Pontificis fuit ſolùm prohibere Regularibus, alijſq; eccleſiaſticis, ne illorum domus fierent receptacula hominum facinoroſorum: facinoroſus autem ex vi propriæ ſignificationis ſignificat hominem ſceleſtum, flagitioſum, ſceleratum, ſeditioſum. Puto itaque, prohiberi ſolùm eccleſiaſticos receptare in ſuis domibus homines iſtos facinoroſos, quales ſunt latrones, aſſaſſini, decoctores doloſi, debitores fraudulenti. Atque ita videtur colligi ex literis datis Vicario Bononienſi ibi *perſone facinoroſe, e debitori fugitiui*. Et ita video obſeruari hic Genuæ. Videtur etiam dicere Farinac. loc. cit. numero 150. qui num. 151. notat, dictas literas eſſe locales, & non per vim legis generalis emanatas. Quod probat; quia Paulus V. ſimiles etiam dedit Nuncio Neapolitano, quæ ſuperuacaneæ fuiſſent, ſi dictæ literæ Clementis per modum legis fuiſſent emanatæ. Sed poſſet dici, quòd eas innouauerit. Scott. autem, qui teſtatur de decreto Congreg. dicit, illud obligare in tota Italia. Et contra fauentes bannitis in ſtatu eccleſiaſtico adeſt conſtit. Sixti V. quæ incipit, Hoc noſtri, quam refert Quar. verbo Bannitorum fautores, pag. 92.

9 Noto 9. hac occaſione, quòd contra Regulares tenentes arma prohibita in ſuis Eccleſiis, Monaſterijs, locis ſacris, aut alijs domibus ſuis in ſtatu Mediolanenſi, adeſt decretum ſacræ Congreg. Regul. quod refert Nald. in princ. ſuæ ſum. quo id illis prohibetur ſub pœna excommunicationis, & ſub pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad alia quæcumque obtinenda, ipſo facto, abſque alia declaratione incurrenda. Sed hoc decretum locale eſt, & alios regulares non comprehendit; cum enim pœnale ſit, vltra caſum expreſſum non eſt extendendum, iuxta ea, quæ dicit Suar. tom. 5. in 3. p. diſput. 23. ſect. 5. num. 8. vbi ex eo quòd in clem. Ne in agro, de ſtatu Monach. prohibeantur Monachi tenere arma intra clauſtra Monaſteriorum, colligit, dicta excommunicatione non comprehendi Canonicos regulares, quia in ea non nominantur. Et in ſpecie, quòd hoc decretum non extendatur niſi ad Regulares commorantes in dicto ſtatu, colligo ex eodem vbi bis replicatur, In ſtatu Mediolanenſi; & repetitio eiuſdem verbi magnum myſterium indicat; vt bene Gloſſa in clem. 1. verbo Diœceſanis, de iur. patr. myſterium autem eſt, vt ſolùm illos in eodem ſtatu commorantes comprehendat.

P A V L V S V.

Romanus, Marci Antonij de Burgheſijs filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus die 15. Maij, 1605. dedit Ordini noſtro infraſcripta.

C O N S T I T V T I O I.

Confirmat priuilegia Minimorum.

P A V L V S P A P A V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. *INiuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt ſacrarum Religionum in militanti Eccleſia ſuaues in Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſa, quò validius perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.*

Supplicatio. §. 1. *Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Durandus Procurator generalis Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, quòd dictus Ordo multis ſibi à noſtris prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſis gaudet priuilegijs, quæ ſicut aliorum prædeceſſorum noſtrorum confirmatione roborata fuere, ita & noſtrarum vigore literarum communiri, & confirmari deſiderat. Quare nobis idem Hieronymus totius Ordinis nomine humiliter ſupplicari fecit, vt deſuper opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Confirmat prout in sũmario. §. 2. *Nos igitur honeſtæ huiuſmodi petitionis æquitatem attendentes, ac dicti Ordinis ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula, immunitates, exemptiones, libertates, fauores, prærogatiuas, facultates, gratias, conceſſiones, aliaque priuilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, eidem Ordini, illiuſq; Superioribus, fratribus, domibus, Eccleſiis, Oratorijs, & locis regularibus quibuſcumq; etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum alijs Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, ac aliàs quomodolibet conceſſa, ac ſemel, vel pluriès confirmata, & approbata, dummodo tamen ſint in vſu, & ſacris Canonibus, ac Concilij Trid. decretis, ac Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris conſtitutionibus, nec debitæ nobis, & S.R.E. obedientiæ, & fidelitati repugnent, aut regularibus dicti Ordinis inſtitutis non aduerſentur, neque reuocata, & abolita, aut ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa ſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & ſingulos tam iuris, quam facti, & ſolemnitatum etiam de iure neceſſariarum, & requiſitarum, aut quoſuis alios defectus, ſi qui in eis interuenerint, ſupplemus, illaq; eidem Ordini, illiuſq; Superioribus, fratribus, regularibuſq; perſonis, necnon domibus, Eccleſijs, Monaſterijs, & locis huiuſmodi ſuffragari, eoſq; vniuerſos, & ſingulos illis vti, frui, potiri, & gaudere, vbi, quando, & quoties opus fuerit, poſſe, & debere in omnibus, & per omnia.*

§. 3. *Sicq; per quoſcumq; iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumq; quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Clauſula ſublata & decretum irritans.

§. 4. *Quocirca dilectis filijs Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori ac noſtris, & Apoſtolicæ Sedis etiam de latere Legatis, & Nuncijs per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; plenum eorum effectum ſortiri, illiſq; omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere faciant: Non permittentes, quemquam illorum deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumq; quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis.* Commiſſarios deputat.

§. 5. *Non obſtantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſ-* Derogat contrarijs.

Digitized by Google

expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 16. Iulij, 1609. Pontific. noſtri anno 5.*

CONSTITVTIO II.

Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus noſtras Eccleſias ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis; & dictas Eccleſias viſitantibus ſingulis alijs ſextis ferijs totius anni ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis pænitentijs.

PAVLVS PAPA V.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalut. & Apoſt. bened.

Concedit indulgentiam plenariam.

§. 1. *ALiàs ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, ſupplicationibus quoque dilecti filij noſtri Scipionis tit. S. Chryſogoni Presb. Card. Burgheſii nuncupati (noſtri ſecundum carnem ex ſorore germana nepotis) nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus verè pænitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Eccleſiam SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis, ab ortu Solis, vſque ad occaſum dierum huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitaſſent, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, quo die præfatorum id egiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem misericorditer in Domino conceſſimus.*

Concedit indulgentiam temporaneam.

§. 2. *Inſuper eiſdem Chriſti fidelibus ſimiliter verè pænitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui dictam Eccleſiam in ſingulis alijs ferijs ſextis totius anni, vt præfertur, viſitaſſent, &, vt præfertur, oraſſent, quo die id egiſſent, ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pænitentijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxauimus, & aliàs, prout in alijs noſtris in ſimili forma Breuis deſuper expeditis literis, quas ad decennium tantùm valere voluimus, pleniùs continetur.*

Confirmat prædictas indulgentias.

§. 3. *Cum autem, ſicut accepimus, dictum decennium propediem ſit expiraturum, nos Eccleſiam huiuſmodi ampliori dono illuſtrare cupientes, ac dictarum literarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Eccleſiam SS. Trinitatis huiuſmodi ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis ab ortu Solis, vſque ad occaſum dierum huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

Confirmat etiam alias ſupradictas indulgentias.

§. 4. *Inſuper eiſdem Chriſti fidelibus ſimiliter verè pænitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui præfatam Eccleſiam in ſingulis alijs ferijs ſextis totius anni, vt præfertur, viſitauerint, & orauerint, quo die id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pænitentijs in forma Eccleſiæ conſueta, ſeruata in reliquis, in omnibus, & per omnia præfatarum literarum forma, relaxamus, præſentibus ad aliud decennium à fine dicti decennij computandum, tantùm valituris. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcat. die 8. Auguſti, 1615. Pontif. noſtri anno 11.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto, quòd Vrbanus VIII. hanc indulgentiam conceſſit ad aliud decennium vt habes infra, in eius con. 3. Et quia ſperamus ex benignitate Apoſtolica aliquando concedendam fore perpetuò, ideo hic eam repoſuimus. Circa quam poſſunt videri quæ dixi ſupra. in conſt. 8. Leonis X. à n. 12.

CONSTITVTIO III.

Mandat celebrari feſtum S. Franciſci de Paula ſub ritu duplici.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiū.

NOmen S. Franciſci de Paula Confeſſoris, ſanctitate vitæ, & miraculis clariſſimi, amplioribus honoribus decorare, quantum cum Domino poſſumus, cupientes, ac totius Ordinis fratrum Minimorum nuncupatorum, ab eodem S. Confeſſore ad decorem, & vtilitatem domus Dei vniuerſæ fundati, ſupplicationibus nobis humiliter porrectis incitati,

Concedit prout in ſūmario. Vide in noſtro Rit. ante off. S. P. Franciſci, not. 1.

§. 1. *De venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum conſilio, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus eiuſdem S. Franciſci de Paula Confeſſoris feſtus dies ſub ritu duplici per vniuerſum orbem ab omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, tam regularibus, quàm ſecularibus, qui officium diuinum recitare tenentur, ſeu recitare voluerint, celebrari, ac recitari poſſit, & debeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus; atque idcirco in Breuiarijs, & Kalendarijs in poſterum imprimendis eius feſtum duplex deſcribi, omnibuſque Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in vniuerſo terrarum orbe conſtitutis, vt in ſuis quiſque Eccleſiis, Prouincijs, & Diœceſibus præſentes noſtras literas ſolemniter publicari, & ab omnibus eccleſiaſticis perſonis ſecularibus,*

& quo-

Digitized by Google

& quorumuis Ordinum Regularibus omnino obſeruari faciant, præcipimus, & mandamus.

Derogat contrarijs. §. 2. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. §. 3. *Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 4. Maij, 1613. Pontif. noſtri anno 8.*

CONSTITVTIO IV.

Extendit Generalatum Ordinis Minimorum ad ſexennium.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Generalis triennalis erat, nec poterat totã Religionẽ viſitare. §. 1. *CVm ſicut accepimus, ex Regula, ſeu conſtitutione Ordinis fratrum Minimorum, S. Franciſci de Paula à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſanctaq; Sede Apoſtolica hucuſq; confirmata diſponatur, quolibet triennio, & in feſto SS. Pentecoſtes dicti Ordinis, Capitulum generale celebrari; & in eo illius Corrector generalis, eiuſq; Collegæ, ac etiam ipſius Ordinis Zeloſus, ſeu Procurator generalis, in loco deputato, vt moris eſt, omnibus dicti Ordinis Prouincialibus, eorumque Commiſſis congregatis, eligi debeant, prout in huiuſmodi feſto die penultima menſis Maij proximè præteriti obſeruato dictum Capitulum generale celebratum, & in eo Corrector generalis eiuſque Collegæ, & Zeloſus, ſeu Procurator generalis prædicti electi fuerunt. Nihilominus, cum dictus Ordo, illiuſque domus regulares non ſolùm in Italia, ſed etiam in Gallia, & Hiſpania in dies propagentur, ac etiam amplientur, ipſi Generales, eorumque Collegæ ſuas integras in prædictis nationibus viſitationes nullo modo infra dictum triennium, prout ipſorum regularis Ordo requirit, efficere poſſunt, immo verò quæ ab eis in aliqua prædictarum nationum viſitatione efficiuntur, ita feſtinanter propter temporis eis præſcripti breuitatem fiunt, vt in ſuum Ordinem nullum, vel ſaltem minimum poſſit inde reſultare emolumentum, ita vt nedum ex incommodis huiuſmodi, verumetiam ex ipſo triennali ſic, vt præfertur, totius Ordinis prædicti Prouincialium, eorumque Commiſſorum ad Capitulum generale huiuſmodi celebrandum conuentu, ingentes ſumptus, grauesque moleſtias dictus Ordo ſubire cogatur. Quibus, & alijs forſan cauſis per nos prouidè conſideratis, & re ipſa à dilectis filijs Prælatis Congregationis reformationis maturè diſcuſſa, ad euitandos huiuſmodi ſumptus, & expenſas, ac incommoda, quæ præmiſſorum occaſione oriri poſſunt, modo infraſcripto prouidendum eſſe duximus.*

Extendit Generalatum, & Zeloſatum ad ſexenniũ. Vide to. 1. Relig. c. 18. §. 1. pag. 176. §. 2. *Nos igitur in ſupremo dignitatis culmine, diuina fauente clementia, conſtituti, ad ea, per quæ Religioſorum, piæ vita, diuinique numinis obſequijs ſub regularis obſeruantiæ norma vacantium ſtatus ſalubriter dirigi valeat, libenter attendentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus dictum Capitulum generale, non quolibet triennio, prout hactenus obſeruatum fuit, ſed de ſexennio in ſexennium celebretur, in eoque Corrector generalis, illiuſque Collegæ, ac Zeloſus, ſeu Procurator generalis, prædicti Ordinis Prouincialibus, eorumque Commiſſis congregatis, ac reliquis obſeruari ſolitis ſeruatis, ad huiuſmodi ſexennium eligantur, ac celebrari, & eligi debeant; ita vt electio dilecti filij Stephani Augerij moderni dicti Ordinis Correctoris generalis, eiuſque Collegarum, ac dilecti etiam filij F. Hieronymi Durandi Zeloſi, ſeu Procuratoris generalis, à die feſtiuitatis SS. Pentecoſtes huiuſmodi proximè præterita computanda duret, prout nos illam ad huiuſmodi ſexennium extendimus, & ampliamus. Quo quidem ſexennio durante, ipſi, & eorum quilibet, eiſdem priuilegijs, prærogatiuis, ante lationibus, fauoribus, auctoritate, officio, præeminentia, & iuriſdictione, alijſque gratijs, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus dicti Ordinis Corrector generalis, eiuſque Collegæ, & Zeloſus, ſeu Procurator generalis hactenus vſi, potiti, & gauiſi fuerunt, ac quibus de iure, vſu, conſuetudine, priuilegio, aut aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipſi pariter, & pariformiter, abſque vlla prorſus differentia, vtantur, potiantur, & gaudeant; dictoque ſexennio elapſo, & non antea, dictum Capitulum generale celebretur, & celebrari debeat, in eoque quæ de more fieri ſolent, dicto triennio penitus excluſo, fiant, & obſeruentur. Alij verò Officiales, Prouinciales, eorumque Collegæ de triennio in triennium, ac Correctores domorum dicti Ordinis de anno in annum, prout ex Regula dicti Ordinis diſponitur, creentur, & deputentur, perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.*

Apponit pœnas pro obſeruatione. §. 3. *Et ita ſub indignationis noſtræ, necnon priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac inhabilitatis ad quæcumque dicti Ordinis dignitates, præeminentias, officia, & munia recipienda, & retinenda, ipſo facto incurrenda pœna, per quoſcumque dicti Ordinis fratres, & Regulares, ac quoſuis alios obſeruari præcipimus, & mandamus.*

Clauſulæ præſeruatiuæ. §. 4. *Decernentes, præſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, ſeu inualidari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſeu in ius, vel controtrouerſiam vocari, aut aduerſus eas quodcumque iuris, & facti, vel iuſtitiæ, aut gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus vmquam poſſe.*

Clauſula ſublata, & decretum irritans. §. 5. *Sicque per quoſcumq; iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, dictæq; Sedis de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari,*

Digitized by Google

cari, & definiri debere. Ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commiſſarios deputat. *§. 6. Quocirca dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Franciæ, & Hiſpaniarum Nuncijs, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Correctoris generalis eiuſq; Collegarum, ac Procuratoris prædictorum, aut alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque & cuilibet eorum in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum quemlibet præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui, & gaudere: Non permittentes, illos, aut eorum quemlibet deſuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs. *§. 7. Non obſtantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac prædicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitatè alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſq; Correctori, Collegis, Procuratoribus, alijſque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. *§. 8. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 1. Octob. 1605. Pontif. noſtri anno 1.*

CONSTITVTIO V.

Mandat Superioribus Ordinis Minimorum ſub merito ſanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis maioris ipſo facto incurrenda, ne ad inſtantiam quarumcumque perſonarum extra Ordinem exiſtentium dignitates ſuis ſubditis conferant, nec pœnas remittant; quibus pœnis ſubiacere vult etiam ſubditos fauores procurantes.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium. *Admonemur paſtoralis officij noſtri debito diligentiùs proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſeculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus.*

Statuit prout in ſummario. *§. 1. Quocirca motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectis filijs Correctori generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis fratrum S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumq; perſonarum, tam laicorum, quàm eccleſiaſticarum, extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumq; ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuiuſuis dicti Ordinis Religioſo vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, & prælaturas eiuſdē Ordinis concedere audeant: Quinimmo dicti Ordinis fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his medijs, & per conquiſitos fauores, & ſuffragia aliquid ſibi procurauerint, ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus.*

Fauores ſponte oblatos recuſare tenentur. *§. 2. Inſuper dictis Religioſis, & fratribus eiuſdem Ordinis quibuſcumq; ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, vt non ſolum in præmiſſis omnibus fauores huiuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſpontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere; & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant.*

Derogat contrarijs. *§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictiq; Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq; Aut ſi Ordini, & fratribus prædictis communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. *§. 4. Volumus autem, quòd præſentibus literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſc. die 6. Septembr. anno 1619. Pont. noſtri anno 15.

CIRCA

Digitized by Google

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOta 1. quæ dico tomo 1. Relig. q. 2. cap. 2. §. 11. vbi iſtam conſtit. declaro. Vide etiam ſimilem conſtit. huius Pontific. pro Canonicis regularibus, quæ incipit, Quoniam nemo, apud Cherub. tom. 3. bull. in Paulo V. conſtit. eius 35. pag. 224. Et aliam eiuſdem Pontific. pro Prædicatoribus, quæ incipit, Admonemur, apud Cherub. ibid. in eodem conſtit. eius 39. pag. 228. Et aliam eiuſdem pro Eremitis S. Auguſtini, quæ incipit, Admonemur, apud eumdem Cherub. ibid. in eodem, conſtitut. eius 48. pag. 240. Vide etiam ſimilem conſtitut. Clem. VIII. pro Cruciferis, quæ incipit, Quoniam nemo, apud Cherub. tom. 3. bull. in Clem. VIII. conſtit. eius 109. pag. 158. Et aliam eiuſdem apud eumdem Cherub. pro Carmelitis, quæ incipit etiam, Quoniam nemo, & eſt 23. pag. 31. Et aliam etiam ſimilem Gregor. XIII. pro Prædicatoribus, quæ incipit, Cum nihil, apud Cherub. tom. 2. bull. in Greg. XIII. conſtit. eius 62. pag. 439. Hinc coniectari poterit, quàm ſemper zelauerint ſummi Pontifices vitium ambitionis, quod eſt falx Religionis ignea, à Religioſorum pectoribus auellere. Et verè, vt ait dictus Clemens, deberent potius Regulares ſtudere promereri dignitates, quam eas appetere. An autem intentum dicti Pontifices ſint conſecuti, neſcio: Sicut neque etiam ſcio, quomodo poſſint Religioſi contrafacientes ſe excuſare.

2 Nota 2. quòd videns S. in Chriſto P. Vrbanus Papa VIII. quàm parum profecerint dictæ conſt. ſuorum prædeceſſorum ad arcendum à pectoribus Religioſorum ambitionis vitium; (vitium hominibus congenitum) tamquam pius pater zelans filiorum ſuorum Regularium animarum ſalutem, hoc anno 1627. cogitauit edere conſtit. valde terribilem, morbis enim inueteratis, & fiſtuloſis non remedijs ordinarijs, ſed igne, & ferro medendum; Quam tamen poſtea non edidit propter rationes, quas ignoro, paternam tamen clementiam reſpicere conijcio. Conſtitutio autem incipiebat, *Mendicatis fauoribus, quos rerum experientia docuit funditus regularem diſciplinam conuellere,* & infra. *Hac perpetuo valitura conſtitutione, auctoritate Apoſtolica, ſub pœnis excommunicationis, priuationiſq; dignitatum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, ipſo facto, abſq; alia declaratione incurrendis, quarum abſolutionem, & remiſſionem nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus reſeruamus, diſtrictè inhibemus omnibus Religioſis, cuiuſuis gradus, & conditionis exiſtant, etiãſi Generales ſint, ne de cætero pro Prælaturis, dignitatibus, gradibus, honoribus, officijs, adminiſtrationibus, muneribus, prærogatiuis, exemptionibus, priuilegijs, vel obedientijs ſeu facultatibus quibuſcumq; in ſua Religione, vel extra eam aſſequendis, vel retinendis, aut etiam pro quacumq; alia gratia, vel iuſtitia in his, quæ ad regularem diſciplinam, vel obſeruantiam pertinent, impetranda, vel impedienda, ad fauores quarumuis perſonarum, ſiue ſecularium, etiamſi Ducali, Regia, vel Imperiali dignitate, ſiue eccleſiaſticarum, extra gremium ſuæ cuiuſq; Religionis exiſtentium, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, vel etiamſi ſint eiuſdem Religionis, ſed ad Epiſcopatus, vel Cardinalatus aſſumpti extra clauſtra degant, per ſe vel interpoſitam perſonam, directè, vel indirectè, & priuatim, & occultè, pro ſe, vel pro alijs Religioſis recurrant, neuè eiſdem fauoribus, etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis, vtantur, aut ad prædicta præbeant auxilium, conſilium, vel fauorem, ſiue huiuſmodi fauores ſint apud Generalem, vel alium Superiorem, ſiue apud Capitulum generale, vel Prouinciale, vel conuentuale, ſiue etiam apud Cardinalem Protectorem, ſiue ad Papam, ſiue id fecerint non priuato nomine, ſed Monaſterij Conuentus, Prouinciæ, Congregationis, Capituli, vel totius Religionis: & etiamſi fauores effectum conſecuti non ſint.*

Procurantes fauores in ſua Religione vel extra eam, ſunt ipſo facto excommunicati.

Ac ſimiliter omnibus, & ſingulis earumdem Religionum Generalibus, Abbatibus, Præſidentibus, Commiſſarijs, Procuratoribus generalibus, Definitoribus, Prouincialibus, Miniſtris, Præpoſitis, Prioribus, Guardianis, & alijs quibuſcumq; Superioribus, aut electoribus, ſeu vocalibus, ſub iiſdem pœnis, ipſo facto, vt ſupra, incurrendis inhibemus, ne quemq; Religioſum fauoribus huiuſmodi adactu, ad Prælaturas, &c. eligant, aut eidem exemptionem, vel obedientiam concedant, aut quamcumq. aliam gratiam, vel iuſtitiam, in his quæ regularem diſciplinam concernunt, intuitu huiuſmodi fauorum faciant. Decernentes electiones, & exemptiones nullas, & irritas: ita vt obtinentes, ante vllam declarationem, etiam in foro conſcientiæ his renunciare teneantur.

Electores votãtes pro illis, qui fauores conquiſierint ſimilibus ſubiacent pœnis.

Præterea ſub iiſdem pœnis eo ipſo incurrendis, vt præfertur, ſtatuimus, vt quiſquis quomodo notitiam habuerit, aliquem ſuæ Religionis ad fauorem, vt ſupra, recurriſſe, illum infra terminum quindecim dierum Generali, vel Prouinciali, & ſi Generalis ille fuerit, Sedi Apoſtolicæ denunciare teneatur. Idemq. Generalis, vel Prouincialis, cui denunciatum fuerit, conſtito de eodem recurſu, illum eiuſq. fauteres, conſultores & complices, in pœnas excommunicationis, priuationis, & inhabilitatis huiuſmodi incurriſſe declaret.

Scientes aliquẽ procurare fauores, tenentur ſub iiſdem pœnis denunciare.

Demum volumus, vt ad probandum, & conuincendum, Religioſos prædictos in ſententias, & pœnas huiuſmodi damnabiliter incidiſſe, ſola Principum, atq. aliorum, vt præfertur, literæ, vel preces, plenam, indubiam, & ſufficientem in iudicio, & extra fidem faciant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Literæ fauorabiles ſufficiunt ad conuincendum.

Hæc conſtitutio, vt dixi, non exiuit; vnde non obligat; Hic tamen in ſumma poſui, quia fortè aliquando exibit, vel ſi non, videant Regulares, quàm oderint ſummi Pontifices iſtam diligentiam in procurandis fauoribus pro dignitatibus aſſequendis. Et ex ea vnum bonum effectum ſperarem, ſi exiret. *Cum enim recta ingenia,* vt ait Plinius, *debilitentur verecundia, & peruerſa confirmentur audacia. Imperitia* namque, vt ait Hieronym. in reg. Monach. *confidentiam,* & *eruditio timorem creat.* Ignorantiſſimi quidam, ſed verboſiſſimi, & audaciſſimi impudentiſſimè Curias Principum quotidie curſitare non erubeſcunt, eoſq; tot, tantiſque verbis, & mendacijs ſtudent allicere (*impudentes enim, & verboſi non habent in oculis pupillas virgines, ſed meretrices,* ait Plut. de vitioſ. verec.) quouſq; eos ſibi beneuolos reddant. Quod facilè quandoque obtinent (Regibus enim communiter mali, quàm boni, chariores eſſe ſolent.) Quo obtento, nil aliud die, noctuq; cogitant, quàm ambitioſam ſitim extinguere dignitatibus; Vnde quod virtute non poſſunt, literis, & fauoribus ſuorum Dominorum (vt ſine verecundia aiunt) acquirere ſatagunt. Quas ſi obtineant, vt nõ ſemel aduenit, quomodo exerceant, ex eo Taciti colligi poteſt. *Nemo vnquam imperium flagitio quæſitum, bonis artibus exercuit.* Et quæ, Deus bone, non faciunt, vt eas acquirant? quam fidem, quam legem non frangunt. Verè meritò dixit Salluſt. in Catil. *Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias, inimicitiaſq. non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magiſq. vultum, quàm ingenium, bonum habere.* Et hoc pacto à dignitatibus arcent viros literatos, & benemeritos, qui in ſuis cellulis, & Conuentibus commorantes Deo, & Religioni ſtudent inſeruire. Iſti, inquam, timore pœnarum huius conſt. cogerentur à dictis fauoribus abſtinere, Curiaſque circumcurſare, in Conuentibus remanere, diuinis intereſſe, Superioribus obedire. Ex alia verò parte dubitarem, ſi dicta conſtit. exiret, ne breui Superiores verterentur in tyrannos, & ſubditi in deſperationem. Sunt enim quandoque Superiores Regularium (illi præſertim, qui mendicatis fauoribus dignitatem conſequuntur) indiſcreti, imprudentes, immiſericordes, inhumani, vt niſi ſubditi aliquod fauorabile diffugium haberent, propè in deſperationem deuenirent.

CONSTITVTIO VI.

Probibentur fratres tertij Ordinis S. Franciſci portare habitum noſtri coloris.

PAV-

Digitized by Google

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū.

INter graues paſtoralis officij noſtri curas, quibus aſſiduè premimur, hæc potiſſimum nos vrget, vt Chriſti fideles, præſertim regularem vitam profitentes, ſemotis litium anfractibus, vnanimi voce, ſub concordiæ legibus Altiſſimo vota exoluant, & ſi quæ inter eos ortæ ſint lites, & diſcordiæ, illæ, prout ius, & æquitas poſtulant, eliminentur, & ne in futurum reſurgant, opportunis remedijs prouideatur.

Orta fuit differentia inter fratres tertij Ordinis S. Franciſci, & noſtros ſuper diſtinctione habitus.

§. 1. *Aliàs ſiquidem per nos accepto, quòd lis, & cauſa inter dilectos filios fratres tertij Ordinis S. Franciſci de penitentia nuncupati, vltramontanę familiæ ex vna, & fratres Ordinis S. Franciſci de Paula partibus ex altera ſuper colore habitus geſtandi à dictis fratribus tertij Ordinis, vt à prædictis fratribus S. Franciſci de Paula apertè diſtingui poſſent, pendebat. Nos litem, & cauſam, ſeu cauſas huiuſmodi venerabili fratri noſtro Mariano Epiſcopo Tuſculano de Camerino, & dilecto filio noſtro Hieronymo tit. S. Blaſii de annulo, S. R. E. Presb. Cardinalibus Pamphilio nuncupatis, Minimorū S. Franciſci de Paula, & fratrum Minorum de Obſeruantia Ordinum huiuſmodi apud nos, & Apoſtolicam Sedem reſpectiuè Protectori, & Viceprotectori audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas, omni, & quacumque appellatione remota, commiſimus.*

Pronunciatum eſt pro noſtra Religione.

§. 2. *Qui quidem Marianus, & Hieronymus Cardinales in exequutionem commiſſionis huiuſmodi negotij pro maiori dictorum fratrum inter ſe quiete, & tranquillitate, iudicarunt, decreuerunt, & ſtatuerunt, vt iuxta ipſorum Regulam, indultaque ſummorum Pontificum, præſertim fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, habitus prædictorum fratrum tertij Ordinis, de penitentia nuncupati, ſit ex humili panno confectus hoc modo, videlicet, vt ex quatuor partibus lanæ naturaliter nigræ, & ſine aliqua tinctura contextæ, & vna parte lanæ etiam naturaliter candidæ, ita quòd ſingulis quatuor libris lanæ naturaliter nigræ addatur vna libra lanæ albæ, & aliàs, prout in eorumdem Mariani, & Hieronymi decreto deſuper facto pleniùs dicitur contineri.*

Vterq. Ordo ſupplicauit pro approbatione dictæ ſententiæ.

§. 3. *Cum autem vtriuſq; Ordinis prædicti fratres, vt nobis nuper exponi fecerunt, plurimum cupiant, decretum huiuſmodi pro illius firmiori ſubſiſtentia, & inuiolabili obſeruatione à nobis confirmari, & approbari; ideo nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſuper præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Quam Pontifex approbat.

§. 4. *Nos igitur illorum votis quò quietiùs, & ſecuriùs in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulari valeant, annuere, eoſque ſpecialibus fauoribus; & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, &c. abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum prædictum, & omnia, & ſingula in illo cōtenta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſq; omnibus, & ſingulis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatibus robur adijcimus, omneſq; & ſingulos tam iuris, quàm facti, & quoſcumq; alios etiam quantumuis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, aut interueniſſe dici, vel cenſeri poſſent, ſupplemus; eaq; omnia, & ſingula valida, & efficacia fore, & eſſe, perpetuamq; roboris firmitatem obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis vtriuſque Ordinis prædicti fratribus, nunc, & pro tempore exiſtentibus inuiolabiliter obſeruari debere decernimus.*

Fratres tertij Ordinis iubet dicto habitu vti.

§. 5. *Mādantes nihilominus omnibus, & ſingulis ipſius Ordinis de pœnitētia fratribus, Miniſtris, & Prælatis vltramontanæ familiæ, præſertim Hiſpanorum, & Gallorum, tam præſentibus, quam futuris in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub priuationis officiorum, inhabilitatiſque ad illa, & alia in poſterum obtinenda, necnon latæ ſententiæ incurrendis pœnis, vt poſthac, elapſis ſex menſibus, dicti fratres omnes tertij Ordinis habitu illo prædicto modo contexto induantur, & in futurum vtantur.*

Commiſſarios deputat.

§. 6. *Quocirca venerab. fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filijs noſtris., & Apoſtolicæ Sedis Nuncijs per pręſentes cōmittimus, & mandamus, quatenus ipſi, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quęcumque vbi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte vtriuſq; ſeu alterius Ordinis fratrum huiuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui, & gaudere: Non permittentes, illos deſuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari: Contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.*

Derogat contrarijs.

§. 7. *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum pręd ictorum, etiam iuramento, &c. roboratis ſtatutis, & cōſuetudinibus; priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorūq; Superioribus, & fratribus, & quibuſuis alijs perſonis ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis; quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium, & ſingulorum tenores pręſētibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Marcum, die 14. Auguſti, 1610. anno 6.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 VIde ſupra. in conſtit. 2. Iul. II. §. 18 nu. 53. & conſt. 9. Leon. X. Vide etiam Io: de Morales in fund. Andal. tex. 4. §. 4. vbi eleganter probat, quòd habitus antiquorum Monachorum, & B. M. V. fuit ex lana naturaliter nigra. i. fului, fuſui, ſeu pulli coloris, vt noſter; Et Card. in clem. 1. de ſtatu Monach. in princ. dicit, quòd dictus color eſt cæteris vilior, & magis fuſcus, & fuit electus à Monachis ad denotandam mortificationem carnis, & triſtem vitam, quam debent in ſe habere huius militiæ profeſſores; quod idem confirmat Caſſan. in catal. glor. mun. p. 12. conſid. 93. ver. Color etiam obſcurus.

Digitized by Google

2 In laudem huius coloris dicit Fulu. Pelegr. in ſuo tract. de ſignif. color. quòd Reges Gallorum, & Imperatores Turcarum, ac alij illuſtriſſimæ nobilitatis Principes eo, vt grauiori, honoratiori, conuenientiori, & omnium pulchriori frequentiſſimè vtuntur. Et addit, quòd dicitur pullus, ſeu leonatus; à leone, non iuuene, ſed ſene, & quòd ſignificat taciturnitatem, & ignauiam ſapientem, vnde ait.

Copre il tanetto in sè ſaggia ſciocchezza.

Ex quibus licet inferre, quòd aſſumendo S. P.N. habitum iſtius coloris pro ſe, & ſuis, ſignificauit, debere ſuo ſub habitu militantes eſſe ſenes, taciturnos, & ſtultos ſapientes.

3 Senes, inquam, non annoſi, ſed iudicioſi, non albati, & barbati, ſed modeſti, & morigerati. *Diuitiæ enim ſenum*, vt ait Caſſian. coll. 2. c. 13. *non ſunt canities capitis, ſed induſtria iuuentutis, ac præteritorum laborum ſtipendijs metienda: quæ enim non congregaſti in iuuentute, quomodo inuenies in ſenectute tua. Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata, & idcirco non omnium ſeniorum, quorum capita canities tegit, quoſque vitæ longæuitas ſola commendat, nobis ſunt ſectanda veſtigia, ſeu traditiones, ac monita ſuſcipienda; ſed eorum, quos laudabiliter vitam ſuam, ac probatiſſime comperimus in iuuentute ſignaſſe, nec præſumptionibus proprijs, ſed maiorum traditionibus inſtitutos. Sunt enim nonnulli, quorum etiam (quod eſt lugubrius) maior eſt multitudo, qui in tempore ſuo, quam ab adoleſcentia conceperunt, atque ignauia ſeneſcentes, auctoritatem ſibi, non maturitate morum, ſed annorum numeroſitate conquirunt.* Hæc Caſſian. Qui ſubdit, quòd hos poſuit dæmon in exemplum iunioribus ad eos ſubuertendos. Et Hieron. relatus à Lorino in cap. 4. Sap. ver. 8. ait, *Non ſunt à vetuſtate hominum æſtimanda ingenia, ſed à probitate, eruditione, & morum grauitate.* Et Bern. ep. 44. versùs finem, *Nec dicamus*, inquit, *quamcumque ætatem Dei gratia præmaturam, ſicut nec ſeram. Cum multos videamus iuniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies præuenire tempora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtutibus. Meliores bonæ indolis adoleſcentes inueteratis dierum malorum.* Anacl. Papa, vt habetur in c. Porro, diſt. 84. *Porro*, ait, *Moſi præcipitur, vt eligat presbyteros, ideſt ſeniores; vnde & in Prouerb. dicitur, Gloria ſenum canities; hæc verò canities ſapientiam deſignat, de qua ſcriptum eſt, Canities hominum prudentia eſt.* Et Iob. 32. dicitur, *Sperabam, quòd ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam. Sed, vt video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non ſunt longæui ſapientes, nec ſenes intelligunt iudicium.* Quaſi dicat, ſcientiam, & rerum prudentiam non eſſe ponderandam, tam ex multis annis, quàm vel ex ſtudio ipſius, quo homo redditur facilis, & idoneus ad intelligenda diuina, vel ex Dei beneficio, à quo omnis ſapientia eſt; Eccl. 1. Vnde Dauid pſalm. 118. *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui.* Et profectò indigni ſunt ſenum vocabulo imprudentes, inexperti, indocti, immoderati. Sic Plato in Timæo pueros nominabat Græcos ignaros antiquitatis. Zeno apud Senec. epiſt. 33. Turpe eſſe dicebat ſeni, aut proſpicienti ſenectutem, ex commentario ſapere. Et Seneca epiſt. 36. *Turpis*, ait *& ridicula res eſt elementarius ſenex. Iuueni parandum, ſeni vtendum eſt.*

4 Sint itaq. ſenes, quales eos deſcribit Apoſt. ad Tit. 2. *Senes*, inquiens, *ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia.* Cum enim *vino*, vt ait Cæl. lib. 28. cap. 29. *ſenum frigus recaleſcat, ſpiritum exhilaretur triſtitia, bilis atra vis redundans reprimatur, ſomni concilietur appetentia, præfracti meatus recludantur, ſiccitas nimia mitigetur, vniuerſa denique ſenecta laſsitudo remideat, ætas illa facile ebrietate corripitur*, vt ait Plutarc. lib. 3. conuiu. q. 3 & meraciori vino oblectatur, vt idem Plutarc. lib. 5. q. 4. Sed quia ex altera parte *vinum non modice ſumptum rationem conturbat, intellectum hebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, & ignorantiam inducit: modice verò ſumptum acuit ingenium*, vt Boet. de diſcipl. c. 2. ex Beda axiom. philoſoph. lit. R. fine. Ideo decet ſenes eſſe ſobrios, vt ſint vigilantes, & alacres.

5 Et nota hic de paſſu, quod Religioſi vinum temperare debent aqua, cap. A crapula, de vit. & honeſt. Cler. Vnde, ſi vinum purum bibant, peccant mortaliter, quia faciunt contra dictum cap. quod eſt ſtatutum Concil. gener. Later. ſub Innoc. III. Ita Gutierr. lib. 2. can. q. cap. 4. n. 57. Quod tamen intellige, ſi bibendo purum inebriantur, vel periculum inebriandi incurrunt, vt Abbas dicto cap. A crapula, n. 2. & Armil. ver. Ebrietas, num. 7. Neque debent dicti Religioſi in conuiuijs alios ad bibendum inuitare, ſeu non debent alijs brindare; dicto c. A crapula, ibi, *Neque ad bibendum quis incitetur*; Gutier. loc. cit. num. 58. Neque debent ſe obligare ad reddendam rationem brindantibus, ſeu ad rebrindandum. Guttier. num. 59.

6 Et ſi roges, an Religioſis poſſint agere contra Superiorem, vt det ſibi bonum vinum, & bonam pictantiam, ſicut alij Superiores præcedentes. Dico, quòd ſic. Ita Barthol. de Capua ſing. 35. qui probat ex lege Sed etſi hæreditas, ver. Proinde, ff. Ad exibendum; Et conſuetudines decem, vel viginti annorum, ſi contra ius non ſunt, vim legis, & conſtitutionis obtinent; c. Conſuetudo, iuncta Gloſſa diſt. 12. Nec poteſt eas Prælatus mutare. Et bona Monaſteriorum vniuerſorum Religioſorum ſunt, Superior purus miniſter. Hæc tamen intellige, ſi cœtera ſint paria.

7 Si quæras quoque, an poſſit Superior obligare fratres ad bibendum vinum nouum menſe Septembris, vel Octobris. Dico, quòd non; nam vinum nouum non debet incipi potari, niſi à prima die menſis Nouembris. Ita Roman. ſing. 380. Probat ex lege Iubemus, de erogat. milit. annon. Cod. lib. 12. Nam ante eſt ſanitati nociuum.

8 Et ſi vis etiam ſcire, quæ conditiones requirantur ad hoc vt vinum ſit bonum, lege verſus ſequentes.

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore.
Si bona vina cupis, hæc quinque probantur in illis.
Fortia, formoſa, fragantia, frigida, friſca.

9 Sed reuertamur iam ad noſtros ſenes. Debent etiã ſecundùm Apoſtolum eſſe *pudici* .i. graues, & honeſti, vt ætatis grauitatem morum grauitas decoret. Dedecet enim multum, amore capi ætatem illam, vnde verſus.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Et Seneca ep. 4. *Adhuc enim* inquit, *non pueritia in nobis, ſed, quod eſt grauius, puerilitas remanet; & hoc quidem peius eſt, quòd auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, ſed infantium. Illi leuia, illi falſa formidant; nos vtraque.* Et Eccl. 25. dicitur, *Tres ſpecies odiuit anima mea, pauperem ſuperbum, diuitem mendacem: ſenem fatuum, & inſenſatum:* fatuum, inquam, ideſt amoribus, & concupiſcentijs deditum; quæ enim maior fatuitas, quàm in ea ætate libidini vacare cum iuniorum ſcandalo, in qua natura ipſa, frigeſcente iam ſanguine, Veneri parcendum iubet.

10 *Prudentes* etiam ſint ſenes, non prudentia mundana, qua ſe totos auaritiæ dedant, cogendiſque pecunijs intendant, eoque plus colligant viatici, quò illis minus remanet viæ; ſed morali, ad dirigendas, & regulandas non ſuas tãtum, ſed iuuenum actiones, & ſpirituali qua bene operentur & orationi inuigilent. Prudentes ſint, ſicut ſerpentes, ne à quoquam fallantur, & ſimplices, ſicut columbæ, ne cuiquam malum machinent. Prudentia namque abſque bonitate, malitia eſt: & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. *Opera* enim *ſunt virorum*, vt dixit quidam Poeta Græcus, *bella iuuenum, conſilia ſenum.*

11 Debent etiam eſſe *ſani in fide*. i. conſtantes in promiſſis, ſani etiam mentis ne leuiter offenſi, odium concipiãt, ne leui verbo, aut commate, aliaue iniuria appetiti, aut læſi, murmurent, ſtomachentur, maledicant,

vin-

Digitized by Google

vindictam expetant. *In dilectione* ideſt in charitate feruentes, amando, & benefaciendo proximis ſuis. Denique *in patientia*, quia, vt Plutarc. ait lib. de non iraſc. *Fœminæ, ægri, ſenes, & fortunati ſunt ad iraſcendum procliues*. Et in ſenibus id accidit, tum ex ipſa ſenectute, quæ morbus eſt; tum quia priſtinæ felicitatis memores, ſe illa carere ægrè ferunt; tum quia non ita æſtimantur, vt vellent, atque ita facilè indignantur, tum quia, cùm vitæ periculum ſibi imminere videant, mœrore afficiuntur. Sed domandi naturales appetitus ratione & coercendi prudentia. Sique tolerabilem volunt ſenectutem agere, præceptum Cicer. de ſenect. ſeruent; moderati ſcilicet, & non difficiles, nec inhumani ſint.

12 Senes itaque quos hic deſcripſimus, honorandi, æſtimandi, & reuerendi; & talis ſenectus venerabilis eſt; & coram iſtis iubet conſurgere Deus Leuitici 19. Et Iob. 32. *Iunior ſum tempore, vos autem antiquiores, idcirco, demiſſo capite, veritus ſum vobis indicare ſententiam meã*. Et S. Ephræm. tom. 3. de timore Dei, in princ. *Honora ſenes, tamquam qui diu, multumque Chriſto ſeruierunt*; & pagel. 4. *Honorem ſenibus defer propter Dominum, & ob peritiores quoſdam ex fratribus, ne ſenes ad opus compellas, nam carnes iuuentutis ſuæ in exercitatione attriuerunt, & ſufficit recta conſcientia timenti Dominum*; & pagella 8. *Iuniorem laborioſum ne nimis oneres, & cum ſene ſtulto ne incedas; ſapientes verò ſenes poſt Deum fratrum ſunt firmamentum*; & pagel. 13. *Senes honora propter Dominum, & iuueni egenti compatere*. Et Iuuenal.

> *Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,*
> *Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi*
> *Barbato cuicumque puer.*

Et in leg. Semper, ff. de iur. immun. in princ. Senes iubentur venerari vt Superiores. His in rebus dubijs definiendis & terminandis, pluſquam iuuenibus, eſt deferendũ, cap. De quibus; vbi Gloſſa d. 20. De iſtis ſemper præſumitur, quòd virtutibus boniſque moribus iuniores vincant; cap. Niſi cumpridem, verſ. Alia, de renunc. Iſti ſemper anteferuntur iunioribus in honoribus, officijs, & dignitatibus; Menoc. de præſump. lib. 6. præſump. 47. num. 6.

13 Sed pone, quòd quis relaxatè vixerit in iuuentute, erit ne honorandus, & venerandus, vt diximus, in ſenectute; eritne præferendus ratione ætatis in dignitatibus conferendis. Dic, quòd qui ſerò poſt multam ætatem reſipiſcunt, exiguam ſanè prudentiam, & ſapientiam colligant neceſſe eſt; Vnde Prouerb. 19. dicitur, *Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis*. Si tamen, ſuperabundante gratia Dei, habeat ſupradictas conditiones, quas in ſenibus requirit Apoſtolus, erit, vt diximus, honorandus, & dignitatibus etiam decorandus, iuxta leg. Semper cit. Quod tamen quò ad dignitates limito, ſi ſimiles ſenes, qui ſemper virtuosè vixerint, inibi non reperiantur.

14 Cum ſenum à nobis deſcriptorum verba tamquam oracula recipiantur à iunioribus, oportet eos in primis taciturnitatem ſeruare, & dogma Bern. in tract. de perfect. optimè cuſtodire *Bis ad limam veniant verba, quam ſemel ad linguam*. Silentium namque ſtultiſſimum quemque ſapientiæ, atque prudẽtiæ laude exornat; Vnde refertur dictum Simonidis, *Si es ſtultus, ſapienter facis, ſi ſapiens, inſipienter*. Et Seneca, & refert. A Lapide Threnorum 3. verſu 26. *Summa ſummarum*, ait, *hæc erit, tardiloquentem te eſſe iubeo*. Et Euripides *Decorum ſilentium corona eſt viri*. *Loquacitas enim eſt certum argumentum ignorantiæ*, vt ait Climac. gradu 11. *Et taciturnitas ſcientiæ adiectio, & ſpeculationis opifex*. Et certa omnino ſunt, quæ de ſilentio dixerunt antiqui; Ariſtides, *Tutum ſilentij præmium*.

> *Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.*

15 Non ſemper tamen tacendum: nam *tempus tacendi, & tempus loquendi*, vt dicitur Eccleſiaſtis 3. & Eccleſ. 20. *Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus*. Et Prouerb. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, verbum dictum in tempore ſuo*, ideſt verba tempeſtiuè dicta ſunt tamquam mala aurea inſculpta vaſis argenteis. Et eodem loco dicitur *Sicut Vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum*. Et Pſ. 140. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis*. Ad quem locum ait Chryſoſt. *Quemadmodum non munit Vrbs, non mœnia, non portæ, niſi ſint, qui eas cuſtodiant, & ſciant quando oportet ea quidem claudere, quando verò aperire; ita etiam oris, & linguæ nulla eſt vtilitas, niſi ſit ratio, cui ſcienter, accuratè, & circumſpectè ea claudere, & aperire permiſſum ſit, & ſciat, quæ ſint efferenda, quæ verò tenenda, & admittenda*. Et Eccleſiaſtici 6. *Si tibi eſt intellectus, reſponde proximo, ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris*. Sed quoniam maius ſemper periculum eſt in loquendo quàm in tacendo, ideo priùs diſcendum eſt tacere, quàm loqui: Quod optimè obſeruarunt Pythagorici.

16 Significat etiam color habitus noſtri ſapientem ſtultitiam, de qua Paulus 1. Cor. 3. *Nemo ſe ſeducat, ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens*. Quaſi dicat, Conſtitutiſſimum eſt, & abſque controuerſia, nemo ſe fallat, ſibi blandiendo, quia illi, qui mundo ſecundùm mundanas rationes iudicanti videntur ſapientes, tales non ſunt, ſi id in vera, & ſpirituali ſtatera menſuretur, niſi priùs ſtulti mundo fiant per contemptum illius, humilitatem, & ſui abiectionem; quid enim ſtultius iudicio mundi, quàm mentem verbis oſtendere, nihil callida machinatione ſimulare, nullas iniurijs contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poſſeſſa relinquere, rapienti non reſiſtere, percutienti maxillam alteram præbere: Hæc tamen eſt vera ſapientia. Et Chryſoſ. homil. 10. in cap. 3. 1. ad Cor. ait. *Stultus mundo ille eſt, qui, exteriori contempta ſapientia, ſibi perſuadet, nihil ei ad fidei ſuſceptionem profuturam*. Hæc ſignat habitus noſtri color, nimirum canitiem in ſenſibus, opportunam taciturnitatem, ſanctamque inſipientiam.

17 Ad vltimum aduerte, quòd, cum magis, & minus ſpecie non differat ſecundùm philoſophos, nihil refert, an color noſtri habitus ſit niger, vel minùs niger, clarior, vel obſcurior, & pannus ſit bonus, vel melior, vilis, vel minùs vilis, iuxta Prouinciarum varietatem. Modò vniformitas ſeruetur in omnibus prouincialibus, quò ad fieri poteſt, tincturæ indiuiduales vitentur. Ita Panorm. in clem. 1. de ſtatu Monach. numero 8.

CONSTITVTIO VII.

Decernit, quòd Conuentus SS. Trinitatis de Vrbe regatur, & inhabitetur per Patres Gallos, & quod ſolùm ſit ſubiectus P. Generali, ac eius oculato Viſitatori.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis, in quo, diuina diſpoſitione, poteſtatis plenitudo conſiſtit, prouidentia circumſpecta, ad ea, quæ ſtatui proſpero, præſertim regularium locorum quorumlibet, & in illis ſtudio piæ vitæ deditarum perſonarum, profutura conſpicit, operoſis ſtudijs intendit, & his, quæ Prœmiũ.

Digitized by Google

propterea ordinata fuiſſe dicuntur, vt illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis adijcit firmitatem, & aliàs deſuper diſponit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

Ortæ ſunt lites inter Regẽ Galliarum & fratres Gallos ex vna, ac inter fratres aliarũ nationum, ex alia, quas Clemen. VIII. & Leo XI. dirimẽdas mandarunt duobus Cardinalibus.

§. 1. Sanè pro parte chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici Francorum, & Nauarræ Regis chriſtianiſſimi nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd cum aliàs, ſeu nuper, poſtquam lites, & controuerſiæ inter ipſum Regem, & dilectos filios fratres nationis Gallicanę Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, domus, ſeu Conuentus SS. Trinitatis in Monte Pinceo de Vrbe ex vna, & fratres aliarum nationum eiuſdem Ordinis partibus ex altera, occaſione habitationis, reſidentię, regiminis, & præeminentiæ dictæ domus, ſeu Conuentus ortæ extitiſſent, & grauiores in dies oriri formidarentur, fel. rec. Clemens Papa VIII. & Leo XI. prædeceſſores noſtri, deſiderantes litibus, & cõtrouerſiis huiuſmodi finem imponere, ac quieti, & tranquillitati dictę domus, ſiue Conuentus in perpetuum conſulere: Dilectis filijs noſtris Pompeio tit. S. Balbinæ Arigonio, necnon Hieronymo tit. S. Blaſii de annulo Pamphilio nuncupatis, S. R. E. Presb. Cardinalibus, differentiarum, & controuerſiarum huiuſmodi cauſam per ſpecialia reſcripta terminandam commiſerint; Ipſique Cardinales, prænia per eos ſuper præmiſſis matura deliberatione habita, definitiuam in ſcriptis tulerint, & pronunciauerint ſententiam tenoris ſubſequentis.

Declarauerunt dicti Cardinales prout in ſũmario.

§. 2. Die 20. Iulij, 1605. videlicet. Chriſti nomine inuocato, pro tribunali ſedẽtes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitiuam ſententiam, quam vnanimiter in his ſcriptis de iuriſperitorũ conſilio, & aſſenſu ferimus in hac cauſa, & cauſis, quæ coram nobis virtute ſpecialium Breuium, ſeu commiſſionum fel. rec. Clementis VIII. & Leonis XI. vertũtur inter chriſtianiſſimum Galliarũ Regem, & fratres nationis Gallicanæ Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Conuentus SS. Trinitatis in Mõte Pinceo ex vna, & fratres aliarum nationum eiuſdem Ordinis partibus ex altera, de, & ſuper habitatione, reſidentia, regimine, & præeminentia dicti Conuentus, ſeu domus SS. Trinitatis, rebuſque alijs, in actis cauſæ, & cauſarum præfatarum latiùs coram nobis deductis, dicimus, ſententiamus, decernimus, & declaramus, Conuentum præfatum SS. Trinitatis in Monte Pinceo de Vrbe per fratres Gallicæ nationis regendum, & habitandum, quamdiu inueniãtur, qui inibi reſidere, & cultui diuino inſiſtere voluerint, ita vt de cætero, quandiu fratres dicti Ordinis præfatæ nationis Gallicanę idonei reperirentur, vt pręmiſſum eſt, nullus alius, quàm eiuſdem nationis Gallicæ in Correctorem eligi, ſeu admitti, aut electus confirmari quoquo modo poſſit, ſeu præſumatur: Necnon domũ, ſeu Conuentum præfatum SS. Trinitatis ab omni, & quacumque ſuperioritate, iuriſdictione, viſitatione, correctione, ſubiectione, & obedientia, præterquam pro tẽpore exiſtentis R. P. Correctoris generalis, vel eius oculati Viſitatoris penitus eſſe liberum, immunem, & exemptum; vexationes, & impedimenta, perturbationes, & moleſtationes quaſcumq; per dictos fratres aliarum nationum, de, & ſuper præmiſsis, & illorum occaſione quomodolibet factas, & præſtitas, factaq; & præſtita, fuiſſe, & eſſe temerarias, illicitas, indebitas, iniquas, & iniuſtas, temerariaque illicita, indebita, iniqua, & iniuſta, ac de facto præſumptas, & præſumpta; illaſque & illa ipſis fratribus aliarum nationum minimè licuiſſe facere, neque licere, & propterea illis, & quibuſcumq; prætenſionibus eorumdem fratrum aliarum nationum, de, & ſuper præmiſsis imponendum perpetuum ſilentium fore, & eſſe, prout imponimus; mandatumque quodcumque deſuper neceſſarium, & opportunum, & de manutenen. decernendum, & relaxandum fore, & eſſe, prout decernimus, & relaxamus, dictoſque fratres aliarum nationum ab expenſis hactenus factis abſoluimus. Et ita dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus, ac definitiuè ſententiamus, non ſolùm modo, & forma præmiſsis, ſed etiam omni meliori modo, &c. Ita pronunciamus. Pompeius Cardinalis Arigonius. Ita pronunciamus, Hieronymus Cardinalis Pamphilius.

Confirmat prædictam ſententiam.

§. 3. Nos attendentes, præfatos nationis Gallicanæ dicti Ordinis fratres hactenus piè, & religiosè, cum odore bonæ famæ ſub ſuaui dicti Ordinis iugo in dicto Conuentu vixiſſe, & de præſenti viuere, alijſq; aliarum nationum eiuſdẽ Ordinis fratribus pietate, moribus, & obſeruantia regulari præluxiſſe, & prælucere, ob idq; Ordinem huiuſmodi in ſuo laudabili ſtatu, ac illius fratres pręfatos in perpetuis tranquillitate, & pace fouere, necnon quibuſuis litibus, diſcordijs, & ſcandalis obuiare, dictorumq; prædeceſſorum, ac Regis præfati voluntati annuere volentes, eiuſdem Henrici Regis chriſtianiſsimi ſupplicationibus hac in parte inclinati, præfatã ſententiam, ac omnia, & ſingula in ea contenta, & expreſſa quæcumq; ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ poteſtatis robur adijcimus, omneſq; & ſingulos ſolẽnitatum, ac alios defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.

Prohibet, quod in dicto Conuẽtu non poſſint eſſe Correctores, neque locales fratres aliarũ nationum.

§. 4. Diſtrictiùs inhibentes pro tempore exiſtentibus generali Correctori, & fratribus dicti Ordinis, ac eorum ſingulis ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, necnon priuationis dignitatum, officiorum, vociſque actiuæ, & paſsiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda per eorum quemlibet, ſi contrauenerint, ſeu aliquis eorum contrauenerit, eo ipſo incurrendis pœnis, ne de cætero quouis alios, quàm præfatæ nationis Gallicanæ dicti Ordinis fratres in Conuentu huiuſmodi Correctores, ſeu alios locales, & conuentuales, vel habitatores eligere, aut electos confirmare, inibi recipere, vel eis locum, & domicilium aſsignare, ſeu etiã quoquo modo eos admittere, vel tolerare præſumant.

Fugitiui Galli in dicto Conuẽtu non admittantur.

§. 5. Nolumus tamen, quòd fratres dictæ nationis Gallicanæ, qui fugitiui, ſeu quauis alia iuris, aut facti infamia notati fuerint, in dicta domo, ſeu Conuentu recipiantur, vel admittantur.

Decretum irritans.

§. 6. Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quocumque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commiſſarios deputat.

§. 7. Quocirca venerab. fratri Epiſcopo Sabinẽſi, ac dilectis filijs noſtro in alma Vrbe Vicario, & cauſarum Curię Cameræ Apoſtolicę generali Auditori per pręſẽtes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; vbi, & quando opus fuerit,

Digitized by Google

fuerit, & quoties pro parte dicti Regis chriſtianiſsimi, & Correctoris, & fratrum dictæ domus SS. Trinitatis, aut alicuius eorum requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, illos, & eorum quemlibet præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui, & gaudere. Non permittentes, eos deſuper à quocumque quauis auctoritate quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs. *§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; necnõ priuilegijs, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis; quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Marcum, ſub annulo Piſcat. die 13. Iulij, 1606. Pontific. noſtri anno 2.*

§. III.

1 QVæres 1. an Corrector SS. Trinit. de Vrbe habeat præcedere Prouinciales ibi reſidentes, præſertim tempore Capituli generalis.

Videtur quòd ſic. 1. per ſtatutum Cap. Auenion. 2. n. 21. vbi id diſertis verbis ſtatuitur, & talis huius rei redditur ratio: Quia nimirum ille Conuentus ſedes eſt R. P. Generalis, & ei immediatè ſubiectus.

2 Secundò quia dictus Corrector eſt in poſſeſſione.

3 Dico tamen Correctorem SS. Trinitatis de Vrbe perperam ſibi vſurpare locum ante Prouinciales, non ſolùm tempore Capituli generalis, ſed etiam extra illud. Probatur 1. quia Correctores locales in Ordine noſtro non ſunt Prælati, niſi inferiores ad plus, vt patet ex textu claro Correct. n. 11. cui titulus eſt De nomine Prælatorum, vbi dicitur. *Hic etiam eſt pro generali regula habendum, quòd vbicumq; in præſenti Correctorio ſit mẽtio de huius Ordinis ſuperioribus Prælatis, intelligendum eſt de prænominatis, videlicet de generali Correctore, ac de proprijs Vigilibus, & Prouincialibus.* Quàm autem abſurdum ſit, & quàm contra bonum regimen Reipublicę, ſimplices Superiores, ſeu Prælatos inferiores præcedere ſuperiores Prælatos, iudicet vnuſquiſque per ſe. Videatur Nald. in ſum. verbo Præcedentia, nu. 5.

4 2. Ex eodem Correct. nu. 62. vbi dicitur, *Prætereà prouideatur, quòd vbicumque ſimul præſentes fuerint Corrector localis, & Prouincialis, aut eius Vicegerens, Prouinciali cedat ipſe localis Corrector, ſuoque Vicegerenti, vt minor maiori.* Vbi notat P. Paſſar. quòd ſi contigerit, alienæ Prouinciæ Prouincialem in refectorio comedere, ſiue in proceſſionibus ire, abſente proprio Prouinciali, Corrector Conuentus debet ei dare locum, cum ille non ſit locus iudicij, ſed dignitatis. Et notat vlterius id etiam habere fratres Prædicatores. Quod deinde fuit diſertis verbis ſtatutum in Cap. Val. 4. nu. 48.

5 3. Nam in 1. Capitulo generali Ordinis celebrato Apoſtolica auctoritate, vt videre eſt num. 1. Cardinalis tunc præſidens dicto Capitulo aſſignauit omnibus fratribus Prælatis, & Correctoribus proprium locum, futuris perpetuis temporibus tenendum, & Correctoribus aſſignauit poſt Prouinciales, & poſt ipſorum Commiſſos, vt videre eſt in dicto Capitulo 1. n. 9.

6 At inquies, Commiſſi non tenent locum poſt Prouinciales, ſed ſuæ profeſſionis, prout determinatum eſt in Cap. Paulæ, n. 15. Ergo ſicut Cap. Paulæ potuit derogare huic de Commiſſis, licèt auctoritate Apoſtolica confirmato, potuit & Cap. Auenionenſe derogare in caſu iſto particulari illi de Prouincialibus, cum non minoris fuerit auctoritatis.

℞. Quando Capitula celebrantur eadem auctoritate, tum neutrum habet in alterutrum auctoritatem; quia par in parem nõ habet imperium: c. Innotuit, §. Quamuis, de elect. Quando autem vnum celebratur auctoritate Papæ, ſeu eadem auctoritate confirmatur, tunc quod tali auctoritate non eſt celebratum, vel confirmatum, ijs derogare non poteſt, quia inferior in ſuperiorem iuriſdictionem non habet, cap. Inferior, d. 21. Cum ergo Cap. 1. Romanum fuerit auctoritate Papæ celebratum, Cap. verò Paulitanum fuerit eadem auctoritate confirmatum, non eſt mirum, quòd hoc potuerit illi derogare. At Cap. Auenionen. nec fuit auctoritate Papæ celebratum, nec eadem confirmatum, vnde nullo pacto potuit Cap. Romano derogare. Quæ eſt doctrina Paſſar. in ſchol ex Barchinon. num. 25.

7 4. Quia Epiſcopus extra propriam iuriſdictionem præcedit Abbates in propria iuriſdictione, quia locus ille dignitatis eſt, non iuriſdictionis. Ergo & Prouincialis, qui habet auctoritatem quaſi epiſcopalem, vt eſt communis opinio, etiam extra propriam iuriſdictionem debet præcedere Correctores in propria.

8 5. Quia Prouinciales tempore Capituli generalis non ſunt extra ſuam iuriſdictionem, ſed in propria, repræſentant enim totam Religionem, & pro illius negotijs ſunt congregati. Vnde abſurdum eſt, quòd Corrector eos præcedat: quam rationem fortificat mirabiliter Caſſan. in catal. glor. mundi, 4. par. conſid. 52. in princ. Nauar. lib. 1. conſil. de maior. & ob. conſ. 4. num. 2. Et poteſt confirmari ex eo, quia Cardinales commorantes Romæ, etiamſi Epiſcopi ſint, dicuntur reſidere, eo quia ſingulis Eccleſiis videntur deſeruire: vt Germ. de indultis, §. Tibi quoad vixeris, nu. 12. & §. Volumus, num. 15. Ergo ſimiliter Prouinciales in Cap. generali, cum toti Religioni, & ſingulis Prouincijs inſeruiant, videntur eſſe in propria reſidentia, & ſic loco ſibi debito priuari non debent.

9 6. Probatur ex textu claro in cap. Ex ore, de priu. vbi abſurdum dicitur, quòd Abbas ſupra Epiſcopos ſedeat. Sed non minùs abſurdum eſt, Correctorem SS. Trinit. præcedere Prouinciales, qui ſunt Epiſcopi ſuorum ſubditorum, vt Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 49. art. 6. Ergo abſurditas iſta, quæ videtur induci per illud ſtatutum Auenion. omnino vitanda eſt. Ita Panor. d. cap. Ex ore, num. 2.

10 Ad 1. in contrarium ℞. ſtatutum illud eſſe contra Regulam, & contra ſtatutum Cap. 1. Romani auctoritate Apoſtolica celebrati loc. cit. & ideo nihil valere, vt patet ex dictis.

2 ℞. Si quid valet, ad ſummum valet in Prouincialibus degentibus Romæ extra Capitulum generale, & hoc ſolùm intendit ipſum ſtatutum, vt patet ex ipſo contextu. Sed nec hoc eſt concedendum per dicta.

3 ℞. Quòd nihil valet ratio, pro hac præcedentia allata; Quia Collegę Generalis ſunt immediatè illi ſubiecti, & tamen nullam præeminentiam habent ſupra Correctores, neque ſupra Prouinciales.

4 Ex eo quòd ſit ſedes Generalis, non licet illi habere aliquam præeminentiam. Quia pari modo Conuentibus, qui ſunt ſedes Prouincialium, poſſet concedi aliqua præeminentia ſupra alios Correctores, quod nemo dicit.

5 Dico, Capitulum generale non poſſe concedere priuilegium alicui contra Regulam, præſertim quando eſt

Digitized by Google

do eſt in præiudicium tertij,vt eſt hoc;priuilegia.n.intelliguntur ſemper conceſſa,ſa luo iure tertij;niſi ab habente poteſtatem aliter declaretur.

11 Ad 2.dico,quòd poſſeſſio ad hoc vt preſcribat,debet eſſe pacifica per multos annos continuata, abſque interruptione, clamore, & litigio per multos actus cõfirmata,vt probo to.1.Relig.q.1.c.8.§.4. qualis non eſt poſſeſſio Conuentus SS. Trinitatis, Adde, quòd non valet conſuetudo contraria, quòd minùs dignus præcedat ſuum maiorem.Decius conſil.21.num.64.& ſeq. Tuſch. verbo Renunciare, concl. 171. num. 4.

12 Quæres 2.an poſſint permittere fratres Galli,vt in dicto Conuentu habitet localiter alius quiſpiam frater alterius nationis.

℞. Meo videri poſſe: Nam hoc eſt priuilegium dictæ nationi conceſſum, & vnuſquiſque poteſt ſuo priuilegio renunciare:cap. Si de terra, & cap. Accedentibus, de priuil. & cap. Ad Apoſtolicam, de regul. Et in praxi renunciarunt dicti fratres quò ad habitationem P.Zeloſi,cuiuſcumque nationis ſit(niſi id ſit etiam declaratum à ſummo Pontifice,quod non ſcio.) Neque obſtat,hoc priuilegium non eſſe ſolis fratribus conceſſum,ſed etiam Regi Galliarum. Nam Rex nõ fuit pars principalis in hac cauſa,ſed ſolùm coadiuuans ratione protectionis dicti Conuentus:nec in his ſe immiſcuit, niſi quatenus à fratribus rogatus, vt per ipſius auctoritatem faciliùs obtinerent intentum. Neq; obſtat, quòd priuilegio habenti clauſulam irritum,atque inane,non poteſt renunciari,etiam de conſenſu partium.Mand.in praxi, tract.de monit.nu.46. verbo Exemptus à iuriſd. Epiſc.Nam intelligitur poſitiuè,non permiſſiuè,ſeu de conſenſu totali, non aliquali. Et cenſuræ poſitæ ſunt contra præſumentes.Quare ignorantia etiam craſſa excuſaret; & cum ignorantia craſſa talis legis poſſent etiam poſitiuè aliquem admittere.

13 Sed tunc tria oriuntur dubia. 1. Ad quoſnam fratres pertineret admittere aliquem alium fratrem ex alia natione ad inhabitandum in dicto Conuentu. 2.an poſtquam dictum admiſerint, poſſent eum eijcere. 3. an,& quomodò ſibi præiudicarent.

14 Ad 1. dico hoc priuilegium eſſe conceſſum toti nationi Gallicanæ. Quare puto, quòd permiſſio ad totam nationem pertineret. Nec ad id ſufficeret Conuentus SS.Trinitatis, qui non eſt tota natio, ſed minima illius pars.Vnde toti nationi præiudicare non poſſet. Ita Suar. 8. de leg. cap. 35. num. 6.

15 Ad 2. dico, quòd poſtquam quis fuiſſet legitimè admiſſus à tota natione Gallicana, non poſſet ampliùs ab ea expelli. Nam communis opinio eſt, quòd per vſum directè contrarium in priuilegijs negatiuis,vt eſt hoc,non faciendi, ab habẽte auctoritatem factum animo volenti,& lubenti,perditur priuilegium.Ita Gloſſa per textum in cap.Gratum,de off.de leg. verbo Receſſum.Et latè Suar.8.de legib.cap.35.per multa.Facit regula *Quod ſemel placuit,ampliùs diſplicere non poteſt*, quæ eſt 21.de reg. iuris in 6. Verum quidem eſt, quòd non perderent priuilegium, niſi quò ad illum, non autem quò ad alios? Id etiam dic,ſi negatiuè permitterent; c. Ex ore,cum Gloſſa ver. Renunciare,de his,quæ fiunt à mai.& c.Gratum,cum Gloſſa ver.Receſſum,de off.de leg. Gloſſa in cap. Accedentibus, ver. Renunciaſſe, de priu. Videatur Suar. loc. cit. num. 9.

16 Ad 3.℞. quòd dicti fratres Galli ſibi præiudicarẽt, faciendo actum priuilegio contrarium per tempus ad præſcriptionem neceſſarium,V.G.ſi P. Generalis faceret localem in dicto Conuentu aliquem fratrem non Gallum,qui ibi permaneret per decem, aut viginti annos & deinde continuaret ad faciendum locales alios vſque ad tempus neceſſarium ad præſcribendum,quod eſt annorum 40. continuatorum abſque litigio, & interruptione,vt in cap.Accedentibus,de priuileg.videntibus Gallis,& tacentibus,ac conſentientibus,tunc per præſcriptionem, cenſerentur hoc priuilegium amiſiſſe. Habetur in c. Si de terra, & cap. Accedentibus, de priuileg.Cum præſertim hoc priuilegium ſit præiudiciale fratribus aliarum nationum.Secus autem eſſet, ſi intra dictum tempus proteſtarentur; Nam tunc à tali tempore non poſſet inchoari præſcriptio. Videatur Suar. 8. de leg. cap. 35. num. 10. & ſeq.

17 Quæres 3. an Galli non ſubditi Regi Galliarum poſſint localiter permanere in dicto Conuentu.

℞. Supponendo primò Galliam ſecundùm Ptolemæum lib.1.geographiæ in Galliæ deſcriptione, diuidi in quatuor partes quas hic non numero,quia ad me non ſpectat; ſufficit, quòd in Gallia continentur Flandria,Brabantia,Olandia,Lotharingia,Sabaudia,& Comitatus Auenionenſis, in quibus tamen non dominatur Rex Galliæ. Suppono 2. quòd priuilegia præiudicium alicui afferentia,ſeu poteſtati ordinarij derogantia odioſa ſunt quò ad interpretationem, & ideo reſtringenda potiùs quàm extendenda, & ita interpretanda,vt quàm minùs poteſt,communi iuri aduerſentur,vt docent Sanch.8. de matrim diſp.1. num.1. & 4. Nau.in ſum.cap.12.nu.79.Et habetur in cap.Sanè,& c. Porro, de priuil. & cap. 1. de priu. in 6.

℞. Ergo, quòd Galli etiam non ſubditi Regi Galliarum comprehenduntur in iſto priuilegio, & poſſũt localiter aſſignari à Generali in dicto Conuentu, & in Correctores eligi.Patet ex dicta conſt.§.3. vbi dicitur, quòd *non poſſint in dicto Conuentu localiter permanere,niſi fratres Gallicanæ nationis*, ſed Auenionenſes, Sabaudienſes,Lotharingi,Flandobergij,&c.Gallicanę nationis ſunt.Ergo in eo poſſunt permanere;Si enim voluiſſet Papa, quòd non poſſent ibi habitare, niſi ſubditi Regi, vtique dixiſſet cum notiſſimum ſit, nationem Gallicanam non eſſe totam ſubditam Regi Gallię.Sed cum Pontifex excluderet omnes Hiſpanos,Italos,Germanos,&c. voluit omnes Gallos ſubditos, & non ſubditos Regi includere.Addo in Cap.generali Romæ 7. ſeſſ.7. matutina, cum quæſitum fuiſſet, ad quendam Collegatum Generalis deberent aſſumi Religioſi oriundi ex Lotharingia, Belgio, ex Comitatibus Auenionenſis,& Burgundiæ,ex Ducatu Sabaudiæ,ex Eluetia. Reſponderunt vnanimiter Patres,tam Galli,quàm Hiſpani,& Itali,debere aſſumi ad Collegatum Galliæ, cum iſta omnia ſint intra gremium, & viſcera Galliæ. Ex quo non parùm confirmatur noſtra ſenteotia, vt patet.

18 Quæres 4. an in Correctorem SS. Trinitatis, ſeu etiam S. Andreæ de Vrbe poſſit ab Vrbe abſens, & in dictis Conuentibus non localis eligi.

℞. Affirmatiuè. 1. Quia ad hoc vt aliquis poſſit in Correctorem noſtri Ordinis canonicè eligi,ſufficit, quòd ſit eiuſdem Ordinis; clem. 1. de elect. & habeat conditiones requiſitas cap. Cum in cunctis, eodem tit.& conditiones requiſitas in cap. 9. noſtræ Regulæ, num. 39. Ergo qui omnes dictas conditiones habet, ſiue in dictis Conuentibus commoretur, ſiue non, poterit in eorumdem Correctorem eligi.

19 2. Quia dicti Conuentus ſunt ſedes R.P. Generalis,& illi immediate ſubiecti Cap. Paulæ, num.43. Bonon,1.num.43.Barchin.1. nu. 26. Vnde Correctores illorum habent iuriſdictionem quaſi prouincialem. Quare etiam prætendunt Prouinciales in ſuis Conuentibus præcedere(licèt id falſum ſit,vt conſtat ex nu. 3.) Nouitios ad habitum recipiunt; Cap. Auenion. 1. num.10. Veſtimenta ſacerdotalia benedicunt, vt colligitur ex c.Barchin.1.num.26. & id conuenire omnibus Correctoribus in communi,probaui 2.p.Ritualis, not. 9.& notaui ſupra in conſtit.1.Iulij II.§.19.num.44. Soluunt Generali eamdem taxam, quam cœteri Prouinciales;Auenion.2. num.11. Electiones illorum fiunt in die S. Michaelis, & ſtatim publicantur, vt electiones Prouincialium, quod eſt omnino ſingulare. Sed Prouinciales poſſunt eligi ex alienis Prouincijs, Cap. Val. 3.num.8 Ergo & iſti Correctores Quod autem Corrector S. Andreæ fruatur omnibus priuilegijs, quibus Corrector SS. Trinitatis, conſtat ex Cap. Auenion. 2. num. 11.

20 3. Quia

Digitized by Google

20 3. Quia de iure communi omnes ſacerdotes habentes conditiones dictas nu. 18. poſſent in Correctores eligi, quantumcumque in alienis, & remotiſſimis Prouincijs exiſterent (niſi Cap. Auenion. 2. n. 29. id ſpecialiter prohibuiſſet) per textum clarum in cap. 1. de procur. in 6. Statutum verò Auenion. declaratur in cap. Barchinon. 2. nu. 23. his verbis. *Ad clariorem Auenion. ſtatuti intelligentiam, quo cauetur, ne quis in aliena Prouincia Corrector eligatur, niſi prius in illa per annum ſaltem permanſerit, de ijs intelligitur, qui nunquam in ſimili Prouincia fuerunt*. Ex quo ſine controuerſia conſtat, quod ſi quis aliàs in dictis Conuentibus per annum commoratus fuiſſet, poſſet nunc in Correctorem dictorum reſpectiuè Conuentuum eligi, quantumuis in remotiſſimis ageret. Sed plus prætendo, nimirum quòd dicta ſtatuta Auenion. & Barchinon. nullo modo loquantur de Conuentibus, qui ſunt ſedes Generalis, & puto conſtare 1. ex verbis ipſis. 2. Quia ſi dicta ſtatuta voluiſſent comprehendere Conuentus, qui ſunt ſedes Generalis, debuiſſent illos nominatim exprimere, quæ enim habent ſpecialem aliquam prærogatiuam, in generali locutione non veniunt; cap. Sedes Apoſtolica, de reſcript. c. De multa, de præb. Guttier. lib. 3. practicarum quæſt. q. 16. num. 51.

21 4. Quia negatiua iuris, & qualitatis, vt in caſu noſtro, probari debet ab eo; qui negat iuxta Gloſſ. in cap. Bonæ memoriæ, el 1. de elect. ver. Per rerum naturam; Omnis enim præſumitur idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur; cap. fin. de præſumpt. Et omnia conceſſa ſunt, quæ non ſunt prohibita; arg. cap. cum Eccleſia Sutrina, de cauſa poſſeſs. vbi Gloſ. verbo Ne veniret; at hoc nullo loco reperitur prohibitum; quod ſciam; ergo.

22 5. Quia id ſæpius factum eſt in Conuentu S. Andreæ, vt anno 1603. & anno 1626. & etiam aliàs; Ergo videtur legitima conſuetudine introductum: Pro quo facit fortiter dictum cap. Cum Eccleſia, Sutrina, iuncta Gloſ. ver. De conſuetudine; & ver. Breuitatem.

23 Quæres 5. ex abundanti, vt multis importunantibus ſatisfaciam, an Prouinciales in Ordine Minimorum poſſint auferre auctoritatem à Correctoribus localibus, eorumque officium exercere, pecunias Conuentus expendere contra dictorum Correctorum voluntatem; dictiſque Correctoribus omnino prohibere, ne fratres extra Conuentus mittant.

24 Videtur prima facie, quòd ſic; per textum ſatis clarum in Correct. num. 64. vbi dicitur, *Correctores locales ita ſuum exerceant officium, in quantum ſibi à ſuis ſuperioribus Prælatis fuerit permiſſum*.

25 2. In dicto Correct. num. 105. præcipitur, quod Correctores in præſentia Prouincialium nullas graues pœnitentias abſq. ſcientia, & conſenſu Prouincialium cuiquam imponant; & contrarium facientes iubentur plecti pœna, qua plecti meruerat delinquens. Ex quo videtur colligi, quòd miniſtratio Conuentus in præſentia Prouincialis, ad ipſum, non ad Correctorem, pertineat, ſi Prouincialis ita velit.

26 3. In dicto Correct. num. 62. dicitur, quòd *vbicumque ſimul præſentes fuerint Corrector localis, & Prouincialis, Prouinciali cedat ipſe localis Corrector*, & fratres egreſſuri, vel reuerſuri, à Prouinciali præſentes Correctore, benedictionem petant. Ergo ſignum eſt, quòd præſente Prouinciali, Corrector fratres foràs mittere non poteſt, ſi Prouincialis contradicat.

27 4. In Cap. Tholoſ. nu. 35. ſtatuitur, quòd *Corrector recedens extra Conuentum, non ponat Vicecorrectorem in loco ſuo, præſente in eodem Conuentu maiore ſuo Superiore, niſi de ſpeciali aſſenſu ipſius; ita ſemper, prout eſt de iure, quod maior poteſtas minori ad obediendum præponatur, vt Superior minor, & ordinarius de permiſſione dicti Superioris ſui ſuum exerceat officium*.

28 5. In Cap. Bonon. 1. num. 14. ita habetur *Corrector non faciat ſignum, nec loquatur in menſa, niſi expreſſo nutu ſui ſuperioris Prælati, nihilque concludatur notabile in Conuentu per Correctorem, & Capitulum & concluſum non mandetur executioni, niſi ex ſcientia, & aſſenſu ſuperioris Prælati, ſi præſens fuerit; ſciant enim Correctores, ſe ſuis Prælati eſſe ſubditos*.

29 6. In Cap. Valent. 2. num. 10. ſtatuitur, quòd Prouinciales poſſint conſtituere Vicarium ſuper Correctorem, pro quanto tempore id expedierit, ſed hic Vicarius, ne fruſtra conſtitutus ſit, aliquod debebit officium exercere in ipſo Conuentu: non poterit aliud quàm Correctoris. Ergo & id multò magis poterit Prouincialis ipſe: nemo enim poteſt plus iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur; per regul. Nemo, quæ eſt 79. de regul. iuris in 6.

30 7. In Cap. Rom. 6. num. 14. dub. 3. ſtatutum eſt, quòd Corrector non poſſit congregare Capitulum, inuito Prouinciali, neque tempore viſitationis, neque extra illud.

31 8. In Cap. Bonon. 1. num. 15. ſtatuitur, quòd Corrector non poſſit exire Conuentu, etiam de conſenſu Seniorum, ſine expreſſa licentia Prouincialis præſentis; & quòd contra Seniorum voluntatem poſſit Corrector à Prouinciali foras mitti, ſicut cæteri fratres.

32 9. Ex iure communi. Quia quod licet minori ex officio, multò magis licet maiori, cap. Illud ſuperfluum, d. 95. arg. cap. Hiſtoria 33. q. 2.

33 10. Quia maior facit ceſſare minorem, vt eſt commune dicterium apud Iuriſtas, de quo Tuſchus verbo Maior, concl. 16.

34 11. Quia lumen maius offuſcat minus, cap. Solitæ, §. Præterea, de maior. & obed.

35 12. Quia Corrector videtur aſſimilari Curato, cum Prouincialis aſſimiletur Epiſcopo, & Curatus eſt coadiutor Epiſcopi; cap. fin. de offic. Archipresb. Sed abſurdum videtur, Epiſcopum non poſſe facere, quæ Curatus: immo Curatus non debet præſumere quidquam facere contra ordinationem Epiſcopi, vt dicitur in dicto cap. fin. de off. Archipresb.

36 Quibus tamen non obſtantibus, dico, quod Prouincialis non poteſt ſine legitima cauſa auferre auctoritatem à Correctore, nec officium Correctoris exercere. Nec in ſpecie poteſt expendere pecunias Conuentui prouenientes, nec in generali vetare Correctori, ne fratres extra Conuentum mittat.

37 1. Ex textu claro in Correct. num. 64. vbi dicitur. *Non per hoc intendatur, quin ipſi locales Correctores (in quantum ſibi à ſuis prædictis ſuperioribus Prælatis, & eorum Viceſgerentibus permiſſum fuerit) ſuum ordinarium officium exerceant: & ter in qualibet hebdomada locale Capitulum celebrent, ac ſuos fratres corrigant, & de ſui Monaſterij bonis licitè diſponant*. Qui textus probaret euidenter intentum, niſi includeret illam clauſulam; *In quantum ſibi à ſuis ſuperioribus Prælati permiſſum fuerit*. Sed hæc clauſula obſtat, vt dicam in reſponſione ad primum. Ergo textus euidenter concludit.

38 2. Correctores habent ordinariam iuriſdictionem, vt patet ex Regula num. 49. & Correct. num. 64. Et conſtat; quia poteſtas ordinaria eſt illa, quæ habetur beneficio legis, vt docent ſcribentes in cap. Cum ab Eccleſiarum, de off. Ord. vbi Gloſſ. ver. Eccleſiaſtica ſententia, fine: Et in ſpecie Rodriq. tom. 1. qu. reg. qu. 17. art. 6. Mir. tom. 2. man. qu. 19. art. 4. conclu. 2. à iuriſdictione Prouincialium diſtinctam, ex Correct. num. 47. 48. 49. Sed ordinarius non poteſt ſine manifeſta, & rationabili cauſa impediri ſuum munus exercere, vt conſtat clarè ex Correct. nu. 64. & cap. Monachi, §. Priores, de ſtatu Monach. Nam nemo ſine culpa iure ſuo priuari debet, cap. Satis peruerſum, d. 56. & cap. Inuentum 16. q. 7. & docet Rodriq. loc. cit. art. 7. & Mir. art. 5.

39 3. Specialiter, quòd bona Monaſteriorum adminiſtrare ad Correctorem pertineat, conſtat manifeſtè ex Correct. num. 47. vbi obligatur de ipſis rationem reddere ſingulis tribus menſibus coram locali cap. & in termino ſui officij coram proprio Prouinciali. Et num. 48. iubetur puniri, qui ſibi datas eleemoſynas Correctori non præſentauerit, & qui eaſdem abſque

Corre-

Digitized by Google

Correctoris licentia retinuerit. Et n.49. iubentur puniri Correctores, qui eleemoſynas inæqualiter diſtribuerint. Et nu. 50. non poſſunt neq; Generalis, neque Prouinciales bona vnius Conuentus in alium transferre abſque Correctoris, & Capituli conſenſu. Et nu. 109. iubentur etiam Correctores puniri ſuper inæquali bonorum diſtributione. Ex quibus ſatis patet, adminiſtrationem bonorum ad Correctores omnino pertinere, independenter à Prouinciali, & eſt conforme cap. Nullam 18. q. 2. Quod caput intelligi de noſtris Correctoribus, colligitur ex Nau. comm. 3. de Regul. num. 4. Et eſt etiam conforme conſuetudini legitimè præſcriptæ. Nam Correctores talem adminiſtrationem de facto habent: etiam in Conuentibus, vbi ordinariè Prouinciales reſident. Nec vmquam vidi ſuper hoc Correctores à Prouincialibus diſcretis moleſtari.

40 4. Quia Prouincialis non poteſt impedire iuriſdictionem ſpiritualem Correctoris; ergo neque temporalem. Antecedens probatur. Quia quod à Superiori conceditur, ab inferiori reuocari non poteſt, c. Inferior, d. 21. clem. Ne Romani, de elect. Mir. tom. 2. man. q. 19. art. 5. Conſequentia patet; quia ſunt connexa: non enim ſeparari poteſt ſpiritualitas à temporalitate ſine corruptione, & connexa eſſe inſeparabilia, docet Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 95. n. 5.

41 5. Denique, quia improbum, & difficile eſt, vt vnus homo duorum gerat officium; leg. Si plures. ff. De pactis, cap. Singula d. 89. Facit cap. Cum ſingula de præb. in 6. Docet Ariſt. 4. polit. cap. 15. Vide plura apud P. Gregor. ſyntag. iur. lib. 47. cap. 10. nu. 21. Immo punitur, qui de alterius officio quidquam vſurpat; cap. Peruenit ad nos, 11. q. 1. cap. Epiſcopi qui, 9. qu. 3. ne confundatur ordo eccleſiaſticæ Hierarchiæ; Et plura huius generis habes d. 89. per totam: Penna leg. Omnes iudices, C. De Decur. libr. 10. col. 13. Immo etiamſi Superior in tali officio eſſet idoneus, decet tamen, vt ſua onera partiantur, c. fin. de off. Archipresb. cap. Mandata, de præſumpt. Legant per charitatem Prouinciales cap. Diaconi ſunt, à §. Nunc autem, d. 93. Dico itaque quòd Prouincialis prædicta exercens vſurparet ſibi Correctoris iuriſdictionem, & per conſequens mortaliter peccaret, iuxta leg. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. & D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 6. & Nau. lib. 5. conſil. de hær. conſil. 2. num. 4.

42 At inquies, ſi Prouincialis præſens videat Correctorem malè adminiſtrare dicta bona, tolerabit ne hoc ſibi in faciem fieri? Nequaquam. Sed Correctorem hoc caſu puniet, &, ſi factum exiget, officio priuabit, cum illius Superior ſit.

43 Fateor tamen, quòd poteſt in aliquo caſu particulari, iuſta, & euidenti aliqua ratione ſuadente, Prouincialis impedire Correctori vſum ſui officij, V. G. poteſt præcipere Correctori, vt ſoluat debita Conuentus: quòd illum cadentem reparet, quòd tali fratri indigenti det talem veſtem, & ſimilia: Vel quòd tempore viſitationis, & bacchanalium fratres foràs non mittat; quòd talem, vel tales fratres numquam mittat, quæ Corrector, velit, nolit, obſeruare tenetur. Poteſtas enim Correctoris eſt eminenter in Prouinciali; Vnde in aliquo caſu particulari, iuſta, & euidenti ratione ſuadente, poteſt Correctoris auctoritatem impedire. Ita Sanch. 5. in decal. cap. 4. n. 70. Et dixi to. 1. Relig. cap. 26. §. 2. concl. 4.

44 Nec ſufficeret Prouinciali in his caſibus dicere, ſe habere ad id iuſtam cauſam, ſed illam deberet aſſignare, vt dixi loc. cit. ex Nauar. libr. 3. conſil. de Reg. conſ. 56. num. 2.

45 Et ſi quæras, quid faceret Corrector in caſu, quo Prouincialis de facto procederet expendendo pecunias Conuentus, & cenſuris prohibendo, ne fratres foràs exirent, etiam mandante Correctore?

Reſpondet Rodriq. to. 1. q. reg. qu. 17. art. 7. quòd Prouincialis peccabit, & quòd tempore viſitationis poterit conueniri, & puniri. Quia ordinarius non poteſt ſine iuſta cauſa impediri, ne ſua vtatur iuriſdictione. Sed ego addo vnum punctum (quem tamen nollem practicari à Correctoribus ad vitandas lites) quòd poterit in dicto caſu Corrector reſiſtere, ſi abſit ſcandalum; nam, ſi ſecuturum eſſet ſcandalum, teneretur obedire; per ea, quæ dico to. 1. Relig. cap. 7. pag. 61. & tunc poſſet facere id, quod dicit Rodriqu. Sicut enim Superiorum iura decet ſeruari, ita non decet permittere, inferiores iniurias ſuſtinere; cap. In ſingulis, §. Si verò, de ſtat. Monach. Et procedenti de facto de facto etiam reſiſtendum eſt. Leg. 1. §. Et hoc edictum, ff. Si mulier ventris nomine. Marcus de Mantua ſing. 446.

46 Ad 1. ergo in contrarium, quod eſt Achilles, contrariæ opinionis, ℞. ſuppoſito 1. quòd dicit Aug. 3. de doctr. chriſtian. c. 26. nimirum quod *vbi Scriptura apertius ponuntur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris*. 2. quòd in dicto nu. 64 Correct. declaratur, quòd eodem modo ſe habeant Prouinciales reſpectu, & in præſentia Generalis, ſicut ſe habent Correctores reſpectu, & in præſentia Prouincialium, ideſt ſuum exerceant officium, in quantum illis per Generalem permiſſum fuerit. Suppono 3. quod in numero 102. Correct. determinatur, quòd *Prouincialis in præſentia Generalis poſſit liberè ſuum exercere officium, & quòd poſſit liberè de ſuis fratribus diſponere in his, quæ diuinum cultum, ſalutem ſubditorum, & huius Ordinis commodum concernere noſcuntur.* Suppono 4. quòd in eodem Correct. n. 105. ſtatuitur, quòd Correctores in præſentia Generalis, vel Prouincialis, pœnas carceris, & alias graues pœnitentias cuiquam non imponant; nec ſimiliter eaſdem poſſint imponere Prouinciales in præſentia Generalis. Ex quibus omnibus colligo, quòd clauſula illa Correctorij num. 64. *In quantum ſibi à ſuis ſuperioribus Prælatis permiſſum fuerit*, intelligitur vel tempore viſitationis; vel in caſibus aliquibus particularibus; iuxta dicta nu. 43. vel in pœnitentijs grauibus non imponendis à Correctoribus in præſentia Prouincialium, niſi de conſenſu, & ſcientia, illorum, prout declaratur in dicto nu. 105. Nam alioquin dicti textus non ſibi cohærent. Si enim eodem modo Philoſophandum eſt de Prouinciali in præſentia Generalis, ſicut de Correctore in præſentia Prouincialis, vt dicitur dicto num. 64. & num. 105. Cum nu. 102. dicatur, Prouinciales coram Generali poſſe liberè ſuum exercere officium, ſequitur meo videri manifeſtè, quòd idem officium poſſint etiam Correctores liberè exercere coram Prouinciali, & quod quæ dicuntur num. 64. declarentur num. 105. Immo addo, quòd illud ſtatutum num. 105. videtur ſolùm ibi poſitum ad declaranda iura dubia, poſita ſupra nu. 64. & 102. Nam ſi Correctores nullo modo poſſunt in præſentia Prouincialium ſuum exercere officium, niſi in quantum illis permiſſum fuerit, neque etiam poterunt aliquas pœnitentias graues imponere, niſi in quantum eis per illos permiſſum fuerit. Ergo ſtatutum illud num. 105. eſt omnino ſuperfluum; quod cum dicendum non ſit, dicendum eſt voluiſſe declarare, id, quod dixerat nu. 64. de Correctoribus in præſentia Prouincialium, intelligi ſolùm de pœna carceris, & alijs pœnitentijs grauibus; & limitare quod dixerat num. 102. de Prouincialibus, quò ad pœnam carceris, & pœnitentias graues. Quam explicationem confirmat mirabiliter ſtatutum Tholoſanum nu. 35. Vbi poſtquam dictum eſt, *Superior minor, & ordinarius de permiſſione dicti Superioris ſuum ſuum exerceat officium;* declarans quid ſignificaret illa clauſula *de permiſſione dicti Superioris* ſubiungit. *Ita quod, ſi Superior huiuſmodi maior inuenerit dictum minorem Superiorem ſuper pœnitentijs alicui impoſitis, & alijs delinquentem & fratribus ſibi ſubditis neceſſaria iniuſte diſtribuentem, corrigat, &c.* Adde denique, quòd ratio dictat dicta ſtatuta ita debere intelligi. Nam alioqui Corrector ſtaret in præſentia Prouincialis tanquam Aſinus in lyra; poſſet enim Prouincialis illi in totum auctoritatem auferre, & eam ſibi vſurpare; quod eſt contra Canones determinantes, Superiorem ordinarium non poſſe abſq; cauſa legitima auctoritate priuari, vt dixi num. 38.

& eſt

Digitized by Google

& eſt etiam abſurdum, abſurda autem vitanda ſunt; cap. Ex ore, de priuil. Et per hæc patet etiam ad 2. Quod eſt omnino obſeruandum.

47 Ad 3. Immo textus ille nu. 62. fauet valde nobis. Nam dicitur ibi, quòd *ſi aliquando fratres benedictionem petant à Correctore, præſente Prouinciali, Corrector ſupplicet nutu, vel verbo Prouinciali, vt dictos fratres benedicere dignetur*, non dicit, Vt licentiet ad exeundum, ſed quòd benedicat, quæ ſunt inter ſe valde diuerſa, & à diuerſis non fit illatio; cap. Ad audientiam, de decim. Vnde ſupponit, quòd dicti fratres iam fuerint licentiati ad exeundum à Correctore; quòd ſi accedentes ad ſumendam benedictionem immediatè egreſſuri à Correctore, illum inueniant cum Prouinciali, à Prouinciali, tanquam maiori, benedictionem petant.

48 Ad 4. ℞. Per illud ſtatutum non tolli facultatem à Correctore, exeunte à Conuentu, conſtituendi Vicarium; hoc enim habet à iure, quo Superior ordinarius poteſt ſuas vices alteri mandare; regula Poteſt, quæ eſt 68. de reg. iuris in 6. ſed ſolùm obligari Superiorem localem ad id faciendum de aſſenſu Prouincialis, ob reuerentiam, quæ illi præſenti debetur: Et ille aſſenſus requiritur potiùs quò ad perſonam eligendam, quam quò ad poteſtatem eligentis.

49 Ad 5. concedendum eſt totum; quia Prouincialis ſuperior Prælatus eſt, ideo illi ſua iura ſeruanda. Sed ex hoc non ſequitur, quòd poſſit expendere pecunias Conuentus ad ſuum libitum contra Correctoris voluntatem de hoc enim nullum inuenio veſtigium in Regula, neque conſtitutionibus: Nec quòd poſſit in totum auferre poteſtatem à Correctore fratres foras mittendi.

50 Ad 6. Concedo, poſſe Prouincialem conſtituere Vicarium ſuper Correctorem pro quanto tempore id expedierit, ſed ſolùm pro emergentibus negotijs, vt cantat textus Correct. n. 106. At iſte Vicarius pro emergentibus nullam habet præeminentiam, neque auctoritatem, niſi eo tempore, quo dicta emergentia negotia durant. Quæ autem ſint emergentia negotia, pro quibus dictus Vicarius poterit conſtitui, determinatur in Cap. Auenion. 2. num. 31. his verbis. *Fuit dubium expoſitum ad tollendas lites, quidnam cenſeretur, cum ſuperiores Prælati Vicarium deputarint in emergentibus. Viſumque fuit Patribus, ea dici, iudicarique emergentia, in quibus vrgent, & premunt negotia, egentque maxima celeritate, nec ad Superiorem commodè recurri poteſt.*

51 Ad 7. ℞. Illud ſtatutum eſſe rationabile; pertinet .n. ad reuerentiam debitam Prælato, vt omnia, quæ in Conuentu fiunt, quæ ſunt alicuius importantiæ, cum illius ſcientia, & aſſenſu fiant; Sed nihil inde contra nos. Immo dictum ſtatutum patitur ſuas difficultates: Nam poteſt congregari Capitulum, inuito etiam Prælato, quando ageretur de illius depoſitione, vt conſtat ex Corrector. num. 9.

52 Ad 8. Dico, illud ſtatutum Bononienſe eſſe rationabile ſi ſano modo intelligatur; iuſtum enim eſt, vt Prælatus inferior Prælatum ſuperiorem recognoſcat; cap. Ad hoc, d. 89. ſed ſi intelligatur, vt videtur ſonare, nimirum quòd dictus Corrector debeat obtinere ad exeundum domo dictam expreſſam licentiam, ita vt eam illi poſſit Prouincialis pro ſuo libito denegare: dico, quòd nihil valet; nam eſt contra ſtatutum Capit. Thuronen. num. 37. quod fuit confirmatum à Iul. II. vt ſupra in eius conſt. 8. & in dicto ſtatuto dicitur, quòd ſolùm pro honeſtate tenetur Corrector intimare Prouinciali præſenti, per ſe, vel per alium fratrem, velle ſe exire: quam intimationem tenetur etiam facere Prouincialis Correctori, quando exire voluerit. Et hoc ſtatutum Thuronen. fuit confirmatum in Cap. Tholoſ. nu. 64. Addito, quòd Corrector benedictionem petere teneatur per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Intelligo itaque illud ſtatutum Bononienſe de benedictione, largè interpretando nomen illud licentiæ; quam benedictionem tenetur expreſsè petere: & licèt non obtineat, poterit exire, eo modo, quo prædicatores Regulares ad prædicandum in ſuis Eccleſijs tenentur petere benedictionem ab Epiſcopo Diœceſano ex Trid. ſeſſ. 5. de refor. cap. 2. quam tamen non eſt neceſſe obtinere, vt dico ſupra in conſt. 2. Sixti IV. num 20. Pro qua doctrina facit, quod dicit Paſſar. in notab. priu. not. 26. Neque obſtant hic dictis, quæ dico ſupra in dicta conſt. 8. Iul. num. 3. nimirum quòd acta in vno Cap. confirmato à Papa in forma communi, poſſunt in alijs Capit. reprobari. Nam intelligitur quando non conſtat de mente confirmantis; conſtat autem ex §. 4. dictæ conſt. quòd Papa poſuit in libertate cap. ſubſequentis, quod Tholoſæ celebrari debebat, approbare, vel reprobare dicta ſtatuta Capit. Thuronen. Quod Capit. Tholoſ. cum confirmaſſet dictum ſtatutum Thuronen. cum limitatione dicta ſumendi benedictionem à Prouinciali, videtur, quòd non reliquerit poteſtatem alijs Cap. dicta ſtatuta Thuronen. infirmare. Et poteſt hic adduci illud iuris dicterium, quòd Exceptio firmat regulam in contrarium. Sed quicquid ſit de hic dictis. Licèt concederemus, dictum ſtatutum Bononien. de toto rigore debere obſeruari, nihil inde contra nos.

53 Ad 9. Quod licet minori quò ad forum interius animæ, licet multò magis maiori, & eſt caſus illius cap. & eſt verum; nihil enim poteſt Corrector in illo foro, quod non poſſit multò magis Prouincialis; At quò ad forum exterius, & iuriſdictionem temporalem multa poſſunt inferiores, quæ non poſſunt ſuperiores, vt eſt textus clarus in cap. Epiſcopus gubernationem, d. 88. & cap. fin. de offic. Archipresby. Et ratio redditur à Turrecr. in cap. Volumus, d. 89. num. 1. vt ſuperior Prælatus maioribus negotijs ſuperintendat.

54 Ad 10. Dic, quòd maior facit ceſſare minorem, à ſe in eſſe, & conſeruari dependentem. At quando ab eo non dependet, vt in caſu noſtro, neque in eſſe, neq; in conſeruari, illa regula non valeret. Valeret in Vicario prouinciali; nam vbi Prouincialis adeſſet, ſtatim ceſſaret illius auctoritas. Ita Gloſſa in c. Denique verbo, maiore d. 21.

55 Ad 11. Verum eſt, lumen maius offuſcare minus, ſic Sol offuſcat lumen cuiuſcumque luminoſi: Sed non tollit actiuitatem, quam non tribuit. Sic Prouincialis offuſcat, non eſt dubium, auctoritatem Correctoris: at non tollit actiuitatem, quam non dat.

56 Ad 12. Verum eſt Correctores aſſimilari Curatis, vt dicunt Rodriq. to. 1. q. regul. q. 17. art. 3. Miran. tom. 2. man. q. 19. art. 3. Sed Curati per dictum cap. fin. de off. Archipresb. minora negotia, ſecundùm Gloſſam ibid. verbo Referant, determinare poſſunt per ſe ipſos, cum habeant iuriſdictionem ordinariam. Sic Correctores poterunt minora negotia terminare. Et ſi quæratur, quæ ſint minora negotia, quæ poſſunt Correctores per ſe determinare. Reſpondent Rodriq. & Mir. loc. cit. eſſe omnia ea, quæ pertinent ad obſeruantiam diſciplinæ regularis, ad quæ poſſunt ſuos ſubditos cenſuris cogere, eaq; omnia definire, quæ pertinent ad ordinariam gubernationem Conuentus, quæ non poſſunt generaliter impediri à Prouincialibus exercere; cum præſertim per Regulam, vt vidimus, eis ſpecialiter concedantur. Pro quo facit cap. Cum ab Eccleſiarum, iuncta Gloſſa verbo Non relaxes, de offic. Ord. Ad id, quod dicitur, Curatum non debere facere quidquam contra ordinationem Epiſcopi. Reſpondeo, id eſſe intelligendum, quando, ſuadente aliqua rationabili, & euidenti ratione, in caſu aliquo particulari ordinariam auctoritatem ſuſpendit, iuxta dicta ſupra num. 43.

57 Nota etiam, quòd hanc conſtitutionem confirmauit, inſerto toto tenore Gregorius XV. ac propterea ex certa ſcientia confirmauit per ſuam conſtit. quæ incipit, Aliàs, ſub data 15. Septembr. 1621. anno 1. ſui Pontificatus.

CON-

Digitized by Google

CONSTITVTIO VIII.

Reuocat omnes indulgentias Regularibus conceſſas, & alias de nouo concedit.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū.

Romanus Pontifex in B. Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cæleſtis indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſollicitè proſpicere debet, ac ſolerter, vt huiuſmodi indulgentiarum diſpenſatio, & vſus ad Dei gloriā, & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur.

Clemens VIII. præſcripſit formam aggregandi Congregationes per ſuam conſtitut. Quę incipit 115. apud Cherub. fol. 164. De indulgentijs tamen Regularibus cōceſſis deliberare nō potuit.

§. 1. *Proinde cum fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, magna cum diligentia, & ſollicitudine procurauerit abuſus, & corruptelas, tum in communicando indulgentiarū theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere; & propterea ſua quadā conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licèt morte præuentus hanc piam eius voluntatem ad finalem exequutionem deducere, neq; etiam, vt cogitauerat, circa indulgentias, à pleriſque Romanis Pontificibus predeceſſoribus Religionibus, & Ordinibus Monaſticis, & Mendicantibus diuerſis temporibus conceſſas, aliquid deliberare potuerit.*

Hic Pontifex hoc negotiū Cardinalibus commiſit.

§. 2. *Nos, qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ad ſummi Apoſtolatus officium vocati ſumus, ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, vbi primum catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, venerab. fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente prædeceſſore deputatis, de quorum numero tempore ipſius Clementis prædeceſſoris eramus, iniunximus, vt in illo opere ad vlteriora progrederentur, & indulgentias Regularibus conceſſas cognoſcerent, ijsque recognitis, rem nobiſcum communicarent.*

Qui indulgentias omnes reuocādas, & nouas concedendas cēſuerunt.

§. 3. *Cum itaque præfati Cardinales priuilegia, conceſſiones, & gratia, prædictis Religionibus, & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint, & examinauerint, ac eorumdē Ordinum Superiores, & Officiales pluriès audiuerint, ac circa eaſdem indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confuſiones adeſſe compererint, & ex iudicio eorumdem etiam Regularibus, vel aliquorum ex illis nobis propoſuerint, valde expedire pro eorum maiori ſecuritate, & beneficio, vt indulgentias ipſis Religionibus, & Ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus, & reuocaremus, ac alias particulares illis concederemus.*

Nouas igitur hic Pontifex concedit.

§. 4. *Nos, matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis regularibus quibuſcumque quorumuis Ordinum, tam Monaſticorum, quàm Mendicantium ſpirituale ſolatium, & iuuamen afferre, infraſcriptas indulgentias, & gratias, quas perſonis regularibus intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum Superiorum, legitima de cauſa illis conceſſa, degentibus tantummodò ſuffragari debere declaramus; concedendas duximus.*

Et primò ſuſcipientibus habitū regularem, plenariam.

§. 5. *Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & conſtitutiones Apoſtolicas, habitū regularem à legitimis Superioribus, cauſa profitendi in illo, ſuſceperint; die primo earum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, plenariam.*

Profeſſionē emittentib. item plenariam.

§. 6. *Ac cuilibet nouitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra communione refectus, poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam plenariam.*

In feſto principali ſui Ordinis celebrantibus itē plenariam.

§. 7. *Necnon cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterij viuenti, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra communione refectus fuerit, aut miſſam recitans, pro chriſtianorum Principum concordia, hereſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.*

In mortis articulo pœnitentibus item plenariam.

§. 8. *In cuiuslibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra communione refectus, vel, quatenus id facere nequiuerit, ſaltem contritus, nomen Ieſu ore, ſi potuerit; ſin autem, corde deuotè inuocauerit, etiam plenariam.*

Miſſam primam celebrantibus, vel intereſſentibus itē plenariam.

§. 9. *Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confeſſus, primam miſſam celebrabit, necnon etiam ijs Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra communione refecti, eidem miſſæ interfuerint, aut ipſo die miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam plenariam.*

Speciale exercitium de quo hic, facientibus item plenariam.

§. 10. *Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia à negotijs per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuerſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum ſpiritualium, animos ad deuotionem, & ſpiritum inducentium, lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor nouiſſimorum, Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem, & noctem, orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciēdo eodem tempore confeſſionē generalem, aut annualem, vel ordinariam, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, aut miſſam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

Eorum Eccleſias viſitantibus indulgentias ſtationum.

§. 11. *Præterea ijdem Religioſi intra clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, &, vt præfertur, orauerint, conſequantur eaſdem indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam diebus ſtationum conſequuntur in omnibus diebus, perinde, ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.*

Ante altare eorum Eccleſiæ orantibus quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 12. *Omnibus item Religioſis intra clauſtra, vt ſupra, viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante altare eorum Eccleſiæ dixerint in quolibet die, quinque annos, & totidem quadragenas.*

Similiter Lectoribus & Prędicatoribus in itinere exiſtentibus.

§. 13. *Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes tamquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eamdem orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam an-*

eam ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

Orationem mentalem per mẽſem facientibus 60 annos, & totidem quadragenas.

§. 14. Necnon etiam Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mẽtalem fecerint, ac confeſſi, & ſacra communione vltima Dominica menſis huiuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

Culpas proprias in Capitulis accuſantibus 3. annos, & totidẽ quadragenas.

§. 15. Qui verò contrito corde, & pœnitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

Miſſiones ad terras infidelium &c. acceptantibus pro duabus vicibus plenariam.

§. 16. Quotieſcumq; autem de licentia ſummi Pontificis, aut ſuorum Superiorum, in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipſos ad fidem catholicam conuertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima cõmunione refecti fuerint, vel miſſam celebrauerint, vt melius ad huiuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

Orationib. 40. horarũ à Superioribus tempore viſitationum collocatis intereſſentib. plenariam.

§. 17. Et inſuper, cum Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarũ pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, ijs Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diuerſo tempore interfuerint, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ, & obſeruantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, vt ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi, & ſacra communione refecti fuerint, aut miſſam celebrauerint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum indulgentiã, & remiſſionem, vt præfertur, concedimus.

Has indulgentias cõcedit etiã monialib.

§. 18. Volumus autem, vt omnes ſupradictæ indulgentiæ, & gratiæ, Religioſis regularibus cuiuſuis Ordinis, tam Monaſtici, quàm Mendicantis dumtaxat, vt præfertur, conceſſæ, etiam omnibus monialibus cuiuſuis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viuentibus, & perpetuam clauſuram ſeruantibus, tam Ordinarijs locorum, quàm etiam Regularibus cuiuſcumque Ordinis, Regulæ, & Inſtituti ſubiectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Reuocat quaſcumq; alias indulgentias.

§. 19. Cæterùm omnes, & ſingulas indulgentias, quibuſcumq; Ordinibus, & Inſtitutis regularibus huiuſmodi, etiã Mendicantibus, & quibuslibet perſonis regularibus, tam vigore priuilegiorum, & literarũ Apoſtolicarum, quam viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis modo per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem hactenus cõceſſas, confirmatas, approbatas, & innouatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocamus, caſſamus, annullamus, & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum literarum præſcriptum reducimus, & moderamur.

Derogat contrarijs.

§. 20. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eorumdem Ordinum, & Inſtitutorum regularium etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, eiſdem Ordinibus, & Inſtitutis, eorumque Monaſterijs, Conuentibus, Collegijs, domibus, Superioribus, & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, eorumq; totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo, ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 21. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem fides habeatur vbique, quæ præſentibus ipſis originalibus literis haberetur. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcator. die 23. Maij, 1606. Pontif. noſtri anno 2.

§. IV.

1 NOto, quòd indulgentijs hic conceſſis à num. 5. poſſunt etiam ſui Religioſi, quando extra proprias domos, & Eccleſias commorantur; viſitando altaria Eccleſiarum illorum locorum, in quibus commorantur, ſiue ibi ſint per modum itineris, ſiue per modum ſtatus ad breue tempus. Ita refert Pereg. 1. part. ſui comp. tit. Indulgentia, num. 7. conceſſiſſe ſuæ Congregationi Pium IV. & confirmaſſe Pium V. & viuæ vocis oraculo declaraſsè Paulum V. poſt hanc indulgentiarum reuocationem. Quod viuæ vocis oraculum, quia factum eſt Generali dictæ Congregationis Clericorum regularium, ſuſpicabitur quiſpiam eſſe reuocatum per bullam huiuſmodi viuæ vocis oracula reuocantem, de qua infra in Gregorio XV. conſt. eius 3. Sed perperam; nam ſolùm ibi reuocat indulta, facultates, priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumq; viuæ vocis oraculo factas, de quibus non teſtatur aliquis S.R.E. Cardinalis. In iſta autem declaratione nulla continetur gratia; ſolùm declarat Pontifex, per ſuam conſtitutionem non eſſe derogatum huic priuilegio, quod eſt valde diuerſum à conceſſione gratiæ; Qui enim declarat, nihil de nouo concedit Ludouicus Gomes in regul. Cancell. de non tollen. iure quæſit. q. 13. in princ. pag. mihi 54. & Guido Pap. ſing. 772. A diuerſis autem non fit illatio; cap. Ad audientiam, de decimis, c. 2. de transl. Epiſcopi & leg. Papinianus exul. ff. De minoribus. Panor. in c. Venerabilis de iud. nu. 6. Alphonſus Leo in tract. de iub. p. 1. q. 6. nu. 247. pag. 61. qui ait, dictum viuæ vocis oraculum Pauli V. fuiſſe factum Cardinali, quem non nominat; Vt vt ſit, ratio facta conuincit.

2 Nota etiam, quòd infirmi, & decrepiti noſtræ Religionis, qui non poſſunt Eccleſiam adire ad lucrandas indulgentias à Paulo V. Regularibus conceſſas, poſſunt eas conſequi in lectulo ſuo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio confeſſarij. Ita declarauit Paulus V. Congregationi S.M. Fulien. anno 1609. Pontif. ſui anno 5. vt habetur in eorum comp. tit. Infirmi, §. 4. Peregr. eod. §. 1.

§. XI.

3 QVæres 1. an indulgentijs, de quibus hic, poſſint Regulares gaudere ſingulis diebus totius anni, an verò ſolùm diebus ſtationum.

℞. Meo

℞. Meo videri ſolùm poſſe frui diebus ſtationum: Tum quia quando vult Pontifex concedere indulgentiam pro quolibet die, id explicat, vt patet ex §. ſequ. Lex enim vbi aliquid vult, id exprimit, vt Mandoſ. in reg. 32. Cancell. q. 28. num. 2. Gutier. lib. 1. can. q. c. 30. n. 21. c. Ad audientiam, de decim. Tum quia, ſi Regulares poſſent his frui ſingulis diebus, non curarent frui alijs minoribus, vnde hæ ſolùm ad pompam viderentur conceſſæ.

4 Quæres 2. an in iſtis indulgentijs includantur indulgentiæ plenariæ conceſſæ dictis diebus Eccleſiis Vrbis, & extra eam.

℞. Suarez tom. 4. in 3. par. diſp. 52. ſect. 8. num. 12. Molfeſ. part. 1. ſumm. tract. 7. cap. 26. num. 92. quòd non includuntur, niſi id in ſpecie exprimatur, quia ſic eſt ſtylus, & praxis Curiæ Romanæ, & regul. Cancellariæ. Sed meo videri (ſaluo ſemper ſtylo dictæ Romanæ Curiæ) in prædictis diebus ſtationum poſſunt Regulares lucrari indulgentias etiam plenarias; Tum quia dictio, Perinde, omnem ſimilitudinem importat. Tuſc. ver. Dictio, concl. 375. nu. 13. Tum quia, cum conſtet de poteſtate concedentis, & ſolùm dubitetur de voluntate, latè eſt interpretanda: Tum quia ita videtur intellexiſſe communis Religioſorum ſenſus.

§. XIX.

5 QVæres 1. an per iſtam reuocationem reuocentur indulgentiæ conceſſæ Regularibus pro defunctis.

℞. Paulum V. declaraſſe Congr. S. M. Fulien. viuæ vocis oraculo facto Card. Bandino die 23. Febr. 1609. non reuocari. Ita Peregr. 1. p. ſui comp. verbo Indulgentia n. 9.

6 Et ſic modò poſſunt Regulares frui priuilegio Leonis X. conceſſo Congreg. S. Iuſtinæ, quòd celebrantes tres miſſas pro anima alicuius defuncti conſanguinei intra tertium gradum ſuper vno altari, per Superiorem in propria Eccleſia aſſignato, liberant ipſius animam a pœnis purgatorij, ac ſi celebraſſent ſuper altari S. Gregorij, aut S. Sebaſtiani Romæ. Ita refertur in compend. priuil. Congreg. S. M. Fulien. tit. Indulg. pro defunct. §. 6. Peregr. eod. §. 15.

7 Noto etiam, quòd Leo X. conceſſit, vt omnes indulgentiæ ab ipſo, & prædeceſſoribus ſuis conceſſæ Mendicantibus vſque ad quartum ſui Pontificatus annum, die 3. Febr. pro viuis, poſſint ab ijs pro defunctis per modum ſuffragij applicari. Ita refert Peregr. loc. cit. §. 10. Et refertur in comp. Soc. Ieſu, tit. Indulgentia, §. 10. Et in comp. priuil. S. M. Fulien. tit. Indulg. pro defunct. §. 4.

8 Quare omnes Sacerdotes, qui Dominicis diebus, aut in ſolemnitatibus D. N. Ieſu Chriſti, & B. M. celebrant, & non Sacerdotes quotieſcumq. communicant, conſequuntur plenariam indulgentiam per conceſſionem Innoc. VIII. factam Minoribus, vt refert dictus Peregr. loc. citat. §. 12. Sed iſtam non poſſunt lucrari pro ſe, quia quò ad viuos reuocata eſt per iſtam conſtit. Poſſunt autem illam applicare pro defunctis.

9 Quoties etiam Regulares dicunt coronam B. M. quæ continet 63. Aue, & 7. Pater, vel coronam Domini, quæ continet 33. Pater, & 5. Aue, vel ſeptem pſalmos pœnitentiales, aut pſalmos graduales, aut officium defunctorum pro defunctis, conſequuntur indulgentiam plenariam, defunctis applicandam. Infirmi verò, & ſenes decrepiti eamdem indulgentiam conſequuntur, quoties pſalmum 50. aut canticum B. V. aut hymnum Aue maris ſtella dixerint, & hoc per conceſſionem Iulij II. & Leonis X. vt refert Peregr. 1. p. ſui compend. tit. Indulgentia, §. 13. & refertur etiam in comp. priuil. S. M. Fulien. tit. Indul. pro defunct. §. 2. & 3. & in comp. priuil. Soc. Ieſu, tit. Indulgentiæ, §. 9.

10 Quæres 2. an per iſtam reuocationem reuocentur indulgentiæ conceſsæ pro articulo mortis.

℞. Non reuocari: Nam quæ ſpeciali digna ſunt nota, non cenſentur tacitè eſſe ſublata vt dicitur in leg. Item apud Labeonem, §. Ait Prætor, ff. de iniurijs. Ita Alph. Leo 1. part. de iubil. q. 6. num. 243. verſu Ex qua declaratione ſequitur primò. Qui id colligit ex quadam declaratione facta ab Vrb. VIII. publicata Romæ ab illuſt. Coccino Vicegerente Pœnitentiariæ, anno iubilæi 1625. quòd anno iubilæi non ſuſpenduntur indulgentiæ conceſsæ pro articulo mortis. Quare poterunt in dicto articulo frui indulgentiã plenariam conceſſa à Sixto IV. Eugenio IV. &c. quòd poſſint Regulares in dicto articulo confeſſorem eligere, qui eis poſſit concedere indulgentiam plenariam, & quòd, ſi occurrerit caſus, quòd non poſſint confeſſorem eligere, ſeu habere, tunc etiam conſequantur prædictam indulgentiam, ſi ſunt in ſtatu gratiæ, vt refert Caſar. verbo Indulgentia quò ad fratres, num. 1. & Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 19. n. 8.

11 Quæres 3. an per iſtam reuocationem prohibeantur Regulares conſequi indulgentias conceſſas alicui Eccleſiæ, vel populo, ſeu hoſpitali. &c.

℞. Per iſtam conſtitutionem non reuocari, niſi indulgentias perſonales conceſſas ipſis Regularibus, & ipſorum intuitu. Vnde non videtur mens Papæ fuiſſe prohibere, quin dicti Regulares poſſint lucrari indulgentias locales. Ita Filliuc. to. 1. tract. 8. c. 6. nu. 130. Aduertit tamen D. Th. ſupple. 3. p. q. 27. art. 2. ad 2. quòd *Religioſi exiſtentes in ſuis Monaſterijs promerentur amplius, quàm diſcurrendo aut peregrinando ad lucrandum indulgentias*. Vnde deberent eſſe contenti de indulgentia temporanea, quam conſequuntur ſuas Eccleſias viſitando. Idem exiſtimo dicendum de imaginibus, medalijs. &c. Quia indulgentiæ illis conceſſæ reales ſunt, non perſonales.

CONSTITVTIO IX.

Mandat Superioribus Regularium, ne cognoſcant cauſas ſuorum ſubditorum, ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis pertinentes.

PAVLVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ à prædeceſſoribus ſuis, temporum, & rerum qualitate id tunc expoſcente, prouidè pro hæreſum extirpatione ſancita ſunt, nouis emergentibus rationibus, reuocat, & immutat, aliaque deſuper diſponit, & ordinat prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire. Proœmiū.

§. 1. *Dudum ſiquidem fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter ſua perpetuò valitura conſtitutione ſtatuit, ordinauit, & declarauit, quòd ex tunc deinceps in omnibus chriſtiani orbis partibus Inquiſitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm in quibuſuis Prouincijs, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium, profeſſores, & Religioſos, ac etiam alios quoſcumque quouis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæreſis crimine quomodolibet ſuſpectos, aut* culpa-

Pius IV. iuſſit Inquiſitores procedere cōtra quoſcūque Regulares, dummodo ab eorum Superioribus non eſſet præuentū.

culpabiles, dummodò ab eorumdem profeſſorum, & Religioſorum Superioribus, vel Prælatis in cauſis huiuſmodi præuenti non fuiſſent, iuxta facultates officij inquiſitionis ipſius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpales, & deliquentes repertos ſecundùm canonicas ſanctiones caſtigare, atque punire poſſent, & valerent, ac aliàs, prout in literis ipſius Pij prædeceſſoris latiùs continetur.

Hic modo Pont. facultatem quibuſcumque Ordinum Prælatis cognoſcendi cauſas Regularium, ad officium inquiſitionis ſpectantes, quoquo modo conceſſam reuocat.

§. 2. *Cum autem rerum vſu compertum ſit, occaſione præuentionum huiuſmodi nonnulla interdum impedimenta orta eſſe, quominus cauſæ huiuſmodi ea, qua decet, diligentia cognoſcantur. Nos de conſilio venerab. fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum, illa de medio tollere volentes; motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione, hac noſtra etiam perpetuò valitura conſtitutione, omnia, & quæcumque priuilegia, indulta, facultates, & conceſſiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, ſiue Mendicantium, ſiue Clericorum regularium, cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti, etiam in dicta conſtitutione non expreſſorum, & quantumuis exemptorũ, & quocumq; nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longiſſimo tempore obſeruata cauſas ad dictum officium quouis modo ſpectãtes cognoſcendi, & terminandi, ſeu in illis quoquo modo ſe intromittendi, quorum omnium, & ſingulorum tenores, etiamſi de illis ſpecialis, & expreſſa mentio habenda eſſet, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò caſſamus, reuocamus, & abolemus; ipſiſq; Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero, quouis quæſito colore, vel prætextu præuentionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis, ſeu cognoſcendi, an delationes huiuſmodi calumnioſæ ſint, necne, in eiuſdem cauſis tam motis, quam mouendis quoquo modo ſe intromittere, ſeu immiſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, definire, vel terminare minimè audeant, ſeu præſumant, ſimili auctoritate diſtrictiùs inhibemus.*

Regulares omnes Ordinarijs, & Inquiſitoribus liberè denonciari mandat.

§. 3. *Volentes, & expreſſè mandantes, vt ipſi Religioſi poſſint, & debeant omnes etiam Ordinum huiuſmodi profeſſores, de hæreſi ſuſpectos Inquiſitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus liberè denunciare, abſq; eo quòd Superiores prædicti perſonas denunciandas, & cauſas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, ſeu præſumant.*

Et cauſas coram ipſis Prælatis pẽdentes Inquiſitoribus, & Ordinarijs cõmittit.

§. 4. *Inſuper omnes, & quaſcumque cauſas ad dictum officium quomodolibet ſpectantes, & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis huiuſmodi in quibuſcumq; locis exiſtentibus, ac contra quoſcũque Religioſos, vt præfertur, exemptos motas, & pendentes, ad nos harum ſerie auocamus, eaſque omnes in ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ipſius prauitatis Inquiſitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus terminandas committimus.*

Prælatis ad tranſmittẽdum omnia acta, & omnes Regulares de hæreſi ſuſpectos eiuſdem Ordin. & Inquiſitoribus mandat.

§. 5. *Præterea ipſis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atq; mandamus, vt omnes proceſſus, & acta cauſarũ huiuſmodi Inquiſitoribus, vel Ordinarijs prædictis reſpectiuè remittant, & conſignent; necnon profeſſores, fratres, Religioſos ſupradictos, quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos etiam in viſitatione eſſe nouerint, abſq; alia conſultatione cum proprijs Superioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus reſpectiuè denuncient.*

Contrauenientibus pœnas imponit.

§. 6. *Quòd ſi Generales, alijque prædicti præſentibus literis non paruerint, eos omnes priuationis quarumcumq; dignitatum, ſeu Prælaturam, vel officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſq; cenſuras eccleſiaſticas; etiam excommunicationis maioris latæ ſententiæ, à qua non, niſi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, prꝫterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipſo incurriſſe.*

Clauſulas præſeruatiuas apponit.

§. 7. *Necnon preſentes literas, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumq; alij, quauis auctoritate, dignitate, vel officio, ſeu honore fulgentes, in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obſeruari; Sicq; per quoſcumq; iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoq; & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.*

Derogat cõtrarijs.

§. 8. *Non obſtantibus prædicta, ac quibuſuis alijs cõſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnõ Ordinum, & Inſtitutorum quorumcũq; iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & cõſuetudinibus; priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, etiã Maremagnũ, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, eorũq; Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac perſonis etiam per quoſcũq; Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedẽ prædictam, & per nos quouis modo conceſſis, cõfirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus, ac alijs omnibus, quæ preſẽtibus quomodolibet obſtare poſſent, etiamſi de illis, eorumq. totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, et de verbo ad verbũ, non autem per clauſulas generales idẽ importãtes, mẽtio, ſeu quæuis alia expreſſio habẽda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret, eorum tenores pro plenè, & ſufficienter præſentibus expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Formam ad effectũ publicationis præſcribit.

§. 9. *Vt autẽ præſentes literæ ad omnium notitiã deducantur, neuè aliquis ignorantiã earũ prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, illas in valuis S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum Baſilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicꝫ, ac acie campi Florꝫ de more affigi, & publicari, earumq; exempla inibi affixæ dimitti, ac poſt publicationem huiuſmodi omnes, & ſingulos, quos concernunt, & concernẽt in futu-*

Digitized by Google

rum, perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorum cuili-
bet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Tranſum-
ptis fidem
adhiberi iu
bet.

§. 10. *Quòdque earum tranſumptis, etiam impreſ-*
ſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicuius
Prælati, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitu-
tæ munitis eamdem prorſus fidem in iudicio, & extra
vbique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mã-
damus, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi
eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Et nihilominus, vt ad ma-
iorem notitiam ſingulorum, & quorumcumque Reli-
gioſorum prædictorum præſentes deueniant, etiam vo-
lumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, &
mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis præ-
dictis, vt in primis proximis futuris Capitulis, ſeu Con-
gregationibus prouincialibus, vel generalibus cuiuſ-
cumq; Prouinciæ, tam in Italia, quam extra, præſentes
noſtras literas legi, & publicari faciant, & procurent.
Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud S. Marcum, anno
Incarn. Dom. 1606. Kalend. Sept. Pontif. noſtri anno 2.

§. I.

1 NOto, quòd Pius IV. per ſuam conſt. quæ inci-
pit, Paſtoris æterni, quam refert Cherub. to.
2. bull. in Pio IV. conſt. eius 51. pag. 66. dedit facultatem
Inquiſitoribus cognoſcendi de cauſis ad ſuum tribu-
nal pertinentibus contra quoſcumque Regulares
exemptos, dummodò eorum Superiores non præue-
nerint. Quam præuentionem hic Pontifex tollit, con-
cedendo dictis Inquiſitoribus, vt contra quoſcumque
Regulares poſſint procedere, & quòd Superiores re-
gulares in dictis cauſis ſe intromittere non poſſint. Vi-
de 3. p. direct. Inquiſit. quæſt. 28. vbi multa tradit Pegna
comment. 77. Farin. tract. de hæreſi, q. 186. §. 2. num. 28.
Azo. to. 1. inſt. mor. lib. 8. c. 18 q. 12. Rodriq. to. 2. q. reg. q.
81. art. 1. Sanctarell. tract. de hæreſi, cap. 40. dub. 3. nu. 20.
Mol. to. 6. diſp. 28. num. 18.

2 Noto 2. quòd licèt poſſint Inquiſitores inquirere
contra quoſcumq; Religioſos exemptos, non poſſunt
tamen inquirere contra Generales Ordinum, vel Re-
ligionum Militarium, ob prærogatiuam dignitatis. Ita
Pegna, Rodriq. loco cit. & Farinac. In generali enim
locutione non veniunt ea, quæ habent nomen ſpecia-
le, & elegans, vt optimè Gutierr. lib. 3. pract. quæſt. q. 16.
num. 51. & colligitur ex cap. de multa, de præben. &
cap. Sedes Apoſtolica, de reſcript. cap. final. de off. de-
leg. in 6. & cap. Ne aliqui, de priu. eod. lib. Poteſt etiam
citari Gomes q. 4. ad reg. Cancell. verſu Et in eadem;
vbi probat commune illud dicterium, quòd Lex gene-
raliter loquens numquam comprehendit caſus ſpecia-
liter priuilegiatos. Contra hos cum procedendum eſt,
res priùs eſt nuncianda Inquiſitoribus generalibus,
qui, cauſa cognita, decernat, quid opus facto ſit. Poſ-
ſunt tamen Inquiſitores recipere dicta teſtium, & ſi di-
cti Generales eſſent ſuſpecti de fuga, poſſent Inquiſito-
res eos incarcerare, & ad Inquiſitores generales remit-
tere. Similiter ſi aliquid molirentur, quod in manife-
ſtum fidei detrimentum, & fidelium perniciem con-
uerteretur. Ita Pegna loc. cit.

§. II.

3 QVæres quænam ſint cauſæ illæ, quę ad officium
Inquiſitorum ſpectant, in quibus ſe non poſ-
ſunt Superiores regulares intromittere.

℞. Inquiſitores iure communi inquirere primò in
hæreticos. Hæreticus autem eſt, qui habet aliquem er-
rorem in intellectu contra fidem cum pertinacia. Ita
Tol. in ſum. lib. 1. cap. 19. nu. 2. Vide plures huiuſmodi
definitiones apud Farinac. tract. de hæreſi, q. 178. §. 1. 0.
10. & Sanctar. tract. de hæreſi, c. 1. à nu. 3. Et nota, quòd
etiam qui pertinaciter de rebus fidei dubitat hæreti-
cus eſt; Sanctar. nu. 13. Similiter qui pertinaciter aſſere-
ret aliquid contra ea, quæ ad fidem non pertinent, licèt
ſit in ſacra Scriptura diſpoſitum, vt Tobiam non ha-
buiſſe canem, vel Aaron non habuiſſe barbam, menti-
tur enim Deum, à quo Scriptura ſacra dicata eſt. Ita
Ricciull. de iure perſ. lib. 5. c. 8. n. 4.

4 Secundò in credentes hæreticorum. Credentes au-
tem hæreticorum dicuntur illi, qui ſpecialiter nulla
quidem hæreſi infecti ſunt, ſed verbis tamen, vel factis
id profitentur ſe credere, quod hæretici credunt veluti
qui verbo, vel facto declarat ſe cum Caluiniſtis ſenti-
re, vel ſi dicat, ſe velle mori cum illorum erroribus: vel
ſe credere, eos nihil contra fidem catholicam docere.
Ita Azor. to. 1. lib. 8. c. 15. q. 1. Videatur Farinac. de hęr. q.
182. §. 8. à num. 104.

5 Tertiò in receptores. Receptores autem hæretico-
rum dicuntur, non qui hæreticos tamquam conſangui-
neos recipiunt, ſed qui ſcienter tamquam hæreticos
domi, vel alicubi excipiunt. Azor tom. 1. lib. 8. c. 15. q. 2.
Farin. de hæret. q. 182. §. 9. num. 132.

6 Quartò in defenſores hæreticorum. Defenſores au-
tem dicuntur, qui quomodolibet impediunt capturam
hæreticorum, condemnationem, animaduerſionem,
ſupplicium, & pœnam; qui quauis itidem ratione ſtu-
dent, & curant, ne hæretici in manus iudicis deueniãt,
aut ne denuncientur, accuſentur, vel ne deferantur ad
iudices eorum hæreſes, prauaq; dogmata, ne examinẽ-
tur, interrogentur. Deniq; tales iudicantur, qui quauis
ratione Inquiſitorum munus, & functionem impe-
diũt. Ita Azor. loc. cit. q. 6. Vide Farinac. loc. cit. §. 4. n. 56.

7 Quintò in fautores hæreticorum. Fautores autem
dicuntur ex omiſſione, vel negligentia, vt Magiſtratus
omittentes exequi contra hæreticos, quæ iure debe-
rent. Et qui ex commiſſione, & facto excuſant, prædi-
cant, laudant, commendant ſcienter: Quique eis auxi-
lium, & opem tulerint, vel vitæ neceſſaria miniſtrant;
niſi id faciant, non ratione hæreſis, ſed propinquitatis;
Azor loc. cit. q. 7. Farin. loco cit. §. 1. à n. 1.

8 Sextò in eos, qui legunt, vel qui apud ſe retinent,
vel qui typis mandant libros hæreticorum prohibitos,
ſiue damnatos. Pro explicatione iſtius caſus vide Farin.
de hæreſi, q. 180. per totam. Azor. to. 1. inſtit. mor. lib. 8.
cap. 16. 17. Sanch. 2. in decal. cap. 10. à n. 20. Rodriq. to. 2.
q. reg. q. 82.

9 Hic aduerte, quòd Generalis cum conſilio Colle-
garum poteſt concedere facultatem noſtris fratribus
legendi libros hęreticos ad oppugnandum. Ita conceſ-
ſit Gregor. XIII. poſt Pium V. Societati Ieſu; & habetur
in eius comp. tit. Libri prohibiti, §. 1. & refert Rodriq.
to. 2. q. reg. q. 82. art. 3.

10 Poſſunt etiam noſtri fratres ad id habentes licen-
tiam à Prouinciali, vti libris non hæreticis, licèt ha-
beant annotationes, & ſcholia auctorum hæretico-
rum, aut quando auctores ipſi mali ſunt, ſi libri non
ſunt editi ad ſtabilienda dogmata hæretica; & dum-
modò nomen auctoris, & errores, propter quos ſunt
prohibiti, deleantur. Poſſunt item emendare per ſe ip-
ſos libros ſuſpenſos, & facere omnia, quæ in catalogo,
& decreto S. R. Inquiſitionis pręcipiuntur, ad effectum
vt illi retineri poſſint, dummodò errores deleantur, &
ad id habeant facultatem a Prouinciali, qui ſolus eam
dare poteſt, vt Rodriquez loc. cit. Ita conceſſerunt Pius
V. & Greg. XIII. Soc. Ieſu, vt in eius comp. titul. Libri
prohibiti, §. 2. quæ priuilegia fuerunt conceſſa, non ob-
ſtantibus bullis Cœnæ Domini, quotannis publicari
ſolitis, vt patet ex bulla Greg. quam refert Rodriquez
loc. cit. Similem conceſſionem fecerat Sixtus IV. Or-
dini Prædicatorum, & Minorum, vt Pereg. in ſuo
comp. tit. Libri prohibiti. Neque his obſtat conſt.
Greg. XV. quæ incipit, *Apoſtolatus officium*; & in-
fra. *Cum librorum prohibitorum lectio magno eſſe ſin-*
ceræ fidei cultoribus detrimento noſcatur, &, ſicut ac-
cepimus, licentiæ libros huiuſmodi legendi nimis excreue-
rint. Nos, vt huic malo maturè occurratur, & in poſterum

quam

Digitized by Google

quam cautiſſimè licentiæ huiuſmodi concedantur, quantum cum Domino poſſumus, prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolica poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcumque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam per literas Apoſtolicas, ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocumque & ex quacumque cauſa, tam per literas in forma Breuis, quàm aliter quomodocumque à nobis, ſeu prædeceſſoribus noſtris Rom. Pontif. ſeu ab habentibus à nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem conceſſas, earum tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro reuocatis caſſis, & annullatis haberi, nullique in poſterum ſuffragari, quinimmo libros per licentias huiuſmodi permiſſos legentes, aut habentes, pœnas in ſacris Canonibus, & conſt. Apoſt. & indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus. Et, paucis interpoſitis, iubet qui tales libros habuerint, ad Inquiſitores, ſeu Ordinarios, qui eos quàm citiùs comburere debeant, deferre, & qui ſciuerint ſimiles libros habere, denunciare teneantur. Et quòd in poſterum ſimiles licentiæ non concedantur, niſi à Congreg. S. Officii. Eſt data Romæ 30. Decembris, 1623. Non obſtat, inquam, quia loquitur de licentiis particularibus conceſſis ad legendos libros hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, ſeu aliàs quomodocumque prohibitos; non autem de priuilegijs Regularibus conceſſis; neque his derogat. Et in omni caſu ſuſpenſos, donec corrigantur, non prohibet legi ab his, qui aliàs habent per priuilegia facultatem.

11 Regulas librorum prohibitorum ex indice Clementis VIII. & propoſitiones, quæ expurgatione, & correctione indigent, vide in expurgatorio Braſichel in principio. Et in expurgatorio Sandoual.

12 Septimò in diffamatos de hereſi. Diffamati autem de hæreſi dicuntur illi, de quibus eſt publica vox, & fama, & communiter apud omnes, vel maiorem, & ſaniorem partem Ciuitatis, vel viciniæ, aut villæ, quòd tales hæreſim prædicauerint, ſeu defenſauerint, vel aliter illi hæreſi adhæſerint; Direct. Inquiſitorum p. 2. q. 77. n. 1. Farinac. de hæreſi, quæſt. 187. §. 5. n. 53.

13 Octauò in ſuſpectos de hæreſi. Suſpecti autem de hæreſi dicuntur. 1. qui fidelium conſortia deuitant, ſua peccata non confitentur, diuina officia non audiunt, non ieiunant, diebus vetitis carnes comedunt. 2. qui facilè, & ſæpe carnaliter cognoſcunt mulieres conſanguineas, affines, moniales, commatres, aliaſque ſimiles 3. qui horrenda iuramenta, execrabiles blaſphemias, verba impudiciſſima proferunt. 4. ſortilegi, & inuocantes dæmones. 5. teſtes recuſantes ſe examini ſubijcere in cauſa hæreſis. 6. qui primò de ſe, vel de alijs hereſim confeſſi ſunt, & poſtea negant. 7. non recuſantes hæreticum. 8. libros hæreticorum retinentes. 9. duas ducentes vxores. 10. qui Chriſti fidem ore negant, licèt non corde. 11. apoſtatæ à Religione, ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, negligentes ad Religionem redire. 12. fideles cum hæreticis matrimonium contrahentes. 13. Officiales, & Domini temporales negligentes, in puniendis, & fugandis hæreticis, & requiſiti recuſantes eos apprehendere. 14. qui hæreticorum conciones audiunt, qui hæreticos receptant, illis fouent, eos defendunt, cum illis conuerſantur, eos viſitant, eis munera mittunt, cum illis confœderationes contrahunt, qui eos ſepeliunt. 15. qui impediunt officium ſanctæ inquiſitionis, non tamen ſi id faciant ex amicitia, & conſanguinitate, vel pretio. Ita Sanctar. in tract. de hæreſi, c. 41. dub. 3. Videatur Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſum. 2. à num. 16. & 15. ponit tres gradus ſuſpicionis, aliqui enim dicuntur violenter ſuſpecti, aliqui vehementer ſuſpecti, aliqui verò leuiter ſuſpecti.

14 Nonò in ſchiſmaticos. Ii autem dicuntur, qui diuiſi ab vnitate Eccleſiæ Romanæ, ſummo Pontifici ſubeſſe renuunt. Farin. de hæreſi, q. 184. n. 8. 9.

15 Decimò in apoſtatas à fide. Hi autem ſunt, qui fidem relinquunt chriſtianam, quam in baptiſmo promiſerunt, & tranſeunt ad Iudæos, Turcas, Saracenos, idolatras, hæreticos; Farin. de hæreſi, q. 183. nu. 13. & hoc etiamſi id faciant ex libidine, vel deſperatione, animo non linquentes catholicam fidem, quia quantùm ad Eccleſiam apoſtatæ ſunt. Farin. ibid. num. 22.

16 Vndecimò in blaſphemos, ſiue maledicos, qui proferunt verba hæreſim continentia. Blaſphemi autem, qui Inquiſitorum iudicio ſubduntur, ſunt illi, qui, hereticales blaſphemias euomunt, vt qui verba proferunt contra articulos fidei vt Deum non eſſe omnipotentem, B. V. non eſſe puram, ſed meretricem, &c. Direct. Inquiſit. p. 2. q. 41. nu. 2. vel proferunt verba, quæ habent ſignificationem infidelitatis, & fidei abnegationem, & directè opponuntur conceſſioni fidei, vt abnego Deum, non credo in Deum diſcredo de Deo, renego fidem, vel Crucem D. Ieſu Chriſti, vel chriſma, quod fronte recepi. Ita Pegna in directorio comm. 66. meretrix autem Dei, an ſit hæreticalis dubitant aliqui; puto, quod non. Nam communiter non ſignificatur, Deum meretricem habere, quo ſenſu ſine dubio hereticalis eſſet, ſed aliqua mulier, quæ aliquando fuit meretrix, nunc gratia Dei conuerſa Deo eſt.

17 Duodecimò in ſortilegos, diuinatores, magos, &c. qui in ſuis ſortilegijs faciunt, vel admiſcent aliqua, quæ hereſim continent, aut ſapiunt, vt ſi dæmonibus honorem latriæ, aut duliæ impendant, puerum rebaptizent; vel in ſortilegio amatorio Deum abnegent, & Eccleſiæ ſacramenta: aut in eodem ſortilegio Eccleſiæ ſacramenta, vt oleum ſanctum, ſacram Euchariſtiam; vel ſacramentalia, vt aquam benedictam, cereum paſchale, vel candelas de arundine, vel Sanctorum reliquias, & agnos Dei admiſceant. Ita direct. Inquiſ. p. 2. q. 42. n. 3. vbi Pegna comm. 67. Sortilegi autem, de quibus hic, dicuntur qui ſub nomine fictæ religionis, per quaſdam, quas Sanctorum ſortes vocant, diuinationis ſciẽtiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt, vel qui diabolicam profeſſi religionem, noxia quæque ſuperſtitioſa, aut eluſoria dæmonis inſtructione patrant. Sortilegiorum autem ſpecies tres potiſſimùm ſunt, diuinatoria, amatoria, venefica. Ita Godoſ. in theor. crim. §. Sortilegium, n. 2. & 5. Videatur Farin. de hær. q. 181.

18 Et ſi vis ſcire, quæ ſortilegia contineant hæreſim, & quæ hæreſim ſapiant, adi Martin. del Rio lib. 5. magic. diſquiſ. ſect. 5. axiom. 1.

16 Si etiam vis ſcire, quæ propoſitio ſit hæretica, quæ ſapiat hæreſim quæ erronea, quæ temeraria, quæ ſchiſmatica, quæ ſcandaloſa, quæ iniurioſa, quæ impia, quæ blaſphema, adi Ricciull. lib. 5. de iure perſ. c. 8. per totum, Bariol. in flor. Inquiſ. poſt 3. par. pag. 187.

20 Decimotertiò in Regulares matrimonium contrahentes, ſiue publicè, ſiue ſecretè, ſunt enim ſuſpecti de hæreſi, Rodriq. to. 3. q. regul. q. 1. art. 1. Menoch. de præſump. lib. 5. præſump. 6. num. 35. Contra quos adeſt etiam excommunicatio ipſo iure in Clem. 1. de conſang. & affin.

21 Decimoquartò in ſollicitantes, tam fœminas, quàm viros ad inhoneſta, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, aut tractatus habentes, ſiue id faciant pro ſe, ſiue pro alijs, lenonum officium exercentes, in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire. Ita Gregor. XV. per ſuam conſtitutionem 4. §. 6. infra, vbi multo dicam.

21 Decimoquintò in eos, qui non ordinati miſſam celebrant, & confeſſiones audiunt, Ita declarauit Greg. XIII. per ſuam conſtit. 21. apud Cherub. tom. 2. bull.

Digitized by Google

pag. 387. quæ incipit, Officij noſtri partes; & Clem. VIII. per ſuam conſt. 81. apud eumdem Cherub. to. 3. bull. pag. 128. quæ incipit, Etſi aliàs, iuſſit hos degradari, & brachio ſeculari tradi.

23 Decimoſextò in exercentes Aſtrologiæ iudiciariæ artem, etiamſi aſſerant, & proteſtentur, ſe id certò non affirmare; necnon in ſcienter legentes, aut retinentes libros conſimiles, & de diuinatione tractantes, per conſtitut. 27. Sixti V. apud Cherub. tom. 2. bull. pag. 510. quæ incipit, Cœli, & terræ creator.

24 Aduerte hic, quòd dubitant Doctores, an hic motus proprius obliget in foro conſcientiæ, quando Aſtrologi aſſerunt, ſe id certò non affirmare. Negant Valen. tom. 3. diſp. 6. q. 12. p. 3. col. 3. verſu Si autem; Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſt. cap. 11. numero 3. Del Rio lib. 4. mag. diſq. cap. 2. quæſt. 3. verſu Secundò quo ad ipſam Naldus in ſum. verbo Aſtrologus, num. 4. Affirmant Sanch. lib. 2. in decal. cap. 38. numero 34. Farin. tract. de hær. q. 181. §. 1. num. 59. Salas 1. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. diſp. 2. ſect. 3. num. 36. Hæc 2. opinio tutior eſt, cum præſertim non omnes Doctores pro 1. clarè loquantur. Vide alios caſus huiuſmodi apud Riccium 1. p. ſuæ praxis deciſ. 671. & 2. p. reſol. 178. pro ſuperſtitionis ſignis.

25 Quæres, an quis teneatur ſub pœna peccati mortalis denunciare incurſum in vnum ex ſupradictis caſibus, quem ſolus ipſe nouit.

℞. Affirmatiuè. Ita Suarez de fide, diſp. 20. ſect. 4. nu. 7. Sanctar. de hær cap. 9. nu. 2. licèt alij contrarium ſentiant apud Suar. loc. cit. n. 6. Probatur ex cap. 2. de hæret. & cap. Quapropter 2. q. 7. Quod tamen limitandum puto, ſi talis pertinax ſit, vt Tol. in ſum. lib. 4. cap. 5. n. 1. & adhibita priùs fraterna correctione, vt Gloſſa in d. c. Quapropter, ver. Protinus; & dico infra in conſtit. 4. Greg. XV. §. 9. num. 26.

26 Nota etiam, quòd Greg. XV. per ſuam conſt. datam Romæ die 20. Martij, 1623. præcepit denunciari ſortilegos, & maleficos his verbis *Omnipotentis Dei*; & infra. *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt conſtito, quòd aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficijs, ſiue ſortilegijs, vnam, ſeu plures perſonas ita læſerit, vt ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſeculari tradatur, debitis pœnis puniendus. Qui verò ſimiliter apoſtatando, pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, ex quo, licèt mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, ſiue animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, ſiue perpetuis carceribus in ſancto inquiſitionis officio, vbi illud exiſtit, fabricandis mancipari debeat. Qui verò ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſiue Inquiſitori denunciare teneantur.*

27 Nota etiam præceptum illuſtriſ. & reuerendiſ. DD. Cardinalium Inquiſitorum generalium, quod ſic habet. *Præceptum de hæreticis, ſeu de hæreſi ſuſpectis ſancto officio propalandis. Octauius Epiſcopus Præneſtinus Bandinus. Carolus tit. S. Cæſarei Madrutius Io: Garſia tit. SS. quatuor Coronatorum Millinus; Fabritius tit. S. Auguſtini Verallus; Gaſpar tit. S. Crucis in Ieruſalem Borgia; F. Felix Centinus tit. S. Anaſtaſiæ Aſculanus; Scipio Cobellutius tit. S. Suſannæ, F. Deſiderius Scaglia tit. S. Clementis de Cremona; Ludouicus tit. S. Laurentij in Damaſo Ludouiſius Presbyteri & Ludouicus S. Adriani Diaconus de Lauallette nuncupati, miſeratione diuina S. R. E. Cardinales, in vniuerſa Republica chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitores generales, à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati. Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus vtriuſque ſexus, cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima, fulgentibus, harum ſerie, ac tenore, auctoritate noſtra, & huiuſmodi noſtri officij, qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor, primis quatuor immediatos pro ſecundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica aſſignamus, omnes, & ſingulos hæreticos, ſeu de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel R. Commiſſario noſtro quò ad habitantes in Vrbe, quò verò ad alios extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquiſitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicarijs generalibus, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipſo facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris abſolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reſeruamus. Certificantes huiuſmodi conſcientia ſua immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quòd contra ipſos, tamquam contra hæreticorum fautores, & aliàs, prout, melius viſum, & iuris fuerit, procedetur; Ideo, &c. Datum in noſtra, & officij S. Romanæ vniuerſalis Inquiſitionis Congregatione die 3. Ianuarij 1623. Octauius Epiſcop. Præneſtin. Cardinalis Bandinus. C. Card. Madruttius: Io: Garſia Card. Millinus. Fabr. Card. Verallus. G. Card. Borgia; Frater Felix Card. Aſculanus. Scip. Cardin. S. Suſannæ; Frater D. Card. de Cremona; L. Card. Ludouiſius; L. Card. de Lauallette. Andreas de Pettinis S. R. & vniuer. Inquiſitionis Not.* Aduerte autem circa has obligationes denunciandi, eas debere limitari, prout dictum eſt numero 25. Aduerto etiam, quòd licèt ſupradicta diſpoſitio proponatur ſub nomine præcepti, vnde aliqui opinati ſunt, eam non eſſe perpetuam; mihi tamen omnino certum videtur, eam eſſe perpetuam; Tum quia ſi diceret, Decretum, nullus dubitaret, quin eſſet perpetuum; at præceptum, & decretum ſæpius confunduntur in iure, vt ex Tuſch. ver. Præceptum, concl 482. num. 4. & 11. Et clariùs ex quadam conſt. Sixti V. circa agitationes taurorum, quæ incipit, Nuper ſiquidem, quam refert Gutier. lib. 1. can. qu. cap. 7. nu. 36. vbi poſtquam retuliſſet Papa conſt. quamdam Pij V. & Greg. XIII. ait, *Nos vt Romanorum Pontificum præcepta, prout decet, inuiolabiliter obſeruentur;* vbi conſtit. Pontificum vocat præcepta: Contrarium tamen videtur dicere Abbas in cap. Venerabilis de iudic. num. 61. & Nald. in ſum. verbo, lex num. 2. Tum quia ex dicto præcepto nullum apparet ſignum, quare non debeat eſſe perpetuum; illud enim *præcipimus, vt infra duodecim dies proximè computandos,* intelligo à die notitiæ delicti, non à die datæ dicti præcepti. Et colligitur ex eo, quia obligat vbique locorum; & pœna indefinitè poſita perpetua eſt ſecundùm multos; proponitur autem ſub nomine præcepti, fortè quia id eſt familiarius illi ſancto tribunali.

28 Nota etiam, quòd Regulares recurrentes ad ſanctum officium, vt in eo teſtimonium perhibeant, non poſſunt à ſuis Superioribus grauari. Ita decreuit Pius V. die 17. Auguſti, anno 1567. ſub his verbis. *S. D. N. Pius Papa V. in generali Congreg. ſancti officij conſulens libertati ipſius ſancti officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo teſtimonium perhibentium, ſtatuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis etiam Mendicantium Ordinum perſonæ, quæ pro tempore ad officium ſanctæ Inquiſitionis pro quocumque negotio recurrerint, ſeu confugerint, vel in eo teſtimonium perhibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet depoſuerint, nequaquam à ſuis Superioribus per quinquennium continuum à die recurſus, ſeu depoſitionis huiuſmodi moleſtari, vel ex quacumque cauſa, vel exceſſibus prætenſis perſonarum iſtarum, & de debitis propterea pœnis, ſeu pœnitentijs eiſdem imponendis, niſi ipſi illuſtriſſ. Cardinales Inquiſitores generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipſis Cardinalibus deſuper reſponſum fuerit.*

29 Nota etiam, quòd Regulares pœnitentiati à ſancto officio ſunt omnino inhabiles ad dignitates, etiamſi pœnitentias compleuerint. Ita die 1. Octo-

bris

Digitized by Google

bris decreuit Vrban. VIII. anno 1626. ſub his verbis, *In generali Congregatione S. R. & vniuerſ. Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtol. montis Quirin. coram S. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. & Ill. DD. S. R. E. Cardinalibus in vniuerſa Rep. aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à S. Sede Apoſtolic. ſpecialiter deputatis S. D. N. iuſtis de cauſis animum ſuum mouentibus decreuit, & ſtatuit, vt in poſterum Regulares omnes cuiuſuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Inſtituti, quibus pro delictis ad S. Inquiſitionis officium ſpectantibus pænitentia genus aliquod impoſitum fuerit (ſalutaribus Pænitentijs exceptis) eo ipſo ad omnes Religionis ſuæ gradus, & officia inhabiles cenſeantur, & deinceps (etiamſi pænitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus poſsint, niſi priùs obtenta à S. D. N. vel ab hac Sacra Congregat., coram Sanctitate ſua habenda, ſpeciali, & expreſſa rehabilitationis gratia; Alias promotio quælibet nulla ſit, & promouentes ipſi priuationem ſuorum officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & paſsiuæ ipſo facto incurrant, ad quæ reſtitui, niſi ab eodem S. D. N. vel ab eadem ſacra Congreg. coram Sanctitate ſua habenda, non poſsint. Præſens autem decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandauit idem S. D. N. Thomas de Federicis S. R. ac vniuerſ. Inquiſitionis Not. ſubſtit. de mandato.*

30 Aduerte, quòd pœnitentiæ ſalutares dicuntur, quæ ſolæ extra iudicialiter infliguntur, & priuatim & in ſecreto complentur; ieiunia, diſciplinę, recitationes pſalmorum, &c.

GREGORIVS XV.

Italus, Bononienſis, Nicolai de Ludouiſijs filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus die 9. Februarij, anno 1621.

CONSTITVTIO I.

Confirmat priuilegia Minimorum.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Procemiũ. *INiuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt ſacrarum Religionum in militanti Eccleſia ſuaues Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta, illis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa, quò validiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.*

Supplicatio. §. 1. *Cum itaque, ſicut dilecti filij Procurator generalis, & fratres Ordinis S. Franciſci de Paula Minimi nuncupati, nobis nuper exponi fecerunt, ipſi diuerſis priuilegijs, gratijs, & indultis, ſibi, & eorum domibus regularibus, & Ordini à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſis gaudeant, eademque priuilegia, gratias, & indulta, pro maiori eorum validitate, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri plurimùm deſiderant.*

Confirmat priuilegia. §. 2. *Nos Procuratoris, & fratrum prædictorum votis, quantum cum Domino poſſumus, benignè annuere, ipſoſque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; omnia, & ſingula priuilegia, gratias, & indulta, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros fratribus prædictis, eorumque domibus regularibus, & Ordini conceſſa, dummodò ſint in vſu, & non ſint reuocata, aut ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, & ſacris Canonibus, ac Concilij Trid. decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis non aduerſentur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus.*

§. 3. *Decernentes, præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac fratribus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari debere, Necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Decretum irritans.

§. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;. Datum Romæ, apud S. Mariam maiorem, ſub annulo Piſcat. die 11. Auguſti, 1622. Pontific. noſtri anno 2.* Derogat contrarijs.

CONSTITVTIO II.

Moderat exemptorum priuilegia circa animarum curam, & ſacramentorum adminiſtrationem, ſanctimonialium Monaſteria, & prædicationem verbi Dei.

GREGORIVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabili Dei prouidentia vniuerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, præſidentes, paſtoralis noſtræ ſollicitudinis partes eſſe dignoſcimus, Procemiu.

mus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm ſacerdotibus ſanctè adminiſtrentur eccleſiaſtica ſacramenta; Atque vt virginum Deo ſacrarum Monaſteria diligentiſſimè cuſtodiantur; Et viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum.

Memorat multa loca Trid. ſeſ. 23. de reform. c. 15.

§. 1. Sanè Trid. Synodi decretis prouidè cautum eſt, nullum presbyterum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; Necnon vt in Monaſterijs, ſeu domibus virorum, ſeu mulierũ, quibus imminet animarum cura perſonarum ſeculariũ, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares, quàm ſeculares eiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita; Itemque vt Epiſcopi vniuerſi ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent; inobedientes, atq; contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſq; pœnas, quacumq; appellatione poſtpoſita, compeſcentes; Atque vt Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt; nullo modo prædicare poſſint ſinè Epiſcopi licentia. Contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, prædicare præſumant.

ſeſſ. 25. cap. 11. de Reg.

Seſſ. 25. de Regul. c. 5

Seſſ. 5. de refor. c. 2.

Seſſ. 24. c. 4. de refor.

Exẽpti omnes circa ſacramẽtorum adminiſtrationẽ Ordinarijs ſubijciãtur.

§. 2. Verùm quia experientia compertum eſt, eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, vt decretis eiuſmodi aliquid adiungatur; matura deliberatione noſtra, & ex certa ſciẽtia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tã Regulares, quàm ſeculares quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſecularium, Monaſterijs, ſeu domibus regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſiis, vel beneficijs, ſiue regularibus, ſiue ſecularibus incumbentem exerceant; ſiue alias eccleſiaſtica ſacramẽta, aut vnum ex illis miniſtrent, prænia Epiſcopi licentia, & approbatione; ſiue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem ſacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione, de facto, abſque vlla auctoritate, ſe ingerant; in his, quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubyciantur.

Vide ſup. in conſt. 2. Sixti IV. nu. 24.

Exẽpti omnes ſi deliquerint circa moniales, & eorũ bona, ab Epiſcopo puniantur.

§. 3. Ad hæc tam Regulares, quàm ſeculares huiuſmodi, nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus ſi deliquerint circa perſonas, intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

Cõfeſſores tã ordinarij, quã extraordinarij monialiũ omniũ ab Epiſcopis ſpecialiter approbentur.

§. 4. Confeſſores verò, ſiue Regulares, ſiue ſeculares, quomodocumq; exempti, tam ordinarij, quã extraordinarij, ad confeſſiones monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.

Adminiſtrantes bona monialiũ teneãtur Epiſcopis rationẽ reddere.

§. 5. Sed & adminiſtrantes bona, ad eiuſmodi Monaſteria ſanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus ſubiectarum, pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue ſeculares quomodolibet exẽpti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis ratione adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idq; iuris remedijs cogi, & compelli queant.

Moneant Epiſcopi Superiores Regulariũ, vt confeſſores monialium, & adminiſtratores amoueant.

§. 6. Liceatq; Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, vt eiuſmodi confeſſores, atq; adminiſtratores amoueant, ijſq; Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos confeſſores, & adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe iudicauerit.

Poteſt Epiſcopus intereſſe per ſe, vel per aliũ electioni Abbatiſſarum.

§. 7. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, vna cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarũ, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorũdem Monaſteriorũ, quocunq; nomine appellentur, electionibus, per ſe, vel per alium, intereſſe, ac præſidere abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

Epiſcopus poteſt punire Regulares prædicantes ſine eius licentia, vel benedictione. Vide ſupr. in conſt. 2. Sixti IV. nu. 20. 21.

§. 8. Ac demum habeat Epiſcopus, tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos, tam ſeculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia; & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint.

Epiſcopus poteſt delinquentes in ſupradictis caſibus punire.

§. 9. Itaut Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, & in prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationẽ, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſq; pœnas, vti eiuſdem Sedis delegati, procedere, omnemq; iuriſdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 10. Decernentes ſic per quoſcumq; iudices, quauis auctoritate fungẽtes, etiam ſacri Palatij Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrarijs.

§. 11. Non obſtãtibus cõſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, in fauorẽ quarumcumq; perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Ieroſolimit. Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſariò, & indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuũ, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorũcumq; tam ſecularium, quàm regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiã immemorabilibus exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Marimagno, ſeu Bulla

aurea,

Digitized by Google

aurea, aut alias nuncupatis; Conſeruatorum deputationibus, eorumque atque alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deſerre minimè teneantur, & quibuſuis alijs, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiãſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſsis habentes, quibus quò ad ea, quæ eiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Dat formã has literas publicandi; & tranſumptis fidem adhiberi iubet. §. 12. *Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus, illas ad valuas Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt earumdem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa.*

Sanctio pœnalis. §. 13. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incar. Dom. 1622. Nonis Febr. Pontific. noſtri anno 2.*

DECLARATIONES

Aliquot Sacræ Congregationis Concilij ſuper conſtitutione S.M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, &c. Romæ, ex typographia R. Cameræ Apoſtolicæ 1623.

Poſita conſtitutione fel. rec. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, &c. dubitatur.

1. *An liceat Epiſcopis viſitare altaria Regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, aut loca, vbi in ijſdem Eccleſijs aſſeruatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur confeſsiones perſonarum ſecularium.*

2. *An Epiſcopi poſſint Regularibus præſcribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum confeſsiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia reſtringere, ac moderari in ſacramentis adminiſtrandis.*

3. *An facultas Epiſcopis per conſtitutionem attributa in exemptos tam ſeculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius Diœceſis.*

4. *An eadem facultas competat inferioribus Prælatis, proprium territorium, ac iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentibus.*

5. *An per eamdem conſtitutionem in illis verbis, Poſſit Epiſcopus, vna cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum, &c. electionibus, per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſideremus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur.*

6. *An confeſſores monialium ante editam conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari.*

7. *An Superiores regulares ſimiliter ante ipſius conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati, alia indigeant Epiſcopi approbatione pro confeſsionibus ſanctimonialium ſibi ſubiectarum audiendis.*

8. *An confeſsiones, quas audiunt Superiores regulares electi, ſeu deputati, vel confirmati poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, atque irritæ, necne.*

9. *An Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad confeſsiones perſonarum ſecularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas confeſsiones monialium ſibi ſubiectarum.*

10. *An regularis, ad audiendas confeſsiones monialium vnius Monaſterij ab Epiſcopo approbatus, confeſsiones monialium alterius Monaſterij audire poſſit.*

11. *An confeſſores regulares extraordinarij ſemel ab Epiſ. deputati, & approbati ad audiendas monialium confeſsiones pro vna vice infra annum ad præſcriptum Sacri Concilij Trid. poſſint virtute dictæ approbationis pluries, tanquam confeſſores extraordinarij, earumdem confeſsiones audire, abſque noua Epiſcopi licentia.*

12. *Cum in eadem conſtit. ſtatutum ſit, vt liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, vt amoueant confeſſores monialium, atque adminiſtratores bonorum, ad earumdem monialium Monaſteria pertinentium, ijſque Superioribus id facere detrectantibus habeat Epiſcopus facultatem prædictos confeſſores, & adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe iudicauerit: an eiuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus regularibus ſignificare teneatur.*

13. *An eadem conſtitutio, qua parte ſupponit Epiſc. iuriſdictioni regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum monialium, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem eorumdem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò ſolum in notorijs, & cum ſcandalo populi.*

SACRA CONGR. CARDINALIVM.

Conſt. Gregor. nõ ſubijcit Regul. iuriſdictioni Epiſc. niſi cũ delinquũt in adminiſtrãdis ſacramẽtis perſonis ſecularibus. *Concilij Trid. interpretum cenſuit, conſtitutionem S. M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, nequaquam ſubijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, Epiſcoporum iuriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis ſecularibus adminiſtrandis ijdem Regulares delinquunt: Ac propterea.*

Epiſcopi nõ poſſunt viſitare altaria Regul. nec loca vbi cõfeſſiones ſecularium audiũt. *Ad 1. dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim eiuſdem conſtitutionis viſitare altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſecularium, nec loca, vbi in ijſdem Eccleſijs aſſeruatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel vbi confeſsiones perſonarum ſecularium audiuntur.*

Vigore dictæ conſtit. non poſſũt Epiſ. reſtringere facultatem cõfeſſorum regul. *Ad 2. Hac in parte conſtitutionem nihil noui iuris induxiſſe, nec vllam nouam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe; ideoque in vim ipſius conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum confeſsiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia in ſacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari: Quòd ſi aliunde Epiſcopis huiuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem conſtitutione ſublatam.*

Perſonæ nullius Diœceſ. nõ compre *Ad 3. Cenſuit eiuſmodi facultatem non intelligi tributam*

henduntur.

butam Epiſcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Hæc facultas nõ competit Prælatis iuriſdictionẽ quaſi Epiſc. habentibus.

Ad 4. Non competere.

Ad 5. Ius confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per conſtitutionem attributum.

Per eam nõ competere Epiſc. ius Abbatiſſas cõfirmãdi.

Cõfeſſores extraordinarij nõ poſſũt monial. confeſſ. audire ſine ordin. approb. ordinarij verò pergant durãte trienio.

Ad 6. Confeſſores quidem extraordinarios monialium nullatenus poſſe poſt conſtitutionem illarum confeſſiones audire, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò confeſſores ante conſtitutionis publicationem deputatos poſſe, durante triennio, ab eorum deputatione inchoando, pergere in confeſſionibus ſanctimonialium audiendis, abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quòd ſi contingat, vt illorum facultas a Sede Apoſtolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari?

Superiores reg. durãte eorum officio, cõfeſſiones monial. quę id petierint audiãt ſine alia approbatione Epiſcopi.

Ad 7. Superiores regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competit audiendi confeſſiones monialium ſibi ſubiectarum, poſſe, durante eorum officio, pergere, ſine alia Epiſcopi approbatione, in confeſſionibus audiendis illarum tantum, quæ ſponte, ac proprio motu id ab eis petierint: At verò eos, qui poſt conſtitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, ſeu dignitatibus, expleto iam tempore, à conſtitutionibus cuiuſque Ordinis, vel aliàs legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe ſanctimonialium confeſſiones audire, niſi prius à Diœceſano Epiſcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Confeſs. factæ contra formam hic præſcriptam ſunt nullæ.

Ad 8. Confeſſiones huiuſmodi nullas, atque irritas eſſe.

Reg. approbati generaliter ad audiendas confeſs. nõ ſunt approbati ꝑ monialib.

Ad 9. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones monialium ſibi ſubiectarum, ſed egere quo ad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad 10. Regularem ad audiendas confeſſiones monialium vnius Monaſterij ab Epiſcopo approbatum, minimè poſſe audire confeſſ. monialium alterius Monaſterij.

Approbat. pro vno Monaſterio, nõ eſt approbatus pro alio.

Confeſ. extraordinarij pro vna vice approbati nõ poſſunt alia vice audire.

Ad 11. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad monialium confeſſiones pro vna vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis eiuſmodi illarum confeſſiones audire: ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Epiſc. non tenentur ſignificare ſuperioribus, quare debeant amouere confeſ. vel adminiſtratores.

Ad 12. Non teneri eiuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularibus; ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſerio onerauit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, cuius rei in diſtricto Dei iudicio rationem reddituri.

Iſta conſtit. habet locũ in omnibus delictis.

Ad 13. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantum, & cum populi ſcandalo.

Quæ Sacra Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. rec. Gregor. XV. & S.D.N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt. A. Card. Caetanus. Proſper Fagnanus Sanctæ Cong. Secret.

14. An liceat Epiſcopo in vim conſtitutionis S. M. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata.

Tenentur Reg. Epiſc. ſignificare diẽ electionis Abbatiſſæ, ſi Epiſc. declarauerit, ſe velle ei intereſſe.

Ad 14. Sacra Congreg. Cardin. Concil. Trident. interpretum reſpondit, Regulares ex eadem conſtit. ita demum teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ, eumque vſque ad præfinitum tempus expectare, ſi antea ipſe expreſsè declarauerit, ſe vi velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarumque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere. Poſt eam verò declarationem licere Epiſcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatiſſæ electionem procedunt. Coſ. Card. de Torres, Loco † Sigilli. Proſper Fagnanus Sacræ Congregat. Secr. Romæ ex Typographia R. Cameræ Apoſtolicæ, 1626.

CONSTITVTIO III.

Reuocat conceſſiones quaſcumque viuæ vocis oraculo, non tamen S. R. E. Cardinalibus factas, vel ipſorum manu firmata.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

ROmanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ diuina prouidentia conſtitutus, gratias, & indulta à ſe, & prædeceſſoribus ſuis conceſſa, iuſtis, interdum ſuadentibus cauſis, iuxta creditum ſibi paſtoralis officij debitum moderatur, aut reuocat, prout, rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Annullat prout in sũmario.

§. 1. Itaque motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumq; ſpirituales, & eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectãtes, ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus à Sede Apoſtolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocumq; & qualitercumq; ex quauis etiã de neceſſitate exprimẽda cauſa, quibuſuis Collegijs, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Ieſu, ac Congregationibus quibuslibet, ſiue eorum, & earum reſpectiuè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Prouincialibus, quocumq; nomine nuncupatis Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumq; dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad ſupplicationẽ Regum conceſſas, in ijs videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſq; & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem ijs de cætero vti nullo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de ijs facienda eſſet, decernimus, & declaramus; firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & alijs conceſſionibus prædictis, viuæ vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcumque fauorem, propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel alijs factis, & de quibus ijdem S.R.E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt.

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 2. Decernentes, præſentes literas, & in eis contenta quæcumq; etiam ex eo quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi nõ fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui iure, vel in controuerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

§. 3. Sic-

Digitized by Google

Clau ſula ſublata, & decretum irritans.

§. 3. *Sicq; per quoſcumq; iudices ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E.Cardinales,etiam de latere Legatos, & Nuncios,ſublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicãdi,& interpretandi facultate,& auctoritate,iudicari, & definiri debere. Ac irritum,& inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat cõtrarijs.

§. 4. *Non obſtãtibus præmiſſis,ac quibuſuis conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis;priuilegijs,quoque,indultis,& literis Apoſtolicis,Ordinibus, Societatibus,& Cõgregationibus prædictis,eorumq; Præpoſitis, Decanis,Magiſtris,Miniſtris,Prælatis,Prioribus,Rectoribus, & alijs Superioribus prædictis ſub quibuſcumq; tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs,alijſq;efficacioribus,& inſolitis clauſulis,ac irritantibus,& alijs decretis, in genere, vel in ſpecie,ac aliàs in contrarium præmiſſorũ quomodolibet conceſſis,confirmatis,& innouatis;quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis,eorumq;totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica, expreſſa,& indiuidua,ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idẽ importantes mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda,aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè,& ſufficienter expreſſis,& ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat,ſpecialiter,& expreſsè derogamus,cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio,& extra illud,quæ præſẽtibus adhiberetur,ſi forẽt exhibitæ,vel oſtenſæ; quòdq; eadem præſentes literæ,ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixæ,omnes ita arctent,& afficiant,ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ,apud S.Mariam Maiorem ſub annulo Piſc.die 2.Iulij, 1622. Pontific. noſtri anno 2.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOta, quòd *pro parte F. Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium, Prouinciæ Bethicæ, ſtante conſtitutione fel. rec. Gregorij XV. reuocatoria oraculorum viuæ vocis, petitur declaratio,an gratiæ, & priuilegia viuæ vocis oraculo facto Magiſtris generalibus, Vicarijs generalibus, & Procuratoribus generalibus, conceſſa, eorum Ordinibus, quæ ſortita fuerint effectum ante reuocationem, licet effectus habeat tractum ſucceſſiuum, vel aliàs reſpiciant particulares perſonas, vt ſunt præſentatura, vel magiſteria obſtante prædicta reuocatione, maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur, vti in dicta reuocatoria conſtitutione nõ comprehenſa,vel aliqua indigeant reualidatione,tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus.*

*Sacra Congregatio Cardinalium negotij Regularium præpoſita, Illuſtriſſimo de Cremona deferente, prædictas gratias, & priuilegia in dicta reuocatoria conſtitutione non comprehendi, nullaque reualidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & eſſe eiſdemq; ſecure vti poſſe cenſuit,prout aliàs fuit reſponſum.Romæ die 2. Aprilis, 1625.*Ita refert Caſtel.de elect.cap.5.num.37. verſu Pro parte.

2 Noto 2. quòd viuæ vocis oracula habent eamdem vim,quam aliæ conſtitutiones, vt dico ſupra in conſtitutione 17. Iulij II. num. 1.

3 Si quæras, an Cardinalibus in damnum tertij credendum ſit, quando dicunt, ſe habere viuæ vocis oraculum S.D.N. Papæ.

3. In præiudicium tertij non eſſe Cardinalibus credendum, etiamſi dicant habere viuæ vocis oraculum Papæ. Ita Abbas p 2.conſil.conſil.18.nu.2.& in c. Quod ſuper,de fide inſtrum.nu.5.vbi eius Addit. verſu Circa hoc multos textus, & Doctores adducit. Et idem Abbas in c.Sicut nobis de ſent.excomm.num.6.vbi etiam eius Addit.verbo Cardinalis multa congregat. Felin.in c.Quod ſuper his,de fide inſtr.nu.10. 11. Tuſch. verbo Cardinalis,concluſ.103.n.3.Gloſſa in c. Sicut nobis, de ſent. excomm. verbo Alio modo; quæ reſpondet ad caput Nobiliſſimus, d. 97. quòd intelligatur quando nulli ſit præiudicium. Facit cap. Cum à nobis, de teſtibus.

4 Vbi autem non agitur de præiudicio tertij,de ſtylo Curiæ Cardinali creditur. Tuſch.loc.cit.n.2.Quo pacto poſſunt intelligi Doctores, dicentes Cardinalibus eſſe credendum. Videatur Nau. li. 1. conſil. de off. iud. del. conſ.9.num.7.Farin.2.p.dec.p. 1. deciſ. 339. Bellemera concl. Maſcar. de prob. concl. 269.

5 An autem Papa poſſit ſtatuere, quòd vni Cardinali plena fides adhibeatur in præiudicium tertij. Videtur, quòd non. Ita Addit.Panor.ad cap. Sicut nobis de ſentent.excomm.verbo Cardinalis; Couarr. in cap. Cum eſſes de teſtam.n.3.Felin.cap.vlt.de maior.& obedien. Anguian. lib. 3. controu. 19. num. 3. Rom. ſingul. 715. vbi multa congerunt Addit. Facit fortiter cap. Indicas 3. qu. 9. & eſt expreſsè deciſum in cap. Admonere, 33. q. 2.

CONSTITVTIO IIII.

Eſt contra confeſſarios ſollicitantes pœnitentes in confeſſionibus.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuerſi *Dominici gregis curam,quamquam immeriti,cæleſti diſpenſatione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conſeruetur immunis, multoq;maiori ſtudio prouidere,vt omnis peſtis ab ijs auertatur,quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne, quod euangelica ſcripta nos admonent, ſale infatuato, non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Procœmiũ.

§. 1. *Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſti fideles non eſſe,ſed nec etiã nominari debet,procul ab ijs arceatur, videlicet vt aliquis ſacerdos ad ſacras audiendas confeſſiones deputatis, ſacroſancto pœnitentiæ ſacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia,abutatur,ac pro medicina venenum,pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti medico infernalis veneficus,ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: Idcirco nos ea,quæ his pernicioſiſſimis diaboli inſidijs arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt,* Motiua.

ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendum duximus.

Refert ad literas conſtitut. Pij IV.

§. 2. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet, Pius Papa IV. vener. fratri Archiepiſ. Hiſpaleſi in Regnis Hiſpaniarũ hæreticę prauitatis Inquiſitori generali. Cum, ſicut nuper nõ ſine animi noſtri moleſtia accepimus, diuerſi ſacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atq; etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus curã animarum habentes, ſiue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt ſacramento pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit Domino, Deo, & Saluatori noſtro IESV CHRISTO iniuriã facere vereãtur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dũ earũ audiunt confeſſiones, alliciẽdo, & prouocãdo ſeu allicere, & prouocare tẽtando, & procurãdo; ac loco earum per ſacramentũ huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorũ mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in diuinæ Maieſtatis offenſam, & animarum perniciẽ, Chriſti fidelium ſcandalum nõ modicum.

Sunt ſuſpecti de hæreſi, qui ſollicitant in confeſſione.

§. 3. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè ſentiunt, ſacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atq; doctrina plurimùm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per aliũ, ſeu alios à te deputandũ, ſeu deputandos, cõtra omnes, & ſingulos, ſacerdotes dictorũ Regnorum, ac illarũ Ciuitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quàm quorumuis etiã exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcumq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtat, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, ſi, & prout de iure fuerit faciendũ, debita præcedente degradatione, ſecularis iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipſi ſacerdotes fuerint etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſc. die 16. Aprilis, 1561. Pontif. noſtri anno 2.

Confirmat prædictas literas Pij IV & extẽdit ad omnes mundi partes.

§. 4. Igitur, vt literæ prædictæ perpetuis futuris tẽporibus, & vbiq; locorum inuiolabiliter obſeruẽtur motu proprio, & ex certa ſciẽtia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio vener. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generaliũ Inquiſitorum, præinſertas literas huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſq; omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, illaſq; non ſolùm in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſuis chriſtiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus.

Declarat, quinam dicẽdi ſint ſollicitatores.

§. 5. Ac prætereà, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo cõtra eoſdem procedẽdi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes & ſinguli ſacerdotes, tã ſeculares, quàm quorumuis etiã quomodolibet, exemptorũ, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regularas, cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cũ eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in officio S. Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infra, puniantur.

Contra tales iubet procedi, prout in cauſis fidei, & determinat pœnas.

§. 6. Et prætereà omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorũ, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorũ vniuerſi orbis chriſtiani in ſuis quemq; Diœceſibus, & territorijs per has noſtras, literas, etiam priuatiuè quò ad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, iuxta ſacrorum Canonum formam, necnon officij inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, priuilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs, ſuſpendentes ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſeculari puniendos tradant.

Dat facultatẽ ad probationem huius delicti admittendi teſtes ſingulares.

§. 7. Dantes etiam facultatem venerab. fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationi, teſtibus etiam ſingularibus concurrentibus, præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſeculari, vt præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi.

Derogat contrarijs.

§. 8. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.

§. 9.

Confeſſores tenentur monere pœnitentes ſollicitatos de obligatione denũciandi.

§. 9. *Mandantes omnibus confeſſarijs, vt ſuos pænitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinarijs prædictis; quòd ſi hoc officium prætermiſerint, vel pænitentes docuerint non teneri ad denunciandum confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes vt ſupra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

Tranſumptis fidem adhiberi, & publicari mandat.

§. 10. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; quòdque eadem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſ. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.*

Datum Romæ, apud S. Mariam maiorem ſub annulo Piſc. die 30. Auguſti, 1622. Pontif. noſtri anno 2.

§. II.

1 NOto 1. quòd hanc conſtitut. Pij IV. de qua hic, habes etiam apud Cherub. tom. 2. bull. in Pio IV. conſtitut. eius 31. pag. 46. Extat etiam alia dictæ omnino ſimilis Pauli V. data Romæ, die 16. Septembr. anno 1608. quæ etiam incipit, Cum ſicut nuper; quam refert Rod. à Cunha in princip. ſui tract. de confeſſ. ſollicit. & Scort. in ſelect. bull. theorem. 197. meminit decreti eiuſdem Pauli V. de eadem materia. Extat etiam alia conſtitut. de hac materia Clement. VIII. data die 3. Decembr. 1592. de qua Molſeſ. 1. p. ſumm. tract. 7. cap. 24. num. 34.

2 Noto 2. quòd cum ſollicitudo dicat vehemens ſtudium ad aliquid agendum ſecundùm D. Thom. 2. 2. quæſt. 47. artic. 9. ſollicitantes in propoſito dicuntur, qui in actu confeſſionis, vel immediatè ante, vel poſt, vel eius occaſione, &c. inducere procurant perſuaſionibus, vel mendacijs, vel precibus, aut blanditijs, oſculis, & tactibus, aut alijs ſignis perſonam ad aliquid inhoneſtum perpetrandum, ſiue hoc faciant per ſeipſos immediatè, ſiue per interpoſitam perſonam; Quod ſecundum licèt videatur durum: colligo tamen tum ex vi vocabuli, Sollicitare; dicitur enim mulierem quis ſollicitare, ſiue per ſe ipſum id faciat, ſiue per lenonem; tum ex §. 5. huius conſtitut. quæ in ſollicitatoribus includit, qui occaſione confeſſionis ſollicitant, ſed occaſione confeſſionis diceretur ſollicitare confeſſor, qui audiens mulierem in confeſſione, eamque leuem ibi cognoſcens, lenonem paulò poſt ad dictæ mulieris veſtigia inſequenda mitteret, eamque domum intrantem ſollicitaret, ſeu etiam in itinere. Ita videtur dicere Graff. tom. 1. conſ. lib. 4. de cognat. ſpirit. conſil. 1. à num. 37. & de caſib. reſer. lib. 2. cap. 12. num. 30. E contra verò ex vi vocabuli non diceretur ſollicitator, qui in confeſſionario de rebus turpibus cum aliqua muliere confabularetur, abſque ſollicitatione ad aliquid inhoneſtum perpetrandum; licèt hic caſus in conſt. etiam comprehendatur, vt patet ex §. 5. quem ideo ibi puto fuiſſe expreſſum.

§. III.

3 NOto 1. circa illa verba *de præmiſsis quomodolibet diffamatos*, per quæ videtur ſignificari, quòd conſtitut. non liget niſi eos, qui de hoc crimine iam fuerunt aliqua notati infamia. Atque ita quòd mulieres ſollicitatæ non teneantur denunciare niſi eos qui tali fuerunt notati infamia, & contra tales ſolùm poſſe Inquiſitores procedere. Noto, inquam, quòd hæc conſt. afficit omnes de hoc crimine ſuſpectos, de quibus denunciatum eſt: & quòd mulieres ſollicitatæ tenentur denunciare ſollicitantes, etiamſi de ijs nulla præceſſerit infamia. Quia conceditur hac conſt. facultas Inquiſitoribus procedendi contra iſtos eo modo, & forma, quibus contra hæreticos: At Inquiſitores procedunt contra hæreticos denunciatos, & ſuſpectos: Quare illa verba *Quomodolibet diffamatos*, connecti debent cum alijs inferiùs eodem §. poſitis *Diligenter inquiras*; ac ſi velit dicere, quod ad procedendum per viam inquiſitionis contra tales criminoſos, debet aliqualis infamia præcedere, nam de natura inquiſitionis eſt, vt eam infamia præcedat: non per hoc vult Pontifex, quòd Inquiſitor non poſſit procedere contra denunciatos, & accuſatos, etiam non diffamatos: Atque hanc eſſe genuinam interpretationem illius clauſulæ, docet A Cunha q. 4. num. 8.

4 Si quæras, an propter denunciationem vnius feminæ ſollicitatæ poſſint Inquiſitores procedere ad ſollicitantis capturam, torturam, & condemnationem.

Reſpondet Freita in addit. ad Cunha, quæſt. 4. à nu. 16. quòd non. Nam ait, vel fœmina inhoneſta eſt, & tunc reijcienda; vel honeſta, & facit tantùm præſumptionem, & aliquale indicium; vnicum autem indicium ad torquendum non ſufficit, nec dictum vnius teſtis, niſi ſit omni exceptione maior; fœmina autem numquam eſt omni exceptione maior; cap. Forus, de ver. ſignif. §. Teſtes. Farinac. lib. 1. conſil. conſil. 19. num. 20. Nec etiam, ait, delationem huiuſmodi eſſe ſufficientem ad carcerandum, ſed ſolùm dicta delatio facit ſufficiens indicium ad inquirendum: Quod ſi per inquiſitionem apparuerit confeſſarium eſſe malæ vitæ, tunc poterit capi, atque ſubinde torqueri. Ita Freita, nu. 28. A Cunha quæſt. 23. num. 9. ait, teſtimonium duarum mulierum non eſſe ſufficiens ad incarcerandum reum.

4 Sed dic clarius, quòd vel mulier denuncians confeſſarium eſt malæ famæ, & confeſſarius bonæ, & tunc non creditur mulieri denuncianti, quia præſumitur ex odio denunciaſſe; vel mulier eſt bonæ famæ, & confeſſarius malæ, & tunc proceditur ad capturam confeſſarij, & ſi examinatus neget, torquetur. Atque ita Inquiſitores, quando denunciatur aliquis pro hoc delicto in illo ſancto tribunali, priuſquam ad capturam deueniant, ſumunt ſecreta, & verbo tenus informationes de denunciante, & denunciato, quibus habitis, procedunt, vt dixi, & ita ſeruatur in praxi, prout teſtatur Molſeſ. tom. 1. ſumm. tract. 7. cap. 24. à num. 38. & Aloyſ. Ricc. collect. 149.

6 Noto 2. quòd confeſſarij ſollicitantes ſunt ſuſpecti de hæreſi. Patet ex illis verbis *Nos in animum inducere nequeuntes*, &c. & probant A Cunha qu. 2. num. 7. Sanctar. cap. 44. num. 2. de hæreſi; Rodriq. tom. 2. q. reg. q. 27. art. 1. fine. Pegna in direct. Inquiſ. p. 2. comm. 81. col. 4. verſu Ille quoque grauiter peccat. Molſeſ. 1. p. ſumm. tract. 7. cap. 24. num. 33. Et ratio eſt: nam cum ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum ad delenda peccata ex ſua primaria, & formali inſtitutione, contra ſacramenti ſubſtantiam facit, qui eo vtitur ad perpetrandum peccatum; vnde meritò ſuſpicatur, quòd de eo malè ſentiat; quia, quantum eſt ex ſe, conatur ſacramentum profanare; & hoc etiamſi ardore ſolùm libidinis motus fuerit ad ſollicitandum.

7 Noto 3. quòd confeſſor ſollicitans mulieres in confeſſione ad alia peccata non carnalia, non ſubiacet pœnis huius conſt. A Cunha quæſt. 8. n. 6. Sanctar. de hær. cap. 46. dub. vn. nu. 1. nam ſolùm in iſtis conſt. fit mentio de ſacerdotibus ſollicitantibus pœnitentes ad actus venereos, vnde extendere ad alia peccata eſſet nimia extenſio, quæ neq; expreſsè, neq; tacitè in conſt. verbis continetur. Et in quodam decreto pro Inquiſitoribus dato à Clem. VIII. quod referunt A Cunha, & Sanctar. dicitur,

Digitized by Google

dicitur, quod Inquiſitores procedere debeant contra confeſſarios ſollicitantes mulieres ad impudicitiam, & peccata carnis.

8 Noto 4. quòd mulieres ſollicitantes confeſſarium ad venerea non comprehenduntur hac conſt. neq; confeſſores illas tenentur Inquiſitoribus denunciare. Ita A Cunha qu. 9. num. 3. Sanctar. ca. 46. dub. vn. num. 4. quia conſtitutio loquitur de confeſſarijs ſollicitantibus fœminas, non de fœminis ſollicitantibus confeſſarios, quòd rarè admodum ſolet accidere.

9 Sed quid, ſi confeſſarius conſentiat mulieri ſollicitanti in actu confeſſionis? Dico, quòd non incurrit pœnas huius conſt. quæ ſolùm intendit punire confeſſarios ſollicitantes in confeſſione, non fornicarios. A Cunha qu. 11. num. 7. Sanctar. loc. cit. num. 2. Idem dic, ſi fœmina infirmitatem fingens, confeſſarium domum auocet & animo prauo manifeſtato, recuſante confeſſario, iſta minetur clamare, ab illo ſibi vim inferri, niſi cónſentiat, & iſte leui iſto timore correptus conſentiat. Freita addit. ad Cunha, p. 9. num. 9.

10 Sed quid, ſi mulier incipiat quidem primò ſollicitare, & ſollicitationem proſequatur deinde confeſſarius, itaut mutuo ſe pelliceant. A Cunha q. 11. num. 11. Freita ibi, num. 24. putant, confeſſarium non ſubijci pœnis huius conſt. quia pœnæ appoſitæ in ſollicitantem diriguntur; confeſſor autem hoc caſu non poteſt dici ſollicitator, ſed ſollicitationi conſentiens, illectus a ſollicitante muliere.

11 Quid etiam, ſi confeſſarius fœminam ſollicitet, quam fortè antea cognouit, non paratus ad audiendas confeſſiones, nec putans, mulierem velle confiteri, mulier autem, reiecta ſollicitatione, confeſſionem petat, & ſtatim confeſſor, omiſſa ſollicitatione, eam audiat? Non incurrit has pœnas. Freitas addit. ad Cunha, q. 14. nu. 17. nam tunc non ſollicitat confeſſionis intuitu. Sed ſi iſta ſollicitatio fiat in loco ad audiendas confeſſiones deputato, tunc incurret, per §. 5. huius conſt.

12 Noto 5. quòd ſi mulier conſentiat confeſſario ſollicitanti, adhuc tamen tenetur denunciare: Non tenetur tamen proprium conſenſum manifeſtare; nec poteſt ſuper hoc ab Epiſcopo, vel Inquiſitore interrogari. Et in caſu, quo pœnitens, qui conſenſit, vellet conſenſum manifeſtare, non debet ſcribi in actis, tamquam res non ſpectans ad ſanctum inquiſitionis tribunal. Quæ omnia debent à confeſſarijs perſonis ſollicitatis manifeſtari, ad eas inducendas ad denunciandos ſollicitantes. Quòd ſi adhuc ſollicitati noluerint dictos ſollicitantes manifeſtare, poterunt Epiſcopi, vel Inquiſitores date auctoritatem confeſſario recipiendi in ſcriptis cum iuramento denunciationem perſonæ ſollicitatæ, quæ conſenſit, quam ſtatim confeſſarius tenebitur deferre Inquiſitori, vel Epiſcopo. Ita decretum eſt in ſacra Congr. die 27. Septembr. 1624. per literas datas omnibus Archiepiſcopis, ſubſcriptas à Card. Millino. Videatur Sanctar. tract. de hær. cap. 44. dub. vn. num. 12.

§. V.

13 NOto 1. quòd ante iſtam conſt. dubium erat, an ſollicitantes ante, vel poſt confeſſionem immediatè, non actu ipſo confeſſionis, comprehenderentur in conſt. Pij IV. Et multis, quos refert A Cunha qu. 5. num. 4. viſum eſt, quòd non. Alijs autem, quòd ſic. Sed poſt bullam hanc Greg. ſublata eſt omnis difficultas illis verbis poſitis in hoc §. *Siue ante, vel poſt immediatè*, &c.

14 Noto 2. quòd confeſſarij ſollicitantes pueros ſubiacent pœnis huius conſt. Quod modò eſt ſine controuerſia, vt patet ex hoc §. 5. ibi. *Quæ perſonas, quæcumq; illæ ſint*. Licèt ante hanc conſt. tenuerint, etiam viri doctiſſimi, quos citat, & ſequitur A Cunha q. 6. nu. 6. Quarant. in ſumm. bull. ver. Confeſſor, verſu Ampliatur, pag. mihi 259. Lopez 1. p. inſtr. cap. 35. verſu At hic iam, & alij, quos refert Sanctar. cap. 45. dub. vn. num. 1. tenet etiam Rodriq. tom. 1. qu. reg. qu. 59. art. 4. fine, & tom. 2. q. 27. art. 3. Et ita declaraſſe Paulum V. anno 1612. die 29. Nouembr. conſtat ex literis Card. Millini, ſcriptis ad generalem Inquiſit. Luſitaniæ anno 1613. die 28. Febr. vt refert Freita addit. ad Cunha, qu. 6. nu. 26. & Scot. in in ſelect. bull. theor. 197.

15 Noto 3. quòd ante bullam Greg. XV. vigore bullarum Pij IV. & Pauli V. probabile erat, quòd ſacerdos ſollicitans fœminam in loco ſolito audire confeſſiones, ſi verè eius confeſſionem non audiret, nec fœmina ad ſe confitendum accederet, licèt ſi fingeret eam abſoluere pro vitando ſcandalo, non incurrere has pœnas. Ita ſenſit A Cunha, qu. 15. licèt pro contraria multa etiam adduca, quæ non reſoluit à num. 3. tenuit etiam Freita reſolutè ibid. num. 11. & Sanctar. cap. 46. dub. vn. num. 6. quia in bullis Pij, & Pauli ſolùm puniebantur ſacramento pœnitentiæ abutentes. At poſt bullam Greg. non eſt locus ampliùs diſputationi, exprimitur enim hic caſus hoc §. ibi *Aut in loco, vbi confeſſiones ſacramentales*, &c. Quod etiam declaraſſe Paulum V. die 10. Iulij 1614. refert Longus 1. p. de caſ. reſeru. ſect. 2. art. 22. num. 4. fine: etiam non ſollicitando, ſed ſolùm de inhoneſtis in dicto loco tractando.

16 Noto 4. quòd ſi confeſſarius ſollicitet fœminam in actu confeſſionis, vt tradat ei ſuam filiam, ſeu aliam perſonam, vel ſi ſollicitet mulierem, vt conſentiat tali amico ſuo, incurrit pœnas huius conſt. Ita A Cunha q. 17. num. 5. Freita ibi, nu. 13. Graff. de cognat. ſpirit. tom. 1. conſil. lib. 4. conſil. 1. nu. 41. & 42. Sanctar. tract. de hær. cap. 44. nu. 19. At poſt hanc bullam Greg. de hoc nulla eſt dubitatio, vt patet ex hoc §. ibi, *Siue inter ſe, ſiue cum alijs*. Caſtro tract. 4. diſp. 9. p. 5. num. 1.

17 Noto 5. quòd ſacerdos non incurrit pœnas huius conſt. ſi ſollicitet fœminam, miniſtrando ei alia ſacramenta; baptiſmi, Euchariſtiæ, matrimonij, &c. Ita A Cunha q. 16. num. 4. Sanctar. cap. 46. num. 5. Quia, cum cõſtat de legiſlatoris mente, legis extenſio fieri non debet, nec coniecturis locus relinquitur; At hic conſtat, Pontificem ſolum interdiſſe obuiare abuſibus, qui ſacramento pœnitentiæ frequentiùs, faciliùs & commodiùs fieri poſſunt.

18 Noto 6. quòd non poſſunt Inquiſitores procedere contra confeſſarios inceſtum cum filiabus ſpiritualibus committentes. Nau. lib. 5. conſil. de hæret. conſ. 2. n. 1. Graff. p. 1. lib. 2. cap. 48. num. 16. A Cunha q. 5. nu. 14. Licèt enim commiſceri cum filiabus ſpiritualibus ſacrilegium ſit ratione ſpecialis prohibitionis Eccleſiæ, cap. Omnes quoque cap. Si quis Sacerdos: cap. Non debet Epiſcopus 30. q. 1. vnde eſt circumſtantia neceſſariò in confeſſione aperienda, vt probat cum multis Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 55. nu. 3. Lopez 1. p. inſtr. cap. 35. verſu At hic iam; licèt Sà verbo Confeſſio, nu. 26. Henriquez lib. 1. cap. 14. num. 8. & alijs apud ipſum Sanch. loc. cit. num. 2. contrarium teneant, exiſtimantes, nullam cognationem ſpiritualem oriri inter confeſſarium, & pœnitentem, id conantes probare ex cap. fin. in fine, de cognat. ſpir. in 6. quod certè cum ſua Gloſſa id aperte dicere videtur. Freita addit. ad Cunha, q. 5. nu. 53. exiſtimat in praxi vtramq; opinionem poſſe ſeruari. Et aduerte, quòd confeſſarius ſi maribus, quos in confeſſione audiuit, ſe immiſceat, non tenetur circumſtantiam confiteri. Quia capita cit. inducentia cognationem ſpiritualem inter pœnitentem, & confeſſarium, loquuntur de fœminis, vt patet. Ita Freita loc. cit. num. 55. Licet, inquam, contrahatur hæc ſpiritualis cognatio inter pœnitentem, & confeſſarium, non poſſunt tamen Inquiſitores contra tales confeſſarios procedere, vt dicunt præfati Doctores; quia id nullo iure cauetur.

19 Si quæras, an filia ſpiritualis ſit, quam ſacerdos ſemel audiuit, & non abſoluit. Graff. tom. 1. conſil. lib. 4. de cogn. ſpir. conſ. 1. nu. 20. ait, quòd ſic, quia talis confeſſio ſacramentalis eſt, & ibi audita tenetur ſacerdos tenere ſub ſigillo confeſſionis. Alij tamen negant apud ipſum, quibus aſſentio, quando non ex malitia, vt cum ea fornicaretur, confeſſarius abſolutionem denegauit; nam verè illa filia ſpiritualis non eſt.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

20 NOto 1. quòd inquirere de hoc delicto hodie pertinet ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis,& ad Ordinarios locorum ſimul, vel ſeparatim, vt patet ex §. 6. Priuatiuè quò ad Regularium Superiores, vt etiam patet ex conſt. 9. Pauli V. ſupra, & refert decretum ſpeciale circa hoc Clem. VIII. A Cunha num. 10. & patet ex hoc §. 6. illis verbis *etiam priuatiuè quò ad omnes alios ſpecialiter*; Quare Epiſcopi poſſunt in cauſa ſollicitationis procedere accumulatiuè cum Inquiſitoribus, ideſt ſicut Inquiſitores, & inter eos datur locus præuentioni, quando ſimul non procedunt. Et pro intelligentia iſtorum terminorum. Accumulatiuè, & Priuatiuè, pono hoc exemplum. Datur alicui inferiori auctoritas faciendi aliquid accumulatiuè cum Superiore, ſignificat, quòd inferior poteſt vti illa iuriſdictione ſicut Superior, & quòd inter eos datur locus præuentioni. Si verò detur priuatiuè, ſignificat; quòd Superior non poſſit ſe intromittere in tali cauſa, ſicut hic, cum dicitur *etiam priuatiuè quò ad omnes alios*, ſignificatur, quòd Superiores regulares, qui alioquin iuriſdictionem habent ordinariam in ſuos ſubditos, quò ad hunc caſum illa priuantur. Videatur Couarruu. in cap. Alma mater, p. 1. §. 12. num. 3.

21 Noto 2. quòd Inquiſitores poſſunt,& debent procedere contra confeſſarios, qui non verbis expreſſis, ſed ſolùm tacitis, & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhoneſtos,vt ſi illos de pulcritudine, venuſtate, &c. laudent. Ita A Cunha q.7. num. 13. Sanctarel. tract. de hær. cap. 44. num. 9. tum quia talis videtur eſſe mens Pontificis,vt conſtat ex illis verbis poſitis §. 1. *vt ab omnibus prauis contagijs*, &c. tum quia confeſſarij huiuſmodi blanditijs abutuntur ſacramentum pœnitentiæ; tùm quia præbent mulieribus accedentibus ad confeſſionem ſcandalum, & magnam ſuſpicionem, quòd velint ad actus turpes allicere. Neque valet, quòd lex pœnalis non eſt extendenda: Nam quando eſt ſancita in animæ fauorem, extendi debet vt fauorabilis, vt dicunt Doctores in cap. Si quis ſuadente. Quod licèt loquatur ſolùm de Clericis intelligitur tamen etiam de nouitijs,& Conuerſis. A Cunha quæſt. 7. num. 12. Gloſſa in cap. Sciant cuncti. de elect. in 6. verbo Alios; & in c. Si poſtquam, eodem tit. verb. prouiſione, in fine. Freita addit. ad Cunha, q. 7. num. 42. Itaque mulieres, quæ non ſolùm verbis claris, ſed etiam tacitis, ſubobſcuris,& ambiguis, ſeu etiam nutibus, vel tactibus fuerint ad libidinem à confeſſarijs ſollicitatæ, debent eos Inquiſitoribus denunciare. Limita tamen, niſi verba etiam inhoneſta à confeſſore prolata, eſſent neceſſaria pro complemento ſacramenti. V. G. ſi quæratur, an intra vas, vel extra illud ſeminatum fuerit, &c. Pro quibus vide Molfeſ. 1. p. ſumm. tract. 7. cap. 24. num. 43.

§. VII.

22 NOto, hoc crimen poſſe plenè probari per fœminas, quæ ſint teſtes ſingulares, adiunctis præſumptionibus, indicijs,& alijs adminiculis iuris. Ita conceſſit Gregorius hoc §. 7. Id etiam potuiſſe fieri ante hanc bullam, docet A Cunha q. 22. num. 8. & in ſequentibus id multis probat. Et ratio eſt, quia hoc delictum, cum fiat inter ſolam fœminam,& confeſſarium, aliter probari non poteſt, & fruſtra aliàs eſſent horum Pontificum conſtit. Teſtes adminiculantes dicuntur, qui ſuper vnico deponunt actu, vt in cap. vlt. de ſucceſſ. ab inteſt.& Decius conſil. 658. num. 10. Freita addit. ad Cunha, q. 22. num. 18. Teſtes verò ſingulares dicuntur, & ſunt, qui de diuerſis actibus diuerſo loco, & tempore geſtis deponunt cap. Nihilominus 3. qu. 9. Panorm. c. Bonæ mem. el 1. de elect. Videatur Farin. p. 2. prax. crimin. q. 62. à nu. 26. Nota etiam, quòd per teſtes ſingulares poteſt probari, aliquem eſſe hæreticum, vel hæreſim olere. A Cunha q. 22. num. 12. qui multos citat. Et crimen violationis ſigilli, niſi per teſtes ſingulares probari poteſt. A Cunha loc. cit. num. 10.

23 Si quæras, quot teſtibus indigeat huius criminis plena probatio.

R. Varias eſſe Doctorum ſententias. Param. de orig. Inquiſit. apud Cunha q. 23. num. 3. fine exiſtimat, per duos teſtes fœminas hoc delictum ſufficienter probari: quem impugnat meritò à Cunha à num. 4. quantumuis illæ duæ mulieres ſint magnæ conditionis. Nam teſtimonium mulierum muliebre eſt; licèt enim admittantur, vbi veritas aliter haberi non poteſt, vt Maſcard. concl. 462. num. 6. concl. 762. num. 16. & 22. verùm in capitalibus tres fœminæ non conuincunt. Freita addit. ad Cunha, q. 23. num. 24 Lucius apud Freita num. 22. tres teſtes exigit ad hoc crimen probandum. A Cunha requirit quatuor earum fœminarum, quas ducit diuini ſpiritus zelus, non odium, non iniqua alia quæuis cauſa. Ita q. 23. nu. 11. Meliùs linquitur Inquiſitorum prudenti iudicio, vt Freita loc. cit. num. 25. Sanctar. de hær. cap. 44. dub. vn. num. 6.

§. IX.

24 NOto 1. quòd mulieres, ſeu maſculi ſollicitati à confeſſarijs in ſacramento pœnitentiæ tenentur ſub peccato mortali eos Inquiſitoribus denunciare, alioquin non poſſunt abſolui à confeſſarijs, quantumcumq; priuilegiatis. Rodriq. tom. 2. q. reg. q. 27. art. 1. & in ſum. p. 1. cap. 207. concl. 1. A Cunha q. 21. num. 6. Sanctar. cap. 46. dub. vn. nu. 10. Probatur, quia ad id teneotur (abſtrahendo ab edictis particularibus, quæ diuerſa ſunt in diuerſis Prouincijs,& Regnis,& in partibus Hiſpaniarum præſertim continent pœnam excommunicationis) ſub mortali: Nam Greg. XV. ait hoc §. *Mandantes omnibus confeſſarijs*,&c. Quod præceptum in re graui ad mortale obligat. Ergo ſi confeſſarij tenentur monere pœnitentes, quos nouerint, &c. de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſignum eſt, iſtam obligationem, cum ſit in re graui, mortale peccatum inducere. Ergo ſi nolint denunciare, cum nolint à mortali recedere, abſoluendi non ſunt: Niſi fortè firmiter promittant denunciaturos, ſi adſit cauſa, propter quam prudenti confeſſario videatur, denunciationem eſſe differendam; vel ſi ceſſaſſet cauſa denunciandi; quia V. G. confeſſarius, qui ſollicitauit, mortuus eſt.

25 Noto 2. quòd confeſſarius ſollicitans ab omnibus abſolui poteſt. A Cunha q. 21. num. 2. Rodriq. in ſumm. 1. cap. 208. concl. 1. Henriq. lib. 6. cap. 10. §. 2. in comm. lit. H. Freita addit. ad Cunha, q. 21. nu. 21. Quia præceptum dirigitur in non reuelantem, non in ſollicitantem.

26 Noto 3. quòd mulier à confeſſario ſollicitata, priuſquam illum Inquiſitoribus denunciet, tenetur eum fraternè corrigere, ſi ſpem emendationis probabilem habeat; quam ſpem nouerit ex rubore peccantis, ex ſubmiſſione, ex vi,& affectu, quo nititur impetrare veniam, ex longo temporis interuallo poſt commiſſum delictum,& alijſq; huiuſcemodi indicijs: Quòd ſi, dictis, vel aliquibus ex dictis indicijs ſtantibus, mulier ſollicitata fraternam correctionem prætermiſerit, peccabit omnino mortaliter, ex illo principio ab omnibus theologis approbato, quòd Præceptum correctionis fraternæ obligat ſub mortali, quando adeſt probabilis ſpes lucrandi fratrem. Quod docet D. Thom. quodlib. 1. art. 16. Graff. 1. p. deciſ. lib. 2. cap. 69. num. 18. Hanc opinionem, quòd ſcilicet hoc peccatum admittat correctionem fraternam, tenui tom. 1. Relig. q. 1. cap. 16. §. 2. in fine, cum Ledeſ. p. 2. ſumm. tract. 4. cap. 4. concl. 24. dub. 2. & in generali multos citaui, cenſentes etiam, peccatum hæreſis fraternam correctionem admittere, & plures citat A Cunha q. 18. nu. 4. quam nunc confirmo ex D. Paulo ad Titum 3. vbi ait, *hæreticum hominem poſt vnam, aut ſecundam correctionem euita*. Quam doctrinam firmat A Cunha, dum loc. citat. numer. 14. ait, quòd ſi quis firmiter exiſtimaret, quòd ſtatim

per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire, correctionem adhibere teneretur; & dicit hanc verè veram eſſe opinionem D.Tho.2.2. q. 33. art. 7. Et verè, cum præceptum correctionis fraternæ ſit iuris naturalis, ex Soto de ratione teg.ſecr.membr.3. q. 1. concl. 1. à Domino renouatum Matth. 18. non video, quare in hoc peccato, cum adeſt ſpes probabilis lucrandi fratrem, omitti debeat. Cum præſertim præſumendum ſit, confeſſarium vehementiſſima tentatione, quæ illum dementauerit, ad tale ſcelus perpetrandum fuiſſe impulſum. Facit etiam cap. 2. de hæret. vbi dicitur, *Qui alios, cum poteſt, ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat.* Vide Nau.lib.5.conſil.de hæret.conſ. 3.

27 Neque contra hoc faciunt edicta, quæ ſolent publicari ab Inquiſitoribus, quibus præcipiunt ſub anathematis cenſura, vt quiſquis aliquid ſciuerit eorum delictorum, quorum in edicto mentio ſit, ſtatim deferat ad ipſos, abſque aliqua conſultatione. Nam huiuſmodi edicta humana intelligenda ſemper ſunt cum modificatione, ſeruata forma euangelica in admonitione facienda. Quam reſponſionem admittit Ban.2. 2. q.33.art.8.dub. 2. ad 7. dum reſpondet ad replicam argumenti in contrarium. Illud autem, quòd deferantur huiuſmodi delicta abſque conſultatione, non vult dicere, quòd qui ſciuerit, non teneatur fraternè admonere peccantem, ſed quòd non debeat cum aliquo conſultare, eo quod huiuſmodi delicta, multa attentione, & conſultatione præmiſſa, exiſtimantur boni communis chriſtianæ Reipublicæ deſtructiua. Non tamen veniat in mentem alicuius fidelis, mentem piiſſimorum Patrum eſſe, vt in ſacramentali confeſſione non liceat cuilibet ſtatum ſuæ conſcientiæ ſcrupuloſæ aperire diſcreto confeſſori, qui tenebitur, ſi res dubia eſt, mittere pœnitentem, vt conſulat aliquem ex Patribus ſancti officij. Hæc Bannes loc. cit.

28 Noto 4. aliquas poſſe aſſignari cauſas, propter quas perſona ſollicitata non teneatur, ſaltem ſtatim, ſollicitantem denunciare; ſed poſſit, & debeat à confeſſarijs abſolui cum opportunis cautelis. Et prima eſſe poteſt metus probabilis mortis, vel truncationis alicuius membri, ſeu etiam vulneris, præſertim in facie. Qui quidem, metus, ſi cadat in conſtantem virum, excuſabit perſonam ſollicitatam à denunciatione. Ita A Cunha, q. 19. num. 5. qui id probat ex cap. Cum dilectus, de his, quæ vi. Idem dicendum eſt, ſi fœmina non ſuam propriam mortem, ſed ipſam filiorum timeat, vel etiam ſi timeat mortem viri ſui, ſeu etiam conſanguineorum, & affinium, vel domeſticorum, vt probat Sanch.lib.4.de matrim.diſput.4.per totam, & A Cunha loc. cit.nu.6.7.& 8. Et ratio eſt, quia ſecundùm communem ſententiam metus cadens in virum conſtantem excuſat à legis obſeruantia: Ita Sotus lib.7.de iuſt.q.2. art. 1. in ſolut.ad 2.Sylueſt.verbo Metus, q.7.D.Th.2.2.q. 147. artic. 3. ad 2. vbi ponit hanc concluſionem vniuerſalem in omnibus præceptis poſitiuis, & humanis. *Si quis ex rationabili cauſa ſtatutum non ſeruet, præcipue in caſu, in quo etiamſi legislator adeſſet, non decerneret eſſe ſeruandum, talis tranſgreſsio non conſtituit peccatum mortale.* Quando autem dico, In conſtantem virum, limita, attenta conditione perſonæ; nam alioquin metus, qui terrebit virum quietum, pacificum, inermem, non terrebit militem rixoſum, aſſuetum armis; & ſic de fœmina, in qua minor metus deſideratur, quàm in viro; Vnde optimè Sanch.lib.4.de matrim.diſp.3. nu. 2. metum cadentem in conſtantem virum reſoluit, attendendum eſſe reſpectu patientis illum.

29 2. Excuſabitur fœmina à denunciatione, ſi timeat honoris amiſſionem. Ita Sanch. loc. cit. diſp. 5. num. 11. A Cunha q. 19 num. 9. qui alios citat; Nam viro bono grauior eſt honoris iactura morte ipſa. Sed in hoc cauendum eſt, ne trepidetur à timore, vbi timor non eſt, & ſuadendum mulieri, non eſſe inhoneſtum comparere coram Inquiſitoribus pro catholicæ fidei defenſione ad denunciandum taliter delinquentes.

30 3. Si tlmeat infamiam iuris, vel facti, cui non facilè occurri poteſt. Sanchez loc.cit.nu. 14. 15. A Cunha numero 10. Quia timor infamiæ æquiparatur metui mortis. leg. Iuſta, ff. De manumiſſis vind. Sanchez num. 15.

31 4. Si mulieri ſollicitatæ conſtet de emendatione ſollicitantis. A Cunha q.3.nu. 15. Freita num. 34. Et ratio eſt, quia cum probauerimus, num. 26. hoc peccatum fraternam correctionem admittere, ſi hæc profuit, vel ſine hac peccatum eſt emendatum, quod ſolùm fraterna correctio requirit, non eſt cur ad denunciandum procedatur.

32 5. Non tenetur mulier denunciare confeſſarium ſollicitantem, quando hic ex aliarum delatione confeſſus, vel conuictus abiurauit. Freita add.ad Cunha, q. 3, num.34. Quia tunc de emendatione conſtat; & ſic fœmina, quæ noluit eum denunciare, abſolui poterit, cum iam ceſſauerit denunciandi obligatio.

33 Ad vltimum nota, quòd optimè faciet confeſſor, qui in tantum ſcelus prorupetit, ſi ſpontè coram Inquiſitoribus compareat, & peccatum ſuum fateatur; mos enim eſt ſanctiſſimi illius tribunalis, quod ſolum puritatem fidei, & fidelium emendationem intendit, vt cum ſpontè comparentibus mitiſſimè ſe habeat. Et prodeſt etiam iſta ſpontanea comparitio, quòd, ſi confeſſarius deinde denunciatus fuerit, non recipietur denunciatio, cum iam denunciatus diſceſſerit ab illo ſanctiſſimo tribunali emendatus. Ita monet Molfeſ. 1. p. ſumm.tract.7.cap.24.num.45.46. qui addit, id procedere, etiamſi ſollicitans fuiſſet denunciatus hic Genuæ V. G. & ipſe ſponte comparuiſſet ante dictam denunciationem Romæ. Nam non poſſet ab Inquiſitore Genuenſi ampliùs puniri; emendatus enim in vno iudicio, non eſt moleſtandus in alio pro eodem delicto; leg.Senatus, ff.de accuſat. Et docet Tuſch. verbo Condemnatus ſemel, concluſ. 573.

34 Scias denique, datas eſſe literas omnibus Archiepiſcopis, & Vicarijs generalibus eorum die 3. Octobris, 1626. ſubſcriptas Cardinalis Millinus, quibus præcipitur dictis Ordinarijs de mandato S. D. N. Vrbani VIII. vt omnibus ſacerdotibus tam regularibus, quàm ſecularibus approbandis ad confeſſiones audiendas, in actu ipſo approbationis legatur, & intimetur hæc conſt.Gregor.XV.præſertim §. 9. qui incipit, Mandantes; vt eodem tempore ſciant confeſſarij pœnas propoſitas tanto exceſſui, & quòd non hortantes, vt debent, pœnitentes ſollicitatos ad denunciandum, vel docentes eos non teneri denunciare, punientur ab Ordinarijs, vel Inquiſitoribus.

CONSTITVTIO V.

Dat formam eligendi Conſeruatorem; & decernit, de quibus cauſis cognoſcere poſſint.

§. 1. S*Anctiſſimus in Chriſto P. & Dom. N. Dom. Gregorius diuina prouidentia Papa Decimus quintus, ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum mouen. & de voto venerabil. fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinal. Concilij Tridentini interpretum, partim felic. recordationis Clementis Papæ Octaui prædeceſſoris ſui veſtigijs inhærendo, reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quaſcumque Iudicum conſeruatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim literarum conſeruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, quàm in vim quo-* Renocat omnes Cōſeruatores.

vim quorumcumque priuilegiorum perpetuò, vel ad tẽpus nondum elapſum Apoſtolica auctoritate cõceſſorum, ſeu aliàs quocumq; iure, vel titulo hactenus factas pro quibuſcumq; Conuentibus, Capitulis, Militijs, etiã S. Ioannis Ieroſolim. Congregationibus, Collegijs, Ordinibus, Monaſterijs, Hoſpitalibus, aut alijs quibuſuis pijs, tam ſecularibus, quàm cuiuſuis Ordinis, etiã Mendicantiũ, ſeu Inſtituti, vel Societatis regularibus locis, quantumuis exẽptis, etiã de neceſſitate exprimẽdis, ſeu illorũ perſonis, cuiuſuis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant.

Conſeruatores non ſolùm ſint in eccleſiaſtica dignitate conſtituti, ſed etiam iudices ſynodales.

§. 2. *In futurum verò Sanctitas ſua hac generali, & perpetuò valitura conſt. ſtatuit, & decreuit, vt Iudices conſeruatores huiuſmodi, ſiue principales, ſiue ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in conſtit. ſimilis rec. Boniſ. Papæ VIII. etiam prędeceſſoris ſui, quæ incipit. Statutum, ita vt vel dignitate eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in Concilijs prouincialibus, aut Diœceſanis iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi, ſeu deſignati ſint: Quódque deinceps literæ conſeruatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ, ſupraſcriptis tantùm dirigantur, & ſi quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiuſmodi, omniaque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti.*

Pęnæ conſerere eligentes Conſeruatores nõ ſeruata forma hic præſcripta.

§. 3. *Et nihilominus qui ſecus, quàm iuxta formam ſuperiùs præſcriptam, Conſeruatores huiuſmodi cum effectu eligere, nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis, ſeu deputatis vti auſi fuerint; Regulares quidem voce actiua, & paſſiua ſint ipſo iure priuati, adeo vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice, conſequi valeant. Reliqui verò alijs pœnis arbitrio ſanctitatis ſuæ coerceantur, & prædictorum omniũ Conuentus, Monaſteria, ac loca huiuſmodi, eorumque perſonæ, ac bona careant Conſeruatore ad annum, ita vt illorum cauſæ interea coram locorum Ordinarijs dumtaxat cognoſci, ac definiri debeant.*

Epiſc. plures iudices Synodales cõſtituant, quorum ſi aliquis moriatur, conſtituẽt aliũ cũ conſilio Capituli.

§. 4. *Cæterùm, vt latiùs pateat Conſeruatorum huiuſmodi deligendorum facultas, Sanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis prouincialibus, aut Diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prædicta conſtit. eiuſdem Boniſ. prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas deſignari procurent, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum vſque ad futuram prouincialem, aut Diœceſanam Synodum.*

Conſeruatores poſtquem elegerint facultatẽ habentes debent id notificare Ordin. & ſemel electi nõ poſſunt per quinquennium, ſine cauſe ab Ordinario, vel à Pape approbanda emoueri.

§. 5. *Inſuper Sanctitas ſua, inhærendo hac in parte decreto ſimilis rec. Greg. XIII. etiam prædeceſſoris ſui, ſtatuit, & ordinauit, vt Regulares, ac perſonæ huiuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra ſex menſes, à die publicationis in Vrbe præſentis conſtit. inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſeruatores iuxta formam ſuperius propoſitam, eiuſq; electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus huiuſmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin, eo termino elapſo, quamdiu Conſeruatores ſecundùm formam præſentis conſtit. non elegerint, coram eiſdem Ordinarijs conueniantur; Quòdque Conſeruatores huiuſmodi ſemel legitimè deputati; niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinarijs, prout iiſdem Regularibus, & alijs ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant.*

Coram Cõſeruatoribus poſſunt conueniri Regulares, non autẽ alios conuenire, nec habent Conſeruatores iuriſdictionem extra Diœceſim.

§. 6. *Ad hæc ſtatuit Sanctitas ſua, vt coram ipſis Conſeruatoribus Regulares, ac perſonę ſupraſcriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios conuenire, aut trahere nõ poſſint, ita vt memorati Conſeruatores in cauſis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorſus iuriſdictionem habeant, ſed in ijs tantùm, in quibus rei extiterint; Neque extra Ciuitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumq; procedere præſumant.*

Controuerſiæ inter Conſeruatores, & Ordinarios per arbitros decidantur.

§. 7. *Si qua verò inter Iudices conſeruatores huiuſmodi, & locorum Ordinarios cõtrouerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos ſuper iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum.*

Conſeruatores in ſuo officio excedentes ſuſpendantur per annum.

§. 8. *Quòd ſi qui Conſeruatores, ſiue in hac parte, ſiue aliàs quomodolibet ſuos limites exceſſerint, per annum ab officio Conſeruatoris huiuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, ſententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius conſtit. eiuſdem Boniſ. prædeceſſoris, quæ incipit, Hac conſtitutione, quam Sanctitas ſua in his omnibus, quæ præſenti conſtit. non aduerſantur, innouauit, & innouat.*

Poſſunt Regulares, tribus ſtantibus conditionib. petere Iudicem a Principe ſeculari.

§. 9. *Per hoc tamen non intendit Sanctitas ſua prohibere, quominus Regulares, & alij ſupradicti in caſibus à iure permiſsis petant Iudicẽ nõ ſuſpectũ à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſecularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet vt Regulares, & alij prædicti ſint actores, non autẽ rei; vtq; agant contra laicum, non autem contra eccleſiaſticum, vel aliàs à iuriſdictione ſeculari exemptum; atque vt cauſa, in qua iudex deputatur, fuerit profana, non autem eccleſiaſtica, & in ea iuxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem laicus, vt præfertur, eligendus iudex competens exiſtit.*

Clauſule ſublete & decretum irritans.

§. 10. *Quæ omnia, & ſingula in præſenti conſtitut. contenta Sanctitas ſua voluit inuiolabiliter obſeruari, decernens ſic in ijs, cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcumque, &c. etiam ſacri Palatij Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, ſublata, &c. iudicari, &c. necnon irritum, & inane, &c.*

Derogat contrarijs.

§. 11. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac literis conſeruatorijs, quas omnes ad formam præſentis conſtit. reduxit, in fauorẽ quorumcũq. Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Ieroſolimit. Congregationũ, Societatũ, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorum quorumcumque tam ſecularium, quàm regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & cõſuetudinibus, etiã immemorabilibus; priuilegijs quoq; etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, etiã motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodo-*

libet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia, expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quò ad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſiè derogauit, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Publicari mandat. §. 12. *Cæterùm, vt præſens conſtitutio faciliùs omnibus innoteſcat, Sanctitas ſua voluit, & mandauit, vt non ſolùm in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ publicetur, illiuſque exempla in ijſdem locis affixa dimittantur, ac in quinterno Cancellariæ inter conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur. Placet publicetur, & deſcribatur. A.*

Lecta, & publicata fuit ſupradicta conſtit. in Cancellaria Apoſtolica ab altero ex R. P. D. maioris præſidentiæ Abbreuiatoribus die 20. menſis Septemb. anno Incarn. Dom. 1621. Pontif. vero prælibati S. D. N. D. Greg. Papæ XV. anno 1. Et poſtmodum die, & anno ſupradictis in quinterno eiuſdem Cancellariæ inter alias conſtit. Apoſtolicas deſcripta, & annotata fuit, Nicolaus Vrſinus Procuſtos.

§. I.

1 NOto 1. quòd memorat ordinationem quamdam Clem. VIII. quæ incipit, Sanctiſſimus, datam die 19. Martij annò 1592. ſui Pontificatus anno 1. quam refert Moneta de Conſeru. cap. 5. num. 145. & Cherub. tom. 3. bull. in conſtit. 3. Clem. VIII. pag. 3. in qua præcipit duo. Primum, quòd Conſeruatores habeant conditiones requiſitas in cap. Statutum, de reſcript. in 6. Secundum, quòd ſint deputati Iudices ſynodales in aliqua Synodo prouinciali, vel diœceſana, iuxta decretum Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de reform. Sed quia in aliquibus locis, etiam tempore ipſius Clem. non fuit vſu recepta, non habuit vim legis, ſaltem poſt decennium. Conſtitutio enim vſu non recepta, non ligat; cap. In iſtis, §. Leges, diſt. 4. Tunc autem dicitur conſtitutio non eſſe vſu recepta, quando, Principe ſciente, per aliquot actus contrarios excluditur; eo autem ignorante: vbi per decennium negligitur. Ita Gutier. lib. 1. can. quæſtio. cap. 8. num. 3. Couarr. lib. 2. var. cap. 16. num. 6. verſu Sunt, qui huius. Panorm. in cap. 1. de tregua, & pace, nu. 4. Ideo hic Pontifex de nouo reualidauit, & perpetuò durare decreuit. Pro Conſeruatoribus vide Gratian. in deciſ. Prouinciæ Marchiæ deciſ. 170. & Io. Cruz de ſtatu Relig. lib. 2. cap. 10.

2 Noto 2. quòd Conſeruator ſecundùm ius commune eſt iudex à Papa datus ad defendendos aliquos contra manifeſtas iniurias, iudiciali non vtens indagine. Ita habetur in cap. Statuimus, de off. iud. deleg. in 6. Azor tom. 2. lib. 5. cap. 35. q. 1. Moneta de Conſeru. cap. 2. num. 8. Mir. tom. 2. man. q. 47. artic. 1. A Sorbo in comp. verb. Conſeruator, verſu Sunt autem pag. 158. Paſſar. in notab. priu. not. 32. Secundùm autem priuilegia Regul. de quibus hic infra, num. 4. eſt iudex datus ad tuendos Regulares ab iniurijs illis illatis: Et cum ſecundùm ius commune ſit iudex delegatus ſolummodò ad manifeſtas iniurias repellendas, vt Azor q. 2. Moneta nu. 11. (licèt ſi etiam in multis à delegato differat, de quibus Azor q. 5. & Mir. art. 3.) tamen ſecundùm priuilegia eſt iudex ordinarius, vt patet ex conſt. Greg. XIII. de qua hic infra, num. 4. & eſt datus ad vniuerſitatem cauſarum. Is autem dicitur datus ad vniuerſitatem cauſarum, cui ſub vno vniuerſali verbo commiſſæ ſunt cauſæ omnes, vt Menoch. lib. 1. de arb. q. 67. num. 48. Et Conſeruatoribus Regul. mandantur omnes cauſæ ad ipſos Regul. pertinentes. Mon. cap. 7. de Conſeru. num. 40. Quare ex hoc etiam conuincitur, quòd dictus Conſeruator in hoc ordinario iudici comparetur, vt Conſett. in comp. tit. 4. cap. 7. verſu Prætereà. Vnde non erit neceſſe, quòd in citationibus inſerat literas conſeruatorias, ſed ſufficiet, quòd de eis conſtet in actis Notarij Curiæ Ordinarij. Poterit etiam ſubdelegare, vt dicam §. 2. num. 5.

3 Noto 3. quòd dare Conſeruatorem nullus poteſt, præter Papam. Rodriquez tom. 1. q. regul. q. 65. art. 2. Mir. concl. 2. Vide Mon. de Conſer. cap. 4. vbi probat, Papam poſſe dare Conſeruatorem; & q. 2. quærit, an Concilium generale id poſſit; & q. 3. an Cœtus Cardinalium; & q. 4. an Legati Papæ; & q. 5. an, & quando Princeps ſupremus ſecularis id poſſit; & q. 6. an Principes ſeculares ſuperiorem recognoſcentes.

4 Noto 4. quòd Regularibus poſſunt à ſummo Pontifice dari Conſeruatores. Et quò ad perſonas ipſorum Regularium extra Conuentuum clauſtra degentium conſtat ſatis apertè ex Trid. ſeſſ. 7. c. 14. de ref. Quo verò ad ipſa Monaſteria, ſeu Conuentus, vel Religiones, conſtat ex eodem Concilio, ſeſſ. 14. cap. 5. de reform. ibi, *Vniuerſitates autem generales*, &c. Nec fuiſſe ſublatos Conſeruatores ab eodem Concil. ſeſſ. 24. de reform. cap. 20. quatenus ibi dicitur, quod *omnes cauſæ ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoſcantur*, cenſuit ſacra Congregat. Concilij, etiam quòd cauſæ graues ſint, & plenariam cognitionem requirant. Ita refert Farin. 2. p. deciſ. deciſ. 616. num. 4. & de facto à plurimis ſummis Pontificibus, tam ante, quàm poſt dictum Concilium omnibus Regul. dati ſunt Conſeruatores. Nobis Minimis à Iul. II. in conſtit. eius 4. §. 6. & Clem. VII. in conſtit. eius 1. in qua dat dictis Conſeruatoribus modum procedendi in cauſis fratrum Ordini Prædicatorum à Pio V. per illius conſtit. Ad hoc nos Deus prætulit, apud Cherub. in Pio V. ſub conſtit. eius 41. pag. 233. à §. 14. Et Societati Ieſu à Greg. XIII. per ſuam conſtit. 1. apud Cherub. tom. 2. bull. pag. 361. quæ incipit, Aequum reputamus. Alia vide apud Rodriq. tom. 1. q. regul. q. 65. art. 3. & Monet. de Conſer. cap. 6. q. 3. à num. 12. Mir. tom. 2. man. q. 47. art. 4.

§. II.

5 NOto 1. quòd licèt Conſeruator ſecundùm ius commune cap. fin. de iud. deleg. §. Vices quoque ſuas; non poſſit alium ſubdelegare; tamen quia per literas conſeruatorias id Regularibus conceditur, vt patet ſupra ex conſtit. 1. Clem. VII. §. 2. ibi *Quatenus vos, vel duo aut vnus veſtrum, per vos vel alium, ſeu alios*, cum clauſula, Non obſtantibus conſtit. de iudicibus delegatis, & Conſeruatoribus, vt patet ex §. 4. dicendum eſt, quòd Conſeruator poteſt alium Subconſeruatorem ſubdelegare, & probat bene Mon. de Conſer. c. 7. q. 2. nu. 58. & Rodriq. loc. cit. art. 10. A Sorbo in comp. tit. Conſeruator, pagin. 159. verſu Item Conſeruator 3. Paſſarell. in notab. priu. notab. 32. & ſupponit hic expreſsè Papa, ibi, *Siue principales, ſiue ſubrogati*. Vnde etiam confirmo quod dixi ſupra n. 2. Conſeruatorem eſſe ordinarium, Subdelegatus tamen debet habere omnes conditiones requiſitas ad Conſeruatorem conſtituendum, vt patet ex cap. Statutum, §. In nullo, fine, de reſcrip. in 6. vbi Gloſſa verbo Deſignatis, & cap. fin. §. Vices quoque, de iud. deleg. vbi Gloſſa verbo Superius.

6 Noto 2. quòd vult Papa, vt Conſeruatores, ſeu ſubdelegati ab ipſis, habeant primò conditiones deſcriptas, & requiſitas in cap. Statutum. de reſcript. Et præ-

terea

Digitized by Google

terea quòd ſint iudices ſynodales. Quò ad 1. in dicto cap. ſic ait Boniſ. VIII. illius capitis auctor: *Sancimus vt nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum cathedralium Canonicis, cauſæ auctoritatem literarum Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum euſdem de cætero committantur.*

7 Circa hoc ſtatutum 1. aduerte verbum illud, Sancimus, per quod nouam legem condi ſignificatur; Abbas 1. p. conſil. conſil. 102. num. 4.

8 Aduerte 2. quòd licèt dignitas, & perſonatus ſæpe ſint ſynonima, vt dixi ſupra in conſtit. 2. Iulij II. §. 19. num. 97. & conſtat ex cap. Cum acceſſiſſent, de conſtit. tamen in propria ſignificatione accepta diſtinguuntur. Vnde dignitatem habere dicitur is, qui habet aliquam præeminentiam, ſeu adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum, cum iuriſdictione: Perſonatus eſt quædam prærogatiua in Eccleſia ſine iuriſdictione, vt qui habet ſtallum honorificum in choro præ alijs Canonicis, etiam ante receptis, minorem tamen dignitatibus. Ita Mon. de Conſer. cap. 5. q. 7. à num. 84.

9 Aduerte 3. quòd non eſt neceſſe, quòd prædictas dignitates, vel perſonatus obtineant, qui in Conſeruatores eligendi ſunt, in aliqua Eccleſia cathedrali; quod requirebatur in cap. fin. de iud. deleg. §. 1. Sed ſufficit, quòd dictas dignitates, vel perſonatus habeant, vt patet ex ipſo contextu verborum, qui eſt valde diuerſus à contextu cap. fin. cit. Vnumquodq; enim membrum hic ponitur omnino diſiunctiuè, & abſq; aliqua dependentia ab alio: At in alternatiuis vnum ſufficit verificari; Abbas in cap. Inter cæteras, de reſcrip. nu. 1. Graff. libr. 3. de caſ. reſe. cap. 2. num. 7. Et habetur in reg. In alternatiuis, quæ eſt 70. de reg. iur. in 6.

10 Aduerte 4. quòd Canonici de iure communi non poſſunt eſſe Conſeruatores, ſiue ſint Canonici cathedralis, ſiue collegiatæ Eccleſiæ, non enim nominantur in cap. fin. de iud. deleg. vbi dicitur, *Conſeruatores de cætero deputari non poſſunt, niſi Epiſcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, ſeu dignitates, vel perſonatus in cathedralibus, vel collegiatis Eccleſiis obtinentes*, vbi, vt patet, Canonici non nominantur, atque ita Gloſſa ibi, verbo Obtinentes, dicit, quòd hæc eſt vna differentia inter Conſeruatorem, & iudicem delegatum, quòd Canonicus Eccleſiæ cathedralis poteſt eſſe iudex delegatus, non poteſt tamen eſſe Conſeruator; Intellige tamen, niſi Canonicatui dignitas, vel perſonatus annexa ſint. Ita Mand. de ſignat. gratiæ, verbo Conſeruatoria, verſu Sed quod Canonicus. Mon. de Conſer. cap. 5. q. 8. num. 117. Rodriq. tom. 1. q. reg. q. 65. art. 2. Vide Riccium 2. p. praxis, reſol. 349. Et colligitur clarè ex conſtitut. 1. Clem. VII. §. 4. ibi, *Quòdque vos filij Canonici*: derogat enim omnibus contrarijs: & ait etiam ijs, *Quòdque vos filij Canonici*, &c. Conſtat etiam ex conſtit. Innoc. VIII. ſupra, §. 4. ibi *Ac Canonicis Eccleſiarum*. Cum enim deputaſſet in Commiſſarios dictæ conſt. omnes in eccleſiaſtica dignitate conſtitutos, ſubdit *ac Canonicis*. Et ex conſt. 4. Iulij II. §. 6. ibi, *etiam Canonicos*. At quòd ſecundùm priuilegia prædicti Canonici non ſolùm cathedralis Eccleſiæ, ſed etiam collegiatæ poſſint eſſe Conſeruatores, patet ex tit. prædictæ conſt. Clem. VII. & etiam ex conſeruatoria Greg. XIII. data Ieſuitis, de qua dixi num. 4. Quod etiam approbat Greg. XV. §. 2. quò ad Canonicos Eccleſiæ cathedralis. Et dicit Gratian. in deciſ. prou. Marchiæ deciſ. 70. in addit. nu. 3. Itaque nunc Canonici collegiatæ non poſſunt eſſe Conſeruatores. Plura videri poſſunt circa Canonicos apud Monet. loc. cit. à num. 118.

11 Ex dictis colligitur 1. quòd Prior conuentualis poteſt eſſe Conſeruator. Ita Rodriq. tom. 1. q. regul. quæſt. 65. artic. 3. verſu Secundò eſt notandum; Capella Tholoſ. deciſ. 13. num. 3. Mir. tomo 2. manu. quæſt. 47. artic. 2. concluſ. 3. Paſſar. in not. priuil. not. 32. verſu Tamen per priuilegium. Mon. de Conſer. cap. 5. q. 2. num. 24. Sanchez lib. 6. in decal. cap. 13. num. 79. & quod poſſint eſſe Prælati, delegati apoſtolici nu. 78. Et conſtat, quia ſunt in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, & quia iſti poſſunt eſſe iudices delegati; clemen. 2. de reſcr. Et clariùs patet ex conſtitution. 1. Clem. VII. vbi Prioribus conuentualibus illa conſeruatoria dirigitur. Et quod dico de Prioribus, & Correctoribus, intelligo de Prouincialibus, & Generalibus non tamen de Vicarijs aliquorum Conuentuum, ſi ſint amouibiles ad nutum Prælati, nec de Prioribus clauſtralibus S. Benedicti; quia iſti non poſſunt eſſe iudices delegati, vt conſtat ex dicta clem. 2. de reſcr. Sed nunc iſta doctrina ceſſat per declarationem S. Congregat. factam anno 1617. die 6. Octobris, quam refert Chokier de exemp. p. 1. quæſt. 39. nu. 5. fine.

12 Colligitur 2. Cardinales poſſe eſſe Conſeruatores, quia maximam habent dignitatem; cap. 1. de off. Leg. in 6. &c. Felicis, de pœnit. eod. lib. Ita Mon. loc. cit. q. 3. à num. 33. qui id latè probat.

13 Colligitur 3. Epiſcopos, & Abbates poſſe eſſe Conſeruatores, quia expreſsè nominantur in c. fin. de iud. deleg. Et etiam eorum Superiores, vt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi. Latè probat Mon. loc. cit. q. 4. à nu. 40. Et patet etiam, quia dictis diriguntur literæ conſeruatoriæ à Clem. VII. vt patet ſupra, ex eius conſtit. 1. Et aduerte, quòd per Abbates intelliguntur non ſolùm ij, qui in Monaſterijs Regularium hoc nomine nuncupantur, ſed etiam Abbates Clericorum ſecularium, vt S. Matth. S. Antonij. Ita Mon. loc. cit. q. 6. num. 79. 80.

14 Colligitur 4. Vicarium Generalem Epiſcopi poſſe eſſe Conſeruatorem. Ita Sbrozz. lib. 2. de offic. Vic. q. 27. nu. 9. Mir. to. 2. man. q. 47. art. 2. concluſ. 2. Rodriq. loc. cit. art. 3. verſu Ex his. Probabilem putat Mon. de Conſer. c. 5. qu. 5. num 66. Et ratio eſt, quia Vicarius Epiſcopi habet dignitatem, quæ nihil aliud eſt, vt dixi, quàm adminiſtratio rerum eccleſiaſticarum cum iuriſdictione. At ſecundùm priuilegia non eſt dubium; Vicarijs enim Epiſcopi, ſeu eius Officialibus, quod idem eſt (vt probat Sanch. 8. de matr. diſp. 27. num. 29. Sbrozz. de off. Vic. libr. 1. q. 2. nu. 10. & q. 7. per totam) diriguntur literæ conſeruatoriæ Clem. VII. Secus tamen eſt de Vicario foraneo; Sbrozz. lib. 2. de offic. Vic. q. 27. num. 15. Mon. loc. cit. num. 62. quia non poteſt eſſe delegatus Papæ, vt patet ex clem. 2. de reſcr.

15 Colligitur 5. Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, Præpoſitum, Decanum poſſe eſſe Conſeruatores. Ita Conſett. in ſum. priu. cap. 5. Mon. de Conſeru. c. 5. q. 7. nu. 88. 89. 91. 95. quia hi omnes dignitatem habent eccleſiaſticam. Poſſe etiam Priorem ſecularem Eccleſiæ collegiatæ. Mon. loco cit. num. 94. quia hic habet dignitatem, vt Nauarr. lib. 1. conſil. de maior. & ob. conſil. 4. num. 3.

16 Colligitur 6. quòd obtinentes in Eccleſia cathedrali præbendam, ſeu ordinariam theologalem, aut pœnitentialem, cantoratum, aut ſuccentoratum, poſſunt eſſe Conſeruatores; quia iſti omnes perſonatum habent. Ita Mon. de Conſer. ca. 5. à nu. 99. q. 7. Quod ſi qui forſan alij in aliquibus particularibus Eccleſiis habeant aliquod officium, quod ſecundùm communem exiſtimationem dignitatem, vel perſonatum dicat, iſti etiam poterunt in Conſeruatores eligi.

17 Colligitur 7. Vicecancellarium Papæ, Camerarium, ſummum Pœnitentiarium, Clericos Cameræ, Auditorem Curiæ cauſarum dictæ Cameræ, Auditores Rotæ, Referendarios, Prothonotarios poſſe eligi in Conſeruatores, quia iſti omnes habent dignitatem, vt probant Mon. de Conſer. cap. 5. à num. 106. Et de Prothonotarijs Maſſob. de Synodo diœceſ. cap. 4. dub. 12. De ætate ſcientia, & moribus Conſeruatorum, vide Mon. loc. cit. q. 11. à num. 155. Vnum Regulares admonendos velim, vt ſemper perſonas doctas, & diſcretas eligere curent in Conſeruatores, quæ poſſint, velint, & ſciant ius ſuum vnicuique tribuere, & proprium defendere.

18 Itaque has omnes perſonas ſupradictas in Conſeruatores, ſecundùm ius commune, & priuilegiorum certum eſt poſſe eligi. Sed ſecundùm nouiſſi-

mum ius huius conſtit. requiritur præterea, quòd prædicti ad hoc vt idonei cenſeantur, ſint electi iudices ſynodales, iuxta ſtatutum Concilij Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de reform. in aliqua prouinciali vel diœceſana Synodo. Quod etiam præceperat conſtit. Clem. VIII. cui iſta dicitur inhærere, vt dixi n. 1. Concil. autem Trid. ſolùm requirit, vt deſignandi in iudices ſynodales habeant conditiones requiſitas in c. Statutum, de reſcr. in 6. Et prætereà, quòd ſint perſonæ ad id aptæ, ideſt ſecundùm ſcientiam, ætatem, & mores iuxta c. Cum in cunctis, de elect.

19 Et aduerte, quòd Canonicus collegiatæ, qui ſit Doctor, non poteſt conſtitui iudex ſynodalis, quia in cap. Statutum dicitur, quòd *Eccleſiarum cathedralium Canonici ſolùm poſſint conſtitui iudices ſynodales*, vt patet ex nu. 6. Et cum Trid. dicto c. 10. ſeſſ. 25. de reform. requirat, quòd iudices ſynodales habeant conditiones dicti, c. Statutum, ſequitur clarè quod dixi. Ita etiam tenet Maſſob. de Syn. diœc. c. 4. dub. 10. num. 5. qui num. 25. refert declarationem ſacræ Congreg. quam ipſe dixit ſe conſuluiſſe, in hæc verba. *An poſsit eligi in iudicem ſynodalem Canonicus Eccleſiæ collegiatæ, qui ſit Doctor, ſi non extant in cathedrali Doctores, ſaltem ita idonei: Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum cenſuit, Canonicum collegiatæ Eccleſiæ eligi non poſſe in iudicem Synodalem, Subſcripta C. Cardinalis de Torres.* Contrarium ſentit Riccius p. 1. ſuæ praxis deciſ. 637. nu. 5. ſed non moueor, nihil enim affert, quod concludat.

20 Aduerte etiam, quòd qui dignitatem dimiſit, non poteſt conſtitui iudex ſynodalis, quia requiritur, vt eligendi actu in dignitate ſint, vt patet ex dicto cap. Statutum, & Trid. loc. citat. Ita Maſſob. de Syn. diœc. cap. 4. dub. 13. Verum quidem eſt, quòd ſi is, qui dignitatem dimiſit, antequam dimitteret, aliquam cauſam cœpiſſet, poſt dimiſſionem, poſſet eam proſequi, & terminare, quia ſufficit ab initio fuiſſe capacem. Ita declarauit ſacra Congreg. die 21. Maij, anno 1587.

§. IV.

21 NOto 1. quòd Concilium Trid. ſeſſ. 25. c. 10. de reform. decernit, quòd creentur ſaltem quatuor, aut plures iudices ſynodales in qualibet Diœceſi, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum cõſilio Capituli alium in eius locum, vſque ad futuram prouincialem, aut diœceſanam Synodum.

22 Noto 2. quòd Pontifex admonet Ordinarios, vt plures iudices ſynodales conſtituant, ne Regulares pro Conſeruatorum penuria cogantur aliquam iacturam pati. Et verbum, Moneo, hic non incongruè poſſet interpretari pro, Præcipio; eſt enim negotium graue, & quod multùm damni poteſt afferre indigentibus Conſeruatorum, præſertim in magnis populis, vbi plurimi reperiuntur Regulares.

23 Noto 3. quòd conſilium Capituli in caſu mortis alicuius ex dictis iudicibus requiritur pro forma; quare Ordinarius illud præterire non poterit; cap. Nouit; cap. Quando, de his, quæ fiunt à Præl. Poterit tamen non ſequi, qui enim tenetur conſilium petere, ad illud ſequendum non obligatur. Panor. in cap. Cum in veteri, de elect. Rodriq. tom. 1. qu. regul. q. 3. artic. 17.

24 Si quæras, an Ordinarius poſſit id committere ſuo Vicario.

R. Poſſe, qui tamen Vicarius tenebitur eiuſdem Capituli conſilium requirere. Habetur c. Cùm in veteri, de elect. vbi Panor. nu. 3. Et nota hic etiam, quòd non ſufficit conſilium petere poſt actum deliberatum, ſed debet poſtulari in ipſo tractatu; Nec etiam ſufficit petere debito tempore, niſi tempore congruo expectetur reſponſum; dicto cap. Cum in veteri, vbi Panor. num. 7.

25 Sed quid, ſi Capitulum debito tempore non reſpondeat, vel plus debito differat? Dico, quòd tunc poteſt Epiſcopus, ipſius Capituli reſponſo non expectato, per ſeipſum prouidere. Panor. loc. cit. num. 8.

26 Sed quid etiam, ſi Epiſcopus, poſtulando conſilium à Capitulo, arctauit ſe ad finem præfixum pro iſto actu terminando, & ita vt Capitulum congruum tempus non habeat ad reſpondendum? Dico, quòd nihil valet prouiſio ab Epiſcopo facta. Panor. loc. cit. nu. 9. quia ſine conſilio determinat; & ita dicitur declaraſſe ſacram Congreg.

27 Sed quid, ſi iudex ſynodalis non moriatur quidem, ſed ſe per longum, & diuturnum tempus abſentet? Dico, quòd hoc caſu idem faciendum eſt, ac in caſu mortis, nam diuturna abſentia æquiparatur morti. Et ita etiam dicitur declaraſſe ſacram Congreg.

28 Sed ad quoſnam ex ſynodalibus, diœceſanis, vel prouincialibus pertinet dictos ſynodales iudices nominare? Dico, principaliter ad Epiſcopum, vel Archiepiſcopum, ſeu Synodo præſidentem; non tamen priuatiuè ad alios. Atq; ita declarauit ſacra Congreg.

29 Sed quantum durat officium iudicum ſynodalium? Dico, quòd vſque ad futuram Synodum prouincialem, vel diœceſanam, ſiue ſint electi principaliter in Synodo, ſiue loco mortui, vel abſentis ſuffecti. Ita ſtatuitur in Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 10. & in hoc §. 4.

§. V.

30 NOto 1. quòd decretum Greg. XIII. de quo hic refertur à Quaranta verbo Priuilegia Regul. verſu Inſuper ſciendum, pag. 514. & A Sotbo in comp. tit. Conſeruatores, in prin. pag. 158. quòd ſic habet. *Greg. XIII. omnibus Regularibus conceſsit, vt in Ciuitatibus Italiæ ſibi Conſeruatores eligerent, coram quibus conuenirentur, ſemelque electos non, niſi in Capitulis prouincialibus, mutarent, eorumdemque nomina intra menſem à die electionis Epiſcopis locorum Ordinarijs indicerent, alioquin coram ipſis Ordinarijs conueniri poſſent.*

31 Noto 2. quòd tenentur Regulares inſtrumentum electionis Conſeruatoris exhibere, & relinquere apud Notarium Curiæ Ordinariorum infra tempus hic ſtatutum, ad tollendas fraudes, quæ in hoc poſſent fieri.

32 Noto 3. quòd Conſeruatores ſic electos non poſſunt Regulares per quinquennium amouere; ſtatim enim ac electi ſunt, cenſentur ab Apoſtolica Sede deputati. Vnde ad libitum electorum amoueri non poſſunt. Concedit tamen Pontifex, vt ex legitima cauſa, puta negligentia, impotentia, inimicitia, approbanda ab Ordinario, vel à Papa, prout magis Regularibus, & alijs placuerit, amoueri poſſint.

§. VI.

33 PEtit hic §. vt dè iuriſdictione Conſeruatorum breuiter dicamus. Quæ iuriſdictio quia alia eſt ſecundùm ius commune, cap. 1. & cap. fin. de iud. deleg. in 6. Alia ſecundùm priuilegia Clem. VII. Pij V. Greg. XIII. & aliquorum Pontificum, de quibus dixi nu. 4. Alia ſecundùm hanc conſtit. ideo debeo de illis diſtinctè dicere.

34 Noto ergo 1. quòd Conſeruatores ſecundùm ius commune, c. 1. & fin. de iud. deleg. non poſſunt cognoſcere niſi de manifeſtis iniurijs, & violentijs. Nec poſſunt cognoſcere de his, quæ iudicialem, requirunt indaginem. Per iudicialem autem indaginem intelligitur ea cauſæ cognitio, & examinatio, quæ à iudicibus adhiberi ſolet in rebus dubijs. Ita Gloſſa dicto cap. 1. verbo Indaginem.

35 Iniuria verò dicitur, quicquid non iure fit. Ioan. Andr. c. 1. de iud. del. in princ. verbo Iniurijs. Comprehenditque hoc nomen violationem priuilegiorum, nam iniuria eſt priuilegia violare. Io. And. c. fin. de iud. deleg. n. 3. Comprehendit etiam culpam, & contumeliam, atq; iniquitatem, & iniuſtitiam. Hoſt. in ſum. tit. De iniurijs, nu. 1. Farin. 3. p. prax. crimin. lib. 3. q. 105. inſpect. 1. num. 1.

36 Fit autem iniuria tribus modis; re, verbis, & literis,

Digitized by Google

literis. Ita Hoſt. loc. cit. num. 3. Farinac. num. 2. Re fit iniuria, quoties manus infertur. Verbis autem fit iniuria per conuicium. Literis verò fit iniuria, cum quis librum, vel carmen, vel hiſtoriam ad infamiam alicuius pertinentem ſcribit, vel componit, vel edit, vel mandat, vel conſulit, vel dictat, vel exemplat, vel in publico legit, vel emit, vel vendit, vel retinet, vel affigit in publico, vel publicat, vel inuenit, & non comburit, vel carmina, ſeu cantiones in alterius infamiam compoſitas cantat. Et nota, quòd de famoſo libello agi poteſt criminaliter ſecundùm leges ad pœnam capitis contra omnes dictos, vt Hoſt. loc. cit. & Farinac. loc. cit. à num. 422. inſpect. 11. Sed ſecundùm Canones ſupradicti omnes flagellantur, & excommunicantur, cap. Qui in alterius: & cap. Si qui. 5. qu. 1. quas omnes pœnas, tam temporales, quàm eccleſiaſticas in talia præſumentes per ſacras leges, & canonicas ſanctiones latas confirmauit Pius V. per ſuam conſtit. 147. apud Cherub. tom. 2. bull. pag. 359. incipit, Romani Pontificis. Vide Farinac. loc. cit. inſpect. 11. à num. 442. vbi aduertit num. 469. quòd eiſdem pœnis tenetur, qui fores ſtercorauit vel eiſdem cornua affixit, vel qui obſcænas picturas in alterius infamiam in aliquo loco poſuit; & num. 474. ait, idem eſſe, etiamſi libellus, ſeu charta, ſeu ſcriptura nomen illius, cui infamia irrogatur, non contineat, dummodò aliunde conſtet, de quo libellus voluit intelligere. Vnde collige, quid ſit libellus famoſus; eſt enim compoſitio in ſcriptis in infamiam alicuius facta, eius, quod probare non vult, & in publico iactata, vel in loco, vbi inueniatur. Ita Sylu. verbo Libellus, q. 4.

37 Violentia eſt iniuria quædam cum vi, & impetu perſonis, vel rebus facta, & eſt quintuplex ſecundùm Menoch. in prælud. de recuper poſſeſſ. à nu. 38. Prima dicitur ablatiua, quando per vim aliquid aufertur. 2. eſt expulſiua, quando per vim de poſſeſſione eijcitur. 3. eſt compulſiua, quando per metum quis compellitur facere aliquid, quod ſponte aliàs non erat facturus. 4. dicitur turbatiua, cum poſſeſſor in ſua poſſeſſione turbatur. 5. inquietatiua, quæ parum ab hac 4. differt; eſt cum quis non ſinit alium vti ſe ſua quiete, vel alter, eo inuito, vult ædificare in ſuo fundo. Videatur Tuſch. verbo Vis, & violentia, concl. 214.

38 Manifeſtum eſt quod per facti euidentiam ita notorium eſt, vt examinatione non indigeat, vel ſi indigeat, poteſt tamen probari clarè, & certitudinaliter per multos teſtes, & ita, quòd negari non poſſit. Ita Tuſch. verbo Manifeſtum, concl. 71. nu. 7. Ioan. Monac. cap. 1. nu. 3. de iud. deleg. His poſitis.

39 Certum omnino puto, Conſeruatorem poſſe cognoſcere de omnibus iniurijs, & violentijs dictis, & in his cognoſcendis adhibere eam iudicialem indaginē, quæ in notorijs communiter adhiberi ſolet. Ita Moneta de Conſeru. cap. 7. q. 3. num. 90. & 93. Miran. tom. 2. man. q. 47. art. 7. concl. 2. & 3. Rodriq. tom. 1. q. regul. qu. 65. art. 11. Molin. tom. 6. diſp. 29. nu. 2. Et habetur manifeſtè in dictis cap. 1. & final. de iud. deleg.

40 Solùm poteſt eſſe difficultas in eo, quod dixi, in his cognoſcendis poſſe Conſeruatores adhibere eam indaginem, quæ in notorijs communiter adhiberi ſolet, cum textus in dictis capitibus videantur eſſe contrarij. Sed hoc etiam eſt certum, & probat optimè Moneta loc. cit. n. 78. quia ita illud cap. 1. expoſuit Innoc. qui & illius auctor fuit, explicando enim nu. 4. verba illa *Ad alia*, ait, *Præterquam in notorijs, quia in notorijs, bene habebunt indaginem* & n. 6. in fine ait, *Expone ergo ſic literam, quia non habebit indaginem iudicialem, ſupple in non notorijs*. Ita etiam, Io: Andr. dicto c. 1. in princ. & alij apud ipſum Mon. Et patet etiam ratione, quia cum committatur iuriſdictio in notorijs, neceſſariò committuntur ea, ſine quibus illa non poteſt exerceri; non poteſt autem punire aliquos de notorijs, niſi eos citet, & citatos, & cōtumaces puniat in expenſis. Ita Io: Andr. Innoc. Mon. loc. cit. Azor tom. 2. lib. 5. c. 35. q. 8. qui addit, quòd ſi delictum eſt notorium alijs, non ſibi habet ius quærendi, & cogendi teſtes ad dicendum teſtimonium. Item quando notorium eſt delictum, & neſcitur, quis illud patrauerit, procedere poteſt per inquiſitionem generaliter, non ſpecialiter. Inſuper ſi reus, qui fuerit condemnatus, & excommunicatus, comparuerit intra annum, & dixerit ſe velle ſatisfacere, poteſt Conſeruator cognoſcere de grauitate damni illati, vel iniuriæ factæ. Senſus ergo illorum verborum *Nec ad alia*; &c. eſt, quòd Conſeruatorum iuriſdictio non ſe extendat ad dubia, & obſcura, in quibus verificandis & probandis omnino ſpecialis requiritur indago. Quo eodem pacto intelligendum eſt cap. fin. quod ſolùm huius eſt enunciatiuum; Pro qua explicatione adduco c. Ad noſtram, el 3. de iureiur.

41 Nec ſolùm poſſunt Conſeruatores defendere Regulares à manifeſtis injurijs, iam illatis, ſed etiam ab his, quæ probabiliter creduntur inferendę. Io: Andr. dicto c. 1. in princ. Io: Monach. ibi, n. 5. Molin. tom. 6. q. 29. nu. 2. Azor. tom. 2. libr. 5. c. 35. q. 7. verſu Si iterum quæras, Mir. tom. 2. man. q. 47. art. 7. concluſ. 4. Cum enim periculum eſt in mora, poteſt iudex incontinenti ſuis vti armis ad ſeruandos ſuæ defenſioni commiſſos. V. G. ſi videat aliquos paratos cum armis ingredi ad damnificandum aliquod Monaſterium, poteſt hoc pacto in illos excommunicationem ferre, Excommunico omnes, qui cum armis talem locum intrauerint, vel aliquod damnum dederint; Etſi iniuria fuerit illata, poteſt per cenſuras eccleſiaſticas compellere reum ad ſatisfaciendum. Azor, Mir. locis cit.

42 Neque ſolùm poteſt in prædictis cauſis contra Clericos procedere, ſed etiam contra laicos. Rodriqu. tom. 1. qu. reg. qu. 65. art. 11. concl. 2. Mir. loc. cit. concl. 3. Probatur ex cap. Cum ſit generale, & cap. Conqueſtus, de foro comp. Facit etiam Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de reform.

43 Sed inſurgit in hoc magna quæſtio, quomodo Cōſeruator poſſit de ſupradictis cauſis cognoſcere; an ſcilicet criminaliter, an ciuiliter, an mixtè: Sed priùs declarandi ſunt termini, in quorum declaratione ſudant Doctores. Clarus lib. 5. pract. crim. §. fin. q. 1. Menoch. de arb. caſu 265. Nau. in rubr. de iudic. à num. 31. Fusè Farinac. 3. p. prax. crim. q. 100. Mon. de Conſer. cap. 7. q. 2. à n. 208. Germon. tom. 2. lib. 1. animad. cap. 19.

Breuiter dico, quòd de delictis poteſt agi in iudicio criminaliter, ciuiliter, & mixtè. Agitur criminaliter, quando agitur principaliter de crimine, & particulariter ad publicam vtilitatem. Ciuiliter, quando agitur ad priuatam vtilitatem. Mixtè, quando de crimine agitur particulariter ad publicam vtilitatem, & particulariter ad priuatam. Exemplum ſit in furto. Damnificatus à fure agit contra illum in iudicio, vt furca ſuſpendatur, vel fuſtigetur, & cet. Hic agitur de furto criminaliter ad publicam vtilitatem, cuius maximè intereſt, vt fures ad aliorum exemplum caſtigentur. 2. poteſt damnificatus ſolùm de furto agere ciuiliter, vt ſibi reſtituatur res ablata, de pœna iure furibus debita nihil curans, immo illam remittens; ſi autem contra dictum furem agat in iudicio particulariter, tum ad pœnam, tum ad reſtitutionem pecuniæ, dicetur agere mixtè. Ita Nauar. loc. cit. num. 31. 34. Clarus num. 2. & 7. Farin. num. 4. 6. 54.

44 Ad quæſitum ergo reſpondeo, quod Conſeruatores non poſſunt cognoſcere, ſtando in iure communi, de prædictis iniurijs, & violentijs manifeſtis criminaliter, neque mixtè. Ita Mon. loc. cit. nu. 253. Tum quia punire delicta ad publicam vtilitatem, ad Iudices ordinarios pertinet, cap. Placuit 6. q. 3. Conſeruatores autem ſecundùm ius commune diximus eſſe delegatos. Tum quia Conſeruatores dantur ad priuatam vtilitatem, vt patet ex cap. 1. fin. de offic. del. Ciuiliter autem de prædictis cauſis cognoſcere ſine dubio poſſunt Conſeruatores. Ita Mon. loc. cit. num. 267. & ſequitur clarè ex dictis, cum enim de prædictis iniurijs cognoſcere poſſint per prædicta, cap. 1. & fin. de iud. del. nec poſſint criminaliter, neq; mixtè, ſequitur neceſſario, quòd

poſſint

Digitized by Google

poſſint ciuiliter, cum non detur 4. ſpecies procedendi in iudicio, ab iſtis tribus totaliter diſtincta.

45 Pro prædictis verò cauſis, etiam ciuiliter procedendo, poterit cenſuris eccleſiaſticis vti, brachium ſeculare inuocare. Azor tom. 2. lib. 5. cap. 35. qu. 10. Mon. de Conſer. cap. 7. num. 279. Probatur ex cap. Sanè, el 2. de iud. deleg. & ſupponitur in cap. Auctoritate, de priuil. in 6. Cum enim mandatur alicui negotium, mandatur etiam id, ſine quo illud impleri non poteſt, & fruſtra datur iuriſdictio, quæ non eſt cum coactiua coniuncta. Cum autem Conſeruatores contra Epiſcopos debebunt agere, adhibeant ſemper cautelam requiſitam dicto cap. Sanè, vt cum eis, tamquam cum Prælatis Eccleſiæ, modeſtè, & patienter, ac reuerenter ſe gerant.

46 Si quæras, an ſtando præciſè diſpoſitioni dictorum capitum 1. & fin. de Iud. deleg. poſſint Regulares, vt actores coram ſuo Conſeruatore reos, ſiue Clericos, ſiue laicos trahere.

℞. Poſſe. Io. Andr. dicto c. fin. n. 2 Io: Mon. ibid. Mon. de Conſer. cap. 7. q. 6. nu. 338. & probant ex illis verbis poſitis dicto cap. fin. *Conſeruatores non præſumant trahere vltra vnam dietam*. Ergo à contrario ſenſu intra illam poſſunt trahere. Verbum autem, Trahere, proprium eſt actoris ad iudicium reum trahentis, vt conſtat clarè ex verbis huius §. quem explicamus, ibi *alios conuenire, aut trahere non poſſunt*.

47 Aduerte etiam, quòd Conſeruator debet in his cauſis pronunciare, delictum eſſe notorium, aliàs ſententia ſua, quæ debet fundari ſuper notorio, eſſet nulla. Tuſch. verbo Conſeruatores, concl. 760. num. 5.

48 Noto 2. quòd ſecundùm priuilegia Regularibus conceſſa certum eſt primò, Conſeruatores eſſe iudices ordinarios. Ita eos vocat Greg. XIII. in conſeruatoria pro Ieſuitis apud Cherub. in conſtitut. 1. Greg. §. 2. Secundò eos poſſe cognoſcere de omnibus cauſis, tam manifeſtis, quàm non manifeſtis, patet ex illis clauſulis. *Quæ ſpecialem requirũt indaginem. Contradictores quoſlibet compeſcendo: Conſeruatores, & iudices*, quæ habentur ſupra in conſtit. 1. Clem. VII. per quas conceditur iuriſdictio iudicialis etiam in non manifeſtis. Farinacc. 2. p. deciſ. deciſ. 616. numero 3. & 4. Tertiò poſſunt cognoſcere de omnibus cauſis, tam criminalibus, quàm mixtis, atque ciuilibus. Patet ex dicta conſt. 1. Clem. VII. §. 2. & ex conſeruatoria Greg. XIII. pro Ieſuitis, ibi, *Vt in quibuſcumque cauſis, tam ciuilibus, quàm criminalibus, ac mixtis*. Quartò poſſunt Conſeruatores cognoſcere de omnibus his cauſis, ſint Regulares rei, vel actores: Patet ex dicta conſt. Greg. §. 2. Quintò poſſunt Conſeruatores noſtri Ordinis apoſtatas, & ſe ab obedientia ſubtrahentes, cenſuris eccleſiaſticis, & alijs pœnis ad Religionem reuocare, quod eſt ſpeciale in noſtra conſeruatoria Clem. VII. quod puto remanere in ſuo robore, etiam poſt iſtam conſtit. Greg. XV. nullum enim adeſt veſtigium, quod monſtret, intendiſſe Papam hoc reuocare. Sextò poſſunt Conſeruatores per huiuſmodi priuilegia articulum ab alijs inchoatum proſequi. Patet ex §. 5. conſeruatoriæ Clem. VII. ſupra, Quod puto etiã permanere in ſuo eſſe, ſi elapſo quinquennio, vellent Regulares alium ſibi eligere Conſeruatorem, qui haberet conditiones hac conſt. requiſitas, vel loco defuncti, &c. Hic ſic electus poſſet proſequi articulum à ſuo prædeceſſore inchoatum; de hoc enim nihil præſcribitur hac conſtit. Videatur Rodriq. to. 1. q. reg. q. 65. art. 9. Septimò poſſunt citare per edictum, vbi tutus non patet acceſſus ad perſonaliter citandum. Conſtat ex conſt. cit. Clem. VII. §. 3. & ex conſeruatoria Greg. XIII. pro Ieſuitis §. 3. Octauò poſſumus Conſeruatores eligere, etiamſi non ſint in Ciuitatibus, in quibus deputati ſũt Conſeruatores. Patet ex conſtit. 1. Clem. VII. §. 2. & conſeru. Gregor. XIII. §. 3. Nonò poſſunt etiam trahere ad ſuum iudicium perſonas exiſtentes extra Ciuitates, & Diœceſes, in quibus deputati ſunt Conſeruatores, dũmodò non trahant vltra tres dietas, ideſt 60. milliaria. Patet ex dicta conſt. Clem. VII. §. 4. & Greg. XIII. §. 6.

49 Noto 3. quod Gregor. XV. hoc §. ſtatuit, quòd Regulares ſolùm poſſint conueniri tamquam rei coram ſuis Cõſeruatoribus, alioſq; autem tamquã actores coram eis non poſſint conuenire; atq; ita ſtatuit prout de iure, c. Si Clericus, c. Cum ſit, de foro comp. & leg. 2. C. de iur. omn. iud. quòd actor ſequatur forum rei.

50 Sed dubium eſt, an hoc procedat in omnibus cauſis. Saluo ſemper iudicio meliùs iudicantis, dico, quod hoc non procedit, niſi in cauſis ciuilibus eorum, qui aliquam pecuniæ ſummam ipſis Regularibus debent, ſiue eam debeant ex locatione, legatis, teſtamentis, &c. De alijs autem manifeſtis iniurijs, & violentijs, Regularibus, ſiue eorũ bonis illatis, poſſunt Conſeruatores cognoſcere, etiamſi Regulares actores ſint, ſecundùm formam iuris communis cap. 1. & fin. de iud. deleg.

51 Moueor 1. quia hic Pontifex videtur velle extendere ad Regulares ſtatutum Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de refor. vbi determinatur, quod qui habent Conſeruatores, non poſſint in cauſis ciuilibus coram eis aliquem trahere; ſed ſolùm poſſint coram eis trahi: in cauſis verò criminalibus, & mixtis dictæ perſonæ Conſeruatorem habentes conueniantur coram ſuo Epiſcopo, vel alio Superiore ſuo ordinario. Vnde apparet, quod Concilium facit differentiam in modo procedendi quò ad cauſas criminales, & mixtas, à modo procedendi quò ad cauſas ciuiles; in his enim vult, vt habentes Conſeruatores actiuè quidem coram eis neminem trahere, ſed forum rei ſequantur? paſſiuè autem trahi equidem poſſint: in cauſis verò criminalibus è contra vult, vt prædicti habentes Conſeruatores, paſſiuè quidem coram ſuis Epiſcopis, & ordinarijs Superioribus trahantur, actiuè autem coram dictis Conſeruatoribus trahant. Ad hoc enim dantur Conſeruatores, vt à moleſtijs, iniurijs, & violentijs ſub tutela receptos conſeruent illæſos, & defendant, & hoc modo intelligit Concilium Gutier. pract. q. libr. 3. q. 9. num. 15. & 16. quo eodem prorſus modo puto intelligendam hãc conſt. in qua Concilij multa verba referuntur, vt patet ex §. ſequ.

52 2. Quia alioquin non appatet, à quibuſnam debeant Conſeruatores conſeruare: vnde potiùs dicendi erunt iudices dati pro miniſtranda iuſtitia Regularibus, quàm Conſeruatores.

53 3. Cum maxima eſſet quæſtio inter Doctores, an Regulares poſſent coram ſuis Conſeruatoribus ſuos debitores conuenire, ſtante dicta diſpoſitione Concilij, vt videri poteſt apud Gutier. loc. cit. & Rodriqu. to. 1. q. reg. q. 65. art. 12. licèt aliqui affirmarent, vt Guido Papæ qu. 18. fine, & Rodriqu. loc. cit. Qui negabant tamen, vt Gutie. concedebant, quod Regulares poſſent conuenire ſuos moleſtatores, & inquietatores in iniurijs notorijs, & manifeſtis, excludendo ab his eos, qui nollent notoriè, & manifeſtè, quæ debebant, Regularibus ſoluere, vt patet ex dicto Guttier. num. 16. Vnde, cum hic Pontifex hanc litem quò ad debitores diremerit, reliqua in ſuo ſtatu liquiſſe dicendum eſt. Vide Chokier de exempt. p. 1. quæſt. 39. nu. 31. & de conſer. q. 4.

54 4. Quia hic caſus videtur in iure expreſſus? cap. Conqueſtus, & cap. Cum ſit, de foro comp. vbi dicitur. *Cum ſit generale, vt actor forum rei ſequatur. Verum quoniam ſeculares iudices in exhibenda iuſtitia perſonis eccleſiaſticis ſæpè in iudicio ſunt remiſſi, in fauorem Eccleſiæ eſt introductum, vt malefactores ſuos, qui ſacrilegi ſunt cenſendi, venerabilium locorum Rectores poſſunt ſub quo maluerint iudice conuenire*: Ergo cum ius commune ab illa generali regula, *Actor ſequitur forum rei*, quam hic videtur approbare Pontifex, excipiat eos, qui malefecerint publicè, & notoriè Regularibus, eorum bona diripiendo, diſſipando, inuadendo, moleſtando, iniuriando, violentando; Dicendum eſt, quòd etiam hic Pontifex velit hunc caſum excipere. Et quòd ſolùm intendat, quòd Regulares actores forum rei ſequantur in exigendis pecunijs, ſibi à debitoribus debitis: in reliquis autem relinquat antiquos Canones, & conſtitutiones in ſua diſpo-

diſpoſitione. Videatur Mon. de Conſeru. cap. 7. q. 6. nu. 343. qui etiam hunc caſum excipit.

55 5. Id non obſcurè innuitur in illis verbis in fine huius §. poſitis *Contra quoſcumque procedere &c.* Et vult dicere, quòd Conſeruatores non poſſint procedere ad inſtantiam eorum, quorum ſunt Conſeruatores, contra quoſcumque reos exiſtentes extra Ciuitatem, & Diœceſim, in qua fuerint deputati Conſeruatores, trahendo illos ad ſuum tribunal. Sicut enim dixi hic ſupra, n. 46. quòd per illam elauſulam poſitam in cap. fin. *Aut aliquos vltra vnam dietam trahere*, poſſunt Conſeruatores cognoſcere de manifeſtis iniurijs, etiam quando Regulares erunt actores, ita etiam dico hic, cum hęc clauſula deſumpta ſit ex dicto c. fin. in quo etiam per illam *vltra vnam dietam trahere* declaratur. Quæ clauſula nō ideo hic omittitur, quia nolit Papa, fratres vt actores poſſe coram ſuis Conſeruatoribus dictos reos trahere, ſed quia non vult, vt poſſint eos vltra vnam dietam ſine Diœceſum trahere, quod ibi conceditur.

56 6. Tandem hanc ſententiam certam omnino reddit hæc declaratio ſacræ Congreg. *In conſtitutione de Conſeruatoribus edita à S. M. Greg. XV. ex ſententia ſacra Congreg. Concil. inter cætera ſtatutum eſt, vt coram Conſeruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios conuenire, aut trahere non poſſunt, ita vt memorati Conſeruatores in cauſis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorſus iuriſdictionem habeant, ſed in ijs tantum, in quibus rei extiterint.*

Dubitatur nunc, an per hæc verba ſublata ſit facultas, quam habent Conſeruatores defendendi Regulares, & alios à manifeſtis iniurijs, & violentijs, quæ illis de facto inferuntur, dum à ſuis poſſeſſionibus deijciuntur, & proprijs bonis vti, ac frui impediuntur.

Sacra Congreg. Card. Concil. Trid. interpretum cenſuit eiuſmodi verbis minimè ſublatam fuiſſe facultatem, quam habent Conſeruatores, defendendi Regulares à manifeſtis iniurijs, ac violentijs, dummodò obſeruent formam præſcriptā conſtitutionibus Innoc. IV & Boniſ. VIII. relatis in cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6. C. Card. de Torres. loco † ſigilli. Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr. Romæ ex Typographia R. Cameræ Apoſtol. 1624.

57 Aduerte etiam circa illam elauſulam, *Neque extra Ciuitates, ſeu Diœceſes*, &c. quòd habet duplicem ſenſum. Primum, quòd ipſi Conſeruatores exiſtentes extra Ciuitates, & Diœceſes, in quibus fuerint deputati, non poſſint Conſeruatoris officium exercere, bene tamen poterunt tunc alteri exiſtenti in loco, in quo ipſi deputati fuerint, ſuas vices cōmittere, vt Mon. de Conſ. cap. 7. q. 2. nu. 61. ChoKier de exempt. q. 39. n. 20. Secundum, quòd non poſſint ſuam iuriſdictionem exercere, niſi cum exiſtentibus in Ciuitatibus, & Diœceſibus, in quibus fuerint Conſeruatores deputati; ſecundum quem vtrumque ſenſum ſeruanda eſt. Poſtulat enim æquitas, vt minùs quàm fieri poteſt, partibus, pręſertim reis, præiudicetur. Videatur Rodriq. to. 1. q. reg. q. 65. art. 7. & 8. Mon. loc. cit. num. 376.

§. VII.

58 NOto, quòd idem ſtatuitur in Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 5. de refor. In iure autem de arbitris agitur in cap. Cum ſpeciali, cap. Secundò requiris, de appell. cap. Si quis contra Clericum, de foro comp. cap. Suſpicionis, de off. deleg. cap. Legitima de appell. in 6. & eod. lib. cap. Si contra vnum, de off. deleg. Vide quæ dico tom. 1. Relig. quæſt. 1. cap. 19. §. 1.

59 Quæres 1. an Conſeruator poſſint vt ſuſpectus recuſari.

℞. Si agatur de manifeſtis iniurijs Religioſis illatis ſecundùm formam cap. 1. & fin. de off. deleg. & pœna ſit à iure impoſita, nō poteſt vt ſuſpectus recuſari: quia tunc videtur ſe habere tanquam merus executor, qui cum grauare non poſſit, neque etiam poterit recuſari. Si verò pœna non ſit à iure impoſita, ſed illius arbitrio relinquatur tunc poterit recuſari; etiamſi iniuria ſit manifeſta. Ita Panor. in cap. Si quis contra Clericum, de foro comp. num. 11. Farinac. 1. p. prax. crim. q. 21. nu. 130. Vide ChoKier de exempt. p. 1. quæſt. 39. num. 33. & de conſer. p. 2. quæſt. 10.

60 In alijs verò cauſis, de quibus poteſt cognoſcere Conſeruator iuxta hanc conſtit. & in quibus Regulares rei ſunt, dico, quòd adhuc poteſt recuſari, per communia iura, cap. Si quis contra Clericum, de foro comp. & cap. Secundò requiris, §. Tertiò poſtulas, de appell. & Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de reform. & tunc eligendi arbitri, qui de cauſa recuſationis cognoſcant. Vide tom. 1. Relig. cit. Et ſi vis ſcire, propter quas cauſas poteſt iudex tanquam ſuſpectus recuſari, vide loc. cit. Relig. §. 2. Et aduerte, quod Conſeruator, ſi recuſetur, poteſt alteri cauſam ſubdelegare, tamen quia delegatus principis poteſt ſubdelegare. Vide Chokier de conſer. q. 10. num. 5.

61 Quæres 2. an à Conſeruatore poſſit appellari.

℞. In notorijs iniurijs, & violentijs appellari non poteſt, iam in notorijs non admittitur appellatio: cap. Cum ſit Romana, §. Sin autem; cap Peruenit; cap. Conſuluit, el. 1. cap. Cum ſpeciali, §. Porrò, de appell. & cap. Romana, §. Si autem, de appell. in 6. Et probat, quamplurimis Doctoribus adductis, Farin. 1. p. prax. crim. q. 21. num. 117. Quod tamen eſt intelligendum, niſi excederet in infligenda pœna. Idem Farin. ibid. num. 118. Abbas in cap. Cum ſpeciali, num. 3. & cap. Ad noſtram, num. 1. & cap. Reprehenſibilis, fine, & cap. De priore, num. 2. de appell. In alijs autem cauſis dubijs, de quibus ſecundum hanc conſt. poſſint cognoſcere Conſeruatores, poteſt ab eis appellari. Mon. de Conſ. cap. 9. nu. 176. Probatur ex c. Venientes, de iureiur. c. 1. de re iud. Appellandum autem ad Papam; Tuſch. verbo Conſeruatores, concl. 760. nu. 6. Anchar. conſil. 72. nu. 1. Innuit Gratian. in deciſ. prou. march. deciſ. 60. n. 3. Chokier de exempt. q. 39. n. 23. & de conſer. p. 2. q. 16. quia Conſeruatores dantur à Papa, cui immediatè ſubduntur Regulares. Non eſt tamen appellandum ab his, niſi poſt definitiuam ſententiam, vel interlocutoriam continentem grauamen, quod per definitiuam reparari non poteſt. Mon. loc. cit. n. 180. Quæ autem ſint grauamina, quæ per definitiuam reparari non poſſunt, Vide tom. 1. rel. cap. 2. verſu Aduertendum tamen, quæſt. 1.

§. VIII.

62 NOta, quòd Boniſ. VIII. cap. fin. quod incipit, Hac conſtit. de off. deleg. ſtatuit, quòd Conſeruatores excedentes limites in ſua iuriſdictione ſint eo ipſo ab officio ſuſpenſi, & pars, quę hoc fieri procurauerit, eo ipſo excommunicationem incurrat. Erat autem magna quæſtio inter Doctores, an illa ſuſpenſio, ab officio eſſet eccleſiaſtica cenſura, & priuaret ijs omnibus, quibus ipſa cenſura priuat, vt videri poteſt apud Mon. de Conſer. c. 7. q. 12. n. 160. Sed hic Pontifex hanc quęſtionem ſoluit, declarando, quòd ſolùm ſint ſuſpenſi per annum ab officio Conſeruatoris, poteſtateque illud exercendi: Et congruit, cap. Prouida, de elect. in 6. c. 1. de tranſlation. Epiſcopi.

63 Aduertendum tamen, quòd ad dictam ſuſpenſionem incurrendam in dicto cap. fin. requiritur ſcientia, dicit enim ibi Boniſ. VIII. *Conſeruatores, qui ſcienter ſe intromiſerint*, & licèt iſta particula hic ſit omiſſa; cum tamen velit, vt pars, quæ hoc fieri procurauerit, ſententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam dicti cap. fin. dicendum eſt, quòd etiam iuxta eamdem formam incurratur ſuſpenſio, ſi ſcilicet ſcienter ſe intromiſerint. Atque ita non incurreret dictam ſuſpenſionem, qui id faceret ex ignorantia, etiam craſſa, & ſupina, bene tamen qui ex affectata, aut ſi illa craſſa ita foret, vt eſſet ingens temeritas, iuxta ſententiam Suar. tom. 5. in 3. p. diſp. 31. ſect. 3. num. 17. & Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 32. nu. 36. & 39. Rodriq. to. 1. q. reg. q. 65. ar. 19. illa enim dictio, Sciēter, claram iuris notitiam denotat.

Quan-

Digitized by Google

Quando autem ignorantia ſit craſſa, & ſupina, vide Sanch. loc. cit. num. 32. 33.

64 Aduerte etiam, quod Conſeruator, qui fuerit ſic ſuſpenſus ab officio, elapſo anno, ſtatim abſque alia abſolutione eſt reſtitutus per ea, quę dixi ſupra, in cõſt. 1. Iulij II §. 16. n. 21. quando enim ſuſpenſio eſt temporalis, elapſo tempore, ſtatim ceſſat, vt ibi probaui.

65 Noto 2. quòd pars, quę ſcienter procurauerit Conſeruatores excedere limites poteſtatis traditæ hac conſtitutione, incurrit ſententiam excommunicationis eo ipſo, à qua non poteſt abſolui, niſi ei, quem ſic moleſtauit indebitè, primò ſatisfaciat integraliter de expenſis, quæ eſt forma poſita in c. Hac conſtitutione, quod eſt fin. de iud. deleg. in 6. Et licèt dicto c. fin. non ſit illa particula, Eo ipſo, tamen ex eo quòd ibi dicitur, *incurrat*, ſignificatur, illam pœnam eo ipſo incurri, vt notat Gloſſa ibi, verbo Incurrat.

66 Aduerte etiam, quòd qui id procurat, debet eſſe pars, non tertia perſona, & procuratio debet eſſe cum effectu, ideſt, quod Conſeruator, procurante parte, proceſſerit, vt Suar. to. 5. in 3. p. diſp. 23. ſect. 4. nu. 10. addita ratione, quam affert nu. 7. & iſta excommunicatio non incurritur, niſi à ſciente; vnde etiam ignorantia craſſa, & ſupina excuſat, iuxta dicta nu. 63. Ab ea autem ante compenſationem impenſatum nemo poteſt abſoluere, niſi ſolus Papa; poſt compenſationem poterit Epiſcopus. Azor p. 2. lib. 5. cap. 35. q. 13. Mon. de Conſer. c. 7. nu. 591. Licet etiam poſſit dici in ſententia eorum, qui tenent, quod ab excommunicatione nemini reſeruata poteſt quilibet ſacerdos abſoluere, quòd, cum hæc excommunicatio poſt compenſationem nulli reſeruetur, poſſit à quolibet ſacerdote abſolui. Vide Doctores hoc ſentientes apud Mon. loc. cit. nu. 590.

§. IX.

67 COncedit, quòd habentes Conſeruatorem, in caſibus à iure permiſſis, ideſt in quibus dicti erunt actores, poſſint petere iudicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſecularibus, qui iudex non ſit excommunicatus, neque ſuſpenſus, neque interdictus, modò has tres conditiones copulatiuè concurrant. Et ſi vis ſcire, quomodo cauſa dicatur profana, Vide deciſ. Rotæ coram Ludouiſio, deciſ. 174. n. 7. Hic cauſa profana dicitur ad differentiam cauſæ ſacræ, ſeu ſpiritualis, & eſt idem, quod cauſa temporalis.

68 Sed quid? ſi cauſa merè profana non ſit, ſed mixta, & ſpirituali adhærens, poterunt ne hoc caſu Regulares à Principe laico iudicem petere? Nequaquam. Nam res, quæ alteri digniori adhæret, ſumit naturam eius, vnde deſinit eſſe profana. Germ. de ſactor. imm. lib. 3. c. 12. nu. 10. Ad vltimum nota, quod Conſeru. tenentur ſub mortali, quando fuerint electi, acceptare. Probat Rodriq. loc. ſæpius cit. art. 4. niſi cauſa legitima excuſſet.

CONSTITVTIO VI.

Quæ eſt decretum ſacrę Congreg. Concil. in quo ſtatuit, quòd non fundentur noui Conuentus, niſi in ijs poſſint ſuſtentari duodecim fratres, & quòd alij Religioſi ibi habitantes vocentur.

Memorat conſtitut. Clement. VIII. quæ incipit, Quoniam apud Cherub. to. 3.

§. 1. *CVm alias fel. recor. Clemẽs Papa VIII. decreuerit Ordinarius locorum licentiam ad nouos Conuentus cuiuſcumq; præſertim Mendicantium, Ordinis in Ciuitatibus, & locis, eorum ordinariæ iuriſdictioni ſubiectis erigendos impertiri non poſſe, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus; & cauſa, ſeruatis ſeruandis, cognita, in iiſdem Ciuitatibus, & locis nouos huiuſmodi erigendos Conuentus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe conſtiterit: Si verò ab eorum ſententijs ad Sedem Apoſtolicam prouocari, & appellari cõtigerit, ipſos Ordinarios tamdiu erectionem nouorum Conuentuum ſuſpendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit, ac aliàs, prout in decreto huiuſmodi plenius continetur.*

bull. conſt. 99. pag. 146.

§. 2. *Verùm per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, pleroſque ex Ordinarijs prædictis fauore, vel nimia expoſcentium importunitate, ad nouos Conuentus, ſeu domus, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos plerumq; adduci, quo fit, vt, non habita debita eleemoſynarum, ſeu redituum cuiuſcumq; Monaſterij, Conuentus, ſeu domus ratione, Monachi, ſeu fratres, aut Religioſi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus diuinus in eorum Eccleſiis deſtituatur, ibique regularis diſciplina, vt conuenit, conſeruari non valeat. Sacra Congregatio illuſtr. DD. Cardinalium, negotijs Regularium prepoſitorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiuſmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiuſmodi veriores, ac totos tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habens, viua vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, decretum prædictum, quatenus opus ſit, innouat, & in vſum reducit. Volens, quòd de cætero Monaſterium, Conuentus, domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium cuiuſcumque etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Inſtituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamſi de illis particularis, expreſſa, & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacumq; Ciuitate, vel Oppido, ſeu quocumque alio loco non erigantur, niſi in eo ſaltem duodecim fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex redditibus, & ex conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant; ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conuentuum, ſeu domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, ſeu Inſtitutorum huiuſmodi, non ſolùm in prædictis, ſed etiam in alijs per quatuor millia paſſuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliàs Ordinarijs locorum conſtiterit, Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeu domus regularis ſic erigendi ſeu erigendæ, abſque detrimento Religioſorum in Monaſterijs; ſeu domibus antea in Ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe.*

Conuẽtus non fundantur niſi vbi 12. fratres ſuſtentari poſſint; & vocẽtur alij fratres, etiã circumuicini ad quatuor millia paſſuum.

§. 3. *Si verò noui Conuentus, domus, Congregatio, vel Societas huiuſmodi inſtituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant huiuſmodi duodecim Religioſos in Conuentibus, vt præmittitur, inſtituendis commodè alere, & manutenere valeant.*

Vbi nulli alij Regulares habitãt, Epiſcopi ab incolis inquirant, an poſſint 12. fratres commodè alere.

§. 4. *Si verò à decreto, ſeu decretis per Ordinarios prædictos in cauſis huiuſmodi ferendis legitimè appel-*

lari

Digitized by Google

In caſu appellationis totum negotium ad Cong. deuoluatur.

lari contigerit, ex nunc, prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eamdem ſacram Congregationem, vnà cum toto negotio principali deuoluta cēſeatur; appellationeq; huiuſmodi pendente, nihil innouandū eſſe.

Decretum irritans.

§. 5. *Irritumque, & inane quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernēs; quibuſcūq. in contrarium facien. non obſtātibus. Romæ 17. Aug. 1621. Aut. Card. Saulius. locus † ſigilli. N. Zambeccarius Secret.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 Vide quæ dico ſupra, in conſt. Pyrrhi nu. 48. & 49. Et nota, quòd non dicitur acquiri nouus Conuentus, quando in eadem Ciuitate, vel Oppido fit mutatio de vno ad alium locum. Ita Rodriquez tomo 2. quæſt. regul. quæſt. 49. artic. 9. Quia tunc nullum fit præiudicium alijs Religioſis, niſi fortè per accidens, ratione propinquitatis. Et ratio eſt, quia locum mutantes iam habent ius eleemoſynas quærendi in dicta Ciuitate, vel Oppido.

2 Nota etiam, quòd ſi aliqui Regulares omnino dereliquiſſent, & ſpontè aliquem Conuentum, non poſſent poſt multum temporis abſque ſolemnitatibus hic requiſitis illum reaſſumere; quia poſſent eſſe damni alijs Religioſis, eo tempore ibi habitantibus. Contrarium ſentit Rodriq. loc. cit.

VRBANVS VIII.

Italus, Florentinus, Thadæi Barberini filius, ad ſummum Pontificatum aſſumptus anno Domini 1623. die 6. Auguſti, dedit Ordini noſtro infraſcripta.

CONSTITVTIO I.

Confirmat priuilegia Minimorum ex certa ſcientia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

INiuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt ſacrarum Religionum in militanti Eccleſia ſuaues in Domino fructus aſſiduè præſtantium, paternam curam gerentes, priuilegia, gratias, & indulta, illis à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſa, quò validiùs perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

Confirmat prout in ſūmario.

§. 1. *Volentes igitur vniuerſum Ordinem fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, ex quo vberrimi in eadem Dei Eccleſia fructus, ad ipſius omnipotentis Dei laudem, & chriſtianæ Reipub. ſpirituale commodum, & vtilitatem, ab ipſius Ordinis initio ſemper prodierunt, & in dies prodeunt, ac ipſius Ordinis Correctorem generalem, & fratres vniuerſos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi, ac eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine per dilectum filium Deodatum Lomellinum fratrem, & Procuratorem generalem eiuſdem Ordinis, nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, conſeruationes, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum alijs Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium; eidem Ordini Minimorum, eiuſque Correctori generali, ac fratribus, & ſororibus, alijſque Religioſis vtriuſque ſexus, eorumque domibus, Monaſterijs, Eccleſijs, & locis regularibus quibuſcumque per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem, ſub quibuſcumque verborum formis, & expreſſionibus, in genere, vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet conceſſa, ac pluries confirmata, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, & declarationibus, ac ſingulas literas, tam ſub plumbo, quàm in forma Breuis, aut aliàs deſuper confectas, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, quatenus tamen ſint in vſu, & non ſint reuocata, ſeu ſub aliquibus reuocationibus comprehenſa, ac ſacris Canonibus, & Concilij Trid. decretis non aduerſentur, ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ſupplemus.*

Commiſſarios deputat.

§. 2. *Quocirca venerab. fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, alijſque locorum Ordinarijs quibuſcumq; necnon dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum,*

quan-

quandocũq; fuerint requiſiti, per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quãdo opus fuerit, & quoties pro parte Correctoris generalis, & fratrũ prędictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eaſdem plenum eorum effectũ ſortiri, illiſq; omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; Non permittentes, quempiã deſuper contra præſentium tenorem ſub quouis prætextu, & cauſa, etiam defectu intentionis noſtræ, per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari; quinimmo quicquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omnino ſemper in priſtinum reponi; contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quaſcumq; de quibus eis videbitur, cẽſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac, legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Derogat cõtrarijs.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dũmodò vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijſque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinum prædictorum ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, nõ autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, etiam quòd in eis caueatur expreſſè, quòd illis nullatenus, aut non niſi ſub certis modo, & forma derogari poſſit, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus derogamus, contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 4. Verum quia difficile foret præſentes literas, vbicumque opus eſſet, deferri, volumus, & pariter auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd illarum tranſumptis, manu alicuius ex Secretarijs cuiuſuis prædictorum Prælatorum generalium, ac Romanæ Curiæ Commiſſarij, & ſucceſſorum, aut Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo officij alterius eorumdem, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ eccleſiaſticæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcat. die 28. Iunij, 1624. Pontific. noſtri anno 1.

CONSTITVTIO II.

Concedit, quòd fratres Minimi ſe poſſint obligare ad ſuffragia perpetua.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Apoſtolicam decet benignitatẽ vltimis piè teſtantium voluntatibus fauere, &, vt illæ ſuum ſortiantur effectum, etiam ſtrictiorum Ordinum regularia inſtituta interdum relaxare, maximè cum relaxatio huiuſmodi ad diuini cultus incrementum tendere dignoſcitur, & vota perſonarum regularium, præſertim reformatarum, hoc à nobis expoſcunt.

Motiua, & facti narratio.

§. 1. Sanè nobis exponi nuper fecit dilectus filius Bartolomæus Leuius Prouincialis Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula in Prouincia, & Comitatu noſtro Venaiſſino, quòd de anno Domini 1609. tunc in humanis agens Magdalena de Lagnet, dum viueret Domina in temporalibus Oppidi de Cauſans, deuotionis zelo ducta, titulo donationis irreuocabilis, quæ dicitur inter viuos, donauit dicto Ordini ſeptem millia ſcuta monetę, duo millia videlicet ad effectum conſtruendi Eccleſiam ſub inuocatione Aſſumptionis Diuæ Genitricis, Mariæ, & Conuentum dicti Ordinis in Ciuitate Carpentoraten. & quinque millia ſcuta ad ſuſtentationem 12. Religioſorum dicti Ordinis, electa per ipſam ſepultura in dicta Eccleſia, ſub Sedis Apoſtolicæ beneplacito ſic conſtruenda, pro eius corpore humando, oneratiſque eius hæredibus, quiqui fuerint, vt ſi ipſa non dediſſet dicta ſcuta ſeptem millia Ordini prædicto ſtatim, ea functa vita, darent ipſi duo millia ſcuta ad effectum prædictum Prouinciali dicti Ordinis pro tempore præſenti: reliqua verò quinque millia ſcuta darentur in penſionem annuam ad fauorem dicti Conuentus. Cumque pro dicta Eccleſia, & Conuentu conſtruen. locus commodus in dicta Ciuitate non reperiretur, bonæ mem. Horatius tunc Epiſcopus Carpentoraten. Oratorium prope, & extra mœnia caſtri, ſeu fortalicij loci de Venaſco Carpentoraten. Diœceſis, ad menſam illius epiſcopalem ſpectans, ac minimè collatiuum, eiſdem fratribus obtulit; ipſaque Magdalena donatrix requiſita de eius conſenſu dictis fundationi, & donationi eiuſdem præſtando, anno Domini 1613. declarauit, ſe gratum habere, dictam Eccleſiam, & Conuentum, per eam fieri ordinatum, in Ciuitate Carpen. fieri, & erigi in dicto Oratorio, quatenus ſupradictus Horatius Epiſcopus illud, ſub dictæ Sedis Apoſtolicę beneplacito, à menſa epiſcopali diſmembrare, & ſine aliquo onere pro conſtructione dictę Eccleſię liberare concederet. Et nihilominus idem Horatius Epiſcopus Oratorium prędictum non purè, & liberè dictis fratribus conceſſit iuxta mentem Fundatricis, immo ſub diuerſis oneribus, & conditionibus: Vnde mortua dicta Magdalena de anno eiuſdem Domini 1615. inſtitutis hęredibus vniuerſalibus dilectis filijs Presbyteris doctrinę chriſtianę Aueniionẽ. introductoq; iudicio in Rota pro cõſecutione dictorum ſeptem millium ſcutorum ad effectum prędictum, fuit denegata pro tunc executio, quia aſſignatio

duti

Digitized by Google

dicti Oratorij non fuerat facta liberè: Quod vt componeret fel. rec. Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter, ad ſupplicationem venerab. fratris Coturi moderni Epiſcopi Carpentoraten. & dilecti filij Ioannis à Turre tunc Prouincialis Ordinis Minimorum in dicta Prouincia, & Conuentu Venaiſſino, onera quæcumq; in dicto Oratorio appoſita Apoſtolica auctoritate in Conuentum Aueniouen. eiuſdem Ordinis tranſtulit, Oratoriumq; prædictum in omnibus, & per omnia exonerauit; iterumq; petita exequutione in Rota, & oſtenſa liberatione Oratorij, fuit relaxatum mandatum.

Motiua aduerſario. ū pro non ſoluendo legato.

§. 2. *Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dicti aduerſarij more reorum ſolutionem dictorum ſeptem ſcutorum millium effugere, aut ſaltem protrahere omni eorum conatu ſatagentes, dederint vltimo loco de obſtantia Regulæ dicti Ordinis Minimorum, qua expreſſè cauetur, ne dicti Religioſi, qui ſub perpetua quadrageſimali vita, & ex mendicatis eleemoſynis viuunt, perpetuas miſſas, ſeu aliqua ſuffragia perpetuò, particulariter, & in ſpecie, ac vltra quinquaginta annos ſuſcipere valeant; Cumque donatio prædicta habeat huiuſmodi onera, & conditiones requiſitas, licèt credatur, eas omnino fore reijciendas, ac fauore piæ cauſæ, Eccleſiæ ſcilicet conſtruendæ, ac alimentorum dictis duodecim Religioſis præſtandorum, iuris interpretatione haberi pro non appoſitis, concurrente præſertim indulto ex literis bonæ mem. Cardinalis SS. quatuor Coronatorum olim ſummi Pænitentiarij, quibus concedebatur fratribus prædictis facultas acceptandi in poſterum dicta onera, quamuis perpetua, miſſarum, abſque conſcientiæ ſcrupulo, Regula prædicta non obſtante, ac attenta etiam reſolutione aliàs capta in generali Capitulo in Ciuitate Iannen. celebrato, non eſſe eſſentiale in Regula, quòd fratres non poſſint ſe obligare ad onera perpetua; Nihilominus, quia poſtmodum in actis Capituli generalis habiti Paulæ Regula prædicta confirmata fuit, & receſſum à reſolutionibus captis in Capitulo Iannæ, actaque, & receſſus prædicti fuerunt à fel. rec. Paulo Papa III. ſimiliter prædeceſſore noſtro in forma ſpecifica confirmati.*

Concedit, vt poſſimus acceptare legatum cū perpetuo onera miſſarum. Vide ſupra in conſt. 4. Iul. II. à n. 18.

§. 3. *Idcirco ad tollenda omnia ſubterfugia partis, penes quam effici non poteſt, vt pecuniæ, vt ſupra, donatæ remanere debeant, ac vt celerius pro diuini cultus incremento, & pro obſeruatione voluntatis prædictæ donatricis, Eccleſia, & Conuentus præfati ædificari poſſint, neq; diutius ſuum cadauer inhumatum deſeratur, quæ ipſo ſepeliendo dictam Eccleſiam proprijs impenſis extrui mandauit. Nos eumdem Bartholomæum Prouinciales ſpecialis gratiæ fauore proſequi volentes, necnon à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, porrectis nobis pro parte ſua ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, acceptationem prædictæ donationis in Capitulo generali dicti Ordinis iam factam cum onere celebrandi, ſeu celebrari faciendi vnam miſſam ſubmiſſa voce omnibus diebus dominicis, & alijs de præcepto Eccleſiæ feſtiuis in perpetuum in Capella loci de Cauſans, conditione item ſuperaddita, quòd preces, ſeu horæ publicæ, canonicæ, quæ dietim in dicto Conuentu, & Eccleſia ſic conſtruenda dicuntur, matutinum ſcilicet laudes, prima, tertia, ſexta, nona, veſperæ, & completorium, necnon etiam miſſa, quæ conuentualis dicitur, & ſolet à dictis fratribus celebrari in omnibus eorum Eccleſiis pro ſalute animarum earumdem Eccleſiarum fundatorum, ac aliæ omnes miſſæ, votiuis exceptis, dicantur, & applicentur ad intentionem ipſius Fundatricis, iuxta formam inſtrumentorum dictarum donationum, dummodò tamen dicta donatio, vt præfertur, in Capitulo generali præterito fuerit acceptata, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, eidemque Religionis, & fratribus, ſeſe ad onera in dicta donatione vt præfertur, iniuncta, quamuis perpetua, præmiſſis non obſtantibus, obligare poſſint, concedimus, & indulgemus, eoſdemq; ad præmiſſa dicta auctoritate ad effectum executionis donationis prædictæ efficaciter, & opportunè habilitamus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti, & ſolemnitatum defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus; dictamque acceptationem cum oneribus, & conditionibus præfatis factam ſubſiſtere.*

Decretum irritans, cū derogatione cōtrariorum.

§. 4. *Sicque per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 14. Ianuar. 1625. Pontif. noſtri anno 2.*

CONSTITVTIO III.

Concedit indulgentiam plenariam viſitantibus Eccleſias Minimorum ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis.

VRBANVS PAPA VIII.

Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſal. & Apoſtol. bened.

Concedit prout in ſū mario. Vide conſt. 2. Pauli V.

§. 1. *AD augendam fidelium religionem, & animarum ſaluti cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti; omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Eccleſiam SS. Trinitatis in monte Pinceo de Vrbe ſingulis primis ſextis ferijs cuiuslibet menſis ab ortu Solis, vſque ad occaſum dierum huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & inibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

Concedit 7. annos, & totidē quadragenas viſitantibus ſin-

§. 2. *Inſuper eiſdem Chriſti fidelibus ſimiliter verè penitentibus, et confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui dictam Eccleſiam in ſingulis alijs ſextis ferijs totius anni, vt præfertur, viſitauerint, & orauerint, quo die*

gulis quibuſque diebus veneris Eccleſ. Minimorum. prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus ad decennium citra annum iubilai valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcat. die 7. Octobris, 1625. Pontif. noſtri anno 3.

CONSTITVTIO IV.

Iubet ſub pœna excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ne ex Bibliotheca Genuenſi Ordinis Minimorum extrahantur quomodolibet libri.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Mãdat prout in ſummario. §. 1. *Conſeruationi, & manutentioni Bibliothecæ domus regularis Ieſu Mariæ nuncupatæ Ianuenſis, Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac dilectum filium Laurentium de Petrinis Prouincialem Prouinciæ Ianuenſis eiuſdem Ordinis ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, ipſumque & dictæ domus ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; ſupplicationibus eiuſdem Laurentij Prouincialis nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Ne de cætero quiſquam, quauis auctoritate fungens, quoſuis libros, quinterna, folia, ſiue manu ſcripta, ſiue impreſſa, dictæ Bibliothecæ hactenus aſſignata, & in poſterum aſſignanda, quouis quæſito colore, vel ingenio, cauſa, vel occaſione, è dicta Bibliotheca extrahere, ſiue, vt extrahantur, vel remoueantur, permittere quoquo modo audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus.*

Derogat contrarijs. §. 2. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, domus, ac Ordinis huiuſmodi, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumq; Volumus autem, quòd præſentis prohibitionis copia in valuis dictæ Bibliothecæ, aut aliquo alio perſpicuo loco, vnde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat, die 13. Febr. 1625. Pontific. noſtri anno 2.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 NOto 1. quòd iſta excommunicatio, & pœna priuationis non incurrit ipſo facto, ſed eſt inferenda per iudicis ſententiam; & ad eam incurrendam requiritur magna temeritas, hoc enim dicunt verba *Audeat*, & *præſumat*. Vnde bona fides & ignorantia, etiam craſſa, excuſaret, vt dixi ſupra in conſt. 5. Greg. XV. n. 63. Eſt tamen pœna priuationis poſt declarationem perpetua, quia ponitur indefinitè, quod perpetuo æquiualet, vt dixi ſupra in conſtit. 2. Sixti V. num. 4 Ab ea verò ſic inflicta nullum Prælatum Religionis, neque etiam Capitulum generale puto poſſe rehabilitare, ſed eſſe recurrendum ad Papam, per ea, quæ dixi ſupra in conſtit. 6. Iulij II. num. 25.

2 Noto 2. quòd cenſendi ſunt libri dictæ Bibliothecæ aſſignati, quando in ea ſunt repoſiti ab habente auctoritatem, Prælato nimirum, & Bibliothecario, & deſcripti in manuali dictæ Bibliothecæ, & ſunt omnino, & liberè Conuentus.

3 Noto 3. quòd hi, ad quos incumbit cura dictæ Bibliothecæ, vt Superiores, & Bibliothecarij, ſi permittant extrahi, vel remoueri libros à dicta Bibliotheca incurrunt dictas pœnas; ſiue id faciant directè, ſiue indirectè: Vbi enim aliquid directè permiſſum non eſt, nec etiam conceditur per indirectum; per regulam Cum quid vna via, quæ eſt 84. de reg. iur. in 6. & habet Menoch. lib. 2. conſil. conſil. 181. num. 53. Subditi autem, & alij, ad quos non incumbit, id permittentes, putarem non incurrere has pœnas; niſi poſitiuè inuitarent ad extrahendum, & remouendum: tunc enim tamquam principaliter extrahentes iudicandi eſſent: & valeret illa regula, *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*. Permittentes autem ſolùm negatiuè licèt excuſarem ab his pœnis, non excuſarem tamen à peccato, etiam mortali, contra iuſtitiam, qua tenentur res, & bona Religionis tueri, & defendere pro poſſe; arg. cap. Nulli dubium 5. quæſt. 1.

Noto 4. quod iſte Pontifex aliam ſimilem conſtitutionem fecit pro Collegio noſtro S. Franciſci de Paula de Vrbe, ſed pœnæ ſunt ipſo facto, vt habetur to. 4. bull. in conſt. eius 95. fol. 42.

CONSTITVTIO V.

Reducit onera miſſarum perpetuarum ad rationem ſcutorum quinquaginta monetæ Romanæ.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. *EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Deodatus Lomellinus Ordinis S. Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum Procurator generalis, quòd domus regularis fratrum dicti Ordinis Ianuen. tot oneribus miſſas in eorum Eccleſia per fratres huiuſmodi celebrari faciendi, ratione diuerſorum legatorum, à diuerſis perſonis dictæ domui ea propter relictorum, quorum aliqua exigua, & oneri ex illis emergenti imparia ſunt, grauata exiſtit, vt fratres dictæ domus illis ſatisfacere nequeant. Quare dictus Deodatus nobis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.* Supplicatio.

§. 2. *Nos igitur dictum Deodatum, ac ipſius domus Priorē, & fratres ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium* Concedit prout in sũmario.

tium

tium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerab. fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſacri Concilij Trid. interpretum conſilio, onera, ſeu & miſſas huiuſmodi ad rationem ſcutorum quinquaginta monetæ Romanæ pro qualibet miſſa quotidiana perpetua reducimus. Decernentes, per celebrationem miſſarum ſic reductarum, ſaluti animarum eorum quorum intentione miſſæ ſic reductæ fundatæ fuerunt, ſuffragari perinde, ac ſi illæ verè, & realiter, ac cum effectu celebrarentur, dictæq; domus pro tempore Priorem, & fratres deſuper à quoquam quauis auctoritate moleſtari, perturbari, vel inquietari non poſſe.

Decretum irritans.

§. 3. *Irritumq. & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrarijs.

§. 4. *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, domuſque & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcat. die 13. Iulij, 1626. Pontif. noſtri anno 3.*

CONSTITVTIO VI.

Statuit, quòd Collegium, ſeu Conuentus S. Franciſci de Paula Ordinis Minimorum, ſitum in regione montium, iuxta palatium Monaſterij S. Petri ad vincula, & per bonæ mem. Io: Pizzullum Presbyt. Calabrum ex Oppido Regina, Biſinianen. Diœc. oriundum fundatum, perpetuis futuris temporibus à Religioſis dicti Ordinis ex Prouincia Calabriæ tantùm, & non ab alijs ex quacumque alia Prouincia, & natione gubernetur, & administretur.

VRBANVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemiū.

INter cætera cordis noſtri deſiderabilia, eà quoque ex debito paſtoralis officij, noſtri humeris licèt imparibus diuina dumtaxat diſpoſitione impoſiti, non modicè nos vrget cura, vt inter Christi fideles quoslibet, præſertim religioſas perſonas, ſub ſuaui vnius, & eiuſdem Inſtituti iugo, & charitatis vexillo Altiſſimo famulantes, præcluſo diſcordiarum, & zizaniarum inimici hominis ſementorum aditu, pax, & concordia vigeant, piorum teſtantium voluntates adimpleantur, & inuiolabiliter obſeruentur, ac Regularium loca ad diuinum cultum propagandum, & ignorantiæ caliginem diſcutiendum, ſacræque paginę doctrinam, qua mediante vberiores in vinea dextra Domini plantata fructus colligi, & animarum ſalus procurari noſcuntur, adipiſcendam, libere deſtinata promoueantur, & propterea, ne ſucceſſu temporis aliquid contra deſideriorum noſtrorum huiuſmodi diſpoſitionem auſu temerario fieri, vel attentari contingat, ſacri Apoſtolatus officij noſtri partes interponimus, ac aliàs vltro diſponimus, prout, rerum, temporum, locorum, & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, conſpicimus in Domino validiùs expedire.

§. 1. *Cum itaque, ſicut nobis innotuit, quondam Io: Pizzullus Presbyter, dum vixit, Calaber, ex Oppido Reginæ, Biſinianen. Diœc. oriundus, Vrbis tamen incola, & ciuis, pio charitatis affectu, & ſpiritali erga nationem citerioris Calabriæ beneuolentia, & amore ductus, in vltimo per eum condito, ſub cuius diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento, in omnibus ſuis mobilibus, & immobilibus, ac ſe mouentibus bonis, iuribus, actionibus, creditis, alijſque quibuſcumque quomodolibet nuncupatis, & qualificatis, dilectos filios Correctorem, & fratres, ſeu Conuentum domus regularis S. Andreæ de Frattis nuncupati de Vrbe, Ordinis fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula hæredes ſuos vniuerſales inſtituerit, & inter cætera ordinauerit, quòd ſumma ſex mille ſcutorum monetæ ad minus in emptionem alicuius fundi in prædicta Vrbe per dictos Correctorem, & fratres, ſeu Conuentum impendi, & in ipſo fundo Eccleſiam ſub inuocatione eiuſdem S. Franciſci de Paula, vnà cum hoſpitio, ſeu Collegio extrui; ac in eodem hoſpitio, ſeu Collegio fratres Ordinis, & nationis prædictorum ſtudiorum cauſa recipi, & commorari, illiſque de victu, & alijs ad ſtudiorum proſecutionem neceſſarijs prouideri, & ad eum effectum, ac pro ſeruitio, & vſu ſolùm dictorum fratrum ſtudentium omnes alij redditus hæreditatis ſuæ erogari, & conuerti deberent; ac omnem bonorum dictæ hæreditatis in toto, vel parte alienationem, ex quacumque etiam vrgentiſſima cauſa prohibuerit, volens, quòd bona huiuſmodi ſemper ad effectum, vt ex fructibus inde pro tempore prouenientibus in dicto hoſpitio, ſeu Collegio fratres ſtudētes Ordinis, & nationis huiuſmodi manuteneri, & ali poſſint, & debeant, conſeruarentur; quòdq; numerus ipſorum fratrum fructibus huiuſmodi, & expenſis pro eorum manutentione neceſſarijs ad arbitrium Cardinalis Protectoris Ordinis, & executorum teſtamenti huiuſmodi pro tempore exiſtentium correſponderet ſeu proportionatus eſſet; necnon inter ipſos fratres ſtudētes, eos, qui quouis modo domum maternam dicti teſtatoris, videlicet illorum de Grilli, etiam vſque ad quartum gradum excluſiuè, conſanguinitate attigerint; & deinde eos, qui ex dicto Oppido oriundi forent, ac ſucceſſiuè illos, qui ex Prouincia Calabriæ citerioris; & vltimò, ſi aliqua loca ſupereſſēt, eos, qui ex Prouincia vlterioris Calabriæ orti exiſterēt, in ipſo hoſpitio, ſeu Collegio præferri; & in euentum, in quem dicti hæredes, vel fratres dicti hoſpitij, ſeu Collegij pro tempore exiſtentes hæreditatē huiuſmodi cū cōditionibus prædictis, & alijs oneribus per ipſum teſtatorem iniunctis, acceptare vel, eà acceptata, conditiones, ac onera huiuſmodi adimplere nollent, aut etiam pro vna vice in quauis etiam, quantumuis, minima, parte diſpoſitionem teſtamentariam huiuſmodi tranſgrederentur, tunc, & eo caſu etiā*

Io: Pizzullus inſtituit hæredes fratres Conuentus S. Andreæ de Frattis cum conditione fabricandi Collegium inhabitandū, ſolum à fratrib. ſtudētibus citerioris Calabriæ.

 volue-

voluerit,& mandauerit,vt omni cōmodè,& beneficio hæreditatis prædictę priuati remanerent,in eoq; fratres Congregationis Colloreti nuncupatæ,ſub regula,& habitu S. Auguſtini militantes,& in Prouincia Calabriæ citerioris prædictæ fundatæ ſuccederent,eoſdem fratres dictæ Congregationis ipſis hæredibus, vel fratribus hoſpitij,ſeu Collegij huiuſmodi in dicta hæreditate ex tunc cum eiſdem cōditionibus,& oneribus ſubſtituendo:Deinde parochiali Eccleſia SS.Sergij, & Bacchi de eadem Vrbe , vnà cum dilectorum filiorum illius parochianorum animarum cura,per dilectum filium tunc exiſtentem Miniſtrum generalem dicti Ordinis à fel.rec. Gregorio Papa XV. prędeceſſore noſtro Ordini prædicto,ad effectum Collegium huiuſmodi conſtruendi concedi obtenta; Idē teſtator volens per ſe ipſum ſuam huiuſmodi diſpoſitionem ad effectum producere , quoddam palatium in dicta Vrbe,& regione montium, iuxta Monaſterium S.Petri ad vincula nuncupati ſitum, vnà cum viridarijs, membris, & pertinentijs ſuis, à dilecto filio nobili viro Io: Georgio Cæſarino Duce Ciuitatis Nouæ emerit,illudq; ſic emptum dicto Ordini ad effectum inibi Eccleſiam,& hoſpitium,ac Collegium huiuſmodi cōſtrui faciendi,cū onere,quòd ipſi Corrector,& fratres , ſeu Conuentus dictum palatium ad vſum Collegij pro habitatione fratrum dicti Ordinis, theologiæ operā nauantium nationis citerioris Calabriæ huiuſmodi, reducere,ſeu reduci facere debeāt, & in reliquis ſub eiſdem conditionis,oneribus, caducitatibus, modoq; & forma in dicto teſtamento contentis, irreuocabiliter inter viuos perpetuò donauerit,ſubindeq; dilectos etiā filios Io: Baptiſtam à S. Agatha,& Franciſcum de Spezzano,ac Dionyſium de Paula,necnon Vincentium de Conſentia & Laurentium etiam de Spezzano , ac Michaelem à Regina,& Paulum de Ruito,necnon Ioannem etiam à Regina,& Antonium de Morano fratres dictum Ordinem expreſsè profeſſos,& ex citeriori Calabriæ huiuſmodi oriundos,in dicta domo S.Andreæ tunc commorantes,in actualem,& corporalem poſſeſſionem palatij, & viridariorum , aliorumque membrorum , & pertinentiarum prædictorum introduxerit;ipſiq; denique ſic introducti Superiorum auctoritate Capellam,ſeu Oratorium ſub inuocatione eiuſdem S. Franciſci de Paula, in quadam parte eiuſdem palatij exiſtentem , ſeu exiſtens ornauerint,& clauſuram Cōuentus appellauerint; illis verò ordinationē ipſius conditionis exactius adimplere deſiderantibus, dictus teſtator, & donator, ſicut Domino placuit,ad hac vita deceſſerit,ac poſt eius obitum fratres dictæ domus S. Andreæ conſiderantes , ipſum teſtatorem , & donatorem nationis ſuæ Religioſos ex dicto eorum Ordine exiſtentes Collegio huiuſmodi honorare voluiſſe, omniaq; ad eorū vſum, & vtilitatē deſtinaſſe,& cōſequenter ſicut onera diuerſa ſic & bonorum huiuſmodi adminiſtrationem eis demandare in animo habuiſſe,dictumq; Io:Baptiſtam prædicti Collegij Vicariū deputatum,& pro tempore exiſtētes illius Superiores idoneos , & opportunos dictæ hæreditatis adminiſtratores,& voluntatis eiuſdem teſtatoris, & donatoris diligētes obſeruatores,& executores futuros eſſe perſpicientes,de eiuſdem tunc exiſtentis generalis,ac dilectorum ſimiliter filiorum dicti Ordinis, illiuſq; Collegarum aſſenſu,& cum interuentu,& præſentia tā dictorum Collegarum,quā etiam dilecti pariter filij noſtri Hippolyti S.Mariæ Nouę Diaconi Cardinalis Aldobrādini nuncupati,moderni eiuſdem Ordinis Protectoris, ſeu eius Auditoris ad id ab eodē Hippolyto Cardinale ſpecialiter deputati,ac ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito acceptatā per eos dicti teſtatoris hæreditatem,omneque commodum,& incommodum illius,necnon ſua , & dictæ domus S. Andreæ iura , & actiones quæcumq; eis,& eorum cuilibet quomodolibet attributa,ac competētia,& competitura,cum omnibus,& ſingulis conditionibus,oneribus ,vinculis, & pœnis in dicto teſtamento contentis , in prædictum Io: Baptiſtam Vicarium,pro ſe,ac ſucceſſoribus ſuis,dictoq; Collegio, & illius Religioſis acceptātem,& eiuſdem Collegij Superiorem,& collegiales , ſeu Religioſos pro tēpore exiſtentes tranſtulerint;ac Io:Baptiſtā,& pro tēpore exiſtētes dicti Collegij Superiores, & collegiales, ſeu Religioſos prędictos,veros,& proprios adminiſtratores,procuratores,generales geſtores, & agētes totius hæreditatis prædictæ, cum facultate illā regendi,gubernandi, & adminiſtrandi, regique gubernari, & adminiſtrari faciendi,necnon Conuentum,& Eccleſiam,ac domum regularem erigendi,& fabricandi,omniaq; & ſingula faciendi,& adimplendi,ad quę ex diſpoſitione teſtamenti,& donationis prædictorum obligati fuerūt,conſtituerint ; poſtmodùmque idem Gregorius prædeceſſor ſupplicationibus teſtatoris,& donatoris,ac Io:Baptiſtæ,& Franciſci de Spezzano prædictorum inclinatus , donationem prædictam,ac deſuper confectum inſtrumentum Apoſtolica auctoritate approbari,& confirmari mandauerit:Ac inſuper nos tranſlationem,& donationem, ac inſtrumentum huiuſmodi eadem auctorisate approbauerimus,& confirmauerimus, prout teſtamento, ac inſtrumentis,ſingulisq; literis Apoſtolicis exinde confectis plenius continetur.Ex forma verò,& tenore tam teſtamenti,quàm donationis huiuſmodi clarè,& manifeſtè appareat,dictum teſtatorem Collegium prędictum pro Religioſis ſuę nationis tantùm,& non pro alijs fundare,& dotare,ac eamdem nationem ſuam ſpeciali hoc beneficio,ad teſtandam,& declarandam ſui erga patriā animi pietatem,proſequi voluiſſe, & fratres dictæ domus S. Andreæ intentionem eiuſdem teſtatoris , & donatoris talem fuiſſe exiſtimantes , adhærendo , ad tranſlationem,& ceſſionem prædictas ſponte,& libenter deuenerint:Ac ab eo tēpore citra dictus Io:Baptiſta Vicarius,& Frāciſcus,ac Dionyſius,necnō Michael,& Paulus,ac Ioannes;& Antonius prædicti hæreditatem huiuſmodi,illiuſq; bona, ac dictum Collegium adminiſtrauerint , & gubernauerint . Et licèt tam ipſi , quàm poſtea alij Religioſi dicti Ordinis , ex dicta natione oriundi,ſuper libero gubernio,regimine,& adminiſtratione eiuſdem Collegij,& illius bonorum moleſtari,& in ipſo Collegio alij Religioſi,quàm ex dicta Prouincia Calabriæ citerioris orti recipi,& commorari non poſſe videatur : Nihilominus quia ſucceſſu temporis facilè contingere poterit, vt Religioſi aliarum Prouinciarū , & nationū in Collegio prædicto recipi,& ad illius regimen,& gubernium aſſumi petant,& procurēt;Id autem non ſolum menti,& intentioni dicti teſtatoris omnino contrarium,ſed etiam Religioſis dictæ Prouinciæ Calabriæ graue præiudicium allaturum eſſe; exindeque probabile ſit , inter Religioſos dicti Collegij rixas , odia,contentiones,& diſſidia,aliaq; non leuia inconuenien-

Digitized by Google

nientia, cum graui ſtatus dicti Collegij perturbatione, & forſan totali illius ruina, & excidio, ſine dubio paſſim oritura eſſe.

Concedit, quòd dictũ Collegium ſolum habitetur, & regatur à fratrib. citerioris Calabriæ: Qui fratres aliarum nationum recipere in eo non tenentur.

§. 2. *Nos præmiſſis inconuenientibus, & incõmodis, noſtræ, & Sedis prædictæ prouidentia, miniſterio cõſultum eſſe deſiderantes, Io: Baptiſtam, & Franciſcum, ac Dionyſium, necnon Vincentium, ac Michaelẽ, & Paulũ, ac Ioannem, & Antonium prædictos, alioſq; dictæ nationis Calabriæ Religioſos, ſub Regula dicti Ordinis S. Frãciſci de Paula nunc, & pro tempore militantes, ſpecialis gratiæ fauore proſequi volẽtes, eoſq; & eorũ quẽlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſentẽtijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon teſtamentĩ, & inſtrumentorum; ac prędictarum literarum tenores, etiam veriores, præſentibus pro expreſſis habentes; Motu noſtro proprio, non ad Ioannis Baptiſtæ, aut Frãciſci, vel Dionyſii, ſeu Vincentij, nec ad Michaelis, vel Pauli, ſeu Ioannis, aut Antonij prędictorũ, vel alicuius eorũ, aut cuiuſuis alterius nobis pro eis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione noſtra, dictæque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quòd ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus dictũ Collegiũ, necnon tã prędictæ hereditatis, quàm alia Collegij huiuſmodi proprietates, iura, & bona vniuerſa, præſentia, & futura, in quibuſcumque rebus conſiſtentia, & vbicumq; exiſtẽtia, ac etiam officia, & munera, tam oneris, quàm honoris, per Religioſos dicti Ordinis ex Prouincia citerioris Calabriæ prædictæ nunc, & pro tempore oriundos tãtum, dummodò Superiores dicti Ordinis ex Calabria ad regendum, & gubernandum dictum Collegium, ac illius redditus, & bona adminiſtrandũ idonei reperiantur, & non per alios quarumcũque aliarum Prouinciarũ, & nationum eiuſdẽ Ordinis Religioſos, quos ad id omnino incapaces, & inhabiles eſſe volumus, & declaramus, ſub obediẽtia tamẽ, viſitatione, correctione, & omnimoda ſuperioritate eiuſdem nunc, & pro tẽpore exiſtentis dicti Ordinis Miniſtri generalis, regi, gubernari, & adminiſtrari, ac in eodẽ Collegio nulli alij Religioſi, quàm ex dicta Prouincia citerioris Calabriæ oriundi, & aliàs iuxta teſtamẽti, & donationis prædictorum formam qualificati, recipi, commorari, ali, & manuteneri poſſint, & debeant: Et ſi vllo vnquã tempore alios Religioſos, quàm vt præfertur oriundos, ad regimen, gubernium, & adminiſtrationem Collegij, ac proprietatum, iurium, & bonorum, necnon ad officia, & onera huiuſmodi, etiam per dictum Miniſtrum generalẽ, & Prouinciales, alioſq; Superiores dicti Ordinis nunc, & pro tempore exiſtentes, ſeu eorum auctoritate, etiam ex quacumque quantumuis vrgenti, legitima, & neceſſaria cauſa deputari, & aſſumi, aut in Collegio prædicto manutenendos, & alendos, etiam ſtudij cauſa, mitti, vel in eis conſignari, aut deponi contigerit, Religioſi eiuſdẽ Collegij, ex dicta Prouincia Calabriæ citerioris oriundi, ibi pro tẽpore cõmorantes, illos recipere & admittere nullatenus teneãtur: Et ſi qui aliquãdo recepti, & admiſſi fuerint, eos inde dimittere, & expellere poſſint, et debeãt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus; Necnon Miniſtro generali & dilectis filijs Prouincialibus, alijſq; Superioribus nunc & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis in virtute ſanctæ obedientiæ ne ad regimen, gubernium, & adminiſtrationem Collegij, iuriumq; et bonorũ prędictorũ, ac officia, & onera huiuſmodi alios Religioſos, quã ex dicta Prouincia Calabriæ citerioris oriundos, & vt pręmittitur, qualificatos, quouis prætextu, colore, vel ingenio, & ex quacũq; etiã lecturæ, & ſtudijs cauſa, per ſe, vel alios, deputare, & aſſumere, ſeu in Collegio huiuſmodi manutenẽdos, & alẽdos mittere, aut in illis cõſignare, ſeu deponere, aut deputari, aſſumi, mitti, cõſignari, & deponi facere quomodolibet audeant, ſeu præſumant, motu deliberatione, ac de poteſtatis plenitudine, necnon auctoritate, & tenore ſimilibus diſtrictius præcipimus, & inhibemus.*

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 3. *Decernentes, præſentes noſtras literas, etiã ex eo quòd dictus Miniſter generalis, dilecti filij Prouinciales ac Superiores prædicti, alijq; quicumq; in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, illis non conſenſerint, ad eaque vocati, & cauſæ, propter quas illæ fiant, examinatæ, iuſtificatæ, aut aliàs approbatæ non fuerint, ſeu quouis alio prætextu, & ex quacumq; quãtumuis legitima, & iuridica cauſa, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis, noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuerſiam vocari, ad viam, & terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcumq; iuris, gratię, vel facti remedium impetrari, aut cõcedi non poſſe; neq; ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimiliũ gratiarũ reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus per quoſcumq; Romanos Pontifices ſub quibuſuis tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis irritantibus cõprehendi, ſed ab illis ſemper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinũ, & eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant; ſtatũ reſtitutas repoſitas, & plenariè reintegratas, & de nouo etiam ſub quacumq; poſteriori data per dictos Io: Baptiſtã, & Frãciſcum, ac Dionyſium, necnon Vincentium, & Michaelẽ, ac Paulũ, & Ioannẽ, ac Antonium, eorumq; ſucceſſores eiuſdem Collegij collegiales quandocumq; eligenda cõceſſas, ſemperque validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.*

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 4. *Sicq; per quoſcumq; iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæq. Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere: Ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Comiſſarios deputat.

§. 5. *Quocirca dilectis filijs noſtris Archipresbytero Eccleſiæ Lateranen. ac noſtro, & pro tempore exiſtẽtis Romani Pontificis in Vrbe, eiuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, S.R.E. Card. ac venerab. fratri Archiepiſcopo Conſentinen. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Io: Baptiſtæ, & pro tẽpore exiſtentis hoſpitij, ſeu Collegij huiuſmodi Superio-*

ris, ac collegialium, ſeu Religioſorum, aut alicuius eorum fuerint requiſiti, ſolẽniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurũ, inuiolabiliter obſeruari; necnon Io: Baptiſtam, ac pro tempore exiſtentem hoſpitij, ſeu Collegijs huiuſmodi Superiorem, & collegiales, ſeu Religioſos prædictos illis pacifice frui, & gaudere; non permittentes, eos, aut eorum aliquos deſuper quomodolibet indebite moleſtari; contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cẽſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcẽdo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio: Nos enim Archipreſbytero, & Vicario, ac Archiepiſcopo præfatis, & eorum cuilibet quoſcumq; moleſtatores, perturbatores, contradictores, & rebelles, etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie de non tuto acceſſu, citandi, eiſq; ac quibus, & quoties inhibendum fuerit, etiam per ſimile edictũ, quò ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, quò verò ad alios inferiores etiã ſub cenſuris eccleſiaſticis, & etiam pecuniarijs, eorum arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis pœnis inhibendi, necnõ eos, quos cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe conſtiterit, eas incurriſſe, ſeruata forma Concilij Trid. declarandi, ac, legitimis ſuper literis habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggrauandi, reaggrauandi, & interdicendi, plenam, & liberam motu, ſcientia, auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus facultatem.

Derogat contrarijs. *§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonif. Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cauetur expreſſè, ne quis extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim, niſi in certis tunc expreſſis caſibus, & in illis vltra vnam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad iudicium euocetur; ſeu ne iudices à Sede prædicta deputati, extra Ciuitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alij, vel alijs vices ſuas committere audeant, ſeu præſumant: Ac in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodò quis vltra tres dietas vigore earumdem præſentium extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim ad iudicium non trahatur; Necnon quibuſuis alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis, illi, illiuſque Miniſtro generali, Prouincialibus, & Superioribus prædictis, ac alijs perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium forſan præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hæc ſeruanda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè harum ſerie derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, voluntatis, declarationis, ſtatuti, ordinationis, præcepti, inhibitionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario cõtraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incar. &c. 1624. Pridie Nonas Decemb. Pontif. noſtri anno 2. Apponit pœnas.

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 QVæres 1. an dicti Patres Calabri habitantes in dicto Collegio teneantur recipere hoſpites aliarum nationum Romam adeuntes.

℟. Sine dubio teneri: Non enim dicendum eſt, mentem Papæ, & teſtatoris fuiſſe priuare dictum Conuentum tanto bono, quantum eſt hoſpitalitas, nec voluiſſe fratribus illius iubere aliquid, quod contra charitatem, & ſanctum Euangelium, ac Regulam noſtram eſſet. Cum enim hoſpes ſuſcipitur, Chriſtus ſuſcipitur, ipſomet teſtante Matth. 25. *hoſpes eram, & collegiſtis me.* Et Matth. 10. *qui vos recipit, me recipit.* Ad Rom. 12. *hoſpitalitatem ſectantes,* Ad Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci:* Hæc fuit ſemper in maximo pretio habita, tum in veteri, tum in nouo teſtamento. Hac clari facti ſunt Abraham, Loth. Gen. 18. 19. Rahab Iericuntina, Ioſue 2. Hac mulier Sunamitis filij mortui ſuſcitationem promeruit ab Eliſæo 4. Regum 4. Hac viduæ Eliæ toto tempore famis oleum, & farina non defuit. In primitiua Eccleſia adeo viguit hoſpitalitas inter Chriſtianos, vt dixerit Tertull. lib. de præſcrip. c. 20. tria tunc fuiſſe catholicæ fidei, & communicationis ſymbola, ſcilicet communicationem pacis, appellationem fraternitatis, & conteſſerationẽ hoſpitalitatis. *Quæ iura,* inquit, *non alia ratio regit, quàm eiuſdem ſacramenti vna traditio.* Vbi aduerte, quòd per conteſſerationem hoſpitalitatis intelligit certum aliquod ſignum, quaſi teſſeram Chriſtianiſmi, quod qui afferret, vbilibet à Chriſtianis quaſi chriſtianus amicus, & frater, hoſpitio perbeneuolè excipiebatur. In Regula noſtra n. 34. *Verumtamen,* dicitur, *hoſpites hilari corde, & vultu placido recolligantur, ac iuxta cuiuſq; loci facultatem, cibis quadrageſimalibus, & non alijs, per eos, quibus Superior id ipſum mandauerit, & non per alios benignè tractetur.* D. Benedictus in ſua Regula c. 53. multa circa hoſpites ſuis fratribus præcipit, præſertim, quòd ieiunium à Priore propter hoſpitem frangatur, (intellige de ieiunijs Regulæ); quòd Abbas aquam in manibus hoſpitibus det, pedes verò hoſpitibus omnes, tam Abbas, quàm cuncta Congregatio lauet. Quod vltimum de lotione pedum in noſtra Religione ſeruatur, & eſt deſumptum à ſcriptura Gen. 18. 19. 24. 43. Videatur Abul. c. 19. Iud. q. 13. Et Hieronym. in apolog. contra Ruff. de hac conſuetudine ait. *Propoſitum quippe nobis eſt pedes lauare venientium, non merita diſcutere.* Et in laudem hoſpitalitatis dicit Aug. ſer. 32. de verbis Domini in Lucam. *Agnoſce hoſpitalitatem, per quam peruentum eſt ad Dominum, ſuſcipe hoſpitem cuius & tu es comes in via.* Et Ambr. lib. de Abraham, c. 5. *Qui ſcis, ait, an Deum ſuſcipias, cũ hoſpitem putas?* Chryſoſt. hom. 58. ad populum de antiquis Monachis ait, *Omnes ex miniſtrantium ſunt numero, & hoſpitum quiſque pedes abluit, & multa de hoc contentio, & hoc facit, non examinans, quis ille ſit, & vtrum liber ſit, an ſeruus ſed vnicuique miniſterium hoc exhibet: Nullus ibi magnus, nullus paruus.* Hilariter autem hoſpes recipiendus, vt in noſtra Regula iubetur; & ait Apoſt. ad Rom. 12. *Qui miſeretur in hilaritate.* Quæ hilaritas in tri-

Digitized by Google

in tribus cõſiſtit, in animi lætitia, in alacritate vultus, in affabilitate verborum. Sic Abraham Gen. 18. cum vidiſſet tres illos viros, *cucurrit in o curſum eorum de oſtio tabernaculi*. Renuens hoſpitari cogendus. Sic diſcipuli euntes in Emaus coegerunt Chriſtum ad ſecum manendum. Receptus liberaliter, ſtudioſè, & alacriter tractandus. Omnia Abrahã, cucurrit, mactauit vitulum tenerrimum, fermentauit farinam, & comedentibus ſtando ſeruiuit. Nec eſt hoſpitalitatis officium propter inopiam deſerendum. Nam Hierony. explicans verba illa Matth. 10. *Quicunque dederit calicem aquæ frigidæ*, ait, *Rurſus poteris alius cauſari, & dicere, paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, vt hoſpitalis eſſe non poſſum; & hanc excuſationem leuiſſimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigam, is, frigidæ, inquit, aquæ non calidæ, ne, & in calida paupertatis ex penuria lignorum occaſio quæreretur*. Quinimmo hæc hoſpitalitas apud barbaras etiam gentes commendatur, & inuiolabilis eſt, vt Caſſan. in catal. glor. mundi, p. 11. conſid. 45. Et colligitur ex cap. Offerebat 32. q. 7. vbi gloſſa ait verbo apud barbaras, quòd hoſpes tenetur hoſpitem defendere. Decet itaque omnes Chriſtianos hoſpitales eſſe, ſed maximè Clericos, & Religioſos, c. Hoſpitalem, diſt. 42. & Trid. ſeſſ. 25. c. 8. de reform. admonet Religioſos, vt hoſpitalitatis officium promptè, & benignè exercere aſſueſcant. Et nemini hoſpitalitas deneganda eſt; c. 1. de empt. & vend. cap. Monachi, de præb. & dignit. Et qui inhoſpitales ſunt, ad dignitates promoueri prohibentur; cap. Archidiaconum, d. 85. Vnde conſtat manifeſtè, quòd Patres dicti Collegij tenentur dictos fratres aliarum nationum hoſpitari: Et poſſunt ad id excommunicatione, & alijs pœnis compelli; c. Si quis deſpicit, §. Hinc etiam d. 42. Gloſſa in c. 1. de empt. & vend. verbo Hoſpitales; Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 182. num. 43.

2 Quæres 2. an dicti Patres Calabri poſſint conſentire, vt fratres aliarum nationum in dicto Conuentu localiter commorentur.

℞. Ad id iam reſponſum eſſe ſupra in conſtit. 7. Pauli V. nu. 12. Sed nunc dico confidentius, & clarius, poſſe. Nec obſtat decretum irritans. Quia intelligitur, quando dicti fratres eo vti vellent. Ita Io: Monach. in c. Statutum, de preb. nu. 4. vbi multa Probus n. 6. Galiel. Benedictus in q. de Epiſcop. nu. 60. & 61. qui id multis probat.

CONSTITVTIO VII.

Prohibet fieri inueſtituras bonorum iuriſdictionalium ad Eccleſias inferiores ſpectantium in vniuerſa Italia.

VRBANVS EPISCOPVS.

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. *HVmanæ ſalutis auctor Chriſtus Dominus Romanam Eccleſiam ampliſſima temporalis ditionis prærogatiua decorauit, quam voluit inferioribus etiam Eccleſiis aliqua ex parte communicari, vt filiarum decor matris augeret in ſummis Pontificibus maieſtatem, quibus cum Eccleſiarum omnium regimen incumbat, illarum quoque omnium tutelam ad Apoſtolicam eorum prouidentiam neceſſe eſt pertinere.*

Motiua. *§. 1. Olim equidem quamplurimi inferiorum Eccleſiarum Prælati, vt ſtrenuos, ac præſtantes virtute viros haberent, qui debitum ſibi, & Eccleſiis ſuis impenderent famulatum, temporales ditiones ad eaſdem Eccleſias pertinentes eximiorum virorum fidei, atque adminiſtrationi commiſerunt, tempore verò procedente dilabentibus in deterius bonis inſtitutis, factum eſt, vt nonnullis Eccleſiarum Præſules humanis potiùs affectibus, quàm meritorum intuitu moti, ditiones temporales huiuſmodi varijs perſonis, & Vniuerſitatibus in feudum, vel emphyteuſim dare, vel vltra triennium locare, & rurſus, occurrente earum ditionum temporalium deuolutione, ad nouam infeudationem, ſeu inueſtituram, vel locationem vltra triennium ſub ſpecie, quòd ille in feudum, vel emphyteuſim dari, vel, vt præfertur, locari ſint ſolitæ, ſeu alias cauſas prætexentes, deuenire conſueuerunt, quod in non modicum Eccleſiarum ipſarum damnum, & præiudicium tendere vſu compertum eſt.*

§. 2. Nos itaque, noſtri muneris partes adimplendo, præmiſſis obuiam ire, necnon Eccleſiarum Monaſteriorum, & locorum piorum quorumcumque indemnitati, Prohibet prout in ſũmario. *ac iurium eis quomodolibet cõpetentium conſeruationi, quantum nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnibus, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, etiam Generalibus, cæteriſque Eccleſiarum, & locorum piorum vtriuſque ſexus Præſulibus, Prælatis, Præſidentibus, Rectoribus, Præceptoribus, Commendatarijs, & Adminiſtratoribus, cuiuſque ſtatus, gradus, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, necnon Capitulis, etiam generalibus, & prouincialibus, Conuentibus, Collegijs, Sodalitatibus, etiam laicorum, & quibuſcumque alijs Superioribus cuiuſuis Ordinis, Societatis, vel Inſtituti, etiam de neceſſitate exprimendi, aut Militiarum, etiã ſancti Ioannis Hieroſolymitan. in vniuerſa Italia, etiam in quorumuis Principum ſecularium, quomodolibet qualificatorũ, etiam Ducali, Regia, Imperiali, vel quauis alia dignitate, honore, vel excellentia præſtantium, ditione temporali exiſtentibus, ſi pontificali, vel abbatiali immineant dignitate, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac ſi per ſex menſes immediatè ſequẽtes ſub interdicto huiuſmodi perſeuerauerint, lapſis mẽſibus eiſdem, ſub regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, quibus præſident in ſpiritualibus, & temporalibus, ſuſpenſionis; Capitulis verò Conuentibus, Collegijs, Sodalitatibus, & Vniuerſitatibus prædictis ſub interdicti à diuinis, eorumque ſingularibus perſonis, ac inferioribus Prælatis, Commẽdatarijs, & alijs præfatis ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum eccleſiaſticorum, de quorum rebus, et bonis contra præſentis conſtitutionis tenorem eos diſponere contigerit, vociſque actiuæ, & paſſiuæ priuationi, & perpetua inhabilitatis, ad illa, ſeu qualibet alia in poſterum obtinenda, ipſo facto, etiam abſque iudicis miniſterio, vel ſententia, incurrendis pœnis, ne de cætero Ciuitates, Terras, Caſtra, Oppida, Villas, Arces, Fortalitia, Munitiones, Territoria, Diſtrictus, Iuriſdictiones, aut quauis alia loca, vel bona iuriſdictionalia, ſeu quouis modo iuriſdictionem temporalem, etiam cum alto,*

vel

Digitized by Google

vel alijs, coniunctim, ſeu diuiſim, aut aliàs quomodolibet annexam habentia, aut eorum, ſeu iuriſdictionis partem, etiam minimam, ad Patriarchales, Primitiales, Metropolitanas, Epiſcopales, & alias Eccleſias, & Monaſteria, Collegia, vel loca pia ſupradicta, nunc, & pro tempore, quouis modo ſpectantia, & pertinentia, tam quæ ad præſens per Eccleſias, Monaſteria, & loca huiuſmodi pleno iure poſſidentur, quàm ea, quæ in feudum, vel emphyteuſim conceſſa, vel vltra triennium locata, aut per quoſcumque quomodolibet, & ſub quibuſuis prætextibus occupata, ſeu vſurpata reperiuntur, aut ad Eccleſias, Monaſteria, & loca prædicta iam de præſenti forſan de iure, vel de facto reuerſa, ſeu deuoluta ſunt, etiamſi Eccleſiis, Monaſterijs locíſque pijs huiuſmodi adhuc incorporata, & de eorum menſa effecta non ſint, aut quandocumque perpetuis futuris temporibus per lineam finitam, canonem non ſolutum, delictum perpetratum, vel alio quocumque modo reuertentur, ſeu deuoluentur in futurum, etiamſi ex antiqua, ſeu immemorabili conſuetudine, aut etiam priuilegio Apoſtolico, quamcumque ob cauſam conceſſo, & iteratis vicibus approbato, in feudum, vel emphyteuſim concedi, vel vltra triennium locari, aut, finita conceſſione, vel locatione, huiuſmodi feuda, inueſtituræ, vel aliæ cõceſſiones renouari conſueuerint, quibuſuis perſonis quauis eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitate, vel excellentia fulgentibus, ac ſpeciali nota dignis, aut Capitulis, Collegijs, Eccleſiis, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, Hoſpitalibus, & quibuſuis Vniuerſitatibus, tam ſecularibus, quàm eccleſiaſticis, aut quibuſcumque alijs quocumque nomine, ac titulo nuncupatis, & quomodolibet qualificatis, in feudum, vel emphyteuſim concedere, aut vltra triennium locare, aut conceſſiones, inueſtituras, & locationes huiuſmodi poſt finitum illarum tempus, vel aliàs quandocumque renouare, prorogare, vel de nouo facere, etiam ad fauorem deſcendentium, hæredum, vel conſanguineorum illorum, qui Ciuitates, Terras, & bona iuriſdictionalia prædicta obtinuerint, poſſederint, vel occupata detinuerint, etiam intuitu meritorum, etiamſi conceſſiones, & alia præmiſſa in euidentem, immo euidentiſſimam vtilitatem Eccleſiæ, Monaſterij, vel loci pij cedant, aut conceſſionibus, inueſtituris, locationibus, vel illarum renouationibus, aut prorogationibus conſentire aut aliud ſcripto, verbo, vel alio quouis modo, per quem dictæ Ciuitates, Terræ, & bona iuriſdictionalia huiuſmodi ad Eccleſias, Monaſteria, & loca pia prædicta, ſiue eorum Prælatos, Superiores, Rectores, ſeu adminiſtratores non reuertantur, etiamſi in prædictis conceſſionibus, inueſtituris, renouationibus, prorogationibus & alijs præmiſſis noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, etiam cum clauſula, & non aliàs, aliter, nec alio modo reſeruetur, & niſi illo in ſcriptis tantùm priùs obtento, facere audeant, vel præſumant, vltra alias pœnas per canonicas ſanctiones deſuper quomodolibet inflictas, diſtrictè interdicimus, & prohibemus.

Conceſſiones, & inueſtituræ contra hanc cõſtit. factæ nullæ ſunt.

§. 3. Et inſuper quaſcumque conceſſiones, inueſtituras, locationes, vel illarum prorogationes, & renouationes, quas contra præſentium tenorem quocumque modo, & quouis tempore fieri contigerit, prorſus nullas, & irritas, & effectu omnino carere debere; Sicque in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & eiuſdem Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarium, & Clericos; necnon S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; & quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore iuris inſertis, ac etiam in fauorem quarumcumque Eccleſiarum, Prouinciarum, Ciuitatum, Vniuerſitatum, Collegiorum, Capitulorum, & locorum piorum, eorumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam dicti S. Ioannis Hieroſolymitan. necnon Congregationum, & Societatum, & cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, vt præfertur, & in indiuiduo exprimendi, eorumque Monaſteriorum, Conuentuum, & domorum regularium, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; indultis quoque, & priuilegijs ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, etiam irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, quò ad ea, quæ iiſdem præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Prælati in iuramentis præſtandis tenentur iurare de hac conſt. ſeruanda.

§. 5. Volumus autem, quòd de cætero Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, necnon Abbates, Præſules, Prælati, alijque præfati in alijs iuramentis ab ijs præſtandis, de præſenti etiam conſtitutione ſeruanda omnino iurare teneantur.

Forma publicationis ad effectũ obligandi.

§. 6. Ipſaque conſtitutio in quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ deſcribatur; quódque præſentes ad valuas Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & dictæ Cancellariæ, & in acie campi Floræ publicentur, & ſic publicatæ, omnes, & ſingulos, quos concernunt, & concernent in futurum perinde arctent, & afficiant, ac ſi eis, & eorum cuilibet perſonaliter intimatæ forent.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 7. Earumdemq; tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra illud eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſæ.

§. 8.

Digitized by Google

Sanctio pœnalis.

§. 8. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri interdicti, prohibitionis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Mariam maiorem, anno Incarn. Domin. 1625. Kalend. Nouemb. Pontif. noſtri anno 3.*

CONSTITVTIO VIII.

Quæ eſt decretum Congreg. Concilij, editum de mandato Vrbani VIII. In quo prohibetur Regularibus alienatio.

Prohibet fieri alienationes, & factas nullas declarat.

§. 1. S*Acra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apoſtolicis priuilegijs innixi, ac proinde operæ pretium putans illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere; Speciali S.D.N. iuſſu, generalibus, & prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuſcumque alijs Superioribus regularibus cuiuſuis Ordinis, Congregationibus, Societatis, vel Inſtituti intra fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquam in caſibus à iure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, abſque ipſius Congregationis Concilij expreſſa licentia, in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda quam ipſo facto, abſque alia declaratione incurrant, ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apoſtolicarum conſtitutionum, & præſertim fel. rec. Pauli II. quæ incipit, Ambitioſæ, in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò, pacta, cenſus, hypothecas, locationes, conductiones, & conceſſiones quaſcumq; contra huiuſmodi prohibitionem faciendas Sanctitatis ſuæ auctoritate ipſo iure nullas, atque irritas decernit.*

Derogat contrarijs.

§. 2. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis fauorem quarumcumque perſonarum, atq; Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hieroſolymit. Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcumq; necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; exemptionibus, quoque, indultis, & priuilegijs ſub quibuſcumq; tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quò ad ea, quæ præſenti decreto, ac prohibitioni aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè Sanctitatis ſuæ auctoritate derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, die 7. Septembr. 1624. Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus ſacræ Congreg. Secret.*

CIRCA CONSTITVTIONEM.

1 VIde ſupra in conſtitut. 9. Iulii II. Et qui ſint caſus à iure permiſſi, vide ibid. num. 6.

2 Nota etiam aliam declarationem eiuſdem Congreg. quæ ſic habet. *Cum poſt editum decretum de rebus Regularium non alienandis compertum ſit, Regulares, qui eodem decreto prohibentur cenſus imponere ſuper bonis ad eorum Monaſteria pertinentibus, loco cenſuum huiuſmodi, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum ſolutione lucri ceſſantis, & damni emergentis; cumque ex huiuſmodi contractu eludatur, mens ſacræ Congreg. cui in primis in votis fuit conſulere Religionum indemnitati, quæ ex impoſitione cenſuum huiuſmodi plurimum læduntur, Sanctiſsim. Domin. Noſtr. approbante, decreuit, ac declarauit, huiuſmodi contractum eſſe contra mentem decreti, vt ſupra, editi, ideoque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur, accipere, ac, ſi acceperint, in ipſius decreti pœnas ipſo facto incidere. Datum Romæ, die 21. Martij, 1626. Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus.*

CONSTITVTIO IX.

Quæ ſunt decreta Congreg. Concilij, iuſſu Vrb. VIII. edita de celebratione miſſarum, & numero fratrum vnicuique Conuentui deſignandorum.

C*Vm ſæpe contingat, in quibuſdam Eccleſiis, tam magnum miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen noua onera miſſarum in dies ſuſcipiantur, indeque fiat, vt depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandalo affecti plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur; Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd hi, qui miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri, aut quòd Eccleſiis, ſorte pe-*

cennia-

Digitized by Google

cuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera miſſarum, abſque vllo emolumento, aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſuſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur. Sacra Congregat. Card. Concilij Trident. interpretum animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique ac iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum è chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta decreta edidit.

Onera miſſarum non reducantur niſi ab Apoſtolica Sede.

§. 1. Ac 1. diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in diæceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & cōmutationes huiuſmodi, ſi quas cōtra huius probibitionis formā fieri contigerit, omnino nullas, atq; inanes decernit.

Tot miſſæ celebrentur, quot ſtipendia ſunt recepta.

§. 2. Deinde vbi pro plurimis miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipēdia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, ſacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis pijs quibuſcumq; tam ſecularibus, quam regularibus, ſacra Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmo grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Reuocantur priuilegia ſatis faciendi miſſis, cum anniuerſarijs, vel collectis.

§. 3. Id verò vt deinceps obſeruetur exactiùs, ſacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſiis, ac locis pijs, tam ſecularibus, quàm regularibus cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Qui certam pecuniam pro miſſa celebranda ſūpſit, minorem pro ea alteri non det.

§. 4. Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet ſacerdoti, qui miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

An hoc decretum obliget ad mortale, aliqui putant, quod non, quia verba nulla id indicantia adſunt: alij tamen, quod ſic, quia tam ſubtilis diſtrictio Congr. vt patet ex declarat. innuit Congregationem id ſerio intendiſſe; at tranſgreſſio Conſtit. in re graui mortale eſt.

Pecuniæ recipiendæ cum onere perpetuo miſſarum conuertantur in bona immobilia.

§. 5. Præterea, ne in Eccleſiis, in quibus onera miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, ſacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitatem coniuncta, ſtatuit, atque decernit, vt pecunia, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tam ſecularibus, quàm regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, à die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimùm inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur; ac, ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna, vt ſupra, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis, cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Onera perpetua miſſarum non recipiantur ſine Epiſcopi, vel Generalis, aut Prouincialis licentia; & miſſæ manuales quando recipiendæ.

§. 6. Ad hæc ſacra Congregatio quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnō omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſecularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant miſſarum celebrandarum, ſeculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia, in ſcriptis, & gratis concedenda; alioquin ſecularis, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo, Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa, Eleemoſyna pro miſſis, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtentur. Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius ſacerdotes tam nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſiis, & locis pijs relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundùm morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ; intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligenses fuerint, in nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Vnicuique Conuentui is numerus fratrum aſſignetur, qui competenter poſſit ſuſtentari.

§. 7. Poſtremò illuſtr. Patres non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hāc facilitatem fouent in oneribus miſſarū ſupra vires ſuſcipiēdis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cuiuſ-

Digitized by Google

Trid. ſeſſ. 25. de reg. cap. 3. Vrb. VIII. in conſtit. 10. infr. §. 31. Paul. V. per ſuam conſt. 9. apud Cherub. tom. 3. bull. pag. 187. Vide to. 1. Relig. quæſt. 2. cap. 2. §. 2. pag. 521.

cuiuſque Monaſterij; inhærentes ſummorum Pontificum, ac ſacri Trid. Concilij decretis hac de re editis, S. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumq; alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac domorum regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcumq; Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacentium, vt ſingulis, ad quos pertinet, in qualibet, Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tam communes Monaſteriorum, Conuentuum, & domorum eiuſdem Prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in cõmunem vſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera conſueuerunt abſorbere, eaque omnia ſcripto fideliter exarata idem Superior, cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus iudicibus, ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot religioſi homines, connumeratis etiam laicis, alijſque neceſſarijs ſeruientibus, in vnoquoque Monaſterio, Conuentu, & domo regulari, iuxta Regionis, & proprij Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, redditum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuiuſque familiæ Monaſterij, Conuentus, ac domus regularis, in ſingula quaque Prouincia certus earum tantùm perſonarum numerus Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſeriùs, aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat ſacra Congregatio, vt infra annum, poſt proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad ſacram ipſam Congregationem Conſilij ſinguli mittant; numerumque familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum ijdem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditunm, abſque ſacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerũ, vt ſupra, præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis ſacra Cõgregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Conuentus, vbi ſuſtẽtari non poſſint 12. fratres non recipiantur, alioquin Ordinario ſubſint.

§. 8. *Deincepſ verò Monaſterium, Conuentus, domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis duodecim ſaltem fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum decreti fel. rec. Gregor. XV. hac de re editi; alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.*

Hęc decreta ſexto quoq; menſe in publica menſa legantur. Et nullus interpretetur.

§. 9. *Porro, ne vllo vmquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac domus regularis curare, atque efficere teneantur ſub pęna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur: Omnibus, tam eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis, præſentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.*

Derogat contrarijs.

§. 10. *Non obſtantibus quò ad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus decretis contenta, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, in fauorem quarumcumque perſonarum, atq; Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium; Militiarum, etiã S. Ioãnis Hieroſolymit. Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſario, & in indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumq; tam ſecularium, quàm regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis ſirmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis haben. quibus quò ad ea, quæ præſentibus aduerſãtur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſacra Congregatio Sanctitatis*

ſua

Digitized by Google

ſuæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Dat formã publicandi, & tranſumptis fidem iubet adhiberi.

§. 11. *Et, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem ſacra Congr. vt præſentes ordinationes in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Vtque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, die 21. Iunij, 1625. Coſmus Cardin. de Torres; Loco † ſigilli. Proſper Fagnanus.*

DECLARATIONES

Aliquot ſacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani diuina prouidentia PP. VIII. auctoritate editæ ſuper decretis eiuſdem Congregationis de celebratione miſſarum.

§. 1. *SVper primo ſacræ Congregationis de celebratione miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis. Quæritur, quid, ſi legatum ſit ita tenue, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire, &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs? Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi onera moderari?*

§. 2. *Secundò, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint. Quæritur, an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint, de præſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?*

§. 3. *Tertiò, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam, iuxta qualitatem loci perſonarum, ac temporum, ſacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo teneantur miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?*

§. 4. *Quartò, an ſacerdotes, qui tenentur miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro miſſis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico miſſæ ſacrificio vtrique oneri ſatisfacere?*

§. 5. *Quinto, poſito, quòd teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum miſſæ abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ. Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere; an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?*

§. 6. *Sextò ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurium miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat. Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis, intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt priuilegium?*

§. 7. *Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis decreto, quo prohibetur ſacerdoti, qui miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat. Quæritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, altarium inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?*

§. 8. *Octauò, an hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt an rector beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneantur ſacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum beneficij?*

§. 9. *Nonò, an ſacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam ijs, quibus miſſas celebrandas committunt, an verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?*

§. 10. *Decimò, ſuper quinto eiuſdem Congregationis decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba, Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro miſſis celebrandis ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant, alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemosynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, & ect. Quæritur, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?*

§. 11. *Vndecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt ſacerdos miſſam celebret cumprimùm poterit?*

§. 12. *Duodecimo, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur?*

§. 13. *Decimotertiò, an in hoc decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur (Caſſe de morti)?*

§. 14. *Decimoquartò, an adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus, poſſint eleemosynas pro miſſis celebrandis accipere, ſi ijsdem miſſis non, niſi poſt longum tempus, ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur?*

§. 15. *Decimoquintò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & piorum locorum, tam ſecularium, quàm regularium Superioribus, de quibus ſit expreſſa mentio, non autem priuatis ſacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generalis (Et alijs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione.*

§. 16. *Decimoſextò, ſuper ſeptimo eiuſdem ſacræ Congregationibus decreto, quo cauetur, vt in ſingulis*

Mona-

Digitized by Google

Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis decreti S.M. Pauli V. abſque tamen computatione redditum cuiuſque Religioſi, ſit denuo facienda, necne?

§. 17. *Decimoſeptimò, an nouitij ad habitum regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſterijs, in quibus, habita, vt ſupra, præfixione numeri, commodè ali non poſſunt.*

§. 18. *Decimooctauò, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, niſi, præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita vt alioquin ſubſint iuriſdictioni ordinariæ. Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu.*

§.. 19. *Vltimò, an idem decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam.*

SACRA Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, auctoritate ſibi à S. D. N. attributa, ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad 1. *Etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt ſupra, impoſiti, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit: Verumtamen ſi in ipſa beneficij, erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.*

Ad 2. *Eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quod ſi tribuens eleemoſynam, numerum miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundùm morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.*

Ad 3. *Teneri.*

Ad 4. *Sacerdotes, quibus diebus tenentur miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.*

Ad 5. *Cenſuit vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.*

Ad 6. *Ita eſſe intelligenda.*

Ad 7. ℞. *permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum adminiſtratores ex eleemoſynis miſſarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm miſſæ ſacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ; & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt, expenſis, vt ſupra, deductis, abſolutè tot miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.*

Ad 8. *Non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt rector beneficij, qui poteſt per alium miſſam celebrare, tribuat ſacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.*

Ad 9. *Debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere ſacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.*

Ad 10. ℞. *Non prohibere abſolutè; ac propterea etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.*

Per modicum verò tempus hic intelligo ſpatium trium annorum, quo ſpatio terminantur officia, vt plurimum regularium, cum enim hæc decreta ſint odioſa, attenta præſertim Mendicantium paupertate, debent ita interpretari, vt minus lædant, quam fieri poteſt, & cum, quid ſit modicum tempus arbitrarium ſit, vt docent Tuſchus litter. T. concluſ. 37. numero 12. Menoch. de arbitr. libro ſecundo caſu 31. numero quinto ideo per modicum tempus hic intelligo ſpatium trium annorum, ſeu omnino remittendum eſt iudicis arbitrio conſiderantis circumſtantias loci, temporis, perſonarum, &c.

Ad 11. *Quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem miſſis, iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.*

Ad 12. *Has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.*

Ad 13. *Comprehendi.*

Ad 14. *Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad* 12.

Ad 15. *Comprehendi etiam priuatos ſacerdotes.*

Ad 16. *Numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſeruata forma vltimi decreti hac de re editi.*

Ad 17. *Eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac de inde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.*

Ad 18. *Cenſuit comprehendere.*

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam, Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus ſacræ Congreg. Secret.

CONSTITVTIO X.

Quæ ſunt decreta Congreg. Vrb. VIII. iuſſu edita, in quibus agitur de Regularibus apoſtatis, & eiectis, alijſque ordinationibus ad ipſos Regulares pertinentibus.

Procemiū.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum ſtatui conſulere, illorumque ſcandala ſummouere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæ pretium exiſtimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis ſuæ facultate, infraſcripta decreta edidit.

Innouat decreta Clem. VIII. pro Regulariū reformatione.

§. 1. *Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui eiuſmodi fructus potiſſimum prodeunt, deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit, eſſe innouandas, & Sanctiſſimi auctoritate innouat conſtitutiones, & decreta generalia S. M. Clem. VIII. ad Regularium reformationem, ac nouitiorum receptionem, profeſſionem, atq; inſtitutionem ſpectantia; diſtrictèque præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obſeruent, atque vt obſeruentur efficiant, ſub pœnis ſtatutis in iiſdem conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum conſuit caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, ſeu Monaſterijs, ad nouitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis, & approbandis, nouitij ad habitum vllatenus recipi poſſint, niſi priùs à Congregatione reformationis Apoſtolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expreſsè, & nominatim approbati fuerint, à cuius quidem decreti obſeruatione ſacra Congregatio iuſtis de cauſis cenſuit, Regulares eſſe abſoluendos, prout auctoritate S. D. N. abſoluit, atque exemit.*

Nullus etiam ad ſtrictiorē Religionē tranſeat, niſi priùs ſuo Superiori conſtet, eā eſſe paratā illum recipere.

§. 2. *Deinde, vt apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit; tumque Regularis rectà ſe transferat ad arctiorem; quod vt re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet.*

Apoſtatæ ab Ordinarijs capiantur, & ſuis Superioribus conſignentur. Vide ſup. in conſt. 1. Iul. II § 38. nu. 95. Vide ſup. in cōſt. 2. Sixti IV. n. 22. & 62.

§. 3. *Rurſus ſtatuit, vt fugitiui, & apoſtatæ, ſiue habitum regularem deferant, ſiue non, poſſint, ac debeant ab Epiſcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus regularibus conſignari, ſecundùm regularia inſtituta puniendi, vtque ipſi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur, ſalua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa decreto Concilij capit. 3. ſeſſ. 6. Quòd ſi apoſtata huiuſmodi citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menſes, à præſentis decreti publicatione inchoandos ſua ſponte ad ſuam quiſque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipſis propter apoſtaſiam inflictarum, aut infligendarum remiſſionem, atque impunitatem aſſequantur; ita tamen, vt debeant à Superiore abſolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiuſmodi pœnis abſoluere, & paterna charitate complecti.*

Incorrigibiles qui ſint, & quomodo à Religione eijciendi. Modera vt hic quæ dixi de eiectis to. 1. Rel. q. 1. c. 25.

§. 4. *Ad hæc, vt in poſterum è Religionibus nullus legitimè profeſſus eijci poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & conſtitutionibus cuiuſque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis; verum etiam vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet ſaltem Prouincia: Elapſo autē anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre, eijci tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantùm, de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non niſi inſtructo ſecundùm eorum ſtylum; & conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis, ad ſacrorum Canonum præſcriptum. Interea tamen, vſque ad primum generale Capitulum, ſeu Congregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex iuſtis, & neceſſarijs cauſis expellere oportebit, eiectio fieri poſſit à Generali, cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrū, vt ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis decreti publicatione; ſeruata tamen in reliquis forma ſuperiùs præſcripta. Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iuriſdictioni, & obedientiæ ſubſint; proindeque Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm ſacra Congregatio Religionum Superiores ſeriò admonet, ac pro Ieſu Chriſti viſcera obteſtatur, vt memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animæ fratrum ſuorum, ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimum, atque extremum expulſionis remedium experiantur; idque eò magis, quòd ſubditorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officij immemorū Prælatorum regimine peribunt, D. N. Ieſu Chriſtus in ſupremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.*

Expulſis literæ non concedantur ad Sedē Apoſtolicā. Eiecti ſunt perpetuò ſuſpenſi ab exercitio ordinum. Superiores ſuos eiectos, & fugitiuos quotannis requirant.

§. 5. *Præterea ſtatuit, vt iidem Superiores nemini ex Religioſis expulſis literas teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.*

§. 6. *Item vt eiecti extra Religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio ordinum, ſublata Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.*

§. 7. *Ac poſtremò cenſuit eſſe innouandam, & ſuæ Beatitudinis auctoritate innouat conſtitutionem fel. rec. Gregorij IX. relatam in c. fin. extr. de reg. Ac præterea declarat, eam conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſeruandamque eſſe qui iuſtè, diffinitiuèque ac iuris ordine ſeruato, expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes euidens emendationis, ex literis ſaltem teſtimonialibus Ordinarij, cuius conſcientiam in his literis concedendis ſacra Congregatio ſeriò onerauit.*

§. 8.

Hæc decreta bis ſaltẽ in anno in publica mẽſa legantur.

§. 8. *Ne qua verò difficultas in ſupraſcriptis decretis, & ordinationibus exequendis ſuboriatur, ſacra Congregatio, S. D. N. annuente, atque approbante, vniuerſis Generalibus Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque alijs Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium vbique locorum exiſtentium iniungit, ſeriòque mandat, vt illa diligenter obſeruent, atque obſeruari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monaſterijs, Collegijs, ac domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, vbiq; locorum exiſtentibus, efficiantque vt tam decreta ſupradicta felic. rec. Clem. VIII. quàm præſentes ordinationes, in ſingulis einſmodi locis bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.*

Apponuntur pœnæ contrafacientibus.

§. 9. *Si quis verò ipſorum aduersùs ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorũ, quę tunc obtinebit, vociſque actiuæ, paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, pœnaque huiuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata, iiſdem Superioribus etiam Generalibus, & Protectoribus, illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta; & nihilominus ſit irritum, & inane quidquid ſecus à quoquam actum extiterit.*

Derogat contrarijs.

§. 10. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumq; perſonarum, atq; Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monaſteriorũ, Conuẽtuum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, vel titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſciẽtia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiã per viã communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quò ad ea, quæ ſupradictis quomodolibet aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permãſuris, ſpecialiter, & expreſsè Sanctitatis ſuæ auctoritate derogat, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ die 21. Septemb. 1624. Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus ſacræ Congreg. Secret.*

Decreta generalia fel. recor. Clem. Papæ VIII. de nouitijs ad habitum regularem, & profeſſionem non admittendis, niſi in Conuentibus deſignandis.

CLEMENS PAPA VIII.

Nouitij nõ incipiantur, niſi in Conuentibus deſignatis.

§. 11. **R***Egularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimum iuxta noſtris muneris debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano vſu compertum eſt, quòd in omnibus Conuentibus, iis præſertim, qui maiori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes paſſim recipiuntur; vnde fit, vt quò magis nos varijs conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus, eò magis in dies deprauata, infructuoſaq; einſmodi nouiter profitentium germina ſuccreſcant. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti decreto ſtatuimus, diſtrictèq; præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, cæteriſq; Superioribus Cõuentuum, intra Italiæ, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium, quibuſcumque, & quorumcumque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem ſub quouis prætextu, aut colore, ad habitum regularem admittant, niſi in Conuentibus auctoritate noſtra propediem in vnaquaque Prouincia deſignandis. Inſuper ſancimus, vt quoad einſmodi Conuentus, vt præfertur, per nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque nouitiorum, ſiue ad habitum, ſiue profeſſionem, omnino abſtineant. Superior, qui huius decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda ſe nouerit incurriſſe, ac alijs etiam pœnis arbitrio noſtro ſubiaceat. Receptiones verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra huiuſmodi decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegijs, ſtatutis, & conſuetudinibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus. Datum Romæ, die 12. Martij, 1596.*

Innouatio ſupradicti decreti de nouitijs nõ recipiẽdis, niſi in Cõuentibus ab Apoſtolica Sede deſignandis.

§. 12. *Sanctiſſimus in Chriſto P. & D. N. D. Clem. diuina prouidentia Papa VIII. cum iamdudum animaduerteret, collapſæ regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimum, iuxta ſui muneris debitum, vigilare, ac laborare non deſiſtit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monaſterijs, & Conuentibus, iiſque præſertim, qui maiori indigent reformatione, ſinguli ad Religionem profitendam accedentes paſſim, ac ſine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis varijs conſtitutionibus malè affectas radices euellere ſtudet, eò magis infructuoſa nouiter profitentium germina quotidie ſuccreſcunt: Cumque ob zelum, ac deſiderium, quo tenetur Sanctitas ſua, omnes Regulares ad vetus ſuæ cuiuſq; Religionis inſtitutum redigendi, diſtrictè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad ſuſcipiendum habitum Religionis, admitteretur, profiteretúrue, quoſque Monaſteria, & Conuentus aliquot deſtinarentur, in quibus poſſet commodiùs regularis obſeruantia, ſe-*

cundùm reformationem à Sanctitate ſua inſtitutam introduci; Quia tamen, non obſtante tali prohibitione, cognouit, nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, & licentiæ, à Sanctitate ſua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admiſſos præter mentis ſuæ ſenſum; Idcirco huic malo proſpicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiuſmodi ſubreptione, ac prætextu, decretum Sanctitatis ſuæ irritum reddatur, nunc denuo diſtrictè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuſcumque cæteriſque Superioribus Conuentuum, Monaſteriorum, ac domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthuſianorum, fratrum Minorum de ſtrictiori obſeruantia, necnon Capuccinorum S. Franciſci, Reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon fratrum Congregationis Fulienſis Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum eremi Camaldulenſis, & Montis coronæ, Clericorum regularium, Theatinorum, Societatis Ieſu, S. Pauli decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum infirmorum reſpectiuè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit, prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.) Ne ſub cuiuſuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per literas in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad habitum regularem ſuſcipiendum, nec etiam Conuerſos, niſi in Conuentibus, Monaſterijs, & domibus, auctoritate eiuſdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia deſignandis, recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere vllo modo audeant; Quinimmo contra primum prohibitionem Sanctitatis ſuæ receptos, etiamſi imperfectum habitum, aut ſine caputio gerant, poſt præſentis decreti in Romana Curia publicationem omnino eijcere debeant.

Apponit pœnas contrafacientibus.

§. 13. Superiorem autem, qui huius decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, eo ipſo incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis, arbitrio Sanctitatis ſuæ imponendis ſubiacere.

Profeſſiones contra hanc formã factæ, nullę ſunt.

§. 14. Receptione verò, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra huiuſmodi decretum admiſſi fuerint, nullas, & irritas eſſe ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat.

Non comprehendit Conuẽtus, qui habent nouitiatus deſignatos.

§. 15. Hoc autem decretum noluit Sanctitas ſua eos Ordines comprehendere qui Conuentus, domos, & Monaſteria à ſe probata pro nouitiorum receptione, & educatione hactenus permiſſione ſua conſtituerint.

Reuocat licentias particulares.

§. 16. Cæteras verò licentias, ſiue particulares, quæ in hanc diem effectum non ſunt ſortitæ, reuocat, & annullat.

Forma publicandi, cũ derogatione contrariorum.

§. 17. Vult autem, decretum hoc ſuum in ſolitis locis Vrbis publicatum, ita prædictorum ſingulos afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter fuiſſet intimatum. Priuilegijs, ſtatutis, & conſtitutionibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus. Datum Romæ, apud S. Marcum, die 20. Menſis Iunij, 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cuiuſcumque Ordinis, & Inſtituti.

CLEMENS PAPA VIII.

Nullus ab officio chori ſit immunis. Cum Lectoribus, Prædicatoribus, & ægrotis poteſt diſpenſari.

§. 18. NVllus omnino prætextu cuiuſcumque priuilegij, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſeruitio chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprijs officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint; idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animaduertant, ad præſcriptum Regulæ, & conſtitutionum, alimenti etiam ſi opus fuerit, ſubtractione.

Lectio ſcripturæ, vel caſuum bis in hebdomada.

§. 19. Lectio ſacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus, in ſingulis Monaſterijs, & Conuentibus habeatur, ad quam fratres omnes conueniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſe ſe vtiliter exerceant.

Paupertatis votum obſeruetur. Vide to. 1. Relig. q. 2. cap. 2. §. 1.

§. 20. Quò Trid. Concilij decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſeruentur, præcipitur, vt nullus ex fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, cenſus, eleemoſynas, ſiue ex concionibus, ſiue ex lectionibus, aut pro miſſis, tam in propria Eccleſia, quàm vbicumque celebrandis, alioue ipſorum iuſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit.

Superiores contra prædicta non diſpenſent.

§. 21. Neque Superioribus, quicumque illi ſint, vllo pacto liceat eiſdem fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere.

Ad vſum conceſſis, vt proprijs non vtatur. Pœnæ contrafacientibus.

§. 22. Eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat vt proprium, neque vt proprio vtatur.

§. 23. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Trid. præſcriptas, ſed alias quoque multò grauiores Superiorum arbitrio imponendas incurrat.

Prælati diſpenſatio contra prędicta, à pœnis non excuſat.

§. 24. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia, fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab eiuſdem Concilij decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxij ſint, etiam Superiores

aſſue-

Digitized by Google

aſſeuerent, huiuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

Veſtitus, & ſupellex cellarũ vniformis, denique fratribus neceſſaria.

§. 25. Fratrum veſtitus, & ſuppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis ſit fratrum, & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat, ita vt nihil ſuperflui admittatur, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, alicui denegetur.

Omnia veſtimenta in communi loco aſſeruentur.

§. 26. Quæcumque fratrum veſtes, ſiue laneæ, ſiue lineæ, omniſque alia ſuppellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

Victus omnibus, etiã Superioribus ſit æqualis.

§. 27. Omnes, etiam Superiores, quicumq; illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſiue eadem (vt aiunt) pictantia in communi menſa, prima, vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo priuatim quiſque in cibum vtatur, vllo modo afferri poſſit. Si quis ea in re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

Superiorũ prouiſiones in libro ſcribantur, & ſolùm ratione officij expendantur.

§. 28. Superiores omnes, etiam Generalis, qui reditus, aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſæ in libro diſtincto fideliter, & diligenter annotari curent, neque in alios vſus, quàm ratione officij ſui neceſſarios quicquam expendant. Cum verò contigerit, ipſos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in communem conferant, ex qua ſibi, & ijs, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ, & conſtitutionum ſuppeditetur.

Adminiſtratio bonorũ Conuentus tribus fratribus demandetur.

§. 29. Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditumm ſui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per ſe ipſum habere, ſiue exercere poſſit, ſed vniuerſum id onus tribus fratribus eiuſdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tamquam depoſitarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter aſſeruet; alius de pecunijs, & rebus à depoſitario acceptis Priori, & fratribus, ac Conuentui vniuerſo de neceſſarijs mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed iuxta charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator, prouideat, officiorum huiuſmodi confuſione penitus interdicta.

Hi tres ſingulis menſibus rationẽ reddant.

§. 30. Cæterùm hi tres, tam impenſi, quàm accepti, ſingulis menſibus Superioribus locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus eiuſdem Conuentus probatioribus, rerumque vſu peritis, rationem reddant: Deinde ipſimet rurſus, præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, vel Viſitatoribus, cum aduenerint; denique ipſe Generalis, vel Viſitatores in quolibet proximo Capitulo generali, ſaltem coram tribus iudicibus ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, vniuerſæque ſuæ adminiſtrationis, tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneantur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc, vt ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

Tot fratres in locis degant, quot poſſunt ſuſtentari.

§. 31. In vnoquoque Conuentu fratrum is tantùm deinceps conſtituatur, & in poſterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, alijſue quibuſcumque obuentionibus in commune, vt præfertur; conferendis, commodè poſſit ſuſtentari; redditus verò, & ſupradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter aſſeruentur.

Hæc decreta declarare non poſſunt Superiores.

§. 32. Superioribus autem, ne Concilij Trid. aut hæc noſtra decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo poſſint, omnino interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioque priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis exiſtat.

Lectore priuilegijs non gaudẽt niſi actu legant.

§. 33. Nullus, niſi actu legat, vel prædicet, aliquo ſui gradus priuilegio gaudeat.

Socij dandi cõuerſi ſint 25 annorũ.

§. 34. Si alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis iudicio probanda, ſocius ex eodem Ordine, qui illi miniſtret concedendus erit, is, niſi vigeſimumquintum agat annum, & qui communi ſeruitio ſit deputatus, non concedatur, &, ſi commodè fieri poteſt, ſit laicus conuerſus.

Ianitor eligatur.

§. 35. Vt omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Conuentus clauſura perpetuò, ac diligenter ſeruetur, ac propterea à Superiore ianitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur; is ianuæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

Nullus abſque licẽtia egrediatur.

§. 36. Nullus à Conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaq; ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eumdem ſæpius; Licentiæ verò generales exeundi nulli omnino concedantur.

Contrauenientes pœna graui puniantur.

§. 37. Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eamdem etiam ianitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

Cum reuertuntur, benedictionẽ petant.

§. 38. Cum autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

Romam petere nemo poteſt.

§. 39. Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetrauerint.

Pœnæ contrafacientibus.

§. 40. Si quis autem ſine huiuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce actiua, & paſſiua biennio priuatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas; Quæ item omnia aduerſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine vlla exceptione locum habeant.

Vnica clane omnes cellæ aperiantur.

§. 41. Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt, cum ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit; & propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.

Lampas in in dormitorio luceat.

§. 42. In medio dormitorij totam noctem lampas colluceat.

Nullus duas cellas,

§. 43. Nullus, etiam Superior, cellas, ſiue in clauſtro, ſiue alibi ſeparatas à communi dormitorio habeat, ſed vnuſquiſque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino pa-

rietibus, ac lecto, & menſa humilibus, vniformique ſuppellectili, vt præfertur, quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit; poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, ſi eorum muneris, & officij neceſſitatem id exigere cognouerit, alteram etiam cellam concedere.

niſi Superiores, habeat.

§. 44. *Cellæ, ſiue ædiculæ, quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut aliòs ad communem vſum, & commoditatem Conuentus redigantur.*

Cellę extra dormitoriū prohibentur.

§. 45. *Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.*

Singuli lectum habeant.

§. 46. *In priuatis cellis nulli camini permittantur, ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus conuulſis, vt res illa non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur; cellis tamen Generalis aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.*

Camini nō permittuntur, niſi Superioribus.

§. 47. *Conuentus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, vt omnino is proſpectus impediatur.*

Conuentus feneſtræ quomodò regulari debeant.

§. 48. *Valetudinarium in ſingulis Conuentibus, certo, ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac fratrum numerò, quò ad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde, niſi recuperata ſanitate, abire permittantur; qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.*

Infirmaria in ſingulis Conuentibus conſtituatur.

§. 49. *Ineatur ratio, qua, ſublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conuentus, clauſtra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, niſi ex grauiſſima cauſa, à Sede Apoſtolica probanda, huiuſmodi facultates concedi poſſint.*

Non conceda tur fratribus extra Conuentū degere.

§. 50. *Nulli in poſterum ad habitum aut profeſſionem admittantur, niſi in Conuentibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Prouincia deputandis.*

Nullus recipiatur nouitius, niſi in Cōuentibus deſignatis.

§. 51. *Curent Superiores, vt conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obſeruetur.*

Conſtitut. largitionis munerum obſeruetur.

§. 52. *Vt omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præſertim generalibus, Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra huiuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur; ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur: Porrò ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non reuelantes extendimus.*

Dignitatū procuratio prohibetur. Vide to. 2. Relig. q. 1 cap. 2 § 11. pag 555.

§. 53. *In Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præſcripta à ſacro Concilio Trid. & Ordinis conſtitutionibus inuiolabiliter ſeruetur, iurentque electores, ſecundùm veritatem cuiuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros. Ac propterea, priuſquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum. Ad officia, gradus, & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueuerint Regulas Ordinis, & conſtitutiones obſeruare, præſertim quæ pertinent ad ſeruitium chori, ac veſtitum, & victum communem.*

Iurent electores de meliori eligendo; & ad officia, qui magis Regulam ſeruant, eligantur.

§. 54. *Eligantur in Capitulo generali, vel prouinciali aliquot graues, & periti ex fratribus cuiuslibet Prouinciæ, ſaltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones, etiam ipſorum fratrum, ac Lectores publicos diligenter ſimul examinent, priuſquam probentur, & ad huiuſmodi miniſterium admittantur. Horum etiam curæ ſit examinare, & probare, tam quò ad doctrinam, quàm quò ad mores promouendos ad quoſcumque ordines; in quo ſeruetur decretum Congregationis interpretum ſacri Concilij Trid. hac de cauſa nuper editum, & promulgatum.*

Tres viri graues in examinatores eligantur.

§. 55. *Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores ſint rationis, quam in nouiſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt, quæ in eorumdem Ordinum Regulis, & conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, ieiunijs, Capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitijs prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad vnguem obſeruentur, intelligantque ſuper his, veluti fundamentis, omnium Religionum ædificia conſtruenda, & amplianda eſſe; quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis fratrum producant, valde opportunum erit, ſi in quolibet Conuentu ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſeruantia.*

Curent Superiores Regulā ſeruari, & ſermo de religioſo diſciplina habeatur.

§. 56. *Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendantur tabella in loco conſpicuo vniuſcuiuſq; Conuentus, in qua diſtinctè annotetur, quid ſingulis horis cuiuſque diei quilibet frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis conſtitutiones, his decretis non aduerſantur, inuiolatè cuſtodiendæ erunt.*

Tabella cū horarū diſtinctione in loco conſpicuo appendatur.

§. 57. *Quibus horum decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc decreta, donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur, ab omnibus obſeruari poſſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuſcunque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinum conſtitutiones prepetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum ſingulis facultate illas declarandi, & aduerſus eas vmquam diſpenſandi, alioquin ſciant, ſe in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine vlla exceptione reſpectiuè incidiſſe.*

Hęc decreta inter alias conſtit. perpetuas collocētur.

§. 58. *Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſeruatio quoquo modo differri poſſit, aut impediri, volumus, vt, poſt illorum publicationem in Conuentu, vel Monaſterio cuiuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, alioſque Ordinum Superiores, cæteroſq; quſcunque fratres præſentes ſtatim; reliquos verò*

Forma publicandi ad effectū obligandi.

abſen-

abſentes citra montes vnius menſis ; vltra montes trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent .

Generales hæc decreta publicari faciant.

§. 59. *Inſuper mandamus , quòd Generales in ſingulis Conuentibus citra montes vnius menſis ; vltra verò montes trium menſium curſu decreta ſupradicta publicari faciant , ſub pœna priuationis Generalatus, alijſque arbitrio noſtro imponendis .*

Datum Romæ ; apud S. Petrum , die 25. Menſis Iunij , 1599.

Prouincialis poteſt concedere licentiã eundi Romã.

§. 60. *Decretum illud , quo fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permiſſum eſt , Sanctitas ſua extendi ad Prouincialem decreuit , ita vt Prouincialis ipſe ex cauſa communi totius Prouinciæ dumtaxat , facultatem huiuſmodi facere valeat ; declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ , & paſſiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati ſuæ reſeruatam eſſe , interdicta omnino eorum Superioribus ſingulis ; etiam Generali , ac Protectoris facultate illam moderandi, ac relaxandi . Datum Romæ, die 20. Martij , 1601.*

Decretum fel. rec. Clem. Papæ VIII. ſuper caſuum reſeruatione, ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.

Motiua pro caſuũ reſeruatione à Superioribus facienda.

§. 61. S*Anctiſſimus D. N. qui iampridem accuratè perpendit, ac re ipſa comperit, quòd reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus , niſi Superiores admodùm prudenter , ac moderatè illa vtantur , nonnullos infirmiores , qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant , adducere poſſet in æternæ damnationis periculum , & ſpiritualis remedij deſperationem ; Ideo , vt huic malo Sanctitas ſua opportunè proſpiceret , decreuit , vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis ijs, quæ ſequuntur, aut omnibus , aut eorum aliquot , prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint .*

§. 62. *Veneficia , incantationes , ſortilegia .*

§. 63. *Apoſtaſia à Religione , ſiue habitu dimiſſo , ſiue retento , quando eò peruenerit , vt extra ſepta Monaſterij , ſeu Conuentus fiat egreſſio . Nocturna , ac furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta .*

§. 64. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale . Iuramentum falſum in iudicio regulari , ſeu legitimo .*

§. 65. *Procuratio , auxilium , ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum , etiam effectu non ſequuto .*

§. 66. *Falſificatio manus , aut ſigilli officialium Monaſterij , aut Conuentus . Furtum de rebus Monaſterij , ſeu Conuentus in ea quantitate , quæ ſit peccatum mortale .*

§. 67. *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus .*

§. 68. *Occiſio , aut vulneratio , ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ .*

§. 69. *Malitioſum impedimentum , aut retardatio , aut aperitio literarum à Superioribus ad inferiores , & ab inferioribus ad Superiores .*

§. 70. *Si quod aliud præpterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione , aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur , id non aliter fiat , quàm generalis Capituli in toto Ordine , aut prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione , & conſenſu .*

Si quod aliud crimen reſeruandum ſit quomodo id fieri poſſit.

§. 71. *Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire , niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint , aut ipſimet ſubditi ſponte , ac proprio motu id ab ijs petierint .*

Superiores regulares ſubditorũ confeſſiones non audiant.

§. 72. *Superiores in ſingulis domibus deputent duos , tres , aut plures confeſſarios pro ſubditorum numero maiori , vel minori , ijque ſint docti , prudentes ac charitate præditi , qui à non reſeruatis eos abſoluant , & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur , quando caſus occurrerit , in quo eam debere committi ipſe in primis confeſſarius iudicauerit .*

Superiores confeſſores deputent.

§. 73. *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarij , qui ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti , caueant diligentiſſimè , ne ea notitia , quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt , ad exteriorem gubernationem vtantur .*

Notitia in confeſſione habita non vtantur ad exteriorem gubernationem.

§. 74. *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis , etiam non reſeruatis , à confeſſarijs imponendas , quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint .*

Licet Superioribus pœnitentias determinare.

§. 75. *Atq; ita per quoſcumq; Regularium Superiores , quicumq; illi ſint , obſeruari mandauit . Non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , ac cuiuſuis Concilij , etiam generalis decretis , necnon conſuetudinibus , etiam ab immemorabili tempore obſeruatis , aut regulis in generalibus , ſeu prouincialibus Capitulis editis , ſtatutis , & conſtitutionibus , etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis ; priuilegijs , indultis , & conceſſionibus quorumcumq; Ordinum , quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit , cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque . Datum Romæ , apud S. Petrum , die 26. Menſis Maij , anno Domini 1593.*

Contrarijs derogat.

§. 76. *Sanctitas ſua deinceps declarauit , & declarat , vt ſi , huiuſmodi Regularium confeſſarijs caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus , Superior dare noluerit , poſſint nihilominus confeſſarij illa vice pœnitentes Regulares , etiam non obtenta à Superiore facultate , abſoluere .*

Superiore negante cõfeſſarius facultatẽ abſoluendi, ille nihilominus poteſt abſoluere.

Formula concedendi facultatem pro nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monaſterijs, & locis deſignatis.

§. 77. S*Anctiſſimus in Chriſto P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. cum regularem diſciplinam reſtituere , atque in priſtinum ſtatum reuocare maximè cuperet , Regulareſque omnes vitam moreſque ſuos ad rationem eius Inſtituti , quod quiſque profeſſus eſſet , ita componere , vt quæ ad votorum vim , habitum , victumque communem pertinent , ea potiſſimum ſinguli religioſiſſimè obſeruarent, generali decreto , quod de Menſe Iunij editum , tertia Iulij , anni 1599. promulgatum fuit , Ordinum religioſorum Superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit , ne aut nouitios reciperent , aut quemquam ad pro-*

Eſt forma, prout in ſummar. & quòd numerus fratrum deſignatur augeri nõ poſſit.

Digitized by Google

profeſſionem ante admitterent, quàm à Sanctitate ſua Monaſteria aliquot ad eam rem præſcripta eſſent, in quibus obſeruantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas ſua à locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infraſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus Ordinis N. præfinitum eſſe numerum dumtaxat eorum, qui vel ipſius Monaſterij cenſibus, vel conſuetis eleemoſynis ſuſtentari ibi commodè poſſunt, atque in ijs omnia fideliter obſeruari, quæ ſunt cum illorum profeſſionis perfectione coniuncta, nempe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vnà cum cæteris decretis particularibus, vel Inſtituti ipſius, vel pontificijs, etiam ad victum, veſtitumq; communem ſpectantibus, ipſo decreto, vt ſupra, edito, & promulgato nequaquam obſtante, poteſtatem facit Superiori eiuſdem Ordinis nouitiatus in infraſcriptis Monaſterijs, & Conuentibus erigendi, nouitios recipiendi, educandi, atque ad profeſſionem admittendi, modò tamen id ad præſcriptum inſtructionis, iuſſu ſuæ Sanctitatis editum, neq; alio modo fiat. Quoniam verò ea eſt ſuæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monaſterijs, & Conuentibus, ad alendos nouitios præfinitis, regularis obſeruantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipſis præſcriptus iam perſonarum numerus in poſterum ſeruetur, nulluſque omnino Superior cuiuſuis conditionis perſonarum, & nouitiorum numerum augere præſumat, ea pœna propoſita, vt omnibus priuatus officijs, vocis actiuæ, & paſſiuæ ius omne amittat. Vult denique Sanctitas ſua huiuſmodi facultatem per Congregationem reformationis Apoſtolicæ hoc decreto Secretarij manu ſubſcripto concedi, non obſtante decreto, vt ſupra, promulgato. Datum Romæ, die, &c. Præſcribitur verò numerus Sacerdotum. Clericorum. Nouitiorum. Conuerſorum autem.

Decretum ſupra forma recipiendi nouitios Regularium ad habitum, & profeſſionem.

Nouitij nō recipiātur, niſi ab Ordinarijs approbati. Quod tamen derogatur hic ſupra, n. 1.

§. 78. S*Anctiſſimus in Chriſto P. & D. N. D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. qui aliàs pro regularis diſciplinæ reſtitutione ſingulis Regularium Ordinibus (quibuſdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum nouitios in poſterum reciperent, receptoſque ad profeſſionem admitterent, quouſque in aliquibus cuiuſuis Ordinis Monaſterijs, ſeu Conuentibus, in quibus nouitiatus pro recipiendis, & educandis nouitijs deſignarentur, & approbarentur, ad eius, quam profeſſi ſunt, Regulæ præſcriptum, vitam, moreſque reſtituerent, & componerent: Certior deinde factus, quoſdam omnium fere Ordinum Conuentus ſeu Monaſteria ad priſtinam illam regularem viuendi formam, & diſciplinam, quam diutius deſiderauerat, fuiſſe redacta, in eiſdem Monaſterijs, & Conuentibus, vt nouitiatus erigi, nouitijq; recipi poſſent, ſub certis tamen legibus, ac ea præſertim, vt licentia à Congregatione reformationis Apoſtolicæ priùs obtenta eſſet, conceſſit, & ad illa deſignauit, & approbauit. Nunc volens, vt ea quæ pro nouitiorum receptione, & inſtitutione de mandato Sanctitatis ſuæ præſcripta fuerunt in poſterum accuratiùs, & exactiùs obſeruentur, vltra formam traditam in conſtitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis ſuæ ſuper receptione nouitiorum, decreuit, ac præſentis decreti virtute mandauit, ne in Conuentibus, ſeu Monaſterijs, ad nouitios recipiendos de Sanctitatis ſuæ, ſeu dictæ Congregationis reformationis licentia hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis, & approbandis, nouitij ad habitum recipi vllatenus poſſint, vel admitti, niſi prius ab ipſa Congregatione, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum Diœceſi nouitiatus exiſtunt, in quibus nouitij recipiendi fuerint, expreſſè, & nominatim nouitij ipſi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti poſſint, licentiam in ſcriptis, gratis tamen in omnibus, etiam quò ad ſcripturam concedendam, obtinuerint.*

Monitio ad Ordinarios.

Monet autem Sanctitas ſua eoſdem Ordinarios, omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, ſcientiam, vitam, & mores, cæteraſq; qualitates in ipſis nouitijs requiſitas, obſeruentur inſtitutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione reformationis factæ, & publicatæ, neq; aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant, Ordinariorum ipſorum conſcientiam onerando, ſi quempiam approbauerint, vel admitti permiſerint, qui non ſit idoneus, & iuxta conſtitutiones, & inſtitutiones prædictas approbandus, & admittendus.

Pœnæ cōtra Superiores contrafacientes.

Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcumq; Ordinum, qui in admittendis ad habitum, & profeſſionem nouitijs, formam conſtitutionum, & inſtitutionum prædictarum non ſeruauerint, aut nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio Conuentu, & loco, ſeu Monaſterio, præterquam in hactenus à ſua Sanctitate, vel à dicta Congregatione deſignatis, & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorum ſingulis præſcriptum, ſeu præſcribendum receperint, vel admiſerint, ſeu aliàs præmiſſis quouis modo contrafecerint: Irritum ex nunc, & inane decernens, quicquid ſecus, vel aliàs quauis auctoritate, à quouis geſtum, vel attentatum fuerit. Non obſtantibus quibuſcumq; &c. Datum Romæ, apud S. Petrum, die 19. Maij, 1602. Pontif. eiuſdem S. D. N. anno 11.

Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione nouitiorum Religioſorum in Monaſterijs, & Conuentibus deſignatis, vel deſignandi, Clementis eiuſdem iuſſu editæ:

Motiua harum ordinationum.

§. 79. C*Vm ad regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Monaſterijs propagandam nouitiorum inſtitutio maximè vtilis ſit, ac neceſſaria; & nihil ad grauem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm vel nimiam in recipiendis nouitijs facilitatem ſupra numerum, quem capere, atque alere Monaſteria ipſa poſſent; vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an verè eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſeruiendi; vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis, idcirco, vt huiuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, vt in recipiendis nouitijs, & in eorum inſtitutione, atque educatione, necnon in Magiſtri, & aliorum miniſtrorum electione, præter alia,*

quæ

quæ in ſacris Canonibus, & decretis, præſertim Concilij Trid. pontificijs, & cuiuſcumque Ordinis, aut Inſtituti conſtitutionibus continentur, tam in aliàs deſignatis, quàm nunc, & in poſterum ad hoc deſignandis Monaſterijs, & Conuentibus, hæc quæ ſequuntur inuiolatè obſeruari, & exequi perpetuò curent.

Quæ conditiones requirãtur in nouitijs recipiendis.

§. 80. *Primum, quòd attinet ad nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de vniuſcuiuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac præcipuè eorum, qui ſextum decimum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius adminiſtrationis rationi obnoxij ſint, iuxta formam conſt. fel. rec. Sixti V. & moderationum ſubſecutarum; illud etiam Superiores, ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, vt quibus in Monaſterijs, & Conuentibus ex Apoſtolica facultate nouitiatus fuerint inſtituti, in ijs ad Religionem nullus in poſterum admittatur, qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, ſummorumque Pontificum conſtitutionibus præſcriptas non habeat, iuxta decretum ſuper forma de recipiendis nouitijs, die 19. Maij 1602. editum.*

Quam ætatem, & ſciẽtiam habere debeant, etiam Conuerſi.

§. 81. *Quiſque recipiendis in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia inſtituta, & ordinationes requirunt; eam verò literarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam preſeferat, vt minores, & ſui temporibus maiores Ordines iuxta decreta ſacri Concilij Trid. ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens, ad habitum regularem admitti poſtulauerit, & tali eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuerſorum tantùm, quibus literarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur, Ipſi autem Conuerſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua doctrinæ chriſtianæ capita nouerint.*

De quibus debeãt examinari.

§. 82. *Demum Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari poſſint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & ſubſidio ipſorum indigentes, deſtituantur.*

Inſtruãtur de Regula, & votis, antequam ad habitum recipiantur.

§. 83. *Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuerſi, recipiendi, priuſquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quàm profeſſuri ſunt, tribus votis eſſentialibus, ſtatuq; regulari, & alijs cuiuſq; Ordinis peculiaribus inſtitutis, & conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quarumdam Religionum mos eſt, nedum Conuerſos ad profeſſionem admittendos, verùm & Oblatos, vt vocant, recipere, circa ipſorum Oblatorum receptionem vnaquæque Religio ſuas peculiares conſtitutiones, ſpecialiaque inſtituta obſeruare teneatur.*

Nouitij ſtatim recepti confeſſionem generalem faciant.

§. 84. *Statim atq; nouitij ad habitum recepti, & in locum nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius ante actæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent.*

§. 85. *Quod verò ad loci qualitatem vniuſcuiuſq; nouitiatus ſpectat, locus huiuſmodi propria clauſura ab ea parte Conuentus, & Monaſterij, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atq; diſtinctus, habeatq; tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro ſingulis ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magiſtro, eiuſque ſocio reperiatur.*

De ſitu, & poſitura nouitiatus, In quo etiam magiſter, & ſocius ſtent.

Sit in eo locus pro collationibus: Caminus quoque ad calefaciendum.

§. 86. *In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſq; Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant.*

Sit etiam in eo Oratorium.

§. 87. *Oratorium inſuper, ſeu Capella, ſi commodè fieri poterit, ad nouitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremonijs, eccleſiaſticiſque functionibus exercendos.*

Hortus quoque ſit minus, ad cõmunem, alijs excluſis.

§. 88. *Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem, bene concluſus, atque munitus adſit; ſin minus, hortum cæteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur; Ipſis verò nouitijs ibi commorantibus, curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate, ſi opus fuerit, ne in eumdem quiſquam alius ingrediatur.*

In nouitiatu ſolus Magiſter, ac ſocius, & aliquãdo Superior ingrediãtur.

§. 89. *Ad huiuſmodi locum nouitiatus nemini eiuſdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monaſterij officiali vllo vmquam tempore ſub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro, eiuſque ſocio, ac etiam Monaſterij, aut Conuentus Superiori, ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimauerit; quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus Conuentus, vel Monaſterij Patribus ſocium aſſumat.*

Nouitij quomodo alloquẽdi.

§. 90. *Huius loci clauſuræ clauis apud Magiſtrum ſemper aſſeruetur, illique ſoli liceat ex graui tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere; Si quis autem nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter, alloquatur.*

Magiſter nouitiorũ, & ſocius in Capitulis prouincialibus eligãtur per triẽnium.

§. 91. *Nouitiorum Magiſtro ſocius, ſi per nouitiorum inſtruendorum multitudinem neceſſarius fuerit, vita, & moribus, quoad fieri poterit, conſimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubiectus exiſtat; eliganturque tam Magiſter, quàm ſocius, per prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiuſmodi ſubituri. Quòd ſi aliquo caſu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magiſtri Nouitiorum, & ſocij huiuſmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, ſeu Miniſtrum, aut eorum Viſitatores, ſeu Vicarios, de Definitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum conſenſu fieri permittatur; idemque ſeruetur, ſi intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij conſimiles ſubrogari debeant.*

De conditionib. Magiſtri nouitiorum, & ſocij.

§. 92. *Tam nouitiorum Magiſter, quàm ſocius, ab ijs omnibus officijs, oneribuſque vacationem habeant, quæ nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter ſacerdotali ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in Religione perſtiterit; ſocius verò trigeſimum annum excedat, ſintq; ambo doctrina, &, quantùm per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vita etiam*

ante-

Digitized by Google

anteacta exemplo præſtantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateq; referti, non ſine affabilitate graues, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præſertim, & indignatione, quę in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueuerunt, quàm longiſſimè alieni; & tales demum, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam poſſint.

Magiſter habet plenam poteſtatē circa nouitios.

§. 93. Habeat etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa nouitiorum inſtitutionem, ac Nouitiatus regimen ita vt in illis nemini (Viſitatoribus ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis,) quouis colore ſe ingerere liceat.

De quibus debent nouitij inſtrui.

§. 94. Curam adhibeat diligentem, vt nouitij omnes in regulari diſciplina ſedulo exerceantur, agnoſcantq; præcipuè diuinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam, quæ vera ſit, atque perfecta votorum ſolemnium, & quam neceſſaria cuiuſq; Ordinis conſtitutionum obſeruantia; modum in oratione, tū vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata, omni tempore prona eſt, atq; procliuis) per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi; auſteritatem, ieiunia, cilicia, diſciplinas, conſcientię puritatem, crebram illius diſcuſſionem, ſacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifeſtationē, per exercitiū humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumq; ſilentium.

Nouitij orationi incūbant, & magiſtro confiteantur. Huic obſtat noſtrū Correct. nu. 89. cui non puto derogari.

§. 95. Quilibet nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, vnuſquiſque ſecundùm propriā capacitatem, & ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam vnuſquiſque examinare contendat; ipſi autem Magiſtro ſoli nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel, aut bis in anno eorumdem nouitiorum confeſſiones audire. Quia iſtæ ordinationes non ſunt per modum præcepti, ſed ſolum per modum Regulæ, & Conſilij, vnde ſtatutis regularibus non derogant, nec minus irritant confeſſiones aliter factas; ſic in iſtis terminis tenet Molfeſ. p. 1. ſum. tract. 7. c. 14. num. 83.

Miſſæ interſint, & horis canonicis.

§. 96. Quotidie miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in choro nocturnis, diurniſq; diuinis officijs aſſiſtāt.

Vacent etiam exercitijs corporalibus.

§. 97. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra nouitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatq; ſemper, Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commorentur diſiuncti, atq; eo tempore cuiuſque in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

Cum profeſſis non conuerſentur.

§. 98. Non liceat eis, durante nouitiatus, & probationis tempore, vnà cum profeſſis, niſi in choro, in Eccleſia tempore officiorum, in proceſſionibus, aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis profeſſos domo exeuntes comitari.

Vni nouitiorum committatur ianuæ cuſtodia.

§. 99. Pro communibus, & proprijs cuiuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, vnus ex nouitijs ipſis, ætate, moribuſq; prouectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ cuſtodia, & rerum leuioris momenti prouiſio intra nouitiatum committi poterit.

Conuerſorum cura non omittenda.

§. 100. Cum autem licèt Clericorum bene inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua, Conuerſorum tamen religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potiùs æquanimiter amplexanda, quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cum regulam profiteantur eamdē, perfectam educationem, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Chriſti fidelibus ædificationem, exemplum, atq; vtilitatem afferre: Conuerſis ipſis à Clericorū nouitiatu ſeparatis ad dormiendū locus, quantùm commodè fieri poterit, aſſignari præcipitur: illi tamen, hac ſeparatione non obſtante, Magiſtro nouitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conuentuum, iuxta cuiuſque Ordinis ſtatuta, & conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obſequia probandi, & exercendi, verumetiam pro eorum capacitate, & commoditate de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt; quod vt commodiùs fiat, ad capitula, & ſpirituales conciones, quæ per Magiſtros nouitijs fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſijs ſtatutis horis conueniant, niſi tunc in ſuis officijs actualiter occupati fuerint.

Conuerſi 21. annū ad profitēdum habeant.

§. 101. Tempore verò probationis elapſo, ij tantùm, qui non ſolùm religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti nono, ac diligenti examine reperti fuerint, dummodò ætatis ſuæ annum quò ad Clericos decimum ſextum, quò verò ad Conuerſos vigeſimum primum exceſſerint, ad profeſſionem admittantur; ſed qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint.

Habeat Superior librū, in quo nouitiorū profeſſio regiſtretur.

§. 102. Superior cuiuslibet Conuentus, in quo nouitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſque nouitij profeſſio regiſtretur, illamq; nouitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant.

Cōuerſi loco ſubſcriptionis ſignū crucis faciant.

§. 103. Conuerſus verò literarum ignarus profeſſus, in eorumdem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia propria manu ſignū crucis apponat, aſſeruetur q; liber, & cuſtodiatur in archiuio, vbi ſcriptura ad Monaſterium, ſeu Conuentum pertinentes reponi conſueuerunt.

Conuentus facientes filiationes, ad loca nouitiatuum nouitios mittant.

§. 104. Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis vſus eſt receptus, declaratur, quòd licèt decretum ſit, vt nouitijs educandis certa Monaſteria, aut Conuentus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conuentuum huiuſmodi Ordinum, in quibus filiationis vſus receptus eſt, eos, quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios iuxta cuiuſque Ordinis conſtitutiones aſcribere, ſicq; aſcriptos, cum iuxta præſentes inſtitutiones, & alias, ſeruatis ſeruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca nouitiatuum cum teſtimonialibus literis tranſmittere, vbi tamquam dictorum Conuentuum, ſeu Monaſteriorum filij, eorumdem nomine, & inſtantia recipi, ac in nouitiatu probari, & deinde, antequam ad eadem Mona-

ſterium

Digitized by Google

ſteria, ſeu Conuentus filiationis huiuſmodi remittantur, in profeſſorio ad perfectionem, vt præmiſſum eſt, exerceri debebunt.

Capitula prouideant circa ſingulos Conuentus, quod illis opus erit.

§. 105. *Porro, ne loca vnius Monaſterij, ſeu Conuentus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut prouincialis partes erunt numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum contributionem, ſi opus fuerit, inire, ac ſingulis Conuentibus, & Monaſterijs præſcribere, quæ magis expedire videbitur.*

Nouitij recens profeſſi in aliud profeſſoriũ collocẽtur.

§. 106. *Vt autem nouitij iam in profeſſorum numerum, ſicut præmittitur, recepti, melius in bono ſpiritu, regulariſq; diſciplinæ obſeruantia ſtabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conuentibus aut Monaſterijs pro nouitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi nouitiatus, ſiue profeſſorij, ab ea, quæ nouitiorum eſt atq; antiquorum profeſſorum habitatione diſtinctas, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conuentus eos alere queat; ſin minus, in alium commodiorem Conuentum, aut Monaſterium transferantur, in quo eis locus cum requiſitis ad nouitiatum ſupra narratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo conſtruatur.*

Religiones quæ cõſueuerunt nouitios maiori tempore in nouitiatu tenere, continuent.

§. 107. *Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum conſtitutionum, ſeu inſtitutorum vigore maioris temporis curſu nouos profeſſos intra nouitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt, prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac religioni magis expedire dyudicauerint, quibus in locis degant ſub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quàm ſeruent antiquiores profeſſi, ita quod in negotijs Monaſteriorum, aut Conuentuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neq; alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibiq; permaneant, quouſq; ad ætatem ſacris ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem deuenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo & debebunt literarum ſtudijs operam nauare ſub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus nouitiorum Magiſtrum prędictum eſſe oportere dictũ eſt.*

Nouitij nõ recipiãtur, niſi in locis deſignatis.

§. 108. *Declaratur tamen, quòd propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi nouitios, niſi in locis pro nouitiatu deſignatis, aut in poſterum deſignandis, & pro numero dumtaxat in eorum ſingulis præſcripto, vel præſcribendo.*

Pęnæ contrafacientibus.

§. 109. *Denique ſi illi, qui inter Religioſos gradu, & ordine Superiores ſunt, & alij, ad quos ſpectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, ſeu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioreſq; pro modo admiſſæ culpæ pœnas ſe ſubituros certò ſciant. Datum Romæ, apud S. Petrum, die 19. Martij, 1603. Ant. Seneca Reform. Apoſt. Secr. Anno 1624. Indictione 7. Pontificatus autem S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 2. die verò 26. Menſis Octobris, ſupradicta decreta, tam ſacræ Congreg. Concilij quàm S. M. Clementis VIII. affixa, & publicata fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum, necnon in acie campi Floræ, vt moris eſt, per nos Camillum Fundatium, & Iulium Marzitellum Curſores Sanctiſſimi. Brandimartes Latinus pro Magiſtro. DD. Curſ.*

§. IV.

1 Circa ſex illos Patres eligendos, de quorum ſolum conſilio, & aſſenſu eijciendi ſunt incorrigibiles, aduerte, quòd cum difficile valde exiſtimatum fuiſſet, Generalem, vltra ordinariam comitiuam ſecum ducere continuè debere dictos ſex Patres pro ſolùm dicta cauſa expulſionis, quæ rara admodum eſt, ſupplicatum eſt, vt audiui à Religioſis fide dignis, Congregationi pro remedio. Quæ reſpondit, poſſe Generalem, vel Viſitatorem generalem in qualibet Prouincia, in qua id opus fuerit, aſſumere ſibi ſex ex Definitoribus illius, de quorum conſilio, & aſſenſu poterit dictos incorrigibiles eijcere.

§. XVIII.

2 Nota, quòd iſta decreta fuerunt primò miſſa ad Capitulum generale noſtri Ordinis, quòd Genuæ 6. celebrabatur anno 1596. vt patet ex num. 2. dicti Capit. & ab eo fuerunt acceptata, vnde non eſt dubium, quin ad ea obſeruanda teneantur noſtri.

3 Studiorum cauſa occupatos dicas ſtudiorum Regentes, & qui libros imprimunt, vel ad confutandos hæreticos ſtudẽt; leg. Semper. §. Negotiatores. ff. de iure imm.

4 Ægrotos etiam dicas tam temporaneos, quàm perpetuos. leg. Prætor, ff. de vacat. & exc. mu. Inter quos, & poſſunt numerari ſenes; leg. Semper, ff. de iur. imm. Statutum enim loquens de ægrotis, in ſenibus locum habere, docuit Abbas in ca. Magnæ, de voto, Menoch. de præſump. lib. 6. præſump. 46. n. 2. Et facit textus in ca. 1. §. Sin autem Epiſcopus, de Cleric. ægr. in 6. Sed numquid hi ad Prælaturas eligi poſſint. Dic quòd ſic; ſi habiles aliàs ſint, leg. Cui muneris ff. de mun. & honor. tunc enim debebunt choro intereſſe.

5 Et ſi quæras, an infami infamia iuris, vel facti ſi deſit demandandum munus alios docendi, ſeu prædicandi, ita vt poſſit inde his priuilegijs vti.

℞. Negatiuè: Tum quia primum debet excellere moribus, vt ſtatuitur in iure ciuili, leg. Vnica, C. de profeſſ. qui in Vrbe Conſtan. doc. lib. 12. & leg. Magiſtros, C. de profeſſ. & med. lib. 10. & in noſtra Regula num. 41. Turpe enim foret, vt hodie docens ſederet in cathedra, qui pridiem luſit in ſcena, vt dicitur. d. 48. in princ. Tum quia prædicare, & ſacrificare parificantur; cap. Presbyteros, qui, d. 50. Sed infamis ſacrificando repellitur, nam indigno ſancta committenda non ſunt; cap. Si quis verò. 11. quęſt. 3. Ergo, & à prædicando, ſeu docendo: cuius enim vita deſpicitur, neceſſe eſt vt eius prædicatio contemnatur; cap. Infames, 6. Idem teſtatur 3. q. 7. Atque ita docet Penna leg. vnica, C. de profeſſ. qui in Vrbe Conſt. lib. 12. col. 2. Quæ tamen poteris limitare, ſi talis poſt peractam pænitentiam verè reſipiſcat ex corde; arg. cap. Si duo 35. quæſt. 6. vbi gloſa verſic. Atque infames: abſitque ſcandalum, & periculum recidendi, & id publicè non fiat; cap. Bene valet, & cap. Sacerdos, d. 50. non enim refert, quis doceat, ſed qualia doceat; cap. Secundum Eccleſiæ, d. 19. Sed quid faciet, inquies, vir literatus, ſi propter aliquam diſgratiam infamiam incurrat. Quieſcat, & pœnitentiam agat, ait Penna loc. cit. & ad id citat cap. Nemo in peccatis, de pœnit. d. 1. quod tamen ego inuenire non potuit. Facit pro hoc, §. 6. conſt. 2. Pauli IV. ſupra, quatenus, prohibet, apoſtatas redeuntes ad Religionem prædicare, & confeſſiones audire.

§. XXXII.

6 Nota, quòd prohibentur Superiores hæc decreta interpretari. Loquitur autem de interpretatione iuridica, vt patet ex illa clauſula. *Ne Concilij Trid.* non enim poſſunt Superiores decreta Concilij per vllum priuilegium ſic interpretari. Vnde quò ad iſtas interpretationes derogat priuilegio Iulij II. quod habes ſupra, in eius conſtit. 13. §. 1 vbi vide quæ dico de tali interpretatione n. 1. Quare linquit campum francum Doctoribus ea doctrinaliter, ſeu magiſtraliter interpretandi. Ita Probus in cap. Exijt de verb. ſignif. in 6. num.

num.1. tali enim interpretationi nemo ſtare cogitur, vt Pẽna loc. cit. col.4. qui ſex ponit interpretationum ſpecies, & plura de interpretatione. Quique col.6. ait. quod vbi lex interpretationem expreſsè prohibet, ſi loquamur de interpretatione, quæ corrigat, ad legiſlatorem ſpectat, ſi de ea, quæ prorogat, vel extendit, ad Doctorem etiam pertinet, vbi eſt eadem ratio, & omnimoda ſimilitudo.

7 Seu dicas per huiuſmodi prohibitionem ſolùm prohiberi interpretationes ſubtiles, ſeu capitoſas, quæ iuri, & rationi non nituntur. Et nota ex Penna loc. cit. col. 7. quòd ſubtilitas eſt duplex, vna bona, & laudabilis, quæ. ſ. ex ingenij virtute procedit, à ratione pariter, & æquitate non deuians, & hæc ſubtilitas laudabilis eſt, & omnino neceſſaria Doctoribus bonæ famæ; laudatur cap. Cum Sancti. 24. q. 3. & leg. vnic. C. de profeſſ. qui in Vrb. Conſtit. lib. 12. Alia ſubtilitas eſt cauilloſa, quæ non rationi, neque iuri innititur, ſed proprio capitu, & per ambages, & cauillos, leges claras obſcurando, ſuam curat probare ſententiam, & hæc reprobatur cap. Dilecti filij, de iud. &c. Hinc etiam d. 49. De hac ait Petrus Chryſolog. in quodam ſermone. *Odibilius nihil eſt ſubtilitate, vbi eſt ſola ſubtilitas: quid enim prodeſt in illis expendere dies ſuos; quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in clauſtro, nec in Curia, nec in Eccleſia, nec alicubi proſunt, niſi duntaxat in ſcholis.* Et Seneca in quadam epiſtola. *Quid eſt,* inquit, *ingenium, quod ſola ſubtilitate laſciuiens nulla in ſe reſidet grauitate. Bonus Doctor,* inquit, Aug. 4. de doctr. chriſt. *vulgi more loquatur, vt ambiguitates, obſcuritateſque vitet.* Et Greg. 20. mor. *Debet, inquit, ſubtiliter, his qui docet, perſpicere, ne plus dicere ſtudeat, quam ab audiente capiatur, prædicare debet ad infirmitatem audientium, ſemetipſum contrahendo, deſcendere; ne dum paruis ſublimia, & idcirco non profutura loquitur, ſe magis curet oſtendere, quam auditoribus prodeſſe.* Et quo loco duas dictas ſubtilitates perſpicis. Seu intellige de interpretatione friuola vt Stephan. de Feder. tract. de interpr. iur. part. 2. num. 17. tom. 1. tract. pag. 216. ſeu dic cum eodem part. 4. num. 95. quod non poſſunt interpretari reſtringendo, vel ampliando, aut argumentando, à ſimili, vel à contrario, non antẽ declarando, vel diſtinguendo.

§. LXI.

8 NOta, 1. quòd iſtos duntaxat caſus poſſunt ſibi reſeruare Superiores regulares, vel omnes, vel aliquos. Et explicantur à Longo in tract. partic. de hac re: Comitulo in reſponſ. moral. q. 34. Graff. lib. 3. de caſib. reſ. Quar. verb. Caſus reſer. à pag. 193. Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 29. ſect. 3. à n. 11. & alijs.

9 Nota 2. quòd poſſunt Superiores reſeruare ſibi hos caſus, non ſolùm quò ad profeſſos, ſed etiam quò ad nouitios, per viuæ vocis oraculum Pauli V. pro Congreg. S. Mariæ Fulien. de quo teſtatur Card. Bandinus anno Dom. 1609. die 17. Aug. vt habetur in comp. dictæ Congr. tit. Caſuum reſeruatio, §. 4. Quod tamen ante hanc declarationem erat valde dubium, cum pro vna parte nouitij non ſint Religioſi, & pro alia ſint exempti à iuriſdictione Epiſcoporum. Videatur Io. Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 6. dub. 10.

10 Nota, 3. quòd dubitant aliqui, an poſt hunc motum proprium poſſint Superiores regulares præcipere aliquid ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & ſibi abſolutionem reſeruare Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 29. ſect. 3. n. 13. cenſet quòd ſic. Contrarium puto verius, cum Sanch. 6 in decal. cap. 1. num. 15. quia ſic poſſet quilibet Superior ad libitum ſuum quamlibet caſum ſibi reſeruare, apponendo illi excommunicationem ipſo facto cum reſeruatione, & ſic hanc ſanctam ſanctionem deludere, & bonam Pontificis mentem defraudare.

11 Admoneo autem hic Superiores regulares, meminiſſe debere in excommunicationibus ferendis id, quod docuit Trid. ſeſſ. 25. de refor. c. 3. nimirum ſobriè, & magna circumſpectione gladium illum eſſe exercendum, non præcipitanter, neq; ex quacumq; cauſa, vt aliquos facere ſæpe vidi; nam quandoq; excommunicantur aliqui iniuſtè, & excommunicatores, vltra peccatum mortale, quod incurrunt per cap. Sacro de ſent. exc. tenentur ad omne intereſſe obueniens excommunicato, & puniri debent per Superiorem, vt eod. cap. dicitur. Vide c. Nemo 2. q. 1. Et tenentur actione iniuriarum, c. Illud, & cap. Temerarium, 11. q. 3. Et puniuntur tamquam ſacrilegi; cap. Non in perpetuum 24. q. 3. Et carere debent ſacra communione, & arceri ab ingreſſu Eccleſiæ; cap. De illicita 24. q. 3. Vide Fel. conſ. 5. n. 9. Ex quo etiam, nota, quòd Prælatus præcipiens aliquid ſubdito, non debet incipere à pœna excommunicationis, alioquin præceptum eſt nullum. Et ſententia excom. adiecta præcepto inualido nulla eſt, Felin. loc. cit. num. 2. & 3. Vide Riccium. 2. p. ſuæ praxis reſol. 161. num. 3. Videatur Menoch. lib. 2. de arbit. caſu 143. qui etiam à num. 11. ponit multas cauſas, propter quas excommunicans iniuſtè poteſt à prædictis pœnis excuſari. Vide etiam caſu 544. vbi ponit pœnas, quas incurrit excommunicatus, ſi iniuſtè conqueratur; & cauſas, propter quas excommunicatus iniuſtè quærens poteſt à dictis pœnis excuſari.

§. LXX.

12 NOta, quòd licèt in Regula noſtra reſeruentur ſuperioribus Prælatis quatuor vota; quia tamen per iſtam conſtit. non poſſunt Prælati ſibi reſeruare, niſi votum paupertatis, & caſtitatis, ideo alia duo, nimirum obedientiæ, & vitæ quadrageſimalis, non ſunt reſeruata, nec poſſunt ſibi Superiores reſeruare, niſi ſpecialiter per Capitulum generale in tota Religione, vel prouinciale in aliqua Prouincia reſeruentur. Quod hucuſque factum non eſt. Nec obſtat, quòd hæc ſint reſeruata per Regulam; nam hic illi ſufficienter derogatur, vt patet ex §. 75.

§. LXXI. & LXXII.

13 VIde quæ dico tom. 1. Relig. c. 21. concluſ. 9. vide etiam Graff. de caſib. reſeru. lib. 3. cap. 10. nu. 9.

14 Nota, quòd illi, quibus Superiores facultatem abſoluendi à reſeruatis commiſerint, poſſunt in caſu particulari dictam facultatem alij ſubdelegare. Ita Nauar. in man. cap. 27. n. 43. Graff. de caſib. reſeru. loc. cit. n. 32. Qui aduertit, quòd ille, cui talis poteſtas ſubdelegabitur, debebit eſſe approbatus à Prælato ad confeſſiones audiendas.

§. LXXVI.

15 NOta, quòd Superior, qui difficilem ſe præbet in concedenda facultate ſubditis, vt alij quàm confeſſario ordinario confiteri poſſint, peccat mortaliter, ſecundùm D. Th. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. ad 6. Sotum ibi. d. 18. q. 2. art. verſ. Igitur quo. Angelum verbo Confeſſio 3. n. 31. Sylu. verb. Confeſſor. 1. q. 16. Armilla verbo Confeſſio, n. 35. Nau. in c. Placuit, de pœnit. d. 6. 119. & 151. Quod tamen intellige, modò hanc difficultatem non cauſet aliqua rationabilis, ratio, vt ſentit Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 30. ſect. 4. n. 9.

Et ne ad gloriam, & laudem omnipotentis Dei, B. Mariæ ſemper Virginis, ac B. Franciſci de Paula Patris mei ad vtilitatem fratrum meorum, cæterorumque Regularium omnium, finem impono præſenti labori. Faxit Deus, vt intentum conſequat. Amen.

1626. die 3. Nouemb. Genuæ.

Ego F. Conſtantinus Montobius Carmelitici Inſtituti alumnus in ſacra Theologia Magiſter, in Cõuentu Carmelitarum Genuæ Regens, ac S. Officij Conſultor. Iuſſu Adm. R. P. Magiſtri Eliſei Maſini totius Seren. Reip. Genuæ Dominij Inquiſitoris, perlegi librum intitulatum, *Priuilegia ſacro Ordini Minimorum S. Franciſci de Paula per ſummos Pontifices Sixtum IV. vſque ad Vrbanum VIII. conceſſa. Ab Adm. R. P. Laurentio de Peyrinis eiuſdem Ord. ac Genuæ Prouinciæ Prouinciali declarata, & illuſtrata:* Et nihil (quod viderim) fidei catholicæ, & orthodoxæ contrarium inueni. Quare typis demandari poſſe cenſeo, in lucemq; edi.

Ego F. Conſtãntinus Montobius manu propria.

Imp. F. Eliſeus Maſinus Inquiſ. Genuæ.

FINIS.

ADM. R. P.
F. LAVRENTII
DE PEYRINIS
GENVENSIS
Ordinis Minimorum
S. FRANCISCI DE PAVLA,
in Prouincia Genuenſi olim Vice Generalis;
Necnon Sanctiſsimæ Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem Vicarii,
PRIVILEGIA
REGVLARIBVS, PRÆSERTIM MINIMIS
per Summos Pontifices Sixtum IV. vſque ad Vrbanum VIII. conceſſa.

TOMVS TERTIVS, SEV ADDITAMENTA.

TERTIA EDITIO.

Cc

Digitized by Google

ADDITAMENTA
AD PRIMVM, ET SECVNDVM
TOMVM PRIVILEGIORVM MENDICANTIVM,
præſertim Minimorum.

Caput primum circa Conſtitutionem Pyrrhi.

NOTO primo, quod in hiſce rebus moralibus ſemper aliquid occurrit addendum, vt conſtat ex huiuſmodi auctoribus, producit enim ſemper noua germina intellectus noſtri fœcundit;s; Vnde dixerunt quidam viuentium auctorum opera non eſſe comparanda. Aſt ego ita addere decreui, vt qui primos tomos coemerint, hunc emere non neceſſitentur; nec ſimiliter illos, qui hunc: H;bet enim & hic propriam materiam, eiuſdem quidem generis cum illa, ſed ita diuulſam, vt ſine illis intelligi, & capi poſſit. Quia verò, & ibi Priuilegia ſum interpretatus, & hic ſum interpretaturus, ideo non inutile futurum putaui, ſi aliqua breuiter dicerem de modo leges, & priuilegia interpretandi.

2 Noto 2. quod lex ex duabus partibus conſtat, nimirum ex verbis, & intellectu; c. Intelligentia, cap. Propterea, de verb. ſignif. Sed intellectus potior eſt. Tum quia à ſenſu legis recedendum non eſt, vt proprietas verborum obſeruetur; d. cap. Propterea. Tum quia nõ in folijs, ſed in ratione, & ſenſu leges conſiſtunt; cap. Marcion. 1. q. 1. Tum quia potior eſt finis, quàm ea, quæ ſunt ad finem, & verba homini data ſunt ad exprimendam mentem, non è contra; c. Secundò requiris, de appell. c. Intelligentia cit.

3 Noto tertiò, quòd verba, & mens tripliciter ſe habere poſſunt ad inuicem. Primo, vt verba omnino mẽti reſpondeant; & tunc dubium non eſt, vtrumq; obſeruandũ eſſe. Secundo, vt verba ſint ita menti repugnãtia, vt nulla poſſint diſtinctione componi; & tunc neutrum obſeruandum eſt; nam qui alter dicit, quàm vult, neq; id dicit, quod vox ſonat, quia illud non vult; neq; id, quod vult, quia illud non eloquitur: & habetur in l. Vbi repugnantia, ff. de reg. iur. Colligitur ex c. Cum dilectus, de fide inſtr. §. Cęterum. Tertio, ita, vt plus, vel minus verba dicant, quàm legiſlator voluerit; quo caſu ſi clarè comprehendi poſſit, plus, vel minus eſſe intellectum, quàm ſcriptum, tunc verba legis ampliãda, vel reſtringenda ſunt ita, vt menti reſpondeant: nam non ſolum dicitur eſſe ſecundum legem; quod ſcriptũ eſt, ſed etiam, quod eſt ex legis mente, vt dicit text. in l. Nominis, & rei. §. Verbum, ff. de verb. ſignif. & tunc non dicitur lex extendi, ſed declarari iuxta implicitũ, & occultum ſenſum, & qui legem declarat; nihil addit, l. Hæredes palam, §. ſed ſi notam, ff. de teſtam.

4 Noto quarto, quòd verba duo plerumque ſignificant, vnum directè, aliud indirectè per relationẽ, ſiue per coniunctionem ad rem directè, & apertè expreſſã. Directè ſignificant, prout ex conſtitutione, vel conſuetudine hominum noſtris auribus ſonare videntur, veluti cum dicimus, Petrum eſſe Religioſum regularẽ, intelligimus illum viuere in aliqua Religione: indirectè verò per coniunctionem intelligimus ipſum profeſſionis vota emiſiſſe, ſub obedientia Prælati viuere, nec proprium, nec vxorem habere poſſe, quia hæc cũ ſtatu religioſo eſſentialiter coniuncta ſunt, c. Cum ad Monaſterium, de ſtat. Monac. §. Abbas verò, & §. ſeq.

5 Noto 5. quòd vbi lex prohibet aliquem actum, ex mente legis dicitur prohibitus omnis modus, per quẽ in fraudem legis peruenitur ad illum actum, vnde non effugit pęnam legis, qui in fraudem legis committit; l. Non dubium. C. de leg. Nec intereſt, an vi, vel dolo legi fiat iniuria, l. Fraus, ff. eod. Vnde, qui prohibitus eſt facere teſtamentum, prohibitus eſt etiam facere codicillum, vt colligitur ex cap. Quamquam, de vſur. in 6. §. fin. vbi gloſſ. verb. Aliter facta. Quibus autem modis fiat fraus legi, vide Stephanum de Feder. de iur. interpret. prima p. nu. 47. & 112.

6 Noto 6. quòd multis modis poteſt cognoſci plus eſſe intellectum in lege, quam dictum, de quibus dictus de Feder. loco cit. à num. 14. I. ex definitione; ſi enim alicui rei in lege non comprehenſæ conuenit definitio rei in lege comprehenſæ, lex eodem modo de ea intelligitur. II. ex partibus, nam lex diſponens de toto intelligitur diſponere de partibus eius, vnde qui poteſt facere teſtamentum, poteſt inſtituere, exhæredare, tutorem dare, &c. III. ex natura, nam videntur omnia expreſſa, quæ ſunt de natura rei, de qua loquitur lex, v. gr. qui tenetur vendere rem certam, tenetur ſtare de euictione, & qui locat domum poteſt locatarium eijcere, ſi ipſe indigeat domo. IV. ex præſumptione conſuetudinis, vel legis, nam hæc præſumunt aliqua eſſe dicta, licet dicta non ſint, c. 2. de reſcrip. vbi dicitur, quod hæc clauſula, ſi preces veritate nitantur, intelligitur in reſcriptis ex mente Papæ appoſita, licet appoſita non ſit. V. ex origine & principio ipſius rei, de qua lex loquitur, nam lex diſponens de origine alicuius rei intelligitur eſſe expreſſa etiam quoad ea, quæ exinde naturaliter oriuntur, cap. Translato, de conſuet. cap. Non debet, de conſang. & aff. vnde ſtatutum contrarium iuri communi non debet ſecundum ius commune interpretari, nam correcto iuri cõmuni quoad principale, intelligitur etiam correctum quoad conſequentia. VI. ex fine, & effectu ipſius rei; nam vbi lex prohibet aliquem effectum, & finem, prohibet etiam omnem modum, per quem peruenitur ad illum. VII. ex antecedente præparatorio, vel neceſſario ad id, de quo diſponitur, vbi enim lex diſponit rem quampiam ad aliquem pertinere, ſequitur, quod ad eundem pertinere debeant præambula præparatoria, vel neceſſaria, nam qui vult conſequens, vult etiam antecedens neceſſarium ad illud: leg. Illud, ff. de acq. hær. Multis vero modis dicitur antecedens, de quibus dictus de Feder. à num. 72. v. gr. Epiſcopus tenetur concedere licentiam ſuis ſubditis confeſſiones audiendi; ſed ad id præquiritur examen; ergo etiam examinare tenetur, cap. Venerabilem, de elect. ibi [ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem manus impoſitio,] c. Inter corporalia, de transl. ep. §. ſicut, ibi, [expreſſum non fuerat] VIII. ex acceſſorio eius, nam cum acceſſorium ſine principali non exiſtat, naturale eſt, quod prohibito, ſiue conceſſo principali, intelligatur prohibitum, ſiue conceſſum eius acceſſorium, regul. Acceſſorium, quæſt. 42. de reg. iur. in 6. Acceſſorium autem, & principale multis modis dicitur, de quibus dictus de Feder. loco cit. à num. 61. IX. à conſequenti, nam cui datur antecedens, videtur eſſe conceſſum conſequens, ſine quo antecedens eſſe non poteſt. Vnde cui conceſſum eſt pacem inire, vi-

Digitized by Google

detur conceſſum poſſe apponere pœnam pro pace ſeruanda. X. ex ſubrogatis, nam quæ diſponuntur de aliqua re, intelliguntur eſſe diſpoſita in re, quæ loco eius ſuccedit, & ſubrogatur, cap. Maiores, de baptiſmo, §. ad id autem. Quot modis dicatur ſubrogatum, dictus de Feder. à nu. 79. XI. ex adiunctis, nam conceſſo vno, videtur etiam conceſſum adiunctum, ſine quo conceſſum eſſe non poteſt, leg. Continuus, §. illud verò, ff. de verb. oblig. vbi dicitur, quod quando aliquid indiſtinctè permittitur, intelligitur eſſe permiſſum tantum temporis, & loci, ſiue tanta dilatio, qua res fieri poſſit. Et qui facit iniuriam ſubdito, dicitur facere iniuriam Prælato illius, & è conuerſo, leg. 1. ff. de iniu. leg. 1. C. de in ius vocando, vbi gloſſ. XII. ab vnione eius, de quo diſponitur, ſcilicet in quo vnita ſunt, cum enim duæ res vnica factæ ſunt, vt ſi duo monaſteria vniantur, non debent diuerſo iure cenſeri; cap. Recolentes de ſtatu Monach. §. Si enim. XIII. à purificatis, ſiue commenſuratis, nam quoties aliqua ita ſunt paria, vt quod ſtatuitur in vno, intelligatur ſtatutum in alio, tunc, ſi lex noua aliquid diſponit in eo, in quo ſunt paria, extenditur ad aliud. v. gr. ſolent aliqui Regulares pro veſtuario ſingulis fratribus dare annuatim decem ſcuta, & Priori quindecim, ſi fiat ſtatutum, quo determinetur pro ſingulis veſtuarijs fratrum quindecim ſcuta, veſtuarium Prioris eodem ſtatuto intelligitur auctum vſque ad ſcuta viginti duo cum dimidio. XIV. à corelatiuis; nam lex ſtatuens aliquid in vno corelatiuo, intelligitur idem ſtatuere in alio, in eo ſcilicet, in quo ſunt corelatiua; vnde, ſi res aliqua prohibetur vendi, intelligitur etiam eſſe prohibita emi. XV. à contrarijs, quæ medio carent, cum enim lex vnum ex contrarijs permittit, videtur aliud contrarium, in eo, in quo ſunt contraria, denegare, & è contra; vt ſi fides ſeruanda eſt, ergo perfidia non eſt committenda; Sed multis modis poſſunt aliqua eſſe contraria, de quibus dictus de Feder. à nu. 104. XVI. ex repetitione, vel ſubauditione, quæ fit per aliam legem interpretantem, vel interpretatam, vel per aliam legem loquentem circa illam materiam, quando ſcilicet lex noua non deſtruit veterem, ſed confirmat, & corrigit in aliqua parte, vel renouat. Hæc tamen omnia intelligenda ſunt, quando lex eſt rationabilis, nam ſi talis non eſt, & nihilominus temporum iniuria cogaris obſeruare, ſtringenda ſemper eſt interpretatio, quod etiam faciendum in legibus odioſis.

7 Noto 7. ex dicto de Feder. loc. cit. à nu. 118. quòd etiam multis modis cognoſci poteſt in lege eſſe minus comprehenſum ex mente legiſlatoris, quam verba ſonare videantur; nam ſicut ſub verbis ſpecialibus per coniunctionem, vel relationem ad expreſſa quædam comprehenduntur, etiamſi non exprimantur, ita in verbis generalibus propter diſiunctionem quædam intelliguntur eſſe excepta, licet expreſsè non excipiantur, leg. Obligationes generali ff. de pignor. Vt cum dicimus, ſolus faber gladium facit, non excludimus malleum, & ignem, quo fit. Tripliciter autem reſtringuntur verba legis. I. per aliam legem. II. per antecedentia, & conſequentia ipſius legis. III. ex mente ipſius legiſlatoris. Mens verò legiſlatoris multipliciter colligitur. I. ex natura vocabuli; nam hoc nomen conſenſus v. gr. ex propria ſignificatione excludit errorem, vim, & metum. lege Error, ff. de iuriſd. omn. iud. Item verbum arbiter ex propria ſignificatione excludit dolum, & iniquum iudicium. leg. Si libertus, ff. de op. liber. vnde ſequitur, quod quibuſcumque verbis, etiam latiſſimis, data ſit poteſtas arbitratoribus, tamen ſemper videtur exceptus dolus, & enormis læſio; cap. Quinta vallis, de iur. iur. II. ex conſuetudine loquendi, & agendi, nam conſuetudo dat ſignificationem vocabulis, leg. Anniculus amittitur, de verb. ſignif. vnde dicimus ab omnibus dici, quod ſolum dicitur ab his, qui de materia tractant, & dicitur ab omnibus fieri, quod à maiori parte fit, leg. Maiorem, ff. de pactis, & dicitur quotidie fieri, quod frequenter fit, leg. 1. ff. ſolut. matrim. ibi non ſemper; & cum conſuetudo vim legis obtineat, c. Cum dilectus, de conſuet. non eſt mirum, ſi habeat vim legem declarandi, ampliandi, & reſtringendi, leg. Minimè, iuncta gloſſ. ff. de legib. III. ex natura rei, ſiue negotij, v. gr. de natura tranſactionis eſt, vt fiat ſuper rebus dubijs; cap. Super eo, de tranſact. l. 1. ff. de tranſ. vnde quibuſcumque verbis fiat tranſactio, non intelligitur facta ſuper deciſis. Item ſi alicui delegata eſt aliqua poteſtas, quibuſcumque verbis id fiat, non poteſt excedere terminos naturales illius dignitatis, vel officij; cap. Quod translationem, de offic. leg. Item de natura contractus conductionis, & pignoris eſt, vt conductor, & creditor non teneatur de caſu fortuito; quare licet conductor, & creditor obliget ſe ad omnem cuſtodiam, tamen videtur exceptus caſus fortuitus, l. Quæ fortuitis, ff. de pignoritia act. IV. ex præſumptione legis, v. gr. in quolibet iuramento ſemper intelligitur eſſe excepta auctoritas ſui maioris, cap. Venientes, de iur. iur. V. ex iuſta, & inopinata cauſa, de qua veriſimiliter non erat cogitatum, v. gr. elapſo termino à Iudice aſſignato ad excipiendum, excipi amplius non poteſt, niſi aliquid de nouo emergat, quod eo tempore neſciebatur, vt in cap. Paſtoralis de except. Vnde ſtante lege, v. gr. quod Nouitij nullo vnquam tempore egrediantur Conuentu, niſi cum ſuo magiſtro, vel ſocio, ſi neceſſitas exitus inſurgat, & magiſter, ac ſocius non poſſint præ infirmitate, aut alio impedimento notabili exire, poterit ſuperior abſque fractione talis legis dictos nouitios mittere cum alio fratre, & ſtante ſtatuto, quod Regentes, vel Lectores non teneantur ire ad aſſociandum corpora defunctorum, ſi neceſſitas fratrum, vel multitudo mortuorum expoſcat, abſque læſione legis cogi poſſunt ad aſſociandum; nam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio; cap. Inſinuante, de offic. deleg. VI. ex comparatione expreſſorum antecedentium, ſequentium, vel coniunctorum. Vnde ſi reſcriptum vilioribus perſonis committatur cum clauſula generali, in ea non comprehenduntur digniores perſonæ; cap. Sedes de reſcrip. & donatis temporalibus non intelliguntur donata ſpiritualia; cap. Ex litteris, de iur. patr. niſi ſunt annexa, vt in iure patr. VII. ex ratione, & cauſa legis manifeſtè ceſſante reſtringitur lex. lege Adigere §. quamuis ff. de iure patron. nam, quemadmodum cauſa, & ratio legis illam extendit, ita, ſi ceſſat, debet illam reſtringere; nam contrariorum eadem debet eſſe diſciplina. VIII. ex contrario fine, & effectu à legiſlatore intento; nam inducta ad vnum finem non debent operari contrarium, puta inducta ad augmentum non debent operari diminutionem, nec è contra, regul. Indultum, quæ eſt 17. de reg. iur. in 6. & quæ inducta ſunt in odium, non poſſunt retorqueri in fauorem; arg. legis Cum profitearis. C. de reuocand. don. IX. reſtringitur lex, vt ſeruetur paritas, nam licet teſtis domeſticus, vel coniunctus ſanguine prohibeatur; cap. Poſtremo, de appell. fallit tamen, vbi eſſet coniunctus vtrique parti, Gloſ. dicto cap. verb. Conſanguineus. X. reſtringitur lex ad improprietatem vitandam, & propter rationem naturalem, nam ratio naturalis pro lege ſcripta ſeruanda eſt, leg. Scire oportet, §. ſufficit, ff. de excuſ. tut. nam ratio vincit legem, vincit conſuetudinem, æquiualet canoni, & præponitur exemplis; cap. Veritate, d. 8. Io: à Capiſtrano in ſpecul. conſ. p. 2. num. 9. cum enim lex fiat conſilio prudentum, non debet dici, quod lex generalis comprehendat caſum, quem vir prudens non ſtatuiſſet. Vnde lex generalis non præſumitur comprehendere caſum inhoneſtum, vel turpem, aut ſapientem delictum, vel dolum, aut doli occaſionem præſtantem, l. Quòd ſeruos. ff. de acq. poſſ. vbi dicitur quod ſeruus acqui-

rens

Digitized by Google

rens aliquid ex turpitudine, vel illicito quæſtu, non acquirit Domino; quamquam regula ſit, quod quicquid acquirit ſeruus, acquirit Domino, leg. Placet, ff. de acquir. hær. Item, ſi conductor promiſit ignem in domo locata non habere, non intelligitur de igne neceſſario ad victum ſe obligaſſe, leg. Videamus, §. 1. ff. locat. Item, ſi loco tibi villam, ita quod de damno dato ſtetur meo ſimplici iuramento, poteſt nihilominus Iudex tale iuramentum moderari, ſi vltra menſuram iuraſſe conſter. arg. leg. Qui reſtituere, iuncta gloſſ. verb. ſine vlla taxatione, ff. de rei vendic. Item dic, quod lex generalis ita reſtringi debet, ne quis lucrum ex dolo, vel culpa ſua capiat, l. 1. §. 1. ff. de dolo. Item, ne quis ex bono opere damnum patiatur, vel pænam, l. Graccus, ff. de adult. Item ne, melioris ſint conditionis mali, quam boni, aut ſtulti, quam ſapientes, aut contumaces, quam obedientes; c. Contingit, de dolo, & contum. Item dic, quod in lege generali non comprehenditur caſus, qui eſſet contra pietatem parentum, vel proprij ſanguinis. vnde ſi imponeretur pœna non denuncianti aliquod delictum, eam non incurrit, qui non denunciat delictum patris, aut filij, vel fratris, arg. l. 2. ff. de receptator. Item debet reſtringi lex, ne quis alienum lucrum proprio præponat. leg. Præſes, ff. de ſeruitutibus, & aqua. Item reſtringitur propter caſum neceſſitatis: cap. Quod non eſt licitum, de reg. iur. Item reſtringitur, ne fiat captioſa interpretatio, cap. Conſtitutus, de conceſſ. præb.

8 Noto 8. quòd leges, & canones videntur aliquando contrarij, cum tamen re vera tales non ſint; nam multoties vna lex declarat aliam, puta noua veterem quæ erat obſcura, ſeu ad maiorem cautelam noua lex indicitur, aut vna lex aliam legem diſtinguit, aut aliam ſupplet, aut limitat. Cum autem prædictis modis non poſſunt leges inuicem concordari, tunc dicendum eſt vnam legem alteram abrogare, & eſſe ſibi contrarias, & tunc vna præualet alteri; Primo ratione materiæ; Secundo ratione modi; Tertio ratione qualitatis, Ratione materiæ lex diſponens de religione, vel de rebus ſacris, ita ſemper intelligenda eſt, vt potius deroget legi diſponenti de rebus profanis, quàm è contra; nam maxima eſt ratio, quæ pro Religione facit. l. Sunt perſonæ, ff. de relig. & ſumpt. fun. Item lex diſponens de bonis animæ præfertur legi diſponenti de bonis corporis, nam anima eſt multo pretioſior corpore c. Cum infirmitas, de pœnit. & remiſſ. & lex diſponens de bonis corporis præfertur legi diſponenti de rebus exterioribus, cum illa dicantur eſſe de iure naturali, l. Vt vim, ff. de iuſt. & iur. & lex ſtatuens, quod quis bona ſua tueatur, derogat legi diſponenti, quod tueatur aliena; nam ordinata charitas incipit à ſe ipſo, l. Præſes, C. de ſeruit. & aqua. Item lex continens ius publicum derogat legi continenti bonum priuatum, l. Veluti, iuncta gl. ff. de iuſt. & iur. Itē lex fauorabilis derogat legi odioſæ cæteris paribus, regul. Odia, quæ eſt 15. de reg. iur. in 6. Item lex continens æquitatem derogat legi continenti rigorem, l. placuit C. de iud. Item lex diſponens in caſu neceſſitatis derogat legi non continenti caſum neceſſarium; c. Si quis per neceſſitatem, de furtis. Ratione verò modi vna lex multipliciter derogat alteri, nam lex præcipiens, vel vetans derogat legi permittenti, vel toleranti, & lex vetans derogat legi præcipienti, & aduerte, quod lex annullans, vel imponens pœnas, dicitur vetare, l. Prætor ait. §. Primo, ff. de nou. op. nunc. vbi gloſſ. verb. expreſſum. Item lex diſponens principaliter de aliqua re propter ſe, præualet legi diſponenti de re, quæ tendit ad aliud, puta de præparatorijs incidentibus, vel venientibus in conſequentiam. Item lex procedens ſuper veritate diſponendo derogat legi diſponenti ſuper præſumptione. Item lex iubens, vel vetans, aut permittens derogat legi conſulenti. Item lex iubens aliquid ſtatim fieri derogat legi diſponenti aliquid fieri in tempus, vel ſub conditione. Ita de Feder. de interp. iur. p. 2. num. 83. 88. 89. 90. Ratione qualitatis vna lex derogat alteri etiam multipliciter, nam lex iudicialis derogat legi conſcientiæ in foro iudiciali, cap. Tua nos, de ſponſal. Item lex canonica diſponens de rebus profanis derogat legi ciuili in terris eccleſiæ, lex vero ciuilis derogat legi canonicæ in terris imperij, cap. Per venerabile. §. primo qui filij ſint legit. cap. 1. de nou. op. nunc. cap. final. de præſcript. Item lex municipalis derogat legi communi in ſuo municipio, ſicut lex noua derogat legi veteri, & lex particularis derogat vniuerſali, cap. 1. de conſt. in 6. leg. Omnes populi, ff. de iuſt. & iur. leg. Non eſt nouum, l. Nam & poſteriores, ff. de leg. cap. Si aduerſus, de hær. reg. Generi, quæ eſt 34. de reg. iur. in 6. Item lex incluſa in corpore iuris derogat legi extrauaganti incertæ fidei; cap. Paſtoralis, de fide inſtrum. Item lex obſeruata de conſuetudine derogat legi de conſuetudine non obſeruatæ, leg. Minime, & leg. De quibus, ff. de legat. Item lex habens clauſulam derogatoriam derogat legi talem clauſulam non habenti, licet hæc ſit poſterior, leg. Nam & poſteriores, ff. de leg. ſi tamen neutra lex hanc habeat clauſulam, poſterior ſemper tollit priorem, etiam ſi de ea mentionem non faciat; cap. 1. de conſt. in 6. quod intellige modo nulla poſſint diſtinctione concordari; c. Cum expediat, de elect. in 6. Quod tam verum eſt, quod licet in poſteriori lege appoſita ſit clauſula derogatoria, non tamen intelligitur abrogari prior, ſi poſſunt diſtinctione concordari, Gloſſ. in Clement. prima de præb. de Feder. loc. cit. num. 113. nam correctio legis, quantum fieri poteſt, vitanda eſt; c. Cum dilectus, de conſuet. c. Si Papa, de priuileg. in 6.

9 Noto 9. quòd quando legis verba ſunt dubia, ſenſus ille capiendus eſt, qui vitio caret, & eſt ſecundum iuſtitiam, & rationem; l. Si ſerui veſtri, iuncta Gloſſa, C. de noxal. vnde verba ſententiæ debent intelligi ſecundùm quod iudex debebat pronunciare; l. Miles, iuncta Gloſſ. §. 1. ff. de re iud. Item ille ſenſus eſt eligendus, qui eſt potius conformis iuri communi, quam iuri particulari; l. In teſtam. Cod. de teſtam. mil. Item ille ſenſus eligendus eſt, qui non eſt captioſus; l. Aquiliana, ff. de tranſ. Item ille ſenſus eligendus eſt, per quem legis ſortiamur effectum; l. Cum quidam, C. de verb. ſign. & hoc etiamſi oporteat verba impropriare; cap. Petitio, de procur. vbi Gloſſ. verb. Intentio. Item, cum lex debeat eſſe de caſu dubitabili, ille ſenſus capiendus eſt, qui fuerat dubitabilis, l. Dominus labeo, ff. de teſtam. Item, qui eſt fauorabilior: l. In obſcuris, ff. de regul. iur. Item, qui eſt tutior: l. Semper in obſcuris, ff. eod. Item verba debent intelligi ſecundum ſubiectam materiam, de qua loquitur lex quia verba rebus ſeruire debent, non è contra: cap. Intelligentia, de verbor. ſignif. Item quando verba legis poſſunt ſumi tam in bonam, quam in malam partem, ſi lex prohibeat, debent ſumi in malam partem, ſi iubeat, vel permittat, in bonam: quia lex prohibet illicita, & iubet, & communiter permittit licita: l. 1. ff de iuſt. & iur. Item ille ſenſus eſt eligendus, qui diſponit de rebus, prout communiter accidunt; l. Nam ad ea, ff. de leg. Item verba ambigua debent referri ad eam perſonam, ad quam res magis pertinet, leg. Si ſeruus legatus, §. Qui margaritam, ff. de leg. 1. Item ille ſenſus eſt eligendus, qui eſt magis proportionabilis rei; reg. 45. Inſpicimus, de regul. iur. in 6. Item verba intelliguntur ſecundùm qualitatem perſonæ. Item ille ſenſus eſt eligendus, qui magis ordinatur ad finem negotij. Item lex magis intelligenda eſt ſecundùm eum locum, in quo res per ipſam diſpoſita facienda eſt, quàm ſecundum eum, in quo lex lata eſt. Item exceptuata eſſe debent de genere contentorum. Ita de Feder. part. 3. de iur. interp. à num. 21. Item coniuncta vno iure determinari debent; cap. Maiores, §. Cæterum, de baptiſ. Item

Digitized by Google

qualitas adiecta verbo, debet intelligi ſecundum naturam verbi ſibi adiuncti, l. In delictis §. Extraneus, ff. de noxal. act. l. Verbum erit, de verb. ſignific. Item ille ſenſus accipiendus eſt, qui magis congruit in eo genere cum copulato, vel diſiuncto: l. Seruus ait; & leg. Quiſquis, ff. de verb. ſignific. Item clauſula generalis in dubijs comprehendit caſus ſimiles expreſſis: c. Sedes, de reſcr. Item verba dubia ad vnum finem diſpoſita, ad alium contrarium trahi non debent l. Nulla ratio, ff. de leg. & hoc etiamſi oporteat à proprietate verborum recedere: l. In ſtrato, ff. de verbor. ſignific. Item verba legis ita interpretanda ſunt quoad acceſſoria, ſicut quoad principale. Item ille ſenſus eſt accipiendus, ex quo non ſequitur aliquid repugnans cum antecedenti. Item, ex quo non ſequitur abſurdum. Item lex interpretans debet intelligi ſecundum legem interpretatam. Item ſubrogata debent intelligi ſecundum qualitatem eorum, in cuius locum ſuccedunt. Item verba debent intelligi gradatim ſecundum gradum affectionis. Item verba debent trahi ad eum ſenſum, qui conueniat officio, dignitati, & poteſtati loquentis. Item verba debent intelligi ſecundum qualitatem loquentis v. gr. hoc nomen, ſpecies, ſi proferatur à iuriſta debet intelligi de indiuiduo: ſecus, ſi proferatur à logico. Ita de Feder. loc. cit. à n. 32. Vnde conclude, quod illa eſt efficax legis interpretatio, quæ primo conuenit intellectui; ſecundo, quæ rei ſubiectæ: tertio, quæ verbis intellectis in propria ſignificatione, ideſt, ſecundum ſenſum maiorum noſtrorum, vel ſaltem ſecundum communem vſum hominum doctiorum. Nam in hoc bene Horatius de art. Poet.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore, vocabula, ſi volet vſus.

Ex quibus autem locis colligatur propria vocabulorum ſignificatio, vide de Feder. loc. cit. à num. 69.

10 Noto 10. in opinionibus DD. eligendis, quod primo illa opinio eſt magis eligenda, quæ conſuetudine approbatur: nam conſuetudo eſt optima legum interpres: cap. Cum dilectus, de conſuet. Secundo, vbi de conſuetudine non conſtat, illa opinio eſt magis eligenda, quæ altero iure comprobatur. Tertiò, vbi de conſuetudine, vel altero iure non conſtat, tunc illa opinio eſt eligenda, quæ efficacioribus rationibus comprobatur, etiamſi plures in contrarium ſentiant: clem. prima in fine de ſum. Trin. cap. Suborta, de re iud. §. Iudicibus autem: cap. Ego ſolis, d. 9. cap. 1. de decim. Illa vero ratio dicitur efficacior, quæ eſt ſecundum ius naturale, quàm quæ ſecundum ius ciuile: cap. Conſuetudo diſtinc. prima, & quæ eſt ſecundùm ius diuinum, quàm quæ ſecundum ius canonicum: cap. Licet ex quadam, in fine, de text. Item, quæ eſt ſecundum æquitatem ſcriptam, quàm quæ ſecundùm rigorem? leg. Si ſeruum, §. Sequitur, ff. de verb. obl. Item quæ eſt ſecundum mentem, quàm quæ ſecundùm verba; l. Scire leges, ff. de leg. Item, quæ ſecundum verba, quàm quæ ſecundùm ſimilitudinem, vel rationem incertam, c. Per venerabilem, qui fil. ſint legitimi §. Si verò. Item illa eſt ratio efficacior, quæ eſt per regulas iuris, quam ea, quæ tenet, vt ſit ſpeciale, iuxta Gloſs. in l. Omnis definitio, ff. de reg. iur. Quartò vbi de euidentioribus rationibus non conſtat, tunc illa eſt eligenda opinio, quæ eſt tutior, cap. Iuuenis, de ſponſ. capit. Significauit, de homicid. Quintò illa opinio eſt eligenda, quæ eſt fauorabilis, & magis benigna, & propter quam res valet, & non perit; l. In obſcura voluntate, l. Quoties dubia, de reg. iur. cap. Si vir, de cognat. ſpirit. cap. 1. eod. tit. cap. fin. de re iud. Illa autem opinio eſt magis benigna, quæ fauet iuramento, matrimonio, libertati, teſtamento, religioni, ſiue reo. Vide Io. Andr. in cap. 1. ad fin. de ſum. Trin. & Hoſtien. & dicto cap. Si vir. Et hoc, etiamſi opinio communis ſit contraria, vt ait De Feder. de interp. iur. p. vlt. numer. 111. Sexto illa opinio eſt magis eligenda, quæ eſt approbata à prudentioribus, licet in contrariam partem ſint plures. cap. In canonicis, d. 19. cap. Decretales, d. 20. prudentiores verò in iure ciuili æſtimantur Bartol. Baldus, Azo In canonico, Innoc. Io. Andr. Abbas, quibus tamen omnibus ſemper ſunt anteponendæ gloſſæ, In moralibus, & ſcholaſticis omnibus præferendus eſt D. Thomas Ego Sylueſtrum, Angelum, & Vegam plurimi facio. In dubijs autem circa quæſtiones ciuiles magis credo Legiſtis, quàm Canoniſtis. Circa quæſtiones canonicas magis Canoniſtis, quam Legiſtis; & quando agitur de rebus pertinentibus ad ſalutem, & fidei veritatem, magis credendum Theologis, quàm alijs; quia ipſi plus norunt diſcernere inter lepram, & lepram, & magis vacant ſtudio rerum ad æternam ſalutem pertinentium. Et ſic, quando agitur de mente S. Thomæ magis credo Thomiſtis naturalibus, quàm aliis & quando agitur de mente Scoti, magis credo Scotiſtis naturalibus & ſic de cæteris; nam vnuſquiſque præſumitur peritus in arte ſua; c. Propoſuiſti, de prob. & omne artificium per continuum exercitium ſuſcipit incrementum, leg. Legatis ſeruis, §. Ornatricibus, ff. de legatis, 3. & ea quæ ſunt in domo à nullo melius poſſunt explicari quam ab ijs, qui ſunt de domo, l. Conſenſu, C. de rep. Tandem illa opinio eſt magis eligenda, quæ à pluribus comprobatur, l. Maiores, ff. de pactis: ſeu, quæ magis eſt probabilis; probabilis autem ſententia eſt illa, quæ iuri, & rationi innititur, c. Conſuetudo, d. prima, nec DD. quantumuis magnæ auctoritatis credendum, ſi ſine lege, aut ratione loquantur, vt ait Archid. in cap. Nolite timere. 11. qu. 3. erubeſcibile. n. eſt, aliquid dicere, & per legem non probare, vt multis probat Paulus Roſellus in floribus legum, verbo Erubeſcimus. Et tandem hic nota, quod ſequens opinionem probabilem non ſolum non peccat, ſed etiam valide operatur, etiamſi opinio illa aliàs ſit falſa, confert enim tunc eccleſia iuriſdictionem agenti ad validandum actum. Ita Leſſius lib. 2. c. 29. dub. 8. nu. 68. & alij multi apud Dianam, to. 3. tract. 2. reſol. 3.

11 Noto 11. quòd in num. 2. conſtit. Pyrrhi dicebam, quòd antiquitùs approbare Religiones, ad epiſcopos pertinebat pro ſua diœceſi; & DD. ibi ad hoc adductis addendi ſunt, Suar. tom. 3. de relig. libr. 2. c. 17. num. 2. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 41. nu. 12. Mirand. tom. 1. man. q. 3. art. 6.

12 Noto 12. circa eandem conſt. in fine num. 10. quod tunc dicitur ſtatutum eſſe contra ius commune quando diſponit aliquid contra aliquem canonem, vel legem Pontificiam, Primo poſitiuè, Secundo negatiuè; ſeu Primo contra ius prohibens, Secundo contra ius concedens, vel non auferens aliquid. Statutum poſitiuè contrarium iuri communi, vbi ſcilicet aliquid fieri mandatur, vel prohibetur, per inferiorem ſummo Pontifice fieri non poteſt. Statutum verò, quod ſolum eſt negatiuè contrarium iuri communi, fieri poteſt per inferiorem ſummo Pontifice, v. gr. Concilium Tridentinum præcipit, quod nulla profeſſio facta ante 16. annum ſit valida, ſi ſtatutum fieret in aliqua Religione, quod profeſſio facta in anno 15. eſſet valida, eſſet tale ſtatutum iuri illi Trident. contrarium poſitiuè, quia canon Trident. prohibet ante illud tempus profeſſiones fieri; ſi autem fieret ſtatutum in aliqua religione, quòd nullus ad profeſſionem reciperetur, niſi in ætate 18. annorum, illud non eſſet iuri Trid. contrarium, niſi negatiuè quia Trid. prohibens, ne ante dictam ætatem profeſſio fiat, in dicta ætate fieri concedit. Atque ita Suar. to. 4. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 2. nu. 5. qui ex hoc concludit, quòd ſtatutum aliquarum Religionum, quòd deſcendentes ex genere Iudæorum non poſſint in eis ad profeſſionem admitti, non eſt contra ius commune; quia cap. eam te, de reſcrip. non præcipit tales eſſe habiles ad omnem Religionem, quod etiam ſenſit Caietan. tomo 1. opuſ. tract. 31. reſp. 6. & Vechius de Nouit. diſput. 4. dub. 1. num. 5. E contra verò ſtatutum factum in noſtra Religione

Digitized by Google

ligione cap. Val. 5. num. 17. quod fratres profeſſi alterius Religionis ad noſtram Religionem recepti, in ea non præficiantur, videtur contra ius commune; quia in cap. Ad decorem, de inſtitut. expreſsè mandat Papa, quod idonei, vndequaque originem duxerint, ad dignitates præficiantur. Ego tamen tom. 1. relig. q. 1. cap. 25. §. 3. verſ. Itaque, exiſtimaui illud ſtatutum de deſcendentibus eſſe contra ius commune, quod nunc etiam confirmo, dicitur enim in dicto cap. Eam te, *Pro eo, quod Iudæus extiteris, ipſum dedignari non debes.* Ex quibus verbis conſtat, mentem Pontificis fuiſſe, vt origo non debeat nocere conuerſis. Atque ita hanc ſententiam amplectitur cum multis DD. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 1. tit. 2. gloſſ. 17. nu. 27. quod in noſtra religione eſt certum per conſtit. 3. Gregor. 13. tom. 2. noſtr. priu.

13 Solùm poſſet dubitari, an hæc Conſtitutio Gregor. habeat locum in alijs Religionibus. Puto habere, nam eſt in fauorem Religionis Chriſtianæ, & ex contrarijs ſtatutis damnum ſequeretur in Eccleſia Dei; poſſent enim ex hoc ſolùm multi retrahi ab amplectenda noſtra fide; atque ita illi, qui ſunt inſtituti ad dictam fidem propagandam, illam impedirent. Adde, quòd multæ Religiones huiuſmodi conſtitutiones in ſpecie habent, ad tollenda diuerticula, vt dixi tomo 2. priu. in conſt. 3. Gregor. 13. num. 1.

14 Noto 14. circa eamdem conſtit. poſt num. 36. quòd miſſas nouas celebrantes poſſunt ſe tantùm ad populum vertere in medio altaris, & ſic oblationes ſponte factas accipere, non autem Eccleſiam ob eam cauſam circuire. Ita declaraſſe Sacram Congregationem, refert Riccius 1. p. praxis, deciſ. 749. Sed hæ Genuæ per decretum eiuſdem Congregat. prohibitæ ſunt omnino huiuſmodi oblationes directè, vel indirectè, ob turpem negotiationē, quæ in ipſis fiebat. Vbi tamen præfata turpis negotiatio non adeſt, non improbo inueteratam conſuetudinem.

15 Quæres hic primo, an in feſto duplici poſſit dici miſſa votiua, quæ non ſit de feſto? ℞. poſſe, quia Rubrica de non dicenda miſſa votiua in feſto duplici, directiua eſt, quæ ſecundum communem DD. non obligat ad culpam, vt Fagund. in primo præcepto Eccleſ. lib. 3. cap. 21. num. 8. præſertim quando adeſt aliqua cauſa, puta deuotio magna petentis, vel Sacerdotis obligatio pro implenda defunctorum mente. Atque ita Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 83. ſect. 3. concluſ. 1. Portel in addit. ad dub. regul. verbo Miſſa, nu. 7. Henriq. lib. 9. cap. 23. numer. 5. vbi in com. lit. H. multos citat. Scortia de Sacrif. Miſſæ, libr. 2. cap. 17. num. 2. Diana p. 2. tract. 14. reſolut. 30. apud quem alij, Gloſſa in ſumma in cap. Quidam laicorum, de celebrat. miſſarum. Angel. verb. Miſſa, §. 33. Roſel. eod. §. fin. qui duo expreſsè dicunt, quod quando in vna Eccleſia ſunt plures Sacerdotes, ſufficit, quòd vnus celebret miſſam correſpondentem officio, cæteri poſſunt miſſas votiuas pro deuotione petentium celebrare. Quibus ſuffragari viſa eſt Sacra Congregat. Rituum, quando anno 1626. die 20. Iunij declarauit in feſtis duplicibus, quæ non ſunt de præcepto, poſſe celebrari miſſas pro defunctis ad implendam ipſorum defunctorum, non hæredum, voluntatem, vt refert Gauantus in rubr. miſſ. 1. par. tit. 5. verſu Sacra tamen. In feſtis verò duplicibus, quæ ſunt de præcepto, habet conſuetudo, quod miſſæ votiuæ non celebrentur, niſi pro graui, & publica cauſa, vt pro electione Paſtoris, &c. In his tamen diebus adhuc poteſt celebrari miſſa pro defunctis, etiam in Dominicis, & feſtis, quantumuis ſolemnibus, corpore inſepulto. Ita declarauit eadem Sacra Congregat. 23. Maij, 1603. vt refert idem Gauant. loc. cit. verſ. Niſi in die depoſitionis, except. tamen die Paraſceue, & Paſchæ, vt idem Gauant. loc. cit. Colligitur etiam ex Rit. Rom. tit. de exeq. in princ. & fine.

16 Quæres ſecundo. An in Eccleſijs collegiatis ſit quotidie dicenda miſſa? ℞. affirmatiuè. Ita Suar. to. 3. in 3. p. diſp. 80. ſect. 2. concluſ. 2. Fagund. in 1. præcep. eccleſ. lib. 3. cap. 15. num. 9. Ledeſm. 1. p. ſum. de Sacr. Euchar. cap. 19. concluſ. 2. pag. mihi 179. Probatur ex c. Cum creatura, de celebr. miſſ. & hoc ſub pœna peccati mortalis ſecundum præfatos DD. & communem. Limita tamen, vt poſſit propter grauem, & vrgentem neceſſitatem ommitti ſecluſo ſcandalo: Nam humana præcepta humano modo intelligenda ſunt.

17 Quæres tertio. An in dictis Eccleſijs collegiatis in ferijs Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, Vigiliarum, in quibus feſtum aliquod nouem lectionum occurrit, ſint cantandæ duæ miſſæ, vna de feria, altera de ſancto; an verò ſufficiat, eas priuatas, ſeu baſſas dicere? ℞. Gauantus in rubricis miſſalis, p. 3. tit. 11. num. 7. prætendit, quod duæ omnino ſint cantandæ, ſub mortali, & pro ſe nu. 13. adducit decretum Sacræ Congr. Rituum, quod auſert conſuetudinem in contrarium. Alijs tamen dura nimis videtur hæc ſententia, vnde aiunt, ſufficere, quòd vna cantetur, & altera dicatur baſſa. Decretum Congr. ſolùm dicit, quòd cantetur miſſa de feria, & ita ſeruari video in praxi.

18 Quæres quarto. Quæ Eccleſiæ dicantur Collegiatæ? ℞. Rodriqu. to. 1. q. reg. qu. 43. art. 12. putat, quòd ad conſtituendam eccleſiam collegiatam non ſufficiat reſidere in ea collegium, ſed quod ſit neceſſe, quòd in prima ſui fundatione collegium in eo inſtitutum ſit; quando autem id conſtare non poteſt, id colligi ait, ſi eccleſia conſueſcat conſtituere Syndicum, ac per eum iurare, & lites mouere, ſigillumque commune habere, Prælatum eligere, &c. Ratione Sacerdotum collegium dicitur, cui ad minus tres ſeruiunt Sacerdotes, iuxta gloſſ. in cap. Nullus, de elect. vbi ait, quod duo faciunt congregationem, tres collegium, & decem populum.

19 Quæres quinto. An Eccleſiæ regulares, in quibus habitat multitudo ſacerdotum, dicantur collegiatæ, ad effectum, vt currat obligatio in diebus Quadrageſimæ, &c: cantandi duas miſſas de ſancto, & feria. ℞. Alcozer in rubr. miſſalis. tractat. 1. textu 3. gloſſ. 3. verſu Las ferias, in fine ait, quòd ſic, & affirmat, ita à Roma fuiſſe reſponſum, putat tamen, non eſſe neceſſe, vt dictæ duæ miſſæ ijs temporibus cantentur, ſed ſufficere, quod dicantur priuatim. Rodriq. loc. cit. ait, quòd monaſteria, & Eccleſiæ Regularium, licet collegia ſint, non veniunt tamen nomine eccleſiæ collegiatæ, quo ad effectum celebrandi dictis diebus in eis duas miſſas, quia cum hoc odioſum ſit, ad Regulares non eſt extendendum; cui doctrinæ adhæret Gauantus loc. cit., num. 4. & Rodericus in reſolut. q. regul. reſolut. 25. de celebr. miſſæ, n. 10. & fauet multum clem. 1. de celebr. miſſ. §. Ne igitur, in qua eccleſiæ cathedrales, regulares, & collegiatæ ponuntur tamquam membra diſtincta: ergo ſi rubrica miſſalis ſolùm loquitur de Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis, cum ſit odioſa non eſt extendenda ad eccleſias regulares, cum à diſparatis in odioſis non rectè fiat illatio, leg. Papinianus exul, ff. de min. Et ratio etiam ſuadet maiorem obligationem currere Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis, quàm regularibus, nam clerici, & canonici ratione ſtipendij tenentur miſſas, & diuina officia celebrare, at regulares ſolùm ratione conſuetudinis ad maiorem Dei gloriam. Præterea Rodriq. loc. cit. adducit ad hoc priuilegium Martini V. quo conceditur Regularibus, vt ſufficiat ijs temporibus dicere miſſam de feria cum commemoratione ſancti, de quo ſit feſtum, vel ſi feſtum ſit duplex, vel ſemiduplex, ſufficiat dicere miſſam de ſancto, cum commemoratione feriæ, ſi in ijs eccleſijs non ſit multitudo Fratrum.

20 Exiſtimo itaque, quòd in Eccleſijs Regularium dictis diebus ſufficiat dicere vnam miſſam de ſancto, vel de feria modo dicto, præſertim ſi in ijs non ſint ad minus decem Sacerdotes. Si autem ſint ibi decem Sacerdo-

Digitized by Google

cerdotes, & conſuetudo ſit dicendi duas miſſas, hæc conſuetudo, cum ſit conformis miſſali, & laudabilis, ſeruanda omnino eſt. Exiſtimo etiam, quod in dictis Eccleſijs pro miſſa conuentuali etiam in feſto duplici, quod tamen non ſit de præcepto, vbi adeſt numerus competens Fratrum, ſufficiat canere miſſam defunctorum, præſertim vbi voluntas teſtatoris implenda eſt, & vbi conſuetudo ita obtinuit, & pietas benefactorum ita depoſcit. Colligo expreſsè ex c. Cum creatura, de celeb. miſſ. quod in hoc caſu puto locum habere. Exiſtimo quoque, quòd in dictis eccleſijs Regularium, vbi adſunt ad minus tres ſacerdotes, quotidie eſt celebranda miſſa ſub mortali, nec poſſunt Fratres vnius conuentus omnes vno die ire ad dicendas miſſas extra ſuam eccleſiam, nec multo minùs ad recreationem, propria eccleſia ſine miſſa relicta. Ita Suarez to.3.in 3.p.diſp.80. ſect.2. concl.2. Fagund. in 1.præcept.eccleſ.lib.3.cap.15.nu.9. Henriq.lib.9. cap. 24.num.3. in com. lit. A. Ledeſma 1.part.ſum. de Sacram.Euch.c.19.concl.2.Rodriq.tom.1.qu.reg.q.43. art.14.& alij communiter, hoc enim & habet conſuetudo, & pertinet ad commune bonum Eccleſiæ; & colligitur ex dicto c.Cum creatura,de celebr.miſſ. Dicunt tamen Suarez, Ledeſ. & Fagund. quòd in aliquo caſu propter vrgentem neceſſitatem poſſet omitti; humana enim præcepta humano modo intelligenda ſunt. Exiſtimo etiam, quòd dicta miſſa quotidie celebranda in dictis eccleſijs, vbi adſunt ſaltem tres Sacerdotes, ſub mortali, debet eſſe ſub eodem peccato correſpondens officio. Ita Angel. ver. Miſſa, §. 33. Roſel.eodem, §.fin. Cordub.in comp.priu.mendic. verb. Moniales, p.2. Rodriq.to.3.q. reg.qu.6.art.7. qui duo extendunt etiam ad monaſteria Monialium. Colligitur expreſsè ex cit. c. Cum creatura, de celebr. miſſ. Non eſt tamen neceſſe, vt dicta miſſa cantetur, vt innuit Gauantus in rub.miſſ.p.3.tit.11.num.4.quatenus quo ad hoc ponit differentiam inter eccleſias regulares, & collegiatas, & dicunt Corduba, & Rodriqu. quod poteſt dicta miſſa propter aliquam vrgentem rationem omitti, v. gr. ſi ſit celebrandum pro defuncto in die depoſitionis ſuæ, vel ex tribus Sacerdotibus vnus eo die celebrare non poſſit. Sunt enim hæc humana præcepta. Exiſtimo denique, quòd dicta miſſa conuentualis poſſit applicari pro quocumque voluerit Prælatus. Ita Cord.loc.cit.p.3. Rodriq. cit. art.8. non enim apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium, vnde intrat regula, Quòd omnia ſunt conceſſa,quæ non reperiuntur prohibita, quam probat Gloſſ.in c.Cum Eccleſia Sutrina, verb.Ne veniret de cauſa poſſeſſ.Et ita etiam tenet R. P. Fr. Hieronymus Trimarchi Sacræ Theologiæ Lector, & iuris Pontificij Profeſſor in Conuentu Meſſanenſi Ordinis noſtri in reuiſione iſtius libri. Et tandem exiſtimo, quod omiſſio miſſæ ſolemnis in noſtris eccleſijs,etiam ſolitæ celebrari in diebus feſtiuis,etiam ex negligentia non ſit peccatum mortale ſecluſo ſcandalo, quia conſuetudo dictas miſſas ſolemnes celebrandi non habet maiorem vim, quam regula id præcipiens, quæ tamen ad nullam culpam obligat. Ita Diana t.3.tract.2.reſol.8.

21 Quæres 6. An alicui liceat facere ſibi celebrari officium, vel miſſas defunctorum dum viuit? ℞. Affirmatiuè, & eſt magis proficuum, quàm relinquere poſt mortem; nam dum celebrantur pro mortuis, ſolùm illis poſſunt prodeſſe quò ad ſatisfactionem, at verò dum celebrantur pro viuis proſunt non ſolum quo ad ſatisfactionem, ſed etiam quo ad impetrationem. Atque ita Nau.lib.3.conſ.de celeb. miſſ. conſ.6. Fraxinell.de ſacerd.oblig.ſect.3.prænot.4.§.3.Homob. de exam.ſacerd.tr.4.c.14.q.128.to.1.

22 Quæres 7. An Sacerdos liber ab obligatione celebrandi miſſam, dicendo miſſam, poſſit eam applicare pro illo, qui primò ſtipem dederit? ℞. affirmatiuè, quia apud Deum omnia tempora ſunt præſentia. Ita Vega 2.p.ſum.c.28. caſu 5. apud quem multi, Bariol. in aphor.lit.M. verb. Miſſæ commendandæ. Negant tamen id poſſe fieri Henriq. lib.7. c. 2.num.1. & lib.9.c.21.n.2. Fraxinell.loc.cit. prænotion.5.§.5. Fagundez in 1.præcep.eccleſ.lib.3.cap.9.num.10.qui tamen nu.8. concedit, quod poteſt Sacerdos celebrare pro intentione Sacriſtæ,Homob.loc.cit.qu.130. & dicunt, ita fuiſſe declaratum à Sacra Congregat. approbante Paulo V. anno 1605. die 5. Nouembr. Soſa in tract.quem facit, quòd non conuenit, quod Capuccini recipiantur in regno Caſtellæ, pag.2. verſ.Lo ſexto digo, & declarationem ipſam refert Barb. de poteſtat. ep.p.2. alleg.24. num.12. qui tamen in eo venit corrigendus (niſi ſit error impreſſoris, vel datæ) quòd dicit, hanc declarationem emanaſſe ſub Clemente VIII. nam hic Pontifex mortuus eſt die 3. Martij, anno 1605. & Paulus V. creatus eſt eodem anno die 16. Martij.

23 Quæres 8. An obligatus ad quotidie celebrandum,poſſit ſingula hebdomada ſemel vacare? ℞. affirmatiuè. Ita Nau. in man. cap.25.num.135. & lib.3. conſil. de præb. conſ.6. num. 5. vbi vnam continuam vacationem concedit, & aliquando duas; Henriqu. in ſum.lib.9.cap.24.num.4. Fraxinel. de ſacerd. oblig. ſect.4.concl.4. §.2. & 3. Sa in aphor. verb. Miſſa, nu. 46. Homob.in Exam. tom.1. tract.4. cap.13. qu.124. verſ.Ad 2.q.Azor.tom.1.lib.10.cap.24.qu.7.Rodriq. in ſum. p.1. cap.42. concl.2. qui vnam, & aliquando duas vacationes concedit; Fagund. in p. præcept. Eccleſ.libr.3. cap. 15. num. 11. Barb. de poteſt. ep. p. 2. alleg.24. num.28.Obligatio namque ad quotidie miſſandum intelligitur ſalua honeſtate, prout declaratur in cap.Significatum, de præb. Honeſtum, verò eſt, vt poſſit ſingula hebdomada capellanus quieſcere. Verum tamen eſt, quòd ſi obligaretur capellanus per ſe, vel per alium quotidie celebrare, vel obligatio eſſet annexa alicui altari, ita, vt teneretur ſingulis diebus in illo altari celebrare,tunc non poſſet vacationem ſumere, ſed teneretur per ſe, vel per alium celebrare, & pacta ſeruare. Ita ijdem DD. qui etiam affirmant, quòd quando licitè poteſt capellanus vacationem ſumere, non poteſt tempore vacantiæ, accepta ſtipe,pro alijs celebrare. Sed an poſſit dictus capellanus tempore dictæ vacantiæ ex charitate pro ſe, vel parentibus, aut amicis celebrare, non diſcutiunt. Ego puto, quòd ſic, nam dura nimis eſſet captiuitas, obligare pauperem ſacerdotem, vt nullo vnquam tempore poſſet pro ſe, vel ſuis vnam miſſam dicere. Et colligo clarè ex dicto cap.Significatum, ibi, *ſalua honeſtate*, ideſt, æquitate; at honeſtas, & æquitas talem indulgentiam concedunt. Colligo etiam ex illa clauſula eiuſdem cap. *Nec ſibi liceat hoc illis ſubtrahere, ſine cauſa voluptatis*. Ergo ſi non licet talem vacantiam aſſumere cauſa voluptatis corporalis, & temporalis, licebit quidem cauſa deuotionis, & charitatis, ac voluptatis ſpiritualis. Idem intellige,ſi Prælatus mihi quotidie celebrare percipiat in genere, nam hoc præceptum etiam humano modo intelligendum eſt, cum ſit humanum; humanitas autem, ſeu æquitas, vacationem concedit.

24 Sed quid, ſi capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, infirmetur? Fraxinell. loc. citat. §. 13. Barb.loc.cit.num.31. Homob.q.122. Genuen. in praxi,cap.47. de capell. infirmo,num.2.dicunt;quòd poſt quindecim dies tenetur per alium celebrare: Bonac. de Sacram.diſput.4.qu.vlt.p.8.num.17. ait, quòd poſt quindecim dies tenetur per alium celebrare: Petrus verò Nau.lib.2.de reſt.cap.2. num.211. Rodriquez in ſum.p.1.cap.250.concluſ.3. Bariol. in aphoriſ. litt.C. verb.Capellanus ægrotans, dicunt, quod ſi infirmitas eſt breuis, puta vnius, vel duorum menſium, non tenetur Capellanus per alium celebrare, nec ipſe factus ſanus relictas miſſas dicere, quia cum fundator mentem ſuam non explicauerit, ſe non intendere ſtipendium dare, niſi quotidie celebranti, quacumque cauſa excluſa, non eſt credendum, quod voluerit tam

ſtrictè

Digitized by Google

ſtrictè obligare, nec eſt rationabile tantùm emungere. Vnde enim viuet pauper cappellanus infirmus, qui nihil habet præter ſtipendium miſſæ, ſi eo paruo tempore; quo plus indiget, tenetur alteri ſtipendium elargiri. Hanc opinionem tenent etiam Gonzal. ad reg.8.cancell.gloſſ.5 num.71. Camp. in diuerſ.iur.rubric.7. cap.6. nu.14. quatenus ſecuti dictum Nau. dicunt, non teneri dictum Capellanum per alium celebrare, quando breui tempore infirmatur: vnde per breue tempus intelligunt ſpatium duorum menſium; quod tempus etiam breue putat ad hunc effectum Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat. Quæ omnia quadrant Regularibus habentibus obligationes miſſarum. Sed caue, quod idem dicas de miſſis manualibus; nam hæ debent omnes celebrari, ſicuti promiſſæ ſunt.

25 Quæres 9. An Sacerdos poſſit alteri applicare valorem miſſæ ſibi competentem? ℟. Aliqui affirmant; quia hic fructus non eſt gradus aliquis ſanctitatis, neque remiſſio alicuius culpæ, ſed ſolùm remiſſio alicuius pœnæ, qua non eſt inconueniens, quòd aliquis velit ſe priuare, etiamſi indigeat; poteſt enim alia via velle ſibi prouidere. Ita Nau. in manu. cap.25. num.92. Henriquez libr.9. cap.21. num.7. Scortia de Sacrif. miſſæ libr.1. cap. 9. verſu At ſi ſermo. Molfeſ. tom.1. ſumm. tract.3. cap.15. num.40. Mirand. tom.1. man. q.41. art.17. Io: Suarez in Enchiridion. lib.5. verbo Miſſa, verſ. Sacerdos. Ex quo deducunt, poſſe Sacerdotem etiam regularem, priuare ſe valore miſſæ ſibi debito, & alteri applicare, ac pro tali applicatione aliam ſtipem recipere. Negant Bonac. de Sacram. diſput.4. q. vltima, p.8. num.16. Homobon. de exam. tract.4. cap.13. qu.125. tomo 1. Rodriquez p.1. ſumm. cap.250. num.2. quia talis valor perſonale priuilegium eſt, & nemini applicabile. Suarez to.3. in 3.p. diſput. 79. ſect.9. dub. vltimo, diſtinguit de valore miſſæ proueniente ex opere operantis, & de valore proueniente ex opere operato. De 1. concedit, quod applicari poſſit, & non eſt dubium. De 2. negat: quia ſicut non poteſt applicari alteri remiſſio aliqua pœnæ, quæ ex Baptiſmo proueniat baptizato, neque indulgentiæ fructus poteſt alteri concedi, niſi de ſpeciali facultate concedentis; ita neque poteſt hic valor alteri applicari. Mihi certè 1. ſententia non diſpliceret, niſi foueret auaritiam, qua obcæcati aliqui pecuniam ſolam venerantur, & adorant; vnde tranſeo cum 2. ſententia, & 1. admitto in caſu, in aliquo monaſterio paupere creuiſſet adeò miſſarum numerus, vt ei ſatisfacere non poſſent Sacerdotes ibi habitantes, nec haberet vnde poſſet dictas miſſas alijs, data ſtipe, commendare.

26 Quæres 10. An quando in aliquo loco eſt aſſignatum ſtipendium pro celebranda miſſa, poſſit pauper ſacerdos, qui nihil habet vnde viuat, niſi ex miſſa, minus taxati ſtipendij accipere, & deinde ad iuſti ſtipendij rationem miſſas celebrare? ℟. affirmatiuè. Nam qui minus taxati ſtipendij dat, & pro eo miſſam celebrari pro ſe ſolo poſtulat, rem iniuſtam poſtulat: ergo quamuis ſacerdos paupertate coactus promittat abſque iuramento, non tenetur talem promiſſionem implere, ſed poteſt ſe indemnem ſeruare. Sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, poteſt damnum ſuum quo melius potuerit reſarcire, etiamſi in principio ob paupertatem coactus ſit paciſci pro iniuſto, & inæquali ſtipendio, & ſimiliter qui ob neceſſitatem cogitur triticū emere iniuſto pretio, poteſt ſine iniuſtitia alia via ſe indemnem ſeruare. Ita Suarez tom.3. in 3. part. diſp. 86. ſect.4. verſ. Vnde conſequenter infero; Mirand. to. 1. man. q.41. ar.23. concl.3. Tambur. de iur. Abbat. to.2. diſp.5. qu.9. num.9. Neque his videtur conſtare decretum Sacræ Congregat. de celebr. miſſ. §.2. quod habes tom.2. huius op. in conſt.9. Vrban. VIII. vbi Congreg. ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, vt tot miſſæ dicantur, quot fuerunt præſcriptæ, quamuis recepta ſtipendia ſint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi, quando Sacerdos omnino voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato ſtipendio, & expreſsè promiſit ſe tot miſſas integras dicturum, quo modo etiam limitauit ſuam ſententiam Suarez. Et tunc tenebitur magis ratione fidelitatis & præcepti, quàm iuſtitiæ.

27 Sed pone, quod cuidam Sacerdoti commendatæ ſint centum miſſæ, v. gr. promiſſo iuſto ſtipendio ſtatim poſt eorum celebrationem, ijs celebratis, non potuit Sacerdos ſine lite, & alijs incommodis lites comitantibus, ſtipendium recuperare; ſi ab eodem deinde, qui primò commendauit dictas centum miſſas, commendentur aliæ centum, poterit ne ſibi compenſare minuendo has centum miſſas, id quod conſumpſit in priori ſtipendio recuperando? ℟. affirmatiuè. Nam ſicut Sacerdos accepto ſtipendio, tenetur ratione iuſtitiæ miſſas celebrare, ita commendans miſſas tenetur ratione iuſtitiæ in vtroque foro ſtipendium tribuere, vt benè Suar. loc. cit. ſect.1. in princip. & Hēriq. lib.9. cap.21. nu.4. ſed in obligationibus iuſtitiæ datur compenſatio, ergo & hic Sacerdos poteſt ſibi damnum datum præciſè certum, & liquidum, iuxta communem taxationem, quod alia via recuperare non poteſt, compenſare, iuxta ea, quæ de compenſatione dicunt DD. & in ſpecie Petrus Nau. lib.3. de reſtit. cap. primo à num. 397.

28 Quæres 11. An quando quis abſque ſtipendio promittit alicui miſſam ſe pro illo oblaturum, teneatur eam offerre? ℟. Non ſemper teneri, nam ſæpe dicta promiſſio tantùm eſt ſimplex declaratio animi, & propoſiti, quod tunc habet, ſine intentione ſe obligandi ad non mutandum illud, ſed omnino implendum, & tunc non manet rigoroſa obligatio, ſed ſolum ex quadam decentia, vt ſine graui cauſa animus non mutetur. Ita Suar. tom.3. in 3.p. diſp.86. in princ. Sanchez 1. de ſponſal. diſp.5. nu.24. Portel. in dub. regul. verb. Miſſa nu. 10. Si autem promittendo habuit animum ſe obligandi, adhuc tenet Diana cum multis tract.17. var. reſol. reſol.9. in fine, quòd non eſt mortale non obſeruare: nam omiſſio ſacri ex liberalitate promiſſi non eſt in genere damnorum ſpiritualium, quod poſſit conſtituere peccatum mortale. Si autem promittat ſacrum ad ſoluendum gratitudinis debitum putat N. Trimarchi, quod celebrare teneatur; nam tunc iuſtitiæ, & naturalis debiti eſt talis promiſſio, non ſimplicis liberalitatis.

29 Quæres 12. An ſit aliquod remedium minuendi miſſarum numerum? ℟. Olim ſummos Pontifices volentes benemeritos de ſede Apoſtolica Mendicantes recognoſcere, illis multa priuilegia conceſſere, ſupplentes de theſauro Eccleſiæ, ſi quid fortè per hoc intentioni fidelium (quam Papam poſſe rationabiliter immutare, & ſtipem pro miſſa datam in vim eleemoſynæ conuertere, docet Henriquez lib. 9. cap.22. num.7.) detractum fuiſſet, nec in hoc dictos Pontifices erraſſe dici poteſt, neque minus quidquam intentioni fidelium detraxiſſe: nam quantum ad valorem miſſæ impetratorium hic valor non minuitur ex eo, quòd pro pluribus offeratur, ſecundum communem ſententiam, de qua Henriquez loc. cit. cap.17. §.5. & dicit clarè Hieron. relatus in c. Non mediocriter, de conſecr. d.5. quantum verò ad valorem ſatisfactorium cum Papa habeat vnde poſſit aliter ſoluere, parum refert, an ſoluat in aurea, vel argentea moneta, modo plenè debito ſatisfiat. Sed hæc priuilegia dormiunt hoc tempore: ad alia igitur remedia recurrendum. Et primum, & principale eſſet, non recipere miſſas de nouo, niſi prius celebratis antiquis, neque recipere, niſi tot, quibus poſſit ſatisfieri. Sed inquiunt Mendicantes. Refriguit charitas fidelium: gratis eleemoſynas abſque onere miſſarum qui tribuat, vix reperies: non poſſumus Fratres alere; diſciplina regularis euertitur, cum coguntur Monachi ſibi neceſſaria perquirere: monaſteria, & eccleſias reparare non poſſumus,

nec

Digitized by Google

nec debitas,& communes expenſas pro Religione ſuſtentanda ſupplere: & licèt mendicare non erubeſcamus, fodere tamen non valemus. At vos,inquam, in culpa eſtis, qui tot ad habitum recipitis, quos nequitis ſuſtentare. Sed replicant. At id vitio tribui nobis non debet: fit enim hoc, vt eccleſijs noſtris, quas ſupra nos zelamus, & quibus fidelium deuotio gignitur, & nutritur, meliùs inſeruiatur. Et eſto,quod non niſi neceſſarios ad habitum recipiamus,antequam ad ſacerdotium aſcendant,alendi nonne ſunt?& lacte diſciplinæ imbibendi tenelli?Egemus Religioſis ad Fratrum ſeruitia deputatis, qui tamen miſſas non celebrant:Et eſto,quòd in poſterum nulli ampliùs Fratres eſſent recipiẽdi, niſi qui ſuſtentari poſſent,de receptis quid faciendum? Cogimur itaque deuotos ſeculares indecentiſſimè importunare, & clauſtrum pro victu quæritando relinquere potiùs, quàm diuinum iudicium, & omnipotentis Dei indignationem incurrere. Sed in his non eſt immorandum. Quando ergo creuiſſet in aliqua eccleſia tantus numerus miſſarum, cui ſacerdotes illius ſatisfacere non poſſent,nec haberent vnde eas celebrari facere poſſent, peccaſſent quidem recipiendo, & ad reſtitutionem tenerentur;ſi autem non haberent,iam non tenerentur,quia ad impoſſibile nemo tenetur. Vnde ſicut qui verè decoxerunt, poſſunt tuta conſcientia ſoluere vnum ſolidum pro vna libra, dato quòd plus non poſſint, & ſic ex vna libra 20. creditoribus ſoluunt,& creditores illum ſolidum libenter accipiunt, dicentes, illum ſolidum potius eſſe, quam nihil;à decocto debitore,hordeum, vel palea; & melius eſſe cadere è medio ſcalæ, quàm è principio. Sic in iſto caſu poſſunt facere illi Religioſi,proponendo primò ab his in futurum abſtinere. Secundo,omnes alias orationes,diſciplinas,abſtinentias, & ſatisfactiones applicare, ſupplicantes Deo, vt per ſuam infinitam miſericordiam ipſorum defectũ ſuppleat. Tertio,cantare, præſente toto conuentu, vnam miſſam pro nouem, vel decem, vel pluribus, iuxta maiorem,vel minorem numerum miſſarum. Quarto, poſſent ſe priuare valore illo ſpeciali miſſæ ſibi debito, de quo dixi num. 2. & ſic cum vna miſſa ſatisfiet duobus petentibus. Sed hic dubitari poteſt, an poſſint Regulares à Prælato cogi ad hunc valorem alijs applicandum?Videtur quòd ſic,modò elemoſynæ receptæ pro miſſis,ſint in vtilitatem monaſterij, & Fratrũ conuerſæ; nam qui ſentit commodum, debet ſentire & onus; nec ſolus Prælatus reſtituere tenetur, ſed totus conuentus,ideſt omnes,& ſinguli Fratres. Quinto, poſſent petere relaxationem ab ijs, qui miſſas commendauerunt,ſi fieri ſine ſcandalo poſſet. Habes veſtigium huius doctrinæ apud Palud. in 4.d.45.q.2.art. 2.concl.5.Videatur Nauar.lib.3. conſ.de celebr.miſſ. conſ.11.nu.2.vbi probat, quòd diminutio redditum, & augmentum pretij rerum ad victum, & veſtitum neceſſariarum cauſam præſtat, vt numerus miſſarum in fundatione appoſitus minuatur. Et colligitur ex c. Quoniam,de vita,& hon.cler.ibi,[prouentibus,& expenſis diligenter inſpectis:] Et ex c.Ex parte,de conſt. ibi,[licèt nõ ſint eius diminuti redditus.]vbi Gloſ.ver. Diminuti, ait, quòd tunc talis diminutio poteſt fieri auctoritate Epiſcopi, & conſequenter Prouincialis, auctoritatem quaſi epiſcopalem habentis. Audio etiam,in regno Siciliæ practicari, quòd pro miſſis receptis ante decretum Congr. de celebratione miſſarũ ſatisfiat per priuilegium collectarum &c. & quod cum iſta limitatione fuit ibi acceptatum, receptis verò poſt dictum decretum integrè ſatisfit.

30 Noto 14. quòd in num. 63. eiuſdem conſt. dicebam, Epiſcopum non poſſe in totum eximere Eccleſiam à ſua iuriſdictione. Pro quo vide Barb. in addit. ad 3. p. de poteſt. ad alleg. 115. num.73.verſ.38. Tambur. tomo 1. de iur. Abb. diſp. 15.qu.13.vbi refert per extenſum hoc priuil. Pyrrhi, Chokier p. 1. de exemp. q. 3.à nu.3.qui hanc concl.limitat nu.5.vt non intelligatur initio fundationis, nam tunc nondũ eſt acquiſitum Epiſcopatui ius ſuperioritatis. Et ſic bene potuit Pyrrhus initio fundationis primæ noſtræ Eccleſiæ eam relaxare ſub immediata cura Romani Pontificis.

31 Noto 15. quod circa eandem conſt.Pyrrhi, n. 54. probaui, quod regulares erant exempti à quarta funeralium per priuil. ſummorum Pontificum; quæ quidem priuil. cum fuerint illis conceſſa in recompenſationem laborum quos paſſi ſunt, & quotidie patiuntur in Eccleſia Sancta Dei ad propagationem fidei, etiam cum proprij ſanguinis effuſione, cenſentur irreuocabilia, non quòd per abſolutam Papæ potentiam reuocari non poſſint ſed quod de ordinaria non debeant reuocari ſine grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa, quæ adæquet cauſam, propter quam conceſſa ſunt. Atque ita Gonzalez ad regul. 8. cancell. gloſſ. 9. §. 2. num. 49.Gratian.diſcep.for.tom.5. cap. 925. nu. 4. Et retulit mihi Trimarchi, quòd pro hac quarta exierunt bullæ Vrbani VIII. ad inſtantiam Correctoris noſtri Syracuſani, & quòd pendente lite in monarchia dicti Regni Religio noſtra erat in poſſeſſione.

Caput ſecundùm de addendis circa conſtitutionem Sixti IV.

1 NOto primò circa numerum 10. primæ conſtit. Sixti IV. quòd licet communiter DD. vt Llamas 4. p. meth. cap. 3. §. 8. Sigiſmund. de elect. dub. 87. Vech. de nouit. diſp. 9. à nu. 13. concedant, quòd infamis infamia iuris,cuius delictum occultum eſt, poſſit per Prælatum regularem diſpenſari, negant tamen id poſſe facere, quando delictum notorium eſt; & multo minus, quando delinquens talis declaratus eſt per iudicis ſententiam. Sed cum ego probauerim tom. 2. relig. Præl. quæſt. 2. cap. 5. §. 4. num. 50. hanc iuris infamiam nullo modo incurri, niſi poſt iudicis ſententiam, puto, quòd priuilegium Eugenij IV. concedentis, quòd poſſint noſtri Prælati infamiæ maculam abolere, habeat locum in foro exteriori, & in infamia per iudicem declarata; alioquin ſecundùm noſtram ſententiam, quæ communiſſima eſt, nihil valeret, & priuilegia ſemper ita ſunt interpretanda, vt aliquid operentur. Et vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: & leges abſolutè loquentes in vtroque foro intelligendæ ſunt,cum priuilegia amplianda ſint.

2 Noto 2. quod in conſt. 2. Sixti IV. num. 9. dicebam, quòd Clericus prohibitus à ſuo Epiſcopo ludere ſub pœna excommunicationis, ſi luderet in monaſterijs Regularium, non incideret in dictam cenſuram, & DD. ibi ad hoc adductis addendi ſunt Riccius 2. p. praxis, reſolut. 177. & reſolut. 181. in princ. & reſolut. 206. num. 2. Reginald. in praxi.lib. 13. num. 170. Auila de cenſ.p. 2. cap.3.diſp.2.dub.5. Bonacin. de cenſ.diſ. 1. quæſt. 1. p. 11. num. 8.Henriquez lib. 13. cap. 26. num. 2. Sayrus de cenſur. lib. 1. cap. 6. num. 39. & 40. Et probatur ex cap. Vt animarum. de conſt. in 6. nam monaſteria exempta extra diœceſim dicenda ſunt eſſe, vt colligitur ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de reform. ibi,[aut aliquo monaſterio cuiuſuis Ordinis.]

3 Sed quid, ſi Epiſcopus declaret, intendere ſe ligare etiam extra territorium, & in hoc loco exempto ludentes? Putat Bonac. loc. cit. num. 6. quod non per hoc ligat. Nam ad ligandum hoc pacto non ſufficit intentio, ſed requiritur iuriſdictio, at extra territorium ius dicenti non paretur impunè,leg. fin. ff. de iuriſd. omnium Iud. Ita etiam Diana tom. 3. tract. 5. reſolut. 73. Contrarium tamen ſentit Probus in cap. Vt animarum, de conſt. num. 14. quando ſubditus non intenderet domicilium mutare, nam tunc ratione obedientiæ, à qua ſe ſubtrahere non intendit, obligaretur;Azor.tom.2.lib.5.cap. 33. q. 3. putat,quòd

poſſet

Digitized by Google

poſſet puniri ab Epiſcopo pœna extraordinaria. Suarez lib. 3. de legib. cap. 32 num. 5. putat, quod ſi ſententia eſſet ſolùm ferenda, poſſet Epiſcopus dictum Clericum, quando iam à loco exempto receſſiſſet, excommunicare, qui tamen meo videri non benè concludit tomo 5. in 3. p. diſp. 5. ſect. 4. num. 6. monaſteria Regularium non eſſe exempta quò ad hunc effectum; quia ſolùm, inquit, ſunt exempta ratione perſonarum; Suarez ſequuntur Coninck diſput. 13. de cenſ. dub. 7. num. 63. Filliuc. tom. 1. tract. 11. nu. 149. non concludit, inquam, bene; quia dicta monaſteria ſunt exempta non ſolum ratione perſonæ, ſed etiam ratione ſui, vt conſtat ex tenore priuilegiorum diuerſis Ordinibus conceſſorum, & in ſpecie ex priuilegio huiuſmodi nobis conceſſo à Sixto 4. in conſtitut. eius 2. §. 7. tom. 1. noſtr. priuil. Vide Sayrum loc. cit. à num. 41. Coninck loc. cit. à num. 49. Filliuc. cit. à num. 148. Salas de leg. diſp. 14. ſec. 5. num. 78.

4 Noto 3. quòd num. 11. eiuſdem 2. conſt. Sixti IV. dicebam, quòd Papa eximens nos à iuriſdictione omnium iudicum, ſubijcit Romano Pontifici canonicè intranti; canonicè autem dicitur ille Pontifex intrare, qui per electionem Cardinalium canonicè electus eſt, cap. Alienationes, iuncta gloſſa eodem verb. 12. quæſt. 2. cap. Ego N. de iur. iur. cap. Hinc ergo, de conſecr. d. 1. Et in quibus caſibus exempti ſubijciantur Ordinario, vide Chokier. de exempt. p. 2. qu. 45.

5 Noto 4. circa eamdem 2. conſt. Sixti IV. nu. 15. in fine, quòd ſi dubitetur, an Regularis citatus ab Epiſcopo ſit exemptus in illo caſu, pro quo eum citat, comparere tenetur, & ſuum priuilegium, & rationes allegare. Ita Baldus Peruſ. de ſtatutis, verbo Comparere, num. 3. tom. 2. tract. Sylu. verb. Citatio, nu. 3. Si verò certò ſciatur, quòd ſit exemptus, iam, vt dixi, non tenetur comparere, niſi velit; leg. 2. ff. Si quis in ius vocetur: Armilla verbo Exemptio, nu. 1. fine, Vancius de nullit. tit. De nullit. ex defectu cit. nu. 28. Chokier de exempt. p. 2. q. 6. nu. 23. quem vide q. 12. à num. 1. vbi ait, quòd in dubio non poteſt Ordinarius cognoſcere, an ſibi in exemptos iuriſdictio competat. Vide etiam eumdem p. 1. q. 8. nu. 11. vbi ait, quod exemptus non tenetur priuilegium exemptionis Ordinario exhibere, ſed viris probis vtrinque aſſumptis: & ſi non compareat, & nihilominus Epiſcopus proceſſum formet, proceſſus nullus eſt. Ita idem Bald. cit.

6 Noto 5. quod eadem conſt. num. 18. dicebam, non poſſe Epiſcopos vllo modo eccleſias Regularium viſitare. Sed quid, ſi à Papa accipiat Epiſcopus de nouo aliquam facultatem ſupra Regulares. ℞. prout dixi tom. 1. Religioſi, q. 1. cap. 18. §. 2. in fine, quòd tunc tenetur prius oſtendere literas ſuæ commiſſionis, & poſtea viſitare; quòd ſi eas nolit oſtendere, & de facto procedat, poſſunt Regulares de facto etiam illi reſiſtere; nam de facto procedentibus, de facto eſt reſiſtendum; leg. 1. §. & hoc edictum ff. Si mulier ventris nomine, & dicit Marcus de Mantua ſingul. 446.

7 Sed pone, quòd Epiſcopus prætendat viſitare parochiam monaſterio annexam, vbi non reſidet Prælatus, qui ſit caput Ordinis, & intimata viſitatione, prætendant Regulares ipſum non poſſe, & ſe offerant probare, & videntes Epiſcopum velle eos excommunicare, appellent, quid faciet Epiſcopus. ℞. Camp. in diuerſ. iur. rubr. 12. cap. 13. à num. 52. quod tunc poteſt Epiſcopus de facto procedendo, in eccleſiam irruere, oſtia, & muros frangere, ac humi proſternere, Fratreſque ipſos excommunicare, nulla monitione præmiſſa, nec vlla appellatione admiſſa. Sed iſta indigent temperamento. Abbas igitur in cap. Venerabili, de cenſ. num. 3. ait, quod ſi conſtat omnino de iuriſdictione Epiſcopi, poteſt ad ſuam iuriſdictionem defendendam armis materialibus, & ſpiritualibus vti, quod etiam docet Innoc. in cap. 1. de immunit. Eccleſ. nu. 3. & eod. cap. Venerabili, num. 3. nec tenetur in hoc caſu admittere appellationem in præiudicium ſui iuris cum ſit in poſſeſſione, nec etiã probationem recipere, quia procedit vt pars ad ius proprium ſuſtentandum, non vt iudex, & ſic oblatio probationis non habet iuſtificare appellationem. Quæ omnia habent fundamentum in cap. Dilecto, de ſent. excom. in 6. tenetur tamen ante excommunicationẽ monere Fratres, vt dicit Abbas loc. ci. & Innoc. in cap. Venerabili cit. num. 4. vbi relata prima opinione dicente, quòd monitio in hoc caſu non eſt neceſſaria, ait, [Monitio tamen ſemper videtur neceſſaria,] & ita ſentiſſe Innocentium, diſertis verbis teſtatur Felin. in cap. Cum ſit Romana, nu. 16. de appell. vbi ait, Innocentium receſſiſſe ab opinione negante monitionem in hoc caſu neceſſariam non eſſe. Quare mirandum eſt, quomodo Camp. pro ſua ſententia hos tres Doctores adducat; Monitio itaque trina neceſſaria eſt, antequam Epiſcopus poſſit in hoc caſu Regulares excommunicare, & præter dictos DD. docent Couarr. in cap. Alma mater, p. 1. §. 9. n. 6. verſ. Hinc denique; Suar. de cenſ. diſp. 2. ſect. 8. num. 9. Sayrus de cenſut. lib. 1. cap. 12. n. 20. vbi ſaltem vnam monitionem prærequirit; Quæ monitio etiam prærequiritur, ſi Epiſcopus velit procedere per oſtiorum fractionem; nam poteſt eſſe, quòd tali monitione territi pareant, & ſic omnia fiant ſine ſcandalo, & rumore, vt inter Religioſos decet Deinde ſi monitio requiritur ante excommunicationem, quæ eſt gladius ſpiritualis, & formidabiliſſimus, quare non requiretur ante vſum gladij temporalis, qui maiorem rumorem, & ſcandalum quandoque excitat? Si autem Epiſcopus velit viſitare aliquod monaſterium, & conſtet euidenter, quòd non poteſt propter exemptionem, nec vllam talis actus habeat poſſeſſionem, & per hoc reſiſtentes Fratres excommunicet, tunc illa excommunicatio nullius valoris eſt, vtpotè lata à iudice non ſuo; cap. Cum dilectus, de relig. domibus, vnde cùm exemptio Regularium tunc notoria ſit, nec poſſit Epiſcopus ſe ignorantia, & errore probabili tegere, puniendus erit tamquam publicus pacis perturbator, & tamquam manum mittens audacter in alienam meſſem; arg. cap. Sacro, de ſent. excom. Si autem dubium ſit, an Epiſcopus ſit in poſſeſſione, & prætendens viſitare, Fratres recuſent, ipſe autem eos excommunicet, talis excommunicationis valor pendebit à futura cauſæ deciſione, facienda à Superiore: interim poterunt Fratres, ſua iura tuendo, reſiſtere, & de facto procedenti de facto reſpondere. Et ex his collige, quid faciendum, quando Epiſcopo eſſet commiſſa aliqua facultas de nouo. Nam, oſtenſis literis commiſſionis authenticis, ſi omnino conſtet de mente Superioris concedentis, tunc Regulares parere debent, alioquin ipſe procedet iuxta literarum tenorem: Si verò conſtet, Superiorem fuiſſe malè informatum, & motiuum, propter quod talis facultas conceſſa eſt Epiſcopo, ſit euidenter falſum, tunc non tenentur parere, ſed tenetur Epiſcopus expectare, quouſque Superior meliùs informetur. Si autem dubium ſit, melius eſſet parere cum proteſtatione; ſed ſi magnum præiudicium timeatur, poſſunt etiam reſiſtere, & expectare Superioris determinationem.

8 Noto 6. quòd circa eamdem 2. conſt. Sixti, nu. 20. & 21. aliqua dixi circa Regulares quò ad munus prædicandi. Quibus poſt nu. 21. addenda ſunt nunc infraſcripta. Et primo quæritur, an poſſit Epiſcopus prohibere Regulari, ne in Eccleſijs ſui Ordinis prædicet? Secundo, An poſſit Epiſcopus Regulares concionari volentes, de vita, & ſcientia examinare? Tertio, An teneatur Regularis in propria eccleſia concionaturus, perſonaliter ſe præſentare coram Epiſcopo benedictionem ab eo petiturus, an verò ſufficiat

id

Digitized by Google

id facere per literas, vel per nuncium? Quarto, Ad quem pertineat Prædicatorem eligere? Quinto, An Regulares extra clauſtra, & obedientiam ſuorum prę-latorum viuentes poſſint ab Epiſcopis ad prædicandum admitti?

9 Ad primum, affirmatiuè reſpondent Alph. Leo in ſuo theſaur. p. 1. cap. 8. num. 9. Camp. in diuerſ. iur. rubr. 12. cap. 13. num. 8. per textum in Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. vbi dicitur, quòd [nullus etiam Regularis in Eccleſijs ſui Ordinis, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.] Sed ego exiſtimo, quòd approbati à ſuo Prouinciali poſſint in ſuis Eccleſijs ad ſuum libitum prædicare cum ſola benedictione petita, non obſtante expreſſa prohibitione Epiſcopi, niſi fortè Epiſcopus vellet ea hora ipſe per ſe prædicare, iuxta ea, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 22. verſ. Circa 7. Atque ita, præter DD. ad id ibi allatos docet Henriq. lib. 7. cap. 28. §. 8. in com lit. E. & ita diſertis verbis declarauit Pius V. in ſua conſtit. 7. tom. 2. noſtr. priuil. §. 3. quas declarationes nullo modo eſſe reuocatas, dixi ibid. num. 3. Dixi, cum ſola benedictione petita, nam non eſt neceſſe, vt ea obtineatur, vt docent Barb. de poteſtat. Epiſ. p. 3. alleg. 76. num. 19. Tambur. de iur. Abbat. tom. 2. diſp. 11. quæſt. 4. num. 3. qui duo ſcripſerunt Romæ poſt conſtit. Greg. XV. de exemptorum priuil. Et ratio eſt, quia quando licentia obtineri debet, expreſsè ponitur verbum Obtinere, vel aliud æquiualens, vt in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. ibi [poſtulet, & obtineat,] & in cap. 2. de teſtam. in 6. vbi dicitur, quod Religioſus non poteſt eſſe procurator, niſi à Superiore ſuo licentiam petat, & obtineat: & in cap. Super cathedram, §. in eccleſijs, extra de ſepult. ibi, [ſeu petita licentia fuerit, & obtenta,] & in Clem. Dudum, §. In eccleſijs, de ſepul. Vnde prætendere, quòd dicta benedictio debeat obtinere, eſt expreſsè contradicere ſacris canonibus, & mentem Trident. peruertere, quod ſeſſ. 5. cap. 2. de reformat. tradens formam, qua poſſunt Regulares prædicationis munus obire, facit differentiam inter prædicandum in eccleſijs ſui Ordinis, & in ijs, quæ ſui Ordinis non ſunt; & ait, quod ad prædicandum in eccleſijs ſui Ordinis, ſufficit habere licentiam ſuorum Prælatorum, & petere benedictionem Epiſcopi, in alijs verò eccleſijs vltra licentiam dictorum Prælatorum requirit etiam licentiam Epiſcopi; vnde, vt conſtat, facit differentiam inter habere licentiam, & petere benedictionem, ſed habere licentiam dicit illam eſſe obtinendam, vt colligitur expreſsè ex Auth. Licentiam, C. de epiſc. & cler. & ex leg. Si quis mihi bona, §. Iuſſum, ff. de acquir. hæred. docet Rota coram Seraph. deciſ. 338. nu. 2. & determinauit Sacra Congr. vt patebit ex num. ſeq. ergo, vt prædicta differentia ſubſiſtat dicendum eſt, ſufficere quod benedictio petatur. Triden. ſeſſ. 24. cap. 4. intelligitur, quando eadem hora Epiſcopus vellet ipſe prædicare. Sed hic punctus iam caret difficultate propter conſtitu. Vrbani VIII. datam Romæ die 30. Ianuarij 1629. ad Epiſcopum Giennenſem, vbi inter alia hæc habet. [Ad hæc quod in eiſdem præinſertis literis dicitur, Regulares non poſſe verbum Dei prædicare ſine Epiſcopi licentia, id locum ſibi vendicare in his tantùm Eccleſijs, quæ ſui Ordinis non ſunt, cum in alijs Eccleſijs ſui Ordinis ſufficiat Epiſcopi benedictio petita, licet non obtenta, ita tamen, vt ſi Epiſcopus non modo benedictionem ſimpliciter non conceſſerit verum etiam Regularibus prohibuerit quominus prędicent, tunc illo contradicente, in ſui quidem Ordinis Eccleſijs liceat illis prædicare, quemadmodum ſacri Trid. Concilij decretis ſalubriter eſt cautum,] hanc conſtit. refert Barboſa de iure eccleſiaſtico vniuerſo, lib. 1. cap. 43. à num. 210.

10 Ad 2. Attentiùs conſideratis verbis Concilij ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. [Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, & moribus, & ſcientia examinati, &c.] dicendum eſt, non poſſe prædicatores regulares ab Epiſcopis examinari, ſed ſufficere quòd ſint examinati à ſuis Prælatis, & ab Epiſcopis vel benedictionem petant, vel licentiam obtineant, iuxta eccleſiam, in qua prædicare volunt. Quod etiam fuit expreſsè ſtatutum in Concil. Lateran. ſub Leone X. in conſtit. 21. apud Cherub. Supernæ maieſtatis, §. 3. tom. 1. bull. pag. 508. Atque ita tenent Camp. in diuerſ. iur. rub. 12. cap. 13. num. 9. & Barboſ. de poteſtat. Epiſc. alleg. 76. p. 3. num. 23. Mirand. tom. 1. man. qu. 50. ar. 2. Diana to. 3. tract. 2. reſolut. 111. & ita video ſtylari in hoc dominio Genuenſium. Et licèt circumferatur declaratio Sacræ Congr. facta 21. Ianuarij anno 1628. in qua ad quæſitum, An Epiſcopus poſſit examinare Regulares volentes prædicare in Eccleſijs, quæ non ſunt ſui Ordinis? reſpondeat poſſe, cum adſit differentia inter benedictionem, & licentiam, nihil tamen authenticum vidi. Verum quidem eſt, quòd mortaliter peccant Prælati regulares, qui ſubditos, vel ignorantes, vel non bene audientes, prædicare permittunt, vt dixi. tom. 1. relig. qu. 1. cap. 22. verſ. Peccant etiam, & conſtat ex dicta conſt. Leonis, in qua dicitur, [Nullus ad hoc munus admittatur, niſi prius per Superiorem ſuum reſpectiuè diligenter examinatus, (in qua re cõſcientiam ipſius Superioris oneramus) ac morum honeſtate, doctrina probitate, prudentia, ac vitæ exemplaritate, ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic quocumque poſtea prædicaturus acceſſerit, de huiuſmodi examine, & idoneitate ſua per literas authenticas, ſeu aliàs ſui examinatoris, approbatoriſque Epiſcopo, & alijs locorum Ordinarijs fidem legitimè faciat.]

11 Ad tertium dic, quòd tenetur ſe perſonaliter præſentare, ad oſtendendum humilitatis, & reuerentiæ ſigna. Ita expreſsè Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de refor. & dicunt Zerola in praxi, p. 1. verbo Prædicatio, §. 3. Franc. Leo in theuſ. for. eccl. p. 1. c. 8. n. 10. Quod tamen limito, niſi ſit graui aliquo impedimento detentus, nam tunc poteſt ſe præſentare per alium Fratrem eiuſdem Ordinis iuxta dicta ab Anchar. in Clem. Dudum, de ſepult. num. 10.

12 Sed quid, ſi Epiſcopus ſit extra diœceſim, & Vicarium non habeat? Tunc dicunt dictus Anchar. loc. cit. num. 12. & Cardin. in ead. Clem. §. Statuimus, numer. 8. quòd benedictio poteſt peti extra territorium per literas, & ſede vacante, poteſt peti à capitulo.

13 Sed quid etiam, ſi Epiſcopus, & eius vicarius malitioſè nulint dictam benedictionem largiri, vnde ſe occultent, & verbis dilatorijs protrahant, quouſque tempus tranſeat prædicandi? Tunc dicunt dicti DD. quòd recurrendum eſt ad Superiorem, ſi commodè poſſit; quòd ſi non, prædicare poſſunt, per priuilegium dictæ Clem. §. Si verò, vt dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 22. verſ. Circa 2. aduerto; nam licentia, ſeu benedictio iure petita, ſi iniuſtè negetur, videtur ipſo iure concedi, vt habetur ex cap. 1. de ſuppl. negl. Præl. & colligitur ex cap. licet, de regul. Notat autem bene Panorm. in dicta Clem. Dudum, nu. 22. quòd ad hoc, vt poſſint dicti Regulares prædicare abſque dicta benedictione, vel licentia, non ſufficit illam vnica vice petijſſe, ſed debent illam petere per tres vices. Quod etiam notauit Nau. in ſum. Hiſpan. cap. 27. num. 263. Ex his collige, quòd ſi aliquis Regularis debeat in eccleſia ſui Ordinis, vel alia parochiali diſtante vltra duas diætas à loco, vbi reſidet Epiſcopus prædicare poteſt per nuncium, etiam non ſuæ Religionis, vel etiam per literas, dictam licentiam, vel benedictionem petere. Quod etiam colligi poteſt ex conſt. 26. Leonis X. §. 6. tom. 1. noſtr. priuil. vbi loquendo de perſonali præſentatione, quam debent facere Prælati regulares Epiſcopis pro approbatione confeſſariorum iuxta Clem. Dudum, de ſepul. ait. [Dummodo ad Prælatos vltra duas dietas accedere non cogantur.]

14 Ad

14 Ad 4. hic punctus quotidie lites parit. De eo tractant Camp. in diuerſ. iur. rubr. 12. cap. 13. nu. 16. Franc. Leo 1. p. theſ. cap. 8. à num. 4. Riccius 1. p. praxis, deciſ. 546. Barb. de pot. Epiſc. p. 3. alleg. 76. à num. 5. Sed lites reſoluit in magna parte Sacra Card. Congreg. per declarationem factam anno 1596. die 11. Iunij, in qua ſic habetur. *Congregatio Concilij cenſuit, eſſe in electione Epiſcopi, vel deputare in ſua cathedrali Prædicatorem, etiam quod populus illum ab immemorabili tempore eligere conſueuiſſet, vel præteritam nominationem ipſi populo relinquerent; ita vt ſi Epiſcopus Prædicatorem eligat, populum ad eleemoſynas Prædicatori erogandas non compellat. Verùm ſi populum prædictum facultate eligendi Prædicatorem vti permiſerit, tunc populum ad ſolitas eleemoſynas præſtandas Epiſcopus cogere poterit. In alijs eccleſiis ad Epiſcopum ſimiliter pertinet electio, & deputatio Prædicatorum, impenſis eorum, qui illas præſtare, vel tenentur, vel ſolent. Concilium tamen non ſuſtulit immemorabilem conſuetudinem, qua facultas nominandi Prædicatorem in Eccleſiis non cathedralibus alteri, quàm Epiſcopo, competeret in ſua diœceſi.* Si itaque Epiſcopus velit auferre à communitate facultatem, quam habet per conſuetudinem immemorabilem nominandi Prædicatorem, non poteſt deinde ipſam communitatem compellere ad expenſas Prædicatori debitas, ſed ipſe tenebitur ad dictas expenſas: quòd ſi ſoluere recuſaret, poteſt cogi per Superiorem ſuum; nam cum ad ipſum pertineat prædicationis munus obire, ſi ipſe nolit, impenſis ſuis per alium id peragere debet, cap. Inter cætera, de offic. ord. & habetur in Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 4. & maximè cum aufert facultatem eum deputandi à communitate. Cum eſt dubium, quorum expenſis ſit conducendus Concionator pro quadrageſima, debet Epiſcopus, proprio ſumptu illum conducere; Camp. loc. cit. Barb. loc. cit. num. 15. Franc. Leo num. 6. ſi conſtat de ſolito, deciſum eſt in Trident. loc. cit. quòd dictas expenſas facere tenentur qui ſolent: Si non adeſt ſolitum, nec conſuetudo, ſoluat Parochus, vel Epiſcopus, ſi poſſunt; Barb. num. 16. Franc. Leo, loc. cit. Si non poſſunt, quia pauperes, tenetur communitas, cui verbum Dei prædicatur, cap. Cum ex officij, circa finem, de præſcript. Videatur Diana tom. 3. tract. 5. reſol. 71.

15 Si quæras, quid dicendum, ſi in aliquo oppido nolit Parochus, vt prædicetur in aliquo die feſto, vt die Dominico, quo prædicari ſolet, & poteſtas ſecularis velit, vt prædicetur, cui nam obediet Prædicator Regularis? Puto, quòd in hoc caſu obediendum ſit poteſtati ſeculari. Nam cum Trident. ſeſſ. 24. c. 4. de reform. præcipiat, vt prædicetur ad populum, ſaltem omnibus Dominicis diebus, & feſtis ſolemnibus, tunc videtur poteſtas ſecularis executrix dicti decreti Concilij, per conceſſionem particularem Pij V. de qua Portel. in dub. reg. verb. Prædicatores, num. 13.

16 Ad 5. R. nequaquam admitti poſſe, cum id prohibeatur expreſsè in Trid. ſeſſ. 5. de refor. cap. 2. vbi dicitur. *Caueant præterea Epiſcopi, ne aliquem, vel eorum, qui, cum ſint nomine Regulares, extra clauſtra tamen, & obedientiam Religionum ſuarum viuunt, in ſua ciuitate, vel diœceſi prædicare permittant.* Quare apoſtatæ, vel fugitiui admittendi non ſunt ad prædicandum. Ita Rodriq. tom. 3. q. reg. q. 32. art. 9. & dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 22. verſ. Circa 1. quòd Religioſi prędicantes abſque licentia ſuorum Prælatorum, ſunt ipſo facto excommunicati. Vnde ſcienter illos admittentes ad tale munus, vltra peccatum mortale, incurrunt etiam pœnas contra fautores excommunicatorum.

17 Noto 7. circa eamdem conſtitut. 2. Sixti IV. quòd num. 22. dicebam, decretum Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 3. de reform. quo conceditur Epiſcopis facultas puniendi Regulares delinquentes, ſi extra clauſtra degant, (quæ poteſtas fuit illis confirmata ab Vrbano VIII. vt patet ex eius conſtit. 10. §. 3. tom. 2. noſtr. priu.) non intelligi de Regularibus degentibus extra clauſtra cum licentia Superiorum. Atque ita fuiſſe declaratum à Sacra Congr. refert Barb. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 105. num. 16. & Camp. in diuerſ. iur. rubr. 12. cap. 13. num. 22. fin. Chokier de conſecr. eccleſ. p. 2. q. 102. n. 7. Neque etiam intelligitur de ijs Regularibus extra clauſtra degentibus abſque licentia, quos ad Religionem reducere procurant Prælati regulares. Nam tunc licèt extra obedientiam ſint, cum tamen procurent eos ad obedientiam reducere, ſignum eſt, quòd eos non deſeruerunt, nec à ſua iuriſdictione eiecerunt, & quòd ouem deperditam, & infirmam reducere, & ſanare curant; vnde tenentur tunc Epiſcopi Prælatos Regulares adiuuare ad eos reducendos in ſuum ouile. Prædictum itaque decretum meo videri intelligitur ſolùm de ijs Regularibus, qui extra clauſtra viuunt abſque licentia ſuorum Prælatorum, & quos Prælati tanquam infectas oues, ne aliàs inficerent, expulerunt, & de quibus, non habentes ſpem emendationis, nec curant, nec volunt ad Religionem reducere, qui, cum non ſit iuſtum vt ſine Prælato viuant, ſubduntur Epiſcopis.

18 Noto 8. circa eamdem conſtitut. Sixti IV. num. 27. quòd licèt Epiſcopus immediatè poſſit poſt conſtitut. Gregor. XV. de exempt. priuil. punire Parochum regularem delinquentem circa munera parochialia, non poteſt tamen eum punire, ſi delinquat in aliquo ad parochiam non pertinente, ſed tunc punitur à ſuo Superiore, vt patet ex dicta conſtitut. §. 9. ibi, *contra delinquentes in tali cura,* & ita fuiſſe declaratum à Sacra Congr. Concilij refert Riccius 1. p. praxis, deciſ. 736. num. 2.

19 Noto 9. circa eamdem conſtitut. nu. 28. quòd per decretum Concilij Trident. ſeſſ. 7. cap. 14. in nullo caſu poſſunt Regulares intra clauſtra degentes coram locorum Ordinarijs conueniri. Ita Camp. in diuerſ. iur. rubr. 12. cap. 13. nu. 29. Tambur. to. 1. de iur. Abbat. diſp. 15. quæſt. 7. nu. 10. quod tamen defectu iuſtitiæ poſſint conueniri coram Epiſcopis, dicunt Barb. de pot. Epiſc. p. 3. alleg. 105. n. 67. Tambur. loc. cit. n. 43. modò tamen facilè adiri non poſſit Summus Pontifex, vel ipſorum Conſeruatores.

20 Noto 10. circa eamdem conſtitut. 2. Sixti IV. num. 44. me ibi dixiſſe, quòd Mendicantes habent licentiam confeſſiones audiendi à Papa, mediante approbatione Epiſcopi; & DD. ad hoc ibi adductis addendi ſunt, Gloſſ. in cap. Si Epiſcopus, verb. Item tertiò, de pœniten. & remiſſ. in 6. Portel in addit ad dub. reg. verb. Licentia, num. 4. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 5. & 6. Vaſq. tom. 4. in 3. p. q. 93. art. 3. dub. 3. num. 2. Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 28. ſect. 4. num. 22. Confert. in ſumm. priuileg. Mendic. tit. 17. cap. 5. verſ. Septima. Graff. in append. ſuar. deciſ. lib. 2. cap. 5. num. 15. Bera 4. p. caſuum, caſ. 20. verſ. Non placet mihi Io. Suar. in enchiridion. lib. 5. verbo Confeſſor, verſu Confeſſores Regulares. Ex quo eliciebam, quòd approbatio data Regularibus ab Epiſcopis ad audiendas confeſſiones ad beneplacitum, non poterat ab Epiſcopis reuocari, cum habeat vim ſententiæ; Et DD. ad hoc ibi adductis adde Portel loc. cit. Coninc. diſp. 8. de ſacr. pœnit. dub. 7. num. 59. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 9. nu. 267. qui id colligit ex cap. Accepimus, de ætat. & qualit. ibi *niſi forte,* &c. Colligitur etiam ex cap. Si delegatus, de offic. deleg. in 6. citari etiam poteſt Bart. in leg. De pupillo, §. Si quis ipſi Piſtori, n. 13. ff. de nou. oper. nunc. quatenus ait, quod quæ conceduntur ad beneplacitum, in dubio cenſentur perpetua. Quod ſi nihilominus Epiſcopi reuocarent abſque cauſa legitima, & ad ſacramentum pœnitentiæ pertinente, dicebam, non teneri confeſſarios Regulares obedire. Quod nunc confirmo ex conſt. 26. Leonis X. §. 6. tom. 1. noſtr. priuil. vbi hæc formalia verba habentur. *Confitentes Regularibus indebitè ab Epiſcopis recenſatis, conſtitutioni, quæ incipit Omnis vtriuſque ſexus, quod ad confeſſionem duntaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur;* clara enim eſt conſequentia, Si validè his confitentur pœnitentes; Ergo validè illis miniſtratur pœnitentiæ ſacramentum. Quod etiam aſſerit Io. Sua-

Digitized by Google

rez loc.cit.Sed hęc iam claudicant,propter conſtit.Vrbani VIII.de qua hic ſupra, num.9. Et tandem in fine numeri 45. addebam, quòd Regularis approbatus ad confeſſiones audiendas, licèt exeat à loco approbationis,etiam per longum tempus, dum tamen reuertitur, non indiget noua approbatione. Ita Nauarr. in man. cap.27.nu.226.Camp.in diuerſ.iur.rubr.12. cap. 13.nu. 68. Quod tamen intelligo, dum viuit Epiſcopus, qui approbauit,vel,ſi eſt mortuus,dum ſucceſſor circa hoc ſacramentum nihil innouauit, ſed confirmauit omnia facta à ſuo prædeceſſore,approbando ad confeſſiones, quos approbauit prædeceſſor.

21 Quæres primò, Quid ſentiendum, quando Epiſcopus aliqua cauſa rationabili limitat approbationem Regularibus ad certum oppidum, vel locum.ſeu caſus, vel prohibet audire fœminas? ℞. Henriq. lib.6. cap.6.num.8.Cruz de ſtat.relig.lib.2.cap. 6. concl. prima, dub.3. quòd talis reſtrictio debet intelligi rationabiliter, vt ſcilicet locum habeat quantùm ad iuriſdictionem ab Epiſcopo delegatam, non quantum ad eam, quam habent Regulares ex priuilegio Papæ, vt v. g. quòd poſſint, quando terra, aut mari iter faciunt, confeſſiones audire, ſi ſint ab aliquo Epiſcopo approbati.Sed certè,ſi Regulares indebitè recuſati,poſsũt nihilominus confeſſiones audire, vt dictum eſt numero præcedenti,ita eodem modo dicendum eſt,ſi indebitè ſint reſtricti, cum præſertim facultatem, & iuriſdictionem confeſſiones audiendi habeant,vt dixi,à Papa, & Epiſcopi nudum miniſterium circa hoc exerceant. Et quod limitationes quò ad locum,v.g.in proprijs eccleſijs, non valeãt, conſtat ex priuilegio Pauli 4. quod refert Portel in addit.ad dub.regul.verb.Sacramenta,vbi expreſſe concedit,quòd quouis tempore poſſint ægrotis ſæcularibus extra ſuos conuentus ſacramentum pœnitentiæ miniſtrare. Atque ita cum multis id docet Fagundez in 2.præcepto Eccleſiæ.lib.7.cap.2.num. 16. & num.15. probat,quòd ſi Epiſcopi ex odio nolint viros planè idoneos regulares ad examen admittere, cum eis à ſuis Prælatis debitè præſentantur,poſſunt nihilominus per Prælatos ad confeſſiones admitti. Vide Dianam tom.3.tractat.2.reſol. 25. vbi citat Villalobum in ſum.tom.1.tract.9.diffic.53. nu.2. nobiſcum ſentientem,qui num. 5.aſſerit,vt refert idem Diana ibid.reſol. 27.quòd non poſſunt Epiſcopi ſucceſſores ſuſpendere omnes licentias confeſſiones audiendi datas Regularibus, ſed ſolùm poſſunt ſuſpendere aliquos cum vrgenti cauſa.

22 Quæres 2. An, ſi Epiſcopus limitet approbationem Regularibus ad certum tempus, eo elapſo, abſque noua approbatione, vel confirmatione, poſſint validè, & licitè confeſſiones audire? ℞. affirmatiuè. Cum enim iuriſdictionem non habeant ab Epiſcopo, ſed à Papa, cuius iuriſdictio limitari non poteſt ab inferioribus, ſtatim ac Epiſcopi miniſterium ſuum expleuerint approbandi, non habent ſe amplius immiſcere cum Regularibus in iſto puncto. Atque ita Mirand.to.1.man.q.45.ar.10.concl.2. Confett. in ſum. priuil. Mendic. tit.17.cap.4.verſ. finem: Sorbus in comp. verb. Abſolutio quò ad Fratres, & ſeculares, in fine, verſ.Ex quo infertur,pag. mihi 63.Nau.in man.cap.27. n.264.Portel in dub.regul. ver.Confeſſor regularis,n.3. Vide Naldum in ſum.verb. Abſolutio à peccatis,nu.7. Sed hæc iam vacant propter conſt.citatam ſupra,nu.9. Si autem Regulares examinati, & admiſſi eſſent iuuenes,& non ita idonei,poſſent Epiſcopi eos limitatè approbare pro certis perſonis,vel locis,& ſi Epiſcopi bono zelo ducti,ad tenendum aliquos confeſſarios regulares ſemper exercitatos in ſtudio, eos admitterent ad annum, tunc etiam obedire tenerentur, ſed quando ſine cauſa tales reſtrictiones imponerent, puto quod non. Quomodò autem cognoſcatur, Epiſcopum tales reſtrictiones apponere abſque cauſa,dixi tom. 1. relig. q.1.cap.21.§.2.verſ.Sed inquies:ſcilicet quando omnes doctos, & minùs doctos eodem modo admitit: deinde quando non eodem modo ſe gerit cum Regularibus, ac cum Presbyteris ſecularibus, vel non eodem modo cum omnibus Regularibus ſe gerit: & denique, vt aduertit Fagundez loc.cit.n. 16. quando contra Religionem iurgia, aut conuicia iacit, ſi inſtitutum Religionis vituperet, ſi Religioſis publicè, aut ſecretò detrahit. Pro hoc puncto, quòd admiſſi ad tempus, eo tranſacto, poſſint confeſſiones audire abſque noua confirmatione. vide Bariolam conſil.1. qui tenet contra nos, quæ opinio in praxi ſecurior eſt, & ad tollendas lites aptior.

23 Sed quid, ſi Epiſcopus approbando confeſſarium regularem,diceret, Approbo pro tuis eccleſijs, & pro alijs de licentia Parochi, ſi Parochus contra diceret, poſſetne confeſſarius,non obſtante illa contradictione, confeſſiones audire? ℞. affirmatiuè Tambur. de iur. Abb.tom.2.diſput.6.q.13.num.2.vbi alios citat.Et ratio eſt. Quia regularium confeſſariorum iuriſdictio pendet à Papa, qui eſt ſupremus dominus omnium eccleſiaſticorum,vnde illa reſtrictio eſt indebitè appoſita,& ſine ratione à Parocho facultas petita denegatur;id tamen paſſim fieri non conſulo, ad tollendas lites, & ne Parochi conquerantur.

24 Hic vnum monendos eſſe duxi Dominos Epiſcopos, quòd approbare Regulares ad confeſſiones audiendas, non eſt gratuitum munus, ſed eſt opus iuſtitiæ, quod Epiſcopus debet Regularibus impendere, per decreta Conciliorum, Clem. Dudum, de ſepult. Trid.ſeſſ.23.cap.15.de reform.Quare tenentur idoneos ſub pœna peccati mortalis approbare.Nam ferre ſententiam, quòd aliquis idoneus non ſit ad aliquam actionem, cum tamen ſit idoneus, iniuſtitia eſt proximo præiudicialis in re graui. Atque ita docent Suarez tom.4.in 3.diſp.28.ſect.4.num. 22. Coninch. diſp.8. de Sacr.dub.7. num.49. verſ. Patet quinto. Sed quid dicemus de illis Epiſcopis, qui hac facultate vtuntur, ſeu potius abutuntur, ad iniurias ſibi illatas vindicandas, ſeu potius ad iniurias gratis Regularibus inferendas, ſeu ad vlciſcendum Regulares, quoties hi in omnibus,& per omnia,per fas, & nefas illis non obſequuntur? vnde cum petunt aliquid à Regularibus, quod hi per ſuas conſtitutiones facere nequeunt, ſtatim eos priuant confeſſionum audientia, & quos volunt, admittunt,& quos nolunt,excludunt,nullo habito reſpectu,an ſint idonei, necne. Ex quo duo ſequuntur grauiſſima incommoda,perniciem gregi Domini afferentia, quibus vellem per Superiores prouideri: ad hoc enim hic indico. 1. eſt, quòd cum viri regulares probi curias non ſequantur, gratiam Principum non venentur, ſola gratia Dei contenti, iſti, qui apti eſſent huius Sacramenti miniſtri, cum gratiam aliquorum Epiſcoporum (ſaluis quamplurimis ſanctiſſimis) non habeant, non admittuntur; admittuntur autem peruerſi, & diſcoli, qui fauoribus externis ad id aſpirant:cui malo quandoque prouidere non poſſunt Prelati regulares, ne ſuas eccleſias miniſtris huiuſmodi ſpolient. Secundum incommodum eſt, quòd plerique non boni religioſi videntes, quòd acquiritur iſta approbatio per fauores, literas negligunt, & fauoribus acquirendis ſtudent,& peiora quandoque faciunt, ne ſemel admiſſi iuſtè priuentur, imaginantes in hoc ſibi quò ad honorem præiudicari, ſeu potiùs deſiderio obſequendi filijs ſpiritualibus, quos ſine teneritudine relinquere non poſſunt. Præterea multa, quæ manu longa Prælaturæ experientia tetigi, ne has membranas cum ſcandalo lectorum inquinem.Quid, inquam, de his dicendum; Dicant alij. Ego ſcio, quòd propter multo minora his Sanctiſſimi Pontifices tot priuilegia, & exemptiones Regularibus conceſſere.

25 Aduertãt hic etiam Examinatores Epiſcoporum, quòd ſicut peccant mortaliter admittendo ad confeſſiones audiendas perſonas non idoneas, & rei ſunt omnium peccatorum, quæ ab iſtis in exercitio confeſſionum admittuntur, vt dicebat bene Petrus Damian. lib.2. epiſt. epiſt.3. verſu, Sed hoc eſt prætereundum,

nam

nam quiſquis eccleſiam Dei non regulariter, ſed potentialiter ordinate, in promouentis caput omnia illius, qui promotus eſt, mala redundant i (& infra.) Alienis quippe peccatis communicare conuincitur, qui indignum, & improbum, atque ideo capi dum ad regimen præhebere non veretur. Ita etiam peccant mortaliter, ſi ex odio, vel alia paſſione aliquem idoneum non admittant; priuant enim eccleſiam idoneis miniſtris, ipſoſque miniſtros reprobatos contriſtant, valdèque lædunt in exiſtimatione. Et aduertant etiam Domini Examinatores, quòd plus poteſt aſinus proponere, quàm philoſophus ſoluere. Ex quo colligant, quòd ſi examinati, qui parati, & imparati ad omnia accedunt, multùm perturbati, vt ſolet, non reſpondeant præcisè ad mentem examinantium, qui punctis propoſitis priùs benè ſtuduere, modo capacitatem oſtendant, non ſunt ſtatim eijciendi, ſed animandi, adiuuandi, & hilari vultu fouendi, & circa alia examinandi. O charitas ſancta, Beati, qui te charam habent? Scient etiam Examinatores, peccare ſe omninò mortaliter, ſi examinandos præmoneant de punctis, de quibus in examine eos interrogabunt, fraudulenter enim exercēt officium ſibi commiſſum. Verùm ſi aliàs examinandi eſſent euidenter idonei, & præ timore, vel alia naturali verecundia, aſpectu Examinatorum turbarentur, non putarem mortaliter peccare, qui huiuſmodi de punctis præmonerent. Ita Nauarr. de orat. miſc. 41. num. 1. & 2. & addit nu. 3. quòd Examinatores peccant etiam illis modis, quibus iudices eccleſiaſtici, de quibus in cap. 1. de ſent. & re iud. in 6. ſic dicitur. *Caueant eccleſiaſtici iudices, & prudenter attendant, vt in cauſarum proceſsibus nihil vendicet, odium vel fauor vſurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij iuſtitiam non euertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine.*

26 Aduerte etiam circa Examinatores ex Ledeſma 2. p. ſum. tract. 7. cap. 2. concl. 7. diff. 13. à pag. 250. quod in concurſu beneficiorum Examinatores tenentur ſemper proponere Epiſcopo digniores, ſunt enim inſtrumenta conferendi dignitates, quæ ſolis dignioribus debentur; durant verò ipſi examinatores ſynodales vſq; ad nouam ſynodum, ſic Ledeſm. cit. concl. 8. dub. 1. Franciſcus Leo in theſ. for. eccl. p. 2. c. 3. num. 25. etiamſi interim contingat, mori Epiſcopum, Ledeſ. dub. 2. quia ſic habet conſuetudo. Mortuis verò Examinatoribus ſynodalibus, poteſt Epiſcopus alios eligere extra ſynodum de conſenſu capituli, & cum illis de eccleſia parochiali vacante prouidere iuxta decretum Clem. VIII. quod referunt Franciſcus Leo in theſ. loc. cit. & Garcia de benef. p. 9. c. 2. num. 72. Imo Riccius in praxi, p. 1. deciſ. 418. de mente Rotæ videtur ſentire, quòd id poſſit Epiſcopus facere per ſe ipſum abſque conſenſu capituli. Poſſunt item in Examinatore eligi Regulares tales dignitates habentes, v. gr. Corrector localis, Ledeſm. diff. 3. & ita etiam habet conſuetudo. Sed contrarium, quòd ſcilicet non poſſint eligi talem habentes dignitatem, ait Barboſ. de offic. Parochi, p. 1. cap. 2. num. 56. fuiſſe determinatum à Sacra Cōgreg. Concilij, quę declaratio tamen poteſt intelligi, vbi talis conſuetudo non eſt. Et pro Examinatoribus vide eumdem Barboſ. ibid. à num. 54. vſque ad 94. & num. 75. ait, quòd non poſſunt eligi in Examinatores, ſiue ſint Clerici ſeculares, ſiue regulares, qui non ſunt Doctores, ſeu Magiſtri, aut licentiati in Theologia, modò tales extent in diœceſi; quòd ſi non extent, magis idonei eligendi ſunt; & num. 56. ait, quod ad hoc, vt Examinator dicatur probatus à Synodo, debet habere dimidiam partem ſuffragiorum eorum, qui vocem habent in Synodo. Sed quid; ſi Synodus ſit per aliquos corrupta, nec velit ex odio vllum Regularem, quantumuis euidenter idoneum, in Examinatorem admittere, ſed poſtulet minùs idoneos, modò Regulares non ſint? Tunc puto, quod, non obſtante Concilio Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 18. poſſit ſolus Epiſcopus cum conſenſu; ſeu potiùs conſilio capituli, imò & abſque eo, ex ſe ſolo dumtaxat ſibi bene viſos & idoneos Regulares in Examinatores eligere, præſertim ſi Synodo fuerint ab ipſo propoſiti. Moueor; Tum quod malitijs hominum non eſt indulgendum, iuxta l. In fundo, §. penul. ff. de rei vendic. Tum quòd ſi iuxta declarationem Concilij, quam refert Ioan. Suarez in Enchir. verbo Papa, ad confirmanda decreta Synodi Diœceſanæ non requiritur conſenſus Cleri, ſed ſufficit conſenſus capituli, imo neque huius conſenſus requiritur, ſed ſufficit ſolius Epiſcopi, vt docet Caſtrus Palaus tom. 1. op. mor. tract. 3. diſp. 5. p. 2. §. 2. num. 11. ad 4. neque etiam conſenſus Cleri, aut capituli requiretur ad conſtituendos Examinatores. Tum quia poteſt Epiſcopus, inconſulta Synodo, conſtitutiones ſynodales, ſi id viderit expedire, abrogare, vt probat Palaus loc. cit. num. 10. ex Nauarr. Azor. Sanch. Barb. nam Clerici, & Parochi in Synodo congregati non faciunt conſtitutiones, ſed ſolùm præbent conſilium ad illas faciendas, non ex neceſſitate, ſed ex vtilitate, & conuenientia, vt prudentius Epiſcopus procedat. Tum quod ſolus Epiſcopus Synodum ſubſcribit, vt Palaus loc. cit. n. 11. ad primum, ergo poteſt ſolus, Synodi malitiæ reſiſtendo, Examinatores à ſe propoſitos, & à Synodo recuſatos conſtituere. Ad Concilium Trid. dicitur, quod non requirit ad conſtituendos Examinatores conſenſum Cleri, ſed ſolum, quod illi ſatisfaciant, & ab eo probentur, ideſt quod ab eo acceptentur; ſicut etiam populus legem Principis acceptat, ab eo tamen Princeps non neceſſario dependet neque in conſtitutione legis, neque in illius abrogatione, vnde non dicit Concilium quod Examinatores eligantur, vel cōſtituantur à Clero, ſed ſolum quod ab Epiſcopo propoſiti, à Clero acceptentur. Ex quo non ſequitur, quod ſi Clerus Examinatores ab Epiſcopo propoſitos probare noluerit per hoc reprobati exiſtant; nam ſi Clerus votum deciſiuum haberet in Synodo, & ab illa dependeret, contra dicta. Sufficit ergo ad hoc vt aliquis in Examinatorem ſit conſtitutus, quod ſit ab Epiſcopo propoſitus in Synodo, quod Trid. neceſſario requirit, ſiue deinde hæc illum acceptet, ſiue non, nihil refert, quia Epiſcopus in illis conſtituendis à Synodo non pendet, vt dixi, & quia poteſtas Epiſcopi à iure diuino deriuat. Quæ doctrina habet ſemper locum, & præcipuè in caſu propoſito, quando per ſordes Regulares, quos Tridentinum admittit, reprobantur. Pro huiuſmodi Examinatoribus vide Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. de reform. cap. 18. Barb. de poteſt. epiſc. p. 3. alleg. 60. à num. 48. & in addit. ad dictam alleg. pag. 887. Maſſobr. in praxi habendi concurſum, à requiſito 12.

27 Noto 11. circa eamdem 2. conſt. Sixti IV. poſt nu. 57. quòd Greg. XIII. declarauit per ſuam conſtit. Expoſcit, quam refert Quaranta in ſumm. bull. verb. Præcedentia, quòd in proceſſionibus illi Fratres mendicantes præcedere debeant, qui ſunt in quaſi poſſeſſione, ſeu iure præcedendi; ſi verò id conſtare non poſſit, illi præcedant, qui ſunt in loco antiquiores, & priores, quæ prioritas attenditur, etiamſi eſſet ſolùm vnius diei imò vnius horæ, vel quadrantis, imò etiam puncti, vel momenti, vt probat Riccius 2. p. praxis, reſol. 103.

28 Et aduerte, quòd iſta præcedentia inter Mendicantes intelligitur in diuerſis Religionibus. Vnde ſi controuerſia eſſet inter fratres eiuſdem Religionis, v. g. inter Capuccinos, & Conuentuales, tunc deberent præcedere, qui fuerunt 1. inſtituti, & approbati, vt iure communi ſtatuitur, Gloſſ. in cap. Quorumdam, verb. Prædicator, de elect. in 6. Caſſanæus in catalog. glor. mund. p. 4. cōſid. 52. verb. Ergo modo; priuilegiati enim quando nullum ex vtra parte apparet ſpeciale ſtatutum, iure communi vtuntur, & ſic Conuentuales pręcederent Capuccinos etiamſi Capuccini prius fuiſſent in loco, quàm Conuentuales. Ita in terminis Riccius loc. cit. reſol. 101. num. 1.

29 Aduerte etiam, quòd ſi in aliquo loco eſſet

conſuetudo, quòd Regulares non accederent ad aliquas proceſſiones, etiam publicas, non poſſent ad id cogi per Epiſcopum, vt v. gr. hic Genuæ, vbi adeſt conſuetudo non accedendi ad proceſſiones Rogationum, quæ tamen publicæ, & vniuerſales ſunt, & præcepię in cap. Rogationes de conſecr. d. 3. Atque ita declaratum fuiſſe à Sacra Congreg. Rituum, teſtatur Campan. in diuerſ. iur. rub. 12. cap. 13. n. 118. Nec ſimiliter tenentur accedere, ſi proceſſiones inſtituantur ex leui cauſa, ideſt, non communi. Cokier de exemp. p. 2. q. 45. num. 109.

30 Noto 12. circa eamdem 2. conſt. Sixti IV. n. 61. quod Ordinarius in caſu, quo Regularis notoriè delinquens non puniretur ab illius Superiore priuſquàm ipſe deueniat ad prædicti Regularis punitionem, debet ſaltem ſummariè probare ipſum notoriè deliquiſſe; & cum ſcandalo, nam alioquin ſententia ſua, quæ ſuper notorio fundari debet, eſſet nulla. Ita Bart. & Bald. in leg. Præſcriptione, C. Si contr. ius, vel vtil. publ. Innoc. in cap. Super literis de reſcript. Felin. in c. Si clericus, de for. comp. Riccius 1. p. praxis, deciſ. 654. nu. 2.

31 Aduerte autem circa hoc punctum quaſdam declarationes factas à Sacra Congreg. Concilij anno 1625. ſub die 19. Septembris, quas refert Barboſ. in addit. ad 3. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 105. nu. 20. quarum I. eſt. An Epiſcopus, ſtatim habita notitia delicti, poſſit capere informationem, & illam ad Superiorem Regularis delinquentis mittere, vt nequeat de eodem delicto ignorantiam præſumere? Congregatio reſpondit, poſſe. Per id tamen non intelligas, poſſe Epiſcopum proceſſum iuridicum contra dictum Regularem formare, ſed ſolùm poſſe ſummariam facti informationem capere, eamque Superiori regulari mittere, ad hoc, vt hic facti informationem habens, poſſit contra ſuum ſubditum iuridicè procedere. Ita Aldrete de diſciplina relig. cap. 3. num. 39. II. declaratio, An ſufficiat, quod Epiſcopus vnica vice Superiorem regularem moneat, eique terminum præfigat ad caſtigandum ſubditi delictum, an verò neceſſe, ſit, quòd duabus, vel tribus vicibus inſtet? Congregatio reſpondit, ſatis eſſe, vt Epiſcopus ſemel inſtet Superiori regulari, eique tempus præfigat, ad eiuſdem Concilij præſcriptum. Sed nihil malè faciet Epiſcopus, ſi in caſu negligentiæ inſtet 2. & 3. magis enim iuri communi ſe conformabit; nam verbum Inſtare quamdam importunitatem importat, vt notat Aldrete loc. citat. num. 37. ex Bald. in leg. eos, §. Apoſtolos, num. 3. C. de appell. III. declaratio circa id, quòd requiritur in eod. cap. 14. Concilij, ſeſſ. 25, de reform. vt Prælatus regularis certiorem faciat Epiſcopum de punitione intra tempus ab eodem illi præfixũ. An ſufficiat, quòd Superior regularis ad Epiſcopum mittat copiam ſententiæ, an verò debeat remittere acta omnia ſuper delicto actitata, ad effectum, vt Epiſcopus videre poſſit, ſi in hoc adimpleta fuerint verba Concilij. Cõgregatio reſpondit, non ſufficere, vt Superior regularis Sententiam, aut etiam acta ad Epiſcopum tranſmittat, ſed opus eſſe, vt de punitione ipſa, & ſententiæ executione Epiſcopum certiorem faciat. Quod intellige, ſi Epiſcopus poſtulauerit de prædictis certiorari. IV. declaratio. Dubitatur, An quod conceditur Epiſcopo in præfato capite ſuper Regulari, qui intra clauſtra monaſterij degit, & extra ea cum ſcandalo delinquit, intelligatur etiam, cum delictum commiſſum fuerit intra eccleſiam, vel clauſtra? Congregatio reſpondit, facultatem Epiſcopo attributam in Regulares notoriè, & cum ſcandalo extra clauſtra delinquentes, vendicare ſibi locum etiam cum Regulares notoriè, & cum ſcandalo intra eccleſiam delinquunt; non ita, ſi intra clauſtra. Si autem intra eccleſiam delinquat Regularis abſque ſcandalo non poteſt ab Epiſcopo puniri.

32 Si quæras, An Prælatus Regularis cum ſolo proceſſu ab Epiſcopo formato circa notorium delictum ſui ſubditi, poſſit ipſum punire, an verò debeat per ſe ipſum alium proceſſum facere? ℞. Poſſe Prælatum regularem cum ſolo proceſſu Epiſcopi delinquentem punire, ſuppoſito quòd Epiſcopus per dictam declarationem Congreg. acquiſierit facultatem proceſſum iuridicum formandi, vt contendunt aliqui; non enim eſt nouum, vt Iudex cum proceſſu ab alio Iudice formato, delinquentem puniat, vt patet quando iudex eccleſiaſticus Clericum degradatum iudici laico puniendum tradit. Atque ita Portel in addit. ad dub. regul. verb. Punitio Religioſi. Si tamen per dictã declarationem non eſt tributa Epiſcopo facultas ſumendi niſi ſolam ſummariam facti informationem, vt dictum eſt, tunc, cum proceſſus ab Epiſcopo formatus, non ſit iuridicus, vtpotè factus à iudice incompetente, non poterit Prælatus cum eo ſolo delinquentem punire. Atque ita exiſtimant Rodriquez in reſol. regul. reſol. 62. nu. 8. Vt vt ſit, numquam tenetur Prælatus regularis cum proceſſu Epiſcopi ſubditum delinquentem punire.

33 Noto 13. circa eamdem conſtit. 2. poſt num. 82. quòd in Ordine noſtro, qui prius in Religione recipitur; præfertur alijs iuxta cap. Statuimus, de maior. & ob. cap. Si quis, de elect. in 6. ibi, [Is, qui primo.] Sed quid, ſi duo reperti fuerint recepti eodem die? Tunc dico, attendendum eſſe ad horam diei. Riccius 2. p. praxis, reſol. 101. nu. 2. & ſi reperti fuerint recepti eadem hora, tunc attendendum eſt ad quadrantes horæ. Et ſi reperti fuerint recepti eodem quadranti, attendendum eſt ad momenta, vt Gloſſ. in cap. Duobus, de reſcript. in 6. Et aduerte, quòd hora habet quatuor quadrantes, ſeu puncta, ſinguli autem quadrantes habent quindecim momenta, ſeu minuta, vt Riccius loc. cit. reſol. 103. n. 2. Sed quid, ſi aliqui reperiantur recepti eodem die, hora, & momento. Tunc dico quod debet attendi ordo qualitatis, iuxta textum in l. 1. C. de conſul. lib. 12. leg. 1. in fine, Cod. qui accuſari poſſunt, cap. Placuit, el primo d. 18. Gloſſ. in cap. Statuimus, d. 61. Tiraquell. in præfat. de iur. primig. nu. 215. & ſic per Superiorem determinabitur genitura illi, qui fuerit, vel doctior, vel religioſior, vel ſenior. Quòd ſi nec hoc diſcerni poſſit, ad vitandas lites, ſtatuet Superior quicquid ſibi fuerit placitum, ſecundùm prudentiæ regimen.

34 Quæres. Quidam Regularis factus Epiſcopus, deinde epiſcopalem curam faſtidiens, Epiſcopatui renunciat, & ad Religionem reuertitur, nullo ſibi ſeruato titulo. Quæres, inquam, quem locum obtinebit in Religione, & an tempus, quo in Epiſcopatu permanſit, debeat in eius profeſſione computari? ℞. quòd debet ei dari locus immediatus poſt Prælatum, etiamſi alij ſint ipſo antiquiores, ob reuerentiam primæ dignitatis; arg. leg. fin. ff. de Decur. arg. leg. Seruos, C. de qu. Colligitur ex Io: Andr. cap. Cum ad monaſterium, nu. 21. de ſta. monach. Ita Petrus de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap. 30. nu. 8. Nec poteſt eſſe dubium, quin debeat in eius genitura computari tempus, quo in Epiſcopatu fuit, cum in Religione dicatur eſſe Monachus, qui eſt extra de licentia Superioris. Vnde etiam tom. 1. Relig. q. 1. cap. 27. concl. 8. dixi, quòd damnatus ad triremes, ſi finito ſuo tempore, ad Religionem reuertatur, non amittit genituram.

35 Noto 14. circa conſt. 4. eiuſdem Sixti, quòd nu. 10. dixi, poſſe Prælatos regulares abſoluere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ, & DD. ibi ad hoc adductis adde Molfeſium 1. par. ſum. tract. 7. cap. 21. nu. 19. & 20. Vegam 1. p. ſumm. cap. 49. caſu 1. Llamas 4. p. meth. cap. 3. §. 8. Portel in addit. ad dub. regul. verb. Abbas, nu. 10. Poteſt etiam citari Naldus in ſumma verbo Reſeruatio, verſ. Et cum de hac; quatenus ait, Sacram Congr. declaraſſe decretum Congreg. de reſeruatione quinque caſuum prohibere abſolutionem, quò ad ſeculares tantùm, non quo ad regulares.

36 Et in confirmationem huius ſententiæ reperi in archiuio noſtro Romano apud P. Zeloſum ſpeciale priuilegium nobis Minimis cõceſſum, quod ſic habet:

Ad

Ad inſtantiam deuotorum veſtrorum pauperum Fratrum Minimorum humilis ſupplicatio propter omnes timorata conſcientia tollendos ſcrupulos hactenus cauſata. Dignetur igitur Reu. Dominus meus huiuſce paruula Minimitana plantulæ benignus Protector, & Fautor præcipuus impetrare viuæ vocis oraculo à Sanctiſſimo Domino Noſtro, vt Generalis noſter per vniuerſum Ordinem, Prouinciales ſolummodo in ſuis Prouincijs, quibus præſunt, necnon noſtri Ordinis Zeloſus, alio nomine Commiſſarius vocatus in Romana Curia reſidens, vndecumque venientes ad monaſterium noſtrum Romanum Fratres noſtri Ordinis, vel etiam quibus commiſerit, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, etiamſi tales forent, propter quas Apoſtolica Sedes meritò eſſet conſulenda, etiam de contentis in Bulla Cœnæ Domini, demptis ſolummodo illis quatuor, quæ pia memoria Sixtus IV. in bulla, qua dicitur MARE MAGNVM excipere voluit, pro expreſſis huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, poſſint abſoluere, etiamſi abſque expreſſa, & ſpecifica declaratione aliquorum forſan eiuſmodi, pro quibus prætaxatas incurriſſent ſententias, cum plerique iuris comprobentur inſcij, niſi alias ipſi Fratres ſpecificè, & nominatim fuiſſent per competentem iudicem declarati, denunciati, & publicati. Necnon Officiales præfati, Superiores, Zeloſus, & cæteri, quibus ab hac Sede iſtiuſmodi auctoritas pro iuſta, & rationabili cauſa, commiſſa fuerit, poſſint eum ſuis Fratribus diſpenſare, ſuper quacunque irregularitate per eoſdem Fratres ſuos quomodolibet aliquando contracta, etiamſi talis foret, ob quam Apoſtolica ſedes meritò veniret conſulenda, vt ipſi Deo liberius, & quietius inſeruire valeant. Et poſteaquam ſic abſoluti, & diſpenſati ab ijſdem fuerint, ad omnes ſacros, etiam presbyteratus, ordines promoueri, ac eiſdem tam ſuſceptis, quam poſtmodum ſuſcipiendis vti, & dominicum corpus conficere liberè poſſint: niſi tanta, & talis, & adeo enormis huiuſmodi irregularitas conſecetur, quòd perſonale voluntarium homicidium inde obſecutum foret: & tunc in tali enormi caſu nullatenus iam memorati Superiores, neque etiam Zeloſus, neque alij quique ab eiſdem deputati cum ſuis Fratribus ſuper huiuſmodi tanta irregularitate diſpenſare poſſent. Et iſta in foro conſcientia duntaxat de gratia ſpeciali concedi expoſcimus. Laurentius miſeratione diuina Sacroſancta Romanæ Eccleſiæ titul. Sanctorum quatuor Coronatorum Preſbyter Cardinalis. Vniuerſis, & ſingulis præſentes noſtras viſuris, lecturis, pariter, & audituris fidem facimus, & atteſtamur, qualiter S. D. N. Leo diuina prouidentia Papa Decimus hodierna die ad interceſſionem noſtram conceſſit viuæ vocis oraculo Fratribus præmemoratis omnia, & ſingula in ſuppoſita ſupplicatione petita, & contenta iuxta eius tenorem, & continentiam. In quorum fidem præſentes fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ac ſigilli noſtri parui impreſſione muniri mandauimus, Datum Romæ in Palatio Apoſtolico, die vltima menſis Martij 1515. Pontificatus præfati S. D. N. anno tertio. Ita eſt. Laurentius Cardinalis Sanctorum quatuor, Petrus Stella Secretarius mandato.

37 Ad illud argumentum, quod erat fortiſſimum contra hanc ſententiam, quòd ſcilicet ſingulis annis in die cenæ hæc priuilegia reuocentur, dupliciter reſpondi in dicta conſtitut. 4. Sixti Quarti num. 14. & 15. Nunc addo 3. quòd reuocatio priuilegiorum, quę fit in die Cœnæ, intelligitur de caſibus publicis, non de ſecretis. Nam cum deceat priuilegium principis eſſe manſurum, fruſtra Religiones priuilegiorum confirmationem peterent à Summo Pontifice, ſi ſtatim illa ſingulis annis debent reuocari. Atque ita Soſa apud Portel in addit. ad dub. reg. verb. Abbas, nu. 10.

38 Sed nouiſſimè exijt decretum Sacræ Congreg. ſub hac forma. *Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacr. Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe priuilegia, prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus contentis in bulla, quam die Cœnæ Domini legi conſueuit, vtpote ſublata per annuam ipſius bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus; Ac proinde Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum huiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerant, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis, ac, ſi ſecus egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac foret. Ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſi quidem Regulares habeant à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe, ijſdem Sacr. Congregationis decretis hac de re editis iuſſu San. mem. Clem. VIII. Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas ſua ad ſe relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obſeruari. Romæ 17. Nouemb. 1628. F. A. Card. S. Onuphrij. Proſper Fagnanus Secr.* Sed hoc decretum videtur intelligendum, vt alia, nimirum vt prohibitio abſoluendi ſit in ordine ad ſeculares, non in ordine ad Regulares, & in dubio ſemper pronunciandum eſt, quòd priuilegia non ſint reuocata, vt Grat. diſcept. for. to. 5. cap. 893. num. 57. qui id multis probat. Chokier de conſer. eccleſ. q. 102. nu. 2. Cenſeo tamen ſemper ſtandum eſſe ſtylo Curiæ.

39 Noto 15. quod eadem conſtit. 4. nu. 28. dicebam, quòd confeſſor idoneus pro Prælato poterat non eſſe idoneus pro alijs. Atque ita docent Nauar. in man. c. 4. num. 4. Gutier. canon. qq. cap. 27. nu. 18. 19.

40 Hic quæres, qua pœna puniatur confeſſarius audiens ſecularium, vel etiam Fratrū confeſſiones abſq; licentia, & approbatione Superioris? R. In Ordine noſtro talis debet priuari per biennium audientia confeſſionum, vel grauiùs puniri ad libitum Prælatorum, vt ſtatuitur in Correct. n. 79. ſed cum grauiſſimum ſit hoc delictum, vt conſtat ex Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 15. & ſeſſ. 14. cap. 7. de ſacr. pęnit. vbi nullius momenti dicitur abſolutio, quam ſacerdos in eum profert, in quē ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem, ideo in cap. Placuit, de pęnit. d. 6. tales debent perpetuò ſuſpendi poteſtate habituali, quam in ſacerdotio receperunt, confeſſiones audiendi. Et Regulares, vtpotè inobedientes alijs pęnis ſecundum ſuas conſtitutiones, vel arbitrio Prælatorum puniri debent. Aldrete de diſcip. relig. lib. 2. cap 19. §. 2. nu. 10. Riccius 1. p. praxis, deciſ. 644. Quibus eiſdem pęnis ſubiacent hi, qui audiunt confeſſiones eorum, v. gr. Clericorum, vel Oblatorum, qui habent confeſſorem à Superiore aſſignatum. Eſt enim tunc abſolutio nulla perinde, ac ſi ſecularium confeſſiones abſque approbatione Epiſcopi audiſſent. Atque ita Confeſſ. in ſumm. priu. Mendic. tit. 17. cap. 7. Aldrete nu. 12. Peregrinus in conſtit. Cler. reg. p. 1. c. 9. lit. C. §. 6. Portel in dub. reg. verb. Nouitij abſolutio nu. 36. licet contrarium doceat Diana to. 3. tract. 2. de dub. reg. reſol. 5. Quibus verò pęnis ſubiaceant, qui non ordinati Sacerdotes miſſas celebrant, aut confeſſiones audiunt, vide tom. 2. noſtr. priuil. in conſt. 9. Pauli V. nu. 22. & Aldrete nu. 14. & 15. Præterea ſciendum, quod præſumentes abſoluere à caſibus Papæ, vel Epiſcopo reſeruatis abſque legitima facultate, ſunt ipſo facto excommunicati, & inhabiles in perpetuum ad confeſſiones audiendas, ac priuati officijs, & dignitatibus, iuxta decretum Congreg. de mandato Clem. VIII. anno 1601. die 9. Ianuar. quod refert Quaranta in ſum. bull. verb. Caſus reſeru. Vide quæ dico tom. 2. Relig. q. 3. cap. 2. nu. 18. & 19.

41 Noto 16. circa eamdem 2. conſtit. Sixti IV. num. 43. quod dicebam Parochos non teneri admittere quæſtores eleemoſynarum ſine literis teſtimonialibus

Epiſcoporum, quod nunc confirmo ex cap. Cum eo, de pœnit. & remiſſ. & docent Roſell. & Angelus verb. Quæſtuarij. Aduerte tamen, quòd anno 1621. exijt declaratio Sacræ Congreg. Concilij ſub hac forma. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. Generales Procuratores ordinum Mendicantium conqueruntur, quod Fratres eorum à nonnullis Epiſcopis, & locorum Ordinarijs interpellantur, quominus eleemoſynas quærant in ipſamet diœceſi, vbi quis illorum conuentus exiſtit. Inſuper aliqui ex ipſis etiam prohibent, quin ijdem Fratres eleemoſynas in ſua diœceſi extra conuentus locum, niſi per quinque, aut ſex milliaria petant. Cum autem id priuilegijs Apoſtolicis aduerſari videatur, cedatque in graue Religionum detrimentum, ſupplicant ijdem Procuratores, vt declaretur, an hæc fieri poſſint ab Epiſcopis, necne? Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum cenſuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi, quominus poſſint per ſeipſos in diœceſibus, vbi habent conuentus, eleemoſynas quærere, ſed tantum, ſi extra loca, vbi monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere. R. Card. Vbaldinus. Proſper Fagnanus Sacræ Congr. Concil. Secret.* Et eſt impreſſa Romæ in Typographia Cam. Apoſt.

Caput Tertium de addendis circa Conſtitutiones Iulij II.

1 NOto primò, quòd in conſt. prima Iulij II. n. 12. dicebam, quòd familiares Fratrum poterant abſolui à confeſſarijs Regularium, à ſolo ſuo Prælato, non Epiſcopo approbatis. Atque ita docent Rodriqu. to. 1. qq. regul. q. 56. ar. 14. Tambur. tom. 2. de iur. Abbatum, diſp. 6. q. 16. nu. 4.

2 Noto 2. circa eamdem conſt. poſt numerum 47. quòd fabricata noua eccleſia, ligna eccleſiæ dirutæ non ſunt ad profanos vſus applicanda, vt dicitur in cap. Ligna, de conſecr. d. 1. benè tamen poſſunt applicari in fabrica, ſeu vſu dormitorij, vel capituli, ſeu alterius loci honeſti, & religioſi, non verò in vſu coquinæ, aut alterius loci ſordidi, neque in vineis paſtinandis, vt declarat Gloſſa in dicto cap. Ligna. An verò dictis lignis poſſint Monachi vti in coquina ad coquendos cibos, putat Portel in addit. ad dub. reg. verb. Eccleſiæ reconciliatio, num. 5. quòd non, ſed ſolùm quod poſſit Sacriſta ijs vti ad faciendas hoſtias; & idem dicit de imaginibus ligneis Sanctorum. Sylu. verb. Eccleſia 2. qu. 7. exiſtimat, quòd ſic. Sed de imaginibus ligneis ſanctorum cenſeo, quòd non poſſint comburi, neque ad coquendos cibos, neque ad faciendas hoſtias, ſed quòd debeant comburi, & cineres in ſacrarium reponi, eſt enim grandis irreuerentia; & quod dico de lignis, intellige de alijs rebus. Nam tobaleæ, ſeu albæ prohibentur etiam in profanos vſus conuerti in cap. Altaris, d. eadem; vbi dicitur, quod quando ſunt vetuſtate conſumpta, debent comburi, & cineres in ſacrarium reponi, ſeu ex illis poſſunt fieri flores pro ornamentis altarium. An autem petijs, ſeu fragmentis tobalearum, &c. poſſimus vti ad medicanda vulnera, puto quod ſic, præſertim in eccleſijs pauperibus, non tamen ad medicanda vlcera, nec alias fiſtulas, aut plagas ordinarias, nam iſta fœdum vſum dicunt, illa non. Putat tamen Sà verbo Eccleſia, num. 2. quòd cum diſpenſatione Epiſcopi, vel Prælati regularis, poſſint dicta in vſus etiam profanos conuerti. Item aduerte, quòd ex veſtibus alicuius dominæ non debent fieri paramenta ſacerdotis, vel altaris; cap. Ad nuptiarum, iunctà Gloſſ. de conſecr. d. 1. Sed video aliter paſſim fieri, iure credo paupertatis; quod poteſt etiam habere fundamentum in cap. Vt calix, de conſecr. d. eadem. Sed melius eſſet, eas veſtes vendere, & ex pretio noua paramenta conſtruere. Putat tamen Fagund. in 1. præcept. eccleſ. lib. 3. cap. 23. num. 23. id licitè fieri, ſicut templa Deorum, quæ paſſim Deo conſecrata leguntur.

3 Noto 3. circa eamdem conſt. n. 49. vbi dicebam, quòd hoſpitibus infirmantibus in noſtris monaſterijs poſſumus omnia ſacramenta miniſtrare, & ſi decedant, eorum cadauera ſepulturæ tradere, nullo Curatorum aſſenſu requiſito; quod hoc idem intelligitur de ijs nouitijs, qui nondum habitu religioſo ſunt induti, ſed de breui erant induendi. Tum propter rationes ibi tactas. Tum quòd ij gaudent omnibus priuilegijs Fratrum, & Nouitiorum; vnde dicti nondum induti, etiamſi non ſint inirmi, poſſunt confiteri confeſſarijs à ſolo Prælato regulari approbatis, vt probat vtrumque Vech. de nouitijs, diſp. 9. dub. 1. Et confirmatur; tum quia Archidiac. in c. Si quis ſuadente, 17. q. 4. num. 8. dicit, quòd ille, qui nullum ordinem habet, ſed tantum coronam portat, & eſt clericus animi deſtinatione, gaudet priuilegio illius canonis: ad quod etiam facit lex 4. iuncta Gloſſ. ff. de fundo dotali, vbi fundus deſtinatus ad dotem, dicitur ante matrimonium fundus dotalis, & inalienabilis: Tum quia Bald. in leg. Ex facto proponebatur, ad finem, ff. de hær. inſtit. dicit, quòd ſi quis legat veſtes, quas habet in domo, veniunt etiam, quæ erant extra domum factæ de nouo, poſtquam erant deſtinatæ ad vſum vxoris, cui legabantur, quia videntur eſſe in domo propter deſtinationem, & propter finale propoſitum teſtatoris. Ad quod facit tex. in leg. Et ſi non ſunt, §. Quid ergo, ff. de aur. & arg. leg. vbi appellatione argenti venit argentum aptum fabricari, licèt nondum fabricatum. Tum quia Rota deciſ. 1. tit. de teſtam. in antiquioribus, tenet, quòd pro bonis deſtinatis ad ædificationem eccleſiæ poteſt peti reſtitutio in integrum iure eccleſiæ licet nondum ſit eccleſia ædificata, ſicut partus conceptus in his, quæ concernunt eius præſeruationem, vt producatur in eſſe, gaudet priuilegio iam natorum, ad quod facit lex Prægnantis, ff. de pœnis, & l. Qui in vtero, ff. de ſtat. hom. Tum quia licèt laico beneficium eccleſiaſticum conferri non poſſit, cap. In eccleſia, de inſt. Gloſſ. tamen ibi verb. Tales, dicit, quòd poteſt conferri beneficium laico, qui animi deſtinatione clericus fieri vult. Et denique, de breui accingendus in fauorabilibus habetur pro accincto; leg. penul. ff. de mil. teſt. Vide plura huiuſmodi apud Gonzal. regul. 8. cancell. Gloſſ. 5. §. 7. à nu. 92.

4 Noto 4. quod in conſt. 2. Iulij II. nu. 3. dicebam, poſſe Generalem in tribus caſibus ab officio deponi, quando ſcilicet dilapidat bona monaſterij, ſcandaloſè viuit, & regulam deſtruit. Quod poſtea reperi fuiſſe definitum in Concilio Later. ſub Alex. p. 1. ca. 10. vt refert Creſpet. in ſum. cathol. fid. verb. Prior, his verbis, *Priores cum in conuentualibus eccleſijs fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta cauſa, & rationabili non mutentur; videlicet ſi fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amouendi meritò videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate maioris officij de conſilio Fratrum fuerint transferendi.*

5 Noto 5. quod in eadem conſt. 2. nu. 5. dicebam, quòd quando dies electionibus faciendis ſtatuta eſt, ea elapſa, electio ad Superiorem deuoluitur. Et conſtat ex Clem. Exiui, §. Cæterum, de verb. ſignif. cap. Si compromiſſarius, de elect. in 6. leg. Si vnus, §. 1. ff. de pactis; leg. Imperator, ff. de poſtuland. Ex quibus textibus conſtat, quòd conceſſum ad tempus, poſt illud cenſetur denegatum.

6 Sed pone caſum, quòd electio Prouincialis per diſcordiam, vel negligentiam electorum, die ſtatuta non fiat, & ſic ad Generalem deuoluantur, tenebitur ne Generalis eligere Prouincialem de corpore Prouinciæ? R. Si in Religione eſſet ſtatutum, quòd Prouinciales non eligerentur, niſi de corpore Prouinciæ, tunc duæ ſunt opiniones. Prima eſt affirmatiua, quando ibi reperitur idoneus; Panormit. in cap. Ne pro defectu de elect. num. 7. per cap. Cum inter Canonicos, de elect. qui addit, quod electio aliter facta eſſet nulla, ſi Fratres illius Prouinciæ reclamarent; per cap. Nullus inuitis, d. 61. Et ratio eſt, quia electio ad Superio-

Digitized by Google

periorem deuoluta, debet ab eo fieri cum eiſdē qualitatibus, quibus debebat fieri à principio, vt multis DD. adductis, probant Sigiſmun. de elect. dub. 7. nu. 3. & Lauor. de elect. cap. 21. nu. 91. Boer. ad Mandag. de elect. p. 1. c. 1. lit. D. verſ. Adde. 2. ſententia ait, teneri quidem Superiorem eligere de corpore Prouinciæ, ſi autem extra Prouinciam eligat, electionem non eſſe nullam. Ita Gloſſ. in cap. Ne pro defectu, verb. Ipſius, de elect. quam ſequitur Sigiſm. loc. cit. dub. 106. nu. 3. In noſtra autem Religione, in qua tale ſtatutum non eſt, liberum erit Superiori ex gremio Religionis eligere, quem maluerit. Conſulo tamen ſemper, vt eligat ex eadem Prouincia, ſi adſint idonei; nam ſic magis conſeruabitur pax, & meliùs illi Prouincię remanebit prouiſum; cognoſcunt enim naturales paſtores meliùs oues proprias, quàm extranei, qui vt diſceſſuri deglubunt pecus, non tondent. Collige etiam, quòd in noſtra Religione, quādo deuoluuntur ad Generalem electiones Prouincialium, quæ fiunt in die S. Michaelis Archangeli, ipſe poteſt prouidere pro toto triennio, quando autem deuoluuntur electiones per mortem, quia ſcilicet electores non poſſunt conuenire, tunc non poteſt prouidere, niſi vſque ad proximius capitulum. Et ratio vtrobique eſt, quia electiones deuoluuntur ad Superiorem cum ſuis qualitatibus. Vnde quia in 1. caſu electores poterant eligere pro toto triennio, Generalis, ad quem electio fuit deuoluta, eliget pro toto triennio; & quia in 2. caſu electores non poſſunt eligere, niſi vſque ad proximius capitulum, ideò Generalis non poteſt eligere, niſi vſque ad proximius capitulum. Et de his habentur ſtatuta in cap. Auenio. 2. nu. 14. & Romæ 6. num. 14. quæ congruunt Clem. 1. de ſuppl. neglig. Præl.

7 Sed pone caſum, quod electio facta à Generali per deuolutionem, non ſortiatur effectum, quia nimirum electus mortuus eſt, vel renunciauit, vel electio propter occultum electi vitium caſſata eſt, deuoluetur ne noua ad Generalem? ℞. quòd non deuoluitur ad Generalem, ſed ad priores electores. Ita Gloſſ. in c. Si electio, verbo Integrum, de elect. in 6. Anchar. in d. ca. Si electio, verſ. Quartò notat; Sigiſm. de elect. dub. 12. à num. 3. Barboſ. in dicto cap. Si electio, nu. 6. ſicut enim per negligētiam priorum electorum electio ad Superiorem deuoluta fuit, ca. Cum Vuintonienſis, de elect. ita per negligentiam Superioris electio ad priores electores deuoluitur; non eſt enim cur negligentia potiùs puniatur in ſubditis, quàm in Superiore.

8 Si quęras, an electores poſſint reijcere totum negotiū electionis in Superiorem? Dico quòd ſic. Tum quia poſſunt nolle eligere pro illa vice, & ſic linquere, vt electio deuoluatur, ergo & conuenire, vt electio in Superiorem reijciatur. Tum quia poſſunt compromittere per cap. Quia propter, de elect. in alium inferiorem, ergo & in Superiorem, Atque ita Abbas in ca. Bonæ memoriæ, el 1. nu. 8. de pot. Præl. Guliel. Bened. in quæſt. de Epiſc. à numer. 49. & habetur in cap. Cauſam quæ, de elect.

9 Sed quæres an facto tali compromiſſo, antequam Generalis prouideat, poſſint electores reuocare mandatum? Dic quòd non. Gloſſ. in dicto c. Cauſam, quæ, verbo Prouideret. Sed quid, ſi Generalis intra tempus præfixum electionem nō faciat, deuolueturne electio ad primos electores, an verò adhuc poterit Generalis eligere? Dic quòd nec poterit Generalis eligere, nec primi electores, ſed electio deuoluetur ad proximum Superiorem, nimirum ad Papam. Ita expreſsè habetur in c. Si compromiſſarius, de elect. in 6. Si autem compromiſſarius eligat indignum, vel aliquem, qui nolit acceptare, tunc electio deuoluitur ad primos electores. Ita habetur in dicto cap. Si compromiſſarius, §. Si verò.

10 Noto 3. quòd in eadem conſt. 2. Iulij II. nu. 9. dicebam, poſſe capitulum generale renunciare priuilegijs in fauorem Religionis conceſſis, quando ſcilicet renunciatio non eſt in præiudicium tertij, nec in decus Religionis, & quando Papa priuilegium tribuit non per modum præcepti, ſed per modum conceſſionis. Atque ita docent Sigiſm. in addit. ad dub. 120. de elect. Sanchez 6. in decal. c. 18. nu. 13. Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. li. 2. c. 22. nu. 15.

11 Noto 4. quòd in eadem conſt. 2. n. 19. referebam conſt. Pauli V. qua mandabat omnibus Regularibus, vt ſtudijs linguarum Hæbraicarum, Græcarum, Arabicarum incumberent, quod ſtudium cum refriguiſſet, ſacra Congregatio de Propaganda fide iterum inculcauit per ſuum decretum factum coram S. D. N. P. Vrbano VIII. die 16. Octobris, anno 1623. quod ſic habet. *Quoniam a Concilij Viennenſis, (quod habetur clem. 1. de magiſtris) celebratione vſque ad præſens experientia comprobauit, Regulares, etiamſi multoties fuerint commoniti, linguarum ſtudia, aut non inſtituiſſe, ſicut illis præceptum fuerat, aut inſtituta deſeruiſſe: & nouiſſime hoc idē compertū ex eſt ijs, quæ poſt conſtitutionem fel. record. Pauli Papæ V. & Sacræ Congreg. de P. F. decreta contigere. Eadem ſacra Congregatio dolens, opus ad animarum ſalutem neceſſarium tam facile negligi ab ijs, qui ad illam procurādam præcipuè a Sanctis regularium Ordinum Fundatoribus à primæua eorum inſtitutione mancipati ſunt, cupienſque Concilium, conſtitutionem, & decreta præfata omnino executioni demandari, vt euangelicos operarios linguis inſtructos habeat, quos cum neceſſe fuerit, ad meſſem Domini ampliſsimam Dei verbum ſitientem mittere poſsit. Præſenti decreto de ſpeciali S. D. N. Vrbani VIII. mandato iterum Regularium, & cuiuſuis Inſtituti, Societatum, & Congregationum Generalibus, alijſque eorum Superioribus præcipit, vt linguarum, videlicet Hebraicæ, Græcæ literalis, & communis, Latinæque, ac Arabicæ, Chaldaicæ, & Illyricæ ſtudia, iuxta Concilij conſtitutiones, & decretorum præfa orum præſcriptum, omnino inſtituant, inſtitutaque conſeruent, & vbi fieri poteſt, ampliora efficiant, alioquin ſi poſt trium menſium ſpatium in Italia, vel poſt ſex menſes in alijs Europæ prouincijs, in monaſterijs, & conuentibus almæ Vrbis, & earum ciuitatum, quibus celebriora gymnaſia, ſeu vniuerſitates conſtituta ſunt, vt Bononiæ, Patauij, Pariſijs, Toloſæ, Valentiæ, Viennæ, Ingolſtadij, Salamanchæ, & Compluti, & denique in ijs, in quibus generalia, & inſigniora Regularium ſtudia erecta ſunt, mandatum hoc non impleuerint, in eiuſque obſeruatione non perſeuerauerint, ſi Generales fuerint, eo ipſo ſuſpenſionem à diuinis Sedi Apoſtolicæ reſeruatam incurrant, & ſi per tantumdem temporis ab exequendo hoc mandato deſtiterint, ipſo iure, & facto etiam ab officio priuati exiſtant, & interim officium ipſum à Procuratoribus generalibus, ad Summi Pontificis, ac eiuſdem Sedis Apoſtolicæ beneplacitum adminiſtretur: Si verò Generalibus inferiores Prælati in exequendo hoc mandato negligentes, vt ſupra, fuerint, primò ſuſpenſionem a diuinis, vt præfertur, reſeruatam, deinde pœnam inhabilitatis ad maiores Religionis gradus, & dignitates eo ipſo incurrant, à qua inhabilitate non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolui poſſint. Verum quia non ſatis eſt, Superiores Regularium ſuum in hac re præſtare officium, ſi qui linguis ſtudere debent, opus hoc vere pium detrectent, & negligant, eadem Sacra Congregatio de eiuſdem Sanctiſsimi ſpeciali mandato præcipit, ne elapſo biennio, de quo infra, Regulares ad magiſteria, vel alios gradus ſuarum Religionum, ſeu vbi non ſunt magiſteria, & gradus, ad dignitates à Superioribus eorum admittantur, niſi cum theologia per biennium, & vni ſaltem ex præfatis linguis operam dederint, eamq; ſufficienter calluerint, ſuper qua a perſona per Congregationem deputanda examinari debeant, priuſquam ad ea, eoſ, eaue aſſumantur. Quod ſi contra præſentis decreti diſpoſitionem, ad magiſteria, ſeu gradus, vel dignitates præfatas admiſſi fuerint, magiſteriorum, ſeu graduum vel dignitatum præfatarum collatio nulla ſit, & Superiores, qui tranſgreſſi fuerint, paſsiua voce ſint perpetuò priuati.*

Quoniam autem multi præmio magis ad virtutes incitantur, quàm pœnis, eadem Sacra Congregatio mandauit, eos, quos præter theologiam vni etiam ex dictis linguis per biennium operam dediſſe, ſufficienterque callere, experimente, vt ſupra, facto, conſtiterit, ad magiſteria, ſeu alios

gradus

gradus ſuarum Religionum, ad quamlibet ipſorum petitionem ſtatim, niſi aliud obſtet, promoueri, & in electionibus ad officia, & dignitates regulares, cæteris paribus, iuxta dictam Pauli V. conſtitutionem, alijs omnino præferri debeant; alioquin electio aliter facta irritetur. Cæterum ne decretum hoc vetuſtas vnquam infringat, aut obliuio aboleat, eiuſque ignorantiam quiſquam prætendere poſſit, eadem Sacra Congregatio de eiuſdem Sanctiſſimi ſimiliter mandato præcipit, vt in ſingulis capitulis generalibus, & prouincialibusq; in poſterum conuocabuntur, illud ſemper legatur, & ſuper eius obſeruatione a Generalibus, & Prouincialibus ante ſoluta capitula tractetur, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi alterutrum horum omittatur, ipſo facto incurrenda. Non obſtantibus quibuſcumq; &c.

12 Noto 5. quòd in eadem conſt. 2. Iulij II. num. 28. dicebam, poſſe Prelatos regulares ſuos ſubditos abſoluere ab excommunicatione contra ipſos particulariter, & nominatim ab Epiſcopis, vel etiam Legatis lata, ſatisfactione tamen præmiſſa. Quod nunc confirmo ex conſtit. 26. Leonis X. §. 7. tom. 1. dictorum priu. ibi, [laicos tamen, & clericos (ſeculares) à ſententijs ab homine latis nullatenus abſoluere poſſint,] ergo ſuos ſubditos poterunt abſoluere, exceptio namque firmat regulam in contrarium, c. 2. de coniug. leproſ. & cum Papa indefinitè loquatur non determinans de qua ſententia ab homine intelligat, intelligendus eſt vniuerſaliter de ſentẽtia particulariter, & nominatim lata; nam beneficia Principis ſunt amplianda; & verba Simpliciter poſita generaliter intelligenda ſunt, ca. Quia circa, de priuil. Gloſſ. in ca. Præterea, verbo ſimpliciter, de offic. deleg.

13 Noto 6. quòd circa eamdem conſt. n. 34. fine dicebam, nouitios nondum habitu Religionis indutos non poſſe abſolui à confeſſarijs Regularium, niſi iuxta decreta Congreg. ſub Clemente VIII. Sed nunc re melius perpenſa, cum dicta decreta loquantur ſolùm de confeſſarijs Regularium in ordine ad ſeculares, & tales nouitij licèt nondum habitu Religionis induti, ſeculares tamen non ſint, ſed Religioſi, vt probatum eſt hic ſup. nu. 3. ideo cẽſeo, quòd poſſint abſolui tamquam Religioſi, ideſt, ab omnibus illis caſibus, à quibus poſſunt Religioſi nouitij. Et ita fuiſſe declaratum à Clemente VIII. refert Vechius de nouit. diſp. 9. dub. 7. nu. 5. ex quo Diana tom. 3. tract. 2. reſol. 46.

14 Noto 7. quòd in eadem conſtit. nu. 42. dicebam, non teneri nos obedire in præiudicium noſtrorũ priuilegiorum Legatis Papæ, niſi literas ſuæ delegationis oſtenderent. Quia cum omnis iuriſdictio ſpiritualis penes Papam reſideat, cap 1. d. 22. & iuriſdictio ordinaria non præſumatur collata, niſi publica ſcriptura appareat, vt potè quæ ſit quędam qualitas accidentalis, quæ naturaliter homini non ineſt, ſed ita competat vni, vt non alteri, ideò neceſſariò probanda eſt, iuxta Gloſſ. in ca. Si fortè, de elect. in 6. verbo Scientiæ. Abbas in cap. Poſtquam, de elect. n. 7. & eſt textus clarus in capit. Iniunctæ, de elect. extr. vbi dicitur. [Aſſerenti cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum nõ eſt, niſi hoc ſcriptis probauerit. Nec ſimiliter creditur ſe aſſerenti Legatum, &c.] Videatur Guido Papæ quæſt. 322. vbi eius Addit. Riccius 2. p. praxis, reſol. 426. n. 3. & 4. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 14. quæſt. 6. qui confirmat multis DD. & textibus. Et quærit, quid faciendum, ſi Papa concederet priuilegium ſuo Legato, ne cogeretur oſtendere literas Apoſtolicas ſuæ legationis, vel ſuarum facultatum? Et reſpondet, tunc cogendum non eſſe, & eo caſu poſſe veritatem conſtare ex alijs literis Pontificijs ad Reges vel alios primarios viros ſuæ prouinciæ latas. Sed tu dic, quòd tunc tenetur oſtendere tale priuilegium, ex quo ſimul cõſtabit, ſaltem in genere de veritate legationis. Et aduerte, quòd Molina tract. 5. de iuſt. diſput. 9. nu. 4. verſic. Quamuis autem, ait, quòd ſi Legatus à Latere dicat, aliqua ſibi eſſe conceſſa à Summo Pontifice, quæ Summus Pontifex ſibi habet reſeruata, ei non creditur, niſi conſtet ex litteris ſuæ delegationis; & quòd in Regnis Hiſpaniarum non admittitur quis in Legatum, niſi priùs oſtendat literas ſuæ legationis.

15 Et aduertit Azor. loc. cit. aliud eſſe, literis pontificijs, quas certò conſtat tales eſſe, non parere, fidem nõ habere, earum vſum prohibere, vel impedire; aliud verò de literis pontificijs, cum dubiæ ſunt, & incertæ, bona fide probabiliter ambigere, diſputare, an ſint põtificiæ, an ſint ſubreptitię; hoc enim fas eſt, nec qui diſputat, etiamſi laicus ſit, vllam pœnam incurrit; illud nefas eſt, & is, qui non paret, vel literarum vſum impedit, vel prohibet, iuris pœnam contrahit.

16 Et aduerte etiam, quòd quando delegatus citat aliquem, debet mittere copiam reſcripti, non reſcriptum ipſum originale, aliàs non valet citatio, per dicta. Ordinarius verò non tenetur facere fidem de ſua iuriſdictione, quando citat ſuum ſubditum, & in loco ſubdito; Sufficit enim, ipſum eſſe in poſſeſſione talis iuriſdictionis. Ita Addit. Guid. Pap. ad qu. 322.

17 Noto 8. quod in eadem conſt. num. 47. dicebam, quòd Epiſcopi retinentes apoſtatas regulares non poterant à Prelatis Ordinum excommunicari, quia Epiſcopi habent priuilegium iure communi conceſſum, vt à quoquam nequeant excommunicari, niſi in cõſt. de illis fiat expreſſa mentio; cap. Sedes Apoſtolica, de reſcript. Colligitur ex Trident. ſeſſ. 24. de refor. cap. 5. Gloſſ. in cap. Cum ęterni, verbo Ordinarius, de ſent. & re iudic. Nec valet, quòd dicatur, Etiamſi excommunicari non poſſint per literas non facientes expreſſam mentionem. Nam hoc priuilegium Epiſcopis conceſſum notorium eſt; vnde non ſufficit ad illud derogandum clauſula generalis, ſed debet eſſe particularis, & ſpecificè expreſſa; arg. ca. Ne aliqui, de priuil. in 6. Remanent tamen dicti Epiſcopi excommunicati per Papam, ſi, poſtquàm fuerint per Superiores Ordinum moniti, dictos apoſtatas non eiecerint; clauſula enim illa in dicta conſtit. 2. Iulij II. §. 13. [excommunicationis ſententiæ volumus ſubiacere,] dicit excommunicationem latæ ſententiæ, vt ibi dixi; & habetur in cap. Quicumque, de hæret. in 6.

18 Et aduerte hic etiam de paſſu, quòd ſi alicui particulari perſonę concedatur, quòd à nullo excommunicari, ſuſpendi, vel interdici poſſit, ſub iſta prohibitione non includuntur iudices ordinarij; atque ita, ſi Generalis concedat alicui Religioſo, quòd à nullo queat excommunicari, hic poterit à ſuo Prouinciali, & Correctore, qui ſunt illius iudices ordinarij, excommunicari. Ita habetur expreſsè in cap. Ne aliqui, de priu. in 6. Secus tamen eſt, ſi tale priuilegium ſit conceſſum alicui Religioni, vel loco religioſo. Ita ibidem.

19 Noto 9. quòd in eadem cõſtit. num. 57. dicebam non poſſe Parochos, aut Canonicos officia defunctorum qui ad eccleſias Mendicantium deferuntur, ipſis inuitis, facere. Quod mandauit expreſsè Iulius II. in eadem conſtitut. §. 22. & Pius V. in ſua conſtit. 7. §. 27. tom. 2. noſtrorum priuileg. Et nouiſſimè anno 1626. declarauit Sacra Congregatio his verbis. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum ſæpius cenſuit, quoties cadauera defunctorum ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, quæ in huiuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non à Canonicis, neque à Clero, ſed à Fratribus obiri, ac peragi debere.*

Coſ. Card. de Torres. *P. Fagnanus.*

Et eſt impreſſa Romæ in Typographia Cameræ Apoſtolicæ.

20 Noto 10. quòd in eadem conſtit. num. 76. dicebam, quòd Prælati regulares, etiam cum conſenſu capituli, non poterant abſque aſſenſu Romani Pontificis, bona immobilia, ſeu mobilia pretioſa, de vno in alium conuentum transferre. Sed nunc videtur, quòd poſſit Prouincialis cum conſenſu capituli, ſeu maioris partis transferre aliqua bona immobilia, ſeu redditus annuos, & perpetuos in perpetuum, de conuentu aliquo pinguiore in conuentum pauperem, & egẽtem, ad hoc, vt ibi competens numerus Fratrum conſtitua-

Digitized by Google

ſtituatur; vt ſic meliùs regula, diſciplina regularis, & conſtitutiones apoſtolicæ obſeruentur. Moueor, quia finis prohibitionis de non alienandis bonis eccleſiæ, fuit, vt conſuleretur vniuerſalis eccleſiæ indemnitati, vt conſtat ex cap. Ambitioſæ extr. de reb. eccleſ. non alien. & dicit Riccius 1. p. praxis, deciſ. 38. Sed vniuerſalis Eccleſia nullū detrimentum patitur ex tali alienatione; ſunt namque ſemper ea bona in dicta vniuerſali Eccleſia ſub regimine Sedis Apoſtolicæ; quod tamen ſecus eſt, quādo vna eccleſia particularis alienat, ſeu donat bona ſecularibus; nam tunc vniuerſalis Eccleſia patitur detrimentum, cum ſuper his bonis nullam ampliùs habeat, directam ſaltem, iuriſdictionem; ergo dicendum eſt quòd talis caſus non eſt incluſus in ea prohibitione. Atque ita Riccius cum alijs loc. cit. Et colligitur etiam manifeſtè ex dicta extrau. ibi, [profanis vſibus applicare:] per quæ verba videtur, mentem Papæ ſolum fuiſſe, prohibere alienationes in vſus profanos: at in iſto caſu alienatio non eſt in profanos vſus; ergo, ceſſante cauſa prohibitionis, ceſſare debet prohibitio; c. Cum ceſſante, de appell.

22 Per quam rationem ſimiliter dic, poſſe Superiores conuentuum inter ſe aliquod bonum immobile, vel mobile pretioſum commutare, v.g. ſi prædium vnius eſt alteri vicinum; ſic enim nullum præiudicium irrogatur Romanæ Eccleſiæ; ac propterea conceditur in cap. Hoc ius porrectum, §. Item ſibi inuicem; & in cap. 1. de reb. eccleſ. non alienan. cap. Ad quæſtiones, de rerum permut. quæ cap. non videntur correcta per conſtitutiones alienationes prohibentes; nam dicendum eſt, has ſolum velle prohibere commutationes cum ſecularibus. Atque ita tenet Riccius loc. cit. deciſ. 74. nu. 3. Nec turberis eo, quòd in dicto cap. 1. de reb. eccleſ. dicatur, [Non licere Abbati terram vnius eccleſiæ vertere ad aliam, quamuis ambæ ſint in eius poteſtate.] Nam Gloſſa ibi id intelligit, quòd non poſſit Abbas id facere pro ſuo libito, & ſine cauſa, quod eſt verum. Attendendum tamen ſemper eſt in his rebus ſcrupuloſis, quid ſeruet ſtylus Romanæ Curiæ, cui noſtræ ſpeculationes non præiudicant; licèt in foro animæ ego tutum putem, quod dixi. Si dicas per hanc rationem probari, quòd poſſint Superiores transferre aliquod bonum immobile in alium Conuentum, non ſolùm ſuæ, ſed etiam alterius Religionis. ℞. licèt iſta ratio id conuincere videatur, quia tamen ratio conſtitutionis limitanda venit per rationem naturalem, quæ dictat, quòd extra neceſſitatem nihil extra Religionem diſtrahatur, ideo limito dictam legis rationem ad Religionem propriam. Si tamen aliquis conuentus eſſet valdè diues, & alius valdè pauper, licèt eſſent diuerſæ Religionis, in hoc caſu concederem argumenti vim.

23 Noto 11. quòd in eadem conſt. 2. Iulij II. num. 80. dicebam, poſſe Generales, & capitula generalia duos, vel tres conuentus paruulos in vnum vnire abſque licentia Papæ, quod nunc in Ordine noſtro non habet difficultatem propter conſt. Vrbani VIII. infra. Sed pone, quòd iſti conuentus habeant Fundatores, poteritne id fieri abſque ipſorum conſenſu? Negat de iure communi Garcia de benef. p. 12. cap. 2. §. 2. num. 212. & probat ex leg. Si quando, C. de inoffic. teſtam. Affirmat. Rodriq. to. 3. qq. regul. quæſt. 80. art. 1. verſ. Conſiſtit etiam. Prouiſo tamen, quòd monaſteria debitis Fundatoribus obſequijs non fraudentur, ſed in ijs conſtituantur capellani, qui obligationes miſſarum, & ſuffragiorum compleant; & probat per priuilegium Pij II. quod per extenſum refert.

24 Si quęras, an Generalis cum capitulum generali poſſit ſimiliter Prouincias diſtinctas vnire, & vnitas diuidere, vel Prouinciam de nouo erigere, & fundare? Negant Rodriquez tom. 1. qq. regul. quæſt. 23. artic. 8. & tom. 3. quæſt. 43. artic. 1. Fernandez in ſuo exam. 1. par. cap. 15. §. 2. num. 1. dicto. 14. Caſarub. in compend. priuil. Mendic. verbo Prouincia; Portel in dub. reg. verb. Prouincia, nu. 1. Mirand. tom. 2. man. quæſt. 7. art. 11. Colligunt ex cap. Felix, 16. quæſt. 1. cap. De locorum, de conſecr. d. 1. & alijs iur. Sicut enim non licet diuidere Epiſcopatus abſque licentia Papæ ita neque Prouincias. Sed iſta ratio friuola eſt. Nam multum intereſt inter Epiſcopatus, & Prouincias. Epiſcopi enim ſunt perpetui; vnde ſi ab vno Epiſcopatu diuidatur alius, id cedet in damnum Epiſcopi; & in damnum tertij nihil eſt faciendum abſque facultate ſupremi Paſtoris. Deinde Epiſcopatuum diuiſio multum tumorem cauſaret in populis non eiſdem ſubiectis Principibus. 3. Epiſcopi non fiunt ſine conſenſu Papæ. Demum Epiſcopus habet in diœceſi ſedem epiſcopalem, quam mutare non poteſt abſque beneplacito Sedis Apoſtolicæ, & cum cauſa legitima; cap. Mutationes; cap. Temporis, 7. quæſt. 1. Et tandem ſicut ad diſſoluendum carnale matrimonium, etiam cum cauſa, requiritur auctoritas Prælati, ita ad diſſoluendum ſpirituale. Dicti itaque DD. loquuntur de ſua Religione Minorum, & ad id aſſerunt ſtatutum Nicolai IV. In Ordine noſtro à principia Religionis ſemper fuit conſuetudo abſque vlla vnquam interruptione Prouincias de nouo erigendi, erectas vniendi: quæ conſuetudo fuit fundata in ſtatuto facto auctoritate Papæ à Cardin. Senogallen. præſidente in primo noſtro capitulo generali, ſpecialiter deputato à fel. rec. Iul. PP. II. Cum enim dictus Cardin. num. 10. diuiſiſſet Religionis Prouincias, declarauit, & voluit, quòd ſuccedente tempore, & Religione cum Dei adiutorio multiplicata, eę ſeptem Prouinciæ poſſent diuidi in plures, ſingula ſingulis referendo, prout generale capitulum declarabit expediens, quod deinde reperi fuiſſe cōceſſum Fratribus Sanctæ Mariæ de Mercede à Clement. VIII. per ſuam conſtit. 112. tom. 3. bullar. §. 1. Imo putat noſter Trimarchi in ſua iuridica Lucubr. Genuæ impreſſa circa hoc punctum, quòd id poſſint Generales per ſe ipſos abſq. capitulo generali, quod eſt probabile. Et aduerte, quòd quando Prouinciæ ità creuerunt, vt non niſi cum magna difficultate poſſint viſitari, ſeu quando ſubditi ſunt diuerſæ nationis, & nō poſſunt viuere in pace, tunc debent omnino diuidi, iuxta canones, cap. Præcipimus, 16. quæſt. 1. cap. Vnico, §. Sanè, de offic. de leg. extra. vbi Gloſſ. verb. Multiplicatat, & ver. Ereximus; Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. de reform. ibi, [in ijs verò, in quibus ob locorum diſtantiam &c.] Mandoſ. de ſign. gratiæ, tit. De erectione eccleſiæ. Rebuff. in praxi benef. tit. De erectione eccleſiæ, in cathedrali, num. 2. p. 1. Barb. de poteſt. Epiſc. alleg. 68. num. 1.

25 Poſt numerum 84. einſdem conſtit. Quæres, an patronus, ſeu Fundator teneatur defendere eccleſiam, & cuius expenſis? ℞. Ad Fundatorem, & eius filios, ac hæredes pertinere defendere eccleſiam ab omnibus, qui vellent eam opprimere; cap. Filijs, 16. q. 7. quod niſi faciant, merentur fundatorem priuilegijs priuari, Gloſſ. in cap. Tributum, verb. Defendere, 23. quæſt. vlt. Lamber. de iur. patron. lib. 3. q. 2. art. 1. num. 2. Tenetur etiam patronus eſſe ſollicitus, vt eccleſiæ benè ſeruiatur, cap. Decernimus, 16. q. 7. Lambert. art. 12. Cauere tamen debet, ne nimio zelo ductus, ſed non ſecundùm ſcientiam, eccleſiam ipſe opprimat; cap. Præterea el. 2. de iur. patron. Hoc tamen non debet facere proprijs expenſis, ſed expenſis eccleſiæ; nemo enim militat ſuis ſtipendijs vnquam; & tutor expenſis pupilli pupillum defendit; leg. In tutoribus, ff. de adminiſtr. Tutor, & Procurator defendit dominum expenſis domini cap. Cum pro cauſa, de procur.

26 Quæres etiam, an monaſterium teneatur alere Fundatorem ad paupertatem redactum? ℞. teneri de iuſtitia, modeſtè tamen, habito reſpectu ad facultates monaſterij, & ad qualitatem perſonæ. Ita expreſſè in cap. Quicunque fidelium, 16. quæſt. 7. vbi dicitur *Quicunque, delium deuotione propria de facultatibus ſuis eccleſiæ aliquid contulerint, ſi fortè ipſi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem eccleſia ſuffragium vita pro temporis vſu percipiant. (Et in cap. Nobis, de iur. patron. dicitur.) Pro fundatione quoque eccleſiæ honor proceſſionis Fun-*

datori

datori ſeruatur, & ſi ad inopiã vergat, ab eccleſia illi modeſte ſuccuritur. Et hoc quamuis dos data per patronũ cõuentuj eſſet perempta, ſi adſint aliæ facultates, non ratione dotis, ſed eleemoſynarum acquiſitæ; Lambert. loc.cit.q. 3.ar.14. Gratian.diſc.for.to.3.c.552.nu.13. Deciſ. Martæ voto 41.n.2. Non tenetur tamen monaſterium Fundatorem alere, niſi ex redditibus, qui ſuperſunt, deductis neceſſarijs pro victu, & veſtitu Fratrũ, ac pro ſeruitio, & cultu diuino, & pro reparatione, & inſtauratione monaſterij, vel eccleſiæ. Gratian.loc.ci.Lamb.loc.cit.q.3.art.2.nu.10. Et licèt dicta ſuperflua ſint neceſſariò in pauperes diſtribuenda, iuxta illud. [Quod ſupereſt date pauperibus,] & habetur in capit. Quoniam 16. quæſt. 1. Fundator tamen prior omnibus ali debet, quia charitas ordinata magis tendit in illum, à quo recepimus beneficium, quàm in alios: cap. in officijs, de teſtament. Ad quæ prædicta alimenta habet Fundator ius, vt poſſit conuentum ad ea ſibi præſtanda cogere, vt Lambert. loc.cit. Sed ego puto, quòd ratione gratitudinis teneantur Fratres alere Fundatorem, etiamſi nihil illi ſupereſſet, & quod tunc teneretur Conuentus, detractis ſimpliciter, & ſtrictè neceſſarijs, Fundatorem alere. Moueor. Tum quòd ius naturale, per quod nos obligat gratitudo, ſtrictiſſimum vinculum eſt. Tum quòd dicta c. Quicumque, & Nobis, abſolutè loquuntur; vnde non debent ita in damnum Fundatorum limitari. Nec ſolum debentur alimenta Fundatoribus, ſed etiam filijs, vxoribus, & ſeruis, dicto c. Quicumque Lambet. de iur.patron.lib.3. quæſt.3.ar.3. Barb.in cap. Nobis, de iur.patron.nu.7. Et quando audis, quòd debentur patronis alimenta, intellige, quod eis debentur non ſolùm cibus, & potus, ſed etiam veſtis, lectus, & domus Lambert. art.8. Barb.loc. cit. Item dic, quòd patrono exiſtente in ſeruitute, v.g. quia captus eſt à Mauris, tenetur eccleſia pro ſuo poſſe illum liberare. Non teneretur tamen eccleſia patronum alere, qui exercitium ſuo ſtatui non inconueniens facere poſſet, ex quo ſibi, & familiæ victum conuenientem poſſet acquirere, Barb. loc. citat. Nec etiam teneretur Fundatorem alere, qui fratrem habetet, vel filium, qui eum poſſet alere; Gratian. loc.cit. num.17. nam pauper dici non poteſt, qui exercitio conuenienti ſe poteſt alere, nec etiam pauper eſt, qui habet perſonas, ad quas ſpectat ius eum alendi. Sed in hoc caſu ſi filius, aut frater nolent eum alere, puto, quòd ad monaſterium pertineret; nam perinde eſſet, ac ſi non haberet. Neque etiam tenetur conuentus alere patronum equitem Ieroſolymitanum; Grat.loc.cit. quia hic habet Religionem, ad quam id de iure ſpectat; nam qui altari ſeruit, de altari viuere debet; c.Cum ſecundum, de præbend. Item alimenta non debentur Fundatori, niſi quouſque in egeſtate fuerit, vnde ſi ad pinguiorem fortunam veniat, ei ampliùs non debentur; nam ceſſante cauſa, ceſſat effectus; cap.Cum ceſſante, de appellat.Lamber.loc.cit.art.13.

27 Sed pone, quòd vnius conuentus ſint plures Fundatores, debebuntur ne omnibus alimenta? Dic, quòd ſic, ſed pinguiora illi, qui plus dedit, & qui plus dedit, plus etiam honorari debet. Ita Lambert. de iur.patron. lib.3.qu.4.art.1.nu.2. ex quo habes num.1. quòd ſicut vnius conuentus poſſunt eſſe tres patroni, iuxta illud, Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus; ita fundi, v.g. poſſunt eſſe plures Fundatores, qui omnes gaudeãt priuilegijs. Sed pone, quòd Fundator alteri donauerit ius fundationis, inops factus poterit ne alimenta prætendere ab eccleſia, quam fundauit? ℞. quòd ius fundationis donari non poteſt abſque conſenſu Papæ cap. Nobis, §. Cæterùm, de iure patron. vbi Gloſſa verb. Vel de ſua iuriſd. Sed poſito, quòd donatio ſubſiſteret, ius alimentandi nunquam cenſetur donatum, quia cohæret perſonæ Fundatoris inſeparabiliter, Abbas in cap. Præterea, de iur.patron. Et hoc etiamſi donatarius pariter egeat, quia donatio ſemper præſumitur facta, deducto ne egeat Gloſſ. in c.Conſiderandum, 16.q.7. Atque ita docet Marta in ſuis deciſ. voto 41.à nu.10.

28 Quæres, an iura fundationis, & ſepulturæ vendi poſſint ad inſtantiam creditorum? ℞. negatiuè, nam obligari non poſſunt, cum illorum fructus ſolùm conſiſtant in quadam honorificẽtia, puta affixionis armorum, &c. & ius ſepulturæ ſpirituale eſt, & hi non ſunt compenſabiles cum debito. Ita Marta loc.cit. voto 29. à num.13. qui id multis probat, neque poſſunt creditores contra illa agere, quia ſunt ſpiritualia, & religioſa, ad quę non extenditur lex Creditoris arbitrio, ff. de diſtract. pignor. Marta num.20. ius autem alimentandi, cum adhæreat inſeparabiliter perſonæ tamquam ius naturale, obligari non poteſt.

29 Quæres denique, an Fundator debeat honorari, & quomodo? ℞. Fundatori deberi honorem proceſſionis, cap. Nobis, de iur.patron. Sed in quo conſiſtat iſte honor, diſputant inter ſe DD. quorum dicta refert Lambertin. de iur.patron.lib.3.quæſt. prima, artic.1. à nu.1. Ipſe autem num.11. ait, quòd Superior cum ſuis Fratribus debet in eccleſia ſaltem vſque ad ambitum ianuæ Fundatori venienti ad eccleſiam occurrere, & illum honorabiliter introducere, illique aquam benedictam porrigere, & in excellentiorem locum ſupra omnes laicos collocare, & præ cœteris laicis illum honorare in pace, thuribulo, & ſimilibus, & in proceſſionibus ſolemnib. ſtatim poſt Superiorẽ ante omnes laicos, vt præ cœteris honoretur, incedere, & hoc toties, quoties ad eccleſiam acceſſerit. Et aduerte, quòd ſi Fundator in limine fundationis nõ apponat obligationem alicuius miſſæ. Fratres, ex eo quòd Fundator eſt, non tenẽtur pro ipſius anima quotidie celebrare; quia id nullo iure cauetur, ſed ſolùm pro eo in communi orare. Ita Lamber. loc. cit. art.3. quem vide art.7. vbi probat, quòd Fundator non poteſt, niſi impropriè, dici dominus conuentus, quem fundauit, nam verus dominus eſt Papa.

30 Si quæras, an Fundatori alicuius conuentus Regularium acquirantur omnia illa tria iura dicta à nu. 25. nimirum oneroſum, vtile, & honorificum. ℞. non acquiri. Nam in eccleſiis regularibus ad acquirendum ius patronatus non ſufficit ſola fundatio, & dotatio, ſed requiritur præterea priuilegium apoſtolicum. Ita Rota apud Farin. p.2.deciſ.421.num.2. & eadem Rota apud eumdem in deciſ. nouiſſimis, deciſ. 564.nu.3. & ibid. deciſ.573.nu.1. Puteus lib.2.deciſ.366.num.6. & deciſ. 379.n.1. Barb.in cap. Nobis, de iur.patron.nu. 10. Fundatur in dicto cap. Nobis, vbi Gloſſa verb. Niſi aliter. Sed quoniam dictum cap. & Gloſſa, atq; prætati DD. ſolum dicunt, ius patronatus in eccleſia regulari non acquiri ſine priuil. Papæ; quia Abbas, ſeu Prælatus regularis non præſentatur; ſed eligitur à Monachis, & non conuenit, laicum ingredi ad eligendum Abbatem cum Monachis, niſi aliter diſponat Papa; ideo puto, quòd licèt Fundatori alicuius conuentus regularis non acquiratur hoc ius præſentandi, ſeu ingrediendi ad eligendum Superiorem regularem cum alijs Fratribus, alia tamen iura honorifica, oneroſa, & vtilia omnino competant. Nullum namque ius id vetans apparet; & iuſtum eſt, vt Fundatores Regularium patronorum iuribus fruantur alioqui multi deterrerentur à talibus fundationibus; & tamen cœteris paribus, melius eſt eccleſiam regularem fundare, quàm ſecularem, vt probat Nau. lib.3.conſil. de regul. conſil.1. & Mirand. tomo 1.man.q.33.art.6.

31 Noto 12. quòd in eadem conſt. num. 87. dicebam, Prælatos regulares non poſſe abſoluere ſuos ſubditos à ſimonia commiſſa in ſuſceptione ordinum. Sed poſtea vidi Portel in dub.reg.verb. Prælatus, num. 29. Sigiſ. de elect. dub.99. num. 2. contrarium dicentes, fundatos in confirmationibus obtentis poſtea à Clem. VIII. & Paulo V. per quas dicunt reualidata fuiſſe antiqua priuilegia. Quòd ſi illis obijcias decretum Congregat. quod retuli hic ſupra, cap.2.num.8. in quo declaratur, per iſtas confirmationes non fuiſſe reualidata antiqua priuilegia, reſpondere poterunt,

dictum

dictum decretum ſolùm declarare, per prædictas confirmationes non eſſe reualidata antiqua priuilegia quoad poteſtatem abſoluendi à caſibus bullæ Cœnæ, & Epiſcopis reſeruatis, at quo ad alia eſſe reualidata per dictas confirmationes ex certa ſcientia obtentas, quæ vim habent nouæ conceſſionis. Cum ergo iſte caſus non ſit reſeruatus in bulla Cœnæ, nec poſſit reſeruari ab Epiſcopis, cum ſit reſeruatus Pontifici, iuxta literas Congregat. ſub Clemente VIII. quas refert Quarant. in ſum. bull. verb. Caſus reſeru. pag. mihi 202. & expreſſiùs iuxta 2. decretum ſacræ Congreg. ſub eodem Clem. quod refert idem Quar. pag. mihi 201. vbi ait, *Prohibet etiam, ne ſibi ſuperſlue reſeruent caſus in bulla Cœnæ Domini legi conſuetos, & contentos, neque alios Sedi apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos*. Dici poteſt, quòd etiam poſt dictum decretum abſolui poteſt.

32 Noto 13. quòd in eadem conſt. 2. Iulij II. nu. 117. dicebam, poſſe Prælatos regulares diſpenſare ſuper irregularitate procedente ex mutilatione membrorum, ſi eſt occulta. Ita Llamas 4. p. meth. cap. 3. §. 8. verſus finem; Molin. tom. 4. de iuſtit. tractat. 3. diſput. 70. num. 12. Poteſt item Prælatus regularis diſpenſare cum lunatico, furioſo, ſeu patiente morbum caducum, poſtquam conualuerit, non ſolùm vt in ſuſceptis ordinibus miniſtret, & ad presbyteratum aſcendat, ſed etiam vt ordines ſuſcipiat, ſuppoſito quòd nullum habeat; poterit enim eſſe vtilis confeſſionibus audiendis, ſi poſtmodùm relabatur. Ita Molina loc. cit. qui addit, quòd ſi aliquis iam ſit ordinatus, & aliquam ex prædictis infirmitatibus ſæpe patiatur, celebrare non poterit, vt conſtat ex c. In tuis literis, 7. q. 2. neque etiam ſi rarò id patiatur, atque ſpumet, propter periculum, ne aliquid ſpecierum ſacramentalium cum ſpuma emittat, vt habetur in c. Nuper, 7. q. 2. quòd ſi neque ſpumet, neque frequenter eam infirmitatem patiatur, celebrare poterit cum aſſiſtentia ſacerdotis, qui perficere poſſit ſacrificium, ſi inter celebrandum tale quid ei acciderit, iuxta c. Illud. cap. Nihil, 7. qu. 1. Ita habetur in cap. In tuis literis, 7. q. 2. Quòd ſi loci, temporiſque opportunitas non pateretur, Sacerdotem adeſſe, nec timeretur aliquid ſiniſtrum euenturum, putat, quòd in aliquo caſu poſſet celebrare. Arreptus verò à dæmone intra annum integrum celebrare non poteſt, capit. Communiter, d. 33. Nau. in man. cap. 25. num. 72. Sylu. verbo Corpore vitiatus, in fine.

33 Noto 14. quòd nu. 119. dicebam, poſſe Prælatum regularem abſoluere ſuum ſubditum, qui percuſſiſſet clericum ſecularem. Non poteſt tamen abſoluere clericum ſecularem, aut laicum, qui ſuum ſubditum percuſſiſſet, cum nullum de hoc appareat priuilegium. Ita Camp. in diuerſ. iur. rubr. 12. c. 13. nu. 136. Riccius 1. p. praxis, deciſ. 465.

34 Noto 15. quòd nu. 143. eiuſdem 2. conſt. egi de clericis coniugatis, quomodo gaudeant priuilegijs clericorum. Nunc occurrit idem quærere de oblatis, qui ſe, & ſua alicui Religioni obtulerunt, pro quibus emanauit ſequens declaratio anno 1627. *Illuſtriſſimi & Reuerendiſſ. Domini. Cæſar Carratinus de Flumine frigido diœceſ. Tropien. per donationem irreuocabiliter inter viuos obtulit ſe, & omnia bona ſua mobilia, & immobilia, & ſe mouentia, præſentia, & futura, acquiſita, & acquirenda, nulla facta reſeruatione præfatorum bonorum vſusfructus, neque proprietatis, neque in totum, neque in partem; item omnes actiones, & iura, quæ ipſi qualibet ex cauſa contingere poſſent in perpetuum, conuentui, ſiue monaſterio Sancti Franciſci de Paula ciuitatis Paulæ, cui in oblatum ſemetipſum obtulit, habitumque ſecularem in ſolitum, & conſuetum ab oblatis coniugatis eiuſdem Religionis deferri, mutauit, quem defert, & de manibus ſuperioris Prælati conuentus ſuſcepit, & ab eodem in numero oblatorum acceptatus fuit ſecundum priuilegia à plurimis ſummis Pontificibus præfatæ Religioni conceſſa, quorum ipſa Religio, & præcipue Prouincia Calabriæ, eſt in poſſeſſione. Et cum omnia requiſita ipſe Cæſar impleuerit, petit obnixè ſcire, an fori priuilegio, & exemptionibus, immunitatibus, cæteriſque gratijs, & fauoribus gaudeat, quamuis matrimonio copulatus ſit, illudque ante præfatam donationem & oblationem contraxerit. Et ſi fori priuilegio, ac præfatis exemptionibus, immunitatibus, priuilegijs, gratijs, & fauoribus gaudet, & gaudere debet, ſupplicat humiliter, vt decretum, & declarationem ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Dominationibus veſtris ſuper huiuſmodi oblatis factam, ipſi ſupplicanti impertiri, concedereque dignentur. Sacra Congregatio Cardin. Concilij Trident. interpretum cenſuit, oratorem, quamuis matrimonio copulatum, gaudere priuilegio fori, & exemptione à vectigalibus, ſi, quemadmodum proponitur, in forma iuris valida, perpetuò, & irreuocabiliter, plenè, & cum effectu ſe ipſum, & bona ſua omnia præſentia & futura, nulla prorſus, eorum portione, neque in proprietatem, neque in vſum fructum ſibi reſeruata, Religioni obtulerit, & habitum aliqualiter mutauerit. Quòd ſi omnia præfata ſimul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à ſecularibus exactionibus frui poſſe*. Sed quid, ſi dicti oblati nondum ſe, ſuaquè obtulerint Religioni, ſed ſtatim ſunt oblaturi, & per ipſos non ſtetit, quin obtulerint, gaudebunt ne immunitate. R. affirmatiuè. Quia quæ proximè inſtant, ineſſe videntur, leg. Lecta, verſ. dicebam, ff. Si certum petat. pariaque ſunt aliquid eſſe factum, vel proximè fieri deſtinatum: leg. Veſtimento, ff. de auro, & argento, Chokier de exemp. p. 1. q. 19. nu. 3.

35 Noto 16. quòd num. 147. dicebam, Regulares non poſſe in cauſis ciuilibus teſtimonium ferre abſque ſuorum Prælatorum licentia. Barboſ. in capit. 1. de iuramen. calumniæ, num. 6. vbi Abbas numer. 1. & 16. & habetur in dicto cap. 1. §. fin. Quod etiam docet Sanchez 6. in decal. cap. 13. nu. 103. Aduertit autem num. 104. quòd in Societate Ieſu interdicitur Superioribus talem facultatem cõcedere, niſi in cauſis alioquin pijs, & quæ ſic vni faueant, vt non in alterius detrimentum cedant. Et addit, quòd ſi conceſſa hac facultate ad teſtificandum in cauſa ciuili, occurreret articulus criminalis, vel infamatorius, non debent ij Religioſi in eo teſtificari, nec ad hoc Superior aliquis facultatem concedere debet. Quæ omnia mihi valde placent; decet enim Religioſos omnibus benefacere, & neminem lædere; & eſt ad quietem conſeruandam maxime vtile; & hoc præſertim cordi debet eſſe Superioribus Mendicantium, qui omnibus indigent; nam ſemper promptior eſt ad nocendum læſus, quàm ad benefaciendum adiutus: & faciliùs obliuiſcimur beneficia, quàm maleficia. Addit etiam Sanchez num. 108. quòd ſi Religioſus teſtificetur coram iudice ſeculari, vel eccleſiaſtico in cauſa ciuili, vel criminali abſque Superioris licentia, teſtimonium valet; quia nullibi reperitur contrarium. Pro qua opinione multos citat, quibus adde Diaz. in pract. cap. 101. num. 25. Barb. in cap. 1. de iuram. calumniæ, num. 8. licèt etiam aliqui non valere dicant, quos refert num. 107. Addebam in fine dicti num. 147. poſſe Religioſum teſtificari pro liberatione alicuius à morte, vel infamia, & hoc quamuis ex tali teſtimonio, quod directè tendit ad probandam innocentiam rei, accuſatoris calumnia, pœna talionis, etiam mortis, puniendi detegatur, quia hoc ſequitur per accidens. Ita Diaz. in ſua pract. cap. 101. num. 22. Farin. p. 2. praxis, q. 61. num. 74. Auil. de cenſ. de irreg. diſput. 5. dub. 13. Conſulto tamen Superioribus ſeruare, quæ dixi.

36 Noto 17. quòd n. 150. eiuſdem conſt. dicebam, poſſe emptores gabellarum iuſtè exigere iuramentum à Religioſis, quòd res, quas ſine ſolutione gabellarum expediunt, ſuæ ſunt. Quod probatur ex c. Nimis, de iur. iur. ibi, *nihil temporale obtinentes ab eis*. vbi Gloſſ. verb. Temporale, & Panor. n. 1. Barb. n. 3. at eccleſiaſtici in caſu noſtro obtinent à laicis gabellarum pretium, quod temporale eſt, vnde ad illorum mentem iurare tenentur. Et ibid. num. 151. dicebam, Regulares teneri ad obſeruandas leges ciuiles in bonum publicum inductas. Salon. tom. 2. de iuſt. contr. 10. q. 77. art. 1. Sà in aphor. verb. Clericus, n. 6. Et ſi cupis ſcire, in quibus

caſibus

caſibus eccleſiaſtici conueniantur coram iudice, laico, addi Cenedum collect. 37. in decretum, à n. 2.

37 Noto 18. quòd in 4. conſt. Iulij II. nu. 28. dicebam, quòd ſententia Principis faciebat ius, etiamſi ſolùm eſſet de caſu aliquo particulari; Atque ita Gomez. in princ. reg. cancell. q. 2. pag. mihi 13. Vaſqu. 1. 2. diſp. 157. cap. 5. nu. 37. to. 2. & conſtat ex leg. fin. Cod. de leg. & leg. 1. ver. Per epiſtolam, ff. de conſtit. princ.

38 Noto 19. quòd in conſt. 5. eiuſdem Iulij, nu. 3. dicebam, poſſe Prælatos regulares in criminibus grauioribus ſuos ſubditos torturæ ſubijcere, per priuilegium in dicta conſt. conceſſum. Sed addo, id etiam ſine priuilegio poſſe fieri in caſibus, in quibus torquentur laici ad eruendam veritatem. Ita Archid. in c. Quia iuxta, §. Presbyteri 1. 5. q. 6. Penna in leg. Omnes iudices, Cod. de decur. lib. 10. col. 4. Aldrete cum multis de diſcipl. lib. 1. c. 17. nu. 2. & ibidem docet, quæ requirantur ad hoc, vt Religioſus torqueri poſſit, & vide eumdem lib. 2. capit. 12. Et aduerte, quòd tormentum, quo tormentari debet Religioſus, debet eſſe in Religione vſitatum, nec aliud nouum eſt introducendum, vt chorda, taxilli, vigilia, &c. niſi in atrociſſimis delictis, vt homicidij, aſſaſſinij, magni furti rerum ſacrarum cum ſcandalo. Ita Aldrete loc. cit. lib. 1. c. 17. n. 29. fine. Paulinus Berti in praxi crim. tit. 17. cap. 5. de tortura, nu. 62.

39 Sed dubium eſt, an id poſſint facere per laicos, cum cap. Vniuerſitatis, de ſent. excom. per Religioſos id eſſe faciendum innuat. Sed Suar. de cenſ. diſp. 22. ſec. 1. nu. 44. Coninck de excomm. diſp. 14. dub. 15. num. 191. Nald in ſumm. verb. Abbas, nu. 8. dicunt, id poſſe fieri per laicos; quia illa actio dedecet clericos, & iam conſuetudo id approbauit. Et innuitur in cap. Vt famæ, §. Laici, de ſent. excomm. Cap. verò Vniuerſitatis intelligitur de verbetatione, non de tortura, quæ eſt quoddam medium inter capturam, & ſupplicium.

40 Noto 20. quod in conſt. 10. Iulij II. nu. 2. dicebam, quòd impedientes, & moleſtantes eos, qui à ſeculo ad Religionem confugiunt, erant excommunicati. Et Farin. de hær. q. 183. §. 6. nu. 85. ait, quòd rapiens nouitium à monaſterio capite punitur; quod etiam dicit Camp. in diuerſ. iuris, rubr. 12. cap. 16. n. 83. Sed hæc intelligi debent de nouitijs habilibus ſecundùm ius naturale, vel canonicum. Vnde qui inhabilem ex prædictis modis impediret, has pœnas non incurreret. Ita Portel. in addit. ad dub. reg. verb. Nouitius, num. 2. Imo neque etiam incurreret, qui impediret habilem, inhabilem putans, Nam Papa has pœnas infligit contra audentes, & præſumentes; vnde ad eas incurrendas requiritur magna temeritas ſecundùm communem opinionem. Neque etiam dictam excommunicationem incurreret, qui precibus importunis, vel conſilio impediret. Quia Papa videtur ſolùm velle excommunicare impedientes talem ingreſſum per iniuriam, vim, & moleſtiam. Putat tamen ibi Portel, quòd qui nouitium iam habitu indutum, vel ſtatim induendum ad conuentum pergentem, dicta precum importunitate retardaret, & ad ſecularium domum reduceret, in eaque conuiuijs, laſciuijs, aliſque dæmoniacis voluptatibus detineret, quouſque à propoſito diuerteretur, dictam cenſuram incurreret. Quia verè hoc non fit ſine iniuria, & violentia nouitij, & Religionis; non enim minùs violentant praui excitati affectus, quàm verbera.

41 Et aduerte hic vnum pro parentibus, qui dictis artibus procurant ſuos filios ſancto Religionis propoſito alienare, quòd cum hic caſus aliquando contigiſſet, parentes alienati nouitij, diuina ſic permittente prouidentia, non multum poſt dederunt pœnas dictæ alienationis; laxauit enim iuuenis ita delictis fibulam, bonaque paterna ita diſſipare curauit, parenteſque ita relaxatè viuendo afflixit, vt lugentes ſatis cognouerint, à manu Dei ſe tactos in vindictam abſtractionis filij. Et de alio ſimiliter abſtracto poſſum teſtimonium ferre, quòd ita patrem, qui abſtraxerat, verbis, & verberibus tractauerit, vt pater coactus fuerit non ſolùm eum in carcerem conijcere, ſed bis ad triremes: dictumque patrem genuflexum, & lacrymantem ſæpius rogitare viderim Religionis Superiores, vt prodigum filium ad Religionem recipiendo, à ſe manum Dei, benè, & iuſtè ipſum tangentem, auerterent. Addo vnum conſideratione dignum, quòd in articulo mortis exiſtens dictus filius abſtractus, citauit patrem iam mortuum ante tribunal Dei, ad reddendam rationem animæ ſuæ. Hæc manibus tetigi.

42 Aduerte autem, quòd talis impeditio, ſeu moleſtatio debet eſſe cum effectu, ita vt nouitius omnino, & de facto abſtrahatur, vel impediatur, neque ſufficit attentatio. Nam verba intelliguntur cum effectu, per ea, quæ habet Gloſſ. in cap. Perpetuò, de elect. in 6. vbi Io. Andr. num. 7. & Nau. libr. 5. conſ. de ſent. excomm. conſil. 30. num. 3.

43 Et aduerte etiam, quòd incurrunt dictam excomm. non ſolùm verberantes, moleſtantes, aut iniuriantes volentes ad Religionem ingredi, ſed etiam talia facientes contra Superiores Religionis volentes dictos nouitios recipere, vt ſi, minitando illis, ſeu amicis, vel parentibus mortem, vel graue aliud malum, quod aliàs etiam grauem, & conſtantem virum deterreret, dicti Superiores deſiſterent à receptione dicti nouitij; ſic enim diſponitur in dicta conſtit. 10. Iulij II.

Caput Quartum de addendis ad Conſtit. Leonis X.

1 NOto, 1. quòd in conſt. 3. Leonis X. nu. 4. explicans decretum Congreg. de canoniz. SS. dicebam, dicto decreto non obſtante, licitum eſſe priuatim colere illius reliquias, qui in cœlo eſſe creditur. Ita Sa in aphor. verb. Reliquiæ, num. 1. Portel in addit. ad dub. reg. verb. Reliquiæ, num. 12. Sanchez 2. in decal. cap. 43. nu. 4. Azor. to. 1. libr. 9. cap. 8. q. 8. cultus autem publicus non ex eo dicitur: quia coram multis exhibeatur; ſed quia exhibetur nomine totius Eccleſiæ; vnde poterit quis aliquem acclamare Sanctum, illumq. vt talem venerari vt particularis perſona, non tamen nomine Eccleſiæ. Ita Sanchez loc. cit. num. 3. Non licet tamen ad ſepulcra illorum, etiam occultè, lampadem accendere, quia id cultum publicum dicit; & refert, ita fuiſſe declaratum à Congregat. S. Officij de mente Papæ, Caſtell. de canoniz. SS. cap. 2. p. 8. §. 3. qui p. 54. §. 6. ait, quòd miracula dictorum, qui cum opinione ſanctitatis deceſſerunt, non licet, neque etiam per modum hiſtoriæ, recenſere.

2 Aduertè, quòd num. 5. eiuſdem conſt. dicebam, non licere antiquas reliquias extra capſam oſtendere. Sed quid, ſi intra capſas quidem oſtendantur quæſtus cauſa, propter oblationes ſcilicet inde prouenientes? Sanchez, qui loc. cit. nu. 22. rem ex profeſſo tractat, ait, in hoc nullam intercedere ſimoniam, etiamſi intentum principale exponentis ſit lucrum temporale. recipiendum gratis ex piorum eleemoſynis in ſuſtentationem exponentium, niſi quando illud lucrum deduceretur in pactum, & reciperetur tamquam pretium oſtenſionis. Reliquias falſas largiri mortale peccatum eſt; Nau. in Sum. c. 17. num. 169. Sanchez 2. in decal. c. 37. num. 9. & ſimiliter falſa miracula publicare, ſeu tabellas, etiam bono fine, vt fideles ad deuotionem excitentur. Quia religioni maxima irrogatur iniuria; Portel loc. cit. nu. 1. ait eſſe ſimoniacum intentione. Fornicari cum reliquijs collo appenſis, irreuerentia eſt, non tamen ſpecialiter dicenda in confeſſione; nullo enim iure id vetatur; nec debito reliquiarum cultui directè opponitur. Ita Sanchez loc. cit. cap. 40. nu. 28.

3 Noto 2. quòd in conſt. 7. Leonis X. agebam de indulgentijs, quæ ſuſpenduntur per bullam cruciatæ, & iubilæi. Cuius occaſione aduerte, quòd *tempore Iubilæi poſſunt omnes Regulares confiteri peccata ſua ſacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones, etiamſi ſui Ordinis non ſint, in bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audiunt confeſſiones, non autem de Ordinario*

Digitized by Google

dinario pœnitentium. Ita declarauit Greg. XIII. vt refert Rodriqu. in ſuo bull. in viuæ vocis oraculis dicti Greg. pag. mihi 481. & Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 28. ſect. 6. num. 6. Ex qua declaratione habes, quod Regularis ſolùm approbatus à ſuo Prælato tempore iubilæi poteſt audire confeſſionem alterius Regularis, etiam ſi ab Epiſcopo minimè approbatus ſit. Et ſimiliter Regularis confiteri poteſt confeſſori ab Epiſcopo approbato, etiamſi clericus ſecularis ſit. Ita Portel in addit. ad dub. regul. verb. Confeſſor, nu. 6.

4 Sed quæres, An moniales eo tempore poſſint confiteri Sacerdotibus à ſolo Prælato regulari approbatis. ℞. non poſſe poſt conſtitutionem 2. Greg. XV. tom. 2. noſtr. priu. §. 4. & in 6. declar. ſequenti. Ita Alphonſ. Leo de iubil. p. 2. qu. 19. num. 230. Poſſunt tamen confiteri confeſſario ab Epiſcopo ſimpliciter approbato, præſertim ſi Epiſcopis dictæ moniales ſubiectæ ſint. Ita Molfeſ. tom. 2. ſum. tract. 7. capit. 16. num. 28. & 29. Alphonſ. Leo loc. cit. num. 218. Sed ego puto, quòd, ſtante veritate dictæ declarationis, poſſint moniales tempore iubilæi, generalem facultatem concedentis omnibus Chriſtianis vtriuſque ſexus, etiam Regularibus, eligendi confeſſarium ab Ordinario approbatum, eligere ſibi confeſſarium à ſolo Prælato regulari approbatum, ſi electus ſit Regularis; vel ab Epiſcopo, ſi ſit ſecularis; & hoc ſiue moniales ſint ſubiectæ Epiſcopis, ſiue Prælatis regularibus; nec eſt neceſſe, quòd moniales Regularibus ſubiectæ confeſſarium eligant ex ſua Religione, ſed poſſunt eligere ex quacumque. Moueor, quòd Iubilæum eſt gratia ampliſſima totum mundum exhilarans, quam facit Papa theſaurum eccleſiæ aperiens omnibus Chriſti fidelibus pro conſolatione animarum ſuarum. Cum ergo inter Chriſti fideles Moniales connumerari debeant, & Papa eas non excludat, non eſt cur nos eas excludere debeamus, cum maximè priuilegium Principis ampliandum ſit; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus; & gratiæ potiùs ampliandæ ſint, quàm reſtingendæ; & maſculinum fœmininum includat, quod illi poteſt adaptari, præſertim ſi eſt fauorabile. Nec obſtat conſtitut. Gregor. XV. & declaratio Congreg. cit. Nam non loquuntur in hoc caſu Iubilæi, ſed ſolùm in caſibus ordinarijs. Immò ex dictis magis confirmo meam ſententiam. Nam cum minutatim diſponat ibi Congreg. circa confeſſarium Monialium, de hoc tamen caſu Iubilæi ordinario, & notiſſimo nihil dicit; vnde coniectandum eſt, quòd de Iubilæo noluit intelligi, quæ ibi diſponuntur. Ita Portel loc. cit. nu. 4. Bonacina de Sacrament. diſp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. nu. 22. in fine. Et ſaltem confeſſores ab Ordinario approbati non videntur excludi, vt dicunt Molſ. & Leo; alioquin Iubilæum, quò ad hoc punctum eligendi confeſſorem nihil Monialibus prodeſſet. Et poſt bullam Vrbani VIII. *Pontificia ſolicitudo*, quæ habetur tom. 4. bullar. in eius conſt. 16. §. 5. fol. 249. hic punctus non habet amplius difficultatem, cum Pontifex concedat expreſsè Monialibus, vt tempore Iubilæi poſſint ſibi aſſumere confeſſarium approbatum ab Ordinario loci.

5 Aduerte hic etiam, quòd ſæpe fuit à me quæſitum, quo iure nitantur illæ indulgentiæ cinguli noſtri Ordinis, quæ circumferuntur in diuerſis partibus Italiæ impreſſæ? Et nouiſſimè reſpondi, eo nili; Quia Iulius II. nobis conceſſit communicationem omnium priuilegiorum, gratiarum, &c. alijs Ordinibus Mendicantium conceſſarum, vt patet ex eius conſt. prima, tom. 1. noſtr. priu. §. 14. conceſſit etiam, quòd poſſemus dicta priuilegia tranſumptari facere, mutatis nominibus Pontificum, qui ea conceſſerunt, in nomen Iulij, & ocminibus illarum Religionum, quibus ſunt conceſſa, in nomen Religionis Minimorum, vt patet ex eadem conſtit. §. 35. conceſſit etiam idem Pontifex, vt noſtrum habitum, ſeu cingulum, in quo virtualiter includitur habitus, portantes, gaudere poſſent omnibus priuilegijs nobis conceſſis, vt patet ex eadem conſtit. §. 15. quo fundamento qui primi dictam tabellam impreſſere, collegerunt indulgentias conceſſas deferentibus chordam S. Franciſci de Aſſiſio, & centuram S. Monachæ, & ſcapularium S. Mariæ de Carmine, & mutatis mutandis, vt Iulius conceſſit, eas cingulum noſtrum deferentibus applicuere. Quòd autem illæ indulgentiæ appoſitæ in dicta noſtra tabella, fuerint conceſſæ deferentibus chordam, centuram, & ſcapularium prædicta, conſtat ex comp. Caſarub. verb. Iodulgentiæ quo ad ſeculares.

6 Sed contra hæc poteſt obijci, quòd indulgentiarum inter Mendicantes non eſt communicatio, per bullam Sixti IV. vt dixi to. 1. priu. in conſt. 2. Leonis X. nu. 2. & ipſemet Leo declarauit in eius conſt. 25. §. 2. Sed dici poteſt, quòd licèt verum ſit quod dixerim, indulgentias non communicari, loquendo de indulgentijs conceſſis aliquibus eccleſijs Regularium, ita vt eas lucrari non poſſint viſitantes aliorum Regularium eccleſias; Caſarub. tamen in comp. verb. Indulgentiæ quò ad ſeculares. 3. videtur dictam bullam Sixti IV. habere ſuſpectam; vnde, ea non obſtante, dicit, communicationem indulgentiarum inter Mendicantes eſſe licitam, & validam, per conſtit. Leonis X. quam citat. Leo X. in dicta conſt. 25. §. 2. ſolùm declarauit, quòd indulgentiæ communes inter Fratres non poſſunt communicari ſecularibus. Ex quo videtur confirmare, quod indulgentiæ conceſſæ ſecularibus intuitu alicuius Religioois, omnibus Religionibus communicantur, vt ipſe prius conceſſerat in conſt. de qua Caſar. & de qua mentionem facit in dicta ſua conſt. 25. Vnde, ſi non eſt vera declaratio Sixti IV. vt videtur innuere Caſarub. nullus remanet ſcrupulus, Sed puto, quòd de hoc ſit obtentum aliquod apoſtolicum diploma, quod deinde per incuriam fuerit amiſſum.

7 Noto 3. quòd in conſt. 10. Leonis X. num. 1. quærebam, an valeret ſtatutum illud aliquarum Eccleſiarum quarum Curati nolunt leuare corpora defunctorum, niſi tot vocentur Clerici ad aſſociandum corpus defuncti, quot Regulares; vel vt nullus vocet Regulares niſi vocet totum capitulum; vel, ſi vult vocare Regulares, vt dentur Parocho tot intorciæ, quot dantur omnibus Regularibus. Et reſpondi, illud ſtatutum non valere, & eſſe contra conſt. 7. Pij V. tom. 2. noſtr. priuil. §. 1. grauamine 20. & grauam. 38. & §. 26. dicebam etiam, illud ſtatutum habere radices in auaritia, ac ſapere monopolium: ſtatutum namque, quod ſolam priuatam reſpicit vtilitatem, & excludit publicam, monopoliſticum eſt. Vnde ſtatutum DD. quòd nullus admittatur in Collegium, niſi ſit ex nobili familia, monopolium eſt ſecundùm Menoch. lib. 2. de arbitr. caſ. 569. num. 19. Et ſimiliter ſtatutum artificum conuenientium inter ſe, quòd nullus doceat artem illam, niſi filios, vel nepotes, monopolium eſt, vt idem Menochius, nu. 17. Ita etiam monopolium eſt ſtatutum hoc; eſt n. contra publicam vtilitatem, non ſolùm quia priuat Mendicantes illo emolumento, ſed etiam quia cogit fideles ad dandas res ſuas, quibus non placet. Atq; ita Fagund. in 1. præcep. eccleſ. lib. 3. ca. 7. num. 10. Adde nunc, quòd eſt contra libertatem eccleſiaſticam; quia poſſe vocari ad ſepeliendos mortuos, & ad officia funeralia, eſt priuilegium totius ordinis eccleſiaſtici, quod priuilegium non poteſt Epiſcopus reſtringere: nec etiam illud poteſt reſtringere conſuetudo, ſi adſit, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, cum ſit in iniuriam eccleſiaſticorum & contra illorum libertatem. Præterea tali ſtatuto iniuſtè grauantur defunctorum hæredes, cum ad libitum de ſuo diſponere non poſſint, contra ius naturale, & commune, ſecundùm quæ vnicuique licet de re ſua diſponere ad ſuum beneplacitum; arg. leg. Dudum, Cod. de contrah. empt. Vnde meritò tale, & ſimilia ſtatuta vocantur à Soto lib. 9. de iuſt. q. 6. art. 2. verſ. Hic admonendum, ſcandaloſæ, ac ſacrilegæ extorſiones Clericorum aduerſus Monachorum iura, Chriſtianorumque libertatem. Atque ita docent Syln. verb. Immunitas 2. num. 7. & verb. Simonia, qu. 11. dicto 6. Genuen. in praxi, cap. 47. num. 6. Fagund.

Digitized by Google

loc. cit. num. 9. & 10. Barb. in addit. ad 2. p. de poteſt. Ep. alleg. 24. n. 3. Bariol. in Aphor. lit. F. verb. Funera, vbi cum Syl. verbo Simonia cit. concludit, quòd tale ſtatutum eſt ſimoniacum, quia negatiuum eſt, ne ſcilicet Regulares vocentur, niſi priùs vocetur totum capitulum; vel non vocentur Regulares, niſi vocentur tot Clerici; vel niſi Parocho detur tot intorticiæ, quot Regularibus vocatis, quod exactionem dicit: non enim vult Parochus leuare corpus, niſi vocentur, tot Clerici, quot Regulares; atque ita exigit tamquam pretium ſepulturæ ab inuitis illas plures intorcias, quod eſt ſine dubio ſimoniacum. Vnde Sacra Regul. Congreg. anno 1617. die 5. Maij, vt refert Barb. de officio Cur. cap. 26. num. 57. declarauit, ad defuncti hæredes pertinere conuocare Sacerdotes ſibi bene viſos ad aſſociandum ſepulturæ cadauer, & dari cuilibet ceram ſibi bene viſam, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obſtante. Abuſum hunc auferendum eſſe in partibus Indiarum, ac communiter in toto mundo, ſtatuit Vrbano VIII. in conſtitut. 21. §. 1. tom. 4. bullar. folio 258. confirmans ex certa ſcientia conſtitut. Pauli V.

8 Sed quid, ſi ad leuanda corpora defunctorum plus exigant Parochi ab his, qui volunt ſepeliri in eccleſiis Regularium, quàm ab illis, qui in Eccleſijs parochialibus vt alicubi fieri audio? ℞. Clem. VIII. per ſuam conſt. *Expoſitum nobis*, datam Romæ ſub annulo piſcat. die 28. Ian. anni 1604. vt refert Rodriq. in ſuo bull. in conſt. 2. dicti Pontif. quam confirmauit poſtea, inſerto tenore, Vrbanus VIII. tomo 4. bull. cit. id prohibuiſſe ſub pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ, abſolutionem ſibi reſeruando, Parochis Indiarum occidentalium; quæ prohibitio, cum ſit declaratiua iuris canonici, immò & naturalis, quo nullus poteſt exigere plus quàm illi debeatur de iuſtitia, ait Portel in addit. ad dub. reg. verb. Sepultura, nu. 2. quòd eſt extendenda ad omnes Parochos totius vniuerſi: præſertim cum in ea dicat Papa, talem ſe facere prohibitionem ad tollendum abuſum. Si ergo in Indijs talis exactio eſt abuſus, non apparet, quare extra Indias non debeat eſſe abuſus. Et aduerte, quòd talem excommunicationem incurrunt Parochi, etiamſi talem exactionem faciant fulti ſtatutis ſuorum Prælatorum; hæc enim ſtatuta erant in Indijs. Quòd ſi nihilominus Parochi auctoritate, & poteſtate id ſibi vſurpent, tenentur reſtituere damnum illatum, ſiue defunctorum hæredibus, ſiue Regularibus, ſicut etiam idem damnum tenentur reſtituere in caſu nu. præced. cum contra iuſtitiam id intulerint. Ex hoc, & ſimilibus ſtatutis in auaritia radicatis, putat Bonau. in q. ſupra regulam Fratrum, c. 27. prouenire odium, quo aliqui Clericorum Regulares proſequuntur. Nam, ait, hoc odium ex quinq; radicibus prouenite. *1. quòd timent nos, quòd ipſorum facta, & exceſſus, vel defectus plenius agnoſcamus, & ſeuerius arguamus, quo clarius videmus quales eſſe deberent, & non ſunt, per quos Eccleſia gubernatur. 2. quòd inuident nobis quòd ſumus hominibus gratiores, & ipſi comparati nobis appareant in vita, vel in ſcientia viliores, vel etiam indoctiores in doctrina. 3. quòd dolent, ſi per confeſſiones ſecreta eorum ab alijs, qui conſocij fuerint, percipimus, dum timent per illa magis vileſcere, vel forte perſonas illas noſtro conſilio ab eis auerti, & ad meliora conuerti. 4. quòd timent ſibi aliqua per nos emolumenta ſubtrahi, dum eleemoſynas, quæ dantur nobis, arbitrantur ſibi fore dandas, ſi nos non eſſemus, & hæc videtur potior eſſe cauſa pluribus, qui nos odiunt, ſcilicet plus inhiant lucris pecuniarum à ſuis ſubditis, quam fructui animarum, & ceter. Poteſt etiam quinta cauſa eſſe, quod diuina iuſtitia illos, qui quantò amplius cognouerunt, & ſpreuerunt, & quibus maiora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & grauius cæteris offenderunt, frequentius eum indignè contractant, & percipiunt, tanto magis indurat, & profundius cadere permittit; vnde non ſolum ipſi ſunt mali in ſe, ſed etiam alios ſecum malos eſſe deſiderant, & bonos odiunt, & quos imitari nolunt, optant non eſſe, & perſequuntur eos, quos ſibi diſſimiles eſſe dolent.*

9 Noto 4. quòd in conſtitution. 14. Leonis X. numero quinto dicebam, quòd Generalis tenebatur Prouincias viſitare per ſe, vel per ſubſtitutum. Sed quæres, an poſtquam Pater Generalis aliquam Prouinciam viſitauit, poſſit illo anno Prouincialis dictam Prouinciam viſitare? Quod enim viſitare non poſſit, dicunt Menoch. de præſ. libro 2. præſumpt. 18. à numer. 16. Rota apud Farinac. p. 2. deciſ. 32. à numer. 9. & deciſ. 33. à num. 2. Barb. de poteſt. Epiſcopi, p. 3. deciſ. vltim. nu. 32. quia vbi datur ſpecialis viſitator, ceſſat ordinarius; generi enim per ſpeciem derogatur. regul. 34. Generi, de reg. iur. in 6. Ego tamen puto, quòd adhuc viſitare poſſit. Nam Prouincialis eſt iudex ordinarius, cuius iuriſdictio impediri non poteſt ſine legitima cauſa à Superiore Superiorem recognoſcente, qualis eſt Generalis, & à ſupremo Prælato non cenſetur ſublata, niſi expreſsè tollatur, leg. 1. C. de off. Præf. Vrb. & Generalis non eſt ſpecialis viſitator pro aliquo caſu particulari, ſed vniuerſalis. Vnde licèt vetum ſit, quòd Prouincialis non poteſt viſitare ſuper caſibus definitis, & viſitatis à Generali; inferior enim de rebus Superioris cognoſcere non poteſt, cap. Inferior, d. 21. niſi poſt Generalis diſceſſum aliquid ſubſtantiale de nouo emerſerit; tunc enim caſum relictum indeciſum à Generali, ob defectum probationum, poteſt Prouincialis definire ordinaria auctoritate, neq; etiam poteſt Prouincialis viſitare, præſente Generali viſitante, vt colligitur ex cap. 2. de off. leg. poteſt tamen ſuam ordinariam viſitationem poſt diſceſſum Generalis facere, & ſuper alijs caſibus ſecutis à tempore viſitationis generalis inquirere. Pro quibus habentur textus in ca. Per hoc, de hæret. in 6. & in leg. 1. Cod. de offic. præf. Vrb. Et poteſt colligi ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat. ibi, *Sed non ideo Epiſcopus*.

10 Si quæras quid dicendum, ſi poſtquam Pater Generalis, vel etiam Prouincialis, inſtituerit aliquem Vicarium, vel Viſitatorem, moriatur, vel ab officio deponatur, poterit ne Viſitator procedere in ſua viſitatione. ℞. quòd re integra procedere non poterit. Ita DD. communiter in cap. Relatum. & c. Gratum, de poteſt. Iud. deleg. & in cap. Si ſuper gratia, eod. tit. in 6. Vide Cenedum, collect. 1. ad 6. num. 1. Sed magna difficultas eſt inter DD. quando res dicatur integra, de qua diffusè Sanchez 8. de matr. diſp. 28. à num. 8. Barb. ad dictum cap. Gratum. Alij enim dicunt, rem eſſe integram, id eſt, non incœptam ante litis conteſtationem. Eſt autem conteſtatio litis, vt Sylu. verb. Lis, qu. 2. negotij principalis hinc inde apud iudicem facta narratio & ſubſecuta reſponſio, ſiue negando, ſiue concedendo; quod fit poſt partis citationem. Alij verò, quibus adhæret Sanch. cit. nu. 10. aiunt, rem ſtatim deſinere eſſe integram poſt partis citationem; & volunt dicere, quòd delegatus nondum incœpto negotio viſitationis per partium auditionem, vel ſaltem poſt citationem decretam, licèt non intimatam, vt Sanch. num. 13. deſinit eſſe delegatus, ſi, qui ipſum delegauit, moriatur, vel ab officio deponatur. Si autem negotium non habet partem, vt in caſu noſtro de Viſitatore generali, putat Portel in addit. ad dubia regul. verb. Prælati poteſtas, num. 16. quòd res dicetur non integra, poſt publicationem literarum patentium in aliquo conuentu Prouinciæ ſibi delegatæ, quæ publicatio æquiualet citationi, ad effectum, vt res dicatur non integra, ſeu vt dicatur negotium viſitationis iam cœptum. Atque ita, ſi moriatur Generalis, vel Prouinciali, qui Viſitatorem delegauit, lectis, in vno conuentu literis ſuæ delegationis, etiam ante incœptam viſitationem, ſeu Fratrum examinationem, poterit in negotio viſitationis proſequi æquè bene, ac ſi, qui eum delegauit, adhuc viueret. Quòd ſi delegatus, dum pergit ad viſitandam Prouinciam ſibi commiſſam, habeat certitudinem de morte delegantis antequam literas commiſſionis publicauerit, non poterit ampliùs dictas literas publicare,

blicare, nec negotium viſitationis proſequi. Dixi, ſi habeat certitudinem: nam ſi ſolùm rumorem audiat, qui moralem certitudinem non faciat, poterit proſequi; non enim omni rumori, fortè ſparſo ad finem impediendi viſitationem, credendum eſt: & tunc intrat regula, quòd Melior eſt conditio poſſidentis.

11 Quæres etiam, an ſuppoſito quod dixi in dicta conſt. 14. Leonis X. num. 4. poſſe Generalem Minimorum inſtituere Vicarium generalem cum ordinaria poteſtate inſtitutus poſt mortem Generalis in officio perſeueret. ℞. certiſſimum eſſe, quòd ordinaria iuriſdictio morte concedentis, etiam re integra, non expirat, vt conſtat ex leg. Et quia, ff. de iuriſd. omn. iud. eſt tex. expreſſus in cap. 2. de offic. legat. in 6. & probat Sanchez 8. de matr. diſp. 28. à num. 4. qui tamen num. 6. ait, quòd hoc fallit in iuriſdictione Vicarij Epiſcopi, quæ licèt ſit ordinaria, vt ipſemet probat lib. 3. de matr. diſp. 29. num. 3. perit tamen morte concedentis. Cuius rei rationem reddit dicta diſp. 29. num. 13. Nam quando dicitur, quòd iuriſdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis, intelligitur de iuriſdictione ordinaria principali, quæ non adhæret alteri ordinariæ tamquam acceſſoria; quando autem iuriſdictio ordinaria cohæret alteri tamquam acceſſoria, tunc extincto pincipali, extinguitur acceſſorium; nam acceſſorium ſequitur naturam principalis; & huiuſmodi ait eſſe iuriſdictionem Vicarij, quæ non facit diſtinctum tribunal à tribunali Epiſcopi, ſed eſt vnum, & idem cum illo. In caſu ergo noſtro cum iuriſdictio ordinaria Vicarij cohæreat iuriſdictioni Generali tamquam acceſſoria, & adiuuans ipſum Generalem, eo mortuo, expirare cenſetur. Si autem Generalis inſtituiſſet Vicarium alicuius conuentus cum iuriſdictione ordinaria, quam ſolent habere alij huiuſmodi Vicarij, tunc puto, quòd, eo mortuo, dicta Vicarij iuriſdictio non expiraret; nam hæc iuriſdictio non adhæret Generali tamquam acceſſoria, ſed eſt ordinaria in ſuo genere principalis, & nulli alij Superiori innixa, & poſt deputationem iſte Vicarius non à Generali, ſed à Regula videtur iuriſdictionem recipere; quare, Generali mortuo, non moritur.

12 Noto 5. quòd in conſt. 16. Leonis X. in qua agitur de canonizatione S. P. N. Franciſci, aliqua dixi de SS. canonizatione. Sed nunc occaſione cuiuſdam Serui Dei, qui mortuus eſt anno 1629. miraculis clarus, de quo ferebatur, quòd cum viueret, ei dictum fuerat aliquando, quòd alter Religioſus multa miracula faciebat, ipſe verò reſponderat. Ego maiora patraui. Quæro, an iſta reſponſio pugnet cum humilitate, quæ ſeruos Dei decet. ℞. minimè pugnare. Nam in homine duo poſſunt conſiderari ſecundùm doctrinam D. Th. 2. 2. q. 161. art. 3. corp. explicatam à Io. de Capiſtran. in ſpecul. conſcien. p. 1. à num. 294. Primum id, quod eſt Dei, 2. id quod eſt hominis. Hominis autem eſt quicquid pertinet ad defectum; Dei verò quicquid pertinet ad ſalutem, & perfectionem, iuxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael ex te eſt, ex me tantum auxilium tuum*. Vnde quilibet homo ſecundùm id, quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubijcere per humilitatem quantùm ad ea, quæ Dei ſunt in quolibet proximo; nam humilitas reſpicit reuerentiam, qua homo Deo ſubijcitur. At non requirit humilitas, vt aliquis id, quod eſt Dei in ſe ipſo, ſubijciat ei, qnod apparet eſſe Dei in altero; nam illi, qui dona Dei participant, cognoſcunt ſe illa habere, & ideo abſque præiudicio humilitatis poſſunt ſerui Dei dona, quæ ipſi acceperunt, præferre donis, quæ alijs apparent collata. Quare bene potuit ille Dei Seruus cum magna humilitate dicere, Ego maiora patraui, cognoſcens maius donum Dei in ſe, quàm in alio, iuxta illud 1. Cor. 2. *Nos autem non ſpiritum huiuſmodi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis*. Addit etiam D. Th. quod humilitas non requirit, vt aliquis id, quod eſt hominis in ſe ipſo, ſubijciat ei, quod eſt hominis in proximo; nam alioquin oporteret, quòd quolibet reputaret ſe magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apoſtolus ad Galat. 2. dicat. *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*. & ſup. *Aſcendi autem ſecundum reuelationem*. Quare abſque præiudicio humilitatis poſſunt etiam ſerui Dei dicere, Ego meliùs natus, educatus ſum, meliùs ſtudui, quàm ille. Addit denique D. Thom. illo art. quod poteſt aliquis reputare, aliquid boni eſſe in proximo, quòd ipſe non habet, vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, ex quo poteſt ſe ei ſubijcere per humilitatem. Vnde aliquando ſerui Dei abſque mendacio dicunt, Ego ſum peior peccator omnibus hominibus; conſiderant enim tunc in ſe quod hominis eſt, & aliquam imperfectionem, & in hominibus, quod Dei eſt, & aliquam perfectionem. Vel conſiderant abundantiam gratiæ, quam ſibi gratioſè contulit Deus, & ea videntur ſibi abuti, & conſiderant, quòd ſi dicta gratia alijs hominibus eſſet collata hi ea meliùs, & fructuoſius vterentur, quàm ipſi: vnde ſe peiores omnibus agnoſcunt.

13 Noto 6. quòd conſt. 23. Leonis X. à num. 1. notaui aliqua circa Fratrum appellationes, & quamplurima dixi to. 1. Rel. q. 1. c. 20. vbi ſpecialiter probaui, poſſe Fratres appellare à ſuorum Prælatorum iniuſtis ſententijs. Quod modò confirmo dicto D. Bern. lib. 13. de conſid. c. 2. vbi habet. *Fateor, grande, & generale mundo bonum eſſe appellationem, idque tam neceſſarium, quam ſolem ipſum mortalibus: re vera quidam ſol iuſtitiæ eſt prudens, ac redarguens opera tenebrarum*. Sed dixi, quòd iſtæ appellationes debebant gradatim fieri à Correctore ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, &c.

14 Sed quæres, an appellari poſſit, omiſſis medijs, ad Apoſtolicam Sedem? ℞. affirmatiuè; c. Quoties Epiſcopi, cap. Ad Romanam, el 1. & 2. 2. q. 6. c. Si duobus, c. Dilecti filij, el 3. de appell. Nau. lib. 2. conſil. de appell. conſil. 2. n. 1. & conſil. 4. n. 3. Pegna in direct. Inquiſ. p. 3. comm. 31. verſ. Quòd ſi. Sebaſtianus Vantius de nullit. §. De nullitate defectu iuriſd. n. 77. tom. 4. tract. pag. 388. Barb. cap. Dilecti filij cit. num. 3. Couarru. pract. quæſt. cap. 4. n. 9. Bobadill. tom. 2. polit. lib. 3. c. 8. n. 219. Nec refert, quòd iudex à quo non deferat; nam hoc caſu deferunt iura: leg. Quoniam iudices, Cod. de appell. leg. Ei cuius, ff. de appell. recip. & iudex, qui non detulit, puniri debet: cap. De priori, de appell. Ita dictus Vantius loc. cit. In Religione noſtra hoc fuit determinatum in c. Romano 6. n. 14. dub. 7.

15 Neque his obſtat decretum ſacræ Congr. anno 1587. quod ſic habet. *Quoniam nonnulli Regulares vagandi ſtudio, ſiue dum imminentem admiſſorum criminum pœnam, ex ſuis conſtitutionibus, aut alias debitam ſibi metuunt, falſa, & commentitia grauamina cauſari, non ad immediatè ſui Ordinis Superiores, ſcilicet à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiuſque Religionis conſtitutionibus diſponitur, ſed ad hanc Romanam Curiam abſque licentia ſæpius fugiunt potius, quam recurrant, ex quo Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipſi in dies audaciores euadunt. Placuit ſacræ Regularium Congreg. ex ordine Sanctiſſimi ſtatuere, vt ſi quis Regularium in poſterum temere, leuiue ex cauſa hanc almam Vrbem, ſeu Curiam, abſque ſui Superioris licentia, & ſupradicta forma prætermiſſa, adire præſumpſerit, ad ſuos eoſdem Superiores ſeueriori pœna plectendus remittatur*. Non obſtat, inquam, hoc decretum; quia iuri communi non derogat, quod eſſet omnino neceſſe, ad dicta per Felin. in cap. Nonnulli, de reſcrip. nu. 9. vbi etiam Panormit. num. 10. Nec eſt veriſimile, quòd Papa voluerit S. Romanam Eccleſiam tali priuilegio priuare. Nec multo minùs obſtant ſtatuta, ſi quæ ſint, Religionum: nam iuri communi contraria eſſe non poſſunt: c. Quod ſuper his, de maior. & obed. cap. Inſtitutionis, 25. q. 2. Immò id etiam colligitur ex dicto decreto, ibi, *potius fugiunt, quam recurrant*, per quæ verba clarè ſignificatur, quòd ſi verè grauatus recurrat ad ſanctam Sedem immediatè, admittitur de

ſtylo illius Curiæ: ſecus autem, ſi non grauatus pœnas metuens ad eam fugiat, ſic euadere ſperans. Atque ita poſt dictum decretum id ſentiunt Portel in dub. reg. verb. Appellare, nu. 3. Diana tom. 3. tract. 2. reſol. 54. & in Ordine noſtro recurſus immediatus ad ſanctam Sedem à nemine impediri poteſt, cum duabus tamen limitationibus. I. Quòd qui recurrit, & non probat, maiori pœna puniatur. II. Quòd iſte recurſus non ſit de re leui, & minima: nam in hoc caſu poteſt impediri. Ita ſtatutum eſt in c. Rom. 6. n. 14. dub. 7.

16 Aduerte autem, quod illa clauſula poſita in dicto decreto, *temerè, leuiuè ex cauſa*, intelligitur, quando ſubditus abſque vlla cauſa, vel leui, fugam arripit Romam versùs appellationis prætextu, v. g. quia extra iudicialiter in leui pœnitentia panis, & aquæ, vel diſciplinæ, &c. pœnitentiatus fuit, ſeu quando, non expectata ſententia Romam petit, timens de grauamine, niſi fortè grauamen, quòd timetur, eſſet ex illis, quæ per appellationem vitari non poſſunt, vt ſi incarcerari timeat; quia ſic procedere ſoleat Prælatus. Atque ita Bernar. lib. 3. de conſid. cap. 2. *Appellandum à ſententia; ante ſententiam improbè omnino, niſi ob manifeſtum grauamen, præſumitur appellatio. Non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium*. Item leuis dicitur cauſa, quando appellatur à pœna præcisè ſecundùm Regulam inflicta; & manifeſtè conſtat de delicto, vt dixi tom. 1. Religioſi, q. 1. cap. 20. concl. 2.

17 Aduerte etiam, quòd verè grauatus recurrens ad ſanctam Sedem poteſt liberè ingredi Romam abſque alia facultate Superioris, & non obſtante prohibitione de non ingrediendo Romam abſque Superioris facultate; nam tunc ingreditur vigore huius decreti facti auctoritate Papæ, qui eſt ſupremus Religionum Superior. Et nulla adeſt præſumptio, quæ tamen eſt neceſſaria ad incurrendas pœnas poſitas in tali prohibitione, vt conſtat ex decreto, quod refero tom. 2. priuil. regul. in conſt. 10. Vrban. VIII. §. 39. & 40. Quòd nulla hic adſit præſumptio; conſtat: quia adeſt cauſa legitima, quæ temeritatem, quam dicit præſumptio, excuſat, vt dicit Lezana in quæſt. reg. c. 10. n. 33.

18 Aduerte etiam, quòd non faceret contra hoc decretum, qui appellaret à Prouinciali v. g. ad Protectorem, omiſſo Generali, eo quia habet illum ſuſpectum. Nam tunc Generalis non eſt legitimus Superior, & ideo ad illum non eſt recurrendum: debet tamen cauſa ſuſpicionis eſſe certa, & euidens; nam alioqui non excuſaretur.

19 Quæres etiam, an appellatio à priuatione dignitatum ſuſpendat executionem? ℞. affirmatiuè. Gloſſ. in cap. Sæpe, verb. Rata manet, in fine, de appell. vbi Panor. n. 15. & Gloſſ. in Sum. cap. Quod autem 8. q. 4. Iaſon in l. 1. n. 10. ff. de re iudic. Bart. in leg. Furti, ff. de his, qui notantur infamia. Bouadill. tom. 2. polit. lib. 5. c. 1. nu. 291. Nau. lib. 2. conſil. de appell. conſil. 2. nu. 3. Barb. in cap. Venientes, de iur. iur. nu. 7. Io: Anton. à S. Georgio in cap. Ad hæc, de appell. nu. 2. Scaccia de appell. q. 3. num. 72. vbi ait, quod Prælatus depoſitus, pendente appellatione, poteſt liberè ſuum exercere officium, excommunicare, & alia iuriſdictionalia exercere, vt ante ſententiam poterat; & Doctores adducit. Qui DD. licèt de Regularibus non loquantur; cum tamen ſimpliciter dicant, appellationem executionem ſuſpendere, debent etiam de Regularibus intelligi; cum nullum ius appareat, per quod hi excludi debeant ab illo communi iuſtæ appellationis effectu, & beneficio. Hoc tamen in Religione noſtra non ſeruatur, & doleo.

20 Neque his obſtat Trid. quando ſeſſ. 13. cap. 1. de reform. ait, quòd in cauſis correctionis, & viſitationis ante definitiuam appellari non poſſit. Non obſtat, inquam, per ea, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 20. vbi ex profeſſo hunc locum declaraui. Neque etiam obſtat idem Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de reform. & ſeſſ. 24. cap. 10. eod. tit. quatenus determinat, quòd quando agitur de morum correctione, appellatio executionem non ſuſpendit, & cauſæ omnes Regularium ad morum correctionem ſpectent; Nam pœnæ, quæ à Regularibus imponuntur, ſecundùm Triuiſanum de modo proced. crim. inter Reg. cap. 19. ſunt in duplici differentia. Vel enim imponuntur pro moribus corrigendis extraiudicialiter, nullo formato proceſſu; vel imponuntur in iudicio, formato proceſſu; A primis non datur appellatio, quia leues pœnitentiæ ſupponuntur; ab alijs autem ſic. Atque ita declaratum extitit à S. Congr. Concil. die 6. Octob. anno 1588. & talis eſt ſtylus Romanæ Curiæ, vt mihi bene conſtat. Immò, etiamſi Prælatus proceſſum non formet, ſi in corrigendo hoc pacto excedat, poteſt etiam in hoc caſu ſubditus appellare. Et ita fertur fuiſſe etiam declaratum à Sacra Congreg. mens enim Concilij non eſt quemquam grauare, ſed ſolùm eccleſiaſticam diſciplinam fouere, quæ ſuadet, ne pro quacumque re leui ad Superiorem appelletur. Itaque quando dicit Concilium, quòd appellatio executionem non impedit; intellige, quando appellatio eſt friuola, ideſt, ſine ratione legitima interpoſita, vel quando eſt de re leui, vel quando in caſu claro, & probato, ad fugiendas pœnas interponitur, vel quando quis punitur præcisè ſecundùm Regulam, quam profeſſus eſt, non autem quando eſt legitimè interpoſita, & agitur de re graui, v. g. priuatione officij, &c.

21 Noto 7. quòd in conſt. 26. Leonis X. nu. 4. tractaui, an Parochi noſtri Ordinis ſint omnino ſubiecti Correctoribus. Nunc quæro, an poſſit Prælatus regularis deſignare aliquem in Parochum, qui abſque approbatione Epiſcopi confeſſiones audiat ſuorum parochianorum? Henriquez lib. 6. c. 6. num. 2. in Com. lit. E. refert Mantium, Gallum, Bannem, Medinam, & alios Dominicanos ſenſiſſe, poſſe Prælatum regularem id facere. Sed eſſe falſum, conſtat ex Trid. ſeſſ. 23. ca. 15. vbi dicitur, *Nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo approbetur*. Licèt enim poſſit Prælatus regularis Parochum deſignare, non poteſt tamen illum approbare ad confeſſiones audiendas. Vnde quando Concilium requirit ad audiendas confeſſiones parochiale beneficium, intelligi debet, quod tale beneficium ſit habitum ab eo, qui poteſtatem habet admittendi ad confeſſiones audiendas. Atque ita Fagundez in 2. præc. eccleſ. lib. 7. c. 2. n. 40.

22 Verum quidem eſt, quòd Regularis approbatus ab Epiſcopo poſt approbationem ſui Prælati ad animarum curam monaſterio annexam, ſi deinde à dicta cura per dictum Prælatum amoueatur, poterit nihilominus confeſſiones ſecularium audire, cum iam ſit ab Epiſcopo admiſſus. Nec indigebit Epiſcopi approbatione, ſi poſt aliquod tempus à Prælato ſuo ad eamdem curam admittatur; ſemel enim examinatus, & approbatus ad curam animarum, non poteſt iterum ad eam examinari. Riccius 3. p. praxis, reſol. 192. n. 2. habetur in cap. Accepimus, iuncta Gloſſ. verb. Reputare, de ætate, & qualit. Quòd verò Parochus præſentatus ad eccleſiam parochialem regularem à ſuo Prælato, poſſit ab eodem abſque Epiſcopi conſenſu à dicta cura remoueri, eſt ſine controuerſia; nam per hoc non liberatur ab obedientia Prælati. Ita Nau. com. 2. de reg. nu. 65. verſ. Addo 8. Chokier de exemp. p. 4. q. 73. nu. 2. Vide Barboſ. in cap. 15. Trid. ſeſſ. 23. de refor. nu. 21. & 22.

23 An autem dictus Parochus poſſit ſuas vices commendare alteri ſacerdoti ex ſuis confratribus quò ad ſacramentorum miniſtrationem? ℞. licèt id poſſent Parochi ex longa, & approbata conſuetudine ante Concilium Trid. poſt illud tamen non poſſunt quò ad Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem; requirit enim Concilium generaliter in miniſtrante tale ſacramentum omnino approbationem Epiſcopi. In adminiſtrationem autem aliorum ſacramentorum poterit dictus Parochus vices ſuas alij confratri ſuo ſacerdoti commendare. Ita Fagund. in 2. præcept. eccl. lib. 7. c. 2. n. 43.

24 Noto 8. quòd in conſtit 26. Leonis X. num. 2. dicebam, quòd ſummi Pontifices conceſſerunt quamplurima

plurima

Digitized by Google

plurima Regularibus priuilegia, in præmium laborum, quos paſſi ſunt, & patiuntur quotidie pro S. R. E. defenſione, & incremento: nam iſtorum præcipuè ſanguine madefacta pretioſa facta eſt in oculis omnium; & iſti ſunt, qui portant pondus diei, & æſtus pro illius defenſione, & augmento, vt Pontifices ipſi teſtantur. Ad quod probandum illuſtria ſolùm duo exempla ex mea Religione affero. I. eſt P.F. Bernardi Buil Ordinis noſtri, poſtea Epiſcopi Geruntini. Is ex Religione Benedictinorum ad Religionem noſtram tranſuolauit, viuente B. P. N. Franciſco; & primus in Indias cum Chriſtophoto Columbo ad fidem diſſeminandam profectus eſt de mandato ſummi Pontificis Alexandri VI. quem Poſſeuinus tom. 1. appar. ſacri, lit. D. verb. Domnus Buil, vocat primum noui orbis Apoſtolum, Indiarum Patriarcham, & Vicarium ſummi Pontificis apud illas regiones; quæ multis probat Morales noſter in fundatione Prouinciæ Andalutiæ, textu 14. §. 7. & 8. Quare prima Indiarum euangelicæ pietatis culturam debet Eccleſiæ noſtræ Minimitanæ familiæ. Secundum eſt P. F. Franciſci à Longobardis Ord. noſtri nunc meritiſs. Generalis, digni, cui tota christiani orbis cura demandetur; habet enim in ſummo gradu eas omnes boni Paſtoris partes, quas SS. Patres, ſacri Canones Doctores omnes in Paſtore deſiderant, vitæ eſt ſanctitate inſignis, doctrina admirabilis, charitate conſpicuus, iuſtitia clarus, clementia ſpectabilis, atque decorus: omnibus maximè compatiens, ſibi ſoli ſeuerus; corrigit blandè, punit ſuauiter, & ita (mirabile creditu) vt punitus communiter non iraſcatur, correctus non ſuccenſeat, ſed cum gratiarum actione pœnitentiam, correctionemque admittat, & adimpleat. Is erexit Religionis noſtræ muros pene euerſos, & ſtare fecit portas, & ſeras, vt dicitur Eccl. 49. De quo illud ſyncere prædicari poteſt, quod de Simone Oniæ filio Sacerdote magno, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis illucet. hic cum Romam pergeret à pyratis infidelibus captus eſt, Tunetumque deductus. Ibi cum res Eccleſiæ quò ad captiuos fideles haud paruo verſari diſcrimine, fidemque catholicam conſpiceret, ouium Chriſti miſerrimam illam conditionem, ac ſtatum cœpit deplorare, atque ingemiſcere, Deumque inceſſanter exorare pro ouibus illis, verbo, ac exemplo enitens, vt ad meliorem frugem reducerentur. Hinc die, noctuque non deſtitit in balneis prædicare, ad confeſſiones, aliaque ſacramenta frequentanda hortari, & pro populo Dei tandem hoſtiam ſe quotidie offerens acceptabilem, ſpiritualibus iſtis exercitationibus carnis afflictamenta ſuperaddens, lucrum putabat captiuitatem ſuam. Hæc Romam delata S.D. Vrbanum VIII. compulere vt eum Miſſionarium deligeret cum poteſtate, de qua hic.

Facultates conceſſæ à S. D. N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. Fratri Franciſco Longobardo Ordinis Minimorum Miſſionario Tunetum.

25 AVdiendi confeſſiones quorumcumque fidelium vtriuſque ſexus de licentia Epiſcoporum, vbi ſunt Epiſcopi, vel Vicarijs.

Exercendi actus parochiales, vbi non ſunt Parochi, vel Epiſcopi: & vbi ſunt, cum eorum licentia, omiſſis cæremonijs in adminiſtrandis ſacramentis, vbi neceſſitas exegerit, non tamen neceſſarijs.

Abſoluendi, vbi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarij; & vbi ſunt, de eorum licentia, omnes vtriuſque ſexus ex partibus, in quibus hæreſes impunè graſſantur, ab hæreſi, apoſtaſia à fide, & ſchiſmate, & alios pœnitentes ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in bulla Cœnæ Domini clarè, vel dubiè contentis, & à ſimonia, dummodò pœnitentes parati ſint dimittere beneficia, & reſtituere fructus malè perceptos arbitrio Sanctiſſimi.

Legendi libros hæreticorum, & alios quoſcumque prohibitos, ad effectum confutandi.

Celebrandi miſſas in altari portatili in locis decētibus, & præſentibus hæreticis, & excommunicatis, etiam ſuper altari fracto, vel læſo.

Commutandi vota ſimplicia, etiam furata, dummodò non ſint caſtitatis, & Religionis ſolemnia.

Diſpenſandi ſuper irregularitate occaſione delicti occulti cum pauperibus ſacerdotibus, præterquam ex homicidio voluntario, & ſimonia reali, in Ciuitatibus, & diœceſibus, quæ non habent Epiſcopos reſidentes, aut Vicarios Apoſtolicos, vel cum eorum licentia, ſi adſunt.

Conſecrandi calices, patenas & altaria portatilia, oleo tamen ab Epiſcopo benedicto, & paramenta ad miſſæ ſacrificium neceſſaria, nec teneantur inquirere, an altaria contineant reliquias, necne, ſcilicet vbi non eſt copia Epiſcopi.

Celebrandi miſſam quocumque loco decenti, etiam ſub dio, ſubtus terram, tribus horis ante lucem, hyeme vna hora poſt meridiem; bis in die, vbi neceſſitas poſtulauerit, & ſit ieiunus, etiam coram hæreticis, aliiſque perſonis excommunicatis, dummodò miniſter non ſit hæreticus.

Hoſtiam conſecratam ſeruandi loco decenti, & ſine lumine, ac alijs cæremonijs, quibus vti ſolet Eccleſia.

Incedendi in habitu ſeculari.

Concedendi indulgentiam plenariam prima vice pœnitentibus, quorum confeſſiones audiet, & communione refectis.

Celebrandi bis in anno orationē quadraginta horarum in prædictis locis ex conſenſu Ordinariorum, vbi erunt, & concedendi plenariam indulgentiam ſingulis in ſingulis locis, qui confeſſi, & ſacra communione refecti preces fundent pro exaltatione ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, infidelium conuerſione, qui verò intra eiuſdem orationis tempus bis, vel ter ſanctam Euchariſtiam ſuſceperint, valeant per modum ſuffragij, animam, iuxta intentionem ſuam, à Purgatorij pœnis liberare.

Concedendi in ſingulis Dominicis, & feſtis decem annorum indulgentiam pœnitentibus intereſſentibus eorum concionibus, & pœnitentibus ſacra communione refectis in feſtis primæ claſſis plenariam indulgentiam.

Concedendi pœnitentibus contritis in articulo mortis plenariam indulgentiam, ſaltem contritis, ſi communicare non potuerint.

Lucrandi eaſdem indulgentias, quas ſecularibus impertiuntur.

Liberandi animam à pœnis Purgatorij celebrando Miſſam qualibet feria ſecunda ad hunc effectum pro defunctis, & quando in illos dies feſta duplicia incidunt, altera die ſequenti non impedita.

Concedendi in totum, vel ex parte has facultates quatuor Sacerdotibus idoneis ſecularibus, ſiue regularibus.

Item concedendi catholicis captiuis dictorum locorum iubilæum nuper à Sanctitate ſua publicatum.

Feria 5. Die 31. Auguſti 1628.

S. D. N. Papa prædictus conceſſit ſupradictas facultates in Congregatione S. Officij habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis ſupradicto Fratri Franciſco Longobardo Ord. Minimorum Miſſionario Tunetum ad decennium proximè futurum.

Io: Garſia Car. Milinus. Io: Antonius Thomaſius S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Vt autem tutiùs ea pietatis officia perageret præfatus Pater, dubia ſequentia Romam tranſmiſit ſacræ Congregationi pro opportuno ſupplicans explanatione.

Decreta, & deciſiones Congreg. RR. DD. Theologorum ſuper caſibus ad forum conſcientiæ pertinentibus, propoſitis à Reu. P. Franciſco Longobardo Ord. Minimorum Miſſionario in Aphrica Tuneti, & ad eoſdem Patres Theologos tranſmiſſis a Sacr. Congregat. Illuſtriſſimorum Cardinalium de P. F. vt conſtat ex eius decreto. ſub die 7. Aprilis, 1629.

26 I. Caſus Vtrum apoſtatæ à fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi ſint ad retractandum explicitè, & publicè coram infidelibus cum periculo vitæ, ſicut negarunt fidem, an ſufficiat coram fidelibus publicè, & explicitè abiurare apoſtaſiam in proprijs balneis (quæ ſunt captiuorum carceres) & implicitè apud infideles, abſtinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? Decretum. Congreg. cenſuit, apoſtatas à fide redeuntes ad pœnitentiam, omnino debere abiurare apoſtaſiam coram fidelibus captiuis, quibus dederunt ſcandalum in proprijs carceribus publicè, & explicitè, at coràm infidelibus non videtur hoc neceſſarium, ſed ſufficit, vt coram ipſis abſtineant ab actibus infidelitatis, deponantque habitum proteſtatiuum falſæ religionis, & curent, vt ſucceſſu temporis cognoſcant etiam infideles, vel ab ipſis, vel ab alijs, eorum abiurationem, licèt id cum periculo vitæ.

27 II. Caſus. Et circa habitum, ſi non ſit proteſtatiuus Religionis, cuiuſmodi eſt veſtis linea, & talaris, qua ſoli Sacerdotes infideles vtuntur, ſed tantùm diſcretiuus nationis, quale eſt operimentum capitis quod vulgo *Turbante* appellatur. Quæritur, vtrum poſſint eum retinere ad vitandum vitæ periculum, donec nanciſcantur idoneam occaſionem transfugiendi ad terras Chriſtianorum, ibi apoſtaſiam abiuraturi? Decretum. Congr. cenſuit, reuerſos ad fidem tuta conſcientia omnem habitum indiſtinctè deferre poſſe nationis diſcretiuum, dummodo non ſit proteſtatiuus falſæ Religionis, donec nanciſcantur occaſionem transſugiendi ad fideles, nec perinde arcendos à ſuſceptione Sacramentorum, ſi propoſitum habent profitendi fidem, quando iuridicè de illa interrogantur.

28 III. Caſus. Quomodò ſe gerere debeat confeſſarius erga apoſtatas in articulo mortis conſtitutos, cum ab illis ſecretò accerſitur, vt ſecretò abſoluat? Ratio difficultatis eſt, quia in illo articulo ſolent ab infideli familia, vel Sacerdotibus induci ad actus falſæ Religionis, nec poſſunt abnuere ſine mortis periculo. Decretum. Confeſſarius ſecretò accerſitus, ſecretò abſoluat pœnitentes apoſtatas in articulo mortis conſtitutos, & præter apoſtaſiam coram ſe abiuratam ſecretò, & conſtantem animi præparationem eam abiurandi publicè, & explicitè, nihil ampliùs exigat, ſi ſuperſtites fuerint; ſi verò deceſſerint, curent cognoſci tam à fidelibus, quàm ab infidelibus abiurationem. Actus autem falſæ religionis nec elicere poſſunt, nec oſtendere & licèt non poſſint malos ſuaſores expellere, ſufficit interiùs eorum ſuaſionibus non conſentire.

29 IV. Caſus. Suppono, licere Chriſti fidelibus captiuis, non autem liberis, qui hic ſub fide regia negotiantur, auferre bona tum dominorum, tum aliorum infidelium furto, & conſequenter vſuris, vel quouis alio modo ex tacita, & interpretatiua facultate Principum chriſtianorum. Quæritur ergo 1. vtrum ratio ſumatur à pœna infidelitatis, an potiùs à iure compenſationis? quia nimirum tyrannicè poſſident hoc regnum, quod de iure ad chriſtianos Principes pertinet, 2. vtrum eadem ſit ratio de Iudæis incolis loci? & conceſſa parte affirmante, vtrum ſaltem quò ad aduenas, qui habentes domicilium ſub regimine Principum fidelium, huc negotiandi gratia veniunt, negans pars ſit probabilior. Decretum. Congr. cenſuit, Chriſtianis liberis, qui ſub fide regia in Aphrica negotiantur, nullius inuiti licere bona ſurripere; licere verò captiuis nō modò Principis Sarraceni, ex tacita voluntate Principum fidelium, ſed adhuc dominorum particularium, ſub quorum violenta ſeruitute detinentur, iure compenſationis pro iniuria captiuæ libertatis, pro debita laboribus mercede, pro lucro ceſſante, & damno emergente in ſuis negotiationibus, & bonis ob abſentiam à patria. Quòd ſi fideles captiui à ſtipendijs militaribus chriſtianorum Principum per Sarracenos in ſeruitutem iniuſtam redacti ſunt, Sacr. Congr. cenſuit, eos quorumcumque infidelium indiſtinctè tuta conſcientia poſſe bona auferre ſub quacumque via, atq; induſtria, ex interpretatiua eorumdem fidelium Principum voluntate. Ab hoc tamen grauamine, atque licentia S. Congr. declarauit immunes Iudæos omnes ibi incolas, ſiue indigenas, ſiuè liberos, ſeu captiuos.

30 V. Caſus. Vtrum Chriſtiani liberi, qui hic negotiandi gratia commorantur, & alij captiui ementes à piratis infidelibus bona à fidelibus rapta, & in hac vrbe venum expoſita, vel dono ea recipientes, vt hic ad proprios vſus vtantur, vel ad terras Chriſtianorum lucri gratia tranſmittant, peccent mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem? Decretum. PP. deputati exiſtimarunt, bona Chriſtianorum à piratis rapta poſſe fideles abſque noxa mortali, & onere reſtitutionis, emptione, donatione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo ſibi accipere, ac in proprios vſus conuertere, non obſtante quòd ſint in bello iniuſto capta.

31 VI. Caſus. Vtrum antedicti, præſertim mercatores liberi, non ſolùm peccent ratione rei malè acceptæ, ſed iniuſtæ actionis, tamquam rapientium receptatores, & conſequenter teneantur in ſolidum ad reſtitutionem non ſolùm mercium emptarum, ſed omnium præterea damnorum Chriſtianis illatorum? Ratio dubij eſt, quia, vt quidam aſſerunt, piratæ inter deprędandum aliqua rapiunt ſpe vendendi dictis captiuis, vel liberis Chriſtianis, quæ hac ſpe ſublata non raperent, vt infidelibus non neceſſaria, neque vtilia; hoc autem non ſemper accidit in rebus magni pretij: & ipſi mercatores liberi principaliter hic morantur, vt emant merces loci; & præterea eorum incolatus multum videtur conferre ad miſerorum captiuorum redemptiones ſecretiùs, faciliùs ac viliùs faciendas, præter quotidianas eleemoſynas, quibus non ſolùm ſubleuant neceſſitates captiuorum, ſed etiam ſuppeditant ex magna parte oratorijs, & miniſtris diuini cultus. Decretum. A PP. deputatis concordi voto deciſum eſt, fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad reſtitutionem bonorum raptorum per piratas Chriſtianis, neq; incurrere noxam peccati mortalis, etiam ſi piratæ bona illa ſurripiant ſpe lucri ex futura venditione iiſdem fidelibus facienda, aliàs non furaturi: licèt peccare poſſint ex complacentia ſuper furto rerum per piratas Chriſtianis ſublatarum.

32 VII. Caſus. Vtrum fabri lignarij captiui, qui non ſolùm impendunt ſuam operam triremibus, & alijs nauigijs DD. quibus impugnant, & deprædantur Chriſtianos, & interdum etiam mercaturam exercent, ſed præterea lucri gratia ſine metu locant etiam alijs infidelibus ad eadem nauigia fabricanda, peccent, & teneantur ad reſtitutionem aliquam? Et quid præterea dicendum ſit de diſcipulis, quos erudiunt eadem arte, partim ſponte ſua, vt habeant ſui laboris coadiutores, & ſubleuatores? Decretum. Fideles captiui, qui ſine iuſſu DD. ſine propria voluntate, ac lucri gratia operas ſuas nauant, ac locant etiam alijs infidelibus à proprijs dominis in fabricandis nauigiis onerariis, aut militaribus, vel erudiendis diſcipulis eadem arte, vt ſui laboris coadiutores, & ſubleuatores habeant, ab omni culpa, dummodò ab eis nullum intendantur Chriſtianorum damnum, vacant.

33 VIII. Caſus. Vtrum Sacerdotes hic captiui, tam alicubi ab aliquo Ordinario, quàm nullibi, & à nullo aliàs approbati, validè abſoluant ſacramentaliter, & miniſtrent alia ſacramenta omnibus Chriſti fidelibus, vndecumq; illuc captiui abducantur, ex tacita, & interpretatiua facultate Ordinariorum, vel ſaltem ſummi

Ponti-

Digitized by Google

Pontificis? Dubitationis ratio eſt, quia poſt translatum dominium vrbis ad infideles ſic ſeruatum eſt, & nemo meminit vnquam, vel aliter ſeruatum, vel in dubium reuocatum eſſe. Decretum. PP. deputati vnanimes dixerunt, Sacramentorum adminiſtrationem Tuneti olim exercitam à Sacerdotibus, de quibus in caſu, eſſe ſuſtinendam, ſed in poſterum eſſe prouidendum per ſummum Pontificem.

34 IX. Caſus. Suppoſita tanquam probabiliori recentiorum DD. ſententia, quòd nimirum Chriſtiani captiui in triremibus fidelium metu mortis, aut verberum remigantes, nec excommunicationis, vel lethalis culpæ alicuius rei cenſeantur, Quæritur, quid dicendum de illis, qui non ſiſtentes inter limites remigij neceſſarij, aut ſufficientis, ad euitanda verbera, & mortem, ſtudent preterea excellere in illa arte, ac ad gradus quoſdam, qui de Vogauuanti, & Spalliere appellantur, aſpirant, & ſic DD. gratiam conciliantes, & emolumenta quædam comparantes, vt commodiùs in captiuitate, & honoratiùs vitam tranſigant? Quid præterea dicendum de illis, qui ad dicta officia iam promoti, cum fidelium nauigia inſequuntur, vel fugiunt, concaptiuos remigantes ad validiorem remigationem laudando, reprehendendo, contumelijs afficiendo, vel alios excitando impellunt, tum vt officio ſuo ſatisfaciant; tum vt longioris curſus laborem ſubterfugiant? Quid item de illis dicendum, qui eadem de cauſa infidelibus ipſis triremium præpoſitis conſilium aliquod præbent, quo fugientia nauigia comprehendant, vel tormentorum bellicorum ictus à Chriſtianis immiſſos declinantes, commune cum ipſis infidelibus vulnerum, vel demerſionis periculum vitent? Decretum. PP. deputati reſponderunt, actiones omnes indifferentes, de quibus in caſu conſultatio quæritur, eſſe licitas, ſed laudare, exhortari, conſilium præbere, vt nauigia comprehendant Chriſtianorum, & ſimiles alias actiones, peccata eſſe lethalia.

35 X. Caſus. Quid dicendum ſit de matrimonijs hic celebratis quò ad validitatem; Ratio dubij inde ſumitur, quia deſunt Parochi legitimi, & ex prætenſa Ordinarij facultate celebrantur, ſeu interpretatiua, coram quouis Sacerdote captiuo. Decretum. Præpoſitum caſum PP. deputati dixerunt eſſe deciſum in decreto habito ſupra, caſu 8. ad quod ſe omnino retulerunt.

36 XI. Caſus. Suppoſito defectu propriorum Parochorum, quæritur, vtrum regulares Sacerdotes poſſint miniſtrare ſacramenta baptiſmi, & matrimonij in hoc loco, præſentibus ſacerdotibus ſecularibus? Decretum. Dixerunt PP. deputati, ſacramenta baptiſmi & matrimonij olim adminiſtrata à Regularibus coram Sacerdotibus ſecularibus eſſe ſuſtinenda abſque noxa aliqua Regularium, pro futuris temporibus recurrendum eſſe ad oraculum ſummi Pontificis.

37 XII. Caſus. Vtrum peccent mortaliter caupones chriſtiani, qui requiſiti ab infidelibus ad ſuas cauponas confluentibus, offerunt illis cubicula aliqua ſecretiora ad comedendum, quamuis ſciant, ſæpiſſimè requiri ad commodiorem vſum ſodomiæ? Ipſi autem caupones aſſerunt non poſſe ſe illis negare hoc ſine lucri iactura, & interdum etiam ſine periculo verberum, & vexationis, licèt rariùs hoc ſecundum accidat. Decretum. Poſſunt caupones cubicula ſecretiora infidelibus locare, etiamſi probabiliter credant, illa requiri ad vſum ſodomiæ, dummodò eo animo non locent.

38 XIII. Caſus. Caupones huius loci ſolent adhibere in miniſterium ſuæ cauponæ vnum, aut duos concaptiuos, & eius rei cauſa ſoluunt dominis infidelibus ad triginta argenteos, ſeu ſcuta pro ſingulis, & interdum minus, pro qualitate miniſtri, in annos ſingulos, idque vt non mittantur ad remigandum in prædis. Hoc autem dicti miniſtri ferè accipiunt loco beneficii, quamuis nihil ipſi percipiant, niſi ſolum cibum, & potum. Aliqui autem perſpicaciores, & libertatis cupidiores, præſertim cum vident ſuarum operarum conductores quinti facere libertatem, & propterea lucrum cauponæ prodigere, ſolent inter vendendum fraudare infideles, miſcendo vinum aqua, vel augendo numerum menſurarum in receptione pretii. Id quod partim factitatur tanquam licitum etiam ab ipſis præcipuis dominis cauponæ, fraudeque pecuniæ partem ſeruant pro parte pretii ſuæ libertatis, exiſtimantes, id ſibi licere, tanquam propriæ induſtriæ lucrum. Ergo quid iuris? Decretum. Non licet fidelibus captiuis in miniſterium cauponæ aſcitis ab infidelibus aliquid ſuffurari, licitum tamen eſt à præcipuis dominis cauponæ tantundem ſurripere, quantùm arbitrio boni viri ſufficit æquare mercedem debitam laboribus ſuis.

39 XIV. Caſus. Omnes ferè infideles domini huius loci ad ſua negotia peragenda vtuntur miniſterio captiuorum, & propterea ſolent ſingulis carceribus, qui balnea hic appellantur, binos, vel ternos ex ipſis captiuis perſpicaciores reliquis omnibus præficere, quibus quidem onus incumbit accuſandi apud dominos inobedientes, & ad opera negligentis, diſtribuendi cibos, & veſtes, ac etiam laborem ex opere, qua in diſtributione eſt difficilimum ſeruare æquitatem, nam vt plurimum inter æquales inæquales veſtes, (ſic enim à dominis accipiunt) & labores partiri oportet; interdum ex æqualitate ſeruanda vitio potentiorum malum illis imminet; ſolet non rarò amor, & odium lancem reddere inæqualem, ſæpe oblata munera aliquos laboribus eximunt, & melioribus cibis, ac veſtibus donant. Quæritur ergo de illorum ſtatu, quidnam cenſendum ſit, eorum præſertim qui ne gratiam, & officium omittant, inobedientes, ac pigros accuſando, flagris obiiciunt? Decretum. Reſponderunt PP. deputati, omninò ſeruandam eſſe iuſtitiam diſtributiuam, & ex eius violatione, quæ culpa ſequatur, lethalis, an venialis, dignoſcendum eſſe ex grauitate, aut leuitate materiæ. Item eſſe licitam accuſationem contra negligentes non pro lege aliqua obedientiæ, quæ veris dominis debeatur, ſed pro euitando præiudicio diligentum concaptiuorum exinde emergente, ac pro redimenda vexatione, aut propria, aut aliena.

40 XV. Caſus. Infideles huius loci, præſertim infimæ conditionis, ſolent fidelibus S. noſtræ fidei myſteria exprobrare, vel de illorum difficultatibus rationem exponere; interdum ad diſputationem prouocant; aliquando eos errare, & in malo ſtatu eos verſari aſſerunt; ſæpe coram eis horribiles blaſphemias irrogant in Chriſtum, & Sanctos eius, quorum ſingulis vt reſpondeant, ac diſputatione viam aperiant, velint nolint, in eas anguſtias aliquando incidunt, vt neceſſe ſit, vel cum aliquo fidei detrimento aut reſilire, vel apertis verbis damnabilem eorum ſententiam damnare cum euidenti periculo capitis, præſertim ſi ſint liberi. Si verò taceant ab initio, vel reſpondeant cautè, & circumſpectè, videntur poſſe euadere periculum ſine aliquo fidei detrimento. Si v.g. dicant. Si nobis impunè liceret apud vos de fide diſputare, aut vos ex deſiderio diſcendi veritatem hæc percunctamini, & non potiùs ex odio, vt nos capiatis in ſermone, ac capitis periculo ſubijciatis, vel ex curioſitate, vel loquacitate (ſicut re vera his ex cauſis prædicta faciunt) libenter reſpondebimus: nunc autem pergite quò pergitis, extremi iudicij dies aperiet nobis ſenſum: vel ſciſcitantur alijs loquendi formulis; pœnam enim in damnantes eorum ſectam indiſpenſabiliter conſtituta neminem hic latet; & idcirco audientes exiſtimant, huiuſmodi declinationes non ex fidei vacillatione, ſed potiùs ex metu periculi profectas, & deſperatione proficiſci. Quæritur ergo in his, & ſimilibus occaſionibus Chriſti fideles, & præſertim Sacerdotes, quid ex neceſſitate præcepti, quidvè ex conſilio facere teneantur? Decretum. Diſputatio de rebus fidei laicis eſt prohibita, Sacerdotes, niſi valde periti, ex conſilio ab ea debent ſe abſtinere, excuſando ſe bonis verbis, ac prætextibus, de quibus in caſu.

Hi caſus fuerunt etiam diſcuſſi in ſupremo tribunali S. Inquiſitionis coram S. D. Vrbano VIII. vt infr.

Digitized by Google

Feria 5. Die 18. Iuly 1630.

41 In Generali Congr. S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Mariam Maiorem coram S. D. N. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac etiam RR. DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Relato caſu tranſmiſſo à Congreg. de Propag. fide, propoſito à F. Franciſco Longobardo Ordinis Minimorum Miſſionario Tuneti in Aprica viz. An apoſtatę à fide chriſtiana ad pœnitentiam redeuntes cogendi ſint ad retractandum explicitè, & publicè coram infidelibus cum periculo vitæ, ſicut negarunt fidem, an verò ſufficiat coram fidelibus publicè, & explicitè abiurare apoſtaſiam in proprijs balneis (quæ ſunt captiuorum carceres) & implicitè apud infideles, abſtinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum? S. Cōgregatio cenſuit, apoſtatas à fide redeuntes ad pœnitentiam non teneri ad abiurandam apoſtaſiam publicè coram infidelibus, ſed ſufficere, vt eam abiurent in balneo coram fidelibus, abſtinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus ſit proteſtatiuus falſæ religionis; ſi verò ſit ęquiuocus, poſſe illum deferre; quòd ſi ex illa delatione ratione perſonæ aliqua oriretur ſuſpicio, teneri aufugere quamprimùm poterit.

Feria 5. die 25. Iulij 1630.

42 In eadem Congregatione delato hoc alio caſu, videlicet, Quomodò ſe gerere debeat confeſſarius erga apoſtatas pœnitentes in articulo mortis conſtitutos, cum ab illis ſecretò accerſitur, vt ſecretò abſoluat? Ratio difficultatis eſt, quia in illo articulo ſolent ab infideli familia, vel ſacerdotibus falſis induci ad actus falſæ religionis, nec poſſunt abnuere ſine periculo mortis. Sacra Congr. cenſuit, confeſſarium debere abſoluere apoſtatam pœnitentem in articulo mortis conſtitutum, abiurata priùs verbo apoſtaſia in foro conſcientiæ. Et ſi per aliquod temporis ſpatium ſuperuixerit, poterit abiurare in balneo coram fidelibus; quod ſi non poterit, relinquat chirographum ſuę abiurationis, ſaltem ſigno crucis conſcriptum; quòd ſi neq; hoc poſſit, committat confeſſario, vt ſuam abiurationem fidelibus manifeſtet. Non autem teneri apoſtatam pœnitentem tunc in periculo vitæ conſtitutum, etiam ſuadentibus Turcis, cum periculo vitæ fidem catholicam, quam tunc, abiurata infidelitate, amplexus eſt, confiteri, ſed eorum ſuaſiones eludere, vel non reſpondendo, vel æquiuocis verbis vtendo.

Fuit Congr. DD. Conſultorum in Palatio S. Rom. & vniuerſalis Inquiſitionis 13. Auguſti 1630. qui circa 4. caſum ita reſoluerunt.

43 IV. Caſus. Qui captiui iniuſte detinentur ab infidelibus, poſſunt à dominis particularibus accipere ſine iniuſtitia, vel aliqua eius ſpecie, quantum ſufficit ad congruam compenſationem, etiam pro ſufficientia redemptionis, ab illis, vel alijs, qui ſunt partes Reipublicæ, ſiue Iudæi, ſiue Turcæ, quæ iuſtè auferent, facient interpretatiua licentia Principum chriſtianorum, qui contra illos bellum iuſtum proſequuntur; quibus caſibus neque furtum, neque vſura eſt, & maxime cauendum eſt, ne hoc infideles de nobis credant, quòd vſuram, & furtum iuſtificemus per ſcandalum, & ignominiam fidei.

44 V. Caſus. Fuit approbatus; aliqui tamen Qualificatores dixerunt, requiri animum reſtitutionis, accepto pretio dato, ſi dominus rerum emptarum occurrerit.

De caſu 6. vt in primo.

De caſu 7. placuit omnibus interponi ibi Lucri gratia, Ad euitandum graue damnum, & ad neceſſariam ſui conſeruationem.

De caſu 8. iam deciſum.

45 Circa 9. decretum eſt, licere huiuſmodi gradus procurare, dummodò nunquam tali excellentia in remigando intendant vti contra Chriſtianos; non enim licet ſtrenuè remigare cauſa lucri, vel alicuius commodi temporalis in infidelium triremibus contra Chriſtianos, ſed ſolùm poſſunt remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum. Alios verò hortari ad ſtrenuè remigandum, laudare, vel contumelijs afficere, eſt omnino illicitum. Declinare verò ictus tormentorum ad propriam vitam ſaluandam, licitum eſt, dummodò ex hoc damnum aliquod notabile Reipublicæ chriſtianæ non oriatur. In omnibus autem præfatis caſibus illicitis, vt ſupra, non ſolùm mortaliter peccant, ſed etiam in excommunicationem incidunt, cum infidelibus contra Chriſtianos auxilium præſtent.

Circa decimum rectè reſponſum eſt.

Circa vndecimum rectè reſponſum eſt.

Circa duodecimum fuit decretum, non licere huiuſmodi cubicula locare illis ab vſuris ad ſcelus tam maximum cauſa lucri, ſed ſolùm ad vitandum aliquod graue malum, mortis videlicet, mutilationis, vel verberum.

Circa reliquos tres articulos rectè reſponſum eſt.

46 Noto 9. quòd in conſtit. 26. Leonis X. nu. 21. dicebam, quòd locus ſepulturæ in eccleſia poterat vendi. Sed quæres modo, an qui emit, acquirat dominium illius? ℞. negatiuè, quia eccleſia, cum ſit res ſacra, & ideo merè ſpiritualis, non poteſt per laicum poſſideri, nec in totum, nec in partem, leg. Quæ de tota, ff. de rei vendic. Quare dicendum eſt, laicum habere vſum quidem ſepulturæ ab ipſo emptæ in eccleſia, vel cœmeterio, non tamen dominium. Ita Lambert. de iur. patr. lib. 3. quæſt. 9. art. 9. Quod idem dic de ſedibus, ſeu bancis, vt ait Syl. verb. Sepultura, qu. 3. Vide Barb. de offic. Paroc. cap. 26. num. 11.

47 Aduerte, quòd arma primi fundatoris poſita in capella, ſeu eccleſia, vel ſepulcro, nullo modo poſſunt amoueri, ſed ſemper remanere debent in memoria dicti fundatoris. Quæ quidem arma mutari non poſſunt à nouo hærede fundatoris, immò nec iſte nouus hæres, ſi alienæ familiæ ſit à fundatore, poteſt ſua inſignia ibi ponere, remanentibus armis antiquis primi fundatoris. Verùm quidem eſt, quòd ſi iſte nouus hæres vellet capellæ benefacere, & eam meliorare, Poſſet ibi ſua arma ponere, antiquis relictis, cum ſcriptura tamen in marmore fidem faciente de primo fundatore. Ita Lambert. de iur. patr. lib. 3. q. 5. art. 4. num. 8. & 9.

48 Aduerte etiam ex Lambert. loc. cit. nu. 10. 11. quòd in ſepulcris cadauerum non poſſunt ſepeliri, niſi hæredes ſanguinis: hæredes autem ſanguinis ſunt, non ſolùm qui naſcuntur ex filijs maſculis, ſed etiam qui naſcuntur ex filiabus fœminis, licèt non ſint eiuſdem familiæ. Vnde hæres etiam vniuerſalis, tamen extraneus, non poteſt ſepeliri in ſepulcro fundatoris, nec arma ſepulcri mutare: nam ius ſepulcrorum ſolùm tranſit ad hæredes ſanguinis, non autem ad hæredes extraneos, vt ipſe probat Lambert. de iur. patr. lib. 1. p. 1. q. 11. art. 13. n. 3. Quòd ſi teſtator velit, quòd aliquis externæ familię in ſuum ſepulcrum inſeratur, non linquat ſepulcrum, ſed illi familiæ ius inferendi mortuos in ſuum ſepulcrum. Lauor. var. tom. 1. tit. 2. cap. 10. n. 32.

49 Aduerte etiam, quòd conuentus non poteſt capellam, vel ſepulcrum alicui conceſſum pro ſe, & ſuis illis auferre; quia talis capella, & ſepulcrum reputantur tanquam hoſpitium, cap. Ebron. 13. q. 2. ſed de iure eſt, quod in fundo, in quo quis habet vſum, non poteſt dominus habitare, inuito vſuario, leg. Si hæres, §. fin. & leg. ſeq. ff. de vſu, & habit. lega. Ita Angel. verb. Sepultura, nu. 41. Lambert. loc. cit. lib. 3. q. 5. art. 4. num. 13. & addit Angel. quòd extinctis domino, & eius deſcendentibus per mortem, bene poſſet conuentus alijs ſepulturam concēdere; quia, mortuo vſuario, ille vſus redit ad proprietarium liberè, leg. penult. Cod. de vſufruct. &

hoc

Digitized by Google

hoc etiam tene: Tab.verb.Sepultura,§.20.Lauor. tom. 1.var.tit.2.cap.11.num.38.Rodriq.tom.3.Sum.cap.130. concl.14.Syl.verb.Sepultura,q.3.Sanchez lib.2.conſil. cap.3.dub.14.nu.4.qui idem ait eſſe omnino dicendum de capellis quæ alicui conceduntur intra eccleſiam, nam mortuo earum emptore, & eius familia, poſſunt alijs concedi; quibus ſubſcribo; nam alioquin eccleſia magno beneficio priuaretur, quod non eſt permittendum,vt ait Tab. verb. Eccleſia,§. fin. & ſepulturæ non tam flocci concedi poſſent. Limita tamen,vt oſſa priorum defunctorum maneant in eadem ſepultura; nam impium videtur, corpora defunctorum exhumare; & ad ſummum,ſi aliter fieri non poſſet,debent dicta oſſa intra eamdem eccleſiam honeſtè collocari:quod tamē non niſi propter vrgentiſſimam cauſam eſt faciendum. Videatur Diana tom.3.tra.2.reſol.120. Neque obſtat c. Corpora ſanctorum,de conſect.d.1.nam non habet locum in eccleſijs Regularium ab Epiſcopis exemptis. Addunt Syl.cum Ludouico Romano ſing.692. & alij, quos ſecutus ſum in conſtit.26.Leonis X.nu. 22. quòd poteſt Prælatus Religionis ex iuſta cauſa in aliorum ſepulcro aliquem immittere,ipſis inuitis;modò tamen per hoc ſuorum mortuorum cadauera non impediantur; & quòd ſi laico ſepultura concedatur cum conditione, quod nullus alius ibi ſepeliatur, non tenet conditio; quia turpis eſt, & pro non adiecta habenda. Tu dic, quòd hoc habet ſolum verum pro caſu neceſſitatis.

50 Aduerte etiam, quòd ad conſtruendam ſepulturam, vel capellam in eccleſia patronata, ſeu quæ fundatorem habet, non requiritur conſenſus fundatoris, immo, eo inuito, conſtrui poteſt. Quia patrono nullum ex hoc infertur præiudicium, & eccleſiæ beneficium affertur; vnde patronus, qui eccleſiæ beneficium procurare tenetur, eſt irrationabiliter inuitus; quare eius contradictio nihil obſtat. Ita Lamber. de iur.patr.lib.1.p. 1. qu. 3. ar. 17. num. 2. Lauor. loc. cit. cap. 9. num. 83.

51 Aduerte etiam, quod quando cadauera ſepelienda ſunt in eccleſijs Regularium,ad ipſos ſpectat declarare,an per ciuitatem, an verò per rectam viá ſint exportanda.Ita declarauit ſacra Congreg.Reg. 22. Aprilis,anno 1588. quæ tamen aliter videtur declaraſſe 3. Ianuarij anno 1594. ſcilicet ad Curatum defuncti ſpectare, declarare omnia neceſſaria vſque ad ianuam eccleſiæ Regularium. Ita refert Lauor. loc. cit. num. 116. Hic tamen Genuæ hæc ſpectant ad hæredes defunctorum. Non eſt tamen neceſſe, vt cadauer priùs ad parochialem eccleſiam deferatur, quando mortuus in eccleſijs Regularium elegit ſepulturam, ſed debet recto tramite ad dictas eccleſias deferri,ſolutis iuribus parochialibus,non obſtante quacumque conſuetudine. Ita declarauit ſacra Rituum Congreg. anno 1618. die 21. Maij.

52 Aduerte etiam, quòd electio ſepulturæ probatur per teſtamentum, vel aliam ſcripturam manu propria ſubſcriptam, vel per duos teſtes, qui in qualibet cauſa probant, vt multis probat Barboſ. in cap. In omni, de teſtib. Immò dicit dictus Barb.n.55.& Lauor.de ſepult. tit.2.cap.11.nu.19.quòd electio ſepulturæ probatur per teſtes ſingulares. Quando autem teſtes ſunt diuerſi, quia vnus dicit, quod defunctus elegit ſepulturam in tali eccleſia,& alter,quòd in alio loco; tunc coniecturis ſtandum eſt, quibus teſtator veriſimiliùs moueri potuerit,videlicet ſi vnus ex illis locis ſit parochia,vel alia eccleſia,in qua maiores ſui ſepulti ſunt,vel ſi aliam eccleſiam maiori deuotione proſecutus ſit. Ita Lauor.loc. cit.num.20.Si autem defunctus adultus,& diſcretus capellam cum ſepultura ſibi fabricauit cum armis, & inſcriptionibus,licèt inteſtatus decedat, tunc non eſt dubium, quin ſepeliri debeat in ſepultura ab ipſo fabricata; ſtatim enim ac ſibi fabricauit, eam elegiſſe videtur,etiamſi alibi habeat ſepulturam,in qua maiores ſui ſepulti ſunt.

53 Aduerte etiam aliquas declarationes ſacræ Congreg. Regul. quæ ſic habent. *CVM inter Fratres reformatos Ordinis minoris Obſeruantiæ S. Franciſci, necnon pro tempore exiſtentem Archipresbyterum, ſeu Parochum Ecc. Frani Neſpeſin. diœceſis in ſepeliendis eiuſdem Ordinis Tertiarijs diuerſæ vt plurimum orirentur controuerſiæ, ſupplicatum fuit nomine Patris Cuſtodis eorumdem Fratrum Prouinciæ Romanæ ab hac ſacra Congregatione Cardinalium, negotijs Regularium præpoſitorum, infra ſcriptas reſolui petitiones. Prima. An Tertiariorum ſui Ordinis cadauera in eccleſijs pariter ſuæ Religionis ſint ſepelienda? Secunda. An in ijſdem etiam eccleſijs ſepelienda ſint cadauera eorum, qui dicti Ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt? Tertia. Num & illi, qui coram teſtibus dumtaxat, licet abſque ſcriptura, in ijſdem eccleſijs ſepulturam ſibi elegerint? Quarta. An tam ſupradictorum, quam aliorum quorumcumque cadauera, in alterius parochia exiſtentia, & in eccleſijs eorumdem Fratrum ſepelienda, prius ad eccleſiam parochialem ad benedictionem, ac vltimum vale à Parocho recipiendum deferri debeant; num verò ab ædibus defunctorum ad dictas Fratrum eccleſias recto tramite ſint tranſportanda? Illuſtriſſimi eiuſdem ſacræ Congr. Patres, Illuſtriſſimo de Aracæli referente, partibuſque auditis, reſponderunt in hunc, qui ſequitur, modum.*

Ad 1. Tertiarios huiuſmodi, ſi qualitatibus in bulla fel. recor. Leonis Papæ X. præſcriptis ſint prædicti, videlicet ſi viri collegialiter, aut clauſtraliter viuant, mulieres verò virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem ſub expreſſo voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, poſſe, & debere, etiam inuito, ac minime requiſito Parocho, in ſupradictis Fratrum eccleſijs ſepeliri; ſecus verò, ſi ſupradictis qualitatibus careant, ac niſi ſubſequentis cap. diſpoſitione comprehendantur. Vide to. 1. noſtrorum priuil. in cō ſtit. 4. Sixti 4. num. 38.

Ad 2. Si conditiones in bulla aurea fel. recor. Sixti Papæ IV. contentas, in ipſis adimpletas eſſe conſtiterit, videlicet, quòd à Guardiano domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior habitum huiuſmodi recipientes præmonuerit, eorum cadauera propter habitus conceſſionem, ac receptionem penes ipſos Fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda, eo caſu cum habitu Religionis decedentes in eccleſijs pariter eiuſdem Religionis eccleſiaſtica ſepultura eſſe tradendos. Vide to. 1. priu. ex. dicta conſtit. 4. § 9.

Ad 3. In ſupradictis eccleſijs eſſe ſepeliendos, ſine præiudicio tamen iurium parochialium.

Ad 4. Cadauera huiuſmodi ad prædictorum Fratrum eccleſias recto tramite deferri poſſe, ab eiſdem tamen Fratribus monendum eſſe prius, & requirendum, ac expectandum proprium defunctorum Parochum, quo requiſito expreſsè venire recuſante, licere ijſdem Fratribus, etiam ipſo inuito, ſupradicta cadauera ad eaſdem eccleſias traſportare. Romæ 11. Decemb. 1615. Ant. Maria Card. Gallus. Fr. Tea'in. Sec.

54 Noto 10. quòd in conſt. 28. Leonis X. num. 2. dicebam, Regulares teneri ad obſeruanda feſta, quæ Epiſcopus in ſua diœceſi præceperit obſeruari. Quare non poterunt his diebus Regulares in ſuis monaſterijs neque per ſe, neque per alios operarios ſeculares operibus ſeruilibus laborando intendere. Campan. in diuerſ.iur.rub.12.cap.13.num.91. Barboſ. de poteſt. Epiſ. p.3.alleg.105. nu. 33. Fagund. in 4. præcep. eccleſ. lib. 1. cap. 7. num. 4.

55 Sed an teneantur ſeruare etiam ieiunia ab Epiſcopo præcepta, maior difficultas eſt. Suarez 4. de leg. cap.20.nu.10.Fagund.loc.cit.dicunt,quòd,ſecluſo ſcandalo, non tenentur, niſi conſuetudine ea receperint; quia ſunt exempti ab Ordinarij iuriſdictione, & nihil de hoc inuenitur ſtatutum, ſicut de diebus feſtis. Sanchez verò 4. in decal. cap. 15. num. 21. ait, quòd ſi dicta ieiunia ſunt indicta in bonum commune ex voto ciuitatis, ea obſeruare tenentur ſub mortali, etiam ſecluſo ſcandalo; nam & ipſi pars ciuitatis ſunt.

56 Aduerte, quòd in eadem conſt. 28 nu 6. dicebam, quòd Regulares vtentes calendario Romano in celebrandis diuinis officijs, poterant ſe conformare eccle-

ſiæ ma-

Digitized by Google

ſiæ matrici ciuitatis, aut loci, in quo habitant, nam Religioſi ſunt ciues illius ciuitatis, in qua habitant, vnde poſſunt ſe moribus illius conformare. Atque ita Portel in addit. ad dub. reg. verb. Horæ canon. num. 3. Sed circa celebrationem diuinorum officiorum extat decretum vbique obſeruandum Cong. Rituum, tenoris ſequentis. *Sacra Rituum Congregatio ad tollendos abuſus, qui varijs in locis irrepſerunt, re mature diſcuſſa, cenſuit, & decreuit. Primò non potuiſſe, nec poſſe locorum Ordinarios tam ſeculares, quam regulares, addere Calendarijs etiam proprijs Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani rubricis, vel ſacra Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur. Inſuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel diœceſim, etiam de cuiuſq; Ordinarij auctoritate, miſſam, vel feſtum cum officio de Sancto, eo quod in loco adſit eccleſia parochialis, vel regularis, aut aliqua reliquia, ſed tantum in ipſius Sancti eccleſia titulari, ſeu vbi aſſeruatur inſignis reliquia, & non alibi. Inſignes autem reliquias declarauit eſſe corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt martyr, modo ſit integra, & non parua, & legitime ab Ordinarijs approbata. Miſſas item, quæ circumferuntur, à Sacra Congreg. non approbatas, S. Gregorij pro viuis, & defunctis, 15. Auxiliatorum, & de Patre æterno, & quaſcumque alias, exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantum, velut Roſarij, S. Mariæ de Carmelo, & alias, ſicut etiam officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, & damnauit reſpectiue, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit: Quæ omnia decreuit, ſtatuit, & mandauit ſub pœnis contentis in bullis Pij V. ante breuiarij, & miſſalis poſitis, quòd ſcilicet non ſatisfaciant muneri recitandi diuini officij: Quò verò ad vtentes ſupradictis miſſis, ſub alijs pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto S. Concilij Trid. edito. Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit ab aliquo prætendi, neque obliuio poſſit irrepere eadem ſacra Congregatio voluit, & mandauit, decreta huiuſmodi affigi in ſacriſtijs omnium eccleſiarum tam ſecularium, quam regularium, etiam patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, & aliarum quarumcumque in eiſque perpetuo affixa aſſeruari. Facta demum relatione horum decretorum S. D. N. Vrbano Papæ VIII. idem Sanctiſſimus ea laudauit, approbauit, atque ab omnibus vbique ſub prædictis pœnis ſeruari præcepit. In quorum fidem manu, & ſigillo Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Deti præſens decretum ſignatum, & munitum fuit die 8. Aprilis, 1628.*

Io. Baptiſta Card. Detus. *F. Fuluius Benignus Sec.*

57 Aduerte etiam, quòd in eadem conſt. 28. Leonis X. num. 9. dicebam, Clem. VII. conceſſiſſe, quòd Prædicatores, infirmi, & alij poſſent in aliquo caſu ſupplere recitationem officij diuini recitando aliquos pſalmos, ſeu Pater noſter de licentia Superioris, & bullam habes apud Cherub. to. 1. bull. in conſt. 37. Clem. VII. §. 2. pag. 605. quæ fuit confirmata à Paulo III. in eius conſt. 5. §. 8. apud eundem Cherub. tom. 1. bull. pag. mihi 617. vtraque bulla incipit Dudum. Et hoc priuilegium non eſſe reuocatum dicit A S. Fauſto de horis can. lib. 2. qu. 122. Circa infirmos dicit Rodriq. tom. 3. ſum. cap. 197. nu. 1. quòd ad hoc, vt non teneantur officium diuinum recitare, ſufficit, quòd eis dicat Medicus, quòd non recitent, abſque alia licentia Superioris, ſicut ad non ieiunandum ſuffieit eadem Medici licentia; nam infirmus quò ad ſanitatem recuperandam Medico ſubiectus eſt, & illi obedire tenetur independenter à voluntate Prælati, cui ſolùm obedire tenetur quò ad ea, quæ ad regularem diſciplinam ſpectant. Quæ doctrina valet pro Prælatis timidis, & ſcrupuloſis, qui ſemper timent, etiam vbi timendum non eſt: nam etiam vbi dubius eſſet Medicus, an infirmitas eſſet talis, quæ ægrotum excuſaret ab officio, non tenentur ægrotus recitare, ne ſe periculo grauis damni exponat. A S. Fauſto de hor. can. lib. 2. q. 221.

58 Aduerte etiam, quòd Prælati regulares poſſunt iubere Fratribus clericis imperitis, qui non valent officium diuinum cum alijs in choro recitare, vt ab illo recitando abſtineant, & loco illius dicant officium laicorum. Ita conceſſit Clem. VII. vt refert Caſarub. in comp. verbo Moniales, §. 3. & Portel in dub. regul. verb. Horæ canonicæ, nu. 13. & conſtat etiam ex ijs, quæ dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 24. §. 3. vbi probaui cum multis, quibus adde A S. Fauſto in theſ. lib. 6. qu. 177. clericum choro deſtinatum, propter imperitiam, & alias cauſas, poſſe ad ſtatum laicorum transferri, Quicquid dicat Rodriq. to. 3. ſum. c. 194. concl. 13. Si autem choro deſtinatus ſit in ſacris, non poteſt quidem laicus fieri, ſed, ſi eſt imperitus, poteſt deobligari ab officio chori, & obligari ad officium laicorum, iuxta priuilegium Clemen. VII. citat. quod de his loquitur.

Caput Quintum de addendis ad conſtitutionem Pauli III.

1 NOto 1. quòd in conſt. 2. Pauli III. n. 6. dicebam, poſſe Correctores Ordinis Minimorum in diebus, quibus eccleſijs dicti Ordinis ſunt conceſſę indulgentiæ, deputare confeſſores ex eodem Ordine, qui poſſent abſoluere pro illis diebus à caſibus etiam Epiſcopis reſeruatis. Pro qua doctrina confirmanda adduco Vaſq. 1. 2. diſp. 178. cap. 1. nu. 5. vbi ait, quòd Princeps condendo legem vniuerſalem, derogat omnino aliam legem pariter vniuerſalem recentiori contrariam; Sed dum fert legem generalem, eo ipſo non intelligitur reuocare leges, & conſuetudines peculiares, quia lex peculiares, & communis non ſunt omnino contrariæ, nec cauſas omnino contrarias habent: poteſt enim legiſlator ob cauſas generales legem ſtatuere, cum qua propter rationes peculiares manere poſſint leges particulares. Porrò autem velle legiſlatorem, vt ſimul maneat lex generalis, & peculiaris, etiamſi contrariæ ſint explicauit nobis Boniſ. VIII. in c. 1. de conſt. in 6. Hæc Vaſquez. Cui ſuffragantur Iuriſtæ, dum docent, legem nouam, quantumuis generalem, non corrigere caſus ſpeciales legis antiquæ. Gloſſ. in leg 3. Cod. de ſilentiar. lib. 12. Gonzal. ad regul. cancell. §. 7. procem. nu. 75. Gutierr. de iuram. confirm. p. 1. c. 40. n. 2. fine. Puteus lib. 1. deciſ. 195. nu. 2. & alij multi apud Gonzal. Eamdem ſententiam confirmant illi DD. qui dicunt, quòd priuilegium conceſſum Regularibus, vt, cum fuerint in itinere, poſſint recitare officium diuinum non iuxta ordinem breuiarij Romani; vel cum ægrotauerint, illi obligationi ſatisfaciant, recitando aliquos pſalmos à Prælato deſignatos, non eſt reuocatum per motum proprium Pij V. obligantem omnes obligatos ad horas canonicas ad illas recitandas ſecundùm breuiarium Romanum ab ipſo reformatum, non obſtante quocumque priuilegio, &c. Nam iſte motus proprius intelligitur de his, qui pro ſemper omittunt formam dicti breuiarij, non de illis, qui in aliquo caſu particulari id faciunt. Iſti autem DD. ſunt Rodriq. tom. 1. ſum. c. 142. concl. 2. Vega p. 1. ſum. cap. 127. caſu 25. Ledeſm. p. 2. ſum. cap. 4. concl. 15. verſ. Finalmente, pag. mihi 745. A S. Fauſto de hor. can. lib. 2. qu. 122. Per quæ omnia iſta opinio facta eſt mihi probabilis, præſertim cum in decretis prohibentibus dictam abſolutionem, licèt reuocentur priuilegia ſpecialia aliquibus Religionibus generaliter conceſſa, non reuocantur tamen priuilegia ſpecialia pro caſibus particularibus. Ita ſentio, niſi aliter habeat ſtylus, & ſenſus Romanæ Curiæ, cui contradicere non intendo.

Caput Sextum de addendis ad conſtitutionem Pij V.

1 NOto primò, quòd in conſt. 6. Pij V. num. 7. poſui nouum decretum Vrbani VIII. quo conceditur facultas Ordinarijs dandi licentiam Regularibus, vt poſſint Moniales conſanguineas alloqui. Iſtam verò licentiam extendi ad ſocios, docent Rodriq. to. 3. q. reg.

q. 6. art.

qu.6.art.1.Riccius 1.p. praxis, deciſ. 745. de connexis enim idem eſt iudicium, c.Tranſlato, de conſt. Vnde licentia Papæ alicui conceſſa viſitandi ſacroſanctum Ieroſolymitanum Domini Sepulcrum extenditur ad ſocium à Superiore quocumque aſſignandum.

2 Si quæras, an dicta licentia ab Epiſcopo impetrata alloquendi Moniales valeat pro vna ſola vice, an pro pluribus? ℞. Valere ſolùm pro vna vice. Colligitur ex cap.Non poteſt, §.Illud autem, de præb. in 6. Docent Tiraq.in leg.Boues,§.Hoc ſermone,de verb.ſign. num.73.Riccius 1.p.praxis,deciſ.649.Felin.in cap. Innouamus,de treg.& pace, n.5. qui addit, quòd hoc intelligitur,etiamſi ille, qui habet licentiam accedendi, ſeu ingrediendi monaſterium, ingrederetur eo die, quo liceret omnibus ingredi,v.g.per priuilegium, vel incendium,aut aliquam ruinam monaſterij.Et n.3.ponit vnam bonam regulam,quæ poteſt ſeruire ad multa in Religionibus,ſcilicet, quòd ſimplex ſermo regulariter verificatur in 1.vice per leg. Boues. §. Hoc ſermone,ff.de verb.ſignif. Quare ſi concedat Prælatus licentiam alicui eundi foras, intelligitur pro vna vice. Item ſi concedat facultatem eligendi confeſſarium, ſeu vt poſſit abſolui à reſeruatis. Item licentia conceſſa ingrediendi hortum. Item licentia conceſſa non eundi ad matutinum, intelligitur pro nocte immediatè ſequenti ad licentiam. Videatur etiam Tiraq.loc.cit. num. 22.

3 Noto 2.quòd in eadem conſt.6.num.20. dicebam, Principes ſeculares teneri ad ſuum brachium ordinate ab eccleſiaſtico iudice petitum præſtandum. Nam cum iuriſdictio ſecularis, & eccleſiaſtica ab eodem fonte Ieſu Chriſto D.N.licèt vna ab alia diſtincta,manarint, debent ſe inuicem,cum iuris ratio poſtulat, adiuuare; vnde dicebat Innoc & Gloſſ.in c.1. de offic. ord. quòd per potentiam ſecularem adiuuari debet poteſtas eccleſiaſtica,quod etiam dicit tex. in cap. Adminiſtratores,13.q 5.Et ait Hoſtien.in dicto c.1. de offic. ord. ſub nu.5.quòd iudex ſecularis poteſt brachium eccleſiaſticum implorare aduersùs eos, in quos non habet coercitionis ius;quod etiam notauit Couar.pract.q.cap. 10. ſub n.1.verſ.Eadem ratione,Et ſicut iudex ſecularis tenetur ſuum brachium à iudice eccleſiaſtico petitum præſtare,cap.1.cap.Quoniam,de offic ord. & cap. Statuimus, de maledic. ita etiam iudex eccleſiaſticus debet ſuum brachium præſtare iudici ſeculari illud implorant;Abbas in cap.1.de offic.ord.nu.10. & 14. Riccius 1.p.praxis,deciſ.330.tit.Notab.in mar.&c.Hoc tamen brachium debent ſibi inuicem præſtate dictæ poteſtates ordinatè,nimirum primò poſtquàm vtraque fecerit quantùm per ſuas vires potuerit pro executione iuſtitiæ:colligitur ex dicto cap.1.de offic. ordin. ibi, *Et cum opus fuerit*. At opus non eſt auxilio alieno,cum habet quis vires ad ſe defendendum,vt v.g.quando iudex eccleſiaſticus nondum excommunicauit. Et conſtat etiam,quia imploratio brachij eſt remedium ſubſidiarium pro ſupplemento iuſtitiæ,vt probat Riccius 1. p. praxis,deciſ.324.Fel.in c.Significaſti,nu.4. de offic. deleg.& cap.Cum ſit generale,de foro comp.num.8.Deinde debent ſibi inuicem dictum brachium præſtare ordinatè, ideſt, iuris ordine ſeruato, & in executione iuſtitiæ, vt ad coercendum rebelles, ad mandandum executioni iuſtam ſententiam;dict.cap.1. de offic. ord. ibi, *non ad præiudicandum alicui contra iuſtitiam, ſed potius ad ea,quæ ſunt Deo placita,proſequendum*. Iure autem communi ius brachium ſeculare implorandi competit Epiſcopis,Abbatibus,Generalibus, Prouincialibus, Correctoribus,cœteriſq; Prælatis poteſtatē excommunicandi habentibus;c.Pericuſoſo,§.fin.de relig.dom.in 6.Riccius loc.cit.deciſ.320.nu.1. competit quoque eorumdem delegatis;Riccius n.2.Nauar.in c. Cum contingat, de reſcrip. remed. 1. num. 1.

4 Ex quibus omnibus colligitur 1.quòd,ſtante appellatione ritè, & rectè interpoſita à ſententia iudicis eccleſiaſtici,non tenetur iudex ſecularis ſuum brachium imploratum præſtare.Ita Sbroz.de Vic.Epiſc. lib. 2. c. 190.n.11.Menoch.de retinend.poſſeſſ.remed.3.nu.360. Nau.dicto cap.Cum contingat,n.5.Ricc.cit.deciſ. 312. nu.1.Et ratio eſt,quia,appellatione pendente, nihil eſt innouandum,leg.1.in priu.ff.nil.nou.appell. pend. Immò ſi appellatio, quæ admitti debebat, non fuiſſet admiſſa, & à tali non admiſſione appellatum fuiſſet, & hoc iudici ſeculari conſtaret, non deberet ſuum brachium concedere, Riccius loc. cit. nu. 2. Iudici autem iuſta appellatione interpoſita procedenti poteſt ſubditus reſiſtere.Riccius citat,qui addit,quòd in eo caſu iudex peccat, & puniri debet.

5 II.Colligitur, quòd iudici ſeculari conſtaret de iniuſtitia,& nullitate ſententiæ,non teneretur ſuum brachium impertiri.Menoch.loc.cit.Sbroz.cit. nu. 7. Riccius cit.deciſ.315.nu.1.Abb.in c.1.de offic.iud. ord. nu. 11.ChoKier de Conſer.Eccleſ.quæſt.37. num.2. Conſtat ex ratione dicti cap.1.de offic.ord.Nam iudex eccleſiaſticus non debet adiuuari ad malum inferendum,ſed ad bonum,& iuſtitiam faciendam.Quare poteſt etiam ſummariè velle de iuſtitia ſententiæ cognoſcere;Ricc.loc.cit. nu. 2. ne ſtrictis oculis grauem pœnam exequatur, quod enim nullum eſt, nullam meretur executionem;leg.4.§. Condemnatum, ff. de re iud. Vnde etiam collige, quòd ſi gubernatori triremium conſtaret,quòd quis Religioſus,vel alius,fuiſſet iniuſtè ad eas condemnatus, poſſet eum ab illis liberare. Immò puto, quòd etiam teneretur, ne videretur iniuſtitiam iudicis confouere.

6 III. Colligitur, quòd non tenetur, nec debet iudex ſecularis ſuum brachium impendere imploratum, quando iudex implorans eſt incompetens;Menoc.loc. cit. Riccius loc.cit.deciſ.328. n.1. Vnde antequam brachium ſuum det, debet ſcire de iudicis competentia; alioquin, ait Riccius, quòd ſi iudicis incompetentis ſententiam exequatur puniri poterit.

7 IV. Colligitur, quòd licèt ſit differentia inter impartitionem brachij, & accommodationem familiæ, quòd ſcilicèt in impartitione brachij poteſt iudex requiſitus cognoſcere de viribus ſententiæ,& petere proceſſum,vt dictum eſt:quæ diligentia non eſt neceſſaria in accommodatione familiæ, ad tollenda ſcandala, & reſiſtendum rebellibus cum armis ſe defendentibus; tamen quando dicto iudici ſeculari conſtaret, quòd iudex eccleſiaſticus peteret, ſibi accommodari familiam ad aliquem iniuſtè carcerandum v. g. vel aliud ſimile, non teneretur, nec poſſet dictum brachium præſtare.

8 Noto 3.quòd in eadem conſtitut.6.n.24. dicebam, quòd iuſta cauſa concedendi licentiam Moniali ad exeundum monaſterio, erat infirmitas, quæ in monaſterio curari non poſſet. Sed ſi Medicorum conſilio Monialis ſtando in monaſterio curari non poſſit, nec mortem vitare, & Superior nolit exeundi licentiam concedere, poterit ne egredi petita licentia, licèt non obtenta.℞.hanc quæſtionem tractare ex profeſſo Pennam in leg.1. C.de commeatu, lib. 12. multis probat, quod poſſit. Quod mihi valde rationabile videtur, Nam tunc irrationabiliter talis licentia denegatur; & ita hominis æſtimari non poteſt leg. penult. in fine, ff. de donat.& ad eam conſeruandam iure naturæ tenemur.Immò,ait dictus Penna col.4.quòd eo caſu poſſet dicta Monialis inuita extra clauſtra trahi.

9 Aduerte autem, quòd poſt decretum Sacræ Congreg. Regul. de mandato Pauli V. datum Romæ die 22.Decembris,1617.ac intimatum Procuratoribus generalibus Ordinum;non poſſunt Moniales quacumq; occaſione transferri de monaſterio ad monaſterium ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ. Ita refert Caſtell.de elect.cap.17.num.6.& Diana tom.3.tract.2. reſol. 127.

10 Aduerte etiam, quòd quando conceditur alicui licentia ingrediendi monaſteria Monialium de conſenſu expreſſo earumdem Monialium, iſte conſenſus præſtandus eſt à Monialibus capitulariter congregatis per vota ſecreta, alioquin dictæ licentiæ non valent,

Digitized by Google

valent, & qui eis vtuntur, incurrunt pœnas inflictas contra violantes clauſuram Monialium. Ita declarauit per ſpecialem conſt. Vrb. VIII. quam habes to. 4. bull. in eius conſt. 29. fol. 287.

11 Noto 4. quòd in eadem conſt. 7. Pij V. nu. 21. dicebam, quòd Regulares ſunt ſtrictiori vinculo ſubiecti ſuis Prælatis, quàm Clerici ſuis Epiſcopis; nam iſti non vouent obedire Epiſcopis, neque etiam votum faciunt caſtitatis explicitum, ſed ſolùm ad hæc tenentur per conſtitutiones Eccleſiæ. Ita Raym. in ſum. lib. 3. tit. De ſent. & præcep. §. 5. & Io. de Selua de benef. p. 3. q. 3. n. 20. Sanch. 7. de matrim. diſp. 27. n. 5. qui hanc rem ex profeſſo tractat tota illa diſp.

12 Noto 5. quòd in conſt. 8. Pij V. conceditur priuilegium, quòd nouitia infirma ad mortem poſſit profeſſionem facere, etiamſi annum nouitiatus non compleuerit, modò ſit in ætate legitima conſtituta. Et de iſto priuilegio agunt Confettus, Sanch. Henriq. Rodriq. quos ibi cito: Et præterea Rodriq. tom. 4. ſum. cap. 63. à num. 4. Barb. in cap. Ad Apoſtolicam, de regul. num. 4. & de poteſt. epiſc. p. 3. alleg. 101. num. 33. & 34. & in addit. ad dictam alleg. num. 33. Mirand. tom. 1. man. q. 22. art. 10. Riccius 2. p. prax. reſol 493. Beia 4. p. caſ. caſu vlt. in princ. Vech. de nouit. diſp. 13. dub. 11. A S. Fauſto in theſau. lib. 5. qu. 167. Zanard. in ſumm. theolog. p. 2. cap. 17. versùs finem, Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 8. dub. 4. Portel in dub. regul. verb. Nouitia, num. 5. Roderic. in reſol. regul. reſol. 101. num. 40. Diana tom. 3. tract. 2. reſol. 17. Circa hanc conſtitutionem quatuor ſunt controuerſa. 1. An ſit reuocata per conſt. Greg. XIII. In tanta. 2. An profeſſio ſic facta valeat ita, vt, ſi nouitia conualeat, non debeat nouam profeſſionem emittere, finito anno nouitiatus. 3. An monaſterium ſuccedat bonis nouitiæ ſic profeſſæ inteſtatæ decedentis. 4. An iſta conſtitutio comprehendat nouitios omnium Religionum.

13 Ad I. iam dixi ad dictam conſtit. num. 2. hoc priuilegium non eſſe reuocatum; & præter Henriquez, Sanchez, Rodriquez quos ad id adduxi dicunt Portel, Barboſ. Beia, a S. Fauſto, Mir. Rodriq. tom. 4. ſum. cap. 63. nu. 4. quicquid dicant Cruz, & Vech. loc. cit. n. 3. Nam lex generalis non tollit legem antiquam pro caſu ſpeciali, vt cum multis docui ſup. cap. 5. num. 1. & latiùs id probaui ad dictam conſtit. num. 2. tom. 2. priuil.

14 Ad II. Rodriq. loc. cit. num. 5. Mirand. Beia, Portel loc. cit. dicunt, non valere. Barb. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 101. n. 33. & in cap. Ad Apoſtolicam, de Regul. nu. 4. dicit, quòd illa profeſſio valet, ſed quòd tenetur ſic profeſſus, integro anno nouitiatus completo, illam ratificare, & confirmare, quod eſt dicere, illam profeſſionem valere in foro conſcientiæ, & ſic profitentem eſſe obligatum obſeruare vota promiſſa, etiamſi ad ſeculum redeat, non valere tamen in foro fori, atque ita ſic profeſſum ſeculum petere, & Fratres poſſe illum expellere. Vechius de nouit. diſp. 13. dub. 11. n. 2. ait, quòd hæc profeſſio in neutro foro obligat, per declarationem Congr. quam affert, & ſic habet. *Qui emiſit profeſſionem intra annum probationis, non eſt obligatus, neque ad Religionem in genere, neque in ſpecie, neque etiam in foro conſcientiæ illi dicta eſt obligatio.* Quòd autem dicta profeſſio valeat, non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro fori, & quòd non ſit neceſſe eam ratificare, dixi in priuil. loc. cit. num. 1. cum Sanchez, Confettio, Henriq. quibus adde à S. Fauſto lib. 5. theſ. quæſt. 167. numer. 4. Zanard. loc. cit. Diana loc. etiam cit. Illa Congr. declaratio, ſi eſt vera, non intelligitur in caſu ſpeciali, per ea, quæ hic ſupra dixi cap. 5. num. 1. Et præterea Sacra Congreg. non poteſt derogare priuilegijs Papæ; vnde quando cenſet aliquod priuilegium eſſe derogandum, conſulit Papam, & de tali derogatione fit mentio in decreto.

15 Ad 3. Monaſterium non ſuccedere, multis contendit Riccius p. 2. praxis, reſol. 493. Rodriq. in ſum. loc. cit. nu. 5. Vech. loc. cit. nu. 2. Mir. tom. 1. man. qu. 22. ar. 10. verſ. Secundò. Barboſ. in c. Ad Apoſtolicam, de regul. nu. 4. Quòd verò ſuccedat, dixi cum Sanchez, Confettio, Henriquez quibus adde Zanardum in ſum. theolog. cap. 17. p. 2. verſ. finem. A S. Fauſto loc. cit. numer. 4. Confirmant hanc ſententiam illi DD. qui dicunt, quòd nouitijs decedentibus ab inteſtato ſuccedit monaſterium; hos refert, & ſequitur Grat. in deciſ. Marchiæ, deciſ. 35. num. 13. Et aduerte, quòd in hoc non ſit præiudicium venientibus ab inteſtato, quod numquam intendit Papa; nam iſte ſic infirmus cum periculo vitæ, ſi profiteatur, per hoc priuilegium verè profeſſus eſt; adeſt enim ibi conſenſus proprius, & conſenſus Fratrum, & Papa ſolùm diſpenſat in anni integritate; vnde cum certi iuris ſit, quòd monaſterium ſuccedit in omnibus bonis ſui profeſſi, cum ille verè profeſſus ſit, monaſterium naturaliter illi ſuccedit abſque cuiuſquam iniuria.

16 Ad 4. iam dixi tom. 2. priuil. cit. num. 3. quòd hoc priuilegio fruuntur omnes nouitij omnium Religionum communicationem habentium cum Dominicanis; quod etiam dicunt Rodriquez tom. 4. ſum. cap. 63. num. 4. A S. Fauſto lib. 5. theſ. quæſt. 167. num. 1. Beia 4. p. caſ. caſu vlt. in princ. Portel in dub. reg. verb. Nouitia, num. 5. verſu Quæris 1. Miran. loc. cit. verſ. 3. Vech. de nouit. diſput. 13. dub. 11. num. 2. Zanard. & Diana loc. cit.

17 Noto 6. quòd in conſtit. 9. Pij V. dicebam, poſſe Prælatos regulares creare notarios religioſos, qui fidē facerent, non ſolùm de negotijs communibus Religionis, ſed etiam de ſpecialibus quorumcumq; Fratrum, & non ſolùm in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus. Vnde dictus notarius poterit fidem facere, quæ in iudicio locum habeat, de morte alicuius Fratris, de profeſſione, de receptione ad habitum, de aliqua partita, quæ reperiatur in libris computorum conuentus; licèt hanc vltimam fidem poſſe facere ſcriptores dictorum computorum capitulariter electos, dicat Rodriq. tom. 4. ſum. cap. 58. concl. 11.

18 Aduerte, quòd in criminalibus cauſis, & grauibus numquam ſine ſcriptura procedi debet, cap. Legum. 2. quæſt. 1. cap. Quiſquis, cap. Qui crimen, 2. quæſt. 8. cap. Si quis cum Clerico, 11. q. 1. D. Tho. 2. 2. quæſt. 68. art. 2. Iſta autem ſcriptura de iure communi neceſſariò per notarium fieri debet, cap. Quoniam contra, de prob. Aldrete de diſcip. relig. c. 8. n. 5. Portel. in dub. reg. verb. Notarius, nu. 6. Rodriq. tom. 4. ſum. cap. 58. nu. 9. qui tamen ait, quòd in aliquibus Religionibus vſuuenit, quòd Prælatus ipſe per ſe excipiat dicta teſtium in ſcriptis; quod tamen reprobat Portel, & verè reprobandum eſt, cum ſit contra ius commune in æquitate naturali fundatum, ſi enim reus afficiatur iniuria, quomodò probabit, quæ iudex fecit? Ab iſto autem notario debet exigi iuramentum de fideliter ſuo officio exercendo, vt dixi in dicta conſt. 9. Pij V. num. 9. vbi poſui formam dicti iuramenti, & formam creandi dictos notarios, & formam literarum ſuæ creationis; propter hoc enim iuramentum fides illius publica, & authentica habetur, cap. Ad audientiam. §. Nos autem, de præſcrip. Aldrete loc. cit. numero 8. Addit verò Rodriquez loc. cit. num. 10. quòd dictus notarius debet ſubſcribere ad ſingulorum teſtium, vel reorum, aut accuſatorum, &c. dicta; ſed puto ſufficere, ſi ſubſcribat in fine proceſſus; & ſic obſeruatur in praxi in noſtra Religione, in qua nullus fit proceſſus, in quo non ſint ſaltem duo, Prælatus ſcilicet, & vnus ipſius Collegarum, qui ſolent communiter ſcribere; à quo vellem vt Prælati exigerent iuramentum prædictum in quolibet proceſſu formando, ſi fortè illum in principio ſui officij publicè in notarium non creaſſent; quod fieri debere pro multis bonis conſequentijs, quæ inde ſequuntur, conſulit Portel loc. cit. numero 2.

Caput Septimum de addendis ad conſtitutiones Gregorij XIII.

1 NOto 1. circa conſt. 2. huius Pontificis, quòd eſt in viridi obſeruantia, vnde anno 1632. factum eſt infraſcriptum decretum exiſtente Generali Reuerendiſs. P. F. Franciſco à Longobardis. *In cauſis Fratris N. Prouincialis Ord. Minimorum ſuper prætenſa recuſatione, oppoſitione, & reſiſtentia ab ipſo facta Fratribus N. N. per Patrem Generalem eiuſdem ordinis ad viſitandam eamdem Prouinciam miſſis, rebuſque alijs, &c. Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Card. S. Onuphrij, S. Sixti, & Ginetius, à S. D. N. ad cognoſcendas, & determinandas cauſas huiuſmodi ſpecialiter deputati cenſuerunt, declarandum eſſe, prout præſentis decreti virtute declararunt, prænominatum F. N. ob præmiſſa incidiſſe in pœnas contentas in literis Apoſtolicis in forma breuis fel. rec. Greg. xij. ſub dat. Romæ 27. Martij, 1576. incipien. Ex paſtoralis officij, &c. videlicet in excommunic. latæ ſent. Romano Pontifici pro tempore reſeruatam, necnon in pœnas priuationis perpetuæ officiorum per ipſum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti ordinis officia in poſterum obtinenda, necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ. Intereà verò ijdem Emin. cenſuerunt, committendum eſſe præf. P. Generali, prout præſentis pariter decreti virtute committunt, vt in prænominata Prouincia N. de idoneo Vicario Prouinciali prouideat, donec nouus Prouincialis electus fuerit. Romæ die 10. Sept. 1632. F. Ant. Card. S. Onuphrij. A. Torniellus.*

2 Noto 2. circa conſt. 4. huius Pontificis, quòd in ea ponitur magna illa indulgentia, quam lucrantur omnes Chriſti fideles viſitantes vnam ex noſtris Eccleſijs, ſeu oratorium monaſterijs, aut grangijs annexum, (vt probat Ximenez in explic. huius conſt. n. 17. & colligitur ex eadem conſt. ibi, *monaſteriorum, ſeu domorum, &c.*) in die feſto S.P.N. Franciſci. Et quoniam dicta indulgentia conceditur cum clauſula, *Toties, quoties id fecerint*; quæ clauſula valde prægnans, & peregrina eſt, & quæ Doctorum ingenia torſit hucuſque; de qua licet multa dixerim ad dictam conſt. 4. quæ videantur poſſe ſufficere? Quia tamen P. F. Antonius Ximenez vir doctiſſimus, & ſanctiſſimus noſtræ Religionis ex Prouincia Hiſpalenſi in capitulo generali Barcinone pro eadem Prouincia Commiſſus dedit mihi quemdam tractatum, quem fecerat pro iſta indulgentia, in quo ſpecialis doctrina illius clauſulæ, *Toties quoties*, cótinetur, & efficaciùs corroboratur doctrina P. Montoyæ, quam ſum ſecutus: ideò placuit hic illum inſerere, ijs relictis, quæ magis communia ſunt.

3 Dicit ergo 1. dict. Ximenez, quod qui eo die ſemel viſitauit vnam ex noſtris eccleſijs conuenienti feruore, & deuotione, acquiſiuit plenariam remiſſionem omnium pœnarum ſuis culpis debitarum, ſecundùm indulgentiæ tenorem; vnde ſi poſteà dictas viſitationes replicet, nullam ampliùs indulgentiam conſequitur, cum nihil ampliùs remittendum adſit. Illæ tamen nouæ viſitationes non erunt fruſtraneæ; nam per illas augebitur gratia, impetratio, & ſatisfactio, vel pro ſe, vel pro alijs, quibus applicabit, ſeu pro theſauro Eccleſiæ, ſi nulli applicuerit.

4 2. Dicit, quod qui viſitanit dictas eccleſias pauco feruore, & deuotione, ſi multis pœnarum debitis aſtrictus erat, non lucratus eſt dictarum pœnarum plenariam indulgentiam, ſed tantummodò partem illarum, iuxta gradum feruoris, & deuotionis, quem habuit; replicando autem viſitationes, acquirit proportionaliter remiſſionem dictarum pœnarum ex opere operato, vltra illam, quam acquirit ex opere operantis; & hoc eſt ſpeciale in hac noſtra indulgentia, propter illam clauſulam *Toties quoties*, quæ vbi non repetitur, cum nō poſſit eccleſia niſi vna ſola vice viſitari ſi ea vice qui viſitat, non habet debitum feruorem, & deuotionem, non acquirit plenariam pœnarum indulgentiam, ſed tantummodò ad menſuram feruoris, quo viſitauit. Citat pro hac doctrina AEgid. diſp. 12. de indulg. dub. 6. n. 34. & 35. Et probat primò. Nam Pontifex pro iſta indulgentia lucranda petit orationes fidelium directas in bonum commune totius Eccleſiæ: ergo ſicut miles, qui plus pro ſua Republica laborat, plus meretur accipere de bonis dictæ Reipublicæ, quàm ſi minùs laboraret: ſic qui maiori feruore orando ſeruit Eccleſiæ, meretur de illius theſauro magis accipere, quam ſi minori feruore ſeruiret: vnde ſi debito feruore orat, plenariam conſequitur remiſſionem pœnarum, ſi non, ad ratam feruoris. Secundò probat ex 1. extrau. de pœnit. & rem. vbi §. vlt. ait Papa. *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs conſequetur, qui baſilicas ipſas ampliùs, & deuotiùs frequentabit.* Quæ verba nihil aliud poſſunt ſignificare, niſi quod diximus: nam comparatiuum illud, Efficaciùs, ſupponit poſitiuum, Efficaciter; & ſic qui deuote viſitauerit eccleſiam, efficaciter conſequetur remiſſionem alicuius pœnæ, & qui magis deuotè, efficaciùs conſequetur maiorem remiſſionem pœnæ.

4 III. Dicit, quòd quando quis, poſtquam confeſſus eſt, communicauit in peccato, ſeu poſtquam dignè communicauit, & lucratus eſt indulgentiam, intra terminum illius diei, in quo dicta indulgentia lucrari poteſt, iterum peccauit, & gratiam amiſit, non poteſt ampliùs noua eccleſiæ viſitatione dictam indulgentiam conſequi, etiamſi contritus exiſtat, niſi de nouo communicet. Quod probat primò. Nam priuilegium conceſſum nobilibus intuitu nobilitatis, amittitur, ſi per aliquod accidens deſinant eſſe nobiles, non obſtante, quòd poſteà in gratiam Principis recipiantur; Hoc priuilegium, & indulgentia conceditur nobilibus, qui receperint gratiam ſacramentorum confeſſionis, & communionis, & qui habent non ſolum gratiam habitualem ſanctificantem, ſed etiam gratiam ſpecialem iſtorum ſacramentorum, quæ in confeſſione eſt ſpeciale auxilium ad dolendum de peccatis, & in communione ſecundùm D. Thom. 3. par. quæſt. 79. ar. 1. conſiſtit in maiori vnione cum Chriſto, ex quo dignè ſumentibus confertur auxilium maioris feruoris charitatis: ergo hac gratia frui non poterit ille, qui iſta nobilitate carebit: Sed qui peccauit in receptione ſacramentorum, eam non habet, & qui illam habuit, & amiſit per peccatum mortale ſuperueniens, per actum contritionis licèt fiat æquè, vel magis amicus Dei, ſpecialem tamen gratiam ſacramentorum, & illa ſpecialia auxilia non recuperat; ergo etiamſi quis eccleſiam viſitet, gratiam tamen indulgentiæ non conſequitur, ſi ſacra communione non ſit de nouo refectus.

5 Deinde, hac ſpeciali doctrina poſita, corroborat doctrinam Montoyæ, pro qua ponit ſequentes concluſiones. Prima. Ad hoc, vt multiplicetur formalis indulgentia plenaria *Toties, quoties*, neceſſariò ſolùm multiplicandæ ſunt piæ preces ad eam lucrandam requiſitæ: vnde correlatiuum *Toties*, non eſt *Quoties*, vnitum confeſſioni ſacramentali, communioni, & viſitationi eccleſiæ, ſed ſolummodò vnitum pijs precibus pro pace, & concordia Principum Chriſtianorum, &c. Probat primò ex verbis eiuſdem bullæ, vbi, poſitis illis verbis, *Pias ad Deum preces effuderint*, ſtatim ſubditur, *Quoties id fecerint, toties plenariam ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem concedimus, & elargimur.* Non dicit, Papa, Quoties hæc fecerint in num. plurali, quaſi complectens omnes diligentias antecedentes, ſed ſolùm *Quoties id fecerint*; hoc eſt diligentiam immediatè antecedentem fecerint, ideſt, pias preces ad Deum effuderint. Secundò probat. Nam aliæ diligentiæ meritò non iubentur multiplicari, cum confeſſio ſacramentalis ſolùm requiratur ad reddendum ſubiectum capax, vnde qui ſine peccato eſſet, non teneretur confiteri ad indulgentiam lucrandam, Adde, quòd neceſſitas confitendi conditio oneroſa eſt, & toties multiplicata intra vnum diem, confuſionē pareret, vnde ſtrictè eſt interpretanda, ad dicta per Suar. tom. 4. in 3.

in 3.diſp.56. ſect. 2. num. 10. vbi affert hanc regulam. Cum in forma indulgentiæ regulariter duo contineãtur, impoſitio alicuius oneris, & conceſſio alicuius remiſſionis, prior pars ſtrictè interpretanda eſt, poſterior verò largè: vnde etiam ſequitur, quòd communio non eſt multiplicanda; addito, quòd intra eumdem diem multiplicari non poteſt: & licèt indulgentia in duobus diebus lucrari poſſit, non conuenit tamen eam multiplicari, niſi perſona eam lucrans eſſet multùm ſpiritualis; neque etiam eſt multiplicanda viſitatio eccleſiarum, tum quòd contractus inter Papam, & fideles ſolùm adeſt in multiplicatione precum; tum quòd conditio oneroſa eſt, vnde non eſt neceſſe ingredi, & egredi eccleſiam ad multiplicandum lucrum indulgentiæ, ſed ſufficit intra eamdem eccleſiam ſæpiùs multiplicare hac intentione preces ſecundùm mentem Pontificis.

6 Concluſio 2. Qui per obliuionem, aut ignorantiam, quando confeſſus eſt, reliquit aliquod mortale, gratia ſacramentali recepta, quando dictas pias preces in vna ex dictis eccleſijs effuderit, conſequetur non ſolùm remiſſionem pœnarum debitarum peccatis confeſſis, ſed etiam debitarum peccatis omiſſis, & oblitis. Hæc concluſio eſt contra Gerſonem 2. p. ſuorum op. alphab. 33. lit. R. vbi dicit, quod obliuio impedit indulgentiæ effectum quò ad peccata oblita. Et potuit in eo fundari, quòd quando exigitur pro conditione confeſſio, abſolutio cadere debet ſupra peccata confeſſa, & non ſupra omnia. licèt enim quantùm ad culpam omnia deleantur, quò ad pœnam tamen ſeparabilia ſunt, & poteſt aliquorum pœna remitti, aliorum non remiſſa. Contrarium tamen ſentit Suar. loc. cit. diſp. 52. ſect. 3. nu. 9. Vnde probat primò concluſionem. Quia quamuis requireretur omnium peccatorum confeſſio, & omnia expreſsè non confiterentur, cenſentur tamen confeſſa, quia quantum eſt ex parte pœnitentis factum eſt totum id, quod humanè fieri potuit, vnde ſecundùm Trid. peccata ſic ignorata, & oblita in expreſsè confeſſis continentur. Quare indulgentiam illis omnibus peccatis eſt applicanda, quorum culpa remiſſa eſt, quando peccatorum expreſſorum deteſtatio fuit in cõmuni extenſa ad omnia oblita, & ignorata. Secundò probat. Quia hæc noſtra indulgentia non exigit determinatè confeſſionem ſacramẽtalem, ſed aut confeſſionem, aut contritionem, vt conſtat ex illa clauſula, *verè pœnitentibus confeſſis*, quæ non copulatiua, ſed alternatiua eſt, & vult dicere, Contritis, aut confeſſis, vt explicat Suar. to. 4. in 3. p. diſp. 52. ſect. 3. n. 3. ergo quocumq; modo, ſiue directè, ſiue indirectè remittatur culpa, ſemper indulgentia ſuum integrum effectum, ideſt, remiſſionem peccatorum ſortitur; quia hic ſolùm ſupponit habitualem gratiam in recipiente. Immo hæc concluſio verum habet non ſolùm in eo, qui in confeſſione conſecutus eſt remiſſionem peccatorum oblitorum, ſed etiam in eo, qui, facta confeſſione informi, gratiam non recepiſſet; ſufficit enim, quòd hic vel per ſequentem contritionem, vel per receptionem Euchariſtiæ ita obicem tollat, vt quando ad recitandas pias preces ad vnam ex dictis eccleſijs acceſſerit, gratia habituali ſit informatus. Ita Suarez loc. cit. num. 6.

7 Concluſio 3. Qui ſacramentaliter confeſſus eſt, vel per contritionem gratiam recepit, conſequitur indulgentiam omnium peccatorum venialium, etiamſi illa non ſit confeſſus (exceptis ijs quæ in affectu vigent, quę quò ad culpam ablata non ſunt.) Eſt contra Adrianum exiſtimantem, eſſe neceſſarium ad indulgentiæ effectum conſequendum omnia venialia integrè, & expreſsè confiteri. Et contra Cordubam dicentem, confitenda eſſe peccata venialia magis grauia, vt pœna per indulgentiam remittatur.

Prima pars conſtat ex concluſione 2. ſi quidem in hac noſtra indulgentia non neceſſariò exigitur confeſſio, & licèt exigeretur, ſi Pontifex expreſsè non declararet quòd eſſet facienda confeſſio venialium, dicta confeſſio requiſita non eſſet intelligenda de venialibus, quæ gratiam non auferunt, ſed tantùm de mortalibus. Ita Anton. 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 10. Nauarr. de iubil. notab. 18. num. 19. & notab. 30. num. 6. Suarez loc. cit. n. 5. Et ratio eſt: quia ſicut quando dicitur ſimpliciter peccatum, intelligitur de mortali, ſic quando dicitur confeſſio, intelligitur ſimpliciter de mortali, quia confeſſio eſt medicina mortalium. Secunda pas probatur: quia omnia peccata venialia pœnitentis remittuntur quoad culpam, (dum non adſit propoſitum in aliquibus perſeuerandi, hæc namque non remittuntur) accepta abſolutione mortalium confeſſorum, vt D. Thom. 3. par. quæſt. 79. artic. 8. ergo de his omnibus recipietur effectus indulgentiæ, & non de illis, quæ in affectu vigent, quia pœna abſque culpa per indulgentiam non remittitur, vt Suarez loc. cit. ſect. 2. num. 4. & 5. Itaque qui peractis diligentijs, quæ in hac noſtra indulgentia requiruntur ad illius effectum conſequendum, ſi aliqua venialia non fuit deteſtatus, quia habebat propoſitum in ijs perſeuerandi, illorum remiſſionem non eſt conſecutus. Si tamen intra determinatum tempus ea deteſtetur, replicando ſolas preces, iſtorum etiam remiſſionem conſequetur; quod non accidit in alijs indulgentijs, in quibus clauſula, *Toties, quoties*, non reperitur.

8 Concluſio 4. Qui inualidè confeſſus eſt, ſeu aliquod mortale peccatum poſt validam confeſſionem commiſit, & communicauit in gratia, vel ſine illa, quia de commiſſa culpa in confeſſione non doluit, aut qui poſt communionem ante recitationem piarum precum mortaliter peccauit, poterit nihilominus hanc indulgentiam lucrari abſque noua confeſſione, & communione cum ſola contritione. Hæc concluſio probatur quò ad omnes ſuas partes. Quia licèt verum ſit, quòd ad ſacram communionem ſumendam de iure diuino, & eccleſiaſtico prærequiritur conſcientiæ purgatio per ſacramentalem confeſſionem, quando adeſt peccati mortalis conſcientia; tamen quia ſupra dictum eſt, quòd ad lucrandam iſtam indulgentiam ſufficit fructuoſa confeſſio, aut vera contritio antequam ad vltimas diligentias requiſitas, ideſt ad pias preces deueniatur, ideo qui poſt cõfeſſionem mortaliter peccauit, & carens copia confeſſarij, vel alia iuſta cauſa non confeſſus, contritus tamen communicauit, non peccauit, ſed erit fructuoſa communio; quòd ſi nec confeſſus, nec contritus communicauit, ſacrilegium commiſit, cuius quidem peccati ſimul cum alijs ſi contritionem habeat, quando pias preces recitat, hanc indulgentiam lucratur abſque alia confeſſione. Sed quòd in caſu cõmunionis ſacrilegæ nullus obligetur ad eius repetitionem præcisè pro hac indulgentia lucranda, probatur; quia communionis conditio, quam indulgentia requirit, iam fuit in effectu adimpleta, quamuis fructus communionis non fuerit receptus, propter obicem, ſed in ſacramentis confertur gratia ex opere operato, quãdo à bene diſpoſitis recipiuntur, aut quando obex per ſubſequentem contritionem tollitur. Quod ſicut in alijs ſacramentis certum eſt, ita idem dicendum in communione informi in re ſuſcepta, quòd ſcilicet ſuum ſortiatur effectum ex opere operato, amoto obice per ſubſequentem contritionem.

9 Quòd ſi quis obijciat cum Suarez tom. 4. in 3. par. diſput. 52. ſect. 2. n. 15. quòd hoc, quod eſt ſuſpendi fructus ſacramenti, & poſtea ablato obice conferri, non reperitur in omnibus ſacramentis, ſed in illis ſolùm, quæ reiterari non poſſunt, aut ſunt de neceſſitate ſalutis, quare in communione, quæ reiterari poteſt, id non eſt admittendum; & conſequenter ſine fructuoſa communione non poterit iſta indulgentia lucrari. ℞. quòd iſta diſparitas reiterandi, aut non reiterandi ſacramenta, non eſt ſufficiens, nam confeſſio reiterari poteſt; & tamen ipſe Suarez loc. cit. diſput. 20. ſect. 5. nu. 13. cum D. Thom. probat poſſe dari confeſſionem informem, quæ ſuum ſortiatur effectum recedente fictione. Quòd verò omnia ſacramenta hoc habeant, quòd recedente fictione conferant gratiam, quam erant colla-

latu-

latura, ſi ſine fictione fuiſſent recepta, docent Caiet. to. 1. opuſc. tract. 5. quæſt. 5. Petrus Sot. lect. 4. de baptiſmo; & videtur ſententia D. Thom. in 4. d. 17. q. 5. art. 4. quæſtiunc. 1. Palud. q. & Capr. q. 2. Et ratio eſt, quia in ſacramentorum receptione merita Chriſti Domini applicantur, quæ ſemper exiſtunt in diuina acceptatione, & per ipſa non ſtat, ſi homo obicem non ponit; ergo ſi homo, qui obicem poſuit, illum auferat, ſacramenta neceſſario ſuum producent effectum, qui eſt gratia iuſtificans, 1. aut 2. iuxta ſacramenti qualitatem. Ea itaque probabilitate, qua id de omnibus dicitur ſacramentis, id dico de ſacra communione ſic impedita; & conſequenter, quòd ille, qui ſic communicauit, adimpleuit conditionem requiſitam à Papa pro conſequenda hac indulgentia, vnde abſque noua communione poterit indulgentiam lucrari, requiſitas preces recitando.

10 Concluſio 5. Qui omnibus requiſitis peractis, indulgentiam fuit lucratus, aut qui eam fuit conſecutus in caſibus trium vltimarum concluſionum, poteſt eam multotiès lucrari, ſi noua peccata mortalia, aut venialia committat, abſque eo, quòd de nouo confiteatur, aut communicet, cum ſola recitatione piarum precum, ideſt cum fide, ſpe, & charitate, quamuis non admodùm intensè, factarum. Hæc concluſio conſtat ex dictis: nam pro hac indulgentia pluriès conſequenda non eſt neceſſe multiplicare, niſi pias preces requiſitas, vt conſtat ex dictis num. 6. cœtera verò requiſita ſi ſemel hac intentione fiant, ſufficit; ergo ſi peccata de nouo non occurrant, vel nullum reſtat remittendum veniale in caſu tertiæ concluſionis numero 8. repetitio indulgentiæ nihil operatur ex opere operato; cum nihil temporale adſit, quod remitti poſſit: ſi autem peccata de nouo occurrant, ſufficit quòd venialia tollantur aliquo ex remedijs appoſitis quò ad culpam, & mortalia per contritionem, ita vt accedens homo ad faciendas pias orationes ſit ſubiectum capax indulgentiarum, vt colligitur ex dictis: Ergo abſque repetitionis confeſſionis, & communionis poteſt lucrari indulgentiam toties, quoties faciet dictas pias orationes.

His poſitis, reſpondet ad ea, quæ ſupra num. 3. allata ſunt pro prima ſententia contra Montoyam: Et ad primum concedit, quòd Pontifex petit à nobis dictas ſatiſfactiones, ſed negat, quòd pro illis ſit ſolùm daturus proportionatum præmium, vt in exemplo militis ſeruientis Reipublicæ. Nam retributio, quæ datur in indulgentijs, non prouenit à iuſtitia diſtributiua, ſed à liberalitate Pontificis prudenter, ideſt, cum iuſta cauſa theſauros Eccleſię diſtribuentis, vt probat Suarez tom. 4. in 3. p. diſput. 52. ſect. 8. num. 3. vnde diligentia illius, qui impetrat indulgentiam, non eſt diſpoſitio ad tantam, vel tantam remiſſionem, ſed conditio ſolùm, per cuius adimpletionem ſecundùm voluntatem Papæ conceſſa eſt indulgentia plenaria. Et quamquam verum ſit, quòd piæ preces pro motiuo deſeruiant, & quòd ad proportionem motiui concedantur diuitiæ; hic tamen ſolùm petitur, quòd ſint piæ preces, & pro exceſſu feruore nihil promittitur ex opere operato; vnde maior, vel minor intenſio ad indulgentiæ effectum impertinenter ſe habet.

12 Ad ſecundum, Senſus illius extrau. non eſt, quòd ille, qui diligentiam fecerit, non conſequatur totalem remiſſionem, quando deuotio valde intenſa non fuerit: Nam omnes accedentes ad dictas baſilicas verè pœnitentes, & confeſſi in prædicto anno iubilæi, ſeruata forma ibi præſcripta, ſcilicet, vt *reuerenter accedant*, ideſt pietatis, & religionis cauſa, & quòd Romani viſitet triginta diebus ſemel in die, & extranei quindecim, pleniſſimam illam indulgentiam, ſiue id fecerint cum magna, vel cum parua deuotione, conſequuntur, vt Suarez loc. cit. num. 7. verba verò illa, *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur*, intelliguntur, non quia maior remittatur pœna, ſed quia ex parte cauſæ illa eadem pœna cum maiori certitudine remittitur, quando baſilicæ plures, & cum maiori deuotione fuerint viſitatæ. Et confirmari poteſt exemplo contritionis, quæ licèt minima ſit, ſufficit tamen ad efficaciter delenda omnia peccata mortalia, ſed quantò maior fuerit, cum maiori vi, ac certitudine idem facit. Seu intelliguntur, quòd Papa, completis diebus viſitationis, & tota iam pleniſſima indulgentia conſecuta, qui deuotiùs adhuc pergent in viſitatione dictarum baſilicarum, nouam aliquam indulgentiam conſequantur ad proportionem deuotionis de pœnis debitis ſubſequentibus peccatis. Ita Suarez loc. cit. num. 8. Vide Gloſſ. in dicta extrau. verbo Conſequetur.

13 Deinde reſpondet ad ea, quæ dicta ſunt ſupra nu. 4. & directè militant contra doctrinam Montoyæ, & ad argum. quo dicitur, quòd priuilegium conceſſum nobilibus deperditur, ſi per aliquod accidens deſinant eſſe nobiles, ſed hæc indulgentia conceditur nobilibus; Omiſſa maiori, reſpondet ad minorem. Aut iſta nobilitas conſiſtit in eo, quòd illi, qui lucraturi ſunt hanc indulgentiam, habeant nobilitatem diuinæ gratiæ iuſtificantis, quæ facit homines participes diuinæ naturæ, vnà cum ſpeciali gratia ſacramentorum, remiſſione nimirum peccatorum, & infuſione primæ gratiæ per ſe, quam producit ſacramentum pœnitentiæ, & augmento gratiæ per modum refectionis, quam producit ſacramentum Euchariſtiæ? Aut conſiſtit in eo, quòd etiam vnà cum dictis gratijs debeant habere auxilia ſpecialia, & gratiam actualem, quam iſta ſacramenta cauſant? Si primum, quod eſt certiſſimum: licèt verum ſit, quòd per peccatum ſubſequens perditur iſta nobilitas, per pœnitentiam tamen, quæ ſit vel virtus mediante contritione, vel ſacramentum, mediante confeſſione, ſtatim integrè, & in altiori gradu recuperatur tota gratia habitualis, omnes virtutes, & dona ſupernaturalia, in quibus includitur non ſolùm prima gratia recepta per priorem pœnitentiam, ſed etiam illius augmentum ſimul cum augmento gratiæ à communione cauſato, vt latè probauimus, ait Ximenez, in noſtra eruditione euangelica tom. 2. lib. 15. exerc. 7. qua ratione dixit Chryſoſt. hom. 6. in Geneſ. *Per miſericordiam Dei, ſi modo condemnare, facta noſtra voluerimus, poterimus ſtatim ad priſtinam abundantiam redire*, non eſt neceſſe ad recuperandam totam gratiam deperditam, quòd pœnitentia ſit ita feruens, vt diſponat, & proportionet ſubiectum cum gratia recuperanda, ſolùm exigit Sanctus, quòd noſtra condemnemus peccata, per quæ gratia deperdita fuit, quod quacumque vera contritione ſit. Sed eſto quòd contrariam opinionem ſequi velimus, ſcilicet, quòd ex gratia, & virtutibus deperditis non reſtituatur, niſi ad menſuram præſentis diſpoſitionis, cum qua peccator ad Deum conuertitur, hoc ſufficit ad ipſum nobilitandum ad hoc vt ſit capax indulgentiæ, abſque noua confeſſione, & communione; ſat namque eſt, quòd tempore conſecutionis indulgentiæ, qui eam conſequi vult, ſit in gratia, & quòd adimpleuerit conditionem confeſſionis, aut contritionis, & quòd ſemel hac intentione communicauerit; ſiquidem forma huius indulgentiæ non exigit, niſi quòd multiplicentur pię orationes. Si verò dicatur, quòd nobilitas conſiſtit in eo, quòd ſimul cũ gratia habituali habeantur auxilia ſpecialia, qualia ſunt in communione feruor deuotionis, dulcedo, &c. hoc eſſe falſum, conſtat ex eo, quòd dicta auxilia, etiam abſque communicantis culpa, non ſemper omnibus dantur; vnde, ſi hoc ita eſſet, non omnes, qui dignè, & abſque peccato Euchariſtiam ſumerent, & piè orarent, indulgentiam conſequerentur, ſed illi ſolùm, qui hunc feruorem, & dulcedinem haberent. Item hæc actualia auxilia effectus ſacramentalis communionis, non cauſantur virtute ſacramenti, niſi dum ſpecies ſacramentales in ſtomacho reſident, & illis eſt præſens corpus Chriſti Domini, ſeu Chriſtus Dominus, quo mediante feruor charitatis, potens Chriſto præſenti animam recipientis vnire, acquiritur. Itaque ſi illi, qui volunt conſequi hanc indulgentiam, vt eam conſequantur debent ne-

ceſſariò habere hanc nobilitatem, pauci poterunt illam conſequi, ſiquidem qui mane communicat, & veſpere orat, non orabit cum feruore deuotionis, & charitatis, & multò minùs qui communicauit heri, & hodie orat, quamuis gratia iuſtificante inſignitus; atque ita non conſequerentur indulgentiam, niſi illi, qui ſtatim poſt communionem factam intra præſcriptum tempus piè orarent, vnde nullus, niſi matutino tempore, poſſet illam lucrari, ſiquidem veſpertino tempore, conſummatis ſpeciebus ſacramentalibus, iam non ſunt ampliùs illi feruores, & actualia auxilia ſacramentalia. Quare ad hoc inconueniens vitandum dicendum eſt, quòd qui peccauit, & amiſit gratiam, non erit neceſſe, cum poſtea per pœnitentiam reſurgit, quòd iſta auxilia ſpecialia habeat, neque qui indignè communicauit, & conſequenter ea non recepit, neceſſe eſt, quòd illa poſtea habeat, ſed ſufficiet, quòd communio informis ſuũ ſortiatur effectum, vt dictum eſt num. 8. & 9. intra præfixum tempus. Neque ex eo, quòd amiſſa ſint per peccatum dicta auxilia communionis effectus, deſunt nobis alia opportuna remedia, ſeu auxilia poſt pœnitentiam miſericorditer à Deo collata, quibus poſſimus dictas pias preces abſque noua communione cum feruore peragere. Quod cum admiratione dixit Ambroſ. lib. 2. in Lucam. *Vides quàm bonus Deus & facilis indulgere peccatis, non ſolum ablata reſtituit* (gratiam ſcilicet deperditam) *ſed inſperata concedit*; quæ ſunt aliqua auxilia ſpecialia, gratioſè, & liberaliter condonata.

14 Concludit igitur, quòd quotieſcumque in prædicto die S.P.N. à primis veſperis, &c. quis conatur recipere dictam indulgentiam peractis debitis diligentijs, quamuis piæ preces non ſint admodùm intenſæ, acquirit nihilominùs efficaciter omnium pœnarum abſolutionem. Quòd ſi nulla adſit pœna remittenda, non per hoc eſt infructuoſa dicta repetitio piarum precum ſeu viſitationis eccleſiæ; nam ea acquiruntur ex opere operantis multa bona, augmentum ſcilicet maioris, & maioris gratiæ, & meritorum æternæ gloriæ, augmentum chriſtianæ religionis, & profectus animarum, impetratio bonorum pro Eccleſiæ catholicæ theſauro. Quòd ſi peccatum aliquod mortale intra præfixum terminum poſt conſecutionem indulgentiæ, patrare contingat, cum pro lucranda indulgentia non ſit neceſſaria confeſſio, ſed ſufficiat ſola vera contritio, petatur hæc à Deo, cum dolore peccatorum, & precum repetitione, & denuo indulgentia acquiretur. Intelligere namque, quòd abſque noua confeſſione, & communione non poteſt denuò acquiri iſta indulgentia, eſt fidelium deuotionem minuere, & animas ſine remedio relinquere contra finem intentum à Papa in conceſſione noſtræ indulgentiæ. Compungi ergo, & conteri de peccatis, & preces repetere abſque noua confeſſione, & communione, in nullo poteſt nocere, etiam dato, quòd opinio mea in re non eſſet vera, adiuuat, animat, & calefacit miſerum peccatorem, vt citiùs veniam ſuorum peccatorum conſequatur, ſi præſertim probabiliter credat, quòd ipſi conceditur indulgentia plenaria toties, quoties id fecerit. Hæc Ximenez in præfato tractatu.

15 Ad vltimum pro hac noſtra indulgentia aduerte, quòd transfertur cum tranſlatione feſti eiuſdem S. Franciſci, per ſpeciale decretum Greg. XIII. quod fuit omnino neceſſarium; nam alioquin indulgentia non eſt transferenda, ſed accipienda eodem die, licèt feſtum quò ad diuinum officium transferatur. Ita Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 28. q. 8. Portel in addit. ad dub. regul. verb. Feſtum, num. 1.

16 Noto etiam circa conſtit. 5. eiuſdem Pontificis, quòd nu. 1. dicebam, quòd electiones per compromiſſum in noſtro Ordine in capitulis generalibus erant in vſu. Aduerto autem nunc, quòd bene faciet dictum capitulum, ſi compromittat in aliquos numeros diſpares, propter facilitatem hominum ad diſcordandum, argum. leg. Item ſi vnus, §. principaliter tamen, ff. de recept. arbitr. vt ſaltem maior pars conueniat.

17 Et aduerte, quòd ſi vnus de capitulo non conſentiret, vt tales electiones fierent hoc modo, fieri nequirent, licèt alij omnes conſentirent, c. In cauſis, de elect. vbi Io. Andr. num. 7. & Panorm. nu. 3. De Bayſio in direct. elect. p. 3. cap. 18. num. 1. Mandag. de elect. cap. 39. & cap. 21. vbi Boet. lit. C. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 19. num. 31. Et ratio eſt, quia cuiuslibet intereſt ſingulariter, vt eligat per ſe, & non per alium: Et in re communi potior eſt conditio prohibentis, vt in reg. In re communi, quæ eſt 56. de reg. iur. in 6.

18 Aduerte etiam, quòd dicto num. 1. dicebam, non poſſe dictos compromiſſarios ſic electos præfatas electiones facere per communem inſpirationem, imò nec per quaſi inſpirationem, quæ eſt quando omnes deputati vno ore conſentiunt in aliquem, & non conſtat, quod auctore Deo id faciant, ſed præſumitur, quòd per inſpirationem ita eligant ratione concordiæ; nam Spiritus ſanctus eſt in vnitate, & concordia, cap. Schiſma, 24. q. prima cap. De illis, 24. q. 4. quæ electio ad hoc vt per quaſi inſpirationem ſit facta, oportet, quòd fiat abſque vitio Simoniæ, conſpirationis, coniurationis, requiſitionis, ſeu conſenſus extra capitulum habiti ante electionem, argum. cap. Per inquiſitionem, de elect. Et ſufficit, quòd omnes concordent ſimul in capitulo, etiam ſingillatim, dummodò communis electio ſequatur. Et aduerte, quòd in iſta electione non debet interuenire tractatus ſpecialis, poteſt tamen interuenire generalis, v.g. Rogemus Deum, vt bonum nobis concedat Prælatum, ſeu ſtudeamus facere bonum Prælatum; non autem debet fieri perſuaſio reſpectu certæ perſonæ; Poteſt tamen Prælatus dicere hoc modo. Frater N. mihi videtur eſſe bonus pro tali Prælatura. Ita de Bayſio in direct. elect. p. 3. cap. 16. num. 5. Qui vltimus modus fuit obſeruatus à Generali Chamart in cap. generali Romæ 7. celebrato, in electionibus factis à compromiſſarijs; & has eſſe licitas, docet De Bayſio loc. cit. num. 3. Sed eas vſitari non video in Ordine noſtro; & fortè fieri nequeunt. Dictas autem electiones ſic factas auctoritate Apoſtolica confirmauit Cardinalis Protector. Imò dictus P. Chamart in electione Collegarum, & Zeloſi, quæ fiebant per ſcrutinium, ſemper ante electionem cuiuslibet Collegæ dicebat, Pro hoc officio mihi videtur eſſe bonus Frater N. & deinde deueniebatur ad electionem per ſcrutinium, qui modus proponendi nullam habet nec in re, nec in iure deformitatem.

Caput Octauum de addendis ad Conſtitutionem Sixti V.

1 NOta, quod in Archiuio noſtro Romano apud Patrem Zeloſum inueni aliam conſtitutionem huius Pontif. conceſſam Fratribus Gallis pro recipiendis nouitijs extra capitula definitoria; quæ conſtitutio licèt ſolùm de Fratribus Gallis loquatur, extendi tamen debet ad omnes nationes. Tum quia per priuilegium Clem. VII. quod refero tom. 1. noſtr. priuil. in illius conſtit. 3. gratia vni conceſſa, omnibus conceſſa cenſetur. Tum quia hæc conſtitutio eſt fauorabilis, & fauores conuenit ampliari. Tum quia hic nulla adeſt particula taxatiua, quæ hanc extenſionem fieri prohibeat: Tum quia neque etiam vlla apparet ratio, quare non poſſit dicta extenſio fieri. Ad omnes igitur nationes extendenda.

Con-

Conſtitutio vnica, aliàs 3.

Concedit, vt quilibet Prouincialis cum tribus ſuis Socijs, etiam extra capitulum generale, & prouinciale, poſſit nouitios ad Religionem admittere.

SIXTVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Dilectis filijs Prouincialibus Ordinis Fratrum Mininiorum ſub regula D. Franciſci de Paula per regnum Franciæ conſtitutis, & eorum cuilibet.

DILECTI FILII SALVTEM, &c.

§. 1. *ET SI nos anteà de omnibus eccleſiaſticis Ordinibus in ea, qua conuenit, puritate, & dignitate conſeruandis attentius cogitantes, noſtra deſuper perpetuò valitura conſtitutione ſtatuerimus, & ordinauerimus, ac prohibuerimus, ne deinceps cuiuſcumque iuuenis, & viri adulti maioris ſexdecim annis a ſeculo ad Religionem tranſire volentis approbatio, admiſsio, & receptio fieri debeat, niſi in generali, vel prouinciali capitulo. Nihilominus pro parte veſtra Nobis nuper expoſito, quòd capituli vnius generalis ad aliud in ſex annos, prouincialis verò in triennium celebratio differri conſueuit, ac propterea permulti quotidie, quibus veſtram Religionem ingredi ob melioris vitæ frugem cordi eſt, interdum ab eorum ſancto propoſito, vel malè ab alijs conſulti, aut ſæpe humani generis, & eorum quietis, ac ſalutis infeſtiſsimi hoſtis inſidijs decepti remouentur, vel ad aliud minus acceptum omnipotenti Deo vitæ genus tranſeunt, in graue ſalutis animarum eorundem, & Religionis veſtræ, cuius propagandæ in illis partibus, maxime aduerſus ſerpentis vndique hæreſis malum, ſtudio adducimini, præiudicium.*

Concedit prout in ſummario.

§. 2. *Nos propterea præmiſsis opportunè prouidere, necnon Religionem veſtram per vniuerſum regnum Franciæ, & ad Dei gloriam, & populi ſui ædificationem longè, lateque ſpargi, & diſſeminari deſiderantes; vobis, vt vnuſquiſque veſtrum, vna cum tribus eius Socijs, eos omnes, qui in Religionem veſtram ingredi, & habitum ſuſcipere voluerint, ac profeſsionem emittere decreuerint, & ad id ſe præſentauerint, quos tamen idoneos iudicaueritis, non expectato generali, nec prouinciali capitulo, ſed quoties opus fuerit, ad habitum huiuſmodi, necnon probationis anno completo, ad profeſſionem regularem, aliaque quæ deſuper neceſſaria fuerint, adimplere, admittere, facta tamen priùs per ſaltem vnum ex vobis, & tres Socios veſtros diligenti inquiſitione de parentibus, patria, & anteacta vita, ac moribus, & dummodo conſtiterit, eos aliquorum criminum, qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, & grauiora, reos, vel ſuſpectos non exiſtere, nec in conſtitutione noſtra huiuſmodi comprehendi, ſine alicuius inhabilitate, aut cenſurarum, vel aliarum, in prædicta, vel alijs conſtitutionibus contentarum pœnarum incurſu, liberè, & licitè valeatis, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò concedimus, licentiamque deſuper impartimur: non obſtante conſtitutione noſtra prædicta, ac alijs conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Mandat dictas receptiones referri in cap. prouinciali, vel generali.

§. 3. *Volumus autem, quòd vos, & quilibet veſtrum ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ, prædictas nouitiorum decimum ſextum annum, vt præfertur, excedentium admiſsiones, & receptiones in ipſo capitulo prouinciali, vel generali referre, & tam illorum, quàm aliorum deſuper per vos, & quemlibet veſtrum geſtorum approbationem, & confirmationem petere, & obtinere debeatis; quòd ſi ſecus factum fuerit, ſupradicta omnia ex nunc, prout ex tunc irrita, nulla, ac penitus inualida fuiſſe, & eſſe decernimus, & declaramus.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Aprilis, 1588. Pontificatus anno 3.

Caput Nonum de addendis ad Conſtitutionem Clementis VIII.

1 Noto primo, quòd Clemens VIII. in eius conſtitut. 2. §. 1. & 2. agit de modo faciendi electiones Superiorum. De quibus electionibus licet multa dixerim in omnibus meis libris, ſemper tamen occurrunt aliqua dicenda; vnde quædam notare decreui, & primo quòd de iure communi eligere Prælatum ſpectat ad ſubditos, quibus præponendus eſt c. Adrianus, d.63. cap. In nomine Domini, d.23. cap. 1. d.62. cap. Miramur, d.61. c. Congregatio, 16. q. vlt. cap. 1. cap. Cum terra, cap. Inter diuerſas, de elect. Et ratio eſt, quia ſicut ſponſæ inuitæ non debet dari ſponſus, cap. Cum locum, de ſponſ. ne coactio habeat difficiles exitus, cap. Requiſiuit à nobis, de ſponſ. ſic nec eccleſiæ inuitæ eſt Prælatus præferendus, cap. Nullus inuitis, d. 61. cum inter Prælatum, & ſuam eccleſiam fœdus coniugij ineatur, cap. Licet. cap. Cum inter, de translat. epiſc.

2 Noto 2. quòd ſtante aliqua electione inualida per aliquem defectum, quia in ea non interuenit, v.g. aliquis, qui interuenire debebat, non poſſunt electores ad aliquam electionem venire, niſi priùs prima illa electio caſſetur, vel niſi illa prima ſit euidenter, & ipſo facto nulla. Cum enim per primam tam contractum ſit matrimonium cum eccleſia, cap. Cum inter Canonicos de elect. non poteſt eccleſia in alium conſentire, niſi primo illo contractu caſſato, vel niſi ille ſit patenter nullus: vnde ſi ſecunda fiat, prima non caſſata, eſt omnino nulla, cap. Conſiderauimus, cap. Congregato, de elect. P. de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap. 5.

3 Noto 3. quòd poteſt Princeps ſecularis opponere ſe electioni alicuius Prælati, etiam regularis, ſibi ſuſpecti; quæ ſuſpicio ſi ſit vera, & realis, electio nihilominùs ſecuta retractari debet. Innoc. in cap. Super his, de accuſ. num. 8. Felin. num. 6. Abbas num. 13. & in cap. Quod ſicut, de elect. num. 7 Ex quo ſingulariter infert, quod ex cauſa ſuſpicionis poteſt Princeps ſecularis nõ admittere Prælatum inſtitutum per Papam. Dicti verò Principes ſi perſequantur electores, vel eorum conſanguineos, eo quia noluerunt eligere perſonam, pro qua dicti Principes rogauerunt, ſunt ipſo facto excommunicati, cap. Sciant cuncti, de elect. in 6. P. de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap. 6. nu. 15. Et nu. 20. addit, quòd electus per abuſum laicæ poteſtatis, ideſt per minas, aut importunas preces, quando Princeps ſolitus eſt malè tractare, qui eius precibus non obtemperant, eſt intronis, & latro, cum non intret in ouile per oſtium, & quòd tenetur renunciare.

4 Noto 4. & pone, quòd aliqui de capitulo eligant ſcienter indignum, præſente illo, ad quem ſpectat confirmatio, v. g. Generali in capitulo prouinciali, ſi electio illa caſſetur, ad illos, qui in prima electione non conſenſerunt, electio deuoluitur, ſi nondum ſit elapſum electionis tempus, cap. Cum Vinton. c. Dudum, el 1. de elect. Innoc. & Panorm. in dicto c. Cum Vinton. de Bayſio loc. cit. cap. 11. num. 2. Sed quomodo ſciri poteſt, quinam conſenſerint, necne, cum electiones ſecretò fiant? Dic, quòd poteſt ſciri, quando aliqui dictæ electioni in publico ſe oppoſuere, & etiam ſi priuatim ſemper contradixerunt; ſi cum ſint amici, conſanguinei, & attinentes electi, nihilominus teſtantur, ſe non conſenſiſſe, extante aliquo ſigno externo. Vbi ſunt in vſu ſcrutatores, qui vota ſingulorum ſcrutantur, non eſt difficultas. In Ordine noſtro, vbi tales ſcrutatores non ſunt in vſu, iuramento ſcribe cum aliquo ex ſupradictis adminiculis ſtari poterit. Si autem minor pars non ſolùm ſe opponat electioni indigni à maiori parte factæ, ſed etiam ipſa eligat dignum, confirmari debet hic electus à minori parte; quia maior pars per electionem indigni eſt priuata poteſtate eligendi; & eſt caſus expreſſus in c. Congregato, de elect. Ita Lauor. de elect. cap. 21. nu. 46. & 47.

Digitized by Google

5 Si quæras, an poſſit dici indignus, qui habens ſcientiam, & prudentiam, licèt malus, Prælaturam tamen adeptus, eam prudenter, & bene regit, ſeu recturus eſt. ℞. Ioan. de Selua in tract. de benef. p. 3. q. 7. num. 11. & 12. quòd non. Nam ait Archid. Floren. in 2. p. ſum. de ſtatu ſum. Pontif. quòd aliquando qui non ſunt boni homines, ſingulari prouidentia Dei ſunt boni Prælati. Et in §. fin. d. 83. dicitur, quòd prædicatio criminoſi ſacerdotis non debet contemni; quia, ait Hieronym. *Vt lixinium per cinerem humidum fluens lauat, & non lauatur, ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lauat à ſordibus peccatorum.* Facit cap. Si iuſtus 1. q. 1. ibi, *per lapideos canales tranſit.* Vnde qui occulto malo, tamen electori noto, habenti dictas conditiones ſuffragaretur, mortaliter non peccaret, per dicta. Sed ego non puto recedendum ab his, quę dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 31. §. 3.

6 Noto 5. quòd Papa, qui eſt omnium Religionum caput, habet omnimodam, & abſolutam poteſtatem ſuper omnibus, & quibuſcumque electionibus tam Regularium, quàm aliorum, vt colligitur ex cap. Significaſti, de elect. cap. Ad honorem, de vſu pallij, cap. Propoſuit, de conceſſ. præb. Pone ergo, quòd mandet omnibus electoribus capituli generalis, v. g. quòd eligant de conſilio ſui Secretarij, ſi capitulum dictum conſilium non expectet, ſed ad electionem procedat, valebit ne electio facta? ℞. quòd non. Nam capitulum tenetur requirere conſilium dicti Secretarij, & per congruum tempus expectare reſponſum, cap. Cum in veteri, de elect. Verum quidem eſt, quòd non tenentur dicti electores ſequi conſilium dicti Secretarij, per communia iura, licèt fortè contrarium poſſit dici in hoc caſu. Et aduerte, quòd ſolus Papa poteſt hoc mandare per poteſtatis plenitudinem, quam habet, vt dixi. Vnde neque Nuncij, neque Protectores hoc poſſunt, niſi habeant à Papa ſpecialem facultatem. Ita de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap 13.

7 Noto 6. quòd ſimoniaca electio eſt omnino nulla, cap. Si alicuius, de elect. cap. Sanctorum Patrum, 1. qu. 1. Sed pone, quòd vnus ſolus electorum ſit ſimoniacus, ignorantibus alijs, imò & electo ipſo, erit ne nulla electio? ℞. Eſt tam malignantis naturæ ſimonia, quòd inualidabit electionem, niſi corruptores in fraudem ne talis eligeretur, illum corrumpere ſtuduiſſent. Ita expreſsè habetur in cap. Nobis de Simonia. Et aduerte, quòd hoc eſt verum, etiamſi ſuffragium illius, qui per ſimoniam fuit corruptus, non fuiſſet neceſſarium, cap. Matthæus, de ſimon. Aduerte etiam, quòd quando eligendus, vel alter ipſius nomine, ſeu etiam ipſo neſciente, promittit, v. g. Collegatum alicui, ſi ſibi ſuffragetur, committitur ſimonia, per textum expreſſum in cap. De hoc, de ſimonia, & docet P. de Bayſio loc. cit. cap. 74. num. 3. & p. 2. cap. 28. num. 6. Cui puncto non videtur contraria praxis, quæ ſeruatur in aliquibus capitulis Regularium, in quibus diuerſæ fiunt electiones, vbi conueniunt electores in electionis tractatu de aliquo eligendo in Generalem, v. g. vel Prouincialem, vt deinde tales eligãtur in Collegas, & talis in Zeloſum, &c. nam eligendus non promittit aliquid, quod pendeat à ſua libera poteſtate, quòd ſolum prohibere videtur cap. Illud de hoc; nam quantumuis hoc eligendus promiſerit, adhuc electoribus liberum eſt illũ eligere, vel non eligere, & eligendus ſolùm habet in illis electionibus votũ ſuum (licèt enim etiam habeat propoſitionem, & iam electo multi gratificari deſiderent, id tamen cogit, nam multi alij nihilominùs contradicunt) vnde iſta praxis videtur potiùs quædam conuenientia, ſeu concordatio electionum faciendarum ad terminandum electionis tractatum, quàm realis aliqua promiſſio. Eſt enim tractatus in electione per ſcrutinium neceſſarius, Gloſſ. in cap. In nomine Domini, verb. Tractante, d. 23. aliter non valeret electio, cap. in Geneſi, de elect. cum tractatus ſit veluti præparatio ad electionem; nam in eo fit diſcuſſio eorum, quæ facienda ſunt in electione. Neque per huiuſmodi tractatum ius aliquod quęritur partibus, donec res fuerit firmata per electionem, cap. Tua nuper, de his, quæ fiunt à Prælatis, &c. Vnde tractatus neceſſarius eſt, vt in eo conueniant electores, & quilibet dicat, quid ſibi videtur, vt ait Gloſſ. in dicto capit. Tua nuper, verb. Tractatu. Et in hoc tractatu nominantur plures, qui videntur digni electione, & fit collatio nominatorum meriti ad merita, iuxta cap. In Geneſi, cap. Cumana, de elect. Sed aduerte bene, quòd loquor ſemper de tractatu conſultorio, non conuentionali, aut conditionali; nam iſti tractatus ſunt omnino prohibiti, & de iſtis intelliguntur decreta, quando tractatus prohibentur. Sic explicat Paſſar. ſtatutum noſtri Ordinis factum in cap. Barc. 1. num. 14. in Schol. ſuper idem cap. Panorm. in cap. Bonæ, el 2. de elect. num. 12. Quare non videtur damnandus tractatus in huiuſmodi capitulis hoc modo factus, v. g. Conuenerunt maior pars ad eligendum Petrum, tamquam omnibus meliorem ſua ſententia: Item conuenerunt ad eligendos tales Collegas, & talem Zeloſum, qui etiam viſi ſunt omnibus meliores: Hoc facto, accedunt ad eum, quem determinarunt eligere, & illi ſuam voluntatem declarant; tam quò ad electionem in perſona ſua faciendam, quàm quò ad alias electiones in perſonis deſignatis, non damnarem in hoc caſu eligendum, qui reſponderet, *Ego non reſiſtam voluntati Dei, & Patres, quos mihi proponitis in Collegas, & Zeloſum, mihi meritiſſimi videntur; vnde illorum electionibus non reſiſtam, ſed potius fauebo.* Pro electionis tractatu vide Lauor. de elect. cap. 6. à nu. 50. Dianam tom. 2. tract. 16. reſolut. 35.

8 Et aduerte hic etiam, quòd quando datur pecunia ab eligendo, committitur ſimonia, etiamſi eligentes eſſent eum aliàs electuri abſque tali datione, aut promiſſione, ſiue talis pecunia data ſit electoribus, ſiue alicui tertio, puta amico, vel conſanguineo electorum; nam pro iure ſpirituali quærendo non debet aliquid dari, cap. Ad aures, de ſimonia. Si verò pecunia data ſit ab aliquo tertio alicui amico electorum, vel electores erant aliàs electuri, valet electio: quia in eo caſu neque eligentes, neque eligendus fuerunt in culpa; ſi autem non erant aliàs electuri, non valet electio. Ita Panorm. in cap. Nobis, de ſimon. nu. 5. de Bayſio in direct. elect. p. 2. cap. 28. num. 8. & 9.

9 Noto 7. quòd in aliquibus monaſterijs Monialium, & fortè etiam in aliquibus Fratrum, in quibus certus numerus eſt aſſignatus, vltra quem nullus recipi poteſt, niſi cum talibus conditionibus, recipiuntur aliquæ Moniales, vel Fratres, qui Supranumerarij vocantur, Quæritur, an dicti ſupranumerarij vocem habeant in capitulis conuentualibus, & in electione Prælatorum? Hanc quæſtionem examinant Innoc. in cap. Cum M. de conſt. numero 4. & ibi Panorm. à numero 29. & Felin. numero 23. de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap. 17. Ex quibus conclude, quòd ſi in hoc adſit aliqua conſuetudo, ea ſeruanda eſt, nam in hac materia plurimùm conſuetudo poteſt. cap. Cum olim, de clerico coniug. cap. Cumana, de elect. Innoc. in cap. Coram, de elect. & Bayſ. loc. cit. cap. 26. numero 5. & 6. Si autem conſuetudo non adeſt; vel qui recipitur, recipitur vt ſupranumerarius, & conſtat, quòd non eſt ſimpliciter de familia dicti conuentus, ſed ſolùm diſpoſitiuè, quando ſcilicet mortuus fuerit aliquis ex ipſis, ſic non poterit habere vocem in dictis capitulis, & multo minus in electione Prælati; Vel recipitur ſimpliciter abſque adiecto ſupranumerarij, ſuppoſita debita facultate, & tunc vocem habebit; quia cenſetur, quòd eum ſibi omnino aſſociare intendant. Si autem talis Monialis, vel Frater recipiatur auctoritate Papæ; vel Papa mandat eum recipi in numerum Fratrum, non obſtante completione numeri & habebit vocem in capitulis, ſicut alij, vel abſolutè, & ſimpliciter abſque mentione dictæ numeri completionis, & non habebit vocem quia non cenſetur illi ſtatuto derogare voluiſſe, vt colligitur ex cap. Cum illorum, de præb. Quòd ſi dubitetur de mente Papæ,

dic,

die, quòd non videtur derogare voluiſſe præfato numero iam deſignato.

10 Noto 8. quòd quando quis electioni de ſe factæ renunciat in manibus cuiuſcumq; Prælati, tunc electio deuoluitur ad primos electores de iure communi, c. Si electio, de elect. in 6. Sigiſm. de elect. dub. 12. n. 1. quod tamen limitat n. 5. niſi iam diſſoluto capitulo electorum, quiſque ad propria remeaſſet; nam tunc propter incommoda, quæ inde prouenirent ex noua capituli coadunatione, poſſet Prælatus generalis, vel prouincialis prouidere. Docet autem P. de Bayſio in direct. elect. p. 3. c. 1 à n. 2. quòd prouidere de Prælato per renunciationem pertinet ad illum Superiorem, in cuius manibus facta eſt renunciatio: & addit, quòd ita ſeruat Senatus Pariſienſis. In Ordine noſtro circa hoc punctum nihil inuenio determinatum; nam ſtatuta cap. Val. 4. n. 23. & 30. non loquuntur in hoc caſu, ſed ſolùm in caſu mortis, vel depoſitionis, & in defectu electionis. Anno tamen 1627. die 16. Iulij ſacra Congregatio negotijs Regularium præpoſita, Illuſtriſſimo Bentiuolio referente, audito priùs Procuratore generali Ordinis, cenſuit, electionem Definitoris Prouinciæ Anconitanæ, qui in manibus Generalis renunciauerat, faciendam eſſe, non per Generalem, ſed per capitulum intermedium, iuxta Ordinis conſtitutiones; atque ita eam ſic fieri mandauit. Eſt ſubſcripta. Laudiuius Cardinalis S. Sixti. Sed tamen in praxi video obſeruari doctrinam de Bayſio. Nam dictus Definitoriatus, pro quo exijt præfatum decretum Congregat. fuit prouiſus per P. Generalem Simonem Bachelier, in cuius manibus fuerat renunciatus anno 1626. & dicta prouiſio quamuis multùm agitata permanſit. Et anno 1624. idem Generalis cum ſuis Collegis in Prouincia Neapolis ſubſtituit Collegam, & Definitorem loco P. F. Antonij Rangolij, qui in eius manibus renunciauerat: Quod in eadem Prouincia factum priùs fuerat, anno ſcilicet 1602. per renunciationem P. Baſilij Tagliaferri: P. enim Stephanus Augerius tunc Vicarius generalis loco illius ſubſtituit P. Bernardum à Capua. Et in Prouincia Meſſanæ anno 1619. à P. F. Franciſco de Mayda Generali ſuffectus, & electus eſt in Definitorem P. F. Ioſeph à Meſſana loco P. F. Ignatij de Ioioſa, qui in manibus dicti P. Generalis Definitoriatui renunciauerat. Et ab eodem Generali ſuffectus eſt in Collegam generalem P. F. Vincentius à Conſentia loco P. F. Syluestri de Mayerato, qui dicto Collegatui renunciauerat in manibus ipſius. Et loco dicti P. F. Vincentij, qui renunciauerat Prouincialatui Tuſciæ, fuit ab eodem Generali cum ſuis Collegis electus P. F. Antonius de Mayda: & alibi ſæpe factum vidi, & intellexi: Quare puto, licitè poſſe fieri, conſuetudine approbante. Neque obſtat ius commune: nam poteſt conſuetudine abrogari, & etiam per ſtatuta particularia corrigi; cum præſertim non ſit prohibens, ſed concedens. Decretum Congregationis innititur ſtatutis Ordinis, quæ tamē nulla apparent, vnde conuincitur Congregat. fuiſſe malè informatam. Et nouiſſimè pro Ordine noſtro in cap. Barcin. 3. ſeſſ. 5. num. 12. ſtatutum eſt, quòd ſi Corrector electus renunciauerit electioni de ſe factæ in cap. prouinciali, tunc electio pertinet ad dictum capitulum: quod ſi renunciauerit extra capitulum coram Prouinciali, tunc electio deuoluitur ad capitulum conuentus, cuius renuncians fuerat Corrector electus. Et tandem inueni in c. Val. 5. n. 19. ad 4. quòd quando aliquis Collega generalis officio renunciat, electio ſucceſſoris fieri debet à Generali cum ſuis Collegis, & Prouinciali Prouinciæ, in qua renunciauit cum ſuis ſimiliter Collegis. Quare concludendum videtur vniuerſaliter, quòd electio facienda per renunciationem debet fieri ab eo Prælato, in cuius manibus facta fuit renunciatio, niſi aliter in caſu particulari ſtatuta ſpecialiter decernantur.

11 Noto 9. quòd mortuo Prouinciali in aliqua Prouincia, electores ſucceſſoris in Ordine noſtro ſunt Corrector, & Collegæ. Sed pone, quòd mortuus ſit etiam Corrector, quiſnam debebit congregare capitulum? Quòd antiquior Collegarum. Ita Innoc. in cap. 1. de maior. & obed. num. 2. vbi Felin. num primo, & Abbas num. 4. & in cap. Cum nobis, de elect. num. 9. P. de Bayſ. in direct. elect. 3. part. cap. 4. num. 1. Qui quidem antiquior Collegarum poterit ſtatuere terminum pro electione facienda, cum conſenſu illorum electorum, qui erunt præſentes. Poſtquam omnes electores vocauerit ad comparendum tali tempore in collegium, ſi aliqui non compareant, poterit ipſe cum illis, qui aderunt, ad electionem procedere, vt dicunt præfati DD. & Bayſius num. 2. & 3. Mortuo verò Correctore, congregare capitulum ad antiquiorem Seniorum ſpectat, non antiquiorem conuentus, niſi in defectu Seniorum, ideſt Sociorum Correctoris in Ordine noſtro; De Bayſio loc. cit. num. 5. Aduerte autem, quod iſte antiquior Collegarum, vel Seniorum non poteſt reſtringere terminum datum à iure ad eligendum, de quo in cap. Ne pro defectu, de elect. qui eſt trium menſium, intra quem terminum tenentur etiam eligere electores in noſtro Ordine, per cap. Romanum 6. num. 14. dub. 2. Nam dictus terminus appoſitus eſt in fauorem collegij, vnde non poteſt ille ſolus ei renunciare, electores tamen præſentes cum cauſa, quæ tamen ſubeſt eo ipſo quòd volunt prouidere eccleſiæ vacanti, vt ait Panor. mox citand. ei renunciare poſſunt. leg. Si quis in conſcrib. Cod. de Epiſc. & Cler. cap. Ad Apoſtolicam, de regul. regula Indultum, de reg. iur. in 6. Ita Panormit. in cap. Cum nobis, de elect. nu. 9. De Bayſio loc. cit. nu. 4. & cap. 6. num. 2. Aduerte tamen, quòd nouiſſimè pro Ordine noſtro in cap. Barc. 3. n. 3. ſtatutum eſt, quòd in caſu mortis Prouincialis ſigilla remaneant penès antiquiorem Collegam, qui præſidere habeat in capitulo electionis Vicarij prouincialis. Et num. 4. ſtatutum eſt, quòd in caſu mortis Correctoris remaneat Vicarius vſque ad nouam electionem ille, qui durante infirmitate, à Correctore defuncto inſtitutus fuerat. Aduerte etiam, quòd ſi moriantur omnes electores præter vnum, ille ſolus poteſt eligere. Ita Gloſſa in c. Gratum, ver. Pauciores, de poſtulat. Præl. Innoc. in c. Cum nobis, de elect. n. 6. Abbas in c. Gratum, de poſtul. Præl. n. 7. & 9.

12 An autem ſufficiat maior pars electorum ad dictum terminum reſtringendum? Ego to. 1. Relig. q. 1. c. 31. §. 6. concl. 3. verſ. Si quæras, dixi, quòd duæ partes ſunt neceſſariæ ad dictum terminum reſtringendum; quod etiam ſentit Mandag. de elect. p. 1. c. 16. & Panor. loco cit. Neque maior pars ad hoc ſufficit, licet ad alios actus, & electiones ſufficiat. Nam iura, quæ dicunt ſtandū eſſe maiori parti capituli, intelliguntur quando capitulum eſt congregatum, in quo ſaltem interſint duæ partes electorum. Ita Panorm. loc. cit. Vnde collige, quòd ſi ex nouem electoribus ſex velint facere electionem de mane, & reliqui veſpere poſſunt illi ſex ad electionem procedere alijs non expectatis, nam hic maius trahit ad ſe minus.

13 Et aduerte vnum bonum punctum ad frænandos bellos humores, quod quando eſt ſtatuta dies electionis, ſi aliqui electorum non compareant de mane, quando electio fieri ſolet, poſſunt qui ſunt præſentes electionem hora ſolita facere. Ita P. de Bayſio in direct. elect. part. 3. cap. 11. num. 10. Mandag. de elect. part. 1. cap. 17. vbi ait, quòd in electionibus in quibus ſobrietas exigitur, & conſueuit miſſa Spiritus Sancti celebrari, niſi abſentes mane veniant in diei, quæ eis extiterit aſſignata, præſentes poſſunt procedere, illorum abſentia non obſtante: ad quem locum multos citat Boer. Io: Andr. ad ſpecul. de elect. §. 1. num. 7. ver. Diem, Innoc. in ca. Cum nobis de elect. n. 5. vbi Abbas nu. 11. Felin. in c. Cum M. de conſt. nu. 6. Et ratio eſt, quia citatus ad certum actum debet adeſſe illa hora, qua ille actus ſolet expediri: Felin. in cap. Conſulit, de offic. deleg. num. 5. Tum quia quando hora eſt de conſuetudine, vel natura actus, expreſſio diei habetur pro expreſſione horæ. Ita P. de Bayſio loc. cit. nu. 2. Poſſunt tamen eos expectare ſi volunt, dum tempus non expirat: Boer. loc. cit.

Digitized by Google

14 Et aduerte etiam, quod in vocatione abſentium non requiritur trina monitio, ſed ſufficit vna vocatio, ſeu requiſitio; Gloſſ. in cap. Si Epiſcopus, ver. Præceptione, d. 18. Innoc. loc. cit. Abbas etiam ea num. 10. de Bayſio in direct. elect. p. 3. cap. 11. num. 4. nam regulariter in requiſitionibus extra iudicialibus ſufficit vna requiſitio, præſertim quando par requirit parem, vt ait dicta Gloſſa, & Panor. Neque obſtat cap. Plebs, d. 63. vbi plures vocationes requiruntur. Nam id fit de gratia, vt notat Boer ad Mandag. de elect. p. 1. cap. 18. lit. C. Seu dic, quòd illæ plures vocationes Cleri non ſunt ad eligendum, ſed ad conſentiendum, ſeu videndum eligere Paſtorem, vt ibi Gloſſa verb. Ex omnibus.

15 Aduerte etiam, quòd in morte Generalis noſtri Ordinis antiquior Collega, qui recipit ſigilla, debet monere omnes electores ſucceſſoris, & procurare, vt literæ illis tradantur in preſentia teſtium, ne poſſint negare, & deinde agentes de contemptu electionem factam inualidare. Ita Mandag. de elec. p. 1. c. 4. nam præſumitur quis non citatus, niſi probetur; cap. Quia ſicut, de elect. cap. Propoſuiſti, d. 82. & ideo incumbit probatio non ei, qui negat ſe citatum, ſed qui citat, eum citatum, vt notat Gloſſ. in cap. Quod ſicut, verb. Præſumitur, de elect. & Boer. ad cap. 4. Mandag. lit. P. Sed pone caſum, quòd iſte Vicarius generalis per malitiam ſe abſentet à capitulo, & idem dic, ſi Generalis ſe abſentet à capitulo generali, & Prouincialis à capitulo prouinciali, nec Vicarium inſtituant, quis præſidebit in dictis capitulis? ℞. quòd tunc celebrare capitulum pertinebit ad alios capitulares, & præſidebit in capitulo generali antiquior Prouincialis, & in capitulo prouinciali antiquior Corrector arg. cap. Volumus, d. 89. vbi Gloſſ. verb. Clerus: In capitulo autem celebrando à Collegis cum Correctore per mortem Prouincialis, ſi antiquior Collega, apud quem remanſerunt ſigilla per ſtatutum Barcin. 3. ſeſſ. 4. moriatur, videtur, quòd in Ordine noſtro præſidere debeat antiquior ex alijs Collegis superuenientibus. Sed puto, quòd præſidere debeat Corrector, quouſque aliud declaretur, iuxta doctrinam Innoc. in cap. 1. de maior. & ob. num. 1.

16 Aduerte autem, & pone caſum, quòd congregati electores pro eligendo Generali, vel Prouinciali loco defuncti, ſtatuerint diem electionis, poſſunt ne illum diem poſtea mutare, & iam deſignatum terminum prorogare, vel abbreuiare? ℞. quòd ſic, per c. 1. de his, quæ fiunt à mai. par. c. leg. Quod maior, ff. ad municip. Boer. ad Mandag. cap. 16. lit. C. Sed pone, quod die concorditer ſtatuta, electores in pari numero diſcordent, (intra terminum à iure præfixum) & aliqui velint electionem facere, reliqui velint terminum prorogare, & de facto dictum terminum prorogent, alijs contradicentibus in numero pari; qui quidem contradicentes eligant Prælatum, & reliqui, qui terminum ſtatutum prorogarunt, eligant alium Prælatum, citatis primis in termino ab ipſis prorogato, quiſnam horum erit verus Prælatus? Dico, quod valet electio facta ab his, qui die prima ſtatuta elegerunt; nam prorogatio termini non poteſt fieri niſi à duabus partibus capituli, & cum cauſa, vt dixi hic ſup. n. 12. Boer. loc. cit. tenet quod non valet, quia dicta prorogatio non poteſt fieri, niſi à maiore parte capituli.

17 Aduerte etiam, quod quando dicitur, quod electio Prælati loco defuncti debet fieri intra tres menſes à die mortis, iſti menſes computari debent ſecundum calẽdarium de die ad diem, imo de momento ad momentum. Quia cum hoc tempus ſit inductum in fauorem eccleſiarum, & odium negligentium eligere, ne ſcilicet eccleſia detrimentum patiatur, non debet vltra illos tres menſes vacare, vt habetur in c. Ne pro defectu, de elect. Vacaret autem vltra dictos tres menſes, niſi hoc ſpatium computaretur à die, imo ab hora mortis; ſicut enim in eligendo ad Epiſcopatum requiritur annus trigeſimus completus, cap. Cum in cunctis, de elect. & in nouitio admittendo ad Religionem requiritur annus nouitiatus completus, & annus ſimiliter 16 profeſſionis debet eſſe completus, ità hic; de ſimilibus enim idem eſt faciendum iudicium c. Inter corporalia, de tranſl. Epiſc. Ita Mandag. de elect. p. 1. c. 3. vbi Boer. lit. M. Lauor. de elect. tit. 4. c. 18. n. 20.

18 Aduerte quoque, & pone, quod in electione Generalis, vel Prouincialis loco defuncti, aliqui electorum, qui non fuerunt vocati, compareant in capitulum facto, & publicato ſcrutinio, quid faciendum? Dico quod incipiendum eſt à principio & retractari debent, quæ facta ſunt, niſi ipſi pro bono pacis voluerint ea rata habere; nam manifeſti iuris eſt, quod ijs abſentibus non fuerat procedendum; cap. Quod ſicut, cap. Bonæ, el 2. de elect. Si autem vocati veniunt dum fit ſcrutinium, etiam ipſi admitti debent ad ſuffragia, & reliqua vſque ad Concluſionem Capituli; ſcrutinium tamen iterandum non eſt; & ſimiliter ſi veniant facto, & publicato ſcrutinio, admittuntur ad ea, quæ remanent facienda, facta autem ſtant in ſuo robore, ſibi enim eſt imputanda negligentia. Mandag. de elect. p. 1. c. 33.

19 Noto 10. quod apud Regulares quando aliqui ſe electioni opponunt, ſiue ius ſuum proſequantur, ſiue eccleſiæ, ſiue obtineant, ſiue non, expenſæ debent ſolui de communi; alioquin, cum proprium non habeant, peribit ius proprium, & eccleſiæ. Ita Gloſſ. in cap. Cupientes, §. fin. ver. Iudicabit, in fine; & habetur expreſsè in cap. Ex parte. & cap. olim de accuſ.

20 Noto 11. quod ſi in elect. Superiorum regularium Præſidens capituli præcipiat ſcrutatoribus ſub merito ſanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nec recipiant ſuffragia oretenus, tradi ſolita pro aliquibus certis perſonis vltra numerum, qui ſit electioni inſufficiens, ſed tali numero exiſtente, dicant alijs electoribus ad aures, quod dent alijs eorum vota, electio ſic celebrata eſt nulla. Ita refert Caſtel. de elect. c. 4. nu. 66. reſpondiſſe ſacram Congregationem anno Domini 1625. in hæc verba. *Sacra Congregatio Cardin. Conc. ly Trid. interpretum, hanc eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali conſenſu aduerſatur, omnino improbauit, cenſuitque electiones hactenus celebratas, ſi ſcrutatores præcepto Superioris obtemperantes, ſingulorum eligentium vota non receperint, pro canonicis non haberi.* Item electio cenſetur nulla, quando Superior, diceret electoribus, inaudita parte ſe nolle vt eligatur talis, propter iuſtam cauſam, quam ipſe ſolus in conſciẽtia ſcit eſſe veram; Nam tunc non tenentur electores obedire, & ſi obediant, electio eſt nulla; nam ſola Superioris atteſtatio non eſt ſufficiens approbatio. Ita Sigiſm. de elect. dub. 95. Lauor. loc. cit. Verùm ſi electores per illum dictum Superioris eum exiſtimarent minùs idoneum ad tale munus, & ſic excluderent, & alium magis idoneum eligerent, valeret electio, modo nullam probabilem ſuſpicionem haberent de Superioris fraude.

21 Noto 12. quod tom. 1. Relig. cap. 31. multa dixi circa electionem, quibus nunc paucula addam. Et primo dicto cap. 31. notab. 9. dicebam, quod electus ad aliquam dignitatem tenetur conſentire intra menſem; Sed quid; ſi infirmetur, ita vt conſentire non poſſit? Dic, quod non currit tempus, niſi à die, quo commodè conſentire poteſt, vel non; cap. Quàm ſit, de elect. cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. præb. nam lex debet eſſe poſſibilis; cap. Erit autem, d. 4. Qui autem non poteſt electioni conſentire abſque licentia ſui Superioris, ea obtenta habebit adhuc menſem ad conſentiendum: nam ante obtentam licentiam conſentire non poterat, vnde cum non ſit in mora, tempus ei currere non debet, ſed incipiet ſtatim currere habita licentia, arg. cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. præb. Boer. ad c. 37. 1. p. Mandag. lit. P. Aduerte etiam, quod §. 2. eiuſdem cap. 31. qu. 7. dicebam, electorem eligentem non adhibitis debitis diligentijs peccare mortaliter; nam tunc videtur ſcienter eligere; leg. Patronus ff. de cõfir. vtil. vel inutil. quia debent electores per ſe, vel per alios, inueſtigare de perſona eligenda. Et errant, quoties ad inſtantiam alicuius eligunt quem omnino ignorant, quorum

culpa

culpa non eſt excuſabilis, ex Trid. ſeſſ. 24. c. 18. de refor. Et qui non facit, quod de iure tenetur, præſumitur in dolo, cap. Innotuit, de elect. vbi Abbas n. 9. 21. & 22.

22 Noto 13. quod in eodem cap. 31. §. 5. dicebam, in electionibus indigenas dignos præferendos eſſe dignioribus extraneis. Quod etiam docet Capata p. 2. ca. 8. nu. 3. P. Greg. tract. de elect. cap. 12. num. 8. Garcia de beneſ. p. 7. cap. 9. num. 1. & 2. vbi multos refert, & ait, quod in Gallia, & in Caſtella id obſeruatur. Adde in ſtatu Venetorum etiam quo ad Regulares. Petrus de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap. 4. n. 2. Diana tom. 3. tract. 5. reſol. 110. Cuius rei duas affert rationes Philo de creat. Princ. Prima, *ne ſibi magna vim auri, argenti, pecorumque colligat, ſpoliatis iniuſte ſubditis*. Altera, *ne propter ſua priuata commoda gentem traducat in regionem aliam, & ſubinde aliò, atque aliò migrare iubeat, oſtentata vana ſpe agri vberioris, & omiſſa certa poſſeſſione priſtina*. Neque his obſtat cap. Ad decorem, de inſt. vbi mandatur dari eccleſiaſticas dignitates, viris literatis, & idoneis, vndecumque originem ducant; nam loquitur in caſu, in quo naturales non adeſſent, vt Gloſſ. ibi, ver. Vndecumque, vbi Panor. n. 4.

23 Noto 14. quod in §. 8. eiuſdem cap. 31. concl. 3. dicebam, quod ſi vnus electorum publice manifeſtaret ſuum votum, permittente capitulo, electio eſt nulla. Atque ita Garcia de beneſ. p. 5. cap. 4. nu. 184. Nau. lib. 1. conſil. de elect. conſil. 9. num. 3. Caſtel. de elect. c. 5. n. 25. Sigiſm. de elect. dub. 31. nu. 4. Lauor. de elect. tit. 4. c. 19. n. 55. Quod ita verum eſt, vt ſit nihilominus nulla electio, etiamſi elector per ignorantiam dictum votum publicaret. Et ſic fuiſſe à ſacra Congreg. declaratum, refert Sigiſm. loc. cit. num. 10. Quòd ſi quis attentaret dare votum ſuum publicum, id permitti non debet, ne irritetur electio. Imò ille tanquam indignus poteſt per Prælatum ſolum à capitulo excludi pro illa vice; Garcia. num. 195. Lauor. loc. cit. Caſtell. n. 26. & in addit. ad c. 7. num. 1. Sigiſm. nu. 3. & 11. qui tamen limitat. num. 12. niſi ignorantia probabile excuſetur; nam licèt decretum irritans liget etiam ignorantes quò ad nullitatem actus, ſecus tamen dicendum eſt quò ad alias pœnas, Gloſſ. in Clem. Nolentes, verb. Ex tunc, de hæret. & alij, quos refert dictus Sigiſm. loc. cit. dub. 3. nu. 7. Et aduerte, quòd dictus Sigiſm. dub. 31. nu. 13. cenſet, quod non ſolum priuari poſſit poteſtate eligendi, qui ſuffragium ſuum publicè manifeſtat, ſed etiam alij electores audientes, & tacendo ratificantes; Nam tunc intrat reg. 43. de reg. iur. in 6. *Qui tacet, conſentire videtur*. cum ad omnes, & ſingulos electores pertineat, vt electio canonicè fiat. Non vitiaretur autem electio, ſi ante electionem, vel poſt quis eligentium diceret, ſe velle eligere, vel elegiſſe hunc, vel illum, quia ex hoc in rei veritate non deſineret eſſe ſecreta: dicto enim illo non obſtante, potuit pro alio ſuffragium ferre, licèt malè faceret id publicans, & poſſet puniri. Atque ita ſacram Congreg. declaraſſe, refert Garcia loc. cit. n. 197. his verbis. *Ante, vel poſt ſcrutinium electoribus nullo modo licet, cui votum ſuum dederint, publicare.* Atque ita dicunt Caſtel. in addit. cit. num. 2. Lauor. num. 56. Nauar. lib. 1. conſil. de elect. conſil. 9. num. 3.

24 Aduerte autem, quòd ſi ſcrutatores, & ſcriba reuelarent alicui ſecretò aliquod ſuffragium, v. grat. quem non fuiſſe ſuffragatum tali, vel tali, peccarent omnino mortaliter contra præſcriptum Concilij Trid. vetantis ſingulorum eligentium nomina publicari. Et dicunt Garcia de benef. p. 5. c. 4. num. 193. Lauor. loc. cit. nu. 57. Sigiſm. de elect. dub. 31. n. 5. & 7. quòd electio ſecuta eſt nulla: quia ſecretudo in electione requiritur pro forma, vt Garcia n. 183. vnde cum forma ſit indiuiſibilis, vnus ſolus ſufficit eam vitiare; Sed electionem non eſſe nullam, dicunt Nauarr. loc. cit. & Rodriq. & Mir. quos cito tom. 1. Rel. loc. cit. num. præced. nam in poteſtate particularium eſſet electionem vitiare pro libito.

25 Noto 15. quòd in eodem cap. 31. §. 8. tomo 1. Relig. concl. 4. dicebam, quòd accuſatus de aliquo delicto non erat incapax electionis. Et ſic docet Rom. ſing. 443. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 16. n. 104. Petrus de Bayſio in direct. p. 2. cap. 23. nu. 2. vbi habet, quòd qui fuit accuſatus, vel denunciatus, nulla præcedente infamia, eligi poteſt, Si autem præcedat infamia, quæ eum grauet apud bonos viros, non maleuolos, nec viles, eligi non poteſt. Et quia ad inquiſitionem debet præcedere dicta infamia, ideo dicit, quòd verè inquiſitus eligi non poteſt. Conuictus autem, aut confeſſus, vel condemnatus in iudicio, cum ſit notorius criminoſus, cap. Veſtra, de cohab. mul. certum eſt, quòd eligi non poteſt; cap. Cum ſuper, de confeſſis. Ita dictus Bayſ. loc. cit. cap. 22. numero 1.

26 Noto 16. quòd in eodem §. 8. dicti cap. 31. concluſ. 11. dicebam, quòd de iure communi non erat neceſſe, quòd ſcriba capituli eſſet de corpore capituli: quod etiam ſentit Io: Andr. in c. Quia propter, de elec. Bayſ. in direct. elect. p. 3. cap. 28. num. 4. Contrarium tamen ſentit Mandag. de elect. part. 1. cap. 19. vbi Boerius lit. Q. alios citat; nam laici prohibentur tractare ſpiritualia, cap. Decreuimus, de iud. Quam ſententiam tamquam communiorem amplexa eſt Rota Romana anno 1621. die 5. Iulij coram Domino Coccino, apud Lauor. de elect. cap. 21. à nu. 96. vbi declarat nullam quamdam electionem Abbatis, in qua ſcrutatores fuerunt duo notarij ſeculares.

27 Noto 17. quòd eſt ſimoniacus, & proprietarius ille Religioſus, qui ex bonis ſua induſtria acquiſitis, dat ſummam aliquam Protectori ſui Ordinis, vel eius Auditori, aut Secretario, vt aliquam dignitatem in Ordine obtineat. Ita Homobon. tom. 2. ſui exam. tract. 9. c. 5. q. 10. & non habet difficultatem. Et adde, quòd incurrit etiam pœnas inflictas contra largientes munera à Clem. VIII. ſi hæc bulla eſt ampliùs in obſeruantia.

28 Noto 18. quòd electores Generalis & Prouincialium voci actiuæ renunciare non poſſunt; quia iure Regulæ, & ratione publici officij ad id tenentur, vnde, ſi renunciant, in Ordine noſtro non acceptantur, ſed coguntur votare: quòd ſi ad capitula non accedant, puniuntur grauiter; ſtatutis enim pro bono communi inductis renunciari non poteſt. Ita Panor. in c. In geneſi, de elect. nu. 10. & Felin. in cap. Si diligenti, de foro compet. n. 19. Sigiſm. de elect. dub. 15. n. 2. & 3. & multo minùs Regulæ ipſi, quam ſeruare quilibet Regularis profeſſus eſt. An autem renuncians peccet mortaliter, nec ne, inſpiciendæ regulæ, & conſtitutiones ſingulorum. Electores verò in capitulo locali voci ſuæ renunciare poſſunt; quia illud eſt ius proprium, & priuatum, cui licitum eſt vnicuique renunciare; c. Cum acceſſiſſent, de conſt. cap. Ad Apoſtolicam, de regul. Sigiſm. n. 4. Lauor. de elect. tit. 4. c. 18. n. 87. Limitat tamen dictus Sigiſm. n. 6. niſi talis renunciatio cedat in damnum monaſterij, in quod tunc cederet, quando Fratres timoratæ conſcientiæ ſe abdicarent ab electione, & ius illius remaneret penes Fratres indiſciplinatos, qui conſimilem ſibi eligerent, vel ſi vnus ſolus renunciaret, & ex illius renunciatione, cauſaretur electio indigni, tunc puto, quòd tales renunciantes mortaliter peccarent, Ita Molin. trac. 2. de iuſt. to. 3. diſp. 732. n. 4. Bonac. de contr. diſp. 1. q. 2. p. 8. n. 8. & non poſſent alij electores tales renunciationes admittere. In Ordine noſtro, vbi electores conuentuales ſunt deputati per Regulam num. 39. poteſt dubitari, an quilibet poſſit dicto iuri renunciare; & puto, quòd poſſit, præſertim cum cauſa, vt ſi eſſet infirmus, vel abſens, &c. Nam Regula videtur id relinquere in poteſtate cuiuslibet, ibi, *idem facere quiſquam valeat*; vnde cum electores hic ſolùm ad id teneantur ratione priuati iuris, ei renunciare poſſunt. Sed quòd non poſſint, ſtatutum eſt in cap. Barcin. 1. num. 15. vbi dicitur, quòd Fratres poſſunt licitè cogi vouere, cum non habeant velle, neque nolle: Sed hoc ſtatutum poteſt intelligi, quando ex renunciatione cauſaretur aliquod malum communitati, vt dixi.

29 Aduertendum autem, quòd ſi quis renunciet voci, & ante acceptationem eum pœniteat, ac velit reaſſumere, poteſt id facere, vt probat Sigiſm. loc. cit. nu. 8.

Lauor.

Lauor.nu.88.Caſtell.de elect.cap.5.num.22.& debet ab alijs electoribus admitti, vnde ſi expellatur, & prohibeatur, dicitur contempus, & poteſt agere contra electionem de contemptu.Ita Caſtell. in addit. ad dictum num.22.cap.5.de elect.nu.2. vbi num. 1. ponit quatuor concluſiones pro his renunciantibus.

30 Aduerte etiam,quòd ſi aliqui extranei,ſeu vocem euidenter priuati vellent ad electionem intrare, poſſent,& deberent violenter expelli(niſi aliter vellet exire)tanquam pacis perturbatores; vnde non dicerentur tunc capitulares violentiam inferre, ſed potiùs ſe defendere in quaſi poſſeſſione ſua, nam vim vi repellere licet,cap.Olim,el 1.de reſtit ſpoliat.cap.Si verò de ſent. excomm. cap. Significaſti, de homic. Panorm. in cap. Cum Vuintonion. de elect. nu. 14. Caſtell. in addit.ad cap. 5. num. 78. de elect. pag. mihi 495.

31 Noto 19. quòd dicto cap. 31. tomo 1. Relig. §. 8. concl. 2. dicebam,electionem non poſſe coarctari per Superiorem inferiorem Papa ad tres, vel quatuor perſonas cum aliorum excluſione; quòd ſi fiat electio,eſt nulla.Atque ita tenet Sigiſm.de elect. dub. 52. num. 5. Caſtell.de elect.cap.3.num. 7. Lauor. de elect. cap. 21. num. 11. & affert ad hoc, Sigiſm. in addit. ad dictum dub.52. declarationem ſacræ Congreg. à qua fuit quæſitum. *An,ſtante libertate electionis, liceat Prælato ſuperiori proponere duos, vel tres, ex quibus neceſſario vnus eligatur? Sacra Congreg. Cardinalium Tridentini Concilij interpretum cenſuit, non licere. Robertus Cardinalis Vbaldinus.*

32 Noto 20.quòd in eadem conſtit.2.Clem.VIII. nu. 17. dicebam, quod debebant Prælati regulares tollere omnem occaſionem vagandi ſuis ſubditis, quam non tollunt,qui eis neceſſaria denegant.Quod optimè præuidit Beatiſſimus ille Patriarcha Benedictus,quando in ſua Regula,cap. 66. ſtatuit,quod, *Monaſterium, ſi fieri poteſt, ita conſtituatur, vt omnia neceſſaria intra ſepta habeantur, ne ſit Monachis neceſſitas euagandi foras, quia non expedit animabus eorum.* Cum enim Religio deficit in neceſſarijs, Religioſi vagari conantur ad ea ſibi conquirenda. Quæ vagatio Monacho pernicioſa, eſt, & prohibita in cap.Placuit,el 2.16. quæſt.1. his verbis. *Placuit communi noſtro Concilio, vt nullus Monachorum de monaſterio pro lucro terreno exire nefandiſſimo auſu præſumat: ſit clauſtro ſuo contentus, quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio Monachus.* Et in cap. Si cupis,ead.cauſa,& q.dicitur. *Si cupis eſſe,quod diceris, Monachus,id eſt ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula,ſed multorum?* Et ratio talis prohibitionis eſt: Quia in vrbibus videntur, & audiuntur ſecularium mores,& vitia,quæ facilè ſerpunt,& in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent; vnde Iuuen. Satyr. 2. ver. 78. & 81.

Dedit hanc contagio labem;
Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vua.

Vnde Trithem. orat. 5. de 12. excid. obſer. verſ. Sexta vulpes,ait. *Sexta vulpes, quæ vineam regularis obſeruantiæ deſtruit,eſt Monachorum de cœnobio crebrior egreſſus.Enim verò dum Monachus de cœnobio egredi permittitur interior deuotio,ſi quam habuit, diſſipatur. Et quantò crebrius de monaſterio egreditur, tantò minùs in interioribus delectatur. Vix in cœnobio conſiſtentes,earum rerum, quas non videmus,tentationes valemus excludere, quid fieret, ſi nos contingeret & videre, & audire? Multos in peccati foueam mundialis præcipitauit occaſio, multos præſentia mulierum decepit.Et hæc peſtis Monachos rudes, & literarum contemptores exire de cœnobio frequentiùs impellere cernitur, qui nullo exercitio in cella delectantur.* Ex quibus conclude, quòd Monachus vagus non poteſt eſſe bonus. Et quòd hic ſolus defectus eſt ſufficiens ad aliquem excludendum à Prælaturis. Et quòd de Monacho vago omnia mala præſumi poſſunt. Et quòd Prælati non debent his morem gerere,ſed domi retinere, quantaſuis opportunatiſſimas exeundi cauſas fingant ipſorumque,importunitatibus efficaciter reſiſtere, deque eorum murmuribus hac de cauſa factis ridere, alioqui non complent debito ſui officij, nec coram Deo, nec coram hominibus.

33 Noto 21.quòd in eadem conſt.2.Clem. VIII. agitur de voto vitæ quadrageſimalis, de quo ex profeſſo tractaui tomo 1. Relig. tota q. 4. & aliqua addidi tomo 2.priuil.hac 2.conſt.Clem.num.19. Nunc verò occurrit quærere, An Frater Minimus comedens carnes tempore infirmitatis poſſit ſuilla carne, & caſeo veſci. In qua difficultate ſunt duæ opiniones contrariæ.

34 Prima eſt affirmatiua, quam tenuerunt grauiſſimi DD. Societatis Ieſu, Matthæus Rodriquez, Didacus Ruiz, Hernandus de Mendoza, Didacus Melendez conſulit in ciuitate Hiſpalenſi, quos proprijs ſyngraphis ſubſcriptos vidi in quodam M.S.quod mihi miſit R.P.F.Chriſtoforus Caſtillus,& probant.1.Nam regula generalis interpretandi vota eſt, quòd ſi materia promiſſa ſit de præcepto eccleſiaſtico, votum intelligi debet ſicut præceptum eccleſiaſticum,vt docent Caiet. 2.2.q.88.art.3.Sotus lib.7.de iuſt.q.2.art. 1. Cor. in ſumm. q.188.Valent.to.3.diſput.6.q.6.p.4.col. 4. verſ. Secundò nam votum.Aragon.2.2.q.88.art.3.concluſ.3.Nauarr.in ſumm.cap.12.num.65.Suar.lib.4.de voto,cap.7.num. 9. Sanch.3.in decal.cap.11.nu.31.& 57. Quare ſi quis voueat ieiunare tribus diebus veneris, V.G.non explicando,quòd id vult facere ſecundùm ieiunium quadrageſimale,non faciet contra votum,ſi lacticinia comedat; nam iſta non ſunt prohibita in diebus ieiuniorum extra quadrageſimam;ergo eadem ratione,qui vouit abſtinentiam quadrageſimalem non ſe obligauit ad eam obſeruandam, niſi modo, quo eam præcipit Eccleſia omnibus Chriſti fidelibus tempore quadrageſimæ. Sed infirmi, qui tempore quadrageſimæ licitè comedunt carnes, ſecundum communem & veram opinionem non peccant contra præceptum Eccleſiæ, quamuis cum notabili damno ſuæ ſalutis excedant in quantitate, & qualitate carnium, vt Sanchez loc. cit. n. 87.

35 Confirmatur 1. Nam Minimos poſſe comedere carnes tempore infirmitatis, non eſt diſpenſatio, ſed caſus exceptus, in ipſa lege eſſentialiter incluſus, eo modo,quo in præcepto eccleſiaſtico de non comedendis carnibus tempore quadrageſimæ, non includitur tempus grauis infirmitatis. Confirmatur 2. Quia conſuetudo ratione adiuta,& nulli textui euidenti contraria,eſt optima votorum,& legum interpres, cap. Cum dilectus, de conſuet. At in hoc caſu adeſt conſuetudo. Confirmatur 3.Namnon debemus ita vota interpretari,vt laqueum animabus pijs inijciamus ad interitum; inijceretur autem, ſi diceremus infirmo priuato guſtu, appetenti tamen ſuillam,eam dari non poſſe ad appetitum concitandum,& peccare mortaliter,ſi in maiori quantitate comedat, quàm ſit neceſſe, pro concitatione appetitus.Item ſtomachorum diſpoſitio non ſolùm in diuerſis hominibus, ſed etiam in iiſdem diuerſis temporibus eſt diuerſa; nam quod vni nocet, alteri prodeſt; & quod hodie nocet, cras proderit:at difficile valde eſt cuilibet,quolibet tempore, qualibet occaſione determinare talem ſpeciem carnis eſſe prohibitam, vt nociuam ratione voti.

36 Secundò probatur eadem ſententia. Nam qui ſemel eſt liberatus ab obligatione legis,vel voti propter aliquam iuſtam cauſam, in nullo poteſt contra illud peccare. Nam eſt implicatio contradictionis,eſſe liberatum ab obligatione legis, & peccare contra obligationem legis,eo modo,quo eſt implicantia, eſſe obligatum,& non eſſe obligatum: ſed qui propter infirmitatem eſt neceſſitatus comedere carnes, eſt liberatus ab obligatione, quam habet ratione voti ab illis abſtinendi:ergo qualemcumque carnem,vel lacticinium comedens, etiam nociuum, non poteſt contra dictam obligationem peccare. Neque valet dicere,quòd propter infirmitatem eximitur quis ab obligatione dictæ legis,non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; Nam ſicut abſtinere à carnibus non eſt aliquid pertinens ad legis,vel voti obligationem ſecundùm quid,ſed ſimpliciter,& vt ſubſtantia eius;Sic eſſe liberum ab iſta obli-

gatione

Digitized by Google

gatione abſtinendi à carnibus, non eſt eſſe extra obligationem legis, vel voti ſecundùm quid, ſed ſimpliciter.

37 II. Sententia negatiua eſt P. F. Caſtilli, quam etiam ſunt ſecuti Sebaſtianus de Villalobos, Sebaſtianus Suarez in M.S.& Cruz in director.conſc.p.1. præcept.3.art.4.dub.8.concl.3.Rodriquez in ſum.p. 1. cap. 24. nu. 3. & alij aſſerentes, Fratres Minimos comedentes ſuillam, & caſeum, & alia quæcumque cibaria, quæ à Medicis exiſtimantur nociua infirmis, & ideò ea illis prohibent, peccare non ſolùm peccato gulæ, ſed etiam contra votum. Probant primò. Nam cauſa primaria diſpenſationis dicti voti eſt, vt ſanitas celeriùs reſtauretur, vt dicitur in regula nu. 26. ergo diſpenſatio ſolùm cadit ſuper diſpenſatione illorum ciborum, qui ſunt neceſſarij pro dicto fine conſequendo, & non ſuper illis, qui dicto fini contrariantur. Confirmatur; Nam licentia comedendi carnes in tali caſu non eſt irritatio voti, ſed diſpenſatio, & vt quæ à iure communi exorbitat, eſt ſtrictè interpretanda: c. 1. de fil. Presbyt. in 6. §. Ille verò. Confirmatur ſecundò per doctrinam Suar. 6. de leg. c. 5. nu. 5. Quia quando ratio legis non eſt adæquata verbis legis, reſtringenda eſt ad terminos ſuæ rationis, & non eſt ſecundum totam verborum generalitatem intelligenda: Ergo licèt lex dicat, *de quibuſmus cibarijs*, debet tamen reſtringi ad ſolos illos cibos, qui ſunt neceſſarij pro ſanitate celeriùs reſtauranda.

38 Secundò prob. Nam iſta diſpenſatio vt licita ſit, requirit duo. I. eſt reſtauratio ſanitatis, quæ eſt illius finis immediatus. Secundum eſt ordinatio Medici ad illum finem directa: Ergò ſolùm illi cibi comedi poſſunt, qui fuerint à Medico præſcripti pro dicto fine conſequendo; ſed tantùm abeſt, quòd Medici præſcribant infirmis comedere ſuillam, & caſeum, vt potiùs eos omnino prohibeant: Ergo qui eos comedunt contra præſcriptum Medici comedunt, & conſequenter peccant contra votum. Confirmatur primò. Nam in clem. Exiui. de verb. ſignif. §. Quibuſdam, declarans Papa ex profeſſo Regulam S. Franciſci de Aſiſio, ait. *Declaramus, & dicimus, quòd dicti Fratres non ſolum ad illa tria vota nude & abſolutè accepta ex profeſsione ſua Regula obligantur, ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipſa ponit. Nam ſi ad hæc tria prædicta tantum præcisè, & nudè, promittentes ſe ſeruare Regulam viuendo in obedientia, caſtitate, & ſine proprio, & non etiam ad omnia contenta in Regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur pro nihilo, & vanè proferrentur hæc verba. Promitto ſemper hanc Regulam obſeruare i e x quo ex his verbis nulla obligatio naſceretur*. Quæ quidem declaratio licèt facta ſit in ſpecie pro Religione Minorum, intelligitur tamen etiam de omnibus Religionibus, cum non ſit maior ratio de vna, quàm de alijs. Sed nos Minimi in noſtra profeſſione promittimus ſeruare vitam quadrageſimalem cum modificationib. in dicta Regula poſitis, ſcilicet non comedendi carnes, niſi iuxta ordinationem Medici pro ſanitate celerius reſtauranda: Ergo comedens carnes, aut caſeum, quæ Medicus tanquam nociua prohibet, peccat contra votum: Nam alioqui verba illa, Promitto, &c. quæ dicuntur in profeſſione, eſſent ſuperflua contra id, quod dicta clem. declarat. Et habetur c. In his, de priu. &c. Si Papa, eod. tit. in 6. Ne autem ſuperflua ſint, ſed aliquid operentur, dicendum eſt, quòd illa verba, quibus in profeſſione nos obligamus ad ſeruandas modificationes, ſignificant, quòd ratione dictæ promiſſionis, & voti ad dictas modificationes ſeruandas tenemur. Confirmatur ſecundò. Nam, vt dicitur in eâdem clem. loc. cit. de natura termini reſtrictiui eſt, quòd excludat ab ipſo extranea. Sed comedere carnes in Ordine noſtro, eſt reſtrictum ad eas comedendas ſolùm de ordinatione Medici, & pro ſanitate celeriùs reſtaurãda: Ergo excludit omnia, quæ dictæ reſtrictioni ſunt contraria: Sed nociua, & à Medico prohibita illi contraria ſunt. Conſ. 3. Nam, vt in eadem clem. §. Porrò dicitur, *Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum*. Sed omnibus Minimis eſt generaliter prohibitum paſchalibus veſci, & ſolùm expreſsè conceſſum tempore infirmitatis, iuxta ordinationem Medici pro ſanitate celeriùs reſtauranda: Ergo paſchalibus veſci præter iſtas circumſtantias eſt illis denegatum; ac conſequenter eis veſcens peccabit contra votum. Imò hoc eſt expreſsè denegatum in eadem Regula nu. 27. vbi dicitur. *Nulli itaque omnium ipſorum aliter, quam hac ſtabilis lege ſancitum eſt, dictis cibis paſchalibus veſci vllatenus permittatur*. Sed lex, qua comedere licet, eſt, vt id fiat iuxta ordinationem Medici, &c. Ergo totum id quod iſtis circumſtantijs eſt contrarium, expreſsè prohibitum eſt.

39 III. Probatur à ſimili. Nam in cap. Si quis ſuadente diabolo, 17. qu. 4. excommunicantur omnes inijcientes manus violentas in Clericos, vel Monachos, & in c. Si Clericos, de ſent. exc. in 6. dicitur dictam excommunicationem non incurrere capi facientes, neque ipſoſmet capientes dictos Clericos, ad eos incarcerandos, niſi aliàs ex propoſito excedatur, ideſt, vt declarat ibi Gloſſa verb. Excedatur, niſi Clericum quietè ſe duci permittentem calcibus, & pugnis, &c. percutiant. Cum ergo in Ordine noſtro prohibitum ſit generaliter cibos paſchales comedere, niſi de ordinatione Medici, & pro ſanitate reſtauranda, ſi in hac exceptione excedatur, comedendo cibos nociuos, contra votum peccatur.

40 Quartò denique. Quia cum in numero 116. Correctorij declaretur, nullam ordinationem dictæ Regulæ ad culpam obligare, ſubdit n. 117. quòd omnes obligentur ad ſeruanda quatuor vota, iuxta limitationes, ac modificationes in eiuſdem Ordinis Regula, & præſenti Correctorio ſuis in locis poſitas, ac limitatas; Ergo certum eſt, mentem Legiſlatoris eſſe obligare ad ſeruandas dictas limitationes.

41 Neque contra hanc ſententiam valet adduci conſuetudo. Nam comedere nociua pro ſolo appetitu eſt peccatum gulæ, contra ius naturale, contra quod non valet introduci conſuetudo, neque præſcriptio. Addito, quòd peccata non præſcribunt; quatenus autem eſt contra votum, cum adimpletio voti ſit de iure diuino, præſcriptio contra illud non valet; cum diuina humanis non cedant.

42 His poſitis, reſpondet Caſtillus ad arg. primæ ſententiæ. Et ad primum concedit antecedens, quando ille, qui promittit, nihil aliud explicat, vt ſi V.G. quis voueret officium diuinum recitare, adimplebit votum illud recitando alternatiuè cum alio; ſi autem expreſsè voueret illud recitare per ſe ſolùm abſque ſocio, certum eſt, quòd non compleret recitando cum alio; quia in materia votorum, illud dumtaxat eſt obſeruandum, ad quod directa fuit intentio vouentis. Cum ergo vouens in Ordine noſtro expreſsè promittat nunquam comedere carnes, niſi cum ſæpe dictis modificationibus, non poteſt dictum votum explicari iuxta præceptum eccleſiaſticum, ſed iuxta id, quod eſt expreſſum. Item ait, fortè eſſe veriorem opinionem Rodriquez to. 1. ſum. c. 24. nu. 3. aſſerentem, peccare mortaliter diſpenſatum in quadrageſima ad comedendas carnes, ſi in qualitate carnium excedat cum notabili damno ſuæ ſalutis; nam diſpenſatio ſemper ſtrictè eſt interpretanda, cum ſit odioſa, vnde reſtringenda eſt ad ſolas carnes neceſſarias; nec credendum eſt, quod Eccleſia velit ſuum præceptum diſpenſare quò ad cibos noxios.

43 Ad primam confirmationem dicit, illam non eſſe exceptionem; nam regula dicit, Saluis modificationibus: modificatio autem, & exceptio diuerſæ res ſunt; Nã modificatio nihil eſt aliud, quã rigoris legis moderatio, ipſa lege remanẽte in ſuo robore: exceptio autem eſt omnimoda liberatio à legis obligatione: quod confirmat. Nam quando Regula vult aliquem caſum excipere, id diſertis verbis facit, vt quando agit de obligatione ieiunij, n. 29. facto præcepto generali de ieiunando ſingulis quartis, & ſextis ferijs, ſubdit, *Exceptis dumta-*

Digitized by Google

dumtaxat ſingulis quartis ferijs, &c. & num. 31. ait. *Inſuper a cunctis prædictis ieiunijs nullus corpore ſanus eximatur, peregrinationis tempore dumtaxat excluſo*. Ergo, ſi mens Legiſlatoris fuiſſet, quòd modificatio vitæ quadrageſimalis eſſet exceptio, dixiſſet, Tempore infirmitatis excepto, vel excluſo, vt dixit de ieiunio. Licèt ergo in præcepto eccleſiaſtico de non comedendis carnibus tempore quadrageſimæ, excluſus ſit caſus infirmitatis, non per hoc poteſt dici, quod idem caſus ſit excluſus in voto noſtro vitæ quadrageſimalis. Nam, ſi Eccleſia dictum caſum non excluſiſſet, præceptum illud eſſet nimis rigoroſum, nec Eccleſia poteſt me obligare ad totum id, ad quod ex mea voluntate obligare me poſſum; Nam ego me potui obligare ad capeſſendum ſtatum religioſum, ad quo me Eccleſia obligare non poteſt. Ergo non eſt mirum, ſi ille caſus in præcepto Eccleſiæ ſit excluſus, & non ſit excluſus in hoc noſtro voto, in quo nos obligamus ad non comedendas carnes, niſi cum illis circumſtantijs. Ad ſecundã confirmationem dicit, laudabilem Religionis conſuetudinem eſſe, vt infirmus comedat id, quod à Medico fuerit ordinatum; quòd ſi alia adſit conſuetudo, ea corruptela, non laudabilis conſuetudo eſt. Ad tertiam confirmationem concedit infirmum priuatum guſtu poſſe ſuillam comedere; nam tunc illa ei cenſetur neceſſaria ad ſanitatem celeriùs reſtaurandam. Concedit etiam, poſſe dictos infirmos vti ſuilla recenti, vel ſalaci ad condiendos cibos, at eam comedere pro ſolo guſtu ſatiando, cum ſit nociua, non poſſe. Cui autem conſilio Medici nociua non eſſet, comedere poſſet.

44 Ad ſecundum reſpondet, verum eſſe antecedens: ſed negat, noſtrum infirmum eſſe omnino excluſum à lege, ſed ſolummodò liberatum pro ſanitate celeriùs reſtauranda. Ad illud verò, quod dicitur, quòd eſſet implicatio contradictionis, ait, quòd ſi daretur genus carnis realiter ſeparatum à ſingularitatibus, quod comedi permitteretur, eſſet contradictio; nam eſſet affirmatio, & negatio euidem de eodem, ſed quia iſtud genus carnis non datur, neque comeditur, vt eſt abſtractum per intellectum, ſed ſolùm vt exiſtit à parte rei in ſingularitatibus, in quo eſt latitudo, & maxima differentia, non eſt contradictio, permittere neceſſarium, & prohibere nociuum. Imò abſque contradictione de eodem animali in Hiſpania permittuntur in quadrageſima extrema, & denegantur aliæ partes.

45 Vt dicam in hac controuerſia, quod cenſeo. Aduerto primò quòd nos Minimi promittimus in profeſſione, vt conſtat ex Correct. num. 18. Religionis vota ſub his verbis, *Voueo, & promitto, &c. perſeueranter viuere ſub votis paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, & quadrageſimalis vitæ, iuxta determinationes, & circumſtantias in ipſa Regula poſitas, & limitatas*. Limitationes autem voti quadrageſimalis ſunt poſitæ in Regula num. 26. his verbis, *Quamprimum verò quis in ægritudinem inciderit, ad infirmariam clauſtralem deducatur, &c. Si autem talis ægritudo ſic examinata inualuerit, Medici conſilio deducatur talis ægrotus ad infirmariam exteriorem*. Et nu. 27. dicitur. *At vbi ægrotum ipſum ita conſtiterit euidenter conualeſcere, quòd quadrageſimalibus cibis conſuetis ſuſtentari queat, matura deliberatione præuia, ad priſtinæ vitæ ſanctiorem conſuetudinem redeat*.

46 Ex quibus colligo primò, quòd votum hoc noſtrum, licet ſit ſimpliciter abſolutum, vt dixi tom. 1. Relig. q. 4. cap. 1. notab. tertio, quia ſtatim obligat, eſt tamen ſecundùm quid conditionatum; quia, adueniente infirmitate, non ſuſpenditur abſolutè, vt deberet, ſi eſſet ſimpliciter conditionatum, vt dicunt Summiſtæ, verbo Conditio, ſed ſolummodò ſecundum modificationem, & limitationem Regulæ. Conditionales verò modificationes, quæ requiruntur ad illud ſuſpendendum, ſunt tres, quæ habentur in Regula, num. 26. & 27. Prima, quòd non ſtatim, ac quis in ægritudinem inciderit, paſchalibus vtatur, ſed ſolummodò ſi poſtquam, abundantiùs de quadrageſimalibus refocillatus, non conualuerit. Secunda, quòd tunc non ſuo arbitrio dictis paſchalibus veſcatur, ſed cum Medici conſilio. Tertia, quòd vbi euidenter conſtiterit, ipſum ita valere, quòd cibis conſuetis quadrageſimalibus ſuſtentari queat, matura deliberatione præuia, ad priſtinæ vitæ ſanctiorem conſuetudinem redeat. Vnde apparet, quòd in his modificationibus nulla fit mentio, quibuſnam cibarijs in particulari infirmus veſci debeat, ſed ſolummodò determinatur, quòd ad infirmariam exteriorem deducatur. Ad quam cum fuerit deductus, præcipit, vt illi ſuccurratur, ideſt, prouideatur de illis omnibus, tum medicinalibus rebus, tum cibarijs paſchalibus, quæ à Medico fuerunt ordinata tanquam neceſſaria pro ſanitate celeriùs reſtauranda. Quod fieri debet non per quemlibet Fratrem ad guſtum, vel Fratris, vel ægroti, ſed ſolummodò per deputatum à Correctore, cui etiam incumbit onus dicta neceſſaria prouidendi.

47 Colligo II. quòd, ſtantibus dictis tribus conditionibus, poteſt ſtatim quilibet Frater Minimus comedere carnes. Nam prohibitio comedẽdi carnes in Ordine noſtro, eſt ſolummodò tempore ſanitatis: adueniente autem infirmitate cum dictis limitationibus, dicta prohibitio ceſſat, vt Tuſchus verb. Limitatio, conc. 356. nu. 4. & verbo Prohibitio abſoluta, concl. 904. num. 3. eo modo, quo prohibitus alienare intra certa ætatem, poſt illam alienare poteſt. Tuſchus ibi, nu. 6.

48 Colligo III. quòd verba illa, quæ proferimus in profeſſione, promittendo obſeruare Regulam iuxta circumſtantias, & determinationes in ipſa poſitas, & limitatas, poſſunt habere triplicem ſenſum. Primum, ita vt referantur ad Regulam; atque ita promittimus obſeruare Regulam cum omnibus circumſtantijs extenſiuis, & limitatiuis, prout, & ſub pœna in ea contentis. Secundum, ita vt referantur ad ſola quatuor vota, & ad circumſtantias, quibus ea ſunt præcepta, & diſpoſita in dicta Regula; & ſic operantur, vt ad dictas circumſtantias ſeruandas teneamur, non eodem quidem modo, quo tenemur ad vota, ſeu quo determinatur in Regula. Tertium, ita vt referantur ad ſolùm votum vitæ quadrageſimalis, quo modo videtur ea intelligere Caſtillus: ſed certè neſcio, quare potiùs de vita quadrageſimali, quàm de alijs, cum circa quodlibet votum aliquæ circumſtantiæ apponantur in Regula, vel Correctorio, & clauſula vltima ad omnia antecedentia referatur. Sed hoc etiam concesſo, operantur, vt teneamur obſeruare non ſolùm votum vitæ quadrageſimalis, ſed etiam circumſtantias, & limitationes ipſius, prout ſunt in Regula diſpoſitæ. Cum ergo circumſtantia, vt dicunt Summiſtæ eod. verb. Angel. Sylu. Tabiena, & alij, ſit actus extrinſecus circumſtans actum extra ſubſtantiam, ſequitur, quòd non teneamur obſeruare dictas circumſtantias eo modo, quo ſeruamus actus ipſos votorum, ſed ſolùm eo modo, quo diſponitur in Regula, ideſt ſolùm ſub ratione pœnæ taxatæ. Et aduerte, benè, quòd circumſtantia, ſeu modus, aut modificatio, ſeu limitatio differunt à conditione; quòd conditio ſuſpendit actum, vt dicunt Angelus verb. Conditio, nu. 2. Syl. eodem, num. 1. atque ita ad ſubſtantiam actus pertinet. Vnde noli mirari, ſi conditiones requiſitæ ad comedendas carnes ad mortale obligent. Circumſtantiæ autem de comedendo v. gr. in infirmaria, de non introducendis cibis paſchalibus in conuentum extra locum infirmariæ, ad nullum peccatum, ſed ſolùm ad pœnam in Regula taxatam. Atque ita colligo ex Panor. in cap. Cum Ioannes, de fide inſtru. num. 3. Tuſcho verbo Limitatio, concl. 355. & verbo Conditio, concl. 579. & ſeq.

49 Colligo 4. quòd illa verba poſita in dicto num. 26. Regulæ, *de quibuſuis cibarijs pro ſanitate celeriùs reſtauranda*, non intelliguntur, quòd ſolummodo infirmus poſſit comedere ea, quæ ſunt neceſſaria pro recuperanda ſalute, ita vt ſi aliquid comedat non neceſſarium, ſit voti reus; Nam alioqui ſi comederet aliquid ex cibis etiam licitis, & conceſſis, vltra neceſſarium, & in tanta quantitate, quòd eſſet nociuum, fractor voti

cenſen-

Digitized by Google

cenſendus eſſet; & ſimiliter ſi nollet recipere, vel comedere aliquid neceſſarium pro dicta ſanitate obtinenda; atque mille ſcrupulis angereutur infirmi, & votum difficillimum maximè ampliaretur contra naturam legis obligatoriæ. Verba igitur illa nihil aliud ſonant, niſi, quòd Corrector teneatur prouidere infirmo de omnibus cibis neceſſarijs pro ſanitate celeriùs reſtauranda, ita vt nihil illi deſit ex his, quæ à Medico fuerint ordinata, quod conducere poſſit ad dictum finem conſequendum. Atque ita illa verba ad Superiorem omnino referuntur, & erat neceſſarium hoc præceptum propter paupertatem Religionis, & Correctorum auaritiam, & nullo modo ad infirmum, qui ſicut abſque fractione voti poteſt recuſare medicinam à Medico ordinatam, neceſſariam pro ſanitate celeriùs reſtauranda, ita poteſt comedere abſque dicta fractione ſuillam ſibi nocituram, licèt aliunde peccet.

50 Aduerte ſecundò, quòd votum eſt ſtrictè interpretandum, itaut, quantum fieri poteſt, minus obliget, & quam maximè fieri poſſit, occaſio tranſgrediendi caueatur, & peccati periculum vitetur. Ita Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. cap. 21. q. 1. Sanch. 4. in decal. cap. 11. nu. 3. Filliuc tract. 26. cap. 3. n. 96. Suar. lib. 4. de voto, cap. 7. nu. 6. & nu. 8. affert rationem ex cap. Ex parte, de cenſ. vbi dicitur. *Quoniam cum huiuſmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius ſunt à viris eccleſiaſticis exigenda.* Et Gloſſa ibi, verb. Ab initio, ait, *Bona fit interpretatio, ne ipſorum magnificentia erga eccleſias retardaretur: quæ ratio valet in omnibus, nam ſi benignè exiguntur ab eccleſia, multò magis à Deo.*

51 Aduerte tertiò, quòd ſecundùm Galenum relatum à Schola Saler. cap. 7. Caſſan. in catal. p. 12. conſid. 85. ſuilla caro eſt cæteris laudabilior, & melior: eſt enim multum nutritiua, & habet maximam ſimilitudinem cum humanis carnibus; quare ſanis, & fortibus, ac laborantibus, & impinguari deſiderantibus tradenda eſt, vt dicunt dicti DD. quos ſequuntur Caſtor Durantus in theſauro ſanit. verbo Porcus, & Piſanel. de natura cib. eod. verbo. Quare infirmis deneganda, niſi fortè illi eſſent aſſueti: nam conſuetis gaudent naturæ. Vnde Hippocr. ſectio. 2. aphor. 50. *Conſueta ex multo tempore, etiamſi deteriora fuerint, inconſuetis minus moleſtare ſolent.* Quare qui in ſeculo ſuillæ aſſueti erant, ſi Religionem ingreſſi infirmentur, citiùs conualeſcent, pulſo iam morbo, ſuillam comedendo, quam vitulinam. Caſeus autem habet nutrimentum exile, & ſtomacho nocet, ac melancholicum humorem parit. Ideo dicitur, *Caſeus eſt nequam, quia concoquit omnia ſequàm.* Parcè itaque vtendum, & recenti; nam tunc impinguat, & ſtomachum non offendit, eſtque ſuauiſſimus ori; vnde verſus. *Caſeus eſt ſanus, quem dat auara manus.* Atque ita Schol. Saler. loc. citat. Caſſan. conſid. 86. Coſturadur & Piſanel. loc. citat. verb. Caſeus.

52 His prænotatis, dicendum mihi videtur cum prima ſententia, quòd fratres Minimi debitè licentiati ad comedendas carnes, poſſunt abſque tranſgreſſione voti ſuillam, & caſeum comedere. Atque ita Sanchez 4. in decal. cap. 11. nu. 57. Diana variar. tract. 8. q. 47. tom. 1. Villalob. in ſumma, tom. 1. tra. 23. dub. 8. nu. 11. Sanctius in ſelectis diſput. diſput. 51. num. 20. & 21. Aegidius Trullench. in expoſit. Bullæ cruciat. lib. 1. §. 4. dub. 2. nu. 2. Viualdus in ſupplem. cap. 15. num. 35. Tum quia omnia conceſſa cenſentur, quæ non ſunt prohibita, Gloſſ. in c. Cum eccleſia Sutrina, verb. Ne veniret, de cauſa poſſ. & propr. nullo autem iure in Ordine noſtro, vel Regulæ, aut conſtitutionum, ſeu conſuetudinis reperitur prohibita ſuilla. Tum quia omnia genera carnium per modum vnius prohibita ſunt, & ab Eccleſia, & à S. Legiſlatore noſtro. Ergo, ceſſante prohibitione, omnia debent eſſe conceſſa, vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, cap. Solitæ, de maior. & obed. cap. Si Romanorum, d. 20. cap. Quòd ſi dormierit, 31. qu. 1. Tum quia in dubijs vnuſquiſque præſumitur minùs ſe ipſum voluiſſe grauare, quàm potuerit. Ergo interpretatio in fauorem vouentis facienda eſt. Ita Suar. lib. 4. de voto, cap. 7. nu. 8. Azor. inſtit. mor. to. 1. lib. 11. cap. 21. q. 10. Regin. in praxi, lib. 18. nu. 292.

53 Ad 1. ergo argumentum Caſtilli concedo, finem primarium licentiandi Minimos ad comedendas carnes, eſſe recuperationem deperditæ ſanitatis. Quando infertur, Ergo non poſſumus comedere, niſi illos cibos, qui ſunt neceſſarij pro illo fine conſequendo, diſtinguo. Primariò, & directa intentione, ac per ſe, concedo. Secundariò, & indirecta, ac per accidens, nego. Vnde qui ſuillam comederet primò, & per ſe, vt retardaret recuperationem ſanitatis, reus voti eſſet, vt dicam hic infra, num. 59. at verò qui ſolùm pro guſtu ſuillam comedit, per accidens dicitur ſanitatem retardare, & conſequenter non facit contra votum. Ad primam confirmationem concedo, diſpenſationem eſſe ſtricti iuris; ſed nego, licentiam datam Minimis ad comedendas carnes eſſe diſpenſationem; eſt enim conceſſio legis, quæ in illo caſu ceſſat, & pro illo caſu non prohibet carnes: diceretur autem diſpenſatio, ſi fieret extra caſum infirmitatis. Ita Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 12. num. 45. & lib. 1. cap. 9. num. 13. Pontius lib. 8. de matrim. cap. 1. n. 5. dixi tom. 1. Relig. q. 1. cap. 8. §. 5. verſ. At inquies. Et poteſt afferri exemplum in Rege, qui prohibet, ne quis frumentum extrahat abſque eius licentia, cum illa conceditur à Rege, non dicitur Rex in ſua lege diſpenſare, ſed adhibere conditionem neceſſariam, quam lex ipſa petit; vnde ſemper dixi, quòd non minùs ſeruat Regulam Minimorum, qui licitè comedit paſchales cibos in infirmaria, quàm qui quadrageſimales in refectorio, quod poſtea reperi dixiſſe Nauarr. lib. 3. conſil. de obſeru. ieiun. num. 2. Ad ſecundam confirmationem patet. Nam ratio legis poſtulat, ne quis doloſè, & primaria intentione ſuillam, & alios cibos nociuos comedat ad infirmitatem protrahendam; ſi autem quis tractus illorum ciborum dulcedine, velit eos comedere, ratio huius legis non prohibet; nam, ſtantibus conditionibus, quas requirit, omnino ceſſat.

54 Ad ſecundum patet ex dictis. Ad primam confirmationem conſtat ex dictis num. 48. Quando dicitur, quòd tenemur ex voto modificationes ipſis ſeruare omninò, nego. Nam modus actionis non cadit ſub voto de ea facto, niſi ſit directe, ac formaliter intentus, vt docet Suarez de voto, lib. 4. cap. 8. num. 17. Regin. lib. 18. nu. 294. & exemplificat Suarez in eo, qui vouit ieiunium, qui reſpectu illius eſt ſubſtantialis, licèt aliàs intemperate comedat, non violabit votum. Nos autem non vouemus expreſsè ſeruare, nec formaliter intendimus abſtinere à ſuilla tempore infirmitatis. Ad ſecundam confirmationem Terminus ille reſtrictiuus reſtringit, vt non poſſimus ſtatim ac ſumus infirmi, propria voluntate carnes comedere, ſed requiritur conſilium Medici, & Superioris præceptum: reſtringit etiam, vt, ſanitate recuperata, ad vitam quadrageſimalem redeamus, & excludit omnia contraria iſtis conditionibus. Comedere autem ſuillam, his contrarium, non eſt. Et adde, quòd non omnis circumſtantia, quam vouens tempore voti emiſſi intendit, aut cogitat, obligat ſub voto, vel illius obligationem reſtringit; ſed obligabit, quando vel illa eſt intrinſeca, & eſſentialis rei promiſſæ, id eſt ſine qua res promiſſa non eſſet quò ad ſubſtantiam operis materia voti; vel, ſi accidentaria ſit, intendit vouens ad illam ſe obligare, vt Sanchez 4. in decal. cap. 17. num. 5. Comeſtio autem ſuillæ eſt accidentaria circumſtantia, & nemo expreſsè ad illam ſe obligat. Ad tertiam confirmationem conſtat. nam comedere ſuillam non eſt illis circumſtantijs contrarium.

55 Ad tertium illud ſimile nihil valet in hoc caſu. Quia ille exceſſus ibi eſt ſpecialiter, & expreſsè punitus. Et nō valet argumentum à caſibus expreſſis ad nō expreſſos; maximè non concurrente identitate rationis

Barboſ. in locis comm un. verb. Argum. num. 109. Et quænam eſt, quæſo, æquiparatio inter verberare Clericum, & comedere porcum. Ad quartum, Regula non vult, niſi quod dixi nu. 48.

56 Ad illud, quod dicit nu. 41. quòd conſuetudo contra hoc non valet, eſt omnino falſum; nam conſuetudo non ſolùm declarat leges naturales, & diuinas, ſed etiam ſi illis excuſat, vt dixi to. 2. Relig. q. 3. c. 1. nu. 180.

57 Ad ea, quæ reſpondet Caſtillus contra primam ſententiam. Ad primum dico, certiſſimum eſſe, totam obligationem voti pendere ex voluntate vouentis, iuxta illud Deuter. 23. *Facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es*. Nam propria voluntas, ſeu intentio, eſt regula obligationis, cap. Cum dilecti, de donat. cum obligationes ab ea originem trahant, & ea ſola ſit efficax ad illas inducendas, vt probat Suarez lib. 4. de voto, cap. 7. num. 3. Regin. in praxi, libr. 18. nu. 284. Sanchez 4. in decal. cap. 11. nu. 2. Vnde, ſi vouens intenderet obſeruare ſub voto circumſtantias accidentarias, vt hæc, teneretur, vt dicunt Suarez loc. citat. Sanchez num. 57. Sed cum nemo in profeſſione expreſsè intendat abſtinere à ſuilla, nullus eſt obligatus ab ea abſtinere, quando eſt ſolutus à voto. Ad illa, quæ dicit num 43. conſtat ex dictis num. 53. verſ. Ad confirmationem; & parum refert, quòd Regula caſum infirmitatis excludat vnis, vel alijs verbis. Et adde, quòd illa rigoroſitas, quæ eſſet in præcepto eccleſiaſtico de non comedendis carnibus tempore quadrageſimæ, ſi non eſſet exceptus caſus infirmitatis, eſſet in noſtro voto, & tunc multi tenent, quos citat Vaſquez 1. 2. diſp. 162. cap. 1. num. 3. quòd non teneremur illud obſeruare, quando iudicio Medici carnibus veſci oporteret. Ad ſecundam confirmationem de conſuetudine dixi num. 56. Ad ſecundum arg patet ex his, quæ dico nu. 53.

58 Quare concludo, quòd infirmus in Ordine noſtro debitè licentiatus ad comedendas carnes, non facit contra votum comedendo ſuillam, & caſeum, quæ ſibi credit noxia; Et quia comeſtio ſuillæ, & caſei eſt circumſtantia omnino accidentaria voto, quæ nullo modo obligat, niſi ſit expreſsè intenta in voti emiſſione, vt dixi num. 54. neminem autem illam expreſsè vouere firmiter credo; Nam non eſt in vſu, & nullus adhuc fuit punitus tanquam tranſgreſſor voti propter comeſtionem ſuillæ, & caſei: cum tamen votorum tranſgreſſores ſeueriſſimè puniantur. Et hoc intelligas eſſe verum, etiamſi Medicus expreſsè prohibeat dictos cibos comedere. Nam Medicus non poteſt me obligare ratione voti, niſi ad illud, ad quod votando mea intentio directa fuit.

59 Quæres hic etiam, an Frater Minimus, qui noxios ſibi cibos comedit, vt infirmetur, & per hoc poſſit comedere cibos paſchales, faciat contra votum? ℞. Si doloſe, & ex induſtria hac intentione comedat aliquid, quod certò ſcit per experientiam aliàs probatam ſibi ita nociturum, vt cogatur, Medici iuſſione paſchales cibos comedere, dico, quòd comedendo peccat mortaliter contra votum. Quia in voto vitæ quadrageſimalis tacitè includitur pactum nihil faciendi in fraudem dicti voti. Nam vbi lex, ſeu votum, quod lex priuata dicitur, prohibet aliquem effectum, & finem, ex mente illius dicetur prohibitus omnis modus, per quem in fraudem legis peruenitur ad illum effectum, vt probat Stephanus de Federicis de iur. interpr. p. 1. principali, nu. 41. nec effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit, leg. Non dubium, Cod. de leg. Nec intereſt, an vi, vel dolo legi fiat iniuria, leg. Fraus, ff. eod. Si verò caſu, & non in voti fraudem, in cibo, potuuè nimis excedens, etiam mortaliter, incidat in infirmitatem, ad quam depellendam cogatur paſchalibus veſci, licèt peccauerit contra temperantiam, non peccat tamen contra votum comedendo carnes; Nam in voti emiſſione non ſe obligat ad cauenda ſpeciali cura omnia impedimenta ſanitati contraria. Atque ita Suarez lib. 4. de voto, cap. 17. num. 19. Sanchez lib. 4. in decal. cap. 24. nu. 52. Alij tamen apud Dianam variar. tract. 8. reſol. 52. dicunt, quòd non peccaret contra votum, qui in fraudem ea comederet, per quæ redderetur impotens ad ſeruandum votum; Nam, inquiunt, aliud eſt deſiderare frangere votum, quando adeſt obligatio illud ſeruandi, & aliud deſiderare, ſe reddi impotentem ad ſeruandum votum: hoc enim nihil aliud eſt, quàm optare excuſationem voti, quàm licèt quis intendat via illicita non operatur tamen aduersùs votum, cum non deſideret illud infringere quando obligat, ſed ſolùm quærat modum, quo non obliget. Sed hæc doctrina videtur nimis ſubtilis.

60 Dubitabis, an qui in fraudem voti ea comedit, vnde fuit infirmatus, peccet in votum toties, quoties carnes, aut lacticinia comedit? ℞. votum negatiuum interpretandum eſſe ad formam præcepti negatiui, vt dicunt DD. Suarez libr. 4. de voto, cap. 7. num. 13. vnde hic toties peccabit, quoties carnes, aut lacticinia comederit. Verum quidem eſt, quòd ſi iam infirmum pœniteat peccati commiſſi, & tentet, quantum poteſt, citra tamen præiudicium maioris infirmitatis, an infirmitas abſque comeſtione carnium depelli poſſit, poterit comedere abſque nouo peccato; nam tunc eſt impotens ad ſeruandum votum.

61 Quæres etiam, an tempore peſtis poſſint Fratres Minimi comedere carnes? ℞. peſtes hoc tempore per Italiam graſſantes huic difficultati anſam dedere, pro qua conſulti Medici reſponderunt, quòd veſcentes cibis quadrageſimalibus peſtilenti infectioni ſunt minùs reſiſtitiui. Tum quia huiuſmodi cibariis naturalis calor fotus imbecilliùs, vitaleſque ſpiritus ægriùs refocillati, inuadenti veneno infirmiùs contranituntur. Tum etiam quòd exuperans eorum humiditas, quæ putredinis mater eſt, reddit corpus aliti ad recipiendum magis diſpoſitum. Cum ergo probauerim tom. 1. Relig. q. 4. cap. 3. poſſe Minimos ad infirmitates præcauendas ſe purgare, & purgatione durante, paſchalibus veſci, teneor multò magis dicere, poſſe paſchales comedere ad præcauendam peſtem, quæ eſt vltimum, & ſupremum malum, quod poteſt Reipublicæ accidere, vt patet ex 2. Reg. cap. vlt. vnde meritò ait Hieronym. Præuidellus in tract. de peſte, verbo Lege municipali, nu. 3. quòd quando magna peſtilentia imminet, dicitur imminere periculum mortis. Quis ergo erit tam ſeuerus, & durus, vt periclitanti vitæ deneget illud, quod poteſt iuuare ad illam conſeruandam? Quare ait Venerus lib. 4. examinis, cap. 46. nu. 53. quòd tempore peſtis poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt tempore quadrageſimæ omnes, tam viri, quàm mulieres poſſint carnes, & lacticinia comedere, & in facti contingentia anno 1625. graſſante peſte in ciuitate Panormi, Archiepiſcopum illius cum conſilio Theologorum, Canoniſtarum, & Medicorum ſic diſpenſaſſe; quam diſpenſationem profuiſſe teſtatur. Atque ita Trimarchi, qui teſtatur, viros doctiſſimos à ſe conſultos Meſſanæ, ita reſpondiſſe. Et Iſnardus refert in Codice Minimo, conſil. 5. ita etiam cenſuiſſe Theologos Lugdunenſes tempore, quo peſtis ciuitatem illam inuaſit anno 1627. In quorum omnium confirmationem ait Marſil. Ficinus in antid. epidem. cap. 5. *Vitandi igitur*, tempore peſtis, *piſces, quantum fieri poterit, in quorum genere parum minus nocent piſciculi, & qui ex flumine ſunt claro, petroſo, & currente, frixi in oleo cum ſale, & immerſi ſtaphiſagria, ſeu aceto, aut ſucco arànciorum, cum ſale, & modico piperis, vel cinnamomi*.

62 Quæres etiam, an Regulares tempore peſtis teneantur ſacramenta fidelibus miniſtrare. ℞. quòd deficientibus Parochis, ſeu non valentibus ſupplere multitudini infirmorum, tenentur ſub mortali Regulares Mendicantes cum periculo vitæ dictis infirmis ſacramenta miniſtrare, & Regulare ſubditi tenentur ſub eadem culpa obedire ſuis Prælatis præcipientibus, vt talibus infirmis ſecularibus in dicto caſu ſacramenta miniſtrent. Sunt n. Regulares coadiutores Epiſcoporum, vi di-

Digitized by Google

vt dicitur in clem. Dudum, de ſepul. §. cœterùm; & in hunc finem dictæ Religiones fuerunt ab Eccleſia approbatæ, & tot illis priuilegia conceſſa, vt ait Caj. 2. 2. q. 188. art. 4. in reſponſ. ad 3. & in hunc finem etiam aluntur à populis. Et in extrema neceſſitate ſpirituali quemlibet teneri alteri ſubuenire cum periculo vitæ, concors eſt Theologorum ſententia cum D. Tho. 2. 2. qu. 26. art. 5. Ergo de iuſtitia tenentur eo tempore, & illo caſu populis ſacramenta miniſtrare cum periculo vitæ. Atque ita latè, & doctè probat Benzonius in ſpecul. Epiſc. lib. 1. d. 1. q. 1. concl. 10. & pro ſe citat D. Tho. multis in locis. Rodriquez tom. 3. qu. regul. qu. 3. art. 4. & tom. 4. ſum. cap. 96. nu. 4. Sanchez 6. in decal. cap. 2. nu. 60. Venetus in exam. lib. 4. cap. 46. num. 40. Rodericus in reſol. regul. reſol. 111. nu. 4. Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 44. ſect. 3. num. 8. D. Tho. opuſc. 18. cap. 16. ait, quòd Epiſcopi, & Curati tenentur ratione officij animas ſuas ponere pro ſalute gregis ſui; quia *ad huiuſmodi perfectionem in ſua ordinatione, vel conſecratione ſe obligant, ſicut & Religioſi in ſua profeſſione*. Ergo ſicut Parochi, & Epiſcopi tenentur tempore peſtis cum periculo vitæ ſacramenta miniſtrare, vt probat Suarez tota illa ſect. 3. ita & Religioſi in ſupplementum dictorum Parochorum. Eadem, quæ D. Tho. habet Bannes 2. 2. qu. 33. art. 3. dub. 3. concl. 4. ait enim, quòd *Religioſi Mendicantes tenentur ſpeciali obligatione ad opera miſericordiæ implenda ſuppoſita ſemper obedientia, nam ſicut Epiſcopi, & Parochi obligantur ad iſta opera ex officio, ita Religioſi ex voto ſuo: ergo eſt ſpecialis obligatio in eis*. Et licèt dub. ſequen. verſ. Ex dictis, dicat, quòd Religioſi non tenentur permanere in loco peſtis, ſed licitum eſt illis fugere, & propriam vitam ſeruare: tamen intelligendus eſt, ne ſibi contradicat, quòd hic loquatur de Religioſis non Mendicantibus, qui cum ad vitam contemplatiuam ſint inſtituti, eo tempore fugere poſſunt, vt probat Rodriq. to. 4. ſum. cap. 96. nu. 2. Vel intelligi poteſt; quòd poſſint fugere, audito rumore peſtis, non ipſa peſte graſſante, & neceſſitate præſente.

63 Aduertit autem bene Rodriquez illa q. 31. cit. in reſp. ad arg. versùs finem, quòd ad hanc obligationem tenentur Regulares, quando ex facti euidentia, & monito Epiſcopi illis ſignificatur, proprios, & ordinarios Curatos non poſſe competenter ſatisfacere indigentijs ſpiritualibus proximorum.

64 Aduertit etiam Sanch. cit. n. 61. teneri Prælatum regularem ad loca diœceſis vicina peſte infecta Religioſos mittere, & eos teneri parere, quando eamdem Parochorum ſufficientium ad ſacramenta infirmis miniſtranda penuriam paterētur, propter eaſdem rationes.

65 Aduertit etiam Rodriquez in ſum. loc. cit. num. 4. quòd in hoc debent Prælati eſſe multùm prudentes. Nam non decet, vt omnibus indifferenter præcipiant, vt eant ad miniſtranda ſacramenta peſte infectis; ſed viris literatis, & probis, qui poſſunt multò plus Religionem iuuare, id præcipiendum non eſt. Imò iſti, etiamſi vltro ſe offerant, non ſunt de facili permittendi, niſi vel inſtinctu Spiritus ſancti magno charitatis ardore id tentare comprehendantur, vel in defectu aliorum. Vnde ait, quòd Prouincialis non poteſt id præcipere Correctoribus; cum enim hi ſint Parochi ſuorum ſubditorum, non poſſunt gregem ſuum relinquere, vt aliorum gregi ſuccurrant; charitas enim ordinata eſſe debet. Quare ſubdit, quòd Prælatus, cum periculo vitæ ſuæ non tenetur ſubditum peſte infeſtum inuiſere, vel alium quemcumque, exiſtentibus alijs, qui id valeant perficere, & libenter ſe offerant, ne fortè in tam graui neceſſitate deficiat in conuentu Prælatus, &, corruente eius regimine, non ſit, qui neceſſaria miniſtret infirmis. Quæ etiam aduertunt Sanchez 6. in decal. cap. 2. num. 57. & 62. & Benzonius loc. cit. poſt reſponſionem ad argumentum, verſu: In hac tamen practica, vbi ait. Superiori, ſeu Prælato, prudentia vtendum erit, ne ſingulis id imponat nec vel valde infirmos, vel egregiæ conditionis viros, qui aliàs regulati reipublicæ perutiles, vel neceſſarij eſſent, ſine delectu ad hoc munus exponat. Addit etiam Rodriq. dicto cap. 96. cit. quòd ſubditi tenentur ſe offerre ad curandos ſuos Confratres peſte infectos, illiſque ſacramenta adminiſtrare, & non conſentire, vt hæc eorum Prælati exequantur; cum enim ſint membra communitatis, in qua viuunt, tenentur pro capitis conſeruatione periculo ſe exponere, naturali ratione ſuadente. Addit etiam, quòd ſubditus recuſans obedire Prælato in omnibus ſupradictis caſibus, poteſt ad id violentia cogi, vnde, ſi nolit ire ad miniſtranda ſacramenta ſecularibus, poteſt extra conuentum pelli: & ſi nolit infirmo Fratri ſeruire, vel etiam ſacramenta miniſtrare, poteſt incarcerari, torturari, &c. Et aduerte etiam, quòd in caſu extremæ neceſſitatis tenetur Prælatus ipſe ſuis ſubditis ſeruire, & ſacramenta miniſtrare, vt probat Suarez tom. 4. in 3. p. diſput. 44. ſect. 3. nu. 7. & alij communiter. Pro animandis, & confortandis ſubditis ad libenter eundum ad miniſtranda ſacramenta peſte infectis, legat Prælatus tractatum de Martyrio per peſtem, nuper editum a Raynaudo. Et quòd de eis, qui in dicto miniſterio decedunt, Eccleſia Catholica tanquam de martyribus faciat commemorationem, dicit ex Baronio Venerus in examine, lib. 4. cap. 46. num. 41. Aduerte hic etiam de paſſu, quòd anno 1630. die 22. Nouembris per S. D. N. P. Vrbanum VIII. ſtatutum eſt, quòd in ſtatu Mediolanenſi, & eius diœceſi, in qua multùm graſſata fuerat peſtis, nulli Regulares poſſent quemquam nouitium ad Religiones eorum reſpectiuè recipere, fortè ne ad compenſandas ruinas, ex contagione illatas, ſine diſcrimine omnes reciperentur, vel vt conuentus multitudine Fratrum oppreſſi aliquantulum reſpirarent. Quod decretum fuit dictis Regularibus intimatum à Cardinali Borromæo Archiepiſcopo Mediolanenſi die 17. Decembris eiuſdem anni.

66 Noto 22. quòd in §. 7. eiuſdem conſt. 2. Clement. VIII. num. 20. dicebam, quòd Collegæ Generalis vel Prouincialis, non poterant eſſe conſanguinei vſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis; conſanguinei enim noſtri ſunt quodammodò pars corporis noſtri, & cum nemo carnem ſuam odio habeat, ſed magis nutriat, & foueat eam, vt dicitur ad Epheſ. 5. & habetur in cap. Non æſtimemus, 15. qu. 2. non poteſt dubitari, quin Collega conſanguineus, benè, vel malè faciat Prælatus, ei non contradicat; Eſt enim nobis innatus quidam naturalis amor, & affectus in noſtros; qui amor homines aliàs lynceos ita obcæcat, vt neſciant quid album, quidvè nigrum diſcernere, vt decernunt Canones, cap. 4. Quatuor, 11. quæſt. 3. & cap. 1. in princ. de ſent. excomm. in 6. Nec ſolum obcæcat hic amor homines malos, & improbos, vincendis ſuis paſſionibus impares, ſed etiam homines aliàs integerrimos, virtutibus, & ſanctimonia conſpicuos. Quod perbellè notauit Greg. 7. moral. cap. 14. *Et ſunt plerique, qui non ſolùm aliena non appetunt, verumetiam cuncta, quæ poſſederant in mundo, derelinquunt, ſemetipſos deſpiciunt, nullam præſentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi ſe actibus ſeparant, & penè quicquid proſperitatis arriſerit, calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiſcretè deſeruiunt, ad ea ſæpe per affectum cognationis redeunt, quæ iam, & cum proprio deſpectu ſubegerunt. Cumque plus, quàm neceſſe eſt, carnis propinquos diligunt, retracti exteriùs à cordis parente diuiduntur. Nam ſæpe quoſdam videmus, quantum ad proprium ſtudium ſpectat, iam præſentis vitæ deſideria non habere, mundum, & opere, & profeſſione reliquiſſe, ſed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgijs vacare, libertatem intimæ quietis relinquere & mundi ſtudia in ſe iamdudum deſtructa reparare*. Ex quibus conſtat, vt optimè aduertit Tiraquel. de pœnis tempor. cauſ. 51. num. 82. eſſe potentiorem, ac vehementiorem amorem conſanguinitatis, quàm amorem ſui ipſius.

ipſius. Sicut ergo prohibentur Epiſcopi Eccleſiæ œconomatum conſanguineis committere propter fraudis ſuſpicionem, cap. Decenter, d. 89. Ita hic prohibentur Prælati conſanguineos ſibi in Collegas aſſumere, propter ſuſpicionem, ne nimiùm ipſis adhærentes, iuſtitiam in damnum Religionis, & Religioſorum peruertant. Et ſicut Epiſcopus non poteſt conſanguineis conferre beneficia; quia conſanguinitas inducit ſuſpicionem, quòd collatio ſit vitioſa, ca. Epiſcopus, 10. q. 2. Redoanus de ſimon. ment. p. 1. cap. 26. n. 2. qui addit, quòd dans beneficium conſanguineo, eſt ſimoniacus, & tenetur ad reſtitutionem; ita non poteſt Prælatus in Collegam ſibi conſanguineum aſſumere, propter ſuſpicionem inhabilitatis, ſeu alterius vitioſitatis electi.

67 Si quæras, cur ſolum excluſerim conſanguineos vſque ad 2. gradum. ℞. quòd in ca. Poſtremò, de appell. ſtatuitur, quòd iudex conſanguineus poſſit recuſari, & Gloſſ. ibi determinat, quòd illa conſanguinitas extenditur vſque ad ſeptimum gradum, quia vſque ad illum gradum durat affectio, & vſq; ad illum gradum poteſt illi ſuccedere. Sed cum hic ſimus in Religioſis, in quibus nullum adeſt ſucceſſionis intereſſe, potentiſſimum humanarum mentium ligamen, & qui pro inſtituto habent ſanguinis affectiones domare, determinaui illam excluſionem non extendi, niſi vſque ad 2. gradum. Tum quia in alijs gradibus non tam feruet naturalis affectus, vt ordinariè rationem poſſit peruertere. Tum quia in conſtit. 10. Clem. VIII. §. 9. quæ refertur in bullario Eremitarum S. Auguſtini, prohibetur, quòd in capitulis prouincialibus, aut congregationibus duo conſanguinei vel affines in 1. vel 2. gradu votare poſſint. Tum quia in decret. Vrb. VIII. circa collocutionem Regularium cum Monialibus conceditur facultas colloquendi cum Monialibus conſanguineis vſque ad 2. gradum, vt conſtat ex tom. 2. noſtr. priu. in conſt. 6. Pij V. nu. 7 Tum quia in conſt. Cleric. Theatin. p. 3. cap. 4. ſtatuitur, quòd eorum, qui inter ſe ſunt 1. vel 2. gradu conſanguinei, alius alij, nullo interiecto anno, non ſuccedat. Tum quia iſta eſt conſtitutio odioſa, & ideò reſtringenda. Et aduerte, quòd iſta conſanguinitas debet eſſe in linea recta aſcendentium, vel deſcendentium, non autem in tranſuerſali. Ita Hippoly. de Marſilijs ſingul. 133.

68 Sed cur, inquies, id etiam prohibetur de adhærentibus. ℞. propter eamdem rationem. Cum enim iſti à nobis dependeant, res noſtræ ſunt, & nos eorum omninò ſumus, & eiuſdem ad ſe ipſum vix poteſt eſſe iudicium rectum amoris vi, qui iudicium perſæpe ignorat, ratione caret, modum neſcit, nec aliud cogitare poteſt, quàm quod diligit; argumen. leg. Cum ſeruus, ff. mandati, vel contra. Quare bene Cæſar apud Salluſtium aiebat, omnes homines, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decere. Et Plutar. in præcep. ger. Reip. ſcribit de Cleone, quòd vt primùm Rempublicam attingere deſtinauit, *conductis in vnum amicis ſuis, amicitia eorum renunciauit, quòd ea in Republica perſæpè à recta, ac iuſta voluntate animum auerteret, atque emolliret*. Vt igitur in tribunali Superiorum noſtrorum recta adminiſtraretur iuſtitia, nec iudices amore vel parentelæ, vel ſuitatis ducerentur, ſed ſolo iuſtitiæ zelo, bene amouet Papa, quæ tali iuſtitiæ adminiſtrandæ poſſunt eſſe impedimento.

69 Noto 23. circa conſt. 3. eiuſdem Clem. quòd nullus iudex poteſt de dubijs emergentibus ex, & in literis apoſtolicis cognoſcere, niſi Papa, vel de eius commiſſione, cap. Cum veniſſent, de iudic. cap. 2. de confir. vtil. vel inutil. cap. Super literis, de reſcript. Quod intellige de dubijs conſiſtentibus in intentione Principis, & quæ præ difficultate decidi facilè non poſſunt, & quando declaratio debet eſſe generalis, & iudicialis, vt Gloſſ. in dicto cap. Cum veniſſent, & ibi Panor. num. 3. Barboſ. ibid num. 3. Et pro iſtis valet hoc priuilegium. Quod tamen adhuc eſt limitatum, vt non poſſit Generalis de illis decidere abſque ſcientia Romani Pontificis. Et quòd hæc ſit vera interpretatio, conſtat. Nam alioqui certum eſt, quòd poteſt Iudex inferior cognoſcere circa literas apoſtolicas, an priuilegiatus ſit priuilegij capax, an priuilegium ſit ſubreptitium; Panor. loc. cit. qui id colligit ex cap. 1. & 2. de confir. vtil. & cap. Super literis, de reſcrip. & dicit eſſe communem opinionem.

70 Et aduerte hic, quòd quando Papa confert alicui beneficium manuale, quod conſueuit ad nutũ Abbatis prouideri, ſi ille faciat delictum priuatione dignum, quantumcumque ſit beneficium in perpetuum collatum, poterit ab Abbate illo priuari. Quia per illam Pontificis collationem, aut confirmationem ſolùm reſpectu præteritorum eſt præcluſa via inferioribus, atque ideo de viribus illius collationis, aut confirmationis cognoſcere nequeunt; ſecus reſpectu delicti de nouo ſupereminentis. Aliàs .n. illa collatio, aut confirmatio præſtaret exemptionem ab Ordinarijs. Ita iiſdem verbis Sanchez 7. in decal. cap. 29. num. 139. Barboſ. in cap. 1. de confirmat. vtil. vel inutil. num. 35. apud quos vide alios multos.

71 Sed quid, ſi Pontifex concedat alicui Religioſo peculium, vel licentiam. V.G. in Ordine noſtro exeundi conuentu, quando eſt in infirmaria, poterit ne Prælatus regularis ad nutum talia priuilegia reuocare. ℞. quòd Prælatus non poterit ad nutum reuocare. Quia vbi Papa in aliquo negotio manum ſemel appoſuit, videtur illud ſibi velle reſeruare, & inferior in rebus Superioris non poteſt ſe intromittere; cap. Inferior, d. 21. Et deriſorium eſſet, quòd hodie mihi Papa illud priuilegium concederet, & quòd cras Prælatus auferret. Atque ita tenent quamplurimi DD. apud Sanchez loc. cit. num. 135. Poterit tamen reuocare, ſi dicto peculio, vel licentia abutatur. Tum quia Papa non cenſetur voluiſſe illud priuilegium in deſtructionem concedere, ſed in ædificationem. Tum quia priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, cap. Licèt, de regul. cap. Priuilegium, 11. qu. 3.

72 Ex quibus collige, quòd ſi Papa per deuolutionem V.G. quia in capitulo generali non potuit fieri electio Generalis, Generalem eligat, iſte Generalis electus à Papa ſubiacebit omnibus, quæ diſponit Regula de diſpoſitione Generalis. Quia non videtur tunc Papa velle alterare naturam Generalatus. Et colligitur ex Clem. vn. de ſuppl. neglig. Prælat. ibi, *liberè poſſint ad clauſtrum, cum oportuerit, reuocari.* vbi Gloſſa dicto verbo Reuocari, huius rei rationem reddit. Quia nec plus, nec aliter confert ſupplens, quàm negligens debebat conferre; cum non tanquam principalis, ſed tanquam ſubrogatus ipſis conferat. Ita Sanchez loc. cit. nu. 133. Idem puto dicendum, ſi Papa iure proprio, non deuoluto, Generalem, ſeu Prouincialem eligat. Nam etiam tunc, ſi electus delinquat, poteſt à deputatis à Regula, & conſtitutionibus puniri, & priuari, iuxta dicta num. 69.

73 Collige etiam, quòd ſi Papa ſimpliciter diuidat, vel vniat, ſeu erigat aliquam Prouinciam, poterit nihilominus, ratione probabili ſuadente, Prouincia diuiſa vniri, vnita diuidi, & erecta ad priſtinum ſtatum reduci per capitulum generale. Nam tunc Papa non videtur velle diuiſionis, & vnionis, atque erectionis naturam iuxta conſtitutiones alterare. Si autem diuidat, vel vniat, & erigat ex certa ſcientia, tunc non poterit capitulum Prouinciam diuiſam vnire, & vnitam diuidere, & erectam deſtruere. Ex eo enim, quòd Papa in illo negotio ſeriò, & ex propoſito manum appoſuit, declarauit, illud velle ſibi reſeruare. Atque ita colligo ex Sanch. loc. cit. nu. 136. quem vide nu. 144. vbi declarat, quando Papa cenſeatur aliquid facere ex certa ſcientia; & nu. 143. affert differentiam, quæ eſt inter conceſſionem motu proprio, & ex certa ſcientia.

74 Noto 24. quòd ſupprimentes, & publicari prohibentes bullas pontificias, excommunicationem incurrunt, a qua, niſi reſipiſcant, abſolui non debẽt; Sayr. in deciſ. tit. de conſt. deciſ. 25. Nau. in manuali cap. 27. n. 69.

verſ.

Digitized by Google

verſ. Secunda quod,& to. 1. conſil. de conſt. conſil. 1. num. 55.

75 Noto 25. quòd in conſtit. 4. Clem. VIII. num. 7. dicebam, teneri Regulares eijcere facinoroſos ad ſuas eccleſias confugientes, ſub pœnis priuatiouis ſuorum officiorum. Sed anno 1630. die 21. Nouembris exijt decretum à S. D. Vrbano Papa VIII. multò rigoroſius prædicto, quod quia Regularibus, quod ſciam, non fuit intimatum, & non durat niſi ad annum, ideo hic non inſero. Videri poteſt apud Cancellarios Curiæ Archiepiſcopalis Gennæ. Et nota, quòd dicti banniti non per hoc priuantur immunitate, vt probat Diana tom. 3. tract. 1. reſolut. 40. Et aduertit, quòd iſtæ literæ non obligant, niſi in locis, in quibus fuerunt publicatæ, & pro quibus ſpecialiter emanarunt. Aduerte etiam, quòd pro regno Neapolitano adeſt conſtitutio Sixti V. data ad inſtantiam Proregis Neapolitani, quam refert Quaranta, verbo Bannitorum fautores, in qua prohibet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſi reſeruatæ, omnibus perſonis eccleſiaſticis, ſiuè regularibus ſiuè ſecularibus, ſiuè ſuperioribus, ſiuè ſubditis, ne viarum graſſatores in ſuis eccleſiis, aut conuentibus recipiant, retineant, occultent, aut eis auxilium, conſilium, victum, aut veſtitum, directè, vel indirectè, quouis modo impendant. Vbi nota, quòd non ſolùm comprehenduntur Superiores, dictos viarum graſſatores receptantes, ſed etiam alij Fratres, inſcio Superiore, illos recipientes, occultantes, &c. per illam clauſulam; *Et alijs quibuſuis perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis Ordinum, &c.* Nota etiam, quod retinentes alios bannitos quoſcumque præter viarum graſſatores, dictas pœnas non incurrunt. Quia conſtitutio apertè loquitur dumtaxat de viarum graſſatoribus; vnde, cum ſit odioſa, non eſt extendenda. Nota tamen, quòd Additionator Quarantæ tres caſus excipit, in quibus dictæ pœnæ non incurruntur. I. eſt, Quando aliquis fuiſſet per ignorantiam receptus; licèt enim ſciretur, aliquem eſſe bannitum, neſciebatur tamen ipſum eſſe graſſatorem, II. Quando cogerentur eccleſiaſtici, incuſſo timore cadente in virum conſtantem, aliquem huiuſmodi recipere. III. Quando reciperent animo tradendi curiæ ſeculari; ſed hic caſus indignus eſt, vt proponatur perſonis eccleſiaſticis, ſapit enim impietatem, & proditionem, & tunc non effugerent eccleſiaſticam pœnam irregularitatis.

76 Aduerto autem in omnibus caſibus, quòd ſi dicti banniti, & facinoroſi confugientes ad eccleſias, eſſent poſiti in extrema neceſſitate victus, aut alicuius alterius boni ſpiritualis, non poſſent tunc Regulares eos eijcere, ſed tenerentur ſub mortali eos adiuuare, & liberare ab ea neceſſitate. Nam verba legis, quantumcumque generalia, ſemper ita ſunt interpretanda, vt non ſequatur inhumanitas, quæ tamen ſequeretur in caſu propoſito. Ita Riccius 1. p. praxis, deciſ. 366. nu. 2. Ex quo principio reſoluuntur multi ſimiles caſus. I. Quòd prohibitus ſub aliquo præcepto, vel pœna, conuerſari cum aliqua muliere ſuſpecta, poteſt eam alloqui in caſu neceſſitatis, & ad bonum finem, ad eam V. G. hortandam ad bonum ſpirituale. II. Prohibitus alloqui talem carceratum per verba nec directa, nec indirecta, poteſt nihilominus cum alloqui cauſa pietatis, & beneuolentiæ. III. Prohibitio de non loquendo cum excommunicatis non comprehendit caſum neceſſitatis, ſeu honeſtatis; cap. Quoniam, 11. q. 3. c. Inter alia, §. Illud autem, de ſent. excom. IV. Quamuis verba contractus ſint nimis generalia, tamen recipiunt interpretationem, ne promittens remaneat læſus, deluſus, vel deceptus. V. promiſſio de non faciendo aliquid cum iuramento, non extenditur ad actum laudabilem, & licitum. VI. Promittens velle conueniri vbique locorum, reſtringitur ad locum tutum. Et promittens non offendere quoquo modo, intelligitur ad terminos iuris, & ſic non intelligitur in ludendo, nec in lucta, nec in ſimilibus.

77 Noto 26. quòd in eadem conſtit. 4. Clement. VIII. num. 9. dicebam, quòd in Statu Mediolanenſi extabat excommunicatio, & priuatio officiorum contra Regulares tenentes arma in ſuis collegijs, & monaſterijs. Sed modò occurrit quærere, An ille, qui per momentum temporis ab alio arma conſeruanda accepiſſet, dictas pœnas incurreret. Riccius 1. p. praxis, deciſ. 691. nu. 4. putat incurrere. Sed ego exiſtimo, contrarium eſſe verius, quando quis bona fide ad modicum tempus, ſeu pro faciendo aliquo opere charitatis, ne ſc. venientes ſatellites, quos venire videt, dicta arma portantem carceratum ducant, cum grauiſſimo ipſius, & ſuæ familiæ damno, vel quando inconſideratè illa ſuſcipit. Nam modica non ſunt in conſideratione, leg. Scio, ff. de in integrum reſt. Ita Baiard. ad practicam Clari, lib. 5. §. fi. q. 82. n. 74. qui nu. 66. habet, quòd ſtatutum prohibens ſimpliciter portare, aut retinere arma, intelligitur de offenſiuis, non defenſiuis. Et num. 71. habet, quòd cultellus panis non venit appellatione armorum, niſi excedat menſuram taxatam. Et num. 78. quòd portans arma ligata non habet malum animum. Et num. 79. ait, quod ſtatutum prohibens retentionem, aut delationem armorum, intelligitur de armis aptis ad offendendum. Quod tamen non admittit de ſclopettis, nam poſſet quis tenere cannam ſine rota, quam etiam haberet in domo, & ſic ad libitum ſclopettis vti.

78 Noto 23. quòd hic idem Pontifex Clem. VIII. fecit quamdam conſtitutionem pro confraternitatibus ſecularium à Regularibus inſtituendis, & aggregandis quæ incipit; Quæcumque, & eſt data Romæ anno 1604. die 7. Decembris, quam hic non affero, quia refertur à Cherub. to. 3. bull. conſt. 115. eiuſdem Pontif. pag. 164. Eam etiam referunt Quaranta in ſumm. bull. verb. Confraternitates, & Franciſcus Leo in theſau. p. 4. 4. c. 2. fine, qui illam explicat dicto cap. 2. per totum. Illius ſumma eſt. Primò, quòd Regulares, qui habent facultatem à Sede apoſtolica confraternitates inſtituendi, vnam tantùm in ſingulis locis inſtituere poſſint, vnamque ſimiliter tantùm poſſint ſibi aggregare ſecularium, archiconfraternitates, vel congregationes. Secundò, quòd dicti Regulares, ſeu archiconfraternitates non poſſint confraternitati inſtitutæ, vel aggregatæ communicare niſi illa priuilegia, gratias, & indulgentias, quæ ipſis in ſpecie, & nominatim fuerunt conceſſa, non illa, quæ per participationem illis fuere communicata. Tertiò, quòd dicti Regulares inſtituentes, vel archiconfraternitates aggregantes non poſſint dictis confraternitatibus inſtitutis, & aggregatis impartiri ſtatuta, quibus vtuntur, niſi priùs ab Ordinario conſiderante qualitates loci, temporis, & perſonarum, approbentur, emendentur, vel reformentur. Quartò, quòd in dictis inſtitutionibus, & aggregationibus obſeruetur forma ab ipſo Papa præſcripta, nimirum quòd in literis patentibus dictarum inſtitutionum, & aggregationum fiat mentio de facultate inſtituendi, & aggregandi dictas confraternitates, deinde inſeratur totus tenor indulgentiarum, primariò ipſis conceſſarum, eo modo, quo conceſſæ ſunt, & iiſdem verbis: & vltimò apponatur de verbo ad verbum præfata conſtitutio Quæcumque Clement. VIII. Huiuſmodi formas habes apud Flauium Cherub. in comp. tom. 3. bull. ſub conſt. 115. Clement. VIII. & apud Quaran. in ſumm. bull. loc. cit. & ponam ego in Formulario Regularium, verbo Confraternitates. Quintò, quòd dictæ Confraternitates ſic inſtitutæ, & aggregatæ non poſſint dictis indulgentijs, & gratijs ſibi nominatim communicatis vti, & frui, niſi poſtquam dictæ indulgentiæ, & gratiæ fuerint ab Ordinarijs recognitæ. Sextò, quòd Officiales Ordinum, & confraternitatum eleemoſynas ita excipiant, & petant, ſicut fuerit eis ab Ordinarijs præſcriptum, & ſic exceptas erogent in reparationem, & ornatum eccleſiarum, tàm Ordinum,

& Religionum inſtituentium, quàm ipſarum confraternitatum inſtitutarum, & aggregatarum. Septimò, quòd confeſſores eligendi à dictis confraternitatibus vigore dictorum priuilegiorum, debent eſſe approbati ab Ordinarijs locorum, ſi ſeculares ſint, Si verò ſint Regulares, non ſolùm debeant approbari à dictis Ordinarijs, ſed etiam à ſuis Superioribus regularibus: qui tamen confeſſores non poſſint dictos confratres abſoluere à caſibus Papæ, & Epiſcopis reſeruatis. Demum omnes confraternitates iam factas, infra annum in Europa, & infra biennium extra illam, ad præfatam præſcriptam formam renouari iubet.

79 Circa quam conſtitutionem exierunt quædam declarationes ſacræ Congregationis indulgentiarum, quæ per modum literarum miſſæ fuerunt Epiſcopo, Senenſi tenoris ſequentis. *Molt' Illu. & Reuerendiſs. Monſignore. Hauendo riſoluto queſti miei Illuſtriſsimi Signori della Congregatione delle indulgenze, con autorità, & ordine particulare, hauuto* viuæ vocis oraculo *dalla Santità di N. S. di leuare alcune difficoltà, che ſi trouano nell' eſſeguire la conſtitutione di Clem. VIII. fel. mem. fatta già ſopra le aggregationi delle confratrie, e dichiarare ancora alcune coſe concernenti le inſtitutioni antiche fatte da Superiori delle Religioni. Fanno ſapere à V. S. che ſi contentano, che li Superiori regolari, à quali è ſtata conceſſa noua facoltà da Sua Beatitudine d'inſtituire confraternità ſecolare ſecondo la forma della ſudetta conſtitutione, poſsino confermare ſenza conſenſo dell'Ordinario di luoghi, quelle confraternità, quali ſi trouano canonicamente erette da medeſmi Superiori regolari, auanti ſi publicaſſe l'iſteſſa conſtitutione, nelle chieſe proprie loro regolari collegiate, doue ſtano almeno dodeci Religioſi di famiglia ordinaria, non oſtante, che nella patente della confermatione ſi dica eſpreſſamente farſi ciò di conſenſo dell'Ordinario medeſmo. Dichiarando però, che nel far noue inſtitutioni nelle chieſe tanto regolari, quanto ſecolari di qualunque ſorte, ò nel confermar etiandio le antiche erette in chieſe ſecolari, ò regolari ancora, nelle quali non ſtiano dodeci Religioſi, ſi debba neceſſariamente hauer il teſtimonio, & conſenſo dell' Ordinario, & ſeruare tutto il reſtante, che ſi preſcriue nell' iſteſſa conſtitutione.*

80 *Permettono ſimilmente, che li medeſmi Regolari, à quali è ſtata conceſſa la ſudetta nuoua facoltà d'inſtituire, poſsino confermare le confratrie antiche, & inſtituirne di nuouo, ancorche non ſia tutta quella diſtanza di luoghi, oue ſono, o ſaranno tali confratrie, che viene preſcritta da Breui apoſtolici; mentre però, oltre tutti li altri requiſiti, concorra anco à queſto il conſenſo particolare dell' Ordinario del luogo, quale ſi douerà eſsibire in ſcritto prima che ſi diſpenſi ſopra tal diſtanza, e non altrimente.*

81 *Permettono ancora, che ritrouandoſi diuerſe confratrie di ſeculari antiche erette canonicamente, come di ſopra, in chieſe regolari collegiate di dodeci Religioſi almeno, ſi poſsino confermare, ſeruata però in tutto il reſto la forma data dalla medema conſtitutione. E parimente, che eſſendo in vna città, ò terra più d'vna confraternità anticha dell' iſteſſo nome, & inſtituto eretta canonicamente da Superiori regolari, ſi poſsino confermare ſecondo la ſudetta forma, ma nell' inſtituire nuoue confraternità vogliono le Signorie loro Illuſtriſsime, che vna ſola ſe ne poſsi fare in qualunque città, terra, e luogo, eccettuando però la compagnia del Santiſsimo Sacramento, quale concedono, anzi deſiderano, ſia eretta in ogni chieſa parochiale, non oſtante che ſi ci troui eretta prima qual ſiuoglia altra compagnia, ò confraternità.*

82 *Perche molti dubitano, ſe per la conſtitutione di Sua Beatitudine ſopra le indulgenze conceſſe vltimamente alle perſone religioſe con reuocatione delle antiche, venghino riuocate anco le indulgenze conceſſe alle chieſe regolari, & a quei, che le viſiteranno, ancor che la conſtitutione comprendi chiaramente ſolo le perſone regolari ſenza eſtenderſi alle chieſe loro, tuttauia la Congregatione per leuar ogni dubbio, dichiara, che le indulgenze conceſſe a quelli, che viſiteranno le chieſe de Regolari, ſtanno nella loro forza, & vigore, ſin che la Santità ſua farà altra deliberatione: e però ſi poſsino laſciare publicare, quando non oſti altra coſa.*

Tutto queſto è parſo alla Congregatione di ſcriuere à V. S. acciò nelle occorrenze di coteſta chieſa ſappia ciò, che paſſa in queſto particolare, & lo faccia ſapere ancora a Veſcoui della ſua Prouincia, & io pregherò a V. S. ogni bene. Di Roma alli 7. di Settembr. 1607. Di V. S. per ſeruirla. Il Cardinal Arigon Datario, &c.

83 Noto 28. quòd anno 1597. 14. Ianuar. exierunt à Congreg. Viſitationis apoſtolicæ quædam declarationes ad inſtantiam Generalis Ordinis Minimorum, & pro dicto Ordine ſubſcriptæ à Secretario Surbolongo.

84 Primum igitur dubium fuit. Quid faciendum quando aliquis Collega fuerit recuſatus à Fratribus in viſitatione? Et reſponderunt Illuſtriſſimi DD. illius Congregat. *Quòd non debet admitti qualiſcumque recuſatio, quia ſunt quatuor iudices, & non vnus. Quòd ſi aliquis depoſuerit contra Collegam Generalis, tunc poterit Generalis ſecretò recipere depoſitionem illam, & eam probare, ac poſtea Congreg. Viſitationis referre.*

85 Secundum. Quid faciendum, quando aliquis Collega fuerit infirmitate detentus, vel aliàs iuſtè impeditus? Et reſponderunt. *Quòd tunc poterit, Generalis cum duobus Collegis viſitationem facere; non tamen illam diffinire, alio inconſulto.*

86 Tertium. An viſitationes conuentuum paruulorum poſſint remitti alicui ex Collegis? Et reſponderunt. *Quòd poterit mitti ad dictos conuentus viſitandos aliquis ex Collegis cum alio quocumque ſocio; obſeruabitur tamen vt non mittatur idem ad eoſdem conuentus, qui anno præterito illos viſitauerit.*

87 Quartum. Decretum Sacræ Congr. quo præcipitur, electum vno anno in aliquo officio etiam minori, ſequenti anno non poſſe ad idem eligi, quomodò intelligendum? Et reſponderunt. *Debere intelligi in eodem conuentu tantum.*

88 Quintum. Quæritur, quomodò creandi ſint Vicarij generales in Prouincijs remotis à Generali? Et reſponderunt. *Quòd in Curia non fiant Vicarij generales, inconſulto Illuſtriſsimo.* D. capite Sacræ Congregat. Viſitationis. *In Italia, ipſo Generali præſente, non debet fieri Vicarius generalis. In Gallia, & Hiſpania poterit facere quemcumque voluerit de aſſenſu Collegarum.*

89 Sextum. An poſſit, ſeu debeat eligi vnus ſcriba pro tota Religionis viſitatione? Et reſponderunt. *Quòd poterit eligi vnus ſcriba fidelis pro qualibet Prouincia, & ſi non reperiatur ſcriba, Collega eiuſdem nationis.*

90 Septimum. An in caſu neceſſitatis poſſint, qui veſcuntur cibis paſchalibus, extra clauſtra exire? Reſponderunt. *Quòd poterit Generalis, vel Prouincialis rariſsimè, & pro neceſsitate euidenti concedere facultatem exeundi, dummodo neque in itinere, neque extra conuentum veſcantur cibis paſchalibus.*

91 Octauum. Quomodò intelligatur interdictio de non interpretandis decretis Sanctiſſimi? Et reſponderunt. *Quòd non conuenit interpretari quò ad relaxationem, bene tamen quò ad reformationem, & arctiorem modum.*

92 Circa quæ decreta aduerte, quòd obſeruanda ſunt, cum ſint facta à dicta Congreg. de mente Papæ. Et ego ea vidi authentica in Archiuio Patris Zeloſi Romæ. Et nota bene ſeptimum dubium poſitum nu. 90. Nam reddit omnino certam doctrinam: quam tradidi tom. 1. Relig. q. 4. ca. 8. Et illud, quod ibi dixi concl. 3. nimirum Superiores non comprehendi in dicto decreto, de non exeundo extra conuentum tempore infirmitatis, confirmo ex clem. 1. de regul. in qua puniuntur Monachi, & alij habentes adminiſtrationem, ſi grauent, vel fraudent eccleſias circa decimas, quia tamen ibi non nominatur Abbas, cum ſimus in odioſis, non dicitur in ea conſtit. eſſe comprehenſus. Ita Card. in dicta clem. n. 7. Gomes q. 4. ad regul. cancell. verſ. Et in eadem ratione. Confirmo etiam. Quia ſtante ſtatuto, quòd nullus cum Monialibus loquatur, adhuc poteſt quis cum Abbatiſſa loqui, nam nomine Monia-

lium

Digitized by Google

lium in odioſis non venit Abbatiſſa,vt probat Diana to. 3. tract. 2. reſolut. 48. notab. 3.

Caput Decimum, De addendis ad Conſtitutionem Pauli V.

1 NOto I.circa conſt.5.Pauli V.quæ mandat Prælatis Regularium,vt nulli Religioſo dignitates conferant ad inſtantiam alicuius perſonæ extra Ordinem exiſtentis, quòd iſta conſtitutio non comprehendit Definitores, nec Collegas Generalis, vel Prouincialis,nec alios Fratres ſubditos; loquitur enim expreſsè de Prælatis;& cum ſit odioſa,& pœnalis,non eſt extendenda,ſed potiùs reſtringenda,c.Pœnæ,de pęnit. d.1.Quare dicti omnes poterunt abſque metu has pœnas incurrendi, ad ſecularium inſtantiam alicui ſuffragari, ſeu etiam ad dictam inſtantiam apud Prælatos agere,vt alicui dignitates conferant (abſit modò ſcientia,& dolus ex parte Prælati;nam tunc parum intereſt, an vi, vel dolo legem circumuenias.) Comprehendit tamen Correctores, ſi ad dictam inſtantiam dent alicui aliquam adminiſtrationem,V. G. curam poſſeſſionum,tenutarum, &c. vel officium Sacriſtæ,aut Procuratoris, &c. Nam iſti caſus expreſsè continentur in bulla.

2 Aduerte, quòd Prælatus, qui intuitu alicuius ſecularis amici daret alicui Religioſo amico, ſeu conſanguineo dicti ſecularis aliquod officium, non per hoc has pœnas incurreret. Nam concedere intuitu ſecularis,non eſt concedere ad inſtantiam,& requiſitionem, vt vult bulla.Nam hæc verba denotant non vnam, ſed tres, aut duas ad minus petitiones ſecularis, inſtanter, & affectuosè factas apud Prælatum. Nec ſimiliter incurreret has pœnas Prælatus, qui roganti quidem ſeculari, ſed non inſtanti, nec prementi, ſed ſimpliciter petenti,& alioquin ſe remittenti morem gereret, dando aliquod officium Fratri. Nam is inſtare non dicitur, nec inſtanter requirere? Nec ſimiliter incurreret Prælatus has pœnas, qui iam deſtinauerat aliquem ad aliquam dignitatem aſſumere, ſi ante aſſumptionem inſtetur à ſeculari pro eadem dignitate eidem Religioſo tribuenda, & Prælatus dicto ſeculari inſtanti dicat, Tibi ſeruiam. Nam præfata dignitas nullo modo confertur ad ſecularis inſtantiam, cum iam fuerit animi deſtinatione collata,motu proprio ſuperioris. V. G. & ſumus in odioſis. Cauendum tamen in hoc ſcandalum; & verba illa, Tibi ſeruiam, poſſunt curialiter intelligi. Nec item incurreret Prælatus, qui inſtanter rogatus à ſeculari, vt officium Religioſo daret, illud ei daret quidem,ſed non principaliter propter preces ſeculares,ſed propter dignitatem Religioſi, Et hic caſus videtur expreſſus in cap.Tuam,de ætat. & qualit. Portel citand.num.29. Nec ſimiliter incurrit Prælatus,qui ſeculari dicenti, Talis Religioſus eſt meus amicus, eſſet bonus pro tali officio, morem gerit. Nam non dat officium ſeculari inſtanti, ſed annuenti; annuere autem,& inſtare valde differunt.Nec ſimiliter incurreret Prælatus,qui bona fide reciperet donaria ab aliquo ſeculari,qui medijs illis prætenderet fauere apud Prælatum alicui Religioſo pro dignitatibus conſequendis,ſi dictus Prælatus poſteà dicto Religioſo aliquod officium intuitu dicti ſecularis conferret. Nam hic nulla intercedit inſtantia, nec munera ſunt eo fine recepta, & dictum officium confertur potiùs intuitu dicti ſecularis, quàm ad inſtantiam ipſius. Si verò dictus Prælatus ea munera recipiat,conſcius intentionis dantis, eoque fine recipiat, tunc puto, quòd has pœnas incurreret dignitatem conferens.Nam potentiſſimè inſtat, qui muneribus inſtat,etiam ſi nihil dicat; nam munera ipſa loquuntur, & ſunt efficaciſſima media ad humanas mentes proſternendas. Nec ſimiliter incurreret Prælatus has pœnas, ſi alicui nouitio ad inſtantiam ſecularis officium concedat. Quia nouitij non ſunt Religioſi formaliter.

3 Sed quæres,an per perſonas exiſtentes extra Ordinem, intelligantur Moniales eiuſdem Ordinis, itaut Prælatus conferens dignitates alicui Religioſo ad inſtantiam alicuius Monialis,has penas incurrat.℞.quòd non,quicquid dicat Portel in addit. ad dub. regul. ver. Officia Ordinis,num.18.Nam, cum ſimus in odioſis, nomen illud, Ordinis, latè interpretandum eſt, prout comprehendit non ſolùm viros,ſed etiam mulieres,atque ita noceat minus quàm poſſit. Et verè Moniales noſtræ V. G. non poſſunt dici eſſe extra Ordinem noſtrum,cum ſub eodem capite,& Regula, data proportione, militent. Et propter eamdem rationem puto, non incurrere Pręlatum has pœnas,qui daret aliquam dignitatem alicui Moniali ad inſtantiam alicuius ſecularis.Nam de natura legis pœnalis eſt,vt non extendatur extra caſum expreſſum, leg. Factum ſuum cuique,§.in pœnalibus,ff.de regul.iuris, reg.49. In pœnis, de regul. iur. in 6. & in pœnis maſculinum non comprehendit fœmininum. Et aduerte, quòd eadem lex ſub diuerſis reſpectibus poteſt latè interpretari, & ſtrictè.Quia poteſt habere vnum reſpectum fauorabilem, & alium odioſum, vt probat Bald. in leg. Venia, C.de in ius vocand. Chokier de conſeru. eccleſ.q.2. num. 4. Sic in caſu noſtro dixi, quòd hæc lex, quam habemus præ manibus,extenditur ad Moniales,ad excuſandum Prælatum ab incurrendis his pœnis, qui ad Monialium inſtantiam officia largiretur alicui. Quia Monialium comprehenſio in hoc caſu fauorabilis eſt, & in fauorabilibus maſculinum comprehendit fœmininum. Tuſchus lit. M. concl.101. num. 1. Dixi etiam, quòd non extenditur ad Moniales, ad excuſandum Prælatum à dictis pœnis, qui ad inſtantiam ſecularis Moniali dignitatem tribueret. Quia Monialium comprehenſio in hoc caſu odioſa eſt,& in odioſis maſculinum non comprehendit fœmininum.Tuſchus cit.n.9. Vide Decium in leg.Fœminæ,§.quod maſculinum, n. 16. ff. de reg. iur.

4 Quæres etiam, An Prælatus,qui largiretur dignitatem alicui Religioſo ad inſtantiam alicuius Epiſcopi eiuſdem Religionis,his pœnis teneretur.℞. non tenerit,quicquid dicat Portel loc.cit nam Religioſus factus Epiſcopus non poteſt dici eſſe extra Religionem.Quia tenetur eiuſdem Religionis habitum, ſaltem, quo ad colorem,geſtare,& eſſentialia Religionis,& obſeruantias regulares, quæ non impediunt ſtatum epiſcopalem,ſeruare,vt probaui tom.1.Religioſi,q.1.cap. 10. §. vnico; atque ita in effectu, & eſſentialiter eſt Religioſus talis Religionis;& ſic etiam nominatur communiter. Quare, cum ſimus in odioſis, non poteſt dici eſſe extra Religionem.

5 Quæres etiam, An Protector Ordinis poſſit dici perſona extra Ordinem,ad effectum, vt has pœnas incurrat Prælatus,ad illius inſtantiam dignitatem conferens alicui Religioſo.℞.Si literas inſpicio Gregor. XI. & Sixti IV. de auctoritate Protectorum, quas ad literam refero tom.1.Relig.q.1.cap.18.§.3.officium Protectoris eſſe inuenio, Religiones in omnibus incidentibus caſibus protegere,atque defendere; omnem iniuriam ab eis propulſare, quòd hæ in aliquo non lædantur, curare, ſed potius ſuo opportuno defenſionis clypeo protegere. Hæc ſunt protectoris officia ſecundùm mentem Pontificum Greg.XI.Sixti IV.& refert Planis de offic. Cardinal. ca. 33. ipſiſſimis verbis hæc dixiſſe Alexandrum IV. Matthæo Rubeo Cardinali, quando in Protectorem Minoribus deſtinauit. Quæ eadem mandauit Protectorib. Sixtus IV. afferens pro motiuo hæc verba. *Vt igitur de cætero Fratrum negotia, & cauſa non alibi,neq; per alios, quàm in ipſo Ordine, & ipſius Prælatos tractentur, &c.* Ex quibus verbis conſtat clarè, quòd Protector eſt extra Ordinem, & ſic Generalis ad inſtantiam Protectoris dignitatem conferens has pœnas incurreret. Sed quia video, Protectores maiorem auctoritatem vſurpare,quàm illis per iſtas conſtitutiones liceat, maiorem facultatem habere ſuſpicor. Quis enim credat, tantos viros in detrimentum animarum

ſuarum

Digitized by Google

ſuarum contra tot Pontificum obedientiam, velle manus apponere, vbi non liceat? Quare dicendum videtur, quòd Prælatus conferens dignitatem, & officia ad inſtantiam Protectoris dictas pœnas non incurrat. Addita præſertim conſt. Pauli V. de auctorit. Protectoris, quam loc.cit. Religioſi affero. Videatur Homob. to. 2. exam.tract.9.cap.5.quæſt.10.tit. Confeſſarij in præſenti caſu, &c. Addito etiam decreto Gregor. XIII. de recurſu ad Protectores habendo. Et multo minus poteſt dici perſona extra Ordinem Summus Pontifex, cum ipſe ſit omnium Religionum Generaliſſimus. Vnde ſi quis procuret per aliquem ipſius familiarem ſibi per Papam dari aliquam dignitatem, Prouincialatum V. G. nullo modo tenebitur his pœnis.

6 Aduerte, quòd Prælatus dans aliquod officium, vel dignitatem extra Ordinem, puta ſi concedat alicui Epiſcopo in Vicarium aliquem Fratrem, ſi alicui munus Inquiſitoris tribuat, ſi prouideat aliquem in Parochum ad inſtantiam ſecularis, non incurrit has pęnas. Quia Papa ſolùm prohibet dari officia eiuſdem Religionis. Nec item puto incurrere, qui ad inſtantiam ſecularis aliquem ad dignitatem canonicè electum confirmaret, nam eligere, & confirmare ſunt omnino diuerſa, & à diuerſis non fit illatio, præſertim in odioſis.

7 Quæres. Rogauit inſtanter quidam ſæcularis Prælatum, vt daret aliquod officium cuidam Religioſo ad ipſiuſmet Religioſi inſtantiam, & Prælatus annuit, quas pœnas incurrit. R. 1. incurrere pœnam inobedientiæ, & excommunicationis ipſo facto, quæ tamen nulli eſt reſeruata, nec eſt priuatus officio, quia non dicit Papa. Deinde quia Religioſi, qui per conquiſitos ſecularium fauores procurant dignitates obtinere, ſunt inobedientes, & ipſo facto excommunicati, ac perpetuò inhabiles ad illa, & ſimilia, ac etiam maiora officia cõſequenda, vt conſtitutio ipſa iiſdem verbis declarat, peccauit omnino mortaliter, & incurrit pœnas contra eligentes inhabilem. Quòd ſi de his conſtet in foro fori, tenetur Prælatus eum ſic electum priuare, vel vt renunciet curare, nec aliter abſolui poteſt. Nam cum illa electio fuerit, nulla tum propter excommunicationem, tum propter inhabilitatem, nec poſſit Prælatus ſupradictam inhabilitatem diſpenſare, vt dixi tomo 1. priuileg. in conſt. 6. Iulij II. nu. 25. ſi nolit errorem commiſſum emendare, & Papæ conſtitutioni obedire, ac bono communi prouidere, non poteſt eſſe diſpoſitus ad recipiendum ſacramentum pœnitentiæ. Si verò de his non conſtet in foro fori, ſed tantum in foro conſcientiæ, aliqui, quos refero loc.cit.nu. 23. putant, quòd iſte ſic electus tenetur renunciare, vel remedium à Papa quærere, & quòd ſuper illa inhabilitate non poteſt Prælatus diſpenſare. Ego tamen loc.cit.n.24. dixi, iſtam pęnam in conſcientia non incurri, & dato, quòd incurratur, poteſt per Generalem Ordinis, vel per deputatum ab ipſo abſtergi.

8 Noto 2. quòd ſubditi prohibentur non ſolùm procurare fauores pro obtinendis dignitatibus, ſed etiam prohibentur eos acceptare, etiamſi ſponte offerantur. Et quia efficaciùs mouent munera, quàm verba, ideo prohibentur etiam procurare muneribus. Et aduerte, quòd dictæ pœnæ ſunt inflictæ contra ſubditos ſibi dictos fauores procurantes: vnde ſi procurent pro alijs Fratribus, eas non incurrunt; ſumus enim in pœnalibus, in quibus non eſt facienda extenſio, & ita dicit Portel. in addit. ad dub. regul. verb. Officia Ordin. n. 35. Incurrit tamen, qui ſeculari offerenti ſe rogare Prælatum, vt ipſi dignitatem conferat, non reſpondet, ſed tacet nam tunc, cum de illius ſeruitio agatur, intrat regula 43. de regul. iuris in 6. Qui tacet, conſentire videtur. Non verò incurrit, qui bona fide recipit dignitatem ſibi à ſeculari procuratam, ſi id ignorabat, nec tenetur eam renunciare; quia id in hac conſtit. non habetur. Imò, ſi ſeculari offerenti fauores Religioſus omnino, & ex corde recuſet, ipſe tamen ſecularis fauere non deſinat, & impetret, putat Portel num. 37. quòd dictus Religioſus dignitatem ſibi collatam abſque peccato recipere poteſt; quia ipſe nihil fecit pro ea recipienda, imò oblatos fauores ſecundùm mentem Papæ recuſauit, nec munera obtulit: vnde non apparet, quare recipere non poſſit.

9 Circa munera aduerte, quòd ea debent dari ſeculari, ad effectum impetrandi dignitates pro aliquo, vt patet ex verbis dictæ conſt. vnde ſi dicta munera det Religioſus Prælato, ad hoc vt ei aliquam dignitatem conferat, his pœnis non tenebitur, poterit tamen teneri alijs, & grauioribus. Item munera ſufficientia ad has pœnas incurrendas, non debent eſſe munuſcula nullius momenti, quorum materia non ſit peccatum mortale, ſed talis qualitatis, quæ de ſe valeant inducere donatarium ad procurandum dictos fauores, & quorum materia ſit mortalis. Vnde licèt munuſcula dentur intentione mouendi ad procurandum officia, etiamſi in hoc peccetur mortaliter, ſi tamen materia externa non eſt mortalis, & grauis, non eſt capax excommunicationis. Nam eccleſia actum ſolùm externum in hoc conſiderat. Aduerte etiam, quòd dare munera pro obtinenda confirmatione iniuſte denegata, non eſt contra dictam conſtit. nam, vt dictum eſt, aliud eſt eligi, & aliud confirmari.

10 Tandem pro explicatione huius conſt. vide quæ dico to. 1. Religioſi, q 2. c. 2. §. 11. vbi eam etiam retuli. Et aduerte, quòd non obſtante decreto Clemẽtis VIII. quod refero to. 2. priuil. in conſt 10. Vrbani VIII. §. 52. licitum erat Religioſis procurare ſuffragia pro perſonis dignis, & benemeritis; quod etiam docent D. Thomas 2.2. q. 100. ar. 5. ad 3. Gloſſ. in cap. Tuam, verb. Nullam prorſus, de ætate, & qualit. Petrus de Bayſio in direct. elect. p. 1. cap. 6. n. 16. Vtrum autem liceat procurare pro ſe, dixi tom. 2. Religioſi, q. 1. cap. 6. num. 11. Et demum nota, quòd viri grauiſſimi cenſent, iſtam conſtitutionem non obligare in conſcientia; quia non fuit recepta; & quidem eam video non obſeruari à viris pijs, & pariter doctis.

11 Noto 3. circa conſt. 6. Pauli V. in qua prohibentur Fratres tertij Ordinis S. Franciſci nationis Hiſpaniæ deferre habitum noſtri coloris, quòd poſtquam obtentum fuit dictum diploma apoſtolicum, reclamauerunt adhuc dicti Tertiarij, ſub prætextu, quòd non fuerant auditi, ſed paſſi ſunt repulſam, vt patet ex literis ſacræ Congreg. Regul. ad Archiepiſcopum Damaſcenum Nuncium pro Sanctiſſimo apud Regem Catholicum, datis 4. Aprilis 1607. Sed inſtiterunt ità importunè, vt infaſtiditus Papa conceſſerit, vt denuo audirentur, vt patet ex literis datis ab eadem Congregat. idem Hiſpaniarum Nuncio die 25. Maij anno 1607. Sed cum nihil probaſſent, demum ſtatutum fuit ab eadem ſacra Congr. vt dicti Tertiarij habitum coloris noſtri deponerent infra ſex menſes, vt patet ex eiuſdem Congr. decreto facto die 19. Septembris 1607. ſubſcripto Antonius Cardinalis Saulus. Cum autem dicti Tertiarij diſtuliſſent exequi Cong. mandata, tandem ordinatum eſt Nuncio Hiſpaniarum, vt ad obediendum eos compelleret, cogeretque dictum habitum intra terminum quatuor menſium deponere, vt patet ex literis dictæ Congreg. datis die 6. Auguſti 1608. ſubſcriptus a Cardinali Gallo. Quæ omnia cum multis alijs ad hoc negotium pertinentibus aſſeruantur in Archiuio noſtro Romano apud Patrem Zeloſum. Sic autem coacti obedierunt, & ab illo tempore vſque ad hoc tempus anni 1634. quo hæc ſcribo, nos ampliùs non moleſtauere.

12 Et aduerte, quòd non ſine quare tantùm litigauit Religio noſtra, vt dicti Tertiarij habitum coloris noſtri deponerent; nam habitum talis coloris geſtare, maximam æſtimat prærogatiuam; Cum habitus Chriſti veſtis, nimirum inconſutilis, quæ è cælo fuit aſportata, ſit coloris dicti noſtri habitus, vt ego proprijs oculis vidi Romæ anno 1628. die 18. Ianuarij in eccleſia S. Praxedis, in qua habitant Monachi de Valle vmbroſa. Cum enim iuiſſem ad videndùm reliquias aſſeruatas in ea Eccleſia, D. Aſcanius Tamburinus Prior dictæ

eccleſiæ

eccleſiæ pro ſua benignitate voluit eas ipſemet mihi oſtendere, cumque ad reliquiam veſtis inconſutilis deueniſſet, & ego myſteria potiùs, quàm colorem, aſpicerem, dixit mihi dictus R.D. Vide Pater, quòd color veſtis inconſutilis eſt coloris veſtri habitus. Et ita in facto quam bene apertis oculis vidi. Et poteſt eſſe, quòd Sanctiſſimus Pater noſter talem colorem aſſumere voluerit, vt imitatio habitus externi denotaret imitationem charitatis internæ, qua ſemper Chriſto fuit vnitus, & nos commonefaceret, ne latum vnguem à veſtigijs Chriſti diſcederemus. Sed de hoc colore, quòd B. Virgo, & Apoſtoli eo ſemper vſi ſint, dicam pleniùs in commentarijs ſuper Regulam Minimorum, cap. 1.

13 Noto IV. quòd in eadem conſtit. 6. Pauli V. nu. 13. dicebam, quòd qui iuuenis relaxate vixit, ſi ſenior factus reſipiſcat, poteſt ad dignitates eligi. Sed pone, quòd concurrat cum aliquo, qui ſemper bonus fuit, quiſnam eorum erit præferendus? Aliqui dicunt, quòd qui fuit aliquando malus. Gloſſ. in cap. Fidelior, d. 50. Roman. ſingul. 534. Abbas in c. Dudum, el. 2. de elect. Io. de Selua de benef. p. 3. q. 7. num. 18. Et ratio eſt, quia ſcit compati infirmitatibus ſubditorum, c. Conſiderandum, d. 50. & infirmus fortior reſurgit, cap. Potes, de pœnit. d. 1. Lambert. de iur. patron. lib. 2. p. 3. q. 5. art. 14. num. 4. diſtinguit; nam ad Prælatiam habentem curam animarum, cenſet cum dicta opinione eligendum eſſe, qui peccauit; ſi autem Prælatura curam animarum non habeat, ad illam eligendus eſt, qui ſemper fuit bonus; quia hic eſt ſimpliciter dignior. Sed ego abſolutè cenſui illic, eo nu. 13. quòd ille eſt præferendus, qui numquam peccauit, nam alioquin prodeſſet peccatori malitia ſua, & fluctuaret illa propoſitio, quòd Dignior ſemper eſt eligendus. Atque ita docet Archid. in cap. Nos conſuetudinem, d. 12. n. 2. & habetur expreſsè in cap. Quid poterit, & c. Statuimus, & cap. Ne emeritis, d. 61.

14 Aduerte autem, quòd quatuor ſunt, quæ in Religionibus faciunt vnum Religioſum maiorem, & digniorem altero. 1 eſt maior virtutum abundantia. Secundum maior numerus amicorum; hic enim maximas ſupponit virtutes, maiorem dulcedinem, & affabilitatem. Tertium maiores gradus obtenti, hi enim etiam virtutem maiorem oſtendunt. Quartum eſt nobilitas generis cum virtute coniuncta, c. De multa, de præb. §. fin. Et ſi cupis ſcire nobilitatis ſigna, adi Io. de Selua de beneſ. p. 2. q. 7. à n. 28. vbi quinque numerat, nimirum liberalitatem, manſuetudinem, virilitatem, magnanimitatem, & gratitudinem.

15 Noto 5. quòd in conſt. 7. Pauli V. à nu. 1. probaui, quòd tempore capituli generalis Corrector SS. Trinitatis de Vrbe non poterat præcedere Prouinciales ibi commorantes pro celebratione dicti capituli. Et rationibus ad hoc ibi adductis addendum eſt. Primò, quod Prouinciales habent maiorem poteſtatem, adminiſtrationem, & iuriſdictionem, quam Corrector SS. Trinitatis. Ergo huic præferri debent. Conſequentia probatur argum. cap. Ad hæc, de offic. Archidiac. Et pluribus auctoribus adductis, id probat Contelorius de præcedentia, num. 14. Secundò, quia tempore dicti capituli, Generalis facit vnum corpus cum capitulo generali, cuius corporis ipſe eſt caput, & Prouinciales, ac Commiſſi ſunt membra, cap. Nouit, de his, quæ fiunt à Prælato, Gloſſ. in cap. Irrefragabili, verb. Per capitulum, de offic. Ordin. Monachus in cap. Romana, de ſenten. excommun. in 6. nu. 9. Gloſſ. in cap. Statutum, verb. Collegiatis, de elect. in 6. Sed eſt inconueniens, & contra ordinem naturalem, quod membra diſiungantur à capite, cap. 1. d. 12. Ergo nec iure legali, nec naturali inter Generalem; & Prouinciales, ac Commiſſos tempore capituli generalis debet inſeri quiſquam alius. Ita Grat. tom. 1. diſcept. forenſ. c. 111. à num. 1. qui hanc rationem multis probat, preſertim num. 5. exemplo Regis, qui licèt tam in ſuo regno, quam extra præcedat Cardinales, tamen in conſiſtorio, & capella papali id illi non conceditur; nam quælibet communitas eſt dignior, quàm perſona particularis, c. Statutum, de elect. in 6. Vnde licèt Abbas præcedat omnes Canonicos etiam cathedralis eccleſiæ, quando ſinguli incedunt, minimè tamen eos præcedit, quando collegialiter procedunt, nec in alijs actibus, in quibus cathedralem eccleſiam repræſentant, vt probat multis Tamburin. de iure Abbatum, to. 1. diſp. 25. q. 2. nu. 10. allegans pro hoc dicto Dominicum de S. Geminiano, Felinum, Decium, Caſſanæum, Ripam, Seluam, qui poſſunt videri apud ipſum, & ſubdit hanc eſſe opinionem communem, & in praxi ita obſeruari, & idem docet Barboſ. de offic. Parochi, p. 1. c. 9. nu. 6. & num. 7. affert declarationem ſacræ Congreg. Rituum, in qua deciditur, capitulum eccleſię cathedralis habere præcedentiam ſupra Parochum.

16 Addendum etiam, quia licèt quis ſit abſens à ſua diœceſi, ſi ſit tamen Romæ, quæ eſt communis patria, præſens eſſe dicitur, leg. Necnon, §. Si cum in prouincia, ff. ex quibus cauſis maiores, vbi id notat Bartol. ita Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloſſ. 43. num. 9. Quòd verò Roma ſit communis patria, & in ea nullus ſit extraneus, habetur in leg. Roma communis patria noſtra, ff. ad municip. & leg. 4. ff. excuſ. tut. Vnde Caſſiod. lib. 1. var. epiſt. 39. *Nulli, ait, ſit ingrata Roma, quæ dici non poteſt aliena*. Et Sidonius Apollinaris, vt refert Addit. ad dictum locum Caſſiod. *In ea, ait totius orbis ciuitate vnica ſolos barbaros, ac ſeruos peregrinari*. Et Calliſtratus in leg. Relegatus, ff. de interd. & releg. ait, quòd relegatus non poteſt Romæ commorari; quia omnium eſt patria. Quare ergo Roma omnibus dulcis, & benigna, Prouincialibus, ac Commiſſis Minimorum capituli generalis tempore in conuentu SS. Trinitatis debet eſſe ingrata, & quare illi ſoli, tanquam barbari, & ſerui, debent in ea peregrinari? Quòd peregrinentur, patet; nam in proprijs Prouincijs ſuo loco ſedent, hic non.

17 Adde etiam, quod Fratres Prædicatores 3. p. ſuarum conſt. cap. 19. de poteſt. & offic. Prouincialis, habent hoc ſtatutum. *Poteſtas, ſiue iuriſdictio Prouincialium non ſe extendit vltra limites ſuæ Prouinciæ, etiamſi, dum actu Prouinciales ſunt, locum habeant ſupra Priores alienarum Prouinciarum in choro, proceſſionibus, & etiam in refectorio, dummodò tamen nolam non pulſent*. Ex quo apparet, quòd ſi omni tempore debent Prouinciales præcedere Correctores, multò magis tempore capituli generalis, quo ſunt in propria iuriſdictione.

18 Neque poſſunt Patres Galli in hoc ſe conſuetudine tueri. Nam, præterquam quòd nulla talis conſuetudo eſt, cum ſemper ſit reclamatum, & poſſeſſio per preſcriptionem acquiſita debet eſſe pacifica, non violenta; cap. Cum perſonæ, de priu. in 6. & facit cap. Licet, de priu. eod. libro, & c. Eum, qui, de præb. in 6. & cap. Legimus, 16. q. 1. vide Pariſ. conſ. 96. volum. 4. nihilominus, etiamſi eſſet, & eſſet præſcripta, non valeret; quia eſt contraria omni iuri. Primùm diuino, vt colligitur ex c. Ad hoc, d. 89. deinde iuri, & ordini naturali, vt colligitur ex cap. Eſt ordo, 33. q. 5. Item iuri canonico, c. Statuimus, d. 61. c. Statuimus, de maior. & obed. c. Cum olim, de conſuet. Item ciuili, leg. Vt gradatim, ff. de mun. & hon. & leg. 1. ff. de albo ſcrib. leg. Ex agentibus, Cod. de princ. agen. in reb. lib. 12. leg. Quoties, Cod. vbi Senator, vel Clariſſ. Ergo eſt impræſcriptibilis, & potiùs, ſi adeſſet, eſſet dicenda peſtis, quàm conſuetudo iuxta ea, quæ habentur in caſu ſimili, cap. Ad noſtram, de prob. vbi Gloſſ. verb. Omni iuri. Adde etiam, quòd conſuetudo contra honeſtatem non valet, cap. Cum decorem, de vita, & honeſt. Clericor. Sicut enim lex debet eſſe honeſta; cap. Erit autem, d. 4. ita, & multò magis, conſuetudo; Sed hæc conſuetudo ſi adeſſet, eſſet contra rationem, vt conſtat ex dictis, & quod ratione caret, extirpari debet, c. Chorepiſcopi, d. 68. fine: ergo talis conſuetudo, ſi adeſſet, extirpanda eſſet. Et potiùs deberet dici corruptela; quia eſt contra primum gradum humilitatis, qui eſt deferre maiori, & non ſe præferre æquali, vt notat Gloſſ. in clem. 1. de relig. dom. verb. Humilitatis. Ita Papor. to. 1. conſil. conſil. 21. nu. 4. Videatur Riccius

1. p. pra-

1.p.praxis,deciſ.578. nu. 4. Adde,quòd non poteſt fieri lex, quæ præcipiat, Correctorem præcedere Prouinciales: Quia ratio naturalis auctoritate legis immutari non poteſt,leg.2.ff.de vſufruct. ear. rer. quæ vſu conſumun. Philipp.Decius in rubric. de appell. nu.7. Immò addo, quòd neque per pactum expreſſum, & conſenſum explicitum poteſt fieri ſtatutum, quo Prouincialis poſtponatur dicto Correctori. Nam quicquid per conſuetudinem induci non poteſt,id neque per pactum,& conſenſum expreſſum firmatur. Valet quippe argumentum à conſuetudine ad pactum ſaltem negatiuè, vt dicunt DD. in leg. Non impoſſibile, ff. de pactis, & probat Barboſ.in locis commun.argumentorum,loco 25.n.1. ſed ordines, & gradus dignitatum inducti ſunt fauore publico ad ſocietatem humanam in pace, & concordia ſeruandam, cap. Licèt nonnunquam, d. 45. neque enim vniuerſitas alia ratione ſubſiſteret, niſi eam ſeruaret huiuſmodi magnus differentię ordo;cum vnaquæque creatura haud in vna,eademque qualitate gubernari, vel viuere queat, ſicuti cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit.Quia enim ſunt Angeli, sũt Archangeli,liquet,quòd non ſint æquales,ſed differant alter ab altero poteſtate,& ordine,cap.vltim.d.89. Nemo autem poteſt fauori ſuo renunciare,quando ob publicam vtilitatem eſt introductus,leg. Ius publicum. ff. de pactis;leg.2. §. Sed quia veremur, Cod. de iureiur. prop.calum.Imò addo,quòd neque Papa poteſt id pręcipere, cum ſit contra legem diuinam, & humanam, quòd minor præcedat maiorem. Poſſet quidem Papa dictum Correctorem in Prouincialem conſtituere, & ſic facere, vt præcederet. At quòd manens Corrector præcedat,facere non poteſt. Neq; obſtat, quod dicunt DD.in leg.Vnicuique,Cod.de prox.ſact.ſcrin.libr. 12. ſcilicet, quod poteſt Princeps ex cauſa præferre poſteriorem priori;nam intelligitur intra eandem ſpeciem, V. G. poteſt Papa ob benemerita in Sedem Apoſtolicam facere, vt Epiſcopus poſtremò creatus præcedat creatum priùs, vt ſe explicant clarè DD. in dicta lege, & in facto præcedentia ſuper omnes Mendicantes conceſſa eſt Prædicatoribus,cum tamen Carmelitæ,& Auguſtiniani prætendant eſſe illis antiquiores:at facere non poteſt,vt Parochus præcedat Epiſcopum, quia ſunt diuerſæ dignitates ſpecie, vt ſunt Corrector, & Prouincialis. Vnde Sacra Congregat. Rituum in Tropien.17.Iunij 1606.declarauit abuſum eſſe, vt Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus præferatur Canonico præsbytero Moderniori, vt refert Barboſ. in Collect. bull. verbo, abuſus, num. 1.

19 Sed contra hanc reſolutionem poteſt obijci. Quòd maior debet cedere minori, dum eſt in domo minoris,vt docent Penna in leg.Nihil,Codic.de Palatinis ſacr.larg.libro 12.Gonzalez ad reg. 8.cãcell. gloſſ. 6.num.107. vbi alios citat, & num. 104. ait, quòd Rector intra propriam eccleſiam debet pręcedere omnes alios maiores,& ſuperiores in dicendis miſſis ſolennibus,alijſque quibuſcumque pręeminentijs concernentibus ipſius Rectoris officium,& num.105. citat quandam deciſ.Rotæ Romanæ,in qua fuit reſolutum,quòd Rector in ſua propria Eccleſia erat præferendus Decano,& omnibus capitularibus collegiatæ ad eamdem eccleſiam proceſſionaliter certis diebus procedentibus. Sed Rx. quòd maior debet cedere minori, quando eſt in minoris domo, quò ad ea, quæ ad iuriſdictionem,& gubernium dictæ domus ſpectant.Et ſimiliter minor debet præcedere maiores in concernentibus ipſius minoris officium, vt probat Grat. tom.1. diſcep. for.cap.111.num.41.Ex hoc tamen non ſequitur, quod eos debeat præcedere in proceſſionibus,& locis publicis. Et licèt hoc videatur probare dicta reſolutio Rotæ, tamen non probat; quia non dicit, quòd Rector debeat præcedere Epiſcopum, ſed Decanum, & Archidiaconum, quæ ſunt dignitates minores. At noſtri Prouinciales æquiparantur Epiſcopis, & Correctores Rectoribus. Linquo, quòd in capitulo generali Prouinciales ſunt in propria domo, vnde omnino ceſſant dicta in contrarium.

20 Poſt hęc ſcripta inueni Iſnardum noſtrum conſil. 12.contendentem,dictum Correctorem debere omnino præcedere Prouinciales tempore capituli generalis,quod etiam conſequenter eſſet dicendum de Correctore S. Andreæ de Frattis, ſi in illo conuentu celebraretur capitulum generale;quia eadem gaudet præeminentia,vt fuit decretum in capitulo Auenion.2.nu. nu.11.Et ſimiliter idem dicendum eſſet de Correctore S.Franciſci de Paula,ſi in eo celebraretur generale capitulum; non eſt enim, cur minoris debeat eſſe entitatis,aut præeminentiæ,quàm alij conuentus Vrbis,licèt hoc nondum ſit in capitulo generali ſtatutum.

21 Duo fundamenta affert Iſnardus, quæ me non attigiſſe aſſerit.Primum eſt,quòd Corrector SS. Trinitatis habet iuriſdictionem Prouincialis. Secundum, quòd in liſta Fratrum Gallicæ nationis, quæ data fuit Cardinali Senogallēſi in primo capitulo generali Romæ celebrato Corrector dicti conuentus primus omnium poſitus eſt,etiam antè Prouiocialem Turoniæ.Et ratio ordinis ſcripturæ attendi debet, leg. Si ſeruus communis,§.penul.ff.de ſtipul.ſeru.leg.Quoties, ff. de vſufructu,Bald.in leg.Qui duas,de excuſ.tut.Quòd ego hæc fundamenta non attigerim, verum eſt; nam nihil penitus probant,vt conſtabit ex dicendis.

22 Ad I.igitur,quòd dictus Corrector habeat iuriſdictionem Prouincialis,eſt ſine vlla difficultate falſum, gratis omnino, & ſine vllo fundamento,etiam colorato, dictum, vt falſa ſunt omnino ea, quibus id probat. In primis enim falſiſſimum eſt,quòd dictus Corrector nouitios ad Religionem recipiat, vt conſtat ex declaratione ſacræ Congregationis, quam hic infra affero, Secundò probat, quod habeat iuriſdictionem Prouincialis: quia intereſt capitulis generalibus, quæ in ſuo celebrantur coouentu. At ego duobus interfui capitulis generalibus Romæ celebratis in dicto conuentu,nimirum ſexto, & ſeptimo, & nunquam vidi Correctorem illius pręfatis capitulis intereſſe,niſi fortè velimus dicere,quòd intereſt in conuentu cum capitulantibus, quòd eſt ridiculum;nam ſic Correctores aliorum conuentuum,in quibus dictum capitulum celebratur, etiã interſunt in conuentu,& multi alij Fratres, etiam Oblati,interſunt in conuentibus, in quibus generale capitulum celebratur. Si velit Iſnardus dicere, quòd dictus Corrector intereſt in capitulis generalibus,quæ in ſuo celebrantur conuentu, legitimè præcedendo Prouinciales in refectorio, eum reprehenſione dignum iudicabunt noſtri Logici, cum afferat pro fundamento id, quod eſt in quæſtione. Tertiò ait, quòd dictus Corrector habet iuriſdictionem Prouincialis, quia mittit Fratres, ad ordinem presbyteratus,quod ſolis Prouincialibus competit,per Correctorium,nn.77. & 78. quo autem fundamento mittat,non dicit Quare eſt dictum omnino gratis, nec id ſibi præfati Correctores vſurpãt ſine licentia Patris Generalis; cum ſit omnino contra Regulam locis cit.nec iure noſtro inuenitur hoc dictis Correctoribus aliquo loco conceſſum. Quartò ait, quòd dictus Corrector approbat Confeſſores.Sed hoc eſt omnino commentitium, nec illud vſurpant dicti Correctores abſque licentia Generalis, nec inuenio, quo iure id poſſint facere, cum ſit contrà Regulam in Correctorio,nu.85. Quintò ait,quòd dictus Corrector eligitur in die S.Michaelis, vt Prouinciales, & hoc eſt verum,ſed fit,quia,cum ſit ſoli Generali ſubiectus,non poſſunt in eo ſeruari ſtatuta, quæ ſeruantur in alijs electionibus Correctorum,qui habent Prouinciales; nam in his fiunt ſingulis annis capitula definitoria, quæ de Correctoribus in ſingulis conuentibus iam per Fratres electis definiunt, an electiones ſint canonicæ, &c. quod cum non poſſit fieri de Correctoribus Vrbis, non eſt mirum,ſi horum electiones à ſolis Generalibus defioiantur,ideſt confirmentur,aut reprobentur.Sexto denique ait, quod electio Correctoris SS. Trinitatis ſtatim,ac facta eſt,publicatur,& Corrector ſuum exercet officium.Et hoc eſt verum,quia illa electio non po-

teſt

teſt mitti ad capitulum definitorum, quod nullum habent ſupra ſe conuentus Romani, & Corrector ſtatim ſuum exequitur officium, ne conuentus ſine capite remaneat, approbante conſuetudine, iuxta ea, quæ dico, to.2. Religioſi Prælati, q.1.c.4.§.4.n.93. Ex his ergo apparet, quàm debile ſit fundamentum, ſuper quo præcipuè totam ſuam ſtabiliri putat machinam Iſnardus ad meam doctrinam exoſſandam. Cum igitur prædicta omnia ſint, vt dixi, conuincitur, quod tam Correctores SS. Trinitatis, quàm S. Andreę de Frattis, & S. Franciſci non ſunt Prouinciales, nec habent auctoritatem, nec juriſdictionem Prouincialium, & cum non entis nullæ ſint qualitates, leg. Eius qui in prouincia, verſu Quoniam, ff. ſi certum pet. l.2. ff. de vſufruct. leg.4.§. Códemnatum, ff de re iud. cap. Ad diſſoluendum, de ſponſal. juncta Gloſſ. ver. Legitimè; non debet dictus Corrector, qui non eſt Prouincialis, Prouinciales præcedere. Verum quidem eſt, quod dixi tom.2. noſtr. priuileg. in conſtit.7. Pauli V. num.19. præfatos Correctores habere auctoritatem quaſi prouincialem, quia eliguntur in die S. Michaelis, & ſtatim electi publicantur, & exequuntur officium, & nouitios de Generalis licentia recipiunt ad habitum, quod aliis Correctoribus non contingit. At particula, Quaſi, ex ſua natura denotat improprietatem, fictionem, & diminutionem, vt probat, multis iuribus, & DD. allegatis Barboſa de dict. dict.261, num.2. quæ non ſolùm præeminentiam ſupra Prouinciales, ſed ſubiectionem quo ad ius honorificum denotant.

23 Ad ſecundum reſpondeo, quod in primo capitulo generali Ordinis noſtri Romæ celebrato anno 1507. Cardinalis Senogallenſis in eo Præſidens mandauit P.F. Bernardino de Cropulato, vt illi daret liſtam omnium Fratrum congregatorum pro celebratione capituli generalis, vt patet ex num. 3. præfati capituli, vbi etiam illi tradidit modum præfatam liſtam conſcribendi, nimirum quòd in prima parte liſtæ ponerentur Itali, in ſecunda Hiſpani, in tertia Galli, in quarta Boemi. In capite igitur illius liſtæ ponitur Frater Paulus Prouincialis Calabriæ. In capite verò ſecundæ partis liſtæ ponitur Frater Franciſcus Binetus Corrector SS. Trinitatis, poſt eum immediatè F. Ludouicus Luſtrant eius diſcretus. In primis certiſſimum mihi eſt, quòd hęc liſta nullum cuique capitulantium tribuebat ius præeminentiæ, licèt enim eam ſcribi mandauerit Cardinalis Præſidens, præſente P. F. Bernardino de Cropulato, non per hoc tamen tribuit illi auctoritatem loca capitularibus aſſignandi, vt patet; quia, vt infra dicemus, loca prædicta fuerunt ſingulis capitularibus per Cardinalem ipſum aſſignata, nullo habito reſpectu ad hanc liſtam. Deinde quando quis vellet contendere, quòd hæc liſta ius præeminentiæ tribuebat, primum locum in hac liſta habuit Prouincialis Calabriæ, non Correctot SS. Trinitatis. Quòd ſi replicetur, ideo primum locum datum fuiſſe Prouinciali Calabriæ, quia Italus erat, & Itali iuſſi ſunt poni in prima parte liſtæ, Reſpódeo, quòd ex hoc conuincitur, illam liſtam fuiſſe ſolùm exemplarem, non iuridicam; vnde nihil probat pro præeminentia Correctoris SS. Trinitatis. Tertiò, ſi illa liſta probaret intentum aduerſariorum, probaret etiam, quòd Diſcretus Correctoris SS. Trinitatis deberet præcedere Prouinciales: Poſitus eſt enim etiam ipſe antè Prouincialem Turoniæ. Quartò igitur reſtat, quòd cum ex illa liſta nihil quò ad hoc punctum probetur, ſtandum ſit determinationi factæ ab eodem Cardinali in ſequentibus, vbi nu.9. dicitur. Deinde excluſis nouitijs, ſeparari fecit in ſedendo Fratres Italicos ab Vltramontanis; deinde Sacerdotes, & Clericos Italicos à non Sacerdotibus, & Clericis ipſius nationis; deinde fecit eos ſedere ſecundum ordinem ſuæ profeſſionis, &c. ponendo Prouinciales ſingularum Prouinciarum ſemper in primo loco, deinde Prouincialium Diſcretos. & poſt illos Correctores locales, &c. Et paucis interpoſitis, ait. *Et in futurum declarauit, ſic debere eos ſedere in Choro, & in menſa, &c. Et in omnibus capitulis dictæ Religionis, tam generalibus, quam prouincialibus, & localibus, præcedent Vigiles, poſt eos Prouinciales, deinde alij Correctores locales.* Et concluditur dicto num.9. hoc pacto. *Quem ordinem ſedendi, & dandi vocem Vicarius generalis, & omnes in capitulo, nemine diſcrepante, acceptauerunt.* Et num.11. declarauit idem Cardinalis Præſidens, *quòd in dando vocem, & in ſedendo tam in eccleſia, quàm in capitulo, & refectorio Vigiles, & Correctores prouinciales, & Diſcreti Prouincialium, & Socij Correctorum prouincialium ſequantur ordinem Prouinciarum ſupraſcriptum. Itaque primus in dando vocem ſit Vigil de Prouincia Calabriæ, poſt eum Correctcr prouincialis illius Prouinciæ, &c.* Conſtat ergo ex dictis, luce clarius eſſe, Prouinciales in illo primo capitulo, quod fuit futurorum norma, præceſſiſſe Correctores locales, & ita ibi fuiſſe à Cardinali præſidente de mandato Papæ lege perpetua ſtabilitum. Conſtat etiam, Correctores in dicto primo capitulo propter vocum paucitatem habuiſſe votum, vt patet ex num.9. & 11. Atque ita etiam conſtat, Correctorem SS. Trinitatis ſediſſe poſt Prouinciales Galliæ. Et licèt verum ſit, quòd Corrector SS. Trinitatis fuit poſitus in dicta liſta antè Prouincialem Turoniæ, & primus votauit in acceptatione vitæ quadrageſimalis, vt patet ex num.5. & primus etiam votauit in electione P. Generalis, vt patet ex nu. 20. non tamen conſtat, illum id iuridicè feciſſe, cum contrarium fuerit ſupra expreſsè lege perpetua ſtabilitum. Sed quia ipſe erat Pater Franciſcus Binetus, vir qualificatiſſimus, & de Religione valdè beuemeritus, quem omnes prætendebant in Generalem eligere ſicut de facto elegerunt, illi omnes reuerentiam exhibebant, vt erat juſtum; erat enim tum vitæ ſanctitate, tum literarum ſcientia, tum rerum agendarum peritia omnium capitulantium facilè primus. Quare non eſt mirum, ſi Galli ei reuerentiam exhibentes, primum locum inter Gallos conceſſerint. Vnde, cum nobis conſtet de iure, parum curamus de facto, quod potuit propter varias, & diuerſas cauſas, quas ignoramus, in illo caſu indiuiduali variari, & dato, quod variatum ſit potiùs propter errorem, & bonorum illorum Patrum ſimplicitatem, vt magis credo, conſuetudo in illo fundata non valet, vt notat Decius in regula Quod contra, nu.3. & facit dicta regula, quæ habet. *Quod contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam.* Imò factum ipſum eſt pro noſtra ſententia; nam in facto Prouincialis Calabriæ fuit primus in omni actione iuridica illius capituli etiam ante Correctorem SS. Trinitatis, vt conſtat ex dicto capitulo.

24 Cum ergo in prædicto capitulo primo Romano lege perpetua ſtabilitum ſit, vt Prouinciales præcedant Correctores in omni loco, & de facto in præfato capitulo Prouincialis Calabriæ ſemper præceſſerit Correctorem SS. Trinitatis, nec in ſequentibus capitulis vſque ad 2. capitulum Auenion. habeamus determinatum contrarium, manifeſtè ſequitur, quod nullo iure poteſt Correctot SS. Trinitatis præeminentiam ſupra Prouinciales defendere, præterquam dicto Auenion. ſtatuto, quod tamen illi ſuffragari non poteſt, quia eſt expreſsè contra Regulam in Correctorio, nu.11. & 62. vt dico in conſt.7. Pauli V. nu.3. & 4. tom.2. noſtr. priuileg. Et capitulum generale per vulgata iura non habet poteſtatem faciendi ſtatuta contra regulam, vt dico loc. cit. priuileg. num.10. Si quod autem aliud priuilegium habet, tenetur illud oſtendere, cap. Cum perſonæ, de priuileg. in 6, vbi dicitur, quod qui allegat priuilegium, debet illud probare. Cynus in leg. Si ſolemnibus, Cod. de fide inſtrum. in fine, & multos cumulat Barboſa in dicto cap. Cum perſonæ, num.2. Nec ſufficit, quod ſit in vſu, & poſſeſſione ipſius priuilegij, vt docet Maſcar. de prob. concluſ.1200. num. 36. & 37. attento præſertim, quod dico in loco citato priuil. priuilegium ſcilicet numquam intelligi conceſſum contra tertium, vt probat idem Maſcar. loco cit. concluſ.1243. numero 9.

25 Inquit vero Iſnardus, dictum conuentum eſſe in poſſeſſio-

poſſeſſione à principio naſcentis Religionis vſque ad 2. capitulum Auenion. vbi circa id videtur mota aliqua quæſtio, & à capitulo Auenion. vſque modo; & ideo meum eſſe probare, talem conuentum non eſſe in poſſeſſione. Hic equidem fraterna charitas me obligat, ne egrediar ſolitos in reſpondendo modeſtiæ meæ limites.

26 Dico igitur, quod dictus conuentus numquam fuit in tali poſſeſſione, nec in capitulo primo generali, vt conſtat de facto contrario, nec in alijs capitulis Romæ celebratis, in quibus nulla fit mentio de tali poſſeſſione, nec præeminentia, & in capitulo 6. & 7. Romano, me præſente, circa talem præeminentiam litigatum eſt; & licèt in capitulo Auenion. dicatur, *vt moris eſt, & iam in alijs capitulis decretum, & vſu firmatum;* id tamen gratis dictum eſt à Scriba Gallo, cum nullum talis moris extet in antecedentibus capitulis veſtigium; neque etiam decretum, quod à longe inſinuet. Sed eſto, quod dictus Correctot eſſet in poſſeſſione, adhuc mihi talem poſſeſſionem neganti non incumberet probatio, ſed dicto Correctori, qui illa ſe tuetur. Nam illi onus probandi incumbit, qui aliquid allegat tamquam ſuæ intentionis fundamentum; leg. Ei, qui, ff. de probat. leg. Actor. Cod. eodem tit. leg. 1. ff. de exception. Atque ita cum multis probat Maſcardus de probat. concluſ. 1183. num. 2. & 3.

27 Idem dicendum eſt ad id, quod dicit idem Iſnardus nimirum quod eſt tam longa poſſeſſio dictæ præeminentiæ, vt iam præſcripſerit. Nam negato facto dico, quod adhuc incumbit Correctori præfato onus prædictæ præſcriptionis probandæ, non ſolùm quo ad præſcriptionem ipſam, ſed etiam quo ad requiſita ad eam in principio inducendam, nimirum titulum, bonam fidem, (agimus enim inter Eccleſiaſticos, in quorum iure c. Vigilanti, c. vlt. de præſcript. ad præſcribendum bona fides requiritur) poſſeſſionem continuam, & alia. Ita Maſcardus cum multis de probat. concluſ. 1218. in ſpecie num. 6. Præſertim quando ius commune reſiſtit præſcribenti, & iuris præſumptio eſt contra eum, vt in caſu noſtro. Ita habetur in cap. 1. de præſcript. in 6. & multis id probat Maſcard. loc. cit. concluſ. 1219. num. 6.

28 Denique ad leges, quas citaui pro ſecunda ratione Iſnardi corroboranda, reſpondeo 1. quod ordo ſcripturæ non attenditur, quando ſumus certi diſpoſitionem non dare ordinem, vt hic, prout docet Felinus in cap. Cum Dilecta, de reſcrip. nu. 5. & Tambur. de iure Abbat. tom. 1. diſp. 25. q. 1. num. 154. Secus autem, quando ſumus certi de mente diſponentis, quòd ita diſponit ad conſtituendum ordinem prioritatis, vt in cap. Vt lex continentiæ. 27. quæſt. 1. & in cap. Vbicumque, 13. quæſt. 2. Reſpondeo 2. quod ordo ſcripturæ tunc attenditur, quando ſumus in dubijs, nec poteſt aliunde de veritate prioratis conſtare, quàm ex ordine ſcripturæ, vt concludit Bart. in proœmio C. §. Quibus in fine, num. 19. ver. Opponitur; & in lege 2. §. Prius, num. 7. verſ. circa tertium, de vulg. & pup. At hic nec ſumus in dubijs, quia conſtat ex num. 9. & 11. de mente diſponentis, quod voluerit Prouinciales præcedere Correctores, & ex dictis numeris conſtat aperte de veritate prioritatis.

29 Aduerte, quod in num. 17. eiuſdem conſtit. 7. Pauli V. dicebam, nomine Gallicæ nationis venire Auenionenſes, Sabaudienſes, Lotharingos, &c. quia à Coſmographis illæ Prouinciæ inter Gallicas prouincias connumerantur. Et inuenio, id fuiſſe decretum in capitulo Genuenſi 4. nu. 20. vbi cum quæſitum fuiſſet, quidnam veniret appellatione Gallicæ nationis? Patres tale negotium remiſerunt iudicio duorum Coſmographorum Romæ commorantium quorum determinationi ſtandum eſſe decreuerunt.

30 Aduerte etiam, quod in num. 19. eiuſdem conſtitutionis Pauli V. ex ſtatuto Auenionenſi num. 10. dicebam, quod tam Correctot S. Andreæ de Frattis, quam Correctot SS. Trinitatis poterant nouitios ad habitum recipere; ſed id debet intelligi de licentia Generalis, licèt hoc iure communi Correctori SS. Trinitatis competere, dicat Nauarr. lib. 1. conſil. de conſt. conſil. 9. nu. 19. Sed habeo contra Nauarrum declarationem ſacræ Congreg. Regular. factam anno 1590. die 2. Ianuarij, inſtante P. F. Cornelio Roggiano Zeloſo noſtri Ordinis, quæ ſic habet. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. Ex parte P. F. Cornelij à Roggiano Procuratoris generalis Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, proponitur dubium decidendum apud illuſtriſſimas Dominationes veſtras, quod eſt tale. Monaſteria SS. Trinitatis de Monte Pincio, & S. Andreæ de Frattis Romæ non poſſunt recipere nouitios abſque licentia P. Generalis eiuſdem Ordinis, ex c. 2. noſtra Regula confirmata à pluribus ſummis Pontificibus. Nunc, quia placuit S. D. N. P. Sixto V. conſtituere bullam, in qua dicit, quòd monaſteria, quæ aliàs nulli Prouinciæ ſubiecta ſunt, &c. ſtatuimus, vt trina capitula conuentualia tribus diſtinctis, cum internallo ſaltem decem dierum, vicibus celebrata, in recipiendis nouitijs per trinas huiuſmodi diſtinctas vices approbatis, auctoritatem habeant. Et cum prædicta monaſteria non ſint ſubiecta alicui Prouinciæ, an intendat bulla derogare licentiam Patris Generalis, & quod poſſint ſine licentia recipere nouitios, derogando Regulam, de qua derogatione non eſt facta mentio; vel potius intendat reſtringere, ſcilicet præſuppoſita licentia P. Generalis, conſeruando Regulam, & prædicta trina capitula conuentualia ſint neceſſaria ad examen faciendum, ſi nouitij recipiendi habeant conditiones requiſitas in bulla, quod prius non fiebat. Dignentur Illuſtriſſimæ DD. VV. declarare hoc dubium, vt poſſit obſeruari, quid intendit bulla. Et Deus, &c. A tergo, Sacra Regul. Congr. Dicta Congreg. reſpondit, non poſſe, imò eſſe prohibendos die 2. Iannar. 1590. Cardinalis Alexandrinus.* Quam declarationem vidi authenticam in Archiuio noſtro Romano apud P. Zeloſum.

31 Aduerte etiam, quod in eadem conſtit. 7. Pauli V. num. 18. dicebam, quod in Correctorem SS. Trinitatis de Vrbe, & S. Andreæ de Frattis poterat eligi ab vrbe, abſens, & in dictis conuentibus non localis. Quod poſtea reperi, fuiſſe à ſacra Regularium Congreg. declaratum hoc pacto. *Illuſtriſſimi, e Reuerendiſſimi SS. Fra Franceſco di S. Dorotheo dell' Ordine de Minimi eſpone humilmente alle SS. VV. Illuſtriſſime, qualmente eſſendo egli li giorni paſſati correttore del conuento di S. Andrea delle Fratte, e douendo il giorno di S. Michele eleggere ſuo ſucceſſore inſieme col ſuo capitolo conuentuale, dimandò alle SS. VV. Illuſtriſſime ſi degnaſſero di dichiarare eſſer lecito al capitolo di detto conuento di S. Andrea eleggere per Correttore Religioſo non votante di detto capitolo, non oſtante l'ordine contrario fatto in voce dal Preſidente del capitolo celebrato due anni ſono, forſe in vigore di qualche preteſo oracolo di S. Santità, non potendo farlo de iure, qual non richiede, che l'eletto ſij de gremio capituli, & eſſendoſi le SS. VV. Illuſtriſſime degnate di fargliene la dichiaratione, ſtante il ſolito antico di detto conuento, e la diſpoſitione de ſacri Canoni, perciò ſi procedette all' elettione del P. Fra Franceſco della Regina benemerito, e religioſiſſimo, qual' era qui in Curia: la quale elettione eſſendo ſtata canonica per ragione delli voti hauuti, e per la dichiaratione delle SS. VV. Illuſtriſſime, perciò domanda gratia alle medeſime, vogliono confirmarla, non oſtante vn' ordine del P. Generale nuouamente preſentato, che non ſi faceſſe detto Correttore extra capitulum.* Che il tutto, &cet. *Si ſanctiſſimo Domino noſtro placuerit, ſacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpoſita, confirmationem petitam concedendam eſſe cenſuit. Romæ die 7. Octobris 1625. Sanctiſſimus autem Dominus Noſter ſacra eiuſdem Congregationis audita ſententia, eam approbauit, debitaque executioni demandari præcepit. Romæ die 11. eiuſdem menſis, & anni. Oct. Cardinalis Bandinus. A. Epiſc. Caſert. Secr.* Eſt impreſſæ Romæ dicto anno 1625.

32 Hic etiam quæres, an Vicarius miſſus ad publicas proceſſiones à Correctore SS. Trinitatis, præcedere debeat Correctorem S. Andreæ de Frattis, aut S. Franciſci de Paula. R. affirmatiuè. Quia tenet locum

Corre-

Correctoris;& eſt textus expreſſus in cap.Præcipimus, d.93.& in cap.Grandi,de ſupplend.neglig.Prælat.in 6. Faciunt pro hoc DD. qui dicunt, quòd prærogatiua, quæ eſt in principali,debet eſſe in eius locum tenente, vt Felin.in cap.Cum olim,el 2.de offic.de leg. num. 1. Neque obſtat dictum Baldi in leg. Sed ſi hac, §. ſemper,ff.de in ius vocan. relatum à Felino ibi, quòd ſcilicet per textum illius legis maior honor debeatur Epiſcopo,quàm eius Vicario. Nam licèt ratione maioris, & firmioris iuriſdictionis magis ſit honorandus Epiſcopus, quàm Vicarius, tamen non ſequitur, quin Vicarius in illis actibus,in quibus iuriſdictionem habet, non ſit pari honore afficiendus cum Epiſcopo; ſicut enim Epiſcopi cum Vicario eſt vnum, & idem tribunal,cap.2.de conſuet.in 6. ita etiam debet eſſe vnus, & idem honor, ac reuerentia. Pari ergo modo, licèt comparando perſonam Correctoris cum perſona Vicarij,non idem honor, ſed maior, debeatur Correctori, propter firmiorem, & ampliorem iuriſdictionem quàm Vicario:tamen loquendo ſpecialiter de actibus iuriſdictionalibus,& alijs actibus, in quibus Vicarius repræſentat perſonam Correctoris, gaudet virtute repræſentationis eodem honore, qui debetur perſonæ Correctoris repræſentatæ. Atque ita reſoluit Cantuccius Epiſcop.Lauretanus apud Gratianum diſcept. forenſ. cap. 111. à num. 38.

33 Quæres etiam hac occaſione, an Viceregens ſtudiorum à Regente inſtitutus, habeat eamdem auctoritatem, quam Regens, & eodem ſit honore afficiendus? ℞. quando actu exercet iuriſdictionem Viceregentis, V.G.aſſiſtit concluſionibus,conferentijs,&c.debet eodem modo honorari, quo Regens, extra autem illos actus non eſt neceſſe;niſi forte propter abſentiam Regentis à conuentu, vel longam illius infirmitatem, ab habente poteſtatem in Viceregentem inſtitueretur, quia tunc eamdem haberet cum Regente auctoritatem, & eodem eſſet honore afficiendus. Ita Felin. in cap.Cum olim,el 2.de offic.deleg.nu.1.Frat.loc.cit.nu. 54. Roman. ſing. 367. vbi eius Addit.

Quæres etiam, & pone caſum, quòd in ciuitate Genuenſi ſumatur conuentus, quiſnam præcedet in proceſſionibus, & alijs actibus publicis, Corrector Ieſu Mariæ, qui eſt antiquior, an Corrector conuentus de nouo erectus in ciuitate.℞.quod precedere debet Corrector ciuitatis; quia eſt in proprio loco; cum inter eos nulla ſit maioritas, niſi antiquitatis, & in reliquo ſint pares.Nam Corrector nouiter erectus eſt Imperator, & Rex in domo ſua,cap.Duo ſunt, 23. qu.4. vnde non debet mirari,ſi ab illo præcedatur,cap.Qui ſcit. 2. q. 6. atque ita Penna in leg.Nihil. Cod. de Palat. ſacr. larg. col.1.Gonzalez ad reg.8.cancell. à num. 100. Et audio ita fuiſſe declaratum à ſacra Congr. pro noſtris conuentibus Pariſienſibus.Vnde collige quòd tam in proceſſionibus, quam in concluſionibus, alijſque actibus publicis, qui fiunt in aliqua ciuitate, in qua ſunt duo conuentus eiuſdem Religionis,ille ſemper præcedet, in cuius conuentu fiunt dictæ, vel proceſſiones, vel concluſiones. Sic quando Romæ fit proceſſio de Sacramento à conuentu S. Andreæ, ſi ad eam accedat cum ſuo conuentu Corrector SS. Trinitatis, tenebitur dare locum Correctori S. Andreæ, qui eſt in proprio loco ſimiliter ſi defendantur concluſiones in dicto Conuentu S. Andreæ; & ſic de reliquis.

34 Quæres etiam, quo iure à ſolis Gallis inhabitetur, & regatur conuentus SS. Trinitatis de Vrbe Ordinis noſtri?℞. quòd anno 1494. Chriſtianiſſimus Gallorum Rex Carolus VIII.cum Roma tranſiret Neapolim, vt hanc ciuitatem ſuæ ditioni ſubiugaret, rogatus à S. P. N. Franciſco per duos ſuæ profeſſionis Confratres, videlicet Iacobum de Morano, & Iacobum Pubitum, quos Romam expreſsè tranſmiſerat, vt quoddam terrenum compararet pro conſtruendo ſibi & ſuis ſucceſſoribus monaſterio, Rex ſtatim, intellecta petitione S. Patris noſtri, quem tamquam Beatum, & Sanctum venerabatur, & prædicabat, locum emi fecit, in quo ſituatus eſt nunc conuentus, quem cum vinea, & canneto Religioni dedit, perſoluitque pro dicto terreno ducatos 80. auri de Camera pro vna parte, & 1500. florenos antiquæ monetæ currentis pro altera, ad rationem ſolidorum 47.Romanorum pro quolibet floreno, ſolidum enim tunc temporis erat valoris trium quatrinorum. Quæ pecunia calculata ad rationem præſentis monetæ Romanæ facit ducatos 653. cum nouem iulijs, & tribus baiochis. Ita habetur in quodam inſtrumento rogato ſub die 17.Februarij anni 1494. à Hieronymo de Boſſia Notario. Hac liberalitate motus Sanctiſſimus Pater, vt Patres hunc conuentum pro tempore inhabitantes ſemper recordarentur ſui fundatoris, & vt gratiam aliquam referret Galliarum Regibus, à quibus tot, tantaque beneficia receperat, eoſque etiam ad protegendam Religionem in futurum deuinciret, ordinauit, vt hic conuentus regeretur, & inhabitaretur per Fratres Gallicæ nationis; quamdiu reperirentur, qui inibi inhabitare vellent, vt conſtat ex inſtrumento publico ſuper hoc confecto, quod habes hic infra, numero 39. Sed quia lapſu temporis deinde circa hoc negotium ortæ ſunt multæ controuerſiæ, & lites inter dictos Fratres Gallos, & Fratres Hiſpanos,ac Italos, prætendentibus iſtis illum conuentum eſſe communem, ideo diu, & multùm à dictis nationibus litigatum eſt,vſque ad tempora Pauli V. qui fecit illam conſtitutionem, & litibus perpetuum ſilentium impoſuit. Quia tamen negotium tanti momenti memoria dignum eſt ideo hic appoſui rationes authenticas dictæ nationis Gallicæ, quibus ſubiungam, quid reſpondeant Itali, & Hiſpani.

35 Scripturæ pro Fratribus Gallis, præſentatæ authenticæ Petro Montorgio Notario, & venditæ deinde Hugoni Cauſſæo Notario, poſt cuius mortem venditæ ſunt D. Quirino Farinæ Notario, apud quem reperiuntur hoc anno 1628.die ſexta Ianuarij,quo ego eas habui.

36 In nomine Domini Amen. Hoc publico inſtrumento cunctis ſit notum, quòd anno à natiuitate eiuſdem Domini 1593. indict. 6. die verò 10. menſis Aprilis,Pontificatus S.D.N.D.Clem.diu.prouid.Papæ VIII.anno ſecũdo coram Reuerendo Domino Fabritio Mandotio vtriuſque ſignaturæ prælibati Sanctiſſimi D.N.Papæ Referendario,Illuſtriſs.& Reuerendiſs. D.Hieronym.tit.S.Suſannæ S.R.E. Presb. Cardinalis Ruſticucii nuncupati, S.D. N. PP. Vicarii generalis, Romanæque Curiæ iudicis ordinarii, &c. Romæ domi ſuæ ſolitæ habitationis, hora audientiæ cauſarum conſueta pro tribunali ſeden., more ſuo ſolito, & in mei Notarii publici,teſtiumque infraſcriptorum præſentia, præſens,& principaliter conſtitutus Reuer.P.F. Petrus Colinus Procurator generalis Monaſterii, & Fratrum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, & ad docendum de bono iure in fauorem Fratrum nationis Gallicanæ ſuper conuentu,& monaſterio SS. Trinitatis, & ad alium meliorem finem, & effectum, facto exhibuit quoddam inſtrumentum publicum, & authenticum cuiuſdam collationis nonnullarum litterarum, ſiue inſtrumenti publici per B. Franciſcum de Paula dicti Ordinis Minimorum Inſtitutorem, in fauorem Regis Francorum Chriſtianiſſimi, & nationis Gallicanæ tractatum in pergameno, & latino ſermone ſcriptum per Reuerendiſſ. Dominum Anſelmum Dandinum, apud Chriſtianiſſimum Regem Nuncium apoſtolicum ſub die 29. menſis Iulij, 1578. Pontificatus felic. recor. Gregorij Papæ XIII. anno eius 7. ſubſcriptum, & ſigilli dicti Reuerendiſs. Nuncij impreſſione munitum per Magnificum Dominum Ioannem Gollebers Notarium publicum ſubſcriptum, & publicatum. Item quoddam tranſumptum literarum apoſtolicarum in forma Breuis ad inſtantiam Henrici III. Regis Francorum Chriſtianiſſimi, à felicis recordationis Iulio Papa III. emanatarum, ac per Pium Papam IV. confirmatarum, ſub datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 22. Febr.

22.Feb.1565. Pontificatus ſui anno 6. per Reuerendiſſimum Dominum Alexandrum Riarium ſubſcriptum, Item tranſumptum cuiuſdam ſupplicationis, ſiue libelli ſupplicis, pro parte Caroli VIII. Regis Francorum Chriſtianiſſimi fel. recor. Alexandro PP. VI. porrecti ſuper erectione conuentus SS. Trinitatis Montis Pincij ex regiſtro ſupplicationum per Magnif. D. Benignum Remundum eiuſdem regiſtri Magiſtrum collationatum, & ſubſcriptum, ac ſigillo, quo in talibus vti ſolet, munitum. Item quoddam inſtrumentum ſententiæ per ſacram Congregationem Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium ſuper Regulares, ſiue Epiſcopus, deputatorum, in fauorem Fratrum nationis Gallicanæ die quinta menſis Octobris 1577. Pontif. fel. rec. Greg. PP. XIII. anno eius ſeptimo latæ, & promulgatæ, per Reuerendiſſimum D. Cæſarem Spetianum dictæ Congregationis Secretarium ſubſcriptæ, & publicatæ. Item quoddam memoriale fel. recor. Sixto Papæ V. pro parte dictorum Fratrum nationis Gallicanæ, vt apparet, porrectum & per dictum Sixtum Papam V. Illuſtriſſ. D. Cardinali, tunc ſuæ Sanctitatis Datario, vt in dorſo illius etiam apparet, directum. Nec non votum Illuſtriſſ. DD. Chriſtophori Robuſterij Hiſpani, olim Rotæ Auditoris, & Decani, nunc verò Epiſcopi Oriolen. & Seraphini Oliuarij tunc Auditoris, & nunc Decani Rotæ ſuper differentijs, & controuerſijs dicti conuentus SS. Trinitatis latum. Deinde deſuper præfatorum iurium recognitione induxit in teſtes à tergo, & in pede illorum reſpectiuè deſcriptos, qui admiſſi medio iuramento, tactis pectore, & ſcripturis ſacroſanctis ad ſacra Dei euangelia, eas recognouerunt, prout à tergo, & in pede dictorum iurium apparet reſpectiuè. Quorum quidem iurium, & recognitionum tenor talis eſt, & ſequitur hic ſucceſſiuè de verbo ad verbum.

37 In nomine D. Amen. Per præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat, quod anno eiuſdem D. 1578. indictione ſexta, menſis verò Iulij die 29. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Greg. PP. XIII. anno eius ſeptimo in mei Notarij publici ſubſignati, ac Curiæ epiſcopalis Pariſien. de numero immatriculatorum præſentia, coram Illuſtriſſ. D. Anſelmo Dandino Protonotario apoſtolico præfato Sanctiſſ. D. N. PP. Gregorij XIII. apud Sereniſſ. & Chriſtianiſſimum Galliæ Regem Henricum III. Nuncio comparuerunt Venerabiles Patres, & Religioſi viri, & Fratres Robertus Brenal Corrector conuentus Nigionen. Ordinis fratrum Minimorum, & Ioannes Bartholomæus Collega Reuer. Patris Prouincialis Prouinciæ Turonen. tenentes in eorum manibus quaſdam literas in papyro, vice, & nomine eorum conuentus, & vniuerſitatis Gallicanæ Patrum dicti Ordinis deſcriptas, &, prout ex earum facie apparebat, antiquas, & vetuſtate corroſas, ita vt ex illis plures ſyllabæ, & dictiones legi non poſſent. Expoſueruntque præf. D. Nuncio, quòd dictæ ſuæ vniuerſitati neceſſe eſt obtinere tranſumptum dictarum literarum in formam publicam, ad effectum tranſmittendi in Vrbem Romanam iuxta tenorem certæ ſententiæ, vt ipſi dixerunt, latæ inter dictam eorum vniuerſitatem ex vna, & Fratres aliarum nationum eiuſdem Ordinis ex altera partibus. Quapropter inſtiterunt, per præfatum D. Nuncium mandari dictas literas tranſumi, & exemplari, ac in publicam formam redigi, omni meliori modo, & forma, quibus melius, & efficacius poteſt, & debet de iure fieri. Qui quidem Illuſtriſſ. D. Nuncius præfatus attendens, poſtulationem huiuſmodi eſſe iuſtam, & rationi conſonam, quodque iuſta petentibus non eſt denegandus aſſenſus, præfatas literas per me Notarium publicum ſubſignatum in ipſius præſentia tranſcribi, & de verbo ad verbum fideliter, & prout iacent, exemplari, & in publicam formam redigi iuſſit, & mandauit, omni meliori modo, & prout continent.

38 In nomine Domini Amen. Huius publici præſentis inſtrumenti tenore cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno eiuſdem D. 1578. indictione ſexta menſis verò Iulij die 29. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouid. PP. XIII. anno eius ſeptimo. Ego Ioannes Gillibats Pariſien. publicus auctoritate apoſtolica, ac Venerabilis Curiæ epiſcopalis Pariſien. Notarius iuratus infraſcriptus, in Archiuio Romanæ Curiæ deſcriptus, notum facio omnibus, et ſingulis præſentes conſpecturis, qualiter literas Beatiſſimi Franciſci de Paula per Illuſtriſſ. D. Anſelmum Dandinum Protonotarium apoſtolicum S. D. N. PP. Gregorij XIII. apud Sereniſſ. & Chriſtianiſſ. Galliæ Regem Henricum III. Nuncium præſentatas, & exhibitas in papyro deſcriptas, antiquas, & in parte, ſeu in partibus vetuſtate corroſas, et mihi ab eodem Illuſtriſſimo Nuncio conſignatas legi, ipſo præſente tranſcripſi, et in formam publicam redegi, illarumque exemplar confeci, et illud cum ſuo originali collationaui, et concordaui de verbo ad verbum, reperi prout infra, ſcilicet. Ad inſtantiam, et requeſtam venerabilium Religioſorum virorum Fratrum, v. d. Roberti Bremal Correctoris Conuentus Nigionen. Ordinis Fratrum Minimorum, et Ioannis Bartholomæi Collegæ R. P. Prouincialis Prouinciæ Turonen. auctoritate, et mandato præfati Illuſtriſſ. D. Nuncij, et in eiuſdem D. Nuncij præſentia tenor earumdem literarum ſequitur, et eſt talis.

39 *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis, Frater Franciſcus de Paula Ordinis Fratrum Minimorum humilis I. ſtitutor, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia, & conceſſione omnium eremitoriorum, & locorum eiuſdem Ordinis vbilibet. que conſtitutorum, necnon Congregationis Fratrum Religioſorum, & perſonarum aliarum ſub regulari obſeruantia in eiſdem degentium Superior licet immeritus, & generalis Corrector, ſalutem in Domino perpetuam. Nos piè conſiderantes, regiam Maieſtatem Franciæ nobis, & ordini noſtro præfato comparaſſe locum conuentus noſtri SS. Trinitatis in Monte Pincio in Vrbe Romana: eapropter ad ipſius beneficij per nos recepti memoriam, & quatenus Fratres noſtri Ordinis in dicto conuentu reſidentes in diuini cultus perſolutione reddantur in futurum ſalutis animarum dictorum benefactorum memores. Volumus, & ordinamus, quod à modo impoſterum dictus conuentus SS. Trinitatis in Monte Pincio in Vrbe Romana regatur per Fratres Gallicæ nationis, quandiu inueniantur, qui inibi reſidere, & cultus diuino ſuſſiſtere voluerint: Sin autem, vbi nulli reperirentur, qui inibi reſidere voluerint, quòd omnes in Chriſto vnanimes eſſe debemus, illum per alios regi, & inhabitari volumus. Pariterq; quòd vbi locus ſupportare poterit, vltra quam reperiantur habitantes Gallicæ nationis, alios ſecum aliarum nationum mixtim reſidere volumus. Datum in Conuentu noſtro de Ieſu Maria nuncupato prope Turonen. die nona menſis Iulij anno Domini milleſimo quadringenteſimo . . . . . . Bernardino de . . . . . Comitis, & Renato de Cleri Correctore, teſtibus ad præmiſſa vocatis de mandato dicti Patris Fratris Franciſci Inſtitutoris. Bourreau apoſtolica, & imperiali auctoritatibus Notarius. Ita eſt Gregorius Brenes Notarius.* Super quibus omnibus, et ſingulis dicti venerabiles Fratres Robertus, et Ioannes rogauerunt me Notarium infraſcriptum, vt de illis vnum, vel plura facerem inſtrumentum publicum, ſeu publica. Acta fuerunt Pariſiis in Palatio Archiepiſcopali Senonēſe, quod Gallice vocatur *Choſtel de Iers*, iuxta monaſterium Monialium S. Claræ dell' *Aue Maria* nuncupatum habitationis modò præfati Illuſtriſſ. D. Nuncij, præſentibus ibid. DD. Fabio Gallo Cameranen. & Ioſepho Ronegambardo laico Bauellen. domeſticis familiaribus præfati D. Nuncij teſtibus ad præmiſſa vocatis, et rogatis. Et ad maiorem fidem, robur, et teſtimonium, præfatus Illuſtriſſ. D. Nuncius manu ſua propria ſubſcripſit, et ſigillum ſuum apponi iuſſit. Actum vt ſupr. A. Protonotarius Dandinus apud Regem Chriſtianiſſimum Sanctiſſ. D. N. Papæ Nuncius, locus † ſigilli, de mandato præfati Illuſtriſſimi D. Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuncij, I. Gillibert Notarius præfatus. locus † Signi. R. P. D. Anſelmus Dandinus vtriuſque ſignaturæ Sanctiſſ. D. N.

Litera Sanctiſſimi Patris noſtri.

D. N. Papæ Referendarius recognouit manum ſuam in ſubſcriptione appoſitam, et eius ſigillum in forma: et ita iurauit tacto pectore, et D. Vincentius Mutinen. recognouit manum, literam, et perſonam, et ſigillum prælati R. P. D. Anſelmi Dandini, et ita iurauit tactis ſcripturis.

Literæ Pij IV. confirmatoriæ literarum Iulij III. confirmantis literas S. Frãciſci.

40 *Pius Papa IV. Ad futuram rei memoriam. Promiſſionis noſtra debet prauenire ſubſidium, vt ſuum ius cuilibet conſeruetur. Hinc eſt, quòd nos tenorem quarumdam literarum fel. recor. Iulij Papa III. prædeceſſoris noſtri in forma Breuis in regiſtro ipſius prædeceſſoris compertum, pro eo, quòd ſicut exhibita nobis ſuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum domus SS. Trinitatis in Monte Pincio de Vrbe Ordinis Fratrum Minimorum petitio continebat, ipſi huiuſmodi tenore ex certis cauſis dignoſcuntur indigere, ex regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſorum Fratrum inſtantiam petentibus annotari fecimus qui talis eſt, vid. Iulius PP. Tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis, in quo diuina diſpoſitione poteſtatis plenitudo conſiſtit, prouidentia circumſpecta ad ea, quæ ſtatus proſpero regularium locorum quorumlibet, & in illis ſtudio piæ vitæ deditarum perſonarum profutura conſpicit, operoſis ſtudijs intendit; & ijs, quæ propterea ordinata fuiſſe dicuntur, vt illibata perſiſtant, apoſtolici muniminis adijcit firmitatem, & aliter deſuper diſponit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè pro parte chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici Francorum Regis Chriſtianiſſimi nuper exhibita petitio continebat, quòd dudum S. Franciſcus de Paula in ſeculo vitam beatam agens ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, & permiſſu Ordinem fratrum Minimorum inſtituit, & omnium Eremitoriorum, oratoriorum, & locorum eiuſdem Ordinis vbicumque conſtitutorum, necnon Congregationum Fratrum religioſorum, & perſonarum aliarum ſub regulari obſeruantia in eis degentium Superior, & Generalis effectus fuit. Quodque idem S. Franciſcus piè conſiderans, claræ memoriæ Carolum Francorum Regem ſibi, & dicto Ordini locum domus Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio de Vrbe comparaſſe, in memoriam tanti beneficij, & ad hoc, vt Fratres dicti Ordinis in eadem domo pro tempore reſidentes, in diuini cultus pro ſalute animæ dicti benefactoris magis memores redderentur. Inter alia, quòd ex tunc in poſterum, dicta domus per fratres Gallicæ nationis, quamdiu inuenirentur, qui inibi reſidere, & cultui diuino inſiſtere vellent, ſiu autem vbi nulli reperirentur, per alios regi, & gubernari, & inhabitari deberet, per publicum inſtrumentum deſuper confectum ex manu Notarij publici ſubſcriptum, voluit, & ordinauit. Nos attendentes, quantum piè, & ſanctè Ordo ipſe ſuſtitutus, quantumque ab eius inſtitutione citra illius Fratres religioſè cum odore bonæ famæ vixerint, & propterea eundem Ordinem in ſuo ſolito ſtatu, ac illius Fratres præfatos in tranquillitate confouere, & quibuſuis ſcandalis obuiare, ac voluntati, & ordinationi tam pij Patris annuere, & illi ſatisfacere, necnon pium, charitatiuum, ac liberale donum dicti Regis in illius memoriam, prout par eſt, recognoſcere volentes, eiuſdem Henrici Regis Chriſtianiſſimi ſupplicationibus in hac parte inclinati, voluntatem, & ordinationem S. Franciſci, ac deſuper confectum publicum inſtrumentum huiuſmodi, necnon, prout illa concernunt, omnia, & ſingula in eis contenta, ac inde ſecuta quæcumque ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus. Diſtrictius inhibentes pro tempore exiſtentibus Generali Correctori, & Fratribus dicti Ordinis, ac eorum ſingulis ſub maioris excommunicationis, aliiſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & priuationis dignitatum, officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ in capitulo, & quibuſuis alijs actibus, necnon perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda per eorum quemlibet, ſi contrauenerint, ſeu eorum aliquis contrauenerit, incurrendis pœnis, ne de cætero, quamdiu Fratres dicti Ordinis præfatæ nationis Gallicanæ idonei reperientur, alium, quàm eiuſdem nationis Gallicæ, in Correctorem dictæ domus eligere, ſeu admittere aut electum confirmare quoquomodo audeant, vel præſumant. Ac decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon priuilegijs, indultis, & literis apoſtolicis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 25. Septembris, 1553. Pontif. noſtri anno 4. Io. Bouen. Cæterum, vt earumdem literarum tenor prædictis ſic inſertus, omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, apoſtolica auctoritate decernimus, vt illud idem robur, eamdem vim, & eumdem vigorem dictus tenor habeat, quæ haberent originales literæ ſumptæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quomodocunque, & vbicunque in iudicio, vel alibi, vbi fuerit exhibitus, vel oſtenſus: ipſique tenori firmiter ſtetur in omnibus, ſicut eiſdem originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem nullum ius de nouo cuiquam acquiri volumus, ſed antiquum tantummodò conſeruari. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 22. Febr. 1565. Pontif. noſtri anno 6. Habent ſignaturam, Alexander Riarius.*

Facultas ædificandi Conuentũ SS. Trinitatis.

41 *Alexander Papa VI. L. Concordien. Beatiſſime Pater. Nuper deuotus veſter obedientiæ filius Carolus Francorum Rex Chriſtianiſſimus cupiens Ordinem deuoti oratoris veſtri Franciſci de Paula per S. V. approbatum augmentare, quemdam locum in Monte Pincio nuncupato huius almæ veſtræ Vrbis cum quibuſdam domibus, vineis, & alijs ſuis iuribus, & pertinentijs, ſuis proprijs pecunijs emit, oratorique & Ordini præfatis locum, domos, & alia præfata, vt inibi domum, & oratorium pro ipſo oratore, & Religioſis ſuis inibi pro tempore reſidentibus conſtrueret, & ædificaret, dedit, donauit, atque conceſſit. Et vt, Pater ſancte, inibi cultus diuinus augeatur, ſupplicant humiliter S. V. tam Franciſcus orator, quam alij Fratres, et Religioſi Ordinis præfati, quatenus donationum conceſſionum et aliorum, quæ exprimi debuiſſent, tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, donationem et conceſſionem prædictam, ac, prout illas concernunt, inde ſecuta confirmare, et approbare, necnon eiſdem omnibus, vt in dicto loco, eis, vt præfertur, dato, et conceſſo, domum cum oratorio, campanili, campana, clauſtro, horto, hortalitijs et alijs neceſſarijs officinis conſtruere, erigere, et ædificare, ſeu conſtrui, erigi, et ædificari faciendi, et inibi tot eiuſdem Ordinis Religioſos, quot eis placuerit et videbitur, deputandi, et inducendi Apoſtolica auctoritate licentiam, pariter et auctoritatem concedere, et indulgere; dictamque domum, ſicut præfertur, erectam, ac omnes, et ſingulos Guardianos, ſiue Priores, Fratres et Conuerſos eiuſdem pro tempore exiſtentes, vt omnibus, et ſingulis priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, et indultis, quibus aliæ dicti Ordinis domus actiuè, et paſſiuè vtuntur, et gaudent, vti, et gaudere poſſint, & valeant decernere, atque declarare miſericorditer dignemini de gratia ſpeciali; Fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædeceſſoris veſtri, ne Mendicantium ordinum profeſſi de nouo domum, vel aliquem locum recipiant, vel alijs apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, dictique Ordinis iuramento roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque non obſtantibus quibuſcumque. Conceſſum vt petitur, in præſentia D. N. Papæ. Io. Card. Alex. et de confirmatione, approbatione, conceſſioneque, indulto, et decreto, ac declaratione præmiſſis, etiam cum abſolutione à cenſuris ad effectum, etc. et de erectione ſine præiudicio, et per Breue S. V.*

conceſſum. Io. Card. Alex. Datum Romæ apud S. Petrum nono calen. Martij, anno 3. Sumptum ex regiſtro ſupplicationum apoſtolico collationat. per me Benignum Remundum eiuſdem regiſtri Magiſtrum Collat. A. Piuceilus. locus † ſigilli. A tergo. lib. 7. fol. 260. Gratianus.

Decretum Cong. quo Galli manutenentur in poſſeſſione eligendi Correctorē Gallum.

42 *Illuſtriſſimi, & reuerendiſſimi D. M. Antonius Maffæus, Nicolaus Genouen. Iulius de S. Seuerina, Frater Felix de Monte alto, Vincentius Iuſtinianus, & Io: Hieronymus Albanus S. R. E. Cardinales reſpectiue nuncupati, & a S. D. N. ſuper negotijs Prælatorum deputati, necnon ex ſua ordinatione ſpecialiter delegati in cauſa, & cauſis motis, & propoſitis a multum R. P. F. Valentino de Maſſa Generali Ordinis Minimorum libello ſupplici, à ſua Sanctitate ad præfatam Congregationem remiſſo. Quæ cauſa inter RR. PP. FF. Andream Amodeum Zeloſum Italiæ, & Hieronymum de Capilla Zeloſum Hiſpaniæ pro ſuis, & alijs nationibus petitores ex vna, & RR. PP. FF. Simonem Bidairre Correctorem, Rolandum Gilbond Zeloſum Franciæ, cæteroſque Patres Gallos pro ſua ſola natione, degentes in monaſterio SS. Trinitatis de Vrbe defenſores, partibus ex altera, de, & ſuper electione Correctoris in dicto conuentu. Viſis, & auditis, quæ hic inde dicta, & producta ſunt, relato prius negotio S. Sanctitati, & cum eo verbo facto ſtatuerunt, declarauerunt, & ordinauerunt, præfatum conuentum in ſua poſſeſſione, vel quaſi habendi, & eligendi Gallum in Correctorem, eſſe manutenendum, manutenerique, mandauerunt, relicto nihilominus partibus iure agendi in petitorio. Et licet hoc in Congregatione ordinauerint, ac eiſdem partibus trium dictarum nationum coram hoc idem ſignificauerint: tamen pro maiori firmitate, & vt de dicta ordinatione, & ſententia fides appareat, mihi Cæſari Spetiano Congregationis dictorum Illuſtriſſimorum Cardinalium Secretario, vt publicum teſtimonium de præmiſſis conficerem, ac R. Patri Fratri Ioanni Seignoretto Correctori recenter electo, cæteriſque Patribus Gallis traderem, mandauerunt hac die 5. menſis Octobris, anni 1577. Pontificatus in Chriſto Patris D. N. D. Greg. diu. prouid. Papæ XIII. anno eius 6. Quare pro munere mihi commiſſo huic decreto manu aliena ſcripto me ſub ſcripſi, ſigillumque meum ſolitum appoſui die ſupra. Ita eſt. Cæſar Spetianus Secretarius. Locus † ſigilli.*

Memoriale, quò iubetur Datario referre.

43 Beatiſſimo Padre. *Li Religioſi dell' Ordine de Minimi della Trinità di Monte Pincio eſpongono à V. B. qualmente la Congregatione, che era de i Regolari, hauendo commeſſo al Sig. Cardinale Mondoui, per ſentire hinc inde le ragioni concernenti il priuilegio dato alla Corona Chriſtianiſſima, e natione Franceſe circa il ſudetto Conuento, eſſo Sig. Cardinale di Mondoui, con conſenſo, & autorità della medeſima Congregatione, deputò li Signori Robuſtero, e Serafino per vedere, & eſſaminare tutte le ſudette ragioni, le quali hauendo maturamente viſto, ogni coſa ſono preſti à riferire: Ma perche la ſudetta Congregatione de Regolari è adeſſo mutata per le nuoue Congregationi, che poi ſi ſono fatte, e che ſaria coſa lunga, & infinita di ricominciare ad informar la nuoua Congregatione de Regolari. Li Oratori ſuppplicano humilmente V. B. di ordinare ad eſſi Signori Robuſtero, e Serafino, che habino a riferire à V. S. o al Sig. Cardinale Prodaſano, per mano di chi ha da paſſare la ſpeditione, o all' iſteſſo Sign. Cardinale di Mondoui per darne ragguaglio a V. S. alla quale Dio dia lunghiſſima, e feliciſſima vita. A tergo verò. A noſtro Signore per li Frati Minimi della Trinita de Monti. Al Cardinal Datario, che dia relatione.*

44 Votum in controuerſia Fratrum S. Franciſci de Paula. Secundum ea, quæ proponuntur, plures ſunt deſcribendæ difficultates. Prima eſt: An Fratres nationis Gallicanę nitentes confirmatione Apoſtolica fel. recor. Iulij III. 1553. debeant verificare narratiuam de ſcriptura ordinationis, & voluntatis S. Franciſci de Paula Superioris, & generalis Correctoris, in eo, quòd conuentus, ſeu domus SS. Trinitatis in Monte Pincio Vrbis Romæ regatur, & inhabitetur per Fratres dictæ Gallicæ nationis, quamdiu inibi inuenirentur? Et poſito, ſine veri præiudicio, quòd debeant verificare dictam narratiuam, an ſatis illam verificauerint? Sum in voto, quòd ſatis ſit verificata dicta narratiua ex diligentia facta per R. P. D. Dandinum, tunc Nuncium in Francia, necnon ex pluribus circumſtantijs, & præſumptionibus, & veriſimilitudinibus cumulatis per informantes, &, ſtante reſolutione huius ſecundæ partis, omittitur prima tamquam ſuperflua.

45 Secunda, An dicti Fratres nationis Gallicanæ teneantur edere inſtrumentum emptionis loci in Monte Pincio, & ſcripturam dictæ ordinationis? Quò ad inſtrumentum emptionis ſum in voto, quò non tenentur edere; quia non releuat ad effectum, de quo agitur, & non conſtat, quòd ſit magis in manibus iſtorum Fratrum Gallorum, quàm aliorum; & idem quò ad dictam ſcripturam, quòd licèt releuet, tamen non conſtat, quòd ſit hic Romæ in manibus iſtorum Fratrum, & ipſi indicant locum in Gallia, vbi eſt repoſita.

46 Tertia, An dicta voluntas, & ordinatio Sancti Franciſci, vt dicitur, facta anno 1501. ita, & taliter ſit cōtra dictam Regulam, & Correctorium, ac priuilegium Apoſtolicum confirmationis dictæ Regulæ, & conſuetudinem dictæ Religionis, poſtea 1506. ſuperueniens, vt dici debeat fuiſſe per dictam Regulam, & Correctorium, confirmationem, & conſuetudinem illi ordinationi ſufficienter derogatum, aut ab ea legitimè receſſum? Sum in voto, quòd Regula, & Correctorium, & confirmatio Apoſtolica non contradicant dictæ voluntati, & ordinationi, nec è contra, vt ex lectura colligitur; & idem quò ad conſuetudinem; quia ex facto non præſumimus, niſi probetur; quod non reperitur mutatum, ſtare non prohibetur.

47 Quarta, An dicta confirmatio ſuffragetur nationi Gallicanæ, quò ad regimen, & habitationem in petitorio, & poſſeſſorio priuatiuè quò ad alias nationes, ita vt alij non poſſent habitare, nec gubernare, quamdiu reperiantur Galli, iuxta dictam ordinationem S. Franciſci, non obſtantibus præmiſſis, & Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 1. & cap. 22? Sum in voto, quòd ſuffragatur dictæ nationi, tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio, ac etiam priuatiuè quò ad alias nationes, ex lectura dictæ ſcripturæ multipliciter confirmatæ, & ex latè cumulatis per informantes, dummodò ceſſet dolus malus, & omnis ſimulatio, ſeu machinatio.

48 Quinta, An Vicarius generalis poſſit exercere iuriſdictionem in Conuentu SS. Trinitatis, præſertim in caſibus emergentibus inter Correctorem, & conuentum, durante abſentia ab Italia ipſius Generalis; Sum in voto, quòd non. Quia ſtatuta clarè volunt, quòd nulli ſubijciatur, niſi Generali, aut oculato Viſitatori. Quamuis in confirmatione Pauli III. dicatur de Generali, vel deputato ab eo, aut oculato Viſitatore: credo, quòd alternatiua, *Aut*, ſit ibi per errorē ſcripta, & ita eſt ſēſus, vt Generalis, vel ab eo deputatus ocularis Viſitator viſitet. Quia capitula cōtra firmata, & ibi relata, ita canūt, abſq; alia alternatiua, vt bene deducunt informantes.

49 Sexta, An liceat, & expediat, vt in his Sedes Apoſtolica aliquid ſtatuat, declarando, corrigendo, vel emēdando? Reſpondetur, quòd in his maximè eſt attendenda honeſtas, vtilitas, vel neceſſitas publica, in c. Magnæ, de voto, & ibi bene Hoſtien. & cæteri. Videndum eſt, vt in facto, an aliquid de iſtis probari poſſit: alioquin ſtandum eſt regulæ, quæ damnat ſimiles correctiones, & nouas inductiones. Ita ſentio, & iudico. Ego Chriſtophorus Epiſcopus Oriolen. eidem ſententiæ accedo. Ego Seraphinus Oliuarius Rotæ Auditor. DD. Ioannes Leobaldus Tullen. & Vincentius Bonazarius Bononien. teſtes ſuper recognitione manus R. P. D. Seraphini Oliuarij Rotæ Auditoris, & Decani inducti, & admiſſi, tactis ſcripturis, recognouerunt manum, literam, & perſonam præfati R. P. D. Seraphini in forma. Et D. Octauianus Arcatorius Ianuen. diœceſis, & D. Petrus de Montorgio Clericus Eduen. diœceſis Rotæ Notarij teſtes ſuper recognitione R. P. D. Chriſtophori Robuſterij, olim eiuſdem Rotæ Auditoris, & nunc Epiſcopi Oriolen. inducti, & admiſſi, tactis ſcripturis, recognouerunt manum, literam,

Digitized by Google

literam, & perſonam ſupradicti R. P. D. Chriſtophori Robuſterij in forma. Super quibus omnibus, & ſingulis præmiſſis fuit à me Notario publico infraſcripto vnum, vel plura, publicum, ſeu publica factum fieri, atque confici inſtrumentum, & inſtrumenta. Actum Romæ, vbi ſupra præſentibus ibidem DD. Aſcanio Manzato, & Franciſco de Romanlis Curiæ præfati Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. almæ Vrbis Vicarij Notarijs, teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis.

50 Et ego Ioannes Bartholomæus Hormezanus Vercellen. publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & in locum D. Simonis Gagnetti Curiæ Ill. & R. D. Suæ S. Vicarij Notarij publici Actuarius huiuſmodi inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui in fidem præmiſſorum rogatus, & requiſitus. Locus † ſigni. Hieronymus miſeratione diuina tit. S. Suſánæ S.R.E. Presbyter Cardinalis Ruſticuccius nuncupatus S.D.D. N. PP. Vicarius generalis. Vniuerſis fidem facimus, & atteſtamur, ſupraſcriptum Io. Bartholomæum Hormezanum, qui præſens inſtrumentum ſubſcripſit, & publicauit, eſſe fidum, & legalem Notarium, ſcripturiſque ſuis publicis, ac ſimilibus plenam fidem ſemper adhibitam eſſe, & de præſenti adhiberi indubiam. In quorum fidem, &c. datum die 29. menſis Aprilis, 1593. Locus † ſigilli.

51 Motu proprio Clemens VIII. remiſit duobus Cardinalibus poſtea anno 1604. cauſæ deciſionem per hoc diploma. *Dilectis filijs noſtris Pompeio tit. S. Balbinæ Arigonio, & Hieronymo tit. S. Blaſij de annulo Pamphilio nuncupatis Presbyteris Card. Clemens Papa VIII. Dilecti filij noſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum inter Fratres nationis Gallicanæ ex vna, & Fratres aliarum nationum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula ex altera partibus quædam controuerſia ſuper incolatu, & regimine Conuentus SS. Trinitatis de Vrbe dudum vigeat. Nos controuerſiæ huiuſmodi finem imponere, ac quieti dictorum Fratrum, vt par eſt, proſpicere cupientes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, cauſam huiuſmodi controuerſiæ à quocumque, ſeu quibuſcumque iudicibus, coram quibus forſan pendet, ad nos harum ſerie auocantes, illam cum ſuis incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali, vobis (de quorum fide prudentia, integritate, & ſcientia plurimum in Domino confidimus) per vos ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti veritate inſpecta, & manu regia audiendam, cognoſcendam, decidendam, & fine debito, omni appellatione remota, terminandam harum ſerie committimus. Cum poteſtate quos, & quibus opus fuerit, citandi, ac etiam ſub ſententijs, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis inhibendi, ac omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtylo Curiæ, & Palatij, ac eiuſdem Ordinis etiam iuramento, confirmatione, Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 22. Nouembris, 1604. Pontificatus noſtri anno tertiodecimo. M. Veſtrius Barbianus.* Qui duo Cardinales poſtea die 20. Iunij 1605. totum negotium definierunt, & ſententiauerunt, vt conſtat ex conſt. 7. Pauli V. §. 2.

52 Ex aduerſo autem Fratres Itali, & Hiſpani prętendebant, dictum Conuentum SS. Trinitatis eſſe communem toti Religioni, vt omnes alios Conuentus. Tum iure communi, quo cauetur inter Religioſos omnia eſſe communia, cap. Non dicatis, 12. quæſt. 1. Tum quia in capitulis generalibus vnanimi conſenſu ſpecificè ordinatur, vt Fratres cuiuſcumq; nationis poſſint in dicto Conuentu à Patre Generali aſſignari. Ita in c. Romano 3. n. 14. Auenion. 1. nu. 10. Tum quia conſuetudo Religionis eſt inueterata, & longa præſcriptione, & immemorabili fundata, vt omnes cuiuſcumq; nationis Fratres in hoc Conuentu habitarent, & etiam in Correctores eligerentur, vt fuerunt electi anno 1525. 1544. 1545. 1547. 1552. 1562. 1569. Quod patere dicebant ex catalogo Correctorum dicti Conuentus.

53 Ad obiecta in contrarium reſpondebant. Et primò ad emptionem factam à Rege dicebant, hoc eſſe falſum. Nam emptio præfati ſitus fuit facta à duobus mercatoribus Venetis ad inſtantiam duorum Fratrum Italorum, nimirum Iacobi de Morano, & Iacobi Publiti, alioquin monſtrari petebant inſtrumenta dictæ emptionis: Et dato, quòd ipſe Rex præfatum fundum emiſſet, nihil faciebat ad caſum; Nam poterat quidem emiſſe, & deinde liberaliter Religioni donaſſe in gratiam B. Patris abſque vlla obligatione. Ad literas Sancti Franciſci dicebant, illas eſſe falſas, & fuiſſe confictas tempore ſolùm P. F. Hugonis de Calce. Et pro hoc dicto adducebant in teſtem P. F. Gaſparum de Foſſo Archiepiſcopum Rhegynum, qui fuit noſtrę Religionis bis Generalis, vir ſanctiſſimus, vitæ, & virtutum omnium ſplendore ornatiſſimus. Addebant, quòd ſi dictæ literæ fuiſſent veræ, de illis facta eſſet aliqua mentio in proximis ſequentibus capitulis generalibus poſt mortem B. Patris. Et ſicut in cap. Toloſano, nu. 16. quod fuit Religionis tertium, ſtatuitur, quòd dictus Conuentus SS. Trinitatis de Vrbe ſub ſolius Patris Generalis ditione remaneat, & ea redditur ratio. *Quia ſic fertur fuiſſe mentem B. Franciſci*. ſi præfatæ literæ in mundo tunc extitiſſent, fuiſſent oſtenſæ, & ſimul concluſum eſſet, quòd à ſolis Gallis dictus Conuentus regeretur, & inhabitaretur, & non fuiſſet dictum, Fertur, quod eſt verbum dubitatiuum, ſed, Eſt, quod eſt verbum affirmatiuum. Et cap. Paulæ, n. 43 in quo de dictis literis fit mentio, ſolùm dicitur, quòd B. Pater declarauit in ſuis literis, voluntatem ſuam eſſe, vt dictus Conuentus SS. Trinitatis ſoli ditioni P. Generalis ſubiaceret, contra quod nunquam neque Itali, neque Hiſpani aperuerunt os. Et ſi in dictis literis fuiſſet dictus Conuentus adiudicatus, & quò ad regimen, & quò ad habitationem nationi Gallicæ, id equidem non fuiſſet prætermiſſum, cum eſſet maioris importantiæ, quàm illud. Addebant, quòd, ſi dictæ literæ erant veræ, debebant monſtrari in forma probante, nec ſufficiebat monſtrare exemplum, quantumuis authenticum, & à perſona auctoritatis factum; quia illud exemplum, ad hoc vt probaret, debebat eſſe factum parte citata. Nam potuit facilè Illuſtriſs. Nuncius in re non propria de qua nullam habebat cognitionem, decipi, & ille ſolùm exemplari fecit illas literas, quas duo Fratres Galli illi detulerunt, dicentes, eas eſſe B. P. Franciſci. Et tantò magis, aiebant, debebant monſtrari dictæ literæ originales, quantò erant contra Regulam, & Correctorium, à B. Patre tanquam vltimum ſuum teſtamentum, & voluntatem edita; in qua Regula diſponitur, quòd omnia ſint communia, & omnes ſub vno Generali viuant. Addebant, quòd, dato, & non conceſſo, quòd dictæ literæ eſſent verè B. Patris, tamen non releuabant. Quia B. Pater erat tantùm Corrector generalis totius Ordinis, & ideò non poterat, quod totius erat Religionis, vni nationi aſſignare. Tum inſpectatatione iuris communis, cap. 1. de rebus eccleſ. non alien. vel non, vbi prohibetur Prælatus terram vnius eccleſiæ vertere ad aliam, quamuis ambæ ſint in eius poteſtate. Tum inſpectis ſtatutis Religionis, Correct. numero 50. vbi prohibetur Generalis abſque conſenſu capituli bona alicuius Conuentus alienare, aut ad alium transferre. Et dato, quòd hanc adiudicationem potuiſſet B. Pater facere, non debebat tamen vniformem Religionem ſuam in charitate fundatam ſcindere, & quod omnium erat, vni adiudicare. Nam bene ſciebat ſanctiſſimus, & prudentiſſimus Pater, quantas ſciſſuras hæ ſciſſuræ pariant, & qui tantum partialitates, & diſconformitates abhorruit, vt voluerit omnes Superiores, etiam Generales, in victu, & veſtitu minimis etiam fraterculis conformari, credendum non eſt, hanc partialitatem in damnum totius ſuæ Religionis cum Gallis vſurpaſſe. Quod id non cauerit vir prophetiæ dono illuſtratus, nefas putandum. Ad confirmationem Iulij III. illam ex eo corruere dicebant. Quia, cum

ſit fundata in literis B. Patris, & emptione Regis, deſtructo fundamento, ædificium ſuperædificatum corruere neceſſe eſt, & quod non eſt, confirmari non poteſt. Et præterea hæc confirmatio confirmat quidem, quòd ſoli Fratres Galli ſint in dicto conuentu Superiores, at habitationem promiſcuam non negat. Ad conceſſionem Alexandri VI. dicebant, illam cauſæ non officere. Nam dato, quòd Rex Carolus VIII. fundum emiſſet, fundator eſſet, at per hoc non tollitur nec habitatio, nec regimen aliarum nationum. Ad decretum Congreg. Regularium dicebant, illud ſolùm loqui de manutentione dicti conuentus in poſſeſſione eligendi Gallum in Correctorem, relicto iure partibus agendi in petitorio. Ad vota illa Robuſterij, & Oliuarij dicebant, tantorum virorum doctrinam eſſe venerandam, iudicium prædicandum, ſed illorum vota non debere, nec poſſe veritati, & iuſtitiæ officere. Et tandem ad ſententiam Arigonij, & Pamphilij dicebant, illam non ſubſiſtere; Quia Itali, & Hiſpani non habebant tunc temporis Romę Procuratorem legitimũ, qui poſſet eorum rationes producere, alioquin conſtet de mã dato. Et præſertim Hiſpani nullum penitus habebant.

54 Hæc dicebant Itali, & Hiſpani pro ſuorum iurium defenſione. Sed iam omnia ceſſarunt per Dei miſericordiam, & conſtitut. 7. Pauli V. in qua imponitur partibus perpetuum ſilentium. Illud difficile videtur, quare non poſſit P. Generalis in eo conuentu Vicarium generalem conſtituere pro negotijs emergentibus. Nam hoc eſt directè contra Regulam in Correct. num. 106. & ius commune, regul. 68. Poteſt, de regul. iur. in 6. Dicere autem ne per indirectum officium Correctoris impediatur, & conſequenter mens B. Patris, & ſumm. Pontificum eludatur, non valet. Nam Vicarius generalis in emergentibus officium Correctoris non impedit, nec impedire poteſt, vt conſtat ex cap. Auenion. 2. num. 31. Sed acquieſcendum maioribus. Tum quia ſic decet, conuenit, & neceſſe eſt. Tum in gratiam Regum Chriſtianiſſimorum, qui ſemper fuerunt Patroni, & Protectores noſtræ Minimæ Religionis, illique & conuentus, & diuitias, & gratias, ac priuilegia innumera conceſſere, vt conſtat ex facto, & in parte narrat Renatus Choppinus lib. 2. monaſt. tit. 1. num. 37. & tit. 2. n. 17. Tum quia dicti Patres Galli vixerunt ſemper in illo conuentu cum odore bonæ famæ, & ſplendore regularis diſciplinæ, & ſtrictiſſima obſeruantia noſtræ ſanctæ Regulæ. Tum quia iam Itali habent Romæ tres alios conuentus, quibus commodè inhabitare poſſunt.

55 Noto 6. quòd in eadem conſt. 7. Pauli V. num. 56. reſpondebam ad quamdam obiectionem factam ad probandum, quòd cum Correctores aſſimilentur Curatis, & Curati ſint coadiutores Epiſcoporum, ita etiam Correctores erunt coadiutores Prouincialium, atque ita non poterunt quicquam Correctores facere contra ordinationem Prouincialium, & quicquid poſſunt Correctores in expendendis monaſteriorum bonis, poterunt Prouinciales. Quibus nunc addo ex Suar. tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 17. num. 23. quòd Parochi, iuxta communem vſum iuris, & modum loquendi Doctorum, non ſunt Prælati. Nam Prælati propriè dicuntur, qui iuriſdictionem ordinariam, etiam in externo foro eccleſiaſtico, habent, qua tamen carent Parochi. Sunt tamen propriè Paſtores, & ordinariam habẽt poteſtatem in oues ſibi commiſſas, vnde non poſſunt dici Vicarij, neque Officiales Epiſcoporum, nec ſunt ipſorum Epiſcoporum cauſæ inſtrumentales, ſed ſunt cauſæ proximæ principales in ſuo ordine, & ſunt domini ſuorum beneficiorum, & propriam poteſtatem, ac officium exercent, & propriam obligationem adimplent, & non tantùm alienam exequuntur. Nec refert, quòd Parochi ſint quaſi coadiutores Epiſcoporum; nam etiam Epiſcopi ſunt cooperatores Pontificis, & in partem ſollicitudinis vocati, non in plenitudinem poteſtatis, vt dicitur in cap. Qui ſe ſcit, 2. q. 6. vbi dicitur, *Qui ſe ſcit alijs eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat, aliquem ſibi eſſe prælatum.* Vnde colligitur, quòd ſicut licèt Epiſcopi ſint veri Paſtores principales in ſuo ordine, ſubſunt nihilominus ſuperiori Paſtori: Ita inferiores Paſtores ſunt in ſuo gradu proprij Paſtores, licèt Epiſcopis ſubordinati ſint. Ex qua doctrina ad noſtrum propoſitum applicata, clarè conſtat, quòd licèt Correctores aſſimilentur Parochis in hoc, quòd ſunt coadiutores (nam alioquin, cum habeant iuriſdictionem etiam in foro externo, ſunt Prælati, vt probo tom. 2. Relig. q. 1. cap. 4. num. 72.) non per hoc tamen deſinunt eſſe Superiores ordinariam poteſtatem habentes, in eaque ſe gerere tanquam cauſæ principales. Vnde ſicut non poteſt Epiſcopus curam à Curato auferre, ita nec Prouincialis Correctoriatum à Correctore; & ſicut Curatus ſuam iuriſdictionem poteſt delegare, ita & Corrector. Et ſicut ſubordinatio, quam habent Curati ad Epiſcopum, non eſt contra principalem curam in ſuo ordine, vt Suarez loc. cit. n. 22. quia etiam Epiſcopi iuriſdictio eſt aliquo modo ſubordinata Archiepiſcopo, & in naturalibus cauſa proxima principalis eſt, etiamſi ab vniuerſaliori pendeat: ita nec ſubordinatio, quam habet Corrector ad Prouincialem, facit quominus Correctoris iuriſdictio ordinaria ſit intra ſuos limites, & quin eam poſſit independenter ab eo exercere. Dependentia autem, quam habet Corrector à Prouinciali, eſt, vt illius correctioni ſubiaceat, ſi in officio delinquat: Ac etiam, vt in cauſis grauioribus, ſuadente aliqua legitima ratione, frænanti Prælato ſuperiori in aliquo caſu poteſtatem, promptè obediant.

56 Si obijcias, per ſacros canones determinari, quòd Prælatus minor, præſente maiori, iuriſdictionem non exerceat; quia hoc caſu illius iuriſdictio ceſſat, vt habetur in c. Denique, d. 12. cap. Volentes, de off. legati, cap. Antiqua, §. dominicæ, de priuil. R. quòd illi canones intelliguntur, quando minor habet iuriſdictionem à maiori, vt explicat Gloſſ. in illo cap. Denique, verb. Maiore: & clare conſtat ex dicto, c. Volentes, & c. Antiqua. Nam alioquin, quando minor non habet iuriſdictionem à maiori, quòd maiore præſente poſſit ſuam iuriſdictionem exercere, ſtatuitur in cap. Ecce ego, d. 95. & in c. Peruenit, 11. q. 1. & leg. In hac, Cod. de donat. vbi Gloſſ. verb. Prædicare, notat, minorem iudicem non debere amittere iuriſdictionem ſuam, licèt maior iudex ſit præſens; quod etiam notat Bald. ibid. n. 4. & Cynus addens ſolùm, iuriſdictionem minoris ceſſare in caſu appellationis, aut in defectu iuris.

57 Noto 7. circa conſtit. 8. Pauli V. in qua reuocantur omnes indulgentiæ Regularibus conceſſæ, & aliæ de nouo conceduntur, quòd per illam conſtitutionem nõ reuocantur indulgentiæ, quas Prædicatores regulares, finita eorum prædicatione, poſſunt populo concedere, & ſunt dierum 140. de quibus in comp. priuil. D. Hieronym. verb. Perdicator, §. 1. & 2 hæc enim indulgentia non eſt conceſſa Fratribus, ſed ſecularibus. Ita Portel in dub. regul. verb. Prædicatores, num. 9. Caſarub. verb. Indulgentiæ quò ad ſeculares 5. ſummans has indulgentias, ait, quòd Fratres Mendicantes quandocunque prædicant in ſuis domibus, quocunque die anni poſſunt concedere ſuis auditoribus 18. annos, & dies 322. indulgentiarum. Quando autem alibi prædicant, poſſunt concedere 18. annos & dies 222. Quando verò prædicant tempore quadrageſimæ in ſuis domibus, feria 2. 4. & 6. poſſunt concedere ſuis auditoribus vltra prædictas, 138. annos, & dies 202. Neque item eſt reuocata illa indulgentia centum dierum conceſſa ab Alex. IV. audientibus miſſam in eccleſijs dictorum Fratrum Mendicantium. Neque item ſunt reuocatæ indulgentiæ conceſſæ morientibus in habitu Fratrum, vel cum eo ſepeliri mandantibus, vel ipſorum habitum oſculantibus, de quibus Caſarub. loc. cit. verb. Indulgentia quò ad ſeculares 6. n. 9. Vide to. 1. priu. in conſt. 3. Sixti IV. à num. 2.

58 Aduerte etiam, quòd per dictam conſt. non eſt reuocata indulgentia 50. dierum conceſſa à Sixto V. per ſuam conſtit. Redditurі, apud Rodriq. in bull. conſt. 26.

dicti

dicti Pontificis, ſalutantibus in quocunque loco quaſcunque perſonas his verbis; *Laudetur Ieſus Chriſtus*: & reſpondentibus *in ſecula*, vel *Amen*, aut *Semper*, ſiue latino, ſiue vulgari idiomate hoc fiat. Neque etiam eſt reuocata indulgentia 25. dierum conceſſa ab eodem Papa ibid. his, qui reuerenter, ideſt capite detecto, vel inclinato, nomen Ieſu, vel Mariæ, nominauerint. Nec ſimiliter eſt reuocata indulgentia plenaria conceſſa ab eodem Pontifice ibid. ijs, qui in mortis articulo, ore, vel corde, ſi ore non potuerint, idem nomen Ieſu inuocauerint, dummodo ante habuerint conſuetudinem ſic ſalutandi. Hæ, inquam, indulgentiæ non ſunt reuocatæ; nam mens Pauli V. fuit ſolùm reuocare indulgentias conceſſas Fratribus: iſtæ autem conceſſæ ſunt omnibus Chriſti fidelibus, inter quos etiam Regulares connumerari debent.

59 Aduerte etiam, quòd idem Pontifex Paulus V. non obſtante hac indulgentiarum correctione, ac reformatione, anno 1608. die 28. Iunij, inſtante Fratre Ludouico à S. Euangeliſta Commiſſario generali Familiæ vltramontanæ Ordinis Minorum, conceſſit Fratribus recitantibus coronam B. M. V. quæ conſtat ex 72. Aue Maria, & ſeptem Pater noſter, addito in fine vno Pater noſter, & vna Aue Maria pro anima ipſius Pontificis, indulgentiam plenariam. De qua conceſſione extat publicum monimentum impreſſum Romæ anno 1609. die 19. Ianuarij. Ita teſtatur Reſighinus in ſuo templo Salomonis, cap. 26. fine; & Roderic. in reſol. regul. reſol. 77. num. 45.

60 Aduerte etiam, quod Vrbanus VIII. conceſſit Fratribus quæſtuantibus pro amore Dei, quolibet die, quo id fecerint, indulgentiam 40. dierum. Et item renouauit, quòd poſſint ab excommunicatis eleemoſynam petere. Ita refertur in conſtitutionibus Vrbanis Fratrum Minorum Conuentualium, cap. 6. tit. 8. num. 3.

61 Noto 8. quòd in conſt. 9. Pauli V. num 10. dicebam, neminem poſſe apud ſe libros hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos retinere, & quomodò poſſent hos tenere Religioſi. Hic aduerte, quòd libri hæreticorum reperti apud aliquem, reddunt illum de hæreſi ſuſpectum immò plenam faciunt probationem, illum eſſe hæreticum. Io. Andr. in cap. Filij, vel hæred. de hæret. in 6. nu. Graff. p. 1. deciſ. lib. 4. cap. 18. nu. 48. cap. Si fortè, cap. Sanc, 22. qu. 4. Si tamen reperiantur apud virum doctum, ſyncerum, & nullatenus de hæreſi ſuſpectum, excuſatur ille à ſuſpicione hæreſis, cap. Damnamus, de ſumm. Trinit. §. in nullo. Ita Menoch. de arbitr. caſu 374. num. 12. Nec cenſetur ſuſpectus de hæreſi ille, apud quem reperirẽtur libri, ipſo ignorante, vel tales libros habere, vel eos eſſe hæreticos. Ita Riccius p. 1. praxis, deciſ. 675. num. 5. Duæ ergo requiruntur conditiones, vt ille, apud quem reperiuntur dicti libri, ſit ſuſpectus de hæreſi. Prima, ſcientia librorum, ideſt, quòd ſciat, ſe tales libros habere. Secunda, quòd præfati libri ſint damnati pro hæreticis, & quòd illos habens de tali damnatione notitiam habeat. Graff. tom. 2. conſil. de hæret. conſil. 2. num. 6.

62 Sed quid de illo, apud quem reperirentur ſcripta? Nauarr. lib. 5. conſil. de hæret. conſil. 6. ad hoc propoſitum multa dicit. Et primò num. 1. ait, quòd ſcriptura priuata, aliena manu ſcripta, ſine teſtibus, niſi ab illo fuerit ſubſcripta propria manu, ei nocere ne quicquam poteſt; cap. 1. & 2. de fide inſtrum. II. num. 2. ait, quòd nemo eſt accuſandus, nec arguendus, eo quòd hoc, vel illud ſcripſerit, etiam ſua manu, in chartulis, & commentatiolis imperfectis, indigeſtis, & inemendatis, quibus manus extrema non ſit adhibita; Tum quia illa, quibus aliquid addendum remanet, habentur pro non ſcriptis. Tum quia ſcriptori licet ſcripta ſua corrigere, & negare, ſe ita ſenſiſſe ac in eis continetur, donec ediderit perfecta, vt ita feciſſe refert num. 3. Sotum. Tum quia multa notamus, ne memoria excidant, quæ attente conſiderantes deinde caſſamus, quod Auguſtinum ipſum feciſſe dicit. Tum quia nemo, quantumuis accuratus, poteſt prima vice ita ſcribere, vt lima deinde non ſit ampliùs opus. III. ait num. 5. quòd ea, quæ ita ſunt ſcripta, vt nequeant intelligi, pro non ſcriptis habentur, iuxta legem 2. ff. de his, quæ pro non ſcript. hab. IV. ait num. 6. quòd oratio dubia, & ambigua, intelligenda eſt in eo ſenſu, quem ei dat, qui illam protulit, iuxta leg. In ambiguis, de regul. iur. Item accipienda eſt in eo ſenſu, qui magis prodeſt proferenti, leg. Si quis intentione, ff. de iud. V. ait num. 7. quòd verba, quæ in vno ſenſu denotant delictum, & in alio non, intelligenda ſunt in eo ſenſu, quo non dicatur proferens deliquiſſe; nam dubia ſemper in meliorem partem interpretanda ſunt, cap. Eſtote miſericordes, de regul. iur. VI. ait num. 7. quòd cum aliqua oratio eſt ambigua, & dubia, & multis modis intelligibilis, ille ſenſus eſt probandus, cui antecedentia, & conſequentia verba magis conſonant, iuxta regulam Auguſt. 3. de doctr. chriſt. cap. 2. vbi ait. *Cum ambiguitas occurrit, textus ipſe ſermonis à præcedentibus, & conſequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio poſuerunt, reſtat conſulendus*. VII. ait num. 11. quòd non ſolùm pars vnius ſcripturæ per aliam partem eiuſdem declaratur, ſed etiam per alias ſcripturas omnino ab eo ſeparatas, iuxta regulam eiuſdem Aug. loc. cit. cap. 26. vbi ait; *Quod vbi verba Scripturæ in vno loco apertius ponuntur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris*. VIII. ait num. 12. quòd verba intelligi debent ſecundùm id, ad quod principaliter proferuntur, & ſcribuntur, cap. fin. de verb. ſignif. IX. ait num. 14. quòd excuſandus eſt quilibet operis ſcriptor, ſi in eius editione proteſtatus eſt, ſe illud ſacroſanctæ Eccleſiæ iudicio, & cenſuræ ſubmittere, c. Damnamus, §. in nullo, de ſumm. Trin. quæ tamen proteſtatio ſolùm valet in his, quæ quis explicitè credere non tenetur, vt declarat Eymericus in direct. Inquiſ. p. 1. q. 12. nu. 12. & 13. vbi Pegna com. 26. qui obſeruat, quòd cum ſæpe dubitetur, an aliquis etiam literatus ſcire aliqua teneatur, cum ſint quædam ad fidem ſpectantia adeò difficilia, & obſcura, vt etiam doctos interdum lateant, planè ſi in iis labatur vir literatus, multum ſibi proderit præcedens proteſtatio, quia ignorantia potiùs, quàm animi malitia lapſus cenſeri debet.

63 Aduerte hic vnum pro librorum cenſoribus, quòd his maxima eſt vtendum prudentia in libris corrigendis, ne nimis ſcrupuloſi ſint in propoſitionibus, quæ bonum ſenſum habere poſſunt, cenſurandis. Nam aliquando ſuſpenduntur aliqui libri, ex quorum ſuſpenſione maius malum oritur, quàm ſi permitterentur. Nitimur enim naturaliter ſemper in vetitum, magiſque negatum cupimus, quàm conceſſum, vnde curioſi magis ſtudent vetitos, quàm conceſſos libros legere, & multi libri ſuſpenſi maiori pollent auctoritate apud hos curioſos floccifacientes conſcientiam ſuam, quàm vnquam polluiſſent, niſi fuiſſent ſuſpenſi. *Nam punitis ingenijs gliſcit auctoritas*, aiebat Tacitus 4. annalium.

64 Aduerte quòd Vrbanus VIII fecit ſtatutum, quòd habitantes in ſtatu eccleſiaſtico non poſſint extra illum libros imprimere abſque facultate Vicarij Papæ, & Magiſtri Sacri Palatij. Hoc decretum refertur tom. 4. bull. pag. 337. & ſic habet.

Feria 5. die 18. Septembris 1625.

In generali Congregatione S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D.D. S. R. E. Cardinalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. pro debito ſui paſtoralis officij corrigere volens abuſus nonnullorum in ſtatu Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiecto exiſtentium, qui libros à ſe cōpoſitos extra præfatum ſtatum abſq; vlla Ordinariorum, & Inquiſitorum loci, vbi degunt, approbatione, imprimendos tranſmittunt. Statuit,

tuit,& decreuit,vt impoſterum nemo in ſtatu prædicto degens,cuiuſuis conditionis, gradus,ordinis, & dignitatis exiſtat,libros de quauis materia tractantes,& vbicumq; compoſitos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos ſine expreſſa in ſcriptis approbatione Illuſtriſſimi,& Reuerendiſſimi D.Cardinalis S.D.N.Vicarij,& Magiſtri ſacri Palatij,ſi in Vrbe; ſi verò extra Vrbem exiſtat, ſine Ordinarij, & Inquiſitoris loci illius, ſiue ab ijs deputatorum facultate, & licentia, operi præfigenda.

§. ſecundus,Libros autem,quos contra præſentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio ſuæ Sanctitatis infligendas, abſque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expreſsè prohibitis haberi vult, & mandat, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus,&c.Io. Antonius Thomaſius Sanctæ Romanæ vniuerſalis Inquiſitionis Not.

65 Aduerte etiam,quòd in eadem conſt.num. 29. dicebam,quòd Regulares pœnitentiati à S.Officio erant inhabiles ad dignitates, etiamſi pœnitentias compleuiſſent. Nam hoc eſt ſpeciale in crimine hæreſis, propter quod puniuntur, qui ab illo officio puniuntur, vt etiam purgatus poſt purgationem remaneat ſuſpectus,vt notant Panor.in cap.Teſtimonium,n.2. de teſt. vbi Felin. num. 22. & condemnatus ex cauſa criminis publici,quale eſt hæreſis,cap.ius publicum,d. 1. remanet infamis etiam poſt pœnitentiam ſolutam, ca. Infames,§.Porro,3.q.7. infamis autem dignitates conſequi non poteſt,reg.87.Infamibus de reg.iur.in 6.Farin.p. 1. praxis crim. tit. de delictis, & pœnis. q. 23. num. 526.

Caput Vndecimum de addendis ad Conſtitutionem Gregorij XV.

1 NOto 1.quòd in conſtit.2.Gregor.XV.de exem. priuil.poſui quaſdam declarationes ſuper illa factas à ſacra Congr.Concilij,poſt quas exijt alia declaratio, quæ ſic habet. *Quæritur, an poſita dicta conſtit. Regularis abſque legitima licentia accedens ad monaſterium Monialium Regularibus ſubiectarum, ibique in loco colloquijs deſtinato cum Moniali colloquens, à Diœceſano Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato,coerceri, & puniri poſſit? Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum,cenſuit,poſſe; quam Congregationis ſententiam S.D.N. Vrbanus VIII. ad ſe relatam approbauit. Coſinus Cardinalis de Torres. Proſper Fagnanus S. Congr. Secr. Eſt impreſſa Romæ in Typographia Cameræ Apoſtolicæ, anno 1624.*

2 Nota II.quòd in conſt.3.Greg.XV.nu. 3. dicebam, quòd Cardinalibus in præiudicium tertij non erat credendum; quod præter DD. quos ibi affero, docent Vantius in tract.de nullit.§. de nullitate ex defectu iuriſd.nu.17.Riccius 2.p.praxis,reſol.426.nu.4.verſ.In reliquis autem. Et aduerte,ne erres in titulis, quòd Cardinales non vocantur amplius Illuſtriſſimi, nec Dominationes Illuſtriſſimæ, ſed Eminentiſſimi, & Eminentiæ, quo titulo vti ſolùm poſſunt eccleſiaſtici electores Romani Imperij, & magnus Magiſter hoſpitalis Ieroſolymitani;nec Cardinales poſſunt agere cum eo(Regibus exceptis) qui illis hunc titulum nollet dare, nec eius literas recipere. Cæteri autem eccleſiaſtici quicumque, quacumque auctoritate fulgentes, non poſſunt dictum titulum ſibi vſurpare,ſub pœna Pontificiæ indignationis,& priuationis beneficiorum, ac dignitatum,& inhabilitatis ad alias dignitates, &c. ſuper quarum rerum perpetua, & inuiolabili obſeruatione omnes Cardinales,tactis ſacroſanctis Euangelijs, iurauere. Ita ſtatutum eſt in Conſiſtorio anno 1630. die 10. Iunij à S.D. N. Vrbano Papa VIII.

3 Noto III circa conſt.4.Gregor.XV.quòd num.2.decebam, confeſſarium illum dici ſollicitatorem fœminarum,qui eas occaſiones confeſſionis ſollicitaret. Putat etiam Riccius 3.p.praxis,reſolut. 65. num. 3. etiam dici,& eſſe ſollicitatorem,qui ſollicitate mandat; nam ille dicitur facere,qui facere iubet,leg.Manumiſſiones, ff. de inſt. & iur. & Is damnum dat,qui iubet damnum dare; leg.Is damnum,ff. de reg. iur. & Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati; dicta leg. Manumiſſiones,& Qui per alium facit,per ſe ipſum facere videtur; regul.72.Qui facit,de reg.iur. in 6. Sed non puto comprehendi mandantem. Nam In pœnis non eſt facienda extenſio, regul. 49. In pœnis, de regul. iur. in 6. & Odia reſtringenda ſunt,reg. 15. Odia, de reg. iur. eod. lib. Si enim Papa voluiſſet comprehendere mandantem,vtiq;dixiſſet,vt conſtat ex multis conſtitutionibus; & præſertim ex bulla Cœnæ. Cùm ergo non exprimat,verba legis ſunt ad vnguem obſeruanda; leg.1.§. Is, qui nauem, ff. de exercit. act. Nec eſt eadem ratio hoc caſu in mandante, ac in exequente. Nam pone quòd mandans ſit ſecularis, certè is non poteſt facere id, quod confeſſarius, vnde non poteſt in his eſſe eadem ratio. Imò addo, quòd ſi ſecularis ſe occultet in confeſſionario, & ſollicitet ibi mulierem accedentem cauſa confeſſionis,non incurret meo videri pœnas huius bullæ; Nam hæ pœnæ præcisè inflictæ ſunt contra ſacerdotes confeſſarios; ſecularis autem confeſſarius non eſt,neque ſacerdos. Atque ita Caſtr.tractat. 4. diſp. 9.p.9.num.5.Diana tract.4.var.reſol. 15. quem vide pro his punctis in reſol.ſequent.& Portel in dub. reg. verb. Sollicitare,num. 14. qui addit, idem eſſe dicendum de Clerico,vel Regulari non ſacerdote,vel ſacerdote,quidem, ſed non admiſſo ad confeſſiones audiendas. De confeſſario verò iuriſdictione carente, vel quia eſt nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percuſſor, dicit Portel loc.cit.num.13. quòd ſiue bona fide id faciat,credens ſe iuriſdictionem habere, ſiue mala, ſciens non habere; ſi in confeſſione ſollicitat, non incurrit has pœnas. Quia iuxta doctrinam Suarez lib. 5. de leg.cap.34.nu. 9. & 10.qui facit,vel prætendit facere actum nullum,non incurrit pœnam legis. Sed iſta doctrina huic caſui applicari non poteſt. Nam non eſt neceſſe ad incurrendas has pœnas quòd confeſſarius confeſſionem audiat, ſed ſufficit, quòd in loco ſolito confeſſiones audire ſollicitet;& lex hic intendit punire illum,qui potens porrigere remedium, porrigit venenum,& potens dare panem, dat ſcorpionem; & confeſſarius excommunicatus, & conſequenter iuriſdictione priuatus,confeſſarius eſt, cum ſit ſacerdos poteſtatem ordinis habens,& poſſit à venialibus, & mortalibus iam confeſſis abſoluere; & alioquin qui ſollicitaret mulierem habentem caſum reſeruatum cum excommunicatione, à qua non poteſt eam abſoluere, non deberet dici has pœnas incurrere, quod nemo dicet. Nam aliàs larga aperiretur via ad has pœnas fugiendas, & hanc conſtitutionem eludendam. Vnde licèt effectus non ſequatur, quia ſcilicet mulier ſollicitationi non conſentit, ſollicitans tamen eaſdem pœnas incurrit. Nam bulla ait, *qui ſollicitare, aut prouocare tentauerint*. Et ita Caſtr. cit. nu. 1.

4 Aduerte,quòd in eadem conſt.nu.5. dicebam,quòd ad dictum vnius mulieris malæ famæ non debebat confeſſarius carcerari. Quod deinde fuit decretatum Romæ in S. tribunali Inquiſitionis,vt conſtat ex literis Cardinalis Millini datis Vicario generali Archiepiſcopatus Genuenſis,anno 1627. die 17.Iulij ſub his verbis. *Molto R. Sig. Acciò più fondatamente ſi proceda contro li ſollicitanti in confeſsione, queſta ſuprema Congregatione ordina,che per il detto di vna ſola donna,V. S. non faccia conſtituire, ò carcerare il preteſo reo, ſenza darne prima quà auuiſo con la relatione della qualità della donna,del denunciante,e del denunciato,& all' hora à V.S.ſarà ſignificato, ſe debba ò non procedere à conſtituirlo,e carcerarlo, & tanto ella eſeguirà. Si compiacerà poi notificare queſt' ordine alli Veſcoui con' prouinciali, acciò anch' eſsi lo eſeguiſchino. Mentre io dal Sig. Iddio gli prego ogni bene. Roma 17. Iulij, 1627. Come fratello, il Cardinal Millino.*

5 Et aduerte etiam, quòd in eadem conſt. à num. 28. dixi,poſſe dari aliquas cauſas,propter quas mulier ſollicitata poterat excuſari à denunciando ſollicitantem.

Quod

Quod etiam dixit Portel in addit.ad dub.reg.verb.Sollicitare,à numer. 18. qui numer. 20. aduertit,quod hoc vitium correctionem fraternam admittit (quod ego probaueram numer.26.) & conſulit fœminas,vt in hoc caſu, antequam denunciationem faciant, conſulant viros doctos, & pios, qui iudicent de obligatione denunciationis.Et quòd hoc delictum correctionem fraternam admittat,docent Caſtr.tract.4.diſput.9.p.10. nu. 2. apud quem Fagundez.

6 Aduerte,quòd confeſſarius ſollicitans pœnitentem ad actus ſolum venialiter inhoneſtos, tangendo manum,vel mammillas,aut genas fœminæ, digitos intorquendo,vellicando, ob ſolam delectationem, abſque vlteriori fine, vel periculo pollutionis, quæ in genere caſtitatis ſunt peccata venialia,vt docet Sanchez lib. 9. de matrim.diſp.46.nu.16.denunciandus,non eſt Inquiſitoribus,quando pœnitens intelligit,ſacerdotem nullo modo habere animum vlteriùs procedendi, & abſit periculum pœnitenti conſentiendi in aliquod graue crimen.Conſtat,quia conſtitutio Greg. ſolùm intendit prohibere actus mortaliter malos, vnde vocat confeſſores ſollicitantes infernales medicos, veneficos, & proditores execrabiles.Ita Caſtr.tract.4.diſp.9.p. 3. nu. 3. Sed hæc doctrina mihi non placet, nec in praxi ſeruari debet, cum aperiat viam ad fugiendas pœnas huius conſt. nam poteſt confeſſarius fingere non habere animum vlteriùs progrediendi, & verbis id manifeſtare, ſed in effectu ardenter illum affectare, & paulatim ſic procedere ad videndum, an pœnitens inclinet, & deſcendat cum ipſo in actum, quem animum pœnitens cognoſcere non poteſt. Quare puto,quod confeſſarius ſollicitans in confeſſione ad dictos actus, etiam abſtrahendo a grauitate culpæ, quam poſſent recipere ratione loci,ſit denunciandus,propter euidentiſſimum periculum,cui exponit ſe,& pœnitentem conſentiendi in actum lethaliter malum, quam facillimè enim accenditur concupiſcentiæ ignis,obiecto præſente, quid ſi in illum inſuffles dictis actibus? Non enim credo viris, quantumuis pijs cum dicunt ſe ex mulierum aſpectu,colloquio,& congreſſu non vri, cuius incredulitatis auctorem habeo Baſil.in conſt.monaſt.cap.4.vbi ait. *Si quis dicat, ex aſsiduo ſe cum mulieribus colloquio, congreſſuqꝫ & conuictu non admodum lædi, hic ſine dubio aut maris natura particeps non eſt, et portentum eſt quoddam inſolentiſsimum, & præter omnium opinionem admirabile, & in vtriuſqꝫ ſexus, vt ita dicam, confinijs poſitum: Aut certè,ſi expers non eſt,cum totus immerſus libidinibus obruatur, ebrijs, aut phrenitide correptis ſimilem ſe eſſe non ſentit,qui grauiſsimis affecti morbis, morbum a ſe tamen abeſſe omnem exiſtimant.*

7 Aduerte etiam, quòd confeſſarius dans pœnitenti epiſtolam ſigillatam,in qua eam ſollicitat ad venerem, ante, vel poſt immediatè confeſſionem, legendam tamen ſolùm poſt regreſſum in domum, ſeu exitum ab eccleſia.non videtur denunciandus. Tum quia non ſollicitatur pœnitens in confeſſione,nec immediatè poſt, ſed poſt multum temporis. Tum quia pœnitens per receptionem iſtius epiſtolæ non implicatur maioribus peccatis,nec bibit pro medicina venenum,qui eſt finis huius conſt.Ita Caſtr.loc.cit.p.4 nu.2.Sed vere hic ſollicitator eſt,& denunciandus cum in conſt.Greg. XV. §. 5. dicatur,quòd denunciandus eſt, qui occaſione confeſſionis ſollicitare tentauerit ad inhoneſta.

8 Aduerte etiam, quòd non eſt denunciandus confeſſarius, qui ſollicitatus à pœnitente ad copulam, renuit,contentus oblectari tactibus,&ad illos ſolù fœminam prouocans. Nam iſte non dicitur ſollicitator, ſed ſolùm in parte ſollicitationi conſentiens. Ita Caſtr.tra. 4.diſp.9.p.5.num. 4. contra Ioannem Sancium contrarium ſentientem.

9 Aduerte etiam,quòd in dicta conſtitutione Gregorij XV. prohibetur ſollicitatio ante, vel poſt confeſſionem immediatè.Hæc autem talis dicitur,quando inter ſollicitationem,& confeſſionem nihil aliud mediat, ita vt neque confeſſarius, neque pœnitens ad extraneos actus voluntariè, & cum mora ſufficienti diuerterint. Ita Io.Sancius diſp.11.num.49.Vnde,vt ante confeſſionem ſollicitare dicatur confeſſarius, non eſt neceſſe, quòd confeſſio ſequatur,ſed ſufficit, ſi pœnitenti accedenti ad confeſſionem, actus inhoneſtos perſuadeat; porrigit enim tunc pro medicina venenum. Si autem pœnitens nollet ſtatim confiteri, ſed diceret confeſſario ſe velle confiteri in craſtinum, & tunc occaſionis huius dicti confeſſarius confeſſionem diſſuadeat, & de venereis tractet, talis ſollicitatio non eſt proxima confeſſioni faciendæ, ſed ſolùm eſt proxima conuentioni de confeſſione, ac proinde non delinquit in confeſſione,nec proximè ad illam,& ſic non eſt denunciandus. Si autem pęnitenti volenti ſtatim confiteri confeſſionem diſſuadeat, animo eam poſtea alliciendi ad actus impudicos,an ſit denunciandus, dubitari poteſt. Sancius lo.ci.ex quo Caſt.tract.4.diſp.9.p.7.n.6. putat,quòd ſi animus non manifeſtatur pęnitenti neque verbis,neque factis,non eſt denunciandus,ſecus autem,ſi manifeſtatur; quia illa diſſuaſio ſic declarata eſt vera inductio, & prouocatio ad peccatum. Si enim diſſuadens confeſſionem,diceres pænitenti, te illius amore captum,ideoque nolle eam confiteri, verè ſollicitares.

10 Noto quartò,quòd circa conſt. 5. eiuſdem Gregorij, quæ Conſeruatorum Regularium formam, & facultatem decreuit, ibi multa dixi, quibus hæc paucula nunc addenda exiſtimaui.Et primum,quòd Conſeruator non poteſt cognoſcere niſi de notorijs iniurijs,vnde priùs debet pronunciare, delictum eſſe notorium. Quod adeò verum eſt, vt ſi per teſtes probetur, iniuriam eſſe commiſſam, ſed non probetur, quòd fuerit notoria, eiuſmodi probatio parti non nocebit. Innoc. in cap. Statuimus, num. 6. de offic. deleg. in 6. Et licèt Conſeruator poſſit inquirere de occultis circumſtantijs,quæ ſunt acceſſoriæ notorio, non tamen poteſt inquirere de occulto facto,ſeu de occultis perſonis, quæ ſunt principalia.Innoc.loc.cit. Vnde fit,vt ſi is,qui iniuriam fecit, confitetur quidem illam, ſed notoriam neget, Conſeruator contra illum procedere poſſit, nam quamuis id non ſit notorium facti euidentia,eſt tamen notorium per confeſſionem partis; c.Veſtra,de cohab. cler.& mulier.Innoc.loc.cit.vbi ſubdit,quomodò teſtes dicere debeant,vt notorium probari poſſit, nimirum, Scio factum eſſe notorium,quia interfui,& vidi, quando publicè in platea multis præſentibus fecit illud.Vel, Ego quidem non vidi quando fecit maleficium,ſed vidi, quòd ductus fuit coram iudice, & interrogatus de maleficio non negauit,vel confeſſus fuit, quod ſic publicè fecerat.Vel ſi dicat,Audiui eum dicentem coram multis,ſe tale maleficium feciſſe. Vel,Vidi eum fugientem poſt tale perpetratum maleficium. Quod ſi delinquens delictum non fateatur, neque neget, ſed ſolùm,ad vitandum Conſeruatoris iudicium,dicat, iniuriam notoriam ſe parti non feciſſe, eo caſu poterit Conſeruator ſuper hoc ſummariè per viam inquiſitionis procedere,& pronunciare; Gloſſ.in cap.1. de offic. deleg.in 6.verb.Conſeruatores,Chokier de exempt. p. 1.q.39.n.25. Si verò iniurians factum quidem fateatur, non tamen per iniuriam,ſed iure, & benefactum aſſerat, hoc caſu Conſeruator iudicialem habebit indaginem, ſi non ex vi huius conſt. & iuris communis; ſaltem ex conſenſu partium. Ita Innoc.in cap.1.de off.deleg. in 6. num. 7. vbi Gloſſa verb. Conſeruatores.

11 Aduerte,quod Conſeruator,cum non habeat certum tribunal, poteſt locum electum ad ius dicendum intra fines ſuæ diœceſis, ad ſuum beneplacitum mutare,Chokier de Conſer.eccleſ. p. 2. qu. 9. num. 2. Vide Anchar. in cap. ſtatutum §. In nullo num. 1. de reſcrip. in 6.

12 Aduerte etiam, quòd poſſunt Conſeruatores pœnis cenſurarum cohibere Ordinarium exercentem iuriſdictionem ſuam in Regulares,cap. Si iudex,de ſent. excom.in 6.Chokier de exemp.p.1.qu.39.nu.27.vbi addit, dictos exercentes iuriſdictionem ſuam in exemptos incurrere in excom. bullæ Cœnæ contra ſcienter

vſur-

Digitized by Google

vſurpantes,& turbantes iuriſdictionem S.R.Eccleſiæ; quod fuſiùs probat p.2.de Conſer.eccleſ.qu. 78. & 4. p. de exempt. qu. 75. vbi addit num. 7. quòd non ſolùm incurrunt dictam excom.bullæ Cœnæ vſurpantes præfatam iuriſdictionem, & eos defendentes, ſed etiam eos, qui eam ſecum vſurpari, & ſe coram alio, quam pontificali iudice, in ius trahi voluntariè patiuntur; cum enim non trahantur inuiti,conſilium, & fauorem præſtare videntur.Quod etiam docet Nau.lib.1.conſil. de conſt.num. 81. Aduerte autem,quòd ſi Conſeruator excommunicet contumacem,quem ex poſt facto conſtar fuiſſe iniuriatorem, ſed non manifeſtum, excommunicatio non ſubſiſtit.Innoc.in cap.1. de offic. deleg. in 6.nu.2. verſ.Sed quæres. Aduerte etiam, quòd Conſeruator poteſt ad executioni mandandas ſuas ſententias,brachium ſeculares implorare,ſeu familiam poteſtatis,vel Epiſcopi petere;nam alioquin poſſet eius auctoritas contemni.Ita Chokier de exempt.4.p.qu. 111. à num. 16. & iudex ſecularis tenetur ſuum brachium tribuere,iuxta dicta ſupra,c 6.à n. 3. Vnde etiam ſequitur, quòd poſſint Conſeruatores delinquentes incarcerare,adq; carceres damnare; habent enim merum imperium, & facultatem quaſi ordinaria. Chokier de Conſeruat.eccleſ.qu.97.nu. 4. cum autem carceres non habeant, poterunt vti carceribus Epiſcopi, vel poteſtatis ſecularis, iuxta ea, quæ dixi de brachio ſeculari loc. cit.

13 Aduerte etiam, quòd Conſeruatores non poſſunt date licentiam extrahendi quempiam ex loco ſacro, etiam in caſibus, in quibus immunitas eccleſiaſtica non ſuffragatur; nam id ad ſolos Epiſcopos, vel eius Officialem priuatiuè quò ad alios ſpectat,vt conſtat ex conſt. Cum aliàs Gregor. XIV. quam refert Rodriq. tom.2.qu.regul.qu.50.ar.3. quem vide pro praxi,quando aliquis malefactor confugit ad eccleſias Regularium,& Curia ſecularis vult illum capere. Et qui gaudeant immunitate eccleſiaſtica, & qui non vide apud Chokier de exem.p.4.qu.65.à n.2.Poſſunt tamen Conſeruatores procedere aduersùs eos, qui confugientes ad eccleſias Regularium violenter extrahunt.Nam iſti ſunt ipſo facto excommunicati,per ea, quæ tradit Rodriq.loc.cit.ar.2.Chokier de Conſer. eccleſ. p. 2. quæſt. 31.nu.1.& faciunt violentiam,& iniuriam manifeſtam. Non tamen incurrent hanc excommunicationem iudices ſeculares, qui volentes inquirere, an malefactores,quos quærunt,ſint in eccleſijs, vel monaſterijs Regularium,effringerent portas eccleſiæ,vel monaſterij,ſi nollent Religioſi eas aperire. Nam, cum ius habeant inquirendi,an ibi ſint tales malefactores,habent etiam ius ad omnia, quæ huiuſmodi inquiſitionem impediunt.Ita Rodriq.loc.cit. art. 2. verſ. Ex dictis infertur. Chokier loc. cit. num. 2. Aduertit etiam Rodriq. verſ. Quartò,quòd abſoluere ab iſta excommunicatione incurſa propter dictam violentiam, poſſunt in foro conſcientiæ Prælati Ordinis,cui violentia eſt facta, in foro verò fori pertinet ad Papam, vel ad Conſeruatorem, vt conſtat ex ijs, quæ dictus Rodriquez dicit in princ. præfati t. ar.Et aduerte etiam vniuerſaliter,quòd Conſeruatores poſſunt à cenſuris à ſe latis abſoluere, cap. Paſtoralis,§.Præterea de offic. ordin. cap. Prudentiam, §. fin. de offic. deleg. Chokier de Conſer. eccleſ. qu. 21.num. 1.

14 Aduerte etiam, quòd Conſeruatores non poſſunt exigere ſalarium; cap.fin.§.Circa munera,de offic. deleg.in 6.cap.Statutum,§.Inſuper,de reſcrip.eod.lib. expenſas tamen,quæ extra domicilium coguntur facere, poſſunt exigere, in quibus non tenebuntur deducere eas,quas domi eam facturi,dicto §. Inſuper. Chokier de Conſer.eccleſ.p. 2. qu. 13. num. 1. qui addit,quòd ſi adeſſet conſuetudo(nam ius obſtat,cap.Cum ab omni, de vit.& hon.cler.& dict.§. Inſuper,iuncta Gloſſ. verb. Qualitercunque) poſſent exigere ſportulas moderatas. Munera autem nullo modo accipere poſſunt,& ſi recipiant,tenentur reſtituere;poſſunt tamen recipere eſculenta,& poculenta,quæ paucis diebus (ideſt tribus, vt Menoch.de arbitr.caſ. 517. nu. 9. vel relinque arbitrio boni viri,conſiderantis perſonas recipientium, & dantium,& cauſæ qualitatem,iuxta Gloſſ.in dicto §. Inſuper,verb.Paucis)conſumi poſſint,dicto ca. Statutum,§. Inſuper. Hæc tamen eſculenta,neque omnino,neque ſemper, neque ab omnibus accipienda ſunt, leg. Soleni,ff. de offic. proconſul. Aſſeſſores autem,& notarij Conſeruatoris ſalaria moderata, iuxta cauſæ qualitatem,exigere poſſunt; cap.Statutum.§.Aſſeſſorem,& §. Notarium, de reſcrip. in 6. Vide Chokier de Conſer. eccleſ. qu. 14. & 15.

15 Si quæras, quid? quando duarum Religionum Fratres ſibi inuicem notoriè iniurias faciunt, & ſic ſingulæ ad ſuos Conſeruatores recurrunt, obtinentque aduersùs ſe inuicem inhibitiones,& cenſuras. ℞. quòd hoc caſu locus erit præuentioni, vt ille tantùm procedat,qui prior fuit aditus,& præuentus; leg.vnica,ff. de off.conſul.cap.Cum plures,de offic. deleg. in 6. iuncta Gloſſ.in ſum.& marginali ad verbum Recuſaret,Chokier de Conſer.eccleſ.qu.11.nu. 5. Ne ſe tamen mutuò impediant,ſatius erit Romam recurrere, Mandoſ. de ſign.grat.tit.Conſeruatoria,verſ.An autem circa,Chokier de exempt.p.1.qu. 39. num. 16. Vel etiam poſſunt eligi arbitri,qui quæſtionem iuriſdictionis decernant, ca.Paſtoralis,ca.Cum contingat,de reſcrip. & inſinuatur in conſt. 5. Greg. XV. §. 7. tom. 2. noſtr. priu.

16 Sed quid, ſi Conſeruator excedat terminos ſuæ iuriſdictionis? ℞. quòd ſi excedat contra iudicem eccleſiaſticum,poterit hic ſuam iuriſdictionem cenſuris tueri;cap.Dilecto,de ſent.excom.in 6.cap. Ex parte,el primo, de verb. ſignif. eo enim caſu officij ſui cancellos prætergrediens habendus eſt tanquam priuatus. Nau. in cap.Cum contingat,de reſcript.remed.4. nu. 2. verſ. Quintò quòd,Chokier de exempt.p.1.qu. 39. nu. 35. Si verò excedat contra iudicem laicum, poterit hic ſuam iuriſdictionem tueri,dictum Conſeruatorem puniendo congruis pœnis. Nam iudici permittitur iuriſdictionem ſuam defendere, dicto cap. Dilecto, de ſent. exc.& dicto cap.Ex parte,de verb.ſignif. Ita Caſſan. de conſuet.Burgund.rubr.1.§.5.à nu.85.Innoc. in c. Olim, el primo,de reſtit. ſpol. num. 8. & in cap. Dilectis, de pœnit.num.2.Nam,inquit,conceſſa iuriſdictione,conceduntur ea omnia, ſine quibus dicta iuriſdictio exerceri non poteſt,cap. Paſtoralis,in princ. cap. Præterea, de offic.deleg.leg.2.ff.de iuriſdict. omn. iud. Et ſi cupis ſcire, in quibus caſibus iudex ſecularis poteſt cognoſcere de cauſis Clericorum,adi G.Bened. in cap. Raynutius,verb.Et vxorem nomine Adelaſiam,à num.459. Filliuc.tom.1.tract.16.cap.10.à num.262.Caſſan.de conſuetud.Burg.rubr.1. §. 5. à numer. 47. Seſſam noſtrum de inhibit.cap.8.§.2.à num.3. & §. 4. à num. 29. Et §. 3. eiuſdem cap.8.num.98. in ſpecie ait,quòd iudex eccleſiaſticus poteſt expelli à regno,& iure originis priuari, ſi violentiam inferat,vel ſit iniurioſus, & moleſtus vaſſallis Regis,vel ſi eſt turbator pacis. Et num. 101. ait, hoc non eſſe contra excommunicationem 12. bullæ Cænæ. Nam hæc intelligitur, quando ſine cauſa expelluntur. Sed hanc Seſſæ doctrinam non habere locum extra Hiſpaniam, cenſuit Chokier de exempt. p. 1. qu. 39. in fine. Pij Principes in hoc caſu curant, vt iudex eccleſiaſticus per ſuum Superiorem corrigatur, & amoueatur.

17 Nota etiam circa hanc conſt. declarationem ſacræ Congr.tenoris ſequentis. *Cum in conſtit. Gregoriana de Conſeruatoribus, edita ex ſententia Congregationis Cardinalium,Concilij Trid.interpretum,non explicetur,an Epiſcopi,& eorum Vicarij generales eligi poſſint in Conſeruatores Regularium; Procurator generalis Ordinis Carthuſienſium ſupplicat, vt declaretur.*

Primò, an ipſi Epiſcopi, & eorum Vicarij generales poſſint eligi in huiuſmodi Conſeruatores nec ne?

Secundò,an ſi vnum, & idem monaſterium habeat bona in diuerſis diœceſibus, eligendi ſint Conſeruatores in vnaquaque diœceſi, an verò vnus tantum ſufficiat? Sacra Congreg. Cardinalium, Concilij Trid. interpretum, ad primum

reſpon-

reſpondit, poſſe. Ad ſecundum cenſuit, Conſeruatorem eſſe deputandum in ciuitate, vel diœceſi, vbi ſitum eſt monaſterium, atq; ibi tantum, & non alibi, poſſe eundem Conſeruatorem procedere, etiam in cauſis bonorum, ac membrorum eiuſdem monaſterij, extra ipſam diœceſim exiſtentium. Romæ anno 1623. die 23. Octobris, S. E. Cardinalis Vbaldinus. Hanc declarationem dedit mihi Maſſobrius, & pro materia Conſeruatorum vide Barboſ. de poteſt. Epiſcopi, alleg. 106.

18 Noto 5. circa conſt. 6. Gregor. XV. quòd num. 1. dicebam, Regulares poſſe per priuilegia apoſtolica, abſque licentia Ordinarij, propter aliquam cauſam mutare monaſterium de loco minùs commodo ad locum magis commodum. Atque ita docent Mirand. tom. 1. man. q. 33. art. 2. concl. 2. Portel in dub. reg. verb. Monaſterium, num. 7. Barb. de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 26. nu. 8. & 9. Rodericus in reſol. regul. reſol. 55. n. 4.

Conſtitutio prima, aliàs 7.

Concedit, quòd Reuerendiſſ. P. F. Franciſcus de Mayda electus in Epiſcopum Lauellenſem, poſſit continuare in officio Generalatus vſque ad capitulum generale.

GREGORIVS PAPA XV.

Dilecto filio Franciſco electo Lauellenſi ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Concedit prout in ſummario.

§. 1. *CVM nos nuper Eccleſiæ Lauellenſi certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tua nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, duxerimus prouidendum, teque illi in Epiſcopum præfecerimus, & Paſtorem; & propterea cupientes pro noſtro paſtorali, paternoque affectu, quem ad Ordinem Fratrum Minimorum Sancti Franciſci de Paula, cuius hactenus Corrector generalis fuiſti gerimus, opportunè prouidere, ne idem ordo interim, donec nouus Generalis eligetur, rectore, & adminiſtratore careat; ſupplicationibus quoque dilecti filij noſtri Caroli Sanctæ Mariæ in Dominica Diaconi Cardinalis Medices nuncupati, tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, volumus, & tibi apoſtolica auctoritate per præſentes concedimus, vt etiam dictæ eccleſiæ Lauellenſis Præſul exiſtens, ipſum Generalatus officium, vt prius, vſque ad capituli generalis proximè futuri celebrationem incluſiuè proſequi, exercere, adminiſtrare, & continuare, ac in eodem capitulo generali vocem actiuam habere, necnon omnia, & ſingula, quæ, antequam dictæ eccleſiæ Lauellenſis Præſul eſſes, ratione eiuſdem Generalatus officij in dicto Ordine facere, mandare, & exequi poteras, in futurum quoque, vt præfertur, facere, mandare, & exequi libere, & licitè poſſis, & valeas in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi de præſenti etiam Corrector generalis exiſteres.*

Mandat omnibus illi obedientiam exhibere.

§. 2. *Mandantes omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prioribus, tam prouincialibus, quam particularibus, alijſq; officialibus, necnon Fratribus, Monialibus, & Sororibus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt tibi, mandatiſque tuis nunc, & in poſterum, donec nouus Generalis huiuſmodi electio incluſiuè fiat, vt antea, reuerenter pareant, & obediant, alioquin ſententiam, ſiue pœnam, quam eiſè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari.*

Derogat contrarijs.

§. 3. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis necnon dicti Ordinis & iuramento confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, et literis apoſtolicis illi, eiuſque Superioribus quomodolibet conceſſis, et confirmatis. Quibus omnibus et ſingulis, eorum tenores his præſentibus pro plenè et ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter et expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 17. Aprilis, 1621. Pontificatus noſtri anno 1.*

1 Nota I. quòd hanc conſtitutionem poſui, vt eſſet in exemplum poſteritati. Cæterum magis expediens, & vtile Religioni puto, vt ſtatim ac quis electus eſt ad dignitatem extra eam, à Religione exeat, iuxta priuilegia Religionibus conceſſa. Nam illi ſic electi communiter nullum beneficium Ordini conferunt, ſaltem quò ad temporalia.

2 Nota II. quòd Religioſus factus Epiſcopus non poteſt ſecum quicquam deferre ex his, quæ in Religione habebat, ſiue fuerint propria induſtria, ſiue ex patrimonio acquiſita. Conſtat ex cap. Statutum, 18. qu. 1. Ex quo etiam colligit Suar. tom. 4. de relig li. 3. ca. 16. nu. 22. quòd non poteſt dicta bona retinere, etiam quò ad vſum, vel vſumfructum, vt poſtea reſtituantur monaſterio tempore mortis. Quòd ſi conuentus velit ſuo Epiſcopo benignè concedere aliqua bona, debet illa inuentariare ante conſecrationem manu publici notarij, & ſic inuentariata manu eiuſdem notarij concedere, cum pacto expreſſo, vt poſt mortem eius ad conuentum redeant. Nam alioquin erunt Cameræ apoſtolicæ, vt fuerunt libri conceſſi huic Epiſcopo Lauellenſi in ca. generali Romæ 6. celebrato, defectu dicti inuentarij, quod eſt notandum & ita docet Ludouicus à Valle in praxi collect. p. 1. cap. 8. num. 4. & 5.

Conſtitutio ſecunda, aliàs octaua.

Mandat, vt nullus eligatur in Commiſſum ad capitulum generale deſtinandum, qui per tres annos continuos, immediatè antecedentes dictam electionem, non fuerit localiter commoratus in Prouincia, in qua eligendi ſunt Commiſſi.

Hippolytus miſeratione diuina S. Mariæ nouæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus Protector.

CVm aliàs Sanctitati D. N. placuerit, protectionis curam huiuſce Minimorum Religionis nobis committere, pro viribus curare debemus, vt regimen negotiaque dictæ Religionis ad honorem diuinæ Maieſtatis, iuxta regularem obſeruantiam, ipſiuſque ordinis progreſſum conducantur. Quamobrem in primis cupientes, vt in generali capitulo Commiſſi Patres inſtructi, et experti in negotijs ſuarum Prouinciarum reperiantur (cum præcipuè ad eos ſpectet dictarum Prouinciarum negotia capitulis generalibus exponere) hoc inter alia remedium arbitrati ſumus opportunum, conſtituere de mente Sanctitatis ſuæ, eiuſque ſpeciali mandato, vt dicti Commiſſi, qui tam in proximo generali capitulo, quam in alijs ſubſequentibus in poſterum celebrandis interuenient, locales, et conuentuales in eadem Prouincia commoraſſe debuerint per tres annos continuos immediatè præcedente capitulum prouinciale, in quo eligendi ſunt vt ad prædicta capitula generalia mittantur. Saluis in reliquis ſtatutis, et ordinationibus ſuper hoc emanatis. Quòd ſi aliqui capitulorum generalium Commiſſi aliter, quam hic præſcribitur, et mandatur, in poſterum electi fuerint, eorum electionem ex nunc, prout ex tunc, irritam, & nullam declaramus, eoſque à dictis capitulis generalibus excludendos decernimus, & excludimus, vltra pœnas electoribus per nos, aut capitula generalia prædicta ad arbitrium infligendas. Datum Romæ in ædibus noſtris, die 26. menſis Iulij.

Anno

Digitized by Google

Anni 1622. Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus Protector, &c.

1 Nota, quòd non intelligitur de naturalibus Prouinciæ. Vnde hi etiamſi non fuerint locales per tres annos immediatè, poſſint optimè in Commiſſos eligi. Moueor. Tum quòd hi ſunt inſtructi de negotijs ſuæ Prouinciæ; qui eſt finis huius conſt. etiamſi per aliquod tempus ab ijs abfuerint: & talis videtur eſſe mens E. Protectoris. Tum quia cum in cap. Auenion. 2. num. 29. ſtatutum eſſet, quòd nullus in aliena Prouincia in Correctorem illius eligeretur, qui per annum integrum non fuiſſet in ea commoratus, deinde in cap. ſequenti Barcin. 2. celebrati, nu. 25. declaratum fuit, id eſſe intelligendum de his, qui in ea Prouincia nunquam fuerunt locales. Tum quia ſtatutum hoc odioſum eſt, & ideo reſtringendum. Vnde in cap. Rom. 7. ſeſſ. 11. circa hoc decretum dubitatum eſt, & deciſio remiſſa E. Protectori.

2 Quæras etiam, an qui renunciauit Collegatui Prouincialis, poſſit eligi in Commiſſum ad Capitulum generale. ℞. affirmatiuè. Primò; quia Commiſſatus non eſt neque ſuperius, neque æquale officium Collegatui, vt requirit ſtatutum illud factum ab eminentiſſ. Protectore Aldobrandino de conſenſu Patris Generalis anno 1626. die 8. Aprilis, quod refero to. 2. Religioſi, quæſt. 1. cap. 4. num 104. illis verbis. *Declaramus, quòd quicumque Frater dicti Ordinis ad aliquam dignitatem, vel officium fuerit aſſumptus, ſi huic renunciauerit, illum ad aliud æqualis vel etiam ſuperioris, qualitatis officium toto tempore, à Regula officio, cui renunciauit, præfixo, aſſumi non poſſe.* Sed eſt officium multò inferius; nam non habet, niſi ſimpliciter votare in capitulo generali, abſque vlla dignitate, vel perſonatu: Collega autem eſt comparticeps officij cum ſuo Prouinciali, vnde habet dignitatem cum iuriſdictione, & continuum perſonatum. Deinde Collegatus durat per triennium; Commiſſatus non durat niſi per octo dies, ſeu paulo plus, quantum durat capitulum generale. Collegatus prætere habet vocem in capitulo prouinciali, & de ordinario Collegæ ſunt Definitores, vnde habent votum in omnibus capitulis intermedijs. Præterea Collega eſt exemptus à iuriſdictione Correctorum, Commiſſus nequaquam. Vnde, cum ſit inferius, ceſſat finis dicti ſtatuti, quod factum eſt, vt in eo dicitur, *vt omnis ambitioſus aditus Fratribus præcludatur;* ambitio enim, vt ſuperbiæ filia, ſemper aſcendit. 2. Quia ſtatutum illud pœnale eſt, vt paret quia ponit pœnam, ideò ſtrictè interpretandum eſt, & non extendendum vltra caſus expreſſos, inter quos non eſt iſte, quòd renuncians Collegatui prouinciali non poſſit eſſe Commiſſus. Tertio. Quia particula illa, *ita vt,* poſita in dicto ſtatuto, eſt præfati ſtatuti declaratiua, vt docet Barboſ. de diction. dict. 184. nu. 3. Hanc ſententiam certam omnino reddidit declaratio ſacræ Congregationis Concilij tenoris ſequentis. *Eminentiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini. Capitulum generale Ordinis Minimorum vltimò celebratum, decreuit, vt quicumque Religioſus dicti Ordinis ad aliquam dignitatem vel officium, fuerit aſſumptus, ſi illi renunciauerit ad aliud æqualis, vel etiam ſuperioris, qualitatis, toto tempore à Regula officio, cui renunciauit, præfixo non aſſumatur ſed toto reſiduo officij tempore ſubditus remaneat. Ex quo decreto orta eſt difficultas, vtrum Corrector localis vel Collega Prouincialis, officio ſuo renuncìantes poſſint eligi in Commiſſos ad capitulum generale deſtinandos. Quare dignentur huiuſmodi difficultatem Eminentia veſtra aperire. Die 4. Februarij 1634. Sacra Congreg. Cardinalium Concilij Trid. interpretum, ſecundum ea, quæ proponuntur cenſuit, huiuſmodi decretum non obſtare. Robertus Cardinalis Vbaldinus. Franciſcus Paulutius ſacra Congreg. Concil. Secretarius.*

3 Quare nullo modo videtur admittenda extenſio, quam facit Iſnardus verbo Renunciatio. Non enim ſtatutum loquitur de ſubiectione, ſed ſolùm quòd qui renunciat, non poſſit habere officia, niſi expleto tempore, quo duraturum erat officium renunciatum. At remanere ſubiectum poſt officium expletum tantùm, quantùm durauit officium, & non poſſe habere officia toto illo tempore, quo duraturum erat officium, ſunt diuerſa, à quibus iure non fit illatio. Adde, quòd ſtatutum clarè loquitur, ita enim. *Sed toto reſiduo officij tempore ſubditi remaneant.* Itaque cum ſtatutum non petat, niſi vt remaneat ſubditus, qui officio renunciat toto tempore, quo debebat eſſe Superior, non eſt vltra illud tempus extendendum.

Caput Duodecimum, De addendis ad Conſtitutiones Vrbani VIII.

1 NOto I. quòd in conſt. 6. Vrbani VIII. dicebam, Patres Calabros habitantes Romæ in conuentu S. Franciſci de Paula, poſſe permittere, vt in eodem conuentu Fratres aliarum nationum localiter commorentur. Nam in omnibus priuilegijs intelligitur clauſula, Quatenus pars vti velit. Atque ita, præter DD. ibi adductos, hoc docet Sigiſm. in addit. ad dub. 120. in tract. de elect.

2 Et ſi quæras, an potuerit Io. Pizzullus obligare Religionem, vt in dicto conuentu non habitarent, niſi Patres Calabri? ℞. de hoc non poſſe eſſe dubium. Cum enim eſſet dominus rerum ſuarum, eas cuicumque volebat, & ſub quacumque ſibi placita conditione donare poterat. Verum quidem eſt, quòd poterat Religio dictam donationem ſic conditionatá non acceptare, ſed poſt acceptationem de iure naturæ ſeruare, tenetur, cap. 1. de pactis.

3 Quæres etiam, an P. Generalis poſſit in dicto collegio locare aliquem Lectorem non Calabrum, ad hoc vt ſtudentes in dicto collegio commorantes doceat? ℞. non poſſe. Nam Fundator clarè determinauit, vt in dicto collegio ſolùm habitarent ſtudentes dictæ nationis; nomine verò ſtudentium veniunt non ſolùm ſcholares, ſed, & multo magis, Lectores, cum par ſit ſtudium docendi, atque diſcendi, leg. 2. Cod. de excuſ. artific. lib. 10. & pariter debent ſtudere, Lectores pro docendo, & ſcholares pro diſcendo; cum Doctores legendo ſtudeant, & peritiores fiant, leg. 1. Cod. de excuſ. artif. cit. vbi Gloſſ. verb. Fieri, ponit hos verſus.

Diſcere ſi quæris, doceas, ſic ipſe doceris.
Nam ſtudio tali tibi proficis, atque ſodali.

Atque ita docent Abbas in proœm. decret. n. 7. vbi Felin. nu. 2. qui concludunt, quòd appellatione ſtudentium in fauorabilibus veniunt etiam Lectores, & quod eſſe certum dicit Felin. ex communi vſu loquendi.

4 Noto 2. quòd in conſt. 9. Vrbani VIII. quæ eſt decretum Congr. de celebratione miſſarum, iubentur omnes Superiores locales ſub pœna priuationis officiorum ipſo facto incurrenda, bis in anno, ſcilicet feria 2. poſt 1. Dominicam Aduentus, & feria 6. poſt octauam Corporis Chriſti curare, vt in publica menſa dicta decreta legantur. Circa quod quæro, An remaneat Superior priuatus, qui eo die determinato non facit legi dicta ſtatuta ex negligentia, vel inconſideratione, vel ignorantia, ſed legi facit poſt menſem, v. g. ℞. quòd dicta ſtatuta determinatis diebus legi debent, quòd ſi non legantur, legi debent die ſequenti, & ſic deinceps. Non enim ponitur terminus ad finiendam obligationem, ſed ne dilatetur executio. Quare, tranſacto aſſignato termino, non ceſſat obligatio, leg. Celſus, ff. de recept. arbitr. cap. Cum dilecti, §. Præterea, de dolo, & contum. Vnde cum pœna priuationis non ſit ſtatuta ad canonizandum diem ibi præfixum, ſed ſolùm ad obligationem inducendam lectionis dictarum conſtitutionum, ne vllo vnquam tempore in obliuionem, aut deſuetudinem abeant, quod eſt finale motiuum dictæ lectionis, dicendum eſt, quòd qui ex ignauia, ſeu negligentia, vel obliuione dictas conſtitutiones diebus præfixis non curauerit legi, non incurret dictam pœnam, ſi alio tempore, poſt menſem v. g. termini præfixi, legi faciat, facturus legi in termino ſtatuto, ſi memi-

Digitized by Google

meminiſſet, vel ſciuiſſet. Vbi namque quis facit ſine culpa contra legem præcipientem, vel prohibentem aliquid fieri, pœnam non meretur. Sed ignorantia, inconſideratio, negligentia non craſſa, quæ eſt cauſa, cur nõ impleatur præceptum, excuſat à culpa omnino, vel multum minuit, iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. q. 76. ar. 3. & 4. ergo etiam à grauiſſima priuationis pęna. Atque ita in ſimili docent Ledeſm. tom. 2. ſum. tract. 1. cap. 4. conc. 10. dub. 3. Nau. lib. 2. conſil. de iur. iur. conſil. 11. nu. 1. Filliuc. tom. 3. tract. 41. cap. 6. nu. 10. Azor. p. 2. lib. 7. cap. 2. q. 5. Scortia in ſelect. bull. epit. 84. theor. 207. verſ. Quærenti, Sigiſm. de elect. dub. 50. num. 6. Vgol. de poteſt. Epiſc. cap. 50. §. 16. num. 1. Pariſ. de reſig. lib. 10. q. 11. nu. 12. Garcia de benef. p. 3. cap. 3. num. 29. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 5. nu. 5. Adde, quòd pœnæ conſtituit. pontificalium ſolent eſſe moderatæ, ita vt delicti menſuram non excedant, ad illud Deuter. 16. *iuxta menſuram delicti, ſit & plagarum modus.* At culpa, cur non legantur dicta decreta die præfixa, prouenit ex ignorantia, inaduertentia, & negligentia, quæ ſuppletur altero die, nec graue peccatum eſt. Ergo pro ea non eſt imponenda tam grauis pęna, qualis eſt officij priuatio. Adde, quòd poſſet etiam quis excuſari à lectione dictarum conſtitutionum die præfixo, ſi eo die in conuentu fieret aliquod magnum feſtum, & in refectorio adeſſent deuoti ſeculares, vel ſi Religioſi iuiſſent ad proceſſionem, vel ad ſepeliendum mortuos, & non poſſent omnes adeſſe; quibus ſtantibus, decerneret Superior dictas conſtitutiones non legere eo die, ſed differre in ſequentem, putans id ſibi ijs caſibus licere, alioquin legi facturus. Nam qui bona fide tranſgreditur legem humanam, putans ſe habere iuſtam cauſam tranſgrediendi non peccat, nec pœnas tranſgreſſoribus impoſitas incurrit, quando de iuſta cauſa conſtat, iuxta D. Tho. 1. 2. quæſt. 96. art. 6. corp. & 2. 2. q. 147. art. 3. quem cum communi ſequuntur. Nau. in man. cap. 23. nu. 43. & lib. 2. conſil. de iure iur. conſil. 12. nu. 2. Sayr. in deciſ. tit. de ſum. Trinit. deciſ. 3. Rodriq. tom. 2. q. reg. q. 72. art. 3. Iuſta autem cauſa eſt, propter quam legiſlator, ſi præſens eſſet, cum excuſaret, vel quæ bona fide pro iuſta habetur, & ob quam, niſi talem eam iudicaret, contra legem non faceret. Ita Nauar. in man. loc. cit.

An Subditus teneatur monere Superiorem de dictis ſtatutis legendis, & quo iure. Rę. affirmatiuè ratione iuſtitiæ, ex eo quod Prælatus, & Subditus debent eodem iure cenſeri. Prælatus autem ratione iuſtitiæ tenetur adiuuare Subditum ſuum quantum poteſt, vt probaui tom. 2. Præl. quæſt. 1. Vnde collige, quod Subditus ſcienter omittans monere Prælatum ſuum, vt die ſtatuta legi faciat dicta decreta, mortaliter peccat propter graue damnum, quod ex ſua omiſſione malitioſa infert Prælato ſuo, vnde poteſt, & debet à Superiore puniri.

5 Noto 3. quòd circa conſtit. 10. Vrbani VIII. in qua ponuntur ordinationes pro Regularium reformatione, numero 10. dicebam, quòd non poterant Prælati regulares præcipere aliquid ſub pœna excomm. ipſo facto, & abſolutionem ſibi reſeruare. Quod deinde reperi fuiſſe ſtatutum à ſacra Congreg. Reg. his verbis. *Cum à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto ſel. rec. Clem. Papæ VIII. anno 1593. 16. Maij ſuper qualitate caſuum ab eorumdem Regularium Superioribus reſeruandorum edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita vt ijſdem Superioribus reſeruandorum edito, cenſuræ etiam comprehenderentur, ita vt ijſdem Superioribus, abſque capituli generalis, aut prouincialis conſenſu, aliquibus peccatis in decreto huiuſmodi non contentis excommunicationem annectere, eiuſdemque abſolutionem ſibi reſeruare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Regularium præpoſitorum, Illuſtriſſimo Bandino referente, cenſuras in ſupradicto decreto comprehendi cenſuit. Romæ 7. Iulij 1617. A. Mar. Epiſcop. Hoſtien. Cardinalis Gallus. V. Theatin. Secret.* Ita refert Chokier de exempt. p. 4. q. 56. fine. Pro qua ſententia plurimos citat Diana tom. 3. tract. 2. reſol. 49.

6 Hic aduertas velim ad vnum bonum punctum, quòd ſi ſubditus petat à Prælato facultatem caſuum reſeruatorum pro vna perſona, poteſt ille ſubditus dicta facultate paſſiuè vti pro perſona ſua. Ita Alphonſus Leo de offic. confeſſ. tom. 2. reſol. 6. nu. 131. Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 9. diff. 64. nu. 4. apud Dianam tom. 3. tract. 4. reſol. 142. verſ. Sed ponam, qui eamdem opinionem ſequitur.

7 Aduerte etiam, quòd ibid. numero 12. dicebam, vota vitæ quadrageſimalis, & obedientiæ in Ordine noſtro non eſſe ampliùs reſeruata. Sed poſtea exijt declaratio ſacræ Congregationis tenoris ſequentis. *Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Regularium præpoſita, cenſuit, ob ſolutionem à tranſgreſſionibus votorum, etiam obedientiæ, et vitæ quadrageſimalis, vtique Prælatis eiuſdem Ordinis ad præſcriptum Regulæ eſſe reſeruatam, et decreto ſa. me. Clementis VIII. diſpoſitionem eiuſdem Regulæ hac in parte minimè ſublatam fuiſſe. Romæ die 22. Auguſti 1631. Frater Antonius Card. S. Onuph. P. Fagnanus Sec.* Propter quam non puto recedendum à dictis, tum dicto loco priuilegiorum: tum tom. 2. Prælati, q. 3. c. 2. num. 34. Tum quia dictam declarationem authenticam non vidi. Tum quia, ſi eſt vera, fundiùs eneruata eſt conſtitutio Clemen. VIII. de caſuum reſeruatione, ſtatui Regularium ita proficua. Poterunt enim ad libitum ſibi Prælati quoſcumque caſus reſeruare, cuilibet apponendo meritum ſanctæ obedientię. Tum quia eſſet omnino contraria prędictæ declarationi factæ anno 1617. ſi enim per illam non poteſt Prælatus præcipere ſub pęna excõmunicationis, & eam ſibi reſeruare, cur hic poterit ſub merito obedientię, & eã reſeruare? Tum quia dicta declaratio non erat neceſſaria, cũ haberet Religio remedium abſque tali declaratione, ſi enim eſt vtile in Religione, vt puto, vt dicta vota ſint reſeruata, cur id non eſt factum in aliquo capitulo generali ad mentem dictæ conſtitut. Clem. VIII. Vnde puto, Congregationem fuiſſe malè informatã; illius tamen auctoritati defero, ſi bene informata ita declarauit; licèt huiuſmodi declarationes, etiam authenticæ, non faciant rem omnino certã, quando non ſunt factæ ſpeciali aſſenſu Papę. Quare tutius puto, vt hoc declaretur in capitulo generali, ſi ſit Religioni vtile. Nec quicquam obſtat dictis illa diſtinctio, quod decretum Clem. non intelligatur de caſibus reſeruatis à iure, ſed tantùm de reſeruatis ab homine. Nam hæc diſtinctio eſt omnino gratis inducta, nec vllum habet veſtigium in dicto decreto, imò eſt omnino contra mentem illius, quæ eſt animabus ſubditorum fauere. Cum ergo lex ſimpliciter loquens ſit ſimpliciter intelligenda, l. 1. §. Generaliter, ff. de legat. præſt. & vbi ea non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus, l. De pretio, ff. de public. in rem action. & ea interpretatio ſit ſequenda, quæ magis fauet animæ, vt dico hic ſupra, cap. 1. num. 10. illa diſtinctio eſt omnino reijcienda. Tandem cum illa diſtinctio ſit multùm triuialis, quam non ignorabat doctiſſimus Pontifex, certè ſi ſolùm intendiſſet loqui de caſibus reſeruatis ab homine, cum id vno verbo potuiſſet dicere, non tacuiſſet, relinquendo Regularibus quæſtionem in præiudicium animæ. Denique, ſi ſolùm de dictis caſibus reſeruatis ab homine decernere intendiſſet, ad quid tot diligentiæ? ad quid videre omnes caſus reſeruatos Regularibus à Regula? ad quid illa Regularium quò ad hoc derogatio? Scio, quòd ſecundùm DD. Bonac. to. 3. de cenſ. diſp. 1. q. 10. p. 2. num. 13. verſ. Ad ſecundum reſpondebit, lex ſimpliciter loquens, & non diſtinguens, adhuc diſtinctionem, & limitationem admittit. Sed id intelligitur, quoties ratio ita poſtulat, aut formalis verborum ſignificatio; Sed in noſtro caſu neutrum adeſt. Adde, quòd non eſt certum, quòd quatuor vota in Ordine noſtro ſint per Regulam ipſo iure reſeruata. Nam in Correct. num. 86. dicitur, *quorum abſolutio reſeruabitur* non autem, ſit reſeruata; illud autem *reſeruabitur* in futuro tempore interpretatur Noſter Trimarchi, ideſt Poterunt ſibi Prælati reſeruare.

Digitized by Google

8 Noto 4.quòd in eadem conſtitutione,§.102.ordinatur, quòd Superior conuentus habeat librum, in quo regiſtretur vniuſcuiuſque nouitij profeſſio;qui liber ſic retêtus à Superiore,& ſubſcriptus à profeſſo cum duobus teſtibus,omnino probat in iudicio,& extra,profeſſionem Fratrum, vt Mandoſ. ad reg.8. cancel.q.8.nu.4. Paſſar.in ſchol.ex Barein.n.12.Imò etiamſi non ſit ſubſcriptus à Fratribus,modò ſit ſubſcriptus ab aliquo Officiali conuentus ad hoc ſpecialiter deputato, ſimiliter probat,vt Mandoſ.ad reg.18.cancell. q.9.n.4.& q.10.n. 4.Gratian.to.4.diſcept.for.c.640.n.7.Hercul. in reſponſ. ad Sereniſs.Etruriæ,n.467.& habetur in c. Ad audientiam, §. Nos igitur de præſcript. Ad iſtos enim libros recurri ſolet,tanquam ad ſpeculum;Hercul.ibi,nu.201. cum præſertim ſit conſuetudine obtentum,vt dictis libris ſic confectis plena fides adhibeatur;Hercul.n.352. & 467.& habetur in cap.Cum dilectus,de fid.inſtr. Eſt enim hic liber, vt liber Rectoris eccleſiæ, ex quo probatur natiuitas,& mors;Mandoſ.ad reg.18.q.10.cit.Adde, illam eſſe optimam praxim, quam ſeruant aliquæ Religiones,vt non ſolùm ſcribatur annus,menſis,dies, & hora profeſſionis, ſed etiam annus, menſis, dies, & hora induitionis dictorum nouitiorum.Cum enim,qui non Religionis amore, ſed panis caritate ad Religionem veniunt, eſurientem repleuerint ventrem, murmurant,ac impinguati recalcitrant,& antiquarum miſeriarum obliti,nauſeantes cæleſte Religionis manna, in AEgyptum ſeculi cepas cum Iudæis eſitaturi,reuerti,vanis prætextibus,quòd annum profeſſionis non expleuerint,prætenduntiquibus,fateor,ſalua conſcientia, portæ omnes eſſent aperiendæ,& pulſantibus campanis extra conuentum aſſociandi.

Conſtitutio prima, aliàs 2.
V R B A N I V I I I.

Dat formam eligendi Generalem Minimorum in caſu mortis Generalis præteriti.

V R B A N V S P A P A V I I I.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ.

VT ea, quæ pro perſonarum quarumlibet, præſertim Regi ſeculorum obſequijs ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantium proſpero,fœlicique regimine facta fuiſſe dicuntur, vt firma perpetuò, & illibata perſiſtant, libenter, cum à nobis petitur, apoſtolicæ confirmationis patrocinio communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè nomine dilecti filij Ægidij Camart Correctoris generalis Ordinis Fratrum Minimorum S.Franciſci de Paula nobis nuper expoſitum fuit,quòd aliàs pro felici eiuſdem Ordinis directione, & præſertim illius Vicarij generalis electione, nonnulla ſtatuta condita fuerunt tenoris ſubſequentis, videlicet.

Antiqua Ordinis ſtatuta in caſu mortis Generalis; & quòd antiquior Collega nunc ſumat ſigilla.

§. 1. Primò ſtatutum fuit in capitulo generali eiuſdem Ordinis habito Paulæ anno M D X X X V. auctoritate apoſtolica confirmato, quòd ſi contingeret (quod Deus auertat) Reuerendiſſimum Patrem Generalem diem claudere extremum, fiat de Vicario generali electio per eiuſdem Generalis Socios cum Reu. Patre Prouinciali illius Prouinciæ, in qua morietur,vel ei proximioris, ſi extra Prouinciam quamdam morietur, à Socijs illius, & Correctore locali, vbi morietur, vel proximioris conuentus. Qui omnes ſimul prædicti electores de toto gremio Religionis vnum in Vicegeneralem vſque ad proximum capitulum generale celebrandum eligant, ita tamen quod nullus prædictorum eligentium ad prædictum officium aſſumi valeat. Hic autem in prædictum Vicarium, etiam pro quocumque tempore, aſſignatus, in Generalem immediatè, & poſtmodum reelegi, & deputari valebit. Deinde in vltimo generali capitulo eiuſdem Ordinis habito Romæ in conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis anno 1623. ſeſſione 10. quæſitum fuit, An in caſu mortis Reuerendiſs. Patris Generalis (quod abſit) ſtandum eſſet in numero electorum, iam ab alijs capitulis deputatorum; an potiùs idem numerus eſſet augendus? Et varijs hinc inde diſcuſſis rationibus tandem negotium remiſerunt Patri Generali, qui vnà cum ſuis Collegis, conſulto etiam Illuſtriſſimo Protectore, determinarent quid eſſet agendum. Quapropter, facta circa hoc matura conſideratione, prout infra, ſtatuendum conſentaneum duximus. Diſpoſitio circa electionem Vicarij generalis. *Primo. De morte Generalis, & quis erit eius Vicarius vſque ad electionem? Patre Generali claudente diem extremum, continuò antiquior ex Collegis, qui tunc præſentes aderunt, accipiat vtrumque ſigillum Ordinis, & Vicegeneralis fungatur officio tantiſper, donec cum Patribus electoribus ad electionem Vicarij generalis procedatur.*

Dictus antiquior Collega moneat omnes Prouinciales de morte Generalis.

§.2. Secundo. De monendis Superioribus Ordinis circa mortem Generalis. Præfatus Pater Collega in Vicarium inſtitutus, vt primum mors Patris Generalis acciderit, notam illam faciat omnibus Prouincialibus Ordinis, tum vt debitæ orationes, & ſacrificia pro anima defuncti offerantur, tum vt electores futuri Vicarij generalis præparent ſe ad electionem faciendam.

De poteſtate Collegarum, vacante Generalis ſede.

§.3. Tertiò. De poteſtate Collegarum, ſede Generalis vacante. Quandiu ſedes Generalis vacabit, non poterunt Collegæ vllam viſitationem facere, neque inſtituere vllos Prouinciales, aut alios Superiores, neque illos deponere. Non poterunt etiam vlla ſtatuta condere, vel aliquem Fratrum priuare, aut rehabilitare, neque vllam rem magni momenti expedire, ſed omnia reſeruabuntur Vicario generali futuro. Poterunt autem vrgentia negotia, & quæ celerem reſolutionem requirunt, expedire, Fratreſque ſcandaloſos punire.

Electores Generalis erunt quatuor ex qualibet natione.

§.4. Quartò. De electoribus Generalis. Ex qualibet natione Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ quatuor Patres conuenient ad locum deſtinatum cum tribus Patribus Collegis Generalis prædefuncti, vt eligant ſimul Vicarium generalem, nempe duo Prouinciales, & duo Commiſſi ex qualibet natione.

Prouinciales electores ſint primò antiquiores cuiuslibet nationis.

§.5. Quintò. De Prouincialibus, & quomodo aſſumi debeant. Porrò Prouinciales aſſumentur ſecundùm ordinem antiquitatis Prouinciarum, mutando de ſexennio in ſexennium, iuxta ſeriem dictarum Prouinciarum. Exempli gratia, in hoc ſexennio habebunt ius electionis pro Italia Patres Prouinciales S. Franciſci, & Meſſanæ; pro Gallia Turonenſis, & Franciæ; pro Hiſpania Granatenſis, & Caſtellæ: in futuro autem ſexennio duo alij Prouinciales Prouinciarum proximè ſuccedentium in qualibet natione ſecundùm antiquitatem; & ita deinceps de ſexennio in ſexennium, donec impleatur numerus Prouinciarum cuiuslibet nationis. Poterunt autem Prouinciales, quibus continget in ſuo ordine intereſſe electioni Vicarij generalis

cauſa

cauſa euidentis infirmitatit ſubſtituere Vicarium, prout fit in capitulo generali.

Collegæ Generalis abſentes, & infirmitate detēti poſſunt alium loco ſuo eiuſdem nationis ſubſtituere.

§. 6. Sextò. De Collegis Patris Generalis morbo detentis. Similiter ſi Patres Collegæ Generalis, vel illorum alter morbo aliquo ita detineatur, vt non poſſint adire locum ad electionem deſtinatum, poterunt ſubſtituere aliquem Patrem idoneum ex illa natione, cuius ſunt Collegæ, qui literis autheuticis munitus ius habebit in electione.

Commiſſi non aſſumātur ex iiſdē Prouincijs, ex quibus Prouinciales, ſed ex proximè ſuccedētib.

§. 7. Septimò. De Commiſſis. Commiſſi verò non aſſumentur ex eiſdem Prouincijs, ex quibus Prouinciales veniunt ad electionem, ſed ex duabus Prouincijs proximè ſuccedentibus, ad hoc vt plures cuiuslibet nationis concurrant ad electionem Vicarij generalis.

Commiſſi eliguntur a Prouinciali Collegis, & Definitoribus.

§. 8. Octauò. A quibus fieri debeat electio Commiſſorum? Ipſi verò Commiſſi eligantur reſpectiuè in ſuis Prouincijs à Prouinciali, Collegis, & Definitoribus Prouinciæ, veniantque ad locum deputatum muniti literis authenticis ſuæ deputationis.

Corrector, vbi moritur P. Generalis, habet vocem in electione Vicarij.

§. 9. Nonò. De Correctore conuentus, vbi moritur Generalis. Cæterùm ſi Pater Generalis decedet in aliquo conuentu, Superior illius conuentus veniet ad electionem Vicarij generalis futuri, & tunc pro illa natione, in qua eſt ipſe corrector, non eligatur, niſi vnus Commiſſus, nempe in antiquiori Prouincia ex duabus quæ venient in ordinem, adhoc vt votorum ſit paritas in quolibet natione; & Prouincia, in qua non fuit electio pro hac vice carebit ſuo voto, ita vt ſubſequenti ſexennio aſſumantur Commiſſi ex alijs duabus Prouincijs immediatè ſubſequentibus.

Si Generalis extra cōuentum decedat, tunc nullus Corrector electioni Vicarij intererit.

§. 10. Decimò. De morte Generalis extra conuentus. Si verò contingat, Patrem Generalem mori extra conuentum, vt puta in itinere, vel in mari, vel in alio quouis loco, ſecundùm quòd frequenter accidit inter immenſa pericula viarum, tunc nullus ex Correctoribus viciniorıbus loci deceſſus huiuſmodi intererit electioni, ſed tantùm Prouinciales, & Commiſſi.

Corrector, in cuius cōuentu morietur Generalis, ſemper habebit votum, etiam ſi tunc Prouincialis etiam votū habeat.

§. 11. Vndecimò. Quòd ſemper Corrector conuentus, vbi morietur Pater Generalis, votum habeat. Quamquam verò Commiſſi nullo modo aſſumi debeant ex eiſdem Prouincijs, ex quibus Prouinciales votum habebunt in electione, nihilominus Pater Corrector conuentus, in quo obierit Reuerendiſſimus Pater Generalis, ſemper votum habeat, etiamſi reperiatur in illa Prouincia, in qua continget Prouincialem eſſe vocalem.

In quolibet Capitulo generali fiat ſtatutū, in quo determinetur, quia nā ſint electores Generalis in caſu mortis illo ſexennio.

§. 12. Duodecimò. De notificatione electorum in capitulis generalibus. Vt autem tota Religio noſcat, quinam ex Prouincialibus, & Commiſſis debeant habere votum pro futuro ſexennio in electione Vicarij generalis cauſa mortis, in quolibet generali capitulo inter reliqua ſtatuta ponatur huiuſmodi decretum. Si contingat Reuerendiſſ. Patrem Generalem diem obire (quod Deus auertat) pro futuro ſexennio, ij erunt electores Vicarij generalis, vnà cum Patribus Collegis defuncti Generalis, nempe pro natione Italica, Patres Prouinciales talis, & talis; & talis, & talis Prouincia mittant ſuos Commiſſos; pro natione verò Gallica, talis, & talis Prouincialis; & talis, & talis Prouincia mittant ſuos Commiſſos; pro natione verò Hiſpanica talis, & talis Prouincialis; & ſimiliter talis, & talis Prouincia ſuos Commiſſos deſtinabunt. Et hoc inuiolabiliter ſeruabitur in futuris capitulis generalibus.

Antiquior Collega Generali mortem notificet Prouincialibus, in quo conuētu ſit mortuus, vel an ſit extra cōuentum.

§. 13. Decimotertiò. De notificatione loci, in quo obijt Pater Generalis. Spectabit autē ad Patrem Collegam, cui commiſſa erunt ſigilla Religionis, dum ſignificabit mortem Generalis omnibus Prouincijs Ordinis, ſimul etiam notificare conuentum, in quo prædictus Pater Generalis obierit, vt ſciatur, quod Superior illius conuentus debet habere votum in electione, & quòd proinde in illa natione, in qua ſitus eſt ille conuentus, non debet fieri electio, niſi vnius Commiſſi, nempe in antiquiori Prouincia, ex duabus illis, quæ veniunt in vice ſua; quoniam Superior conuentus, cum ſit eiuſdem nationis, ſupplet pro altero Commiſſo. Si verò extra conuentum obeat Pater Generalis, & hoc ipſum notificabit prædictus Pater Collega generalis, vt ſciant quælibet nationes ſibi deligendos eſſe duos Commiſſos.

In quo loco ſit facienda electio Vicarij generalis.

§. 14. Decimoquartò. De loco, in quo fieri debet electio. Si Pater Generalis diem claudat Romæ, electio fiet Romæ, & illuc omnes electores conuenient, & quidem ſi moriatur in conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis, Pater Corrector illius conuentus votum habebit in electione, & computabitur pro natione Gallica; ſi verò in conuentu S. Andreæ, vel S. Franciſci Superior illorum reſpectiuè conuentuum votum habebit pro natione Italica. Porrò in quocunque horum trium conuentuum obierit Pater generalis, in eo conueniant Patres electores ad faciendam electionem Vicarij generalis.

P. Zeloſus, ſi Generalis decedat Romæ, habebit votum in electione ſimul cū Correctore illius cōuentus, in quo decedet.

§. 15. Decimoquintò. De Patre Zeloſo. Pater Zeloſus votum habebit in electione Vicarij generalis, in quocunque conuentu Romano deceſſerit Pater Generalis. Quo caſu natio illa de qua eſt Pater Zeloſus, non mittet alium Commiſſum. V. G. ſi Pater Zeloſus ſit Italus, & Pater Generalis diem claudat in conuentu S. Andreæ, vel S. Franciſci, Superior illius conuentus, & Pater Zeloſus erunt electores, & cum ſint ambo Italicæ Prouinciæ, quæ deberent eligere Commiſſos, non eligent pro hac vice. Si Gallus fuerit, & Pater Generalis obeat in conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis, Corrector, & Zeloſus ſimiliter erunt electores, & ex Gallia non mittentur Commiſſi. Si Hiſpanus, tunc vnus tantùm Commiſſus veniet ex Hiſpania, nempe is, qui eligetur ab antiquiori Prouincia ex duabus, vt ſupra dictum eſt.

De loco electionis quādo P. Generalis decedet extra Romam.

§. 16. Decimoſextò. De loco electionis quando Pater Generalis diem claudit extra Romam. At ſi contigerit, Patrem Generalem obire extra Romam, vt puta dum viſitat Prouincias, conueniant omnes electores ad conuentum commodiorem pro nationibus; exempli gratia, ſi decedat Pater Generalis in Italia, omnes electores veniant ad conuentum Ianuenſem, qui eſt confinio Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ; ſi in Gallia deceſſerit, electio fiet in conuentu Maſſilienſi, qui eſt vicinior alijs nationibus; ſi in Hiſpania, conueniant ad electionem in conuentu Barcinonenſi. Et hoc ſemper ſeruetur pro regula in omnibus futuris electionibus Vicarij generalis.

Electio Vicarij fiat intra quinq; mēſes morte Generalis.

§. 17. Decimoſeptimò. Quo tempore debent conuenire electores? Quia verò Ordo valde extenſus eſt, & oportet aliquod temporis ſpatium, ad hoc vt mors Patris Generalis toto Ordini innoteſcat, dabitur ſpa-

tium quinque menſium à die obitus Patris Generalis vſque ad diem electionis; ſufficient enim duo menſes ad notificandam mortem toto Ordini, & reliquum ad hoc, vt electores conueniant ad locum electionis.

Antiquis Collega ſignificet electoribus tẽpus, & locũ electionis.

§. 18. *Decimooctauò. Cuius erit indicere tempus, & diem, ac locum electionis? Spectabit ad P. Collegam generalem, qui in manibus habebit ſigilla Religionis, eodem tempore, quo ſignificabit mortem Generalis, ſimul etiam indicare tempus, & diem, ac locum ſupra in capitulo decimoſexto determinatum futuræ electionis, ita quòd ſemper ſint quinque menſes integri inter obitum, & diem electionis. Prouinciales verò, & Commiſſi ſub pœnis ijſdem, quæ ſunt ſtatutæ contra eos, qui non interſunt capitulis generalibus, ſint obligati ſtatuto tempore præſentes eſſe in loco, in quo fieri debet electio futuri Vicarij generalis; ſi qui verò fuerint abſentes elapſo tempore præfinito, continuò præſentes procedant ad electionem, ampliùs non expectando.*

In capitulo præſideat, antiquior Collega.

§. 19. *Decimononò. De Præſide capituli in electione. Quando omnes electores conuenerint, præſidebit in capitulo Pater Collega generalis, cui commiſſa ſunt ſigilla Ordinis, abſque aliquo reſpectu Prouincialium.*

Ipſi electores poſſunt eligi in Vicarium.

§. 20. *Vigeſimò. Quiſnam poteſt eligi in Vicarium generalem? Omnes electores ſic coadunati poterunt ex toto Ordine eligere in Vicarium generalem, quem magis idoneum iudicauerint, etiam ex corpore ipſorum electorum, ſi qui inter ipſos magis capaces, & ad hoc officium magis idoneum reperiuntur.*

Vicarius electus ſtatim ſuum exerceat officium.

§. 21. *Vigeſimoprimò. De poteſtate Vicarij generalis electi. Qui verò electus fuerit in Vicarium generalem, ſtatim fungetur officio ſuo ſecundùm exigentiam negotiorum, iuxta priuilegia eiuſdem Ordinis, ſicut hactenus factum eſt.*

Electio ſecuta notificeturſtatim toti Religioni.

§. 22. *Vigeſimoſecundò. De notificatione electionis Vicarij generalis. Statim atque facta fuerit electio Vicarij generalis, curabunt Patres electores, vt notificetur per omnes Prouincias Ordinis; & ideò mittent ad omnes Patres Prouinciales authenticas literas electionis à ſe factæ.*

Electores expẽſis ſuarum nationum ad capitulum accedant.

§. 23. *Vigeſimotertiò. Quibus expenſis Patres conuenient ad electionem? Iuſtum eſt, vt Patres Collegæ Generalis conueniant ad locum electionis expenſis ſuarum reſpectiuè nationum: Patres verò Prouinciales, & Commiſſi expenſis ſuarum Prouinciarum, ſicut fit in capitulis generalibus.*

Si Generalis decedat, expleto quadriẽnio ſui officij, tunc electores eorũ deputati in c. Paulæ cum Prouinciali proximioris Prouinciæ.

§. 24. *Vigeſimoquartò. Quid faciendum in caſu, quo Pater Generalis diem claudat extremum poſt expletum quadriennium ſui Generalatus? Si Pater Generalis obeat poſt expletum quadriennium ſui officij, tunc ij eligent Vicarium generalem, qui iam olim deputati fuerunt à capitulo generali Paulitano, quibus adiungetur Pater Prouincialis viciniori Prouinciæ cum ſuis Patribus Collegis, vt maior ſit votorum numerus; ſi verò fuerit diſcrepantia, quænam ſit vicinior Prouincia, tunc poſita æquali diſtantia, antiquior Prouincia votum habebit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, Ægidius prædictus plurimum cupiat, ſtatuta huiuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia, & inuiolabili obſeruatione, apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri. Ideò nobis totius Ordinis prædicti nomine humiliter ſupplicari fecit, vt deſuper opportunè prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur.*

Confirmat dicta ſtatuta, ſi fuerint approbata à cap generali.

§. 25. *Nos igitur eiuſdem Ægidij deſiderijs in præmiſſis annuere, illumque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, De venerabilium fratrum noſtrorum, S.R.E. Cardinalium, Sacri Concilij Tridentini interpretum conſilio, ſtatuta præinſerta huiuſmodi, ita tamen, vt à capitulo generali eiuſdem Ordinis proximè celebrando rursùs examinentur, atque approbentur, alioquin ex eo tempore præſens confirmatio nulla prorſus, atque irrita ſit, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus; ipſaque ſtatuta in prædicto Ordine, ſi ab eodem capitulo denuò examinata, & probata fuerint, vt petitur, perpetuò obſeruari debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Derogat contrarijs.

§. 26. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 29. Maij 1624. Pontificatus noſtri anno primo.* *V. Theatinus.*

1 Noto 1. quòd antiquior Collega, apud quem remanent ſigilla Religionis, fungitur officio Vicarij generalis vſque ad capitulum generale incluſiuè. Et aduerte etiam, quòd Prouinciales non poſſunt eligi in Commiſſos. Ita declarauit Eminentiſ. Cardinalis Aldobrandinus Protector, de mente S.D.N. Vrbani VIII. prout toti Religioni manifeſtauit P.F. Simon Bachelier, apud quem, vt antiquiorem, remanſerunt ſigilla Religionis, per ſuas literas impreſſas, & datas Romæ apud conuentum S. Trinitatis quinto Calendas Octobris anno 1624. ſubſcriptas, & ſigillatas à dicto Eminentiſſimo Protectore ſub his verbis. *Præſentes literas approbamus, & ex omni parte confirmamus de expreſſo S.D.N. mandato. Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus Protector.* Tenor autem dictarum literarum quantum ad rem noſtrã facit talis eſt. *Vt verò omnium tam Superiorum, quam ſubditorum corda eodem pacis, charitatiſque vinculo nectenentur, nugeq; & fictitiæ rationes, quæ contra tenorem Breuis obijci poſſent, ab omnium animis recederent, maiorique cum tranquillitate interſtitium iſtud vſque ad electionem decurreret, Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dominus Card. Aldobrand. Protector, de cuius ordine, & ſcientia, & aſſenſu præſentes fecimus, facto verbo cũ S. Domino, accepit, eam eſſe prædicti S. Domini intentionem, & voluntatem, vt Vicarij Gen. totius Relig. officio fungamur, & Ord. vtrunque ſigillum penes nos vſq; ad electionem incluſiuè remaneat: & forma electionis Vicarij Gen. Ord. Minimorum in caſu mortis Generalis ab ipſo Sanctiſſimo approbata, & confirmata, ſub da-*

tum

tum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 29. Maij 1624. inuiolabiliter obſeruetur, non obſtantibus quibuſcumque rationibus, oppoſitionibus, & appellationibus in contrarium, prohibens, ne quis temerario auſu contra dictam formam quidquam audeat attentare. Significantes vobis, quod de mente Illuſtriſsimi Domini Cardinalis Protectoris declaratum eſt, Patres Prouinciales in electionibus Commiſſorum voto paſſiuo carere. Aduerte, quòd hoc vltimum fuit neceſſarium; nam alioquin Prouinciales non poterant priuari voce paſſiua, cum nullibi reperiatur cautum.

2 Noto II. quòd Correctior, qui debet intereſſe electioni Vicarij generalis, iuxta §. 9. non debet eſſe ille, qui fuit in officio tempore mortis, ſed ille, qui eſt Corrector actualiter tempore electionis. Atque ita fuit declaratum à ſacra Congregatione Regularium anno 1624. menſe Decembri; & fuit practicatum in electione Vicarij generalis electi Genuæ anno 1625. per mortem Generalis Chamart. In qua electione votauit P.F. Iulius à Paula Corrector Paulæ, qui erat actualiter Corrector anno 1625. die 30. Martij, in qua fuit facta electio dicti Vicarij generalis, non ille, qui erat Corrector die vltima Auguſti 1624. quando mortuus eſt in dicto conuentu prælatus Chamart. Et aduerte, quòd ſi contingat, Generalem mori in aliquo paruo conuentu, qui regatur per Vicarium, ille Vicarius legitimè deputatus votabit in electione Vicarij generalis, qui erit tempore electionis. Quòd ille Vicarius habeat votare, ac ſi eſſet Corrector, innuit expreſsè iſta conſtitutio §. 9. dicens, *Si Generalis decedat in aliquo conuentu, Superior illius conuentus veniet ad electionem Vicarij generalis futuri*. Vnde conſtat, quòd ſufficit, quòd ſit Superior, non tamen eſt neceſſe, quòd ſit Corrector. Quòd verò debeat eſſe ille, qui erit tempore electionis, conſtat ex dicta declaratione; currit enim vtrobique eadem ratio. Pro quo aduerto, quòd communiter in Ordine noſtro deputatio Vicariorum paruorum conuentuum fit in capitulo definitorio per Prouincialem, & Definitores. Solet tamen capitulum definitorium hanc facultatem tribuere Prouinciali, vt ipſe per ſe ſolus prouideat, vel cum ſuis Socijs, & tunc prouiſio facta durat per totum annum. Nec licet Prouinciali Vicarium inſtitutum abſque legitima cauſa amouere. Quando verò capitulum tribuit facultatem Prouinciali, vt Vicarios inſtituat, & ad ſuum beneplacitum amoueat, tunc poteſt de iure dictos Vicarios abſque cauſa legitima amouere, & alios ſubſtituere. Certum ergo eſt in præſenti, quòd Vicarius deputatus à definitorio, ſeu Prouinciali, cum ſuis Socijs, vel per ſe ſolo pro toto anno, poteſt votare in electione Vicarij generalis, quando in illo conuentu Generalis deceſſit. An autem poſſint votare illi, qui ad nutum Prouincialis ſunt amouibiles, videtur habere aliquam difficultatem. Nam poſſet Prouincialis inſtituere aliquem ad hunc effectum tantùm votandi, & electione ſecuta, illum amouere; quod videtur habere aliquam deformitatem.

3 Noto III. quòd ſi eligatur Collega Generalis, ſeu Prouincialis, vel Zeloſus in Vicarium generalem, capitulum congregatum pro electione Vicarii generalis habebit prouidere de nouo Collega, vel Prouinciali, vel Zeloſo. Nam lex diſponens de principio, intelligitur etiam expreſſa quò ad ea, quæ exinde oriuntur, leg. fin. Cod. de nuptiis, in fine, leg. In omni ferè, ff. de adopt. & emancip. c. Translato de conſt. c. Non debet, de conſang. & affin.

4 Noto IV. quòd ſi, quando Generalis deceſſit, habebat aliquem Collegam aſſumptum ſecundùm formam traditam in Correctorio, num. 113. & iſte ſit antiquior aliis duobus, qui fuerunt electi in capitulo generali, fungi officio Vicarii, & tenere ſigilla vſque ad electionem Vicarii generalis, ad iſtum Collegam aſſumptum pertinet. Quia iſte non minorem habet præeminentiam, & auctoritatem, quàm illi, cum ſit electus legitimè, & ſecundùm Regulam non minus, quàm illi; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Et circa hoc punctum nota, quòd Collega ſuffectus modo dicto ſecundùm formam Correct. poteſt non ſolùm ſigilla aſſumere, ſed etiam votare in electione Vicarii generalis, & idem eſt dicendum de quocunque Collega aſſumpto, ſiue generali, ſiue prouinciali, quod ſcilicet poſſit non ſolum iudicare, ſicut alii Collegæ, ſed etiam votare in quacunque electione occurrente, in qua poſſunt votare alii Collegæ; ſic enim conſuetudo Religionis interpretata eſt locum illum Correctorii, vt cõſtare poteſt ex multis exemplis, quorum aliqua hic recenſebo. In principio Generalatus P. F. Franciſci à Mayda cum P. F. Syluester de Maverato renunciaſſet officio Collegæ generalis, ad electionem noui Collegæ in perſona P.F. Vincentij de Conſentia, vocem habuit P.F. Chryſoſtomus à Neapoli, qui ſuffectus erat loco Collegę Hiſpani abſentis. Similiter, cum P. F. Vincentius à Conſentia renunciaſſet officio Prouincialis Tuſciæ, ad electionem Vicarii prouincialis in perſonam P.F. Antonii de Mayda, fuit admiſſus idem P. Chryſoſtomus, ſubrogatus in Collegam Hiſpanum abſentem. Item cum P.F. Stephanus à S. Seuerino miſſus fuiſſet à P. Generali ad viſitandas Prouincias Hiſpaniarum, & ſubſtituiſſet in Prouincia Neapolitana, vbi erat Prouincialis, in ſuum locum, & Vicarium, P.F. Antonium à Neapoli Collegam, loco huius ſubrogatus fuit in Procollegam P. F. Petrus à Neapoli, qui & vocem habuit in capitulo prouinciali, celebrato die S. Michaelis immediatè ſequenti. Vlterius, cum ob officii Prouincialatus renunciationem factam à P.F. Antonio à Neapoli electus fuiſſet in Vicarium prouincialẽ P.F. Chryſoſtomus à Neapoli, in tali electione vocem habuerũt P.F. Ioannes à Beluederio, ſubſtitutus in Collegam Hiſpanum, P. F. Antonius à Mayda ſubſtitutus in Collegam Italum, & P.F. Theodorus Sero ſubſtitutus in Collegam Gallum; quæ electio impugnata Romæ, ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinali Magalotto commiſſario declarata fuit valida, & cætera.

5 Et aduertendum, quòd poteſt fieri ſubſtitutio collegæ, quacunq; de cauſa is abſens reperiatur, licèt Correct. num. 113. ſolùm videatur aſſignare abſentiam cauſa viſitationis. Nam ita conſuetudo locum illum ſemper fuit interpretata, & ita factum eſt Neapoli, quando fuit ſuffectus P. F. Petrus à Neapoli loco P. Antonii à Neapoli, qui non erat quidem delegatus ad viſitãdum aliquem conuentum, nec erat abſens, ſed exercebat officium Vicarii prouincialis, ſubſtitutus à P.F. Stephano de S. Seuerino, qui vt diximus, ſeceſſerat in Hiſpanias, & dictus P. F. Petrus ſuffectus fuit in collegam, & votum dedit in capitulo prouinciali. Similiter, P.F. Chryſoſtomus à Neapoli fuit ſuffectus pro collega Hiſpano, qui non fuerat delegatus ad viſitandum; viſitatio enim Hiſpaniarum fuit commiſſa poſt duos, vel tres annos P. F. Stephano à S. Seuerino vnà cum collegis, &c. Et dictus P. Chryſoſtomus in multis electionibus fuit admiſſus ad votandum, vt diximus. Vlterius, cum ob mortem P. F. Dionyſii à Paula Prouincialis, non fuiſſet facta electio Vicarii prouincialis in dicta Prouincia, ſed ad P. Reuerendiſs. Generalem reuoluta fuiſſet vnà cum ſuis collegis ad electionem veniens, loco collegæ Hiſpani abſentis fuit aſſumptus P. F. Ioannes Lepage, & iſte votum dedit vt collega ſuffectus; & electus fuit P. F. Franciſcus à Celico. Item Neapoli loco P. Antonii Rangolii, qui non erat delegatus ad viſitandum, ſed adierat Romam ad ſua negotia peragenda, fuit ſuffectus P. F. Fulgentius à Neapoli.

6 Cum inciderim in hunc punctum, operæ pretium duxi, in gratiam meorum collegarum, aliqua de collegis, quæ difficultatem habere videntur, & lites quotidie pariunt, enucleare. Quæritur ergo 1. Vtrum collegæ Prouincialis ſubdantur Correctoribus illorum conuentuum, in quibus degunt. ℞. non ſubdi, cum ſint ab illorum iuriſdictione exempti, per textum expreſſum Correctorii, num. 113. vbi dicitur. *Præterea ſinguli huius Ordinis ſuperiorem Prælatorum Socij, ad eiuſdem Ordinis*

Digitized by Google

lota diuertentes, benignè tractentur, & Correctoris generalis, ac proprij Vigilis, & Prouincialis obedientiæ dumtaxat ſubdentur. Et vult dicere, quòd Socij Generalis ſint tantummodò ſubditi Generali, & Socij Prouincialis ſint tantummodò ſubditi proprio Prouinciali, & proprio Vigili (Vigiles tamen non ſunt in vſu) nam dictio illa taxatiua, *dumtaxat*, habet naturam excludendi omnes alios caſus, & omnes alias perſonas, præter expreſſas, vt Barboſ. de dict. dict. 82. num. 2. & confirmat titulus dicti numeri 113. qui eſt, De Sociorum Prælatorum exemptione; quæ exemptio eſt vniuerſalis; vnde nullam relinquit Correctori in Socios iuriſdictionem, nec mediatam, nec immediatam, nec principalem, nec acceſſoriam, per mãdatum, ſtatutum, aut punitionem. Quia, vt ea relinqueretur, deberet nominatim excipi ab vniuerſali exemptione: cap. Cum olim, el 1. §. Nos verò, de priuil. vbi Gloſſa ver. Diœceſani. Et aduerte, quòd iubet Legislator, Socios Prælatorum benignè tractari à Correctoribus, cum ad eorum conuentus diuerterint, ſicut iiſdem benignè tractari præceperat ſuperiores Prælatos, cum ad eos diuerterint, in Corrector. nu 61. ad innuendam prærogatiuam, & perſonatum, quem dicit Collegatus; ſunt enim omnes exempti iure communi digni ſpeciali honore, & fauore; c. Per tuas, de maior. & obed. c. Vt apoſtolico, de priu. in 6. Chokier de exẽpt. lib. 1. q. 5. num. 2. Vnde Correctores, qui negligerent, vel ſpernerent benignè tractare Collegas ad eos diuertentes, in hilari receptione, in liberaliori victu, & commodiori, ac ornatiori cella, iuxta facultatem, & commoditatem monaſterij, poſſent, & deberent puniri à Prælatis, tanquam ſuæ Regulæ non parentes.

7 Quæres 2. Si Collega accuſet ſubditum Correctoris apud eũdem Correctorem de furto, vel percuſſione, & accuſatus dictum Collegam apud eũdem Correctorem reconueniat, accuſando Collegam de alio ſibi facto furto, ſeu data percuſſione, an Collega teneatur de iuſtitia reſpõdere Correctori, & Corrector poſſit vtriuſque rationes audire, & deinde finaliter ſententiare? ℞. quòd ſic. Ita habetur in cap. 1. & 2. de mut. petit. Quòd ſi Collega nolit reſpondere coram Correctore ſuper recõuentione facta, Corrector debet ei iuſtitiam denegare, nec ipſum audire in ſua cauſa, vt multis probat Gloſſ. in c. 1. cit. verb. Reſpondere.

8 Quæritur 3. Vtrum Collega peccans in conuentu poſſit a Correctore puniri? ℞. non poſſe, & conſtat ex cap. Frater noſter. 16. quæſt. 1. cap. Sicut nobis, §. Nolentes, de ſuppl. neglig. Præl. cap. fin. de ſtatu Monach. §. Hæc eadem, cap. Cum & plantare, §. fin. de priuil. Hoſtien. in ſumm. de priuil. numer. 12. Chokier de exempt. part. 4. quæſt. 32. nu. 2. Nec obſtat cap. Volentes, de priu. in 6. in quo ſtatuitur, quòd ratione delicti quis ſortiatur forum nõ ſuum. Nam intelligitur de exemptione reali, ratione ſcilicet loci, nõ de exemptione perſonali, qualis eſt exemptio Collegarum. Atque ita Angelus verb. Exemptus, §. 1. Chokier de exempt. p. 2. quæſt. 45. nu. 27. Si autem delictum ſit atrox, & periculum ſit fugæ, poteſt Corrector Collegam ſiſtere, & incarcerare. Quia, cum Religioni interſit multum, maleficia non remanere impunita, leg. Ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. leg. Si lõgius, §. 1. ff. de iud. magna impunitati feneſtra aperiretur, ſi hanc poteſtatem Correctori ſemoueremus. Ita Chokier de exempt. p. 4. q. 52. nu. 1. Quòd ſi Collega peccet publicè & corã Correctore, V. G. percutiat Religioſũ, an tunc poſſit à Correctore puniri? Dico, quòd ſic. Quia exemptus ratione notorij delicti poteſt ab ordinario puniri. Ita Hoſtien. in ſum. de priu. nu. 12. Gloſſa in c. Patentibus, in ſum. & habetur in dicto c. Patentibus, & in c. Tuarum, de priuil.

9 Sed pone, quòd Collega nolit parere Correctori in caſu ſibi permiſſo, vel à iure, vel à Prouinciali, V. G. quòd poſſit eum cogere ad accedendum ad chorum, vel ad orationem mentalem, poterit ne ab eo puniri? Puto, quòd ſic. Quia cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus iuriſdictio defendi non poteſt, vt eſt punitio, coercitio, executio. Et eſt textus in leg. Cui iuriſdictio, ff. de iuriſd. om. iud. Chokier de exempt. par. 4. quæſt. 33. in fine.

10 Aduerte autem, quòd Correctores tentantes punire Collegas, debent à Prouincialibus puniri tanquam vſurpatores alienæ iuriſdictionis. Pœna autem in tales infligenda videtur arbitraria, per ea, quæ tradit Menochius de arbitr. lib. 2. caſu 320. nu. 1. & clariùs caſu 379. nu. 2. Videatur Farin. lib. 1. conſil. conſil. 74.

11 Aduerte tamen, quòd Collegæ tenentur ad exhibendum Correctoribus ius reuerentiale. Ita Chokier de exempt. p. 4. q. 34. n. 3. vbi multos citat; & dixi tom. 1. priuil. in conſt. 26. Leonis X. nu. 44. Reuerentia autem eſt honor, quem alicui tam in factis, quàm in verbis, exhibemus, vt dicit Petrus Greg. in c. Conquerente, de poteſt. iud. ord. c. 7. n. 1. Hic autem honor conſiſtit in decem, quæ pono tom. 1. Religioſi, q. 1. c. 28. concl. 5. Vnde quando conuentu exeunt, tenentur benedictionem à Correctore petere, in abſentia tamen ſui Prouincialis. Ita ſtatutum eſt in c. Val. 3. nu. 8. in fine. Et aduerte, quòd poteſt Corrector cenſuris cogere Collegas ad ſibi hoc ius reuerentiale exhibendum, arg. c. Quod ſuper, de maior. & obed. Petrus Greg. loc. cit. n. 5.

12 Quæritur 4. Vtrum Collegæ teneantur ſtare capitulis culparum celebratis à Correctore? ℞. negatiuè. Cum enim non ſint ſubditi Correctoris, non tenentur coram ipſo culpam dicere, nec pœnitentiam recipere: dicunt enim hi actus ſubiectionem. Poſſunt tamen, ſi velint, ibi permanere vſq; ad recitationem illarũ precum, quæ culpam præcedunt. Imò ad exercendam humilitatem, etiam culpam dicere. Nec in hoc præiudicant ſuæ exemptioni, vt probat Chokier de exempt. p. 4. q. 35. num. 2. conſulunt enim ſibi in foro animæ, ſaluo ſemper manente foro externo, pro quo ſpecialiter exẽptiones conceduntur; differunt enim iſti fori inter ſe, ſicut cælum, & terra, vt ait Gomes ad reg. cãcell. de non iudic. ſecund. form. ſupplic. q. 14. verb. Breuiter prædictis: Et per hoc dixi, quòd poteſt Regularis abſq; præiudicio exemptionis, ſubijcere ſe in aliquo caſu Epiſcopo pro abſolutione. Quod etiam docet Sayrus de cenſ. lib. 7. c. 7. n. 23. Neq; his dictis obſtat textus Correc. n. 28. vbi dicitur, quòd cuncti Fratres in capitulo locali culpas ſuas humiliter dicant. Nam intelligitur de Fratribus ſubditis Correctori; alioquin poſſet etiam cogi Prouincialis præſens, cum quo faciunt magiſtratum College, cum ipſe etiam ſit Frater, quod eſt abſurdum. Si verò Prouincialis capitulum culparum celebret, clarum eſt, quòd Collegæ debent illi intereſſe, cum Prouincialis ſit illius Superior.

13 Quæritur 5. Vtrum Collegæ poſſint, vel debeant intereſſe capitulis localibus, in quibus agitur de negotijs conuentus? ℞. quod Collegæ reſidentes in aliquo conuentu, ſiue abſente, ſiue præſente Prouinciali, habent vocem in venditionibus, emptionibus, & reparationibus, ac in admittendis nouitijs ad profeſſionem, & in cæteris grauioribus negotijs. Ita ſtatutum eſt in cap. Genuen. 3. num. 6. Poſſunt item eſſe Vicarij conuentus, & in menſa in loco Correctoris ſedere, ac Fratres benedicere. Ita ſtatuitur in cap. Genuen. 1. nu. 7. & in cap. Paulæ, num. 26. Non poſſunt tamen cogi à Correctore ad hęc præſtanda, ſi nolint, priuilegio exemptionis obſtante. Et hæc ſunt illis conceſſa ad magis eorum perſonas qualificandas, & honorandas, vt innuunt dicta capitula, quę nunquam vtuntur verbo Debeant, aut teneantur, ſed ſolum verbo Poterũt, aut Audiantur. Verbum autem Poſſum, affirmatiuè prolatum, neceſſitatem non inducit, ſed facultatem, ac liberam voluntatem, ſeu arbitrium, & electionem, leg. Sæpe, ff. de offic. præſid. Barboſa de diction. dict. 226. n. 1. Non poſſunt tamen votum habere in electionibus, quæ in dictis conuentibus fiunt. Cum enim de his habeant deliberare in cap. definitorijs, vel extra, cum ſuo Prouinciali, æquum non eſt, vt ijs faciendis interſint; nam ſemper curabunt ſuſtinere, quod fecerunt, etiamſi malum, aut minùs bonum ſit. Atque ita definitum eſt in cap. Bonon. 2. num. 12. Vnde, ſi interſint, electio ſecuta erit irri-

tanda,

Digitized by Google

tanda, cum in eâ interuenerit, qui interuenire non poterat. Poſſunt item Collegæ eſſe Vicarij paruorum conuentuum, vt ſtatuitur in c. Genuen. 4. n. 19.

14 Quæritur 6. Vtrum Collegæ ſint locales in quolibet conuentu ſuæ Prouinciæ, ad quem eos diuertere contigerit? ℞. Hoc audiui ſæpe à Fratribus dici, fundamentum tamen me latet. Solum in Correctorio reperi, vt dixi nu. 5. quòd debent à Correctoribus benignè tractari. Imò in c. Genuen. 3. nu. 6. reperio, quòd Collegæ Prouincialis, qui poſſunt in capitulis localibus vocem habere, debent eſſe reſidentes in illis monaſterijs, & in fine dicti ſtatuti redditur ratio, quare debeant in dictis capitulis vocem habere, his verbis. *Audiantur tanquam Fratres locales, ſi quidem in monaſterio reſideant.* Et iſta dictio, Siquidem, idem valet ac, Si modò; Italicè, Purche, vt docet Paſſerat. in ſuo Calepino illo verbo. Quare vult dicere, quòd vocem habeant, modò ſint locales. Concludo igitur (niſi quid me lateat) quòd Collegæ non ſunt locales, niſi in illis conuentibus, in quibus aſſignantur per ſuos Superiores; & cum non poſſint aſſignari vno, & eodem tempore, niſi in vno conuentu, in illo ſolo erunt locales, & poterunt gaudere priuilegijs ſuæ localitatis.

15 Quæritur 7. Vtrum Collegæ teneantur aſſiſtere diuinis officijs, & an poſſint cogi à Correctore ad ijs aſſiſtendum? ℞. affirmatiuè: ait enim Regula num. 12. *Laudibus diuinis Fratres huius Ordinis in clericos aſſumpti, cum tremore, alacriter intendentes, &c.* Et in conſt. Clem. VIII. quas habes in conſt. 10. Vrb. VIII. §. 8. to. 2. noſtr. priu. dicitur. *Nullus omnino prætextu cuiuſcunque priuilegij, vel Superioritatis, etiam Generalatus, a ſeruitio chori cenſeatur immunis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animaduertant, ad præſcriptum Regulæ, & conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.* Facit etiam ratio. Cum enim Collegæ comedant, & veſtiantur de eleemoſynis, quæ dantur à deuotis, adhoc vt Religioſi cultui diuino vacent, non apparet, quare Collegæ à dicto penſo abſolui debeant, quãdo munus proprij officij eos non impedit. Vnde ſanctè præcipit Papa, vt in eos Superiores animaduertant etiam ciborum ſubtractione. Qui enim non laborat, manducare non debet.

16 At quis Superior coget puniendo? Puto, quòd Corrector poterit dictos Collegas cogere, & punire. Quia in hoc Collegæ non ſunt exempti, vt conſtat ex dicto decreto Clem. vide hic ſupra, nu. 7. Quòd ſi Collega ſuæ exemptioni fidens, iniuriam faciat Correctori eum cogenti vt ad chorum accedat, verbis, vel factis, poteſt eum Corrector pro tali iniuria punire. Ita Chokier de exempt. p. 2. qu. 45. num. 107. Conſulo tamen, vt Correctores prius agant coram Prouinciali, vt ſuos Collegas cogat ad aſſiſtendum choro, & non parentes puniat, arg. c. Nullus, de iur. patron. Quòd ſi Prouincialis non prouideat, tunc Corrector ſuo fungatur officio; in hoc enim caſu Collega non eſt exemptus.

17 Sed pone, quòd Collega non diſciplinatè viuat, & Corrector ſcripſerit ad Prouincialem, illum informando de vita ſui Collegæ; qui tamen Prouincialis nihili fecerit monitionem Correctoris, poterit ne Corrector cogere Collegam ad viuendum diſciplinatè, ſicut cæteri, vt omnia membra ſuo corpori adaptentur, & pars corpori non conformis turpitudinem in corpus inducat? ℞. quòd hoc caſu tenetur Corrector ſcribere ad Generalem, qui niſi prouideat, tenetur ſcribere ad Protectorem, & ſic gradatim, vſque ad Papam, ſemper monendo, quod ipſe de hoc iam informauit Prouincialem, &c. Ita Chokier de exemp. p. 2. q. 45. num. 63. Si autem Generalis ſit in longinquis partibus, ad quem facilis non poſſit haberi recurſus, nec expectari remedium, tunc poteſt Corrector Collegam cogere ad viuendum diſciplinatè, & recuſantem punire, ſupplet. n. tunc Prouincialis negligentiam: ſicut ſupplet aliquando iudex laicus negligentiam iudicis eccleſiaſtici, vt dicit Aufrerius de poteſt. ſecular. ſuper eccleſiaſt. reg. 4. num. 48. Chokier de exemp. p. 2. q. 8. nu. 11. & habetur in cap. 1. & 2. de ſuppl. neglig. Præl.

18 Quæritur 8. Vtrum Collegæ Prouincialis tempore viſitationi debeant præcedere Correctores in proprijs Conuentibus? ℞. affirmatiuè. Certum eſt enim, quod Viſitatores ſunt Superiores eorum, quos viſitant: vnde debent neceſſariò eos præcedere, & id in Regula noſtra num. 53. clariſſimè ſtatuitur, vbi dicitur. *Inſuper cuncti ſimplices viceſgerentes, ſeu Viſitatores, peractis eorum viſitationibus, nulla prorſus auctoritate, neque præeminentia fungantur.* Ergo, durante viſitatione, aliquam præeminentiam habebunt. Et in Correct. num. 104. dicitur. *Ipſi etiam Prælatorum Socij nulla ſpeciali auctoritate, neque præeminentia fulgeant, niſi per eorum Prælatos ad aliqua huius Ordinis loca in actu viſitandi delegati forent.* Et in eodem Correct. num. 113. dicitur. *Vbi verò aliquando ipſi Prælatorum Socij ad aliquem huius Ordinis conuentum viſitandum per ſuos Prælatos delegati forent, ipſorum Prælatorum vice in tali conuentu præſideant.* Ex quibus clarè conſtat, quòd Viſitatores præcedunt eos, quos viſitant. Sed Collegæ Prouincialis, & etiam Generalis, tempore viſitationis ſunt Viſitatores, & coniudices cum ſuis reſpectiuè Superioribus, habentes votum cum eis deciſiuum, vt probaui tom. 2. Religioſi, q. 1. cap. 2. §. vnico, & præſertim nu. 30. adduxi declarationem viſitationis apoſtolicæ, in qua dicitur, quòd Collegæ ſunt coniudices cum ſuo Prælato. Ergo non poteſt eſſe dubium, quin in ipſo actu viſitationis Collegæ Prouincialis debeant præcedere Correctores, & Collegæ Generalis non ſolum Correctores, ſed etiam Prouinciales. Et ita ſeruant Monachi Congr. S. Mariæ Fulienſis, vt mihi retulerunt.

19 Quæritur 9. Vtrum Collegæ teneantur obſeruare ſtatuta Correctoris in bonum commune edita. ℞. affirmatiuè. Tum quia quilibet tenetur obſeruare mores illorum, cum quibus viuit, cap. Quiſquis rebus, d. 41. cap. Illa autem, d. 12. & turpis eſt pars, quæ non congruit ſuo toti, cap. Quæ contra mores, d. 8. Tum quia to. 2. Relig. q. 1. cap. 8 nu. 20. probaui, teneri Generalem ſeruare ſtatuta ſpecialia conuentuum, per quos tranſit. Tum quia ibid. q. 2. cap. 2. nu. 102. probaui, quòd eccleſiaſtici tenentur obſeruare leges ciuiles in communem vtilitatem editas; & Doctoribus ibi ad hoc adductis adde Caſtrum tract. 3. diſp. 1. p. 24. §. 6. nu. 10.

20 Quæritur 10. Vtrum Collegæ cogi poſſint à Correctoribus ad teſtimonium ferendum coram ipſis. ℞. negatiuè: cum ſint exempti ab eorum iuriſdictione; vnde illis competit declinatoria fori ordinarij, ac proinde coram illo iurare non tenentur; & habetur expreſsè in leg. Tutor, §. fin. ff. de iure iur. vbi dicitur; *Qui non compelluntur Romæ iudicium accipere, nec iurare compellendi ſunt.* Et reddit rationem ibi Gloſſa ver. Compelluntur. *Quia loco iudicij iuſiurandum ſuccedit.* Quare cum caſus aduenerit, erit prius obtinenda licentia à Prouinciali, vt poſſint examinari iuridicè. Ita Farin. de teſt. p. 2. praxis, qu. 61. oppoſ. 14. num. 130. Chokier de exempt. p. 2. q. 34. nu. 1. & alij multi apud Farin. cit. Si tamen Collegæ viuò velint ſe examinare, valida erit eorum depoſitio, etiam non obtenta licentia à Prouinciali; & colligitur ex cap. Quamquam, 14. q. 2. Ita Farin. loc. cit. nu. 80. & 134. & Chokier nu. 3.

21 Sed pone, quòd per vim, ſeu metum cadentem in conſtantem virum cogatur Collega coram Correctore teſtimonium ferre, tenebitur ne iurare ad mentem Correctoris? Dico quod non. Quia Corrector eſt incompetens, vnde poterit æquiuocare. Ita communiter Doctores; Nau. in man. cap. 12. nu. 8. verſ. 9. & tom. 2. ſuorum op. in cap. Humanæ aures, q. 1. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 4. qu. 5. Sayr. in claui reg. lib. 5. cap. 6. nu. 8. & colligitur ex cap. Humanæ aures, 22. qu. 5. Secus autem eſt, ſi Collega ſponte ſe offerat ad teſtimonium ferendum, vel etiam cogatur à proprio Prælato, ſeu quando Corrector obtinuiſſet licentiam à Prouinciali. Nam tunc Corrector eſſet iudex competens, vnde teneretur Collega ad mentem illius iurare, per ea, quæ dicunt præfati Doctores.

22 Sed

22 Sed pone etiam, quòd Collega habens licentiam à proprio Prælato, ſe examinet coram Correctore, ſi iuret falſum, poterit ne à Correctore puniri? Dic, quòd poterit, non obſtante exemptione. Quia tunc Corrector eſt competens, & iurando falſum fit illi iniuria iudicialiter, quam ipſe vindicare poteſt, vt dixi tom. 2. Relig. quæſt. 2. cap. 3. numer. 102. atque ita Chokier de exemp. p. 2. quæſt. 35. à num. 2. & eſt textus expreſſus in leg. Nullum, Cod. de teſt.

23 Sed pone etiam, quòd Prouincialis nolit dare licentiam Correctori, vt poſſit examinare ſuum Collegam, & cogere coram ipſo iurare, poterit ne Collega eo caſu à Correctore cogi. ℞ quòd ſi veritas aliter haberi non poſſit, quia ſolus Collega eſt informatus de negotio, & Prouincialis doloſè recuſet talem licentiam dare, vt reus illæſus euadat, nec ipſe per ſe velit cauſam facere, poterit Corrector eo caſu Collegam compellere ad teſtimonium coram ipſo ferendum, & iurandum, & Collega iurare tenebitur ad mentem Correctoris. Ducor. Tum quia multum intereſt Religioni, ne delicta impunita remaneant, vt dixi hic ſupr. nu. 6. vel ne innocens puniantur, vel ne malus bonus æſtimetur; cap. Quamquam, 14. q. 2. Tum quia hominum malitiis non eſt indulgendum. leg. in fundo, ff. de rei vind. Tum quia eo caſu Corrector ſupplet Prouincialis negligentiam, iuxta dicta hic ſup. num. 15. Tum quia id colligitur manifeſtè ex cap. Cum ſuper, de teſtib. cog. ibi, Sit *teſtimonium veſtrum neceſſarium*, & ex c. Peruenit, el 2. in fine, eodem tit.

24 Nota hic, quòd multa dixi in hoc tractatu de Collegis, argumentando ab exemptione eccleſiaſticorum à foro ſeculari, & ab exemptione eccleſiaſticorum à foro ordinariorum, cum enim analogia ſit, & proportio in materia fori inter exemptos Clericos, & laicos, ac Collegas, cum ſinguli ſpeciales habeant iudices, fit, vt ab vno ad alium efficax argumentatio trahi poſſit quo modo argumentandi paſſim vtitur Chokier in tract. de exemp. & Farin. de teſt. p. 2. praxis, qu. 61. præſertim nu. 130. & nu. 134. Et hoc argumentum eſſe validum in iure, docet Gloſſa in cap. 1. ver. Nunquid ergo, & cap. Auctoritate, ver. Non exemptis, de priuil. in 6. Chokier. de exempt. p. 1. q. 45. nu. 5. Barboſ. in loc. com. verb. Argumentum, num. 97.

25 Aduerte denique, quod iuriſdictio ordinarij latè eſt interpretanda: quia fauorabilis eſt, & exemptio Collegarum ſtrictè. Quia omnes exemptiones, vtpote recedenter à iure communi, cenſentur odioſæ. Ita probat Chokier. de exemp. p. 1. quæſt. 4. à numero 7.

Conſtitutio ſecunda, aliàs 12.

Annullat electiones Generalis, Collegarum & Zeloſi Ordinis Minimorum Barcinone factas, & prouidet de nouo.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Procemiũ.

INiuncti nobis apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt circa ſtatum religioſorum Ordinum in Eccleſia Dei militantium ſalubriter dirigen. mentis noſtræ aciem aſsiduè intendamus; atque in his eiuſdem muneris partes ſedulò impendamus, quæ proſpero, feliciq; illorum ſtatui, & directioni conſpicimus in Domino expedire.

Annullat electiones & nouas facit.

§. 1. Cum itaque in Congregatione Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſuper negotijs Fratrum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula à nobis deputatorum, ſæpius actum fuerit de validitate capituli generalis eiuſdem Ordinis in ciuitate Barcinonen. vltimò celebrati; nos ipſius Congregationis relatione, ac ſententia audita, iuſtis de cauſis animum noſtrum mouen. electiones Correctoris generalis in perſona dilecti filij Simonis Bachelier, eiuſdem Ordinis profeſſoris, nec non trium Collegarum, ac Zeloſi, ſeu Procuratoris generalis Ordinis prædicti, in dicto capitulo factas, apoſtolica auctoritate, ten. præſentium caſſamus, ac nullas eſſe, & fore declaramus. Necnon Franciſcum Longobardum ipſius Ordinis Vicarium apoſtolicum, vſque ad futurum generale capitulum; Zeloſum verò, ſeu Procuratorem Ordinis, eundem Simonem; Collegam Italum, Ignatium de Neapoli; Collegam Hiſpanum, Ioannem Pinnam de Celsis; & Collegam Gallum Ioannem Kermarck dicti Ordinis profeſſores, dilectos filios, auctoritate, & tenore prædictis conſtituimus, & deputamus: reliquas autem electiones, & acta quæcunque eiuſdem capituli confirmamus.

Statuit quòd Vic. gen. dicti Ordinis nõ poſſit immediatè eligi in Generalem.

§. 2. Præterea Vicarium generalem dicti Ordinis, ſiue à Sede Apoſtolica pro tempore deputatum, ſiue à capitulo electum, de cætero nullatenus poſſe immediatè eligi in Correctorem generalem, ſed tandiu debere ab officio vacare, quamdiu Vicarius generalis extiterit.

Ita iudicatũ ſtatper quoſcunq; iudices etiã Legatos de Latere cum decreto irritante.

§. 3. Sicque obſeruari, & ita per quoſcunque iudices, & commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis Apoſtolicæ Nuncios iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrarijs derogat.

§. 4. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis, ſub quibuſcunque ten. & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium ten. præſentibus pro expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Martij 1630. Pontificatus noſtri anno 7.

M. A. Maraldus.

1. Noto 1. quòd huic conſtitutioni cauſam dedit capitulum generale Barcinone 3. celebratum anno 1629. in quo reelectus fuit P. F. Simon Bachelier Gallus, ex Prouincia Campaniæ, qui fuerat Genuæ anno 1625. per mortem bonæ mem. P. Aegidijs Chamart, in Generalem electus, & in eo officio durauerat à die 29. Martij dicti anni 1625. vſque ad Calend. Iunij 1629. Contra quam electionem cum reclamatum fuiſſet per 23. capitulantes, nouem ſcilicet Italos, & 13. Gallos, & appellatum ad ſanctam Sedem, Sanctiſſimus D. N. Papa Vrbanus VIII. dictæ appellationi detulit, & reclamationi aures dedit, & inſtantibus P. F. Deodato Lomellino Genuenſi, Procuratore pro natione Italica, & P. F. Petro Brian Auenionenſi, Procuratore pro natione Gallica, ſpecialiter electis Barcinone à dictis 23. Patribus, dictus Sanctiſſimus grauitatem negotij penetrans, illud commiſit ſex Cardinalibus, nimirum Vbaldino, Lantes, Aldobrandino, Gypſio, Zacchiæ, Caietano; qui quidem Cardinales, auditis partibus, ſolum Deum, & iuſtitiam præ oculis habentes, poſthabitis humanis fauoribus, quibus multùm confidebat pars aduerſa, declarauerunt electiones Barcinone factas nullas. Quæ declaratio ad Sanctiſſimum relata, eum mouit ad hanc conſtitutionem faciendam. Vtriuſque partis iura hic non recenſeo; ad perpetuam tamen memoriam repoſui in noſtra biblioteca Genuenſi.

2 Noto 2. quòd tomo 1. Religioſi, qu. 1. cap. 18. ver. Aduerto tamen, dixi, quòd aduersùs Prælatos non erant admittendi quicunque teſtes, ſed ſolùm omni exceptione maiores, & in Ordine noſtro excludendos eſſe dixi eos Conuerſos, quos Oblatos vocamus. Quo dicto valdè ſe grauatos ſenſere Obblati præfati, & in prædicto capitulo generali Barcinonenſi anno 1629. omnes ferè aduersùm me concilium inierunt, vt dictum

Digitized by Google

ctum illud meum necarent omnino. Vnde quemdam Doctorellum ibi morantem, qui potiùs pani lucrando, quàm iuri dicendo inſudabat, conuenere; &, data pecunia, conduxere, vt contra illam propoſitionem meam ſcribere; Quod fecit, & impreſſit, generales regulas, (vt illius proprium erat) adducendo, quibus probatur omnes viros eſſe teſtes idoneos, modo ſint bonæ conuerſationis, & famæ. Paucula autem illa, quæ affert ex noſtris ſtatutis, ita extra propoſitum ſunt, vt, cum illam ſcripturam legerem, exclamauerim, dicens cum Propertio.

Aurum omnes, victa iam pietate, colunt.
Auro pulſa fides, auro venalia iura.
Aurum lex ſequitur.

Quod ita verum eſſe puto, vt falſitatis accuſem illos, qui dicunt, ætatem nos ferri colere; exiſtimo enim, nos eſſe in ætate auri, cum omnia auro fiant, vt cecinit non illepidè Poeta Naſo.

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro.
Venit honos, auro conciliantur opes.

Hæc ſic impreſſa ſcriptura præſentari debebat capitulo generali, vt me tanquam malè locutum de Fratribus meis redargueret, atque puniret, præciperetque dictam propoſitionem abiurare. Sed cum vna fuiſſet in priuato à capitularibus, quibus ſingulis vna copia fuit conſignata, indigna viſa eſt, vt in conſeſſum tantorum Patrum compareret. Cum ego tamen ad quædam breuia negotiola è capitulo diſceſſiſſem, Morgantus quidam, vt audiui, dictam ſcripturam præſentare tentauit. Sed reiectus eſt.

3 Dico itaque primò, quòd ſi intentum Fratrum meorum Oblatorum ſciuiſſem, illa pecunia in alios vtiliores vſus fuiſſet conuerſa; & charitas fraterna videbatur poſtulare, vt ſcirem; cum enim eſſem præſens, dictam propoſitionem declaraſſem, antequam contra eam quicquam ſcriberetur. Nam dubia propoſitio intelligenda eſt in eo ſenſu, quem illi dat, qui eam protulit; leg. In ambiguis. ff. de reg. iur. Nau. libro 5. conſil. de hæret. conſil. 6. numer. 6.

4 Dico 2. quòd Doctorellus ille, qui contra me ſcripſit, Doctoris ſe ſolùm nomen habere monſtrauit, (niſi id fecerit ad panem lucrandum) nam ſi re Doctor fuiſſet, ſciuiſſet, quòd Doctorum dicta ſecundùm leges, quas allegant, intelligenda ſunt, vt docent Io. Andr. in cap. Cum nuncius, de teſtibus num. 4. Nauarr. in cap. Qualitas, num. 39. de pœnit. d. 5. vbi citat Bartol. Cum ergo ad illud dictum probandum adduxiſſem cap. Sacerdotes, 2. quæſt. 7. illud erat interpretandum, ſicut dictum cap. Sacerdotes, cuius interpretatio ſumitur ex cap. Clericos, ead. cauſ. & quæſt. & ſic papyrus illa non fuiſſet fruſtra conſumpta.

5 Dico 3. mentem meam nunquam fuiſſe contriſtare Oblatos Fratres meos, quos anno, & colo, ac in pupilla gero oculorum meorum, quibuſque ſemper faui, & ſum auxiliatus, vt bene ſciunt, quibuſcum ſum conuerſatus; & multo minus cogitaui vnquam eos damno aliquo afficere, vel dehoneſtare, cum ex illo ordine, ſanctiſſimæ vitæ, probatæque diſciplinæ multos nouerim, & noſcam. Et quis tam inſipiens eſt, vt me tam inſipientem, & malignum reputet, vt deuotos Oblatos, ac ſuæ Regulæ obſeruantes, ac multos etiam gloria miraculorum illuſtres, à teſtimonio ferendo, & ab accuſando Prælatos arcere contenderim? Ego, qui tantum virtuti defero, vt omnia illi deberi prædicem virtutem reprobaui, deturpaui in Fratribus meis Oblatis? Pudet hæc fuiſſe de me vnquam cogitata. At quid non audet inſcitia malignitati adiecta; *Poſuerunt*, inquit diuinus Pſaltes, *in cælum os ſuum;* vnde non mirum, *ſi lingua eorum tranſiuit in terra*.

6 Dico 4. quòd ego non intendo hic reprobare, quæ miſellus ille Doctor contra me attulit. Tum quia contra dictum meum ſanè intellectum, nihil dicit. Tum quia tanto honore digna non ſunt. Et præſertim quæ affert ex Ordine noſtro, inſulſa omnino ſunt, & extra rem, vt patere poteſt intuenti.

7 Dico 5. quòd propoſitio illa mea eſt intelligenda iuxta gloſſ. & Archidiac. in dicto cap. Clericos, 2. quæſt. 7. quòd ſcilicet dicti Fratres Oblati non poſſint accuſare, neque teſtificari contra Prælatos, quin priùs de eorum opinione, & vita diſcutiatur. Quod etiam habetur expreſsè in dicto cap. Clericos, & cap. Criminationes, & cap. Quærendum, ead. cauſa, & q. Et innuitur non obſcurè in cap. Qualiter, & quando, el 2. verb. Licet autem hoc, de accuſat. Et in noſtris ſtatutis generalibus id inuitur cap. Genuenſi 6. num. 22. expreſsè mandatur in cap. Valent. 4. numer. 51. & Maſſilienſ. 1. num. 59. Et huius opinionis eſt etiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 68. art. 1. ad ſecundum, Ghiſilet. de iud. regul. cap. 16. num. 47. Aragon. ad loc. cit. D. Thom. Val. to. 3. diſp. 5. quæſt. 12. par. 1. verſ. Dicit tamen Cai. Specul. lib. 3. de accuſ. §. 4. num. 7. Et licèt dicta iura, & capitula loquantur de omnibus indiſtinctè, ita vt non ſolùm includant Oblatos, ſed etiam Laicos, & Sacerdotes, & moneant vniuerſaliter omnes Superiores, ne in cauſis Prælatorum quoſcunque teſtes admittant indifferenter, ſed illos ſolùm, de quorum bona fama, & conuerſatione priùs conſtat; tamen ego ad Oblatos potiùs, quàm ad alios, propoſitionem meam reſtrinxi. Tum quia iſti communiter, ſaluis ſaluandis, recipiuntur pro ſeruitio, abſque multo delectu. Tum quia non multum accuratè educantur. Tum quia liberiùs, quàm alij, viuunt; ſoli enim ambulant. Tum quia cum crebriùs propter ingenij tarditatem corrigantur à Prælatis, hi faciliùs in illorum odium incurrunt. Tum quia non ſunt ita eruditi communiter, vt ſciant quid requiratur ad accuſandum, ſeu denunciandum, & teſtificandum. Tum quia ſcio Reuerendiſſ. P. Didacum Arias tempore ſui Generalatus nullum vnquam Oblatum in teſtem, vel accuſatorem iuridicè admittere voluiſſe. Tum propter alias rationes, quas conſulto omitto, ne illis exoſius reddar; ſub ſuo enim peſſulo omnia eſculenta, & poculenta recludunt; quare ratione boni regiminis præſtat illis morem gerere.

8 Dico nihilominus 6. quod mea propoſitio ſic declarata, fouetur multum auctoritate illorum DD. qui dicunt, quod probationes contra Prælatos debent eſſe maiores, quàm contra alios. Iſti verò ſunt Paris à Puteo de ſyndic. vet. Probatio, §. Contra officiales, num. 6. & ver. Teſtis, §. Fui ſemel, nu. 3. verſ. Quid ergo. Amodeus Iuſtinus de ſyndic. num. 186. & 187. Auguſt. Dulcetus de ſyndic. num. 24. Baldus in leg. Obſeruare, §. Proficiſci, de offic. Proconſul. num. 14. Bouadill. tom. 2. polit. lib. 5. cap. 1. à num. 200. vbi multos citat in com. lit. G. Maſcard. de prob. tom. 2. concluſ. 957. nu. 28. & tom. 3. concl. 1254. num. 18. Rodriq. tom. 3. qu. regul. quæſt. 77. ar. 4. Thomas à Ieſu de viſit. regul. tract. 3. cap. 14. nu. 6.

9 Concludo itaque, quod ego Fratres meos Oblatos non excludo à teſtimonio ferendo, neque ab accuſando, &c. Prælatos; ſed volo, vt priùs diſcutiatur, an bonæ famæ, & bonæ conuerſationis ſint. Quòd ſi notum ſit, eos eſſe bonæ famæ, & conuerſationis, tanti facio illorum teſtimonium, quanti cuiuslibet alterius, quantumuis eminentis viri.

Conſtitutio tertia, aliàs 13.

Reuocat omnes licentias, & priuilegia ſumendi nouos conuentus contra formam conſt. Clem. VIII. & decretum Congreg. Concilij de mandato Gregorij XV.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui Saluator, & Dominus noſter, qui charitas eſt, & Deus pacis, vniuerſalis Eccleſiæ Proœmiū.

crede-

Digitized by Google

credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de cauſis à Sede apoſtolica conceſſa ſunt, ipſa ſubinde rerum experientia ſuadente, & maioribus ex cauſis, quibus præſertim perſonarum ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantium paci, & quieti conſulitur, litibuſque ac controuerſiis inter eos obuiam itur, reuocat, & immutat, in hiſque paſtoralis ſolicitudinis, & prouidentiæ ſuæ ſtudium interponit, prout, rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Motiua. §. 1. *Cum itaque, ſicut nobis innotuit, complures licentiæ, ſiue facultates à nonnullis Romanis Pont. prædeceſſoribus noſtris per diuerſos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum regularium Inſtitutorum Superiores, ſeu alios eorum nomine, vbique locorum monaſteria, domos, collegia, conuentus, & alia loca regularia, quouis nomine nuncupata, ſeruata dumtaxat ſacrorum Canonum, & Concilij Trid. decretorum forma, de ſola Ordinarij licentia, ſeu etiam forſan non ſeruata forma, & abſque licentia huiuſmodi, & contra decreta à Sede apoſtolica ſuper præmiſſis edita, fundandi, erigendi, & inſtituendi, importunis precibus, ſeu etiam motu proprio, vel aliàs obtentæ, & extortæ fuerint.*

Reuocat prout in ſūmario. §. 2. *Idcirco Nos omnes, & quaſcunque licentias, ac facultates huiuſmodi, literaſque deſuper, tam ſub plumbo, quàm in huiuſmodi forma Breuis deſuper expeditas, earumque ten. etiam veriores, & Dat. præſentibus, ac ſi ſpecifice, & ſigillatim exprimerentur, & infererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, iuſtis de cauſis animum noſtrum mouentibus, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & quaſcunque licentias, & facultates huiuſmodi, literaſque deſuper, tam ſub plumbo, quàm in eadem forma Breuis expeditas, omniaque & ſingula in eis quomodolibet contenta & expreſſa, etiam quoad erectiones, fundationes, & inſtitutiones monaſteriorum, collegiorum, domorum, conuentuum, & aliorum locorum regularium huiuſmodi, quæ nondum ſuum ſortita ſunt effectum, ten. præſentium perpetuò reuocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, viribuſque & effectu prorſus euacuamus.*

Apponit pœnas di-ctis licen-tijs vtentibus. §. 3. *Præterea Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inſtitutorum regularium Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæteriſque perſonis, ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, nec non officiorum quorumcunque ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinen. nec non etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeu facultatum, per nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, ſiue alio quouis prætextu, vel cauſa, etiam quantumuis priuilegiata, noua monaſteria, collegia, domos, conuentus, & alia loca regularia huiuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſeruata in omnibus, & per omnia ſacrorum Canonum, & Conc. Trident. necnon conſtitutionis fel. rec. Clementis VIII. quæ incipit, Quoniam ad inſtitutam, ſub Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iulij, MDCIII. ac decretorum de mandato eiuſdem Clementis, necnon ſim. me. Gregorij XV. Rom. Pont prædeceſſorum deſuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, ſeu aliàs quomodolibet inſtituere, ſeu incæpta finire, & abſoluere audeant, ſeu præſumant.*

Clauſulæ præſeruatiuæ. §. 4. *Decernentes, præſentes literas, etiam ex eo, quòd cauſæ propter quas illæ emanarint, expreſſæ, verificatæ, & iuſtificatæ, aut quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis conſenſerint, vel aliàs ex quocunque capite, prætextu, colore, ingenio, vel cauſa, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius, vel controuerſiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quodius gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe; ſed eas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari; ſicque, & non aliter, per quoſcunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, quauis auctoritate fungen. ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretan. facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 5. *Quocirca venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunque ſolemniter publican. faciant illas, & illa ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari; contradictores quoſlibet, & rebelles per cen. & pœnas eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.* Commiſſarios deputat.

§. 6. *Non obſtan. præmiſſis, ac regula noſtra, De iure quæſito non tollen. & re. me. Bonifacij Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dictis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur; alijſq. conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & literis apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque ten. & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & ſæpius innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten. ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium ten. præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque.* Derogat contrarijs.

§. 7. *Volumus autem, quòd præſentes in valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quòdque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.* Dat formam publicandi s & tranſumptis fidem iubet adhiberi,

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Auguſti, 1624. Pontificatus noſtri anno 2.

V. Theatinus.

Anno milleſimo ſexenteſimo vigeſimo quarto, indictione ſeptima, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius ſecundo, die verò vltima menſis Auguſti, retroſcripta literæ apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum, ac in acie campi Floræ, vt moris eſt, per nos Camillum Fundatum de Ceſis, & Iulium Marzitellium prælibati Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores, &c.

Bran-

Digitized by Google

Brandimartes Latinus pro Magiſtro D. D. Curſ.

1 NOto I.circa hanc conſtit. quòd de conſtitut. Clem.VIII.de qua in §. 3. mentionem facio in conſt.Pyrrhi.nu.48. & decretum Congreg. de mandato Greg.XV. habes in 6. conſt. dicti Gregor. tom. 2. noſtri bull.

2 Noto II. per hanc conſt. quatenus confirmat omnino conſtit. Clem. VIII. tolli arbitramentum illud, quod Epiſcopis reliquerat Greg.XV.in fine §. 2. dictæ eius conſt. 6. non vocandi Priores, ſeu Procuratores conuentuum iam fundatorum, ſi illis aliàs conſtaret, duodecim Fratres conuentus ædificandi poſſe in illo loco commodè ſuſtentari abſque detrimento Religioſorum degentium in monaſterijs iam ibi ædificatis.

3 Noto III. quòd omnes iſtæ prohibitiones non comprehendunt hoſpitia. Nam appellatione monaſterij non venit hoſpitium. Ita Riccius p. 1. praxis, deciſ. 652. Et ratio eſt. Nam cum in locis, vbi ſunt hoſpitia, non celebrentur publicè diuina, neque pulſentur campanæ, neque fiant quæſtuationes, non poſſunt Fratres ibi habitantes eſſe damno alijs monaſterijs antiquioribus. Cum ergo, ceſſante fine prohibitioni, ceſſet etiam illius effectus; cap. Cum ceſſante, de appell. & in hoſpitijs ceſſet dictarum conſt. finis, dicendum eſt, eas in illis locum non habere.

Conſtitutio quinta, aliàs 15.

Prohibet omnibus Epiſcopis Italiæ ſub pœna priuationis exercitij Pontificalium per annum, ne quemquam Vltramontanum ſine literis dimiſſorijs ſui Ordinarij, recognitis à Vicario Papæ ordinent, etiam ad minores, aliter autem ordinatis pœnam ſuſpenſionis perpetuæ imponit.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū.

SEcretis æterna prouidentiæ conſilijs, nullo noſtrorum ſuffragio meritorum, ſpeculatores domus Iſrael, in ſublimi Apoſtolatus culmine conſtituti, eo potiſſimum pontificiæ ſedulitatis officia conuertenda eſſe arbitramur, vt qui in ſortem Domini vocantur, Chriſtique militia dant nomen, ſpiritualem Eccleſiæ tranquillitatem non perturbent, ſed pacem confirment, vires augeant, ac tam ſtrenuè ſe gerant, vt ipſam terribilem, quaſi caſtrorum aciem ordinatam, inferæ poteſtates, ac Principes tenebrarum quotidie magis perhorreſcant. Hæc autem quantò impenſius fieri optamus, tantò maiori indignatione irreligioſam quorumdam impudentiam deteſtamur, ac ſacrilegam temeritatem execramur, qui ſacros Canones, Summorumq. Pontificum decreta non verentes, clericales ordines illegitimè ſuſcipiunt, ac dum in eccleſiaſticorum miniſtrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum ſaluti, omnibuſque ad optimum chriſtianæ Reipublicæ regimen pertinentibus plurimum obeſſe noſcuntur.

Clemens IV. prohibuit, Vltramōtanos in Italia ordinari, c. 1. de temp. ordin. in 6.

§. 1. Aliàs ſiquidem fel. rec. Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter, volens periculis animarum eorum obuiare, qui vinculo excommunicationis aſtricti, aut apoſtatæ, ſeu irregulares, vel aliàs ordinum ſacrorum ſuſceptione indigni, ſuam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, ſe in remotis partibus faciebant ad huiuſmodi ordines promoueri, ſtatuit, vt nullus Epiſcoporum Italiæ de cætero aliquem Vltramontanum Clericum ordinare præſumeret, niſi ab eodem Clemente prædeceſſore, vel ab Epiſcopo, de cuius diœc. traxerat originem ordinandus, vel in cuius diœc. beneficiatus exiſtebat, per eius patentes literas, cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolebat, aut nequibat ordinare, ſpecialem licentiam haberet. Eos verò, quos contra præmiſſa contigiſſet ordinari, manere voluit abſque ſpe diſpenſationis ſuper hoc a Sede apoſtolica obtinendæ, ſuſpenſos, ac Ordinantes condigna pœnitentia puniri.

Multis cauſis adductis dictā conſt. Clem. confirmat, & innouat, & prohibet etiam in minoribus ordinari, cum appoſitione pœnæ.

§. 2. Cum autem non ſine graui animi noſtri moleſtia, nobis innotuerit, quamplures Vltramontanos, ſuæ ſalutis immemores, Dei q. timore poſtpoſito, ad ordines prædictos cum falſis dimiſſorialibus literis, ſeu etiam cum titulo patrimonij ficto, vel fiduciario, ſeu etiam falſo, cum maximo bonorum omnium ſcandalo, ſe promoueri feciſſe. Nos innumeris, quæ ex minus cannonica Clericorum ordinatione huiuſmodi proueniunt, malis, quantum nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, prædictam Clementis prædeceſſoris conſtitutionem, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis approbantes, & innouantes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, venerabilibus fratribus Patriachis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Italia exiſtentibus, tenore præſentium prohibemus, ne quouis prætextu, & ex quacunque cauſa, Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, aliosq. quoſcunque Vltramontanos, & ex quibuſuis locis extra Italiam oriundis, non ſolum ad ſacros, ſed neq. etiam ad minores ordines, vel clericalem characterem promouere audeant, ſeu præſumant, niſi dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum literas, a noſtris, & huius ſanctæ Sedis Nuncijs, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorumdemue Nunciorum, ſeu Collectorum ſubſcriptiones à dilecto filio noſtro in alma Vrbe Vicario in ſpiritualibus generali ſimiliter examinatæ, recognitæ, & probatæ fuerint. Aliàs promouentes ad annum ab exercitio pontificalium, promoti verò perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis à Sede apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo. Inſuper promotos huiuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis ſcienter ſe ad ordines huiuſmodi promoueri fecerint, non ſolum prædictis, verumetiam maioribus, arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, infligendis pœnis.

Itali, qui ab alieno Epiſcopo cum falſis dimiſſorijs, etiā ad minores, promoueri ſe faciunt, priuilegio fori nō gaudent, poſt declarationem iudicis eccleſiaſtici.

§. 3. Italos verò, ſi quos imposterum clericali charactere inſigniri, vel ad minores ordines promoueri ab alieno Epiſcopo cum falſis dimiſſorijs contigerit, etiam ſi qualitatibus per Concil. Trident. Decretum cap. 16. ſeſſ. 23. requiſitis præditi ſint, nihilominus, ſecuta tamen prius de ſuper iudicis Eccleſiaſtici declaratione, fori priuilegio minime gaudere, ſed ſeculari iuriſdictioni, vt antea, plenè in omnibus ſubiacere, & ſubiectos eſſe reſpectiue volumus.

Aufert poteſtatem aliter iudicandi, & interpretandi, & contrarijs derogat.

§. 4. Sicque, & non aliter, per quoſcunq. iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcunque.

Conſt. Pij 2. cōtra malè promotos nō vult eſſe derogatum.

§. 5. Per præſentes autem conſtitutioni rec. m. Pij Papæ II. prædeceſſoris noſtri contra male promotos edita, nullatenus derogare intendimus, ſed illam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis in ſuo robore, & efficacia permanere perinde, ac ſi præſentes non emanaſſent, decernimus.

Publicatæ in Curia omnes afficiunt.

§. 6. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius deuenire poſſint, volumus, quod illæ, ſiue earum exempla, in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ apoſtolicæ, necnon in acie campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quòdque earumdem tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Decembris, 1624. Pontificatus noſtri anno 2.

V. Theatinus.

Anno milleſimo ſexconteſimo vigeſimo quarto indictione ſe-

ne ſeptima Pontificatus S.D.N.D. Vrbani, diuina prouidentia Papa VIII. die verò decimo ſexto menſis Decembris, retroſcripta litera apoſtolica affixæ, lectæ, & publicata fuerunt ad valuas Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranen. Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellaria apoſtolica acie campi Floræ per nos Alexandrum de Rocchis, & Fabium Emilianum S. D. Papæ Curſ.

Brandimattes Latinus pro Magiſtro DD. Curſ.

Noto, quòd Vltramontani, qui in Italia acquiſiuerunt domicilium, poſſunt ordinari ab Epiſcopo, qui illis eſt ſuperior ratione domicilii. Ita Barb. in cap. 1. de temp. ordin. in 6. nu. 3. qui nu. 7. aduertit, quod Itali ordinati ab Epiſcopis vltramontanis, & vltra montes non comprehenduntur in illa conſt. Ergo neque in iſta.

Conſtitutio 6. aliàs 16.

Statuit, quòd non ordinatus celebrans, aut confeſſiones audiens, puniatur iuxta conſtit. Clem. VIII. non obſtante, quòd non fuerit conſtitutus in ætate 25. annorum, modò 20. annum compleuerit.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiū.

APoſtolatus officium, cui, meritis licet imparibus, diſponente Deo, præſidemus, a nobis poſtulat, vt, quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compeſcamus, in iis præſertim, quorum eò ſacrilega proceſſit audacia, vt ſe beneficio minoris ætatis, ſpretis apoſtolicis conſtitutionibus, confouneant in delictis, quorum ſtatutis pœnis ſe idcirco iactane minimè ſubiacere.

Ponit conſtit. Clem. VIII.

§. 1. Aliàs ſiquidem a fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſequentis, videlicet. Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Etſi aliàs fel. recor. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter, ad nefariam, & ſacrilegam quorumdam hominum temeritatem coercendam, qui cum ad ſacrum presbyteratus ordinem minimè promoti ſint, Sacerdotis tamen auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, miſſarum celebrationem vſurpare, & ſacramentum pœnitentiæ miniſtrare præſumunt, decreuerit, huiuſmodi delinquentes a ſancta Inquiſitionis iudicibus tradi debere curiæ ſeculari, debita animaduerſione puniendos; & poſteà rec. me. Sixtus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, prædictum Pauli Papæ IV. decretum innouari, ac ſeriò obſeruari mandauerit; eò tamen dictorum hominum prorupit audacia, vt prætextu ignorationis huiuſmodi decretorum, ac pœnarum contra ipſos, vt præfertur, inflictarum, illis ſe minimè ſubiacere, & obnoxios eſſe putent, ac propterea ab eiſdem liberari, & abſolui poſſe prætendant. Nos igitur animaduertentes, huiuſmodi perditos, & nefarios homines ad ſacrum Presbyteratus ordinem non promotos miſſarum celebrationem vſurpare præſumentes, non ſolùm actus idololatriæ, ſaltem extrinſecè, ſeu per externa, & viſibilia religionis, & pietatis ſigna, exercere; ſed etiam (quantum in ipſis eſt) efficere, vt Chriſti fideles, qui credunt, eos ordinatos eſſe, & ritè conficere ſacramentum Euchariſtiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum, tanquam verum Chriſti Domini noſtri corpus, & ſanguinem, eiſdem adorandum proponentes: Confeſſiones autem audientes non ſolùm ſacramenti pœnitentiæ dignitatem contemnere, verumetiam Chriſti fideles decipere, dum ſcilicet iniquè ſibi aſſumunt gradum ſacerdotalem, & auctoritatem abſoluendi a peccatis magno cum periculo, & ſcandalo plurimorum. Propterea, vt grauiſſima hæc ſcelera committentes poſthac debito ſupplicio puniantur; Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine S. Inquiſitionis iudicum conſcientiæ conſulere, & ne in futurum de pœna hiſce delinquentibus imponenda dubitari poſſit, prouidere volentes, ſupradictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hac perpetuò valitura conſtitutione decernimus, atque ſtatuimus, vt quicunque non promotus ad ſacrum Presbyteratus ordinem, repertus fuerit miſſarum celebrationem vſurpaſſe, vel ſacramentalem confeſſionem audiuiſſe, a iudicibus Sanctæ Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam Eccleſiæ miſericordia indignus à foro eccleſiaſtico abiiciatur, & ab ordinibus eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim curiæ ſeculari tradatur, per iudices ſeculares debitis pœnis plectendus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore iuris clauſis. Quibus omnibus, & ſingulis, illarum ten. pro ſufficienter expreſſis, et ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, et expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Vt autem huiuſmodi conſtitutionis ignorantia de cætero allegari, aut prætendi nunquam poſſit, atque vt præſentes literæ omnibus innoteſcant, volumus, illas ad valuas S. Ioannis Lateranen. et Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, et acie campi Floræ more ſolito publicari, et affigi; atque, iis inde amotis, earumdem exempla, etiam impreſſa, ibi affixa relinqui, factaque huiuſmodi publicatione, omnes, qui in Vrbe poſt menſem, qui verò extra eam, et citra montes, poſt quatuor menſes, qui demum vltra montes fuerint, poſt decem menſes, à die publicationis præſentium computandos, afficere, et arctare, ac ſi eorum cuilibet intimatæ fuiſſent perſonaliter. Ac præterea mandamus, earumdem præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, et manu Notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo officii S. R. Inquiſitionis, vel alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem haberi, quæ hiſce præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die prima Decembris 1601. Pontificatus noſtri anno 10.

Statuit prout in ſummario.

§. 2. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli priuilegio minoris ætatis nimis temere confiſi, et legum indulgentia freti, pœnas à D. Clementis prædeceſſoris conſtitutione in huiuſmodi delinquentes ſtatutas, paruipendere præſumant. Nos deteſtantes, et, quantum in nobis eſt, cohibere volentes impiam, ac nefariam horum temeritatem, qui atrociſſimo hoc ſcelere catholicam veritatem, quæ ſolos Presbyteros dictorum ſacramentorum miniſtros eſſe docuit, facto impugnant, negotio huiuſmodi in Congregatione venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium generalium Inquiſitorum coram nobis habita maturè diſcuſſo, inhærentes conſtitutioni prædictæ, aliiſque decretis, per fel. rec. Paulum IV. et Sixtum V. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros contra ſimilia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum prædictum matura deliberatione, deque apoſtolica poteſtatis plenitudine ampliantes, et extendentes, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, qui impoſterum ad ſacrum Presbyteratus ordinem non promotus, miſſam celebrare, aut ſacramentalem confeſſionem audire præſumpſerit, ætate minoris annis viginti quinque non excuſetur, quominus eidem Clementis conſtitutioni ſubiiciatur, dummodò vigeſimum ſuæ ætatis annum compleuerit, ipſeque non promotus ſic delinquens, nulla habita conſideratione præfatæ minoris ætatis, ſiue laicus, ſiue Clericus ſecularis, aut cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimenda, regularis, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam quantumuis exempti, et priuilegiati, nobiſque, et apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiecti, necnon militiarum quarumcunque, etiam Sancti Ioannis Ieroſolymitani, fuerit, tradatur curiæ ſeculari pœnis debitis plectendus.

Prohibet aliter, quā hic diſponitur, iudicari.

§. 3. Sicque, et non aliter, per quoſcunque ſanctæ Inquiſitionis Iudices, et Inquiſitores, etiam generales, S. R. E. Cardinales, et locorum Ordinarios, ſublata eis, et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere. Ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus, et ſingulis, ad quos ſpectat, et pro tempore quo-

modo-

Digitized by Google

modolibet ſpectabit, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatutum decretum, & conſtitutionem hanc noſtram inuiolabiliter obſeruent, & obſeruari faciant.

Contrarijs derogat. §. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac in concilijs, etiam generalibus, editis, etiam in corpore iuris clauſis, necnon legibus, ſtatutis, decretis, conſuetudinibus, & priuilegijs, ad fauorem maiorum viginti quinque annis, quomodolibet, & vbicumque locorum editis, ac aliàs in ipſorum fauorem facientibus, apoſtolica etiam confirmatione, ac iuramento, ſeu quauis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum ten. præſentibus pro ſufficienter expreſsis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

In Vrbe puplicata omnes afficit; & tranſumptis fidem adhiberi iuber. §. 5. Volumus autem, harum literarum publicationem, & affixionem fieri iuxta formam in prædicta Clementis conſtitutione præſcriptam, eaſque publicatas, & affixas omnes intra Vrbem, & extra, tam citra, quam vltra montes, & mare, poſt tempus in ipſa Clementis conſtitutione præfixum arctare, & afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Mandamus pariter, & earumdem tranſumptis, etiam impreſsis, manuque Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Officij S.R. Inquiſitionis, vel alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ præſentibus hiſce adhiberetur, fides adhibeatur. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Martij 1628. Pontificatus noſtri anno 5.

M. A. Maraldus.

Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo, indictione vndecima, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 6. retroſcripta literæ apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum ſancti Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ, dimiſsis præſentibus literis per aliquantulum temporis ſpatium, vt moris eſt, affixis, ac deinde amotis, poſteà earumdem exempla etiam impreſſa, & affixa relicta fuerunt per nos Franciſcum Pignoccatium, & Camillum Fundatum, Sanctiſſ. D.N. Papæ Curſ.

Brandimartes Latinus Sanctiſs. D.N. Papæ Curſ. pro Mag. D. D. Curſ.

Conſtitutio 7. aliàs 17.

Statuit, quòd Religioſi, qui fecerunt profeſſionem in Conuentibus non deſignatis pro nouitiatu, ad profeſſionem, nullo nouitiatu de nouo emiſſo, denuo recipiantur.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Proœmiũ. RELIGIOSOS viros, qui, ſpretis huius ſeculi vanitatibus, diuini Numinis obſequijs ſub ſuaui Religionis iugo ſe ſe manciparunt, paſtorali benignitate complectimur; vtique in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneant, iuxta creditum nobis apoſtolicæ ſeruitutis munus, ſedulò intendimus, ac deſuper eiuſdem muneris, partes propenſis ſtudijs intendimus, prout ad Dei laudem catholicæque Eccleſiæ decus, & exaltationem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Statuit prout in ſummario. §. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum regularium profeſſores, ad habitum regularem recepti probationis annum in monaſterijs, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis, vel ab apoſtolica Sede approbatis minimè fecerint; proindeque iuxta conſtitutionem fel. re. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri deſuper editam, profeſsio per eos ſubinde emiſſa inualida exiſtat. Nos Religioſos prædictos ex huius ſanctæ Sedis benignitate, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, venerabilibus fratribus, noſtro Scipioni Epiſcopo Sabinen. Cardinali Burgheſio nuncupato, maiori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Ordinarijs locorum, in quibus eorumdem Religioſorum monaſteria, domus, ſeu conuentus, aliauè regularia loca conſiſtunt, ſiue ipſorum Religioſorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & ſingulos Religioſos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs canonicè recepti, annum probationis in monaſterijs, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis minimè fecerunt, ſubindeque profeſsionem nihilominus emiſerunt, ad profeſsionem denuo, ſeruatis aliàs ſeruandis, emittendam, quæ ſic emiſſa, illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori ſuffragari debeat, abſque nouo probationis anno, ex ſpeciali huius ſanctæ Sedis benignitate, auctoritate noſtra apoſtolica recipiant, & admittant; eoſdemque, poſtquam profeſsionem denuò, vt præfertur, emiſerint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, ſi ab initio validè profeſsi eſſent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent, ita vt habeant eundem locum, ſeſsionem, & votum prout haberent, ſi priores profeſsiones validæ fuiſſent, & nondum promoti ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus ordines, ſeruatis aliàs ſeruandis, promoueri, & tam ipſi, quàm alij, ad eoſdem ordines iam ritè promoti, in ſuſceptis ordinibus huiuſmodi, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, liberè, & licitè valeant; necnon omnes actus, ſiue contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxiſſent, vel cum laicis, vel cum alijs monaſterijs, ſeu alterius Religionis viris, ſi nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, niſi ex eo ſolum quia inaiti aut contracti ſunt inualidè ab ijs, qui contra dictam conſtitutionem in domibus non deſignatis, ſiue ab eadem Sede non approbatis, profeſsi ſunt, auctoritate noſtra prædicta confirment, & approbent, ac validos omnino declarent. Super quibus omnibus, & ſingulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tenore præſentium tribuimus, & impartimur.

§. 2. Decernentes, præſentes literas, et in eis contenta, atque illarum vigore in præmiſsis facienda, et exequenda quæcunque, valida, firma, et efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, & ſingulis, quos illa concernunt, & concernent, quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſsimè ſuffragari, eoſque præmiſſorum occaſione, vel prætextu quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, nec debere; ſicque, & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque iudices ordinarios & delegatos, etiam S.R.E. cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 3. Non obſtantibus præmiſsis, ac præfata Clementis prædeceſſoris, alijſque conſtitutionibus, et ordinationibus apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinum, Congregationum, et Inſtitutorum huiuſmodi, et quibuſuis alijs, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, et conſuetudinibus; priuilegijs quoque indultis, et literis apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, et perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, ac irritan. alijſque decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium, etiam motu, ſcientia, et poteſtatis plenitudine ſimilibus, & Contrarijs derogat.

Digitized by Google

& aliàs quomodolibet iteratis vicibus conceſsis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe harum ſerie derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Mandat Superioribus obſeruātiā, & nouitiatuum, & deſignationē, tráſumptiſque fidem adhiberi iubet.

§. 4. Cæterum ſimilibus impoſterum conſultum eſſe volentes, dilectis filijs Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum huiuſmodi Superioribus generalibus, quocunq; nomine cenſeantur, ac Procuratoribus etiam generalibus, per præſentes diſtrictè præcipimus, & mandamus, quatenus ſtatim, viſis præſentibus, loca, monaſteria, vel conuentus, in quibus nouitij probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens prædeceſſor ſuper hac re obſeruari iuſsit, obſeruentur, deſignari, ſiue confirmari omnino curent, & faciant. Vt autem præſentium notitia ad omnes facilius perueniat, volumus, vt illarum exemplis, etiam impreſsis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus noſtri ann. 8.

M. A. Maraldus.

1 Noto I. quòd iſta conſtitutio multos rumores concitauit ex eo, quòd non bene fuit intellecta: nam multi Epiſcopi habitu regulari ſpoliauerūt quamplures Religioſos ex eo ſolùm, quòd Religio non potuit probare locum, in quo tales Religioſi nouitiatum fecere, fuiſſe ab apoſtolica Sede approbatum. Alij alios ſpoliauerunt qui intra quinquennium erant ſuæ profeſſionis, & reclamauerūt de hoc, iuxta Trid. Sed vtriq; meo videri decepti ſunt. Et primi quidem; quia ſi loca nouitiatuum fuerint continuata à tempore Clem. VIII. vel Pauli V. etiamſi per incuriam Fratrū deputationes ipſæ authenticæ non reperirentur, poterat in his habere locum præſcriptio. Deinde eo modo intellecta conſtitutio, odioſa erat, tū ex parte Religionis, quę ſuis iam educatis Religioſis ſpoliabatur, tum ex parte animarū ipſorum Religioſorum, quæ ereptæ ex mundi naufragio, ad illud carnis leuitate, & diaboli aſtu reuertebantur, contra illus Chriſti, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei.* Vnde strictè admodùm interpretāda erat. Secundi decepti ſunt; nam diſpoſitio Concilij non habet locum, niſi in caſibus expreſſis, & qui iure ordinario profeſſionem inualidant, vt probaui tom. 1. Religioſi, q. 1. cap. 25. §. 4. Puto itaque (ſaluo ſemper meliori iudicio, & ſaniori intelligentia, data, vel danda ab illa ſancta Sede, cui in omnibus me ſubmitto) quòd iſta conſtitutio ſolùm intendat concedere fauorem Religioſis volentibus in Religione permanere, ita vt eorum Prælati nō poſſint eos moleſtare, nec eijcere. Et licèt dicat, talem profeſſionem eſſe nullam, intelligo talem nullitatem non ex parte profeſſi, ſed ex parte Religionis quo pacto etiam intelligo illam clauſulam *ſeruatis alias de iure ſeruandis*, ideſt, ex parte Religionis. Moueor ex illis verbis dictæ conſt. *Nos Religioſos prædictos ſpecialibus fauoribus, &c.* & ex illis *Committimus, & mandamus Superioribus, &c. quatenus omnes Religioſos prædictos ad profeſsionem denuò emittendam &c. recipiant, & admittant.* Ex quibus verbis ſatis mihi conſtare videtur, mentem Pontificis ſolùm fuiſſe, velle conſolari Religioſos illos, qui in locis non deſignatis profeſſionem emiſerant, & illis dare remedium, ne in poſterum poſſent ampliùs illo prætextu à ſuis Superioribus inquietari.

2 Noto II. quòd Reuerendiſs. P. F. Franciſcus à Longobardis Ordinis noſtri meritiſſimus Generalis, vt pręfatæ conſtitutioni obedire, ſupplicauit ſacræ Congregationi Regularium, vt infra. *Eminentiſsimi, e Reuerendiſsimi Signori. Il Generale de Minimi, hauendo trouato nel decorſo della ſua viſita alcuni conuenti di nouitiati non diſegnati dalla Sede apoſtolica, & altri deſignati manco piu atti per l'educatione de nouitij, per rimediare a tali diſordini, ſupplicò l'Em: voſtre, che reſtaſſero ſeruite di dar facultà all'Oratore di poter elegger lui i luoghi de nouitiati; e l'Em. voſtre benignamente riſpoſero, che haueſſe nominati i conuenti, che l'hauerebbero fauorito; Pero humiliſsimamente le ſupplica a ſtabilire per luoghi de nouitiati gl'infraſcritti conuenti per ciaſcheduna Prouincia. Nella Prouincia di S. Franceſco il conuento di Paola, il conuento di Coriglìano. Nella Prouincia di Calabria, il conuento di Maida, il conuento di S. Biagio. Nella Prouincia di Meſsina, il conuento di Milazzo, il conuento di Catania. Nella Prouincia di Palermo, il conuento di Trapani, il conuento di S. Oliua di Palermo. Nella Prouincia di Napoli, il conuento di Caſtello amare, il conuento di S. Luigi di Napoli. Nella Prouincia di Puglia, il conuento di Lecce, il conuento di Monopoli. Nella Prouincia di Loreto il conuento di Chieti, il conuento di Caſtellione. Nella Prouincia di Toſcana, il conuento di S. Giuſeppe di Firenze, il conuento d'Orbitello. Nella Prouincia di Lombardia, il conuento di Bologna, il conuento di Ferrara. Nella Prouincia di Milano, il conuento di Pauia, il conuento di Milano. Nella Prouincia di Genoua, il conuento di Nerui, il conuento di Gieſu Maria. Nella Prouincia di Venetia, il conuento di Venetia, il conuento di Breſcia. Sacra Congregatio Cardinalium, negotijs Regularium præpoſita, cenſuit, petitam inſtitutionem, nouitiatuum huiuſmodi in ſingulis Prouincijs eſſe concedendam, prout præfati decreti virtute concedit, dummodo nouitij in eis recipiantur ad præſcriptum decreti S. D. N. ſuper receptione, & educatione nouitiorum vltimo loco editi, nec non fel. rec. Sixti V. & aliarum conſtitutionum apoſtolicarum, & decretorum, pariter ſimilis mem. Clem. VIII. inſtitutionumque generalium ſuper receptione, & educatione nouitiorum eiuſdem Clem. necnon ſacr. mem. Pauli V. auctoritate editarum. Datum Romæ, die 4. Martij, 1633. Fr. Antonius Card. S. Omphrij.* A. Torniellus.

Quæ declaratio habetur authentica in noſtro Archiuio Romano, cuius authenticum exemplar nobis tranſmiſit die 10. Martij eiuſdem anni P. F. Laurentius de Spezzano Ordinis noſtri in partibus Italiæ Vicarius generalis, & Eminentiſſimi Cardinalis de Medicis Theologus, mihi ex antiquo amicus, & dominus. Quod quidem exemplar fuit exemplatum, & ita tranſumptatum à P. F. Auguſtino de Piſtorio; & aſſeruatur in Archiuio huius conuentus Ieſu Mariæ Genuæ.

3 Noto III. quod poſtquam hæc ſcripſi, habui quaſdam literas ſacræ Congregationis Regul. quæ mirabiliter confirmant meam explicationem, & ideò, his viſis valde lætatus ſum. Tenor autem dictarum literarum eſt talis. A tergo, *All'Ill. e M. Reu. Monſig. come fratello, il Veſcouo di Caſale*, Intùs. *Ill. e M. Reu. Monſig. come fratello. Queſti Eminentiſſ. miei Signori vengono ragguagliati, che con l'occaſione della bolla, nella quale la Santità di N. S. hà dato facultà a Religioſi di conualidare le loro profeſsioni, che ſi poteuano pretender nulle per cauſa di non hauer fatto l'anno della probatione, e la medeſima profeſsione in luoghi deſegnati a riceuer nouitij alcuni di eſsi Regolari che ſtanno di famiglia nelli conuenti, ò monaſterij di coteſta Città, e dioceſi, in vece di conualidar le profeſsioni ſudette, fanno inſtanza auanti V. S. ò del ſuo Vicario, affin che interponghino decreto, e diano loro licenza di laſciar l'habito, e ritornare al ſecolo in habito clericale, ſotto preteſto, come ſi ſuppone, che in detta bolla, almeno tacitamente, ſi dia a gl'Ordinarij tal facultà. E perche ciò è del tutto alieno dalla mente della Santità ſua, ne tali dichiarationi di nullità di profeſsione ſi poſſono fare, ſe non ſeruatis ſeruandis, conforme alla diſpoſitione di ſacri Canoni, conſtitutioni, e decreti apoſtolici, e particolarmente del ſacro Concilio di Trento; Però l'Eminenze loro mi hanno ordinato di ſcriuerle, che ſi aſtenga dall'interporre li decreti, e dare le licenze ſudette in vigore di detta bolla, & ordini al ſuo Vicario,*

che

che non le dia ad alcuno, et hauendole date, procuri, che quanto prima ritornino ne clauſtri con l'habito loro regolare, e preſtera in cio ogni aiuto al ſuo Superiore, affin che ve li faccino ritornare. Dio la preſerui. Di Roma al 1. di Luglio, 1633. Di V. S. come fratello, il Cardinal S. Onofrio. Locus ſigilli. Antonius Tornellus.

Conſtitutio VIII. aliàs 18.

Statuit, quòd bulla Cruciatæ ſanctæ Regularibus non proſit quòad ſacramentum pœnitentiæ.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmium.

IN ſpecula militantis Eccleſiæ, nullo licet meritorum ſuffragio, diuina diſpoſitione conſtituti, et attentè conſiderantes, ſacros Regularium Ordines tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attuliſſe, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri magnam, ime optimo diligentiam ſemper adhibuerint, dignum, quin potius debitum, reputamus, vt eorumdem Pontificum veſtigijs inhærentes, ad ea paſtoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in eiſdem ordinibus diſciplinæ regularis obſeruantia ſarta tecta conſeruetur, & ſi qua illi obeſſe dignoſcuntur, opportunæ conſtitutionis miniſterio ſalubriter remoueantur.

Memorat conſtit. Clemen. VIII.

§. 1. Aliàs ſiquidem fel. rec. Clementi PP. VIII. prædeceſſori noſtro per Procuratorem generalem Ordinis Fratrum B. Mariæ de monte Carmelo nuncupat. expoſito, quòd cum in Bulla Cruciatæ ſanctæ, & alijs priuilegijs, ab apoſtolica Sede concedi ſolitis, detur facultas eligendi confeſſarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſoluere à caſibus Ordinario, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, Religioſi prædicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus vti præſumebant in detrimentum eorum regularis diſciplinæ. Quare idem Clemens prædeceſſor ſua perpetuo valitura conſtitutione declarauit, facultatem, & conceſſionem ſanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quatenus ad prædictum articulum eligendi confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, non habere locum cum Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, cuiuſuis Inſtituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam in Prouincia Hiſpaniæ, quam extra eam vbilibet conſtitutis, neque eis ſuffragari; ſed eiuſdem Clementis prædeceſſoris intentionis fuiſſe, quòd ijdem Fratres, & Moniales quantum ad ſacramentum pœnitentiæ, ſeu confeſsionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti eſſent, prout in dicti Clementis prædeceſſoris in ſimili forma Breuis deſuper, ſub die 23. Nouembris MDXCIX. Pontific. ſui anno 8. expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſsis haberi volumus, plenius continetur.

Motiua huius conſtit.

§. 2. Nihilominus cum ſicut Nobis non ſine animi noſtri moleſtia innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſores, prætextu bullæ eiuſdem ſanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, confeſſarium huiuſmodi, qui eos, vt præfertur, abſoluat, eligere poſſe prætendant, & forſan eligant, etiam ad præſens, poſtquàm literæ noſtræ ſub die 14. Iunij 1624. Pontificatus noſtri anno 1. ſuper facultate eiſdem Regularibus confeſſarium ad effectum huiuſmodi eligendi, ad quinquennium tunc proximum conceſſa, emanata, pridem ab anno, & vltra expirauerunt, in maximum ſtatus, & obſeruantiæ regularis præiudicium.

Confirmat conſtit. Clemen. & de nouo ſtatuit prout in ſũmario.

§. 3. Nos præmiſsis quantum Nobis ex alto conceditur, obuiare, ac felici tam eorundem Fratrum Prædicatorum, & B. Mariæ de monte Carmelo Religioſorum, quam omnium, & quorumcumque aliorum cuiuſlibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam ſpeciali mentione, et nota digni, vtriuſque ſexus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium ſtatui, atque directioni, et aliorum Chriſti fidelium ſaluti conſulere volentes præfatæque Clementis prædeceſſoris declarationi inhærentes, illamque tenore præſentium innouantes, ac, quatenus opus ſit, ampliantes, Motu proprio, et ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conceſſionem ſanctæ Cruciatæ, quæ reſpectu facultatis huiuſmodi, etiam laicis, et Clericis ſecularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, et conditionis, etiam ſpeciali nota dignæ, quoad caſus reſeruatos, etiam in bulla Cœnæ Domini (hæreſi excepta) contentos, non niſi in foro conſcientiæ, non autem in foro externo, ſuffragatur, aliorumque indultorum huiuſmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi confeſſarium, et abſoluendi à prædictis caſibus reſeruatis, etiam in bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, et Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum, et Congregationum, Societatiſque, et Inſtituti prædictorum Mendicantium, et non Mendicantium, tam Prouinciæ Hiſpaniæ, quam extra eam vbilibet conſtitutorum, locum minimè habuiſſe, neque habere, nec illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe, excepto duntaxat illo quinquennio, quo literæ noſtræ huiuſmodi, vt præfertur, durauerunt, ſiquidem die 14. menſis Iunij 1629. proximè præteriti iam expirauerunt, ſed noſtræ intentionis fuiſſe, et eſſe, quòd ijdem Fratres, et Moniales quantum ad ſacramenti pœnitentiæ, ſeu confeſsionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, et Sedi apoſtolicæ quòad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint, earumdem tenore præſentium perpetuò declaramus.

§. 4. Decernentes, præſentes noſtras literas de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non poſſe, ſicque, et non aliter, in omnibus, et ſingulis præmiſſis per quoſcumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis apoſtolicæ Nuncios, ac Cruciatæ Commiſſarios, et quoſuis alios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, interpretari, ac iudicari debere; ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Has literas impugnari nõ poſſe determinat, & iuxta eas iudicari mãdat.

§. 5. Non obſtan. præmiſſis, ac omnibus et ſingulis illis, quæ in prædictis Clementis prædeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Quibus omnibus, et ſingulis, illorum omnium, et ſingulorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, et expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Derogat contrarijs.

§. 6. Vt autem præſentium tenor omnibus innoteſcat, volumus eas in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, et in acie campi Floræ de Vrbe, vt moris eſt, publicari, ipſaſque ſic publicatas, omnes, et ſingulos vbique exiſtentes ita afficere, ac ſi omnibus perſonaliter intimatæ eſſent. Quòdque præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 19. Iunij 1630. Pontificatus noſtri anno 7. M. A. Maraldus.

Romæ publicatæ omnes vbique arctant, & tranſumptis fidem adhiberi iubet.

Conſtitutio nona, aliàs 19.

Reuocat omnes licentias à quibuſcunque conceſſas; præterquam ab ipſomet, habendi, & legendi libros quoſcunque prohibitos.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Prœmium

APoſtolatus officium, nobis, nullis licet meritorum ſuffragio, diuina prouidentia commiſſum poſtulat, vt ad ea vigilantia noſtra partes propenſius intendamus, per quæ Religio catholica, vbi diuina gratia illæſa viget, conſeruetur, et vbi reſtitutione indiget reparetur.

Statuit prout in ſummario.

§. 1. *Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magnoſyncera fidei cultoribus detrimento eſſe noſcatur, & ſicut accepimus, nimis exceſſiua ſit huiuſmodi libros legendi licentiarum copia; Nos, vt huic malo maturè occurratur, & in poſterum quàm cautiſſimè licentiæ huiuſmodi concedantur, quantum cum Domino poſſumus, prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolica poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcunque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per conſtitutiones apoſtolicas, etiam ratione aſtrologiæ iudiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuſcunque perſonis laicis, & eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam regularibus cuiuſcunque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus, ac quacunque dignitate, etiam eccleſiaſtica fulgentibus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, ac per literas apoſtolicas, ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocunque, & ex quacunque cauſa, tam in forma Breuis, quàm aliter quomodocunque à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu à quibuſcunque alijs à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à Nobiſmetipſis per litteras apoſtolicas, etiam in forma Breuis, ſeu chirographum manu noſtra ſignatum, conceſſas, earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes; hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, reuocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro reuocatis, caſſis, & annullatis haberi, nullique ſuffragari, quinimmò libros per licentias huiuſmodi permiſſos legentes, aut habentes, pœnas in ſacris canonibus, conſtitutionibus apoſtolicis, & indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere, volumus, & declaramus.*

Hæ literæ Romæ publicatæ omnes arctant, infra mõtes intra duos, & extra intra 4. mẽſes

§. 2. *Decernentes, vt præſentes literæ, poſtquam valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ apoſtolicæ, necnon in acie campi Floræ affixa fuerint, infra duos citra montes, vltra verò montes, infra quatuor menſes ex tunc proximos, omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiant perinde, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent; quodque, dictis duobus, & reſpectiuè quatuor menſibus durantibus, ij, qui libros prohibitos huiuſmodi habuerint, eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, qui illos quanto citius comburere debeat, deferre.*

Qui ſciuerit tales libros habere, denũciare tenetur.

§. 3. *Quique aliquos ſimiles libros prohibitos habere ſciuerint, eos denunciare teneantur.*

Tales licentiæ concedi nõ poſſunt, niſi à Congreg. corã ipſo habenda.

§. 4. *Neque de cætero ſimiles licentiæ niſi à Congregatione Sancti Officij, dum ſingulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab alijs per Nos in eadem congregatione ſpecialiter deputandis, concedantur.*

Tranſumptis fidẽ adhiberi iubet.

§. 5. *Ac quòd earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij Publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 2. Aprilis 1631. Pontificatus noſtri anno 8.* M. A. Maraldus.

Conſtitutio X. aliàs 20.

Statuit, quòd conſtitutiones apoſtolicæ in concernentibus fidem catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & inpoſterum etiam ſuper quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, niſi in edendis ſpecialiter excipiantur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiua.

C*Vm, ſicut accepimus, Sancti Benedicti Ciſtercien. Præmonſtraten. Sancti Antonij de Sancto Antonio Viennen. Societatis Ieſu, ac aliorum forſan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum regularium profeſſores, vigore, ſeu prætextu priuilegiorum, & indultorum ſibi, dictiſque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, ab hac ſancta Sede apoſtolica, tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, conceſſorum, in conſtitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis ſe minimè comprehendi prætendant, niſi de eis ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio fiat.*

Statuit prout in ſummario.

§. 1. *Nos, qui inter grauiſſimas, multipliceſque, Apoſtolatus noſtri curas, in eam præcipuo, ac peculiari ſtudio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, catholica fides vbique gentium conſeruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportuna diſpoſitionis miniſterio prouidere volentes, vt tot, tantæque conſtitutiones generales, à Nobis, & hac ſancta Sede & præſertim ad fauorem fidei catholicæ, illiuſq; propagationem, & Officij ſanctæ Inquiſitionis cõtra hæreticam prauitatem editæ, & de cætero edendæ, ſublatis quibuſlibet exceptionibus, ſubterfugijs, & impedimentis, ad maiorem Dei gloriam, ſanctæque matris Eccleſiæ exaltationem, debitum, vt par eſt, ſortiantur effectum, necnon quorumcumque priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinarijs, & cautelis quomodolibet, & ex quacumq; cauſa conceſſorum, etiamſi in corpore iuris clauſa ſint, tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolica poteſtatis plenitudine, quòd quæuis generales conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes apoſtolicæ, per Nos, & quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros in concernentibus fidem catholicam, illiuſque propagationem, & ſanctæ Inquiſitionis officium præfatum, præſertim quò ad ea, quæ in Congregationibus Sancti Officij, & de Propaganda Fide coram Nobis tractari ſolent, hactenus editæ, omnes, et ſingulos, tam Sancti Benedicti, Ciſtercien. Præmonſtraten. Sancti Antonij de Sancto Antonio Viennen. et Societatis Ieſu præfatorum, quam quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, et Inſtitutorum profeſſores omninò comprehendant perinde, ac ſi præfati, et alij quantumlibet priuilegiati in eis nominatim expreſſi fuiſſent; edendæ verò inpoſterum per Nos, et Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, tam in fauorem præfatæ fidei catholicæ, illiuſque propagationis, et Sancti Officij Inquiſitionis præfati, quàm ſuper quacumque alia re, negotio, ſeu materia, conſtitutiones, diſpoſitiones, et ordinationes huiuſmodi ſimiliter, omninò comprehendant præfatos eorumdem Ordinum, Congregationum, Societatum, et Inſtitutorum profeſſores, niſi in edendis conſtitutionibus huiuſmodi ſpecialiter, et expreſſè excipiantur, etiamſi ipſi priuilegiati forent magis ſpeciali nota, et expreſſione digni, eiſque priuilegia, gratiæ, et indulta, à Sede apoſtolica præfata, etiam ſub quibuſcumque tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, ac irritantibus, et alijs decretis, etiam motu, ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine ſimilibus, et conſiſtorialiter, etiam contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, et aliorum Principum, tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, et aliàs quomodolibet conceſſa reſpectiuè ſint, quorum, ſeu quarum vigore, vel prætextu ſint excepti, ſeu ſe minimè comprehendi prætendant in conſtitutionibus generalibus, vel alijs non facientibus plenam, et expreſſam eorum mentionem.*

Hæ literæ impugnari non poſſunt quocũque prætextu.

§. 2. *Præſentes verò literas, omniaque, et ſingula in eis contenta, etiam ex eo, quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, et Inſtitutorum huiuſmodi profeſſores, vel alij quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu quomodolibet*

habere

Digitized by Google

habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi, ac cauſæ, propter quas eadem præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, ſeu alias iuſtificatæ non fuerint, vllo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quouis etiam, quantumuis ſubſtantiali, defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuerſiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, aut aliud quodcunque iuris, facti, gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrari nullatenus poſſe, neque ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet facien. comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, ſemperq; validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuosq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnib. & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari.

Ita iudicari mandat cum decreto irritante.

§. 3. Sicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublata eis, et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere; Ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrarijs fortiter derogat.

§. 4. Non obſtan. regula noſtra, De iure quæſito non tollendo, ac quibuſuis alijs conſtitutionibus, et ordinationibus apoſtolicis, necnon tam S. Benedicti, Ciſtercien. Præmonſtraten. Sancti Antonij de Sancto Antonio Viennen. et Societatis Ieſu præfatorum, quàm quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, et Inſtitutorum, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, et conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, et priuilegijs, necnon præfatis, et quibuſuis alijs priuilegijs, indultis, et literis apoſtolicis, etiam Mare magnum, et alias quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Inſtitutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, monaſterijs, locis regularibus, et perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, et alijs decretis, in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium, et ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, et ſufficienter expreſſis, et ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, et expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Quodque eadem præſentes literæ, ſeu illarum exempla, ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & aciè campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 5. Nouembris, 1631. Pontificatus noſtri anno 9.

M. A. Maraldus.

Conſtitutio XI. aliàs XXI.

Statuit, quòd Fratres Diſcalceati Ordinis SS. Trinitatis non poſſint tranſire ad aliam qualemcunque Religionem, excepta Carthuſia, abſque licentia Romani Pontificis. Et hoc ſub pænis apoſtaſiæ, infamia, ac excommunicationis latæ ſententiæ.

Peyrin. de Priuileg. Tom. III.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ.

Commiſſi nobis per abundantiam diuinæ gratiæ paſtoralis officij debitum poſtulat, vt ad ea mentis noſtræ aciem ſedulò intendamus, per quæ regulares Ordines in Eccleſia Dei militanti felicioribus in dies proficiant incrementis.

Memorat conſt. Pauli V.

§. 1. Alias ſiquidem fel. rec. Paulus V. Papa prædeceſſor noſter proſpero Fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captiuorum Diſcalceatorum nuncupatorum Congregationis Hiſpaniarum regimini conſulere volens, inter alia ſtatuit, & ordinauit, quòd nullus omnino, tam Fratrum quàm Donatorum dictæ Congregationis poſt emiſſam in ea profeſſionem huiuſmodi, abſque ſpeciali pro tempore exiſtentis Romani Pontificis licentia, certam tunc expreſſam mentionem faciente, ad moderatos, ſeu mitigatos, vel alios Fratres tam SS. Trinitatis Redemptionis captiuorum huiuſmodi, quàm aliorum quorumuis Ordinum, Congregationum, & Religionum, etiam emiſſionis quarti voti, aut alio quocumque prætextu (Carthuſianorum Ordine dumtaxat excepto) tranſire, ſeu ſe transferre, aut alias à dicta Congregatione ſe ſubtrahere, ſeu ex ea exire valeret, & alias prout in ipſius Pauli prædeceſſoris in ſimili forma Breuis ſub die 18. Auguſti 1611. expeditis literis, quarum ten. præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Dictam cõſtit. Pauli confirmat, & ampliat prout in ſũmario.

§. 2. Nunc autem nos maiori eorundem Fratrum quieti, & augmento, felicio rique directioni per amplius conſulere volentes, ſupplicationibus dilecti filij Procuratoris generalis, eiuſdem Congregationis nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quòd de cætero nullus Fratrum præfatorum poſt emiſſam in dicta Congregatione profeſſionem vt præfertur, & abſque Romani Pontificis licentia prædicta, ad alium quemcumque Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium, Monachorum, ſeu Diſcalceatorum, aut aliarum quarumcumque Religionum tam erectarum, quàm erigendarum, etiam emiſſionis quarti voti, ſeu perfectioris, & humilioris vitæ præſumptione, aut ſtrictioris regulæ, ſeu obedientiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quantumuis iuſta, & probabili, aut legitima cauſa, ſub apoſtaſiæ, & infamiæ perpetuæ notæ, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœna ſe transferre audeat, ſeu præſumat, excepto dumtaxat Ordine Carthuſianorum, vt præfertur, quatenus ad illum transeundi licentiam à ſuis Superioribus petierint, & obtinuerint, & quicumque ſecus fecerit, cum primum deſuper monitus fuerit, nulla mora, aut excuſatione, & quacumque appellatione, etiam ad Nos, ſeu Sedem apoſtolicam interpoſitis, ad ſuam propriam Congregationem redire, & Superiorum ſuorum correctioni ſe ſubmittere omninò teneatur.

Nulla Religio eos retinere poteſt ſub pœna excommunicationis.

§. 3. Prælati verò dictarum Congregationum, ac aliorum Ordinum, et Religionum, huiuſmodi ipſos ſic translatos, ſeu fugitiuos, et apoſtatas minime retinere, ſed eos, etiam ſi nouam profeſſionem regularem emiſerint, ſub priuationis ſuorum officiorum, ac ſimilis excommunicationis pœnis, ſuis Superioribus, vel ab eis deputan. id requirentibus, et poſtulantibus, ſtatim, abſque iudicis miniſterio, ſubtrahere, & conſignare debeant, apoſtolica auctoritate, ten. præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

Ita iudicari mandat, cũ decret. irritante.

§. 4. Decernentes, ſic, & non aliter, per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§. 5. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 9. Auguſti, 1624. Pontificatus noſtri anno 2.

Digitized by Google

Nota, quòd, hac conſtitutione non obſtante, ſacra Congregatio Regularium anno 1632. die 24. Septem- bris, ſtatuit quòd P. F. Bonauentura Patexa Hiſpanus Granatenſis, qui ex hac Congregatione ad noſtram Religionem Minimorum tranſierat, & in ea profeſſio- nem emiſerat, in noſtra permaneret, quantumuis mul- tum obſtiterit, & reſtiterit Procurator generalis præ- fatæ Congregationis. Quod maximè obtinuit dictus Bonauentura, vt mihi retulit probando cum doctrina, quam affero tom. 1. Religioſi, q. 1. cap. 24. §. 1. quòd Re- ligio noſtra Minimorum eſt ſtrictior Religione Car- thuſianorum. Ex quo ſatis argumentum ad id confir- mandum.

Conſtitutio XII. aliàs XXII.

Statuit, quòd eccleſiaſtici omnes, etiam Regu- lares, aureas, vel argenteas monetas tonden- tes, fabricantes, vel colorantes, degradentur, & curiæ ſeculari vltimo ſupplicio afficiendi tradantur: dictas autem monetas ſcienter retinentes, aut præfatos in præmiſſis quomo- dolibet adiuuantes, per decennium ad trire- mes damnat, ac huiuſmodi cauſarum cogni- tionem, etiam quò ad Regulares quantumli- bet exemptos, ad Ordinarios locorum, ac in terris Papæ ad Legatos, & Prolegatos perti- nere decernit priuatiuè quò ad omnes, alios etiam proprios Regularium Superiores. Ex communicat, ac alijs pœnis afficit Superio- res, qui præfatos Ordinarios quoquo modo im- pedire præſumpſerint. Habet autem hæc con- ſtitutio ſolum locum in partibus Italiæ.

VRBANVS EPISCOPVS.
SERVVS SERVORVM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmiũ. IN ſuprema paſtorali ſpecula, meritis licèt imparibus, à Domino conſtituti, vt noxia ab eius grege arcentes, eiuſ- dem ſalutari regimini proſpiciamus, non ſine magno animi mærore videmus, eò noſtri temporis iniquitates eſſe progreſ- ſas, vt ij, quibus onus incumberet pacem euangelizandi, & charitate proximum proſequendi, ſuæ vocationis immemo- res, à cupiditatum vertice abrepti, adulterina moneta cri- men perpetrare, ſiue perpetrantibus opem præſtare non erubeſcant, nec reformident. Quare prædeceſſorum no- ſtrorum conſtitutiones deſuper editas innouantes, extenden- tes, & ampliantes, huiuſmodi perditorum hominum, quos ſuæ exiſtimationis conſideratio in officio non continet, condi- gna pœnarum ſeueritate temerarios, & nefarios auſus in- tendimus coercere.

Memorat conſtit. Pij V. circa hoc. §. 1. Cum itaque fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, attendens, quòd licèt monetarum aurearum tonſoribus de iure vltimi ſupplicij eſſet inflicta pœna, argenteas tamen monetas tondentibus ſatis minor erat impoſita, omnes eos, qui argenteas tonderent, vltimi ſupplicij, & eadem, qua au- rearum tonſores eatenus puniti fuerant, & de iure puniri de- bebant, pœna puniendos eſſe ſtatuerit, prout in cedula motus proprij, manu eiuſdem Pij prædeceſſoris ſubſcripta plenius continetur.

Statuit prout in ſummario. §. 2. Nos motu proprio, ac ex certa ſcientia, meraque de- liberatione noſtris, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſtatutum, voluntatem, & mandatum Pij prædeceſſoris præfati tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac ad omnes, & ſingulas perſonas eccleſiaſticas, etiam quomodolibet exem- ptas, tam ſeculares, quam cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam de neceſſitate exprimendi, nec- non Militiarum quarumcumque, etiam Hoſpitalis Sancti Ioannis Ieroſolymitani, Regulares, non ſolum in ſtatu eccle- ſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis, & Sedi apoſtolicæ ſubiecto, ſed etiam in omnibus, & ſingulis Prouincijs, Re- gnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, & locis in Italia dumtaxat exiſtentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint, extendimus, & ampliamus. Volentes, vt cul- pabiles in præmiſſis reperti, præuia degradatione, curiæ ſe- culari puniendi tradantur. Pecunias verò ſic, vt præfertur, adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum tranſ- ferentibus, aut materiam, inſtrumenta, ſiue opem ad præmiſ- ſa præſtantibus, pœnam triremium per decennium imponi- mus. Et cognitionem cauſarum huiuſmodi, quo ad perſonas eccleſiaſticas præfatas, tam ſeculares, quam regulares, in Prouincijs, Nobis, & Sedi præfatæ ſubiectis, ad Sanctæ Ro- manæ Eccleſiæ Cardinales, in eiſdem Prouincijs, de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore exiſtentes: in alijs verò omnibus, & ſingulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppi- dis, Caſtris, & locis, tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quam cuiuſuis alterius Principis ditione, in Italia tantum com- prehenſis, priuatiuè quò ad omnes etiam Superiores Reli- gioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum ſpectare etiam volumus. Mandantes propterea ve- nerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſingulis videlicet in ſuis ciuitat. & diœceſ. & quò ad loca intra fines alicuius diœceſis, non tamen de eadem loca exiſtentia, ipſarum diœceſium, intra quarum fines diœceſ. exiſterint; quò verò ad ea, quæ extra fines ali- cuius diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, quatenus ad inſtantiam cuiuſuis Fiſci, vel etiam cuiuſuis denunciatoris, cauſarum huiuſmodi co- gnitiones ſuſcipientes, præuia etiam auocatione à quibuſuis alijs, in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſecularis auxilio.

§. 3. Inhibentes inſuper tam Decanis, & Capitulis ec- cleſiarum cathedralium, metropolitanarum, & patriar- chalium, necnon quorumuis Ordinum, & locorum regula- rium, Societatum, & Inſtitutorum, ac etiam Hoſpitalis præfatorum Superioribus, conuentibus, & Fratribus, quan- tumuis exemptis, ne, ſub priuationis beneficiorum, & offi- ciorum per eos reſpectiuè obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, nec- non excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis, Legatos, & Prolegatos, ac Ordinarios locorum, vt præfertur, procedentes quoquo modo impedire, moleſtare, aut perturbare audeant, vel præſumant. Ac etiam man- dantes, vt quoties ad id fuerint requiſiti, Religioſos ipſos, etiamſi Superiores alicuius loci regularis actu fuerint, ipſis Legatis, Prolegatis, & Ordinarijs, vel alijs, quibus ijdem Legati, Prolegati, & Ordinarij mandauerint, conſignent, cum ſcripturis, & actis, ſi quæ facta fuiſſe reperiantur. — Inhibet Superioribus, ne impediant iudices ſuum officium exequi, & mandat huiuſmodi requiſitos reos ſibi cõſignari.

§. 4. Sicque, & non aliter, in præmiſſis per quoſcumque iu- dices ordinarios, delegatos, & commiſſarios, & etiam Ca- meræ prædictæ Clericos, Præſidentes, necnon cauſarum Pala- tij apoſtolici, & Curiæ eiuſdem Cameræ generalem Audi- torem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, iudicari, & definiri, ac interpretari debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate. Ac irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter conti- gerit attentari, decernimus. — Ita iudicari mandat.

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Eccleſiarum, Mona- rum, Militiarum, Hoſpitalium, etiam S. Ioannis rum, & aliorum religioſorum, ac piorum locorum, etiam ramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuil- que, indultis, & literis apoſtolicis, eiſdem Prouin- gnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Eccleſijs, A- — Contrarijs derogat.

Digitized by Google

rijs, Hoſpitalibus, & Militijs, etiam S. Ioannis, vt præfertim, & alijs religioſis, & pijs locis, Vniuerſitatibus, Capitulis, ſuperioribus, & perſonis in contrarium quomodolibet conceſsis, ac etiam pluries, & iteratis vicibus approbatis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiam de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præſentium dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque.

Romæ publicata omnes vbique arctat; & tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. Volumus, autem quòd præſentes in valuis eccleſiæ Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ apoſtolicæ, & in acie campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ, poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, poſt duos menſes, à die publicationis huiuſmodi computandos, quoſcumque tam in ſtatu noſtro, quàm extra eum vbique locorum in Italia tamen exiſtentes, perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quodque earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ijſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nemo illi contradicere poteſt.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innouationis, extenſionis, ampliationis, impoſitionis, voluntatum, derogationis, mandatorum, & decreti noſtrorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicæ, 1627. Idibus Nouembris. Pontificatus noſtri anno 5. E. Dat. Ioſeph Anſelmus. Viſa de Curia. A. Hurandus. G. Montanus. Anno à Natiuitate Domini Ieſu Chriſti 1628. Indictione vndecima, die verò 28. menſis Ianuarij. Pontificatus S.D.N.D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius 5. Retroſcriptæ literæ apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ apoſtolicæ, & in acie campi Floræ dimiſsis ibidem præſentibus literis per aliquod temporis ſpatium appenſis, & deinde amotis, vt moris eſt, per nos Auguſtinum de Bolis Romanum, & Brandimartem Latinum apoſtolicos Curſores. Matthæus Spada Magiſter.

1 Noto 1. quòd moneta adulteratur tripliciter. Primò fabricando, quod contingit, vel miſcendo auro, vel argento æs, aut plumbum, vel fabricando abſque auctoritate, aut imagine Principis. Secundò adulteratur, tingendo ſcilicet monetam æream, vt appareat aurea. Tertio radendo, minuendo ſcilicet illam de iuſto pretio. Ita Guidius lib. 3. de miner. tit. 9. de moneta, nu. 93. Martinus Lauden. de monetis, q. 11. nu. 10. tom. 12. tract. pag. mihi 203. qui autem monetam excedentem iuſtum pondus tonderet, & ad iuſtum pondus deduceret, non teneretur his pœnis; quia hic nulli damnum infert, aut iniuriam, ſed negotium ſuum vtiliter agit. Ita Guidius loc. cit. n. 99.

2 Noto 2. quòd qui incœpiſſet fabricare falſam monetam, deinde pœnitens, nullo extrinſeco adueniente, ſed libera ſua voluntate non perfecit, ſed deſtruxit id, quod cœperat facere, his pęnis non tenetur, quia leges pęnales non habent locum, niſi ſecuto effectu. Ita Guidius loc. cit. q. 71. n. 104.

3 Noto 3. quòd falſam monetam ſcienter expendens, tenetur his pœnis, vt ait expreſsè Papa; ſecus autem, ſi ignoranter; Sed quid, ſi ignorantia eſſet craſſa, & affectata? Hæc communiter non excuſat. Vnde puto, quòd dictas pœnas non effugeret. Sed quomodò poſſet probare ignorantiam ille, apud quem reperiretur moneta falſa? Dico, quòd dupliciter. Primò monſtrando perſonam, à qua habuit; quòd ſi eam monſtrare non poteſt, quia eſt mercator, qui cum multis negotiatur, ſi paucam habeat dictæ falſæ monetæ quantitatem; nam ſi haberet magnam quantitatem, præſumeretur eſſe in dolo. Ita Guidius loc. cit. q. 74. n. 109. 110.

4 Noto 4. quòd dubitari poteſt, an qui priuata auctoritate bonam, & iuſtam Monetam cuderet, has pœnas incurreret; Aliqui putant, quòd non; quia ſolùm peccauit contra obedientiam, vnde mitiùs eſſet puniendus. Ita Marſilius in l. Qui falſam, col. 9. verſ. Et teneas etiam mente, ff. de falſ. apud Guidium, q. 79. n. 116. ipſe tamen ait, quòd has pœnas non euaderet, quia non ſolùm eſt inobediens, ſed etiam vſurpat ſibi auctoritatem Cæſaris. Et præthereà iſte iniuriam facit Principi, non ſolùm vſurpando eius auctoritatem, ſed etiã illum damnificando; quia ſuppoſita iſta moneta, minùs exponitur de moneta Principis. Fit etiam iniuria illi, qui nomine Principis monetam cudit; nam mendacio, & fraude ab eo aufertur lucrum, quod haberet in ſua moneta expendenda. Damnificantur etiam recipientes illam; quia, cum non ſit Principis auctoritate facta, non habet valorem monetę, ac ſi eſſet fabricata à Principe, ſed ſolùm illum valorem, quo valet aurum, aut argentum, ex quo facta eſt. Quapropter putat Chapeauille de caſ. reſeru. caſu 16. q. 1. diffic. 1. quòd iſte talis teneretur reſtituere arbitrio boni viri illud damnum quod Principi, & eius Officiali dedit. Et difficultate 4. quærit, an falſarius monetæ, vel eius hæres, teneatur reſtituere Principi, vel alijs damnum paſſis? Et ait, quod in conſcientia tenetur; quia reſtitutio eſt de iure naturæ. Sed quia iſti falſarij communiter ſuſpenduntur in foro exteriori, non habet locum iſta reſtitutio; nam qui luit in corpore, non debet luere in ære.

5 Noto 5. quòd ſi in domo alicuius reperiãtur ſtampæ falſæ monetæ, eſt indicium contra illum, quòd ſit monetarum falſator adeo vt poſſit torqueri, ſi iſte talis eſt malæ conditionis, & famæ. Nam ſi eſſet bonæ conditionis, & famæ, qui non eſſet ſolitus ſimilia facere, non eſſet hoc indicium contra illum falſatoris. Quia licèt res furata reperta penes aliquem faciat indicium ad torturam, id tamen fallit in homine bonæ conditionis, & famæ, poteſt enim ſuſpicari, quod ex malignitate ibi, ipſo inſcio, ab inimico fuerit occultè poſita. Ita Guidius de miner. lib. 3. tit. 9. de moneta, q. 84. n. 121.

6 Noto 6. quod dictam monetã falſam apud ſe ſcienter retinentes, ſeu de loco ad locum tranſicientes, aut domum ad eam cudendam accommodantes, malleos ad cudendum ementes, argentum, aut aurum præſtantes, & materiam accommodantes, ſeu adinuenientes modum dictam monetam bene colorandi, incurrunt pœnas hic taxatas, nimirum decem annorum triremium.

7 Noto 7. quod qui monetam reprobatam à Principe extenderet, has pœnas non incurreret; quia hic nullo modo poteſt dici falſarius monetæ, vt conſtat ex nu. 1. Vnde cum hic caſus non puniatur in iſta conſtitutione, ad eam non eſt extendendus: deberet tamen puniri alia pœna, vt probat Franciſcus Curtius de monetis, n. 20. to. 12. tract. Si quis autem falſaret monetam reprobatam à Principe, in loco, vbi eſt reprobata, incurreret ne has pœnas? Guidius loc. cit. q. 78. nu. 115. tenet quod non. Nam lex loquens de falſante monetam, intelligitur de vſuali.

8 Noto 8. quod iſta conſtitutio non obligat extra Italiam, nec conſequenter in inſulis Italiæ adiacentibus, vt ſunt Sicilia, Sardinia, Corſica. Quia nomine Italiæ communiter iſtæ inſulæ non veniunt, vt multis probat Diana p. 2. tract. 17. reſol. 30. Et ita in inſula Siciliæ practicari audio, maximè in diœceſi Catanenſi, anno 1632.

9 Noto 9. quod Superiores regulares nullo modo poſſunt ſe intromittere in cognitione caſuum in iſta conſtitutione comprehenſorum, ſed eorum cognitio ad Ordinarios ſpectat.

Con-

Digitized by Google

Conſtitutio XIII. aliàs XXIII.

Decernit, quòd ſingulis annis, ideſt, Feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis B. M. V. Superiores regulares ſub pœna priuationis officij, & vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, in publica menſa, ſeu capitulo ad hoc ſpecialiter conuocato, & in quolibet capitulo generali, vel prouinciali ſeu conuentuali, teneantur commonere ſuos ſubditos de obſeruantia conſtitutionum apoſtolicarum ad officium Inquiſitionis pertinentium, & in ſpecie de his, quæ hic notantur.

Feria 6. die 14. Aprilis, 1633.

In generali Congregatione S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio apoſtolico Montis Quirinalis coram S. D. N. VRBANO diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminentiſſ., & Reuerendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus, aduerſus hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à ſancta Sede apoſtolica ſpecialiter deputatis.

§. 1. *Sanctiſſimus Dominus noſter ſedulo incumbens, vt ea, quæ ſalubriter apoſtolicis decretis, & conſtitutionibus ſtatuta, & ordinata ſunt, præſertimque quæ ad ſanctum officium Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obſeruentur, & omnimodam ſortiantur executionem, diſtrictè mandat, & præcipit, vt omnes Superiores cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ regularis, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam quantumuis exempti, & priuilegiati, teneantur ſub pœna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis in perpetuum, ſemel ſaltem in anno, ideſt feria ſexta poſt Octauam Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, in publica menſa, vel in capitulo ad hoc ſpecialiter conuocato, & inſuper in quocunque generali, ac prouinciali capitulo, conuentu, dieta, vel alio quouis nomine nuncupato capitulari congreſſu, ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere de iniunctâ omnibus obſeruantia, & executione earundem apoſtolicarum conſtitutionum, & decretorum, ad ſanctum Officium Inquiſitionis aduerſus hæreticam prauitatem pertinentium, ac præſertim.*

§. 2. *Iulij III. conſtit. 2. incip.* licet à diuerſis, *contra impedientes Inquiſitores hæreticæ prauitatis in eorum officio, aut in cauſis Inquiſitionis ſe ingerentes, eorumque complices, & fautores. Et contra ipſos Inquiſitores admittentes laicos ad criminis hæreſis cognitionem. Et Pij V. conſt. 82. incip.* Si de protegendis, *contra occidentes, verberantes, deijcientes, aut per terrefacientes quemuis ex Miniſtris Sanctiſſimi Officij Inquiſitionis, vel Epiſcoporum id munus in ſua diœceſi, vel prouincia obeuntium, ſeu accuſatorem, denunciatorem, aut teſtem, in cauſa fidei quomodocunque productum, vel euocatum. Necnon contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incendentes, expilantes, aliòue exportantes alicuius prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliaue inſtrumenta, ſiue publica, ſiue priuata, vbicumque poſita, eorumque complices, & fautores. Et contra effringentes carcerem, vel cuſtodiam publicam, vel priuatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumuè eripientes, recipientes, occulentes, ſeu facultatem effugiendi dantes, ſeu id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non ſecuto, nullatenus excuſandos, niſi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes. Et contra intercedentes pro præfatis delinquentibus. Inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ Maieſtatis, eorumque filijs irrogantur, & oblata reuelantibus impunitate.*

§. 3. *Pij IV. conſtit. 31. incip.* Cum ſicut nuper, *contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu ſacramentalis confeſſionis ad inhoneſtos actus prouocare, & allicere tentât, & ſollicitant. Et Gregor. XV. conſt. 34. incip.* Vniuerſi dominici gregis, *ampliatiuæ circa huius criminis probationes, & extenſiuæ contra confeſſarios, qui perſonas (quæcunque illæ ſint) ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs, quomodolibet perpetranda, in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, vel extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut alio in loco ad audiendam confeſſionem electo, ſolicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint. Et contra confeſſarios non monentes eos, quos ſciunt ab alijs confeſſarijs ſolicitatos eſſe, vt Inquiſitoribus, vel Ordinarijs ſolicitantes denuncient: vel docentes, eos ad ita denunciandum non teneri.*

§. 4. *Gregorij XIII. conſt. 21. incip.* Officij noſtri partes, *de iuriſdictione Inquiſitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti miſſas celebrant, & ſacramentaliter confeſſiones audiunt. Clementis VIII. conſtit. 81. incip.* Et ſi aliàs, *declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per iudices laicos, præuia eorum degradatione. Et Sanctitatis ſuæ conſt. 79. incip.* Apoſtolatus officium, *extenſiuæ ad minores 25. annis, dummodò vigeſimum ætatis annum compleuerint.*

§. 5. *Sixti V. conſt. 17. incip.* Cœli, & terræ Creator, *contra exercentes artem aſtrologiæ iudiciariæ, & alia quæcumque diuinationum genera, libroſue harum artium legentes vel tenentes. Et ſanctitatis ſuæ conſt. 113. incip.* Inſcrutabilia iudiciorum Dei, *extenſiuæ ad alia, & cum grauioribus pœnis.*

§. 6. *Clementis VIII. conſtit. 42. incip.* Cum ſicut, *contra Italos, ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, ſiue vſus catholicæ religionis non exiſtat, minuſque eis locis habitent. Et Greg. XV. conſt. 28. incip.* Romani Pontificis, *contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & inſularum adiacentium quouis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.*

§. 7. *Pauli V. conſt. 26. incip.* Romanus Pontifex, *reuocatoria facultatum Superioribus quorumcunque ordinum, & Religioſorum quoquo modo conceſſarum, cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum, ad Officium ſanctæ Inquiſitionis quomodolibet pertinentes.*

§. 8. *Eiuſdem conſt. 97. incip.* Regis pacifici, *innouatoria conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. Mariæ Virginis editarum: Impoſitionis maiorum pœnarum in transgreſſores, à locorum Ordinarijs & hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus puniendos. Et Greg. XV. conſt. 29. incip.* Sanctiſſimus Dominus noſter auditis, *ampliatiuè, & declaratoria prohibitionis aſſerendi, Beatam Mariam Virginem conceptam eſſe in peccato originali.*

§. 9. *Greg. XV. conſt. 27. incip.* Romanus Pontifex in ſpecula, *reuocatoriæ quarumcumque conceſſionum, viuæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis ſuæ conſtit. extenſiua ad quoſcumque, quantumuis priuilegiatos, & exemptos, incip.* Aliàs fel. rec. Gregorius Papa XV. ſub Dat. Romæ 20. Decembris, 1631.

§. 10. *Eiuſdem conſt. 40. incip.* Apoſtolatus officium. *Et Sanctitatis ſuæ conſt. 114. incip. eo modo; reuocatoria licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.*

§. 11. *Sanctitatis ſuæ conſt. 37. incip.* Sanctiſſimus Dominus noſter ſolicitè animaduertens, *de imaginibus nondum a Sede Apoſtolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radijs, ſplendoribus, aut laureolis non proponendis: Tabellis, aut luminaribus ad eorum ſepulcra non apponendis; eorumue geſtis, miraculis reuelationibus, beneficiorum impetrationibus non publicandis, aut imprimendis.*

§. 12. *Pariter Sanctitatis ſuæ conſt. 50. incip.* Sanctiſſimus

mus

Digitized by Google

mus Dominus noſter pro debito ſui paſtoralis officij, *de libris vbicunque compoſitis, de quacunque materia tractantibus, ab his, qui degunt in ſtatu eccleſiaſtico, non tranſmittendis aliò, vt imprimantur, ſine Vicarij, & Magiſtri ſacri Palatij in Vrbe, vel extra eam ſine Ordinarij, & Inquiſitoris, aut ab eis deputatorum licentia.*

§. 13. *Et eiuſdem Sanctitatis ſuæ conſtit. ſub Dat. Romæ die 5. Nouembris 1631. incip.* Cum, ſicut accepimus, *quòd conſtitutiones apoſtolicæ in concernentibus fidem catholicam, & ſancta Inquiſitionis Officium hactenus edita, & in poſterum etiam ſuper quacunque alia re edenda, omnes Regulares quomodolibet priuilegiato comprehendant, niſi in edendis illis ſpecialiter excipiantur.*

§. 14. *Et inſuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſeruentur, ita vt ab eiſdem ſubditis religioſis omnibus videri, ac legi commodè queant; Deque huiuſmodi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Congregationem ſanctiſſimæ Inquiſitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas ſua. Ioannes Antonius Tomaſinus S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Not.*

Conſtitutio XIV. aliàs XXIV.

Concedit facultatem Generali Minimorum ſupprimendi conuentus tenues, eorumque bona in conuentus maiores transferendi cum oneribus annexis.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Correctori generali Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula.

Dilecte fili, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Motiua. §. 1. CVm, *ſicut nobis nuper exponi feciſti, in viſitatione tui Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, per te hactenus facta, compereris, & in dies comperias, nonnullos ipſius Ordinis conuentus adeò pauperes, & tenues exiſtere, vt ſpes nulla ſit, illos vnquam ad formam conuentuum reduci, minuſque eorum Religioſorum numerum, qui per conſtitutiones apoſtolicas pro Regula eiuſdem Ordinis obſeruantia, diuiniq; cultus ſeruitio præſcriptus exiſtit, in eis ſuſtentari poſſe, quin etiam conuentus huiuſmodi in obſeruantia regularis, ac diſciplinæ relaxationis, totiuſq; Ordinis huiuſmodi dedecus, & ruinam eſſe noſcas, & experiaris; & propterea tibi de infraſcripta facultate per nos prouideri ſummopere deſideres.*

Concedit prout in ſummario. §. 2. *Nos de tua fide, virtute, prudentia, & diligentia plurimùm in Domino confiſi, necnon conuentuum huiuſmodi ſituationes, confines, qualitates, eorumq; fructuum redditus, & prouentus, veros annuos valores præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, Tibi, vt conuentus tenues huiuſmodi, facta per Ordinarios locorum eorum, eccleſiarum profanatione, ſiue confraternitatibus, vel alijs locis pijs applicatione, eorumq; onerum, vt infra, translatione, ſupprimere, & extinguere; & eorum bona quæcumq; maioribus conuentibus perpetuò vnire, & incorporare, & ad ipſos maiores conuentus, quibus bona huiuſmodi vnita, & incorporata fuerint, onera etiam ipſorum minorum conuentuum transferre; ac, ſi magis vtile eccleſijs futurum iudicaueris, bona huiuſmodi, vel eorum partem, vendere, permutare, aut aliàs alienare, dummodo id in conuentuum huiuſmodi, & illarum eccleſiarum vtilitatem cedat, ac pretium inde redigendum in alia bona ſtabilia dictis conuentibus maioribus applicanda, & incorporanda omnino, & vnico contextu conuertatur, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, licentiam, & facultatem impartimur.*

Decretum irritans. §. 3. *Decernentes, præſentes literas, & illarum vigore faciendas vniones, incorporationes, venditiones, permutationes, & alienationes huiuſmodi, ſi, & poſtquam facta fuerint, validas, firmas, & efficaces exiſtere, et fore, ac eiſdem conuentibus in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicq; per quoſcumq; iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat. §. 4. *Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, de rebus eccleſiæ non alienandis, alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac noſtra de vnionibus committendis ad partes, vocatis, quorum intereſt, & Lateranen. Concil. nouiſſimè celebrati, vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis, fieri prohibentis, necnon conuentuum, & Ordinis prædictorum, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iunij, 1633. Pontif. noſtri anno 10. Locus ✝ ſigilli. M. Aurelius Maraldus*

1 Circa iſtam conſtitutionem quæres primò, an Generalis poſſit hanc facultatem ſuo Vicario generali committere. Et videtur, quòd non; quia eſt electa induſtria perſonæ, per illam clauſulam, De tua fide plurimùm confiſi. Atq; ita cum multis docet. Barboſa in c. Quoniam, n. 9 de offic. Legat. Et quòd quando eſt electa induſtria perſonæ, delegatus ſubdelegare non poſſit, idem Barboſ. ibid. n. 3. Poteſt tamen Generalis dicto ſuo Vicario committere, vt aliquem conuentum, de quo habet notitiam, quòd non ſit vtilis de præſenti, neque quòd ſit futurus vtilis in futurum, relinquat; quia tunc dictus Vicarius habet ſolùm in hoc nudum miniſterium, non autem vllum arbitrium. Et ſic in hoc induſtria Generalis non deſideratur; neque hic, cui hoc nudum miniſterium fuerit commiſſum, poterit illud alteri ſubdelegare, vt probat Barboſ. loc. cit. n. 14.

2 Quæres 2. An poſſint relinqui conuentus, qui de breui futuri ſunt pingues? Rn. non poſſe relinqui, niſi eos conuentus, de quibus nulla ſit ſpes, quòd vnquam reduci poſſint ad formam conuentus, vt patet ex §. 1. ſuper narratiua enim fundatur iſta facultas; vnde Generalis antequam aliquem conuentum relinquat, debet probare dictam narratiuam, nimirum iuridicè examinare multos teſtes, qui ſuo iuramẽto affirment, dictum conuentum relinquendum, eſſe in præſenti tenuem, & nullam exiſtere ſpem, quòd futurus ſit aliquando pinguis, & conſequenter, quòd poſſit aliquando reduci ad formam conuentus. Et in dubijs conuentus ſunt retinendi, per regulam, In dubijs potior eſt conditio poſſidentis, vt probat Barboſ. in axiomat. iuris, axiom. 182. n. 5. Quòd ſi, ſtante dubio, Generalis hac facultate vtatur, incidet in pœnas contra alienantes; nam conditione illa, *Necnon conuentuum huiuſmodi, &c.* non purificata, priuilegium eſt nullum. Atque ita ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis, de qua dico to. 1. priuil. in conſt. 2. Iulij II. num. 76. & num. 80.

3 Quæres 3. A quonam profanatio dictarum eccleſiarum ſi facienda? Rn. Faciendam eſſe per Ordinarios locorum, vt hic dicitur, ſi eccleſiæ, intellige, ſint conſecratæ; nam ſi non ſunt conſecratæ, ſed ſolùm benedictæ, poteſt fieri profanatio à Prælato, qui habet auctoritatem illas benedicendi; per eaſdem enim cauſas reſolui-

Digitized by Google

ſoluitur contractus, per quas fit. Atq; ita docent Syluester ver. Eccleſia 2. q. 5. n. 7. dicto 3. Angelus ver. Altare, nu. 6. Roſella eod. nu. 2. Modum autem profanandi, ſeu execrandi eccleſiam, vide apud Tab. ver. Altare, nu. 5. Angel. eod. n. 2. Quòd ſi eccleſia ſit conſecrata, & Epiſcopus nolit eam profanare, poterit compelli per Archiepiſcopum, & hic per Cong. Epiſc. & Regul. iuxta c. Nullus, de iur. patron. Colligitur ex Azor. to. 2. inſtit. moral. lib. 9. cap. 3. q. 8. & interim poterit Generalis bona illius in conuentus maiores transferre. Nam licèt ablatiuus abſolutus regulariter formam importet ad aliquid valdè agendum, vt probat Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 5. n. 2. tamen aliquando connotat modum ad aliquid licitè, vel ex æquitate præſtandum, vt docet idem Sanch. ibid. num. 4. ad 2.

4 Quæres 4. An applicatio dictarum eccleſiarum confraternitatibus, & alijs pijs locis, ſit facienda per Epiſcopum, an per Generalem? ℞. quòd ſi eccleſia, antequam eam poſſiderent Fratres, erat de iure Epiſcopi, quia ſcilicet Epiſcopus eam Fratribus conceſſerat, tunc debet dicta applicatio fieri per Epiſcopum; ſi autem ſit conſtructa à Fratribus, vel ex proprijs pecunijs, vel piorum eleemoſynis, tunc puto, quòd dicta applicatio debeat fieri à Prælato, cum in ea nullum ius acquiſierit Epiſcopus; ſeu ad ſummum, quòd debeat fieri à Prælato regulari de conſenſu Epiſcopi.

5 Quæres 5. A quonam ſint transferenda onera conuentus tenuis in maiorem? ℞. à Generali, vt expreſsè ibi dicitur: & ſimiliter bona illius vendere, & transferre in conuentus maiores, ad Generalem ſolum pertinet, vt patet ex illa clauſula, *Et eorum bona quæcumque maioribus conuentibus perpetuo vnire.*

6 Quæres 6. An hoc priuilegium ſit reale, an perſonale, id eſt, an ſolùm ſit conceſſum Generali, qui erat tempore conceſſionis, an verò etiam tranſire debeat ad ſucceſſores? ℞. quòd eſt reale, & tranſit ad omnes Generales pro tempore futuros. Tum quòd eſt conceſſum nomine dignitatis, iuxta ea, quæ dico tom. 1. priuil. in conſt. 1. Sixti IV. n. 3. & docet Abbas in c. Quoniam, de offic. deleg. n. 7. vbi Barboſa, quamplures DD. referens n. 2. & habetur in dicto c. Quoniam. Tum quia verba illa, *De tua fide, virtute, prudentia, & diligentia plurimum in Domino confiſi,* ſunt proportionabilia perſonæ, & dignitati, cumque hic non ſit expreſſum nomen proprium Generalis regnantis tempore conceſſionis, ſed tantùm appellatiuum dignitatis, faciunt, quod diſpoſitio ſit realis, vt probat Panor. loc. cit. n. 8. Tum denique, quia hac intentione, vt ſcilicet eſſet reale, fuit hoc priuilegium obtentum, & pro tali conceſſum, & habitum à tota Religione.

7 Quæres ſeptimò. An Generalis volens hac facultate vti, debeat in decreto, ſeu quando id committit ſuo Vicario eo modo, quo dictum eſt, ſeu literis patentibus, inſerere totam hanc conſtit. de verbo ad verbum: an verò ſufficiat, quod dicat, Auctoritate nobis conceſſa ab Vrbano VIII. &c.? ℞. Quod in literis commiſſionalibus, & patentibus debet inſerere totum tenorem de verbo ad verbum iſtius bullæ. Et ita colligo ex conſt. 98. Vrbani VIII. tom. 4. bull. pag. mihi 429. §. 5. Quando autem ipſe facit decretum, ſeu ſententiam, quod aliquis conuentus relinquatur, non videtur neceſſarium, quod iſta conſtitutio de verbo ad verbum inſeratur, ſed ſufficit, quod dicat, Auctoritate nobis conceſſa à S. D. N. D. Vrbano VIII. per ſuam conſt. *Cum ſicut*, datam Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iunij, 1633. Pontificatus eius anno 10. prout habetur tom. 3. noſtrorum priuilegiorum in Vrbani VIII. conſtit. 14. aliàs 24. Et ratio diuerſitatis eſt. Quia in primo caſu expreſsè Papa dicit, quod totus tenor inſeratur; de hoc ſecundo non loquitur; Cum ergo quoad hoc ſit odioſa, ad hunc ille caſus non eſt extendendus.

Conſtitutio XV. aliàs 25.

Reuocat omnia priuilegia conceſſa Fratribus particularibus in Regnis Hiſpaniarum, propter quæ ab obedientia ſuorum Prælatorum eximuntur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ.

PAſtoralis officij Nobis diuinitus commiſſi ſolicitudo iugiter nos admonet, vt omni cura, & vigilantia ad ea ſemper intendamus, per quæ regularium perſonarum, quæ, relicto ſeculo, diuini numinis obſequijs ſe ſe manciparunt, quieti, feliciq; ſtatui, ac regularis diſciplinæ conſeruationi conſulitur, vt ipſæ perſonæ iuxta regularia ſuorum Ordinum inſtituta tranquillis mentibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum.

Motiua.

§. 1. *Cum itaq; ſicut accepimus, in Regnis Hiſpaniarum diuerſa priuilegia, prærogatiuæ, immunitates, atque exemptiones diuerſorum Ordinum Religioſis tam ab ipſorum Superioribus quam à Sede Apoſtolica, illiuſque in dictis Regnis Nuntijs pro tempore exiſtentibus, conceſſa reperiantur, per quæ ijdem Religioſi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & monaſterijs, & regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum ſocijs ſibi benè viſis, & iam deſtinatis, etiam Superiorum ſuorum non petita licentia, egrediuntur, abſque eo quòd ijdem Superiores tam huiuſmodi egreſſum, quam ſecularium perſonarum quibuſuis horis ad eorum cellas acceſſum, atque ingreſſum impedire poſſint; Prætereà de vno ad aliud monaſterium, ſeu regularem domum, etiam ipſis Superioribus inuitis, tranſeunt, nec choro, & alijs ſpiritualibus exercitijs, minuſq; refectorio cum alijs interſint; ex hoc autem grauiſſima inconuenientia, & ſcandala in non modicum regularis obſeruantiæ, & diſciplinæ detrimentum exoriantur.*

Statuit prout in ſummario.

§. 2. *Nos præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, obuiare volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia; ac matura deliberatione noſtris, omnia, & ſingula, ac quæcumque huiuſmodi priuilegia, prærogatiuas, immunitates, & exemptiones quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum Religioſis, tam per Sedem apoſtolicam, illiuſque in eiſdem Regnis Nuncios, quàm illorum Superiores ex quacumque cauſa, ac ſub quibuſcumque verborum formis, & expreſſionibus quomodolibet conceſſa, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò reuocamus, caſſamus, & abrogamus; ac reuocata, caſſa, & abrogata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore; nec illa cuiquam ſuffragari, neque de cætero, abſque noſtra, & Sedis apoſtolicæ licentia, concedi poſſe.*

Decretum irritans.

§. 3. *Sicq; & non aliter, per quoſcumq; iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores vbique iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit, decernimus, & declaramus.*

Contrarijs derogat.

§. 4. *Non obſtan. præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon (quatenus opus ſit) Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum huiuſmodi, et quibuſuis alijs, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, et conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, et literis apoſtolicis, eiſdem Religioſis ſub quibuſcumq; tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, et alijs decretis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et indiuidua mentio habenda eſſet, illorum tenores præſentibus pro plenè, et ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dum-*

taxat,

taxat, ſpecialiter, et expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, et ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Iulij 1626. Pontificatus noſtri anno 3.

1 Noto 1. quòd in iſta conſt. reuocat Papa priuilegia faciendi aliquid contra legem, aut præter legem, vt non ieiunandi, comedendi abſq; Superioris licentia: reuocat prærogatiuas, Ideſt præeminentias, quibus quis alteri præfertur abſque iuſto titulo; immunitates, ideſt, quòd quis non teneatur ad exercenda communitatis munera, ire ad proceſſiones, &c. exemptiones, quibus quis ſit exemptus à iuriſdictione Prælati ordinarij, vt explicat Portel 2.p.caſuum, caſ.31.nu.5. Et in ſpecie reuocat licentias generales exeundi conuentu cum ſocio ad beneplacitum abſque licentia Superioris localis. Secundò reuocat licentiam datam aliquibus, vt ſeculares poſſint ire ad cellas ſuas ad ſuum beneplacitum, abſq; eo quòd Superior localis id poſſit impedire. Tertiò reuocat licentiam ſe transferendi de vno in alium conuentum abſq; licentia Superioris. Quartò reuocat licentias aliquibus datas ne teneantur intereſſe choro, refectorio, &c. quæ reuocatio intelligitur etiamſi prædicta fuerint conceſſa à Prælatis Religionis, à Nuncijs apoſtolicis, vel etiam ab ipſo Papa.

2 Noto 2. quod non reuocantur priuilegia conceſſa Regentibus, Lectoribus, etiam iubilatis, ſtudẽtibus ſeu ſtudiorũ cauſa occupatis, & alijs Patribus grauibus per capitula generalia, aut prouincialia, vel definitoria. Nam Papam hæc capitula non exprimit. Ita Portel 2. p.caſuum, caſu 31.aduertentia 4.num. 10. Reuocantur autem ea, quæ à ſolis Generalibus, vel Prouincialibus ſunt conceſſa, vt probat idem Portel ibid.nu.11. Quod tamen limito, niſi ſint conceſſa à dictis Generalibus, vel Prouincialibus tempore generalis viſitationis, cauſa bene cognita; nam in iis viſitationibus conceſſa habent vim decreti, cum ſoleant fieri matura deliberatione prævia. Nec item reuocantur per iſtam bullam priuilegia conceſſa Fratribus ægrotis, literatis, ſenioribus benemeritis habendi vnum Fratrem ſibi placitum qui illis inſeruiat in ſuis neceſſitatibus corporalibus ſubleuandis. Quia hoc lex naturalis dictat, nec vllum ſcandalum, aut inconueniens ex his naſcitur, nec quiſquam Religioſus eximitur ab obedientia ſui Prælati; quæ eſt ratio motiua huius conſtitutionis. Ita Portel loc. cit.n.12. Et aduerte, quod ſi conceſſum ſit aliquod priuilegium alicui ſeni benemerito, v. g. quòd non teneatur ire ad proceſſiones, vel ſit exemptus ab horis matutinis, & de hoc aliqui ſcandalizentur, de hoc ſcandalo curandum non eſt, cum ſit Phariſæorum. Portel loc.cit. nu.17.l.vlt.C.Qui ætatem. Et in particulari de reuocatione priuilegij non eundi ad chorum, dicit Portel nu. 19. quòd intelligitur de his, qui non habent occupationem publicam pro bona communi.

3 Noto 3. quòd poſt iſtam bullam Nuncij Papæ non poſſunt amplius aliquod priuilegium Fratribus particularibus concedere, neq; multo minus Prælati regulares; Portel loc.cit.nu.13 qui nu.16.ait, quòd hæc conſtitutio non extenditur ad Moniales, quia in odioſis maſculinum non comprehendit fœmininum. Et demum aduerte, quòd extra Regna Hiſpaniarum iſta conſtitutio non obligat, neq; etiam obligat in Regnis Regi Hiſpaniarum ſubiectis, ſi ſint extra Hiſpaniam, in Italia v. g. aut Flandria.

Conſtitutio XVI. aliàs XXVI.

Reuocat omnia priuilegia audiendi confeſſiones abſque examine, & approbatione Ordinarij.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiua.

CVm, ſicut accepimus, aliquibus Religioſis quorumdam Ordinum, ſeu Congregationum à Sede apoſtolica indultum fuerit, vt ſacramentales perſonarum ſecularium confeſſiones audire valeant, etiamſi ab Epiſcopis diœceſanis, ad id examinati, & approbati non fuerint; nec deſint, qui temerè aſſererent, hoc ipſum priuilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex ampliſſimis priuilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apoſtolica obtinuerunt: & hinc ſaluberrimum ſacri Concilij Tridentini decretum deſuper ſancitum penitus eneruatur.

Statuit prout in ſummario.

§. 1. Nos huic malo opportunè prouidere volentes, de ven. fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, omnia, & ſingula indulta huiuſmodi, audiendi ſecularium confeſſiones abſque Ordinarij examine, & approbatione, quibuſuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati Ieſu, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque, etiam Sancti Benedicti, Ciſtercien. & Carthuſien. ac etiam quibuſuis Militijs, etiam Hoſpitalis Sancti Ioannis Ieroſolymitani, ac quibuſcumque eccleſijs, etiam Patriarchalibus, & metropolitanis, monaſterijs, cæteriſq; locis pijs, ſiue eorum, & earum reſpectiuè Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam generalibus, vel prouincialibus, Capellanis, Confeſſarijs, aut alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & perſonis quibuſcumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis exiſtentibus, & quouis priuilegio munitis, & tam ad ſupplicationem partium, quàm motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hactenus quandocumque, & qualitercumque ex quauis, etiam de neceſſitate exprimenda, cauſa, & alias quomodolibet conceſſa, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribuſque, & effectu euacuamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Ieſu, Congregationibus, Ordinibus, ac Militijs, & Eccleſijs, Monaſterijſue prædictis, eorumque Superioribus, & perſonis quibuſcumq; ſupradictis vllo modo ſuffragari, minuſq; illos, & illas, etiamſi de ijs ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiuſmodi vti poſſe.

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 2. Præſentes verò literas, & in eis contenta quæcumq; etiam ex eo, quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in ius, vel controuerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcumq; iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque per quoſcumq; iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Nuncios ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis; priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Abbatibus, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus, Capellanis, aliiſque

fra-

prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus, et formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, ac irritantibus; et alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſsis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten. ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, et indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè, et ſufficienter expreſsis, et ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, et expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet. §. 5. *Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſsis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Publicatio in Vrbe vbique arctat. §. 6. *Quòdque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla, ad valuas Baſilicarum S. Io. Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Septembris,* 1628. *Pontificatus noſtri anno 6.*

1 Nota quòd Sixtus V. Congregationi Oratorij Romæ conceſſerat, vt approbati à Vicario Vrbis ad audiendas cōfeſſiones in ipſa Vrbe, poſſent vbique locorum, abſque alio examinare, cum licentia tamen Ordinariorum, confeſſiones audire, prout dixi to. 1. priuil. reg. in conſt. 1. Iulij II. nu. 80. Aliqui autem Regulares prætendebant frui hoc priuilegio, & non ſine ratione; Nam ſemel per principem probatus, per inferiorem non debet iterum examinari; leg. Quidam conſulebat, ff. de re iudic. Innoc. in c. Paſtoralis, de donat. Capella Toloſana deciſ. 449. Nau. in man. c. 27. n. 166. Sed ego ſemper de hoc dubitaui, vt videri poteſt dicto loco priuil. cit. Hic autem Pontifex omnem dubitationem ſuſtulit.

Conſtitutio XVII. aliàs 27.

Contra Aſtrologos iudiciariòs, qui de ſtatu Reipublicæ chriſtianæ, vel Sedis apoſtolicæ, ſeu vita Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum iudicia facere, necnon eos qui illos deſuper conſulere præſumpſerint, cum innouatione ſimilis conſtitutionis Sixti PP. V.

VRBANVS EPISCOPVS.

Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ. *INſcrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroſo corporis carcere conſtrictus ſuper aſtra ſe extollens, arcana in ſinu diuino recondita, & ipſis beatiſsimis ſpiritibus ignota, nefaria curioſitate, non ſolum explorare, ſed etiam tamquam explorata, in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum, arroganti, & pernicioſo exemplo venditare præſumat.*

Motiua. §. 1. *Hinc eſt, vt quamuis ciuilibus, canoniciſque ſanctionibus, ac nouiſsimè fel. rec. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri conſtitutione deſuper edita, Aſtrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, ſeu prædicere audent, quoſque vti homicidas, & maleficos antiquitas æſtimauit, illorum potiſsimum, qui de ſumma Reipublicæ, vel Principis ſalute iudicia ferre præſumerent, ars, profeſsio, ſiue exercitium grauibus pœnis inhibita eſſe noſcantur. Attamen, ſicut accepimus, nonnulli inquietatis filij, propriæ puſillitatis obliti, ac leuitate forſan, vel conniuentia audentiores facti, vanamque fatidicorum æſtimationem aucupantes, in deplorandam animarum ſuarum perditionem, graueque Chriſti fidelium ſcandalum, etiam de Republica, & Principum incolumitate, illis ſolicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occaſionem ea ratione inferre ſatagentes, prognoſtica, & prædictiones, verbo, vel etiam ſcripto edere non erubeſcunt.*

Innouat conſt. Sixti V. §. 2. *Nos itaque pernicioſis huiuſmodi auſibus, quantum nobis ex alto conceditur, obuiam ire, ac quos Dei reſpectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & ſeuerioris diſciplinæ fræno coercere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conſtitutionem per præfatum Sixtum prædeceſſorem deſuper, vt præfertur, editam, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.*

Pœnæ contra laicos. §. 3. *Et inſuper omnibus, & quibuſcumque laicis cuiuſcumque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam marchionalis, vel ducalis, exiſtentibus, qui de ſtatu Reipublicæ chriſtianæ, vel Sedis apoſtolicæ, ſiue de vita, aut morte Romani Pontificis protempore exiſtentis, eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruſpices, Vaticinatores ſiue nuncupatos, vel alios, Aſtrologiam iudiciariam exercentes, ſeu aliàs quomodolibet profitentes de cætero conſuluerint, ſiue deſuper eorum iudicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcognitiones, etiam ſibi oblatas, receperint, illiſue quomodolibet vſi fuerint, vel illas penes ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint, necnon ijſdem Mathematicis, Ariolis, Aruſpicibus, Vaticinatoribus, ſiue alijs Aſtrologiam iudiciariam, ſeu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentibus, qui iudicia, prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſsis, etiamſi id non certò ſe affirmare proteſtentur, fecerint, ſiue à ſe, vel ab alijs iam facta, ſeu factas impoſterum penes ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut de eis quouis modo, etiam improbando, ſcripto, vel verbis tractauerint, nedum excommunicationis maioris latæ ſententiæ, ſed etiam vti læſæ Maieſtatis reis, vltimi ſupplicij, ac confiſcationis omnium bonorum ſuorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcumque ciuitatum, caſtrorum, & locorum iuriſdictionalium, & feudalium.*

Contra eccleſiaſticos. §. 4. *Clericis quoque, et Presbyteris, alijſque perſonis eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quàm cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, ſeu Inſtituti, vel militiarum quarumcumque, etiam Hoſpitalis Sancti Io. Ieroſolymitani, alijſque quomodolibet exemptis, ac Nobis et apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectis, Regularibus vtriuſque ſexus, vltra prædictas, etiam priuationes beneficiorum, et dignitatum, ac officiorum eccleſiaſticorum, etiam Monaſteriorum, Prioratuum, et Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, et inhabilitatis perpetuæ ad illa impoſterum obtinenda, ita quòd perſonæ eccleſiaſticæ, præuia illarum degradatione, curiæ ſeculari tradantur puniendæ; in epiſcopali verò, archiepiſcopali, metropolitana, primatiali, patriarchali, aut quacumque alia, etiam ſuperiori, eccleſiaſtica, vel mundana, quantumuis ſublimi excellenti, et ſpeciali nota digna, etiam ſuprema conſtitutis dignitate, eaſdem excommunicationis, ac priuationis, etiam regiminis, et adminiſtrationis eccleſiarum, et aliorum quorumcumque beneficiorum, et dignitatum, quantumuis ampliſsimarum, et patriarchali maiorum, ac officiorum ſuorum, et inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrendas, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium infligimus, et imponimus.*

Deputat iudices tam in Vrbe, quam extra. §. 5. *Cognitionem autem cauſarum huiuſmodi quò ad perſonas eccleſiaſticas, tam ſeculares, quàm regulares, in Vrbe noſtra, et illius diſtrictu, ad dilectos filios noſtrum in ea Vicarium in ſpiritualibus generalem, necnon eiuſ-*

dem

Digitized by Google

dem Vrbis Gubernatorem, ac cauſarum Curiæ Cameræ apoſtolicæ Auditorem generalem & eorum quemlibet in ſolidum; extra vero Vrbem, & diſtrictum prædictum, in Prouincijs, Nobis, & apoſtolicæ Sedi ſubiectis, ad S. R. E. Cardinales in eiſdem Prouincijs de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præſides in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos pro tempore exiſtentes; in alijs vero omnibus, & ſingulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis, tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quam cuiuſuis alterius Principis, ditione comprehenſis, priuatiuè quo ad omnes, etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum; vbilibet vero locorum, etiam ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores ſpectare volumus.

Commiſſarios deputat.

§. 6. Mandantes dilectis filijs noſtris, & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præſidibus prædictis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, necnon venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis, videlicet in ſua ciuitate, & diœceſi, & quo ad loca intra fines alicuius diœceſis, non tamen de diœceſi exiſtentia ipſarum diœceſum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo vero ad ea, quæ extra fines alicuius diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, ac etiam Inquiſitoribus prædictis, quatenus ad inſtantiam cuiuſuis Fiſci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio cauſarum huiuſmodi cognitiones ſuſcipientes, prærnia etiam auocatione à quibuſuis alijs ſupra non expreſſis, nec à Nobis ſpecialiter delegatis, in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam auxilio brachij ſecularis.

Pœnæ contra inobedientes.

§. 7. Inhibentes inſuper Decanis, & capitulis eccleſiarum cathedralium, metropolitanarum, & patriarchalium, necnon quorumuis Ordinum, & locorum regularium, Societatum, & Inſtitutorum, ac etiam Hoſpitalis prædictorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, quantumuis exemptis, ne ſub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque, per eos reſpectiuè obtentorum, ac ſimiliter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, necnon excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, ſeu Vicelegatos, alioſque prædictos in cauſis huiuſmodi procedentes quoquo modo impedire, moleſtare, ſeu perturbare audeant, vel præſumant. At etiam mandantes, vt, quoties ad id fuerint requiſiti, Religioſos ipſos, etiamſi alicuius loci regularis Superiores actu fuerint, Ordinarijs, Legatis, ſeu Vicelegatis, ac alijs prædictis, ſeu quibus ijſdem mandauerint, conſignent, cum ſcripturis, & actis, ſi quæ facta fuiſſe reperiantur.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque, & non aliter, in præmiſſis per quoſcunque iudices ordinarios, delegatos, & commiſſarios, ac etiam Cameræ apoſtolicæ Clericos, Præſidentes, necnon cauſarum Palatij apoſtolici, & Curiæ eiuſdem Cameræ generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrarijs derogat.

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon noſtra in numero ſeptuageſima, & alijs Cancellariæ apoſtolicæ regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Militiarum, Hoſpitalium, etiam Sancti Ioannis prædictorum, aliorumque religioſorum, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis, eiſdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Eccleſijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, & Militijs prædictis, & alijs pijs locis, ac illorum Vniuerſitatibus, Capitulis, Superioribus, & perſonis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe harum ſerie derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

§. 10. Volumus autem, quòd præſentes literæ in valuis eccleſiæ Lateranenſis, & baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ apoſtolicæ, necnon in acie campi Floræ publicentur, & affigantur; quæ, poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, quoſcunque, tam in ſtatu noſtro temporali, quam extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique nominatim, et perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Publicatæ in Vrbe omnes arctant.

§. 11. Quòdque earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, et ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, et extra vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, innouationis, inflictionis, impoſitionis, inhibitionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ 1631. Cal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno 8.

Sanctio pœnalis.

Conſtitutio XVIII. aliàs 28.

Reuocat omnia viuæ vocis oracula, etiam à Cardinalibus obtenta, & eorum manu ſubſcripta.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. ALiàs fel. rec. Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter, vt ſubnaſcentibus iugiter varijs difficultatibus, et abuſibus ex priuilegijs à Sede apoſtolica viuæ vocis oraculo ſæpenumero conceſſis obuiam iret, conſtitutionem edidit tenoris ſubſequentis, videlicet. Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ. Hic ponitur per extenſum conſtitut. Gregorij XV. quàm habes tom. 2. noſtr. priu. in eius conſt. 3.

Memorat conſtitut. Greg. XV.

§. 2. Cum autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, et gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, et ipſorum manu firmatas, ſæpe ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, et perperam in diſciplinæ eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari; Idcirco, quantum cum Domino poſſumus, his, et alijs malis occurrere volentes; Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, et de conſilio nonnullorum venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium huiuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus, omnia, et ſingula priuilegia, facultates, licentias, et gratias quaſcunque per Summos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac per nos viuæ vocis oraculo, et S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuſcunque Generalibus, Prouincialibus, cæteriſque Superioribus, et perſonis cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, et Societatis, ſiue ſecularibus, ſiue regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, et Societatibus, etiam Societatis Ieſu, aut eius Clericis, ſeu Presbyteris, alijſque perſonis prædictis, quacunque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad

Statuit prout in ſummario.

inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum qu rumcumque, aut alias quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nulliique prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere, declaramus.

Mandat Generalibus Ordinum ſub pœna excom. ipſo facto, vt harum tranſumptum ſingulis Prouincialibus mittant.

§. 3. Præterea, vt præſentes literæ omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quantocitius innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Ieſu, & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac priuationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis ipſo facto incurrendis præcipimus, & mandamus, vt infra tres menſes proximos à die publicationis præſentium computandos, omnes, & ſingulos Prouinciales eorumdem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Ieſu, & Inſtitutorum, de eiſdem præſentibus literis certiores faciant, earumdemque præſentium exemplaria illis tranſmittant. Qui quidem Prouinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis ſuperioribus monaſteriorum, conuentuum, collegiorum, domorum, & locorum regularium præcipere, vt eaſdem præſentes ſubditis ſuis, vt moris eſt, publicent.

Decernit, quòd hę literæ impugnari non poſſint.

§. 4. Decernentes, præſentes literas, etiam ex eo quòd quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel controuerſiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, ſiue aduerſus illas quodcunq; iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§. 5. Non obſtan. præinſertis literis huiuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, et, quatenus opus ſit, etiam regula noſtra, De non tollendo iure quæſito; priuilegijs quoque, indultis, et literis apoſtolicis, eiſdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, et Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ſub quibuſcumque verborum formis, et tenoribus, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijſque efficacioribus, et inſolitis clauſulis, ac irritantibus, et alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innouatis. Quibus omnibus, et ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, et expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, et ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, et expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 6. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Quòdque eadem præſentes literæ, ſiue illarum exempla, ad valuas baſilicarum prædictarum, et in acie campi Floræ huiuſmodi ſimiliter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Decembris, 1631. Pontificatus noſtri anno 9. M. A. Maraldus. Die, et anno ſupradicto affixa, et publicata fuit ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, et Principis Apoſtolorum, ac in acie campi Floræ, alijſque locis ſolitis, et conſuetis, vt moris eſt, per me Andream Scalmanum S. D. N. Papæ Curſorem.

1 Noto 1. quòd iſta reuocatio non intelligitur de viuæ vocis oraculis conceſſis ante Pium V. Nam iſte Pontifex illa omnia innouauit, & de nouo conceſſit, cum clauſula, Quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbũ, &c. quæ clauſula operatur, vt confirmatio, & innouatio ſint ex certa ſcientia, vt probaui to. 2. noſtr. priuil. in conſt 4. Pauli III. num. 11. vt conſtat ex conſt. 7. Pij V. to. 2. noſtr. priuil. §. 31. Imò nec etiam intelligitur de viuæ vocis oraculis conceſſis ante Greg. XIII. ſeu etiam ab ipſo Gregorio ante confirmationem, de qua mox. Quia iſte etiam Pontifex ea omnia confirmauit per ſuam conſtitutionem primam ex certa ſcientia, quam habes tom. 2. noſtr. priuil. in Greg. XIII. quæ clauſula vim habet nouæ conceſſionis. Cum itaq; iſti duo Pontifices per confirmationem, & innouationem ex certa ſcientia, quæ nouæ conceſſionis vim habet, priuilegia viuæ vocis oraculis conceſſa confirmarint in genere, & in ſpecie per ſuas particulares conſtitutiones, iam illa deſinunt eſſe conceſſa per viuæ vocis oraculum, ſed ſunt conceſſa per nouas dictorum Pontificum conſtitutiones: quare ſub iſta reuocatione cadere non videntur, ſaluo ſemper meliori iudicio, & ſtylo Curiæ Romanæ aliter interpretante, & ſentiente. Neque etiam cadunt ſub iſta reuocatione viuæ vocis oracula concedentia indulgentias; quia hæ non nominantur, nec venire commodè poſſunt nomine priuilegiorum, aut gratiarum, ſed ſint omnino diuerſa; & à diuerſis non fit illatio, præſertim in odioſis, qualis eſt hæc conſtitutio, cum ſit reuocatoria tot priuilegiorum. Imò audio, quòd aliqui putarunt, iſtam conſtitutionem non obligare in foro conſcientiæ, interpretantes illam tanquam odioſam, vt minùs lædat, quàm fieri poteſt: cum conueniens eſſe dicant, vt priuilegia Regularibus conceſſa conſeruentur, cum fuerint conceſſa intuitu meritorum, & ſanguinis ſparſi pro conſeruatione, & augmento S. Romanæ Eccleſiæ. Pro qua doctrina citant Baldum de Periglis in tract. de exempt. nu. 22. qui habetur tom. 12. tract. fol. 195. Sed ego in his non me immiſceo. Puto, ſtandum eſſe illi interpretationi, quam ſtylus Romanæ Curiæ admittit, & ſeruat.

2 Neque etiam puto, hanc reuocationem comprehendere viuæ vocis oracula communicantia aliquod priuilegium alicui Religioni, aliàs conceſſum per apoſtolicum diploma. Nam in his non cadit ratio iſtius reuocationis, cum gratia conceſſa per viuæ vocis oraculum hoc modo intelligatur omnino, ſicut apoſtolicum diploma. Ita Turrian. p. 2. ſelect. diſp. diſp. 16. dub. 5.

3 Noto 2. quòd per iſtam derogationem viuæ vocis oraculorum non derogatur iis viuæ vocis oraculis, quibus Sanctitas ſua, aut alij ſummi Pontifices priuilegia Religionibus conceſſa, aut decreta ſummorum Pontificum, aut ſacros canones, & decreta Trid. aut aliorum conciliorum explicant, aut declarant: dummodò hæc viuæ vocis oracula non contineant aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum. Ita Lezana in ſumma q. regul. c. 3. nu. 21. & probaui tom. 2. priuil. regul. in conſtit. 8. Pauli V. num. 1.

4 Noto 3. quòd viuæ vocis oracula, quæ ſortita ſunt effectum ante hanc derogationem, licèt effectus habeat tractum ſucceſſiuum in futurum, non creduntur reuocata per hanc conſtitut. Ita Lezana loc. cit. & dixi tom. 2. priuilegiorum, in conſtitut. 3. Gregorij XV. nu. 1. Quia Papa id non explicat. Hæc ita dicta velim, dummodò ſtylus Curiæ Romanæ aliter non ſeruet aut ſentiat. Nam aliàs ex nunc ea caſſanda decerno.

Con-

Digitized by Google

Conſtitutio XIX. aliàs 29.

Quæ eſt Decretum ſacræ Congregationis Rituum; In quo conceditur Abbatibus Caſſinenſibus, vti tribus feſtiuitatibus anni baldachino.

CVm aliàs de anno 1606. ſub die 28. Ianuarij ſacra Rituum Congregatio, inſtante Archiepiſcopo Firmano, interdixerit Priori Sanctæ Catharinæ Ordinis Canonicorum regularium, in eorum eccleſia vſum aliquarum cæremoniarum, & de anno 1617. ſub die 18 Martij illud decretum ad inſtantiam bon. mem. Cardinalis Caraffa Archiepiſcopi Neapolitan. extenderit ad omnes Priores, & Abbates cuiuſcunque Ordinis, etiam Caſſinenſ. ab hoc decreto reclamauit Procurator generalis Caſſinen. & ad ſacram Congregationem recurſum habuit, aſſerens, ſuam Congregationem indefenſam fuiſſe. Et re maturè, ac diligenter diſcuſſa, referente bon. mem. Cardinali Lancellotto, ſacra Congregatio de anno 1618. ſub die 12. Martij cenſuit quò ad vſum baldachini, & quorundam miniſtrorum in alijs decretis prohibitorum, recedendum eſſe à prædictis decretis de annis 1606. & 1617. emanatis, & licere iiſdem Abbatibus, quando ſolemniter celebrant, vti baldachino, & apparatu, iuxta eorum antiquiſſimam conſuetudinem, ita tamen, vt modeſtè, cum debita conuenientia, ſine pompa, & auro, atque in tribus ad ſummum feſtiuitatibus quolibet anno vtantur, prout in dictis decretis latius continetur. Nunc demum Archiepiſcopus Florentinus ad S. Congregationem accedens, inſtetit prohiberi Abbati S. Mariæ eiuſdem ciuitatis Florentiæ Ordinis Caſſinenſium vſum baldachini, & dictorum miniſtrorum, & aliarum multarum cæremoniarum, in dedecus, & præiudicium ſuæ archiepiſcopalis dignitatis vergentium. Et citato, ac interueniente P. D. Dominico Pinello, eiuſdem Congregationis Caſſinenſium Procuratore generali, & partibus ſæpe, ac ſæpius auditis, ac negotio diligenter diſcuſſo, referente Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Cardinali Pio.

Eadem ſacra Rituum Congregatio, inhærendo dicto vltimo decreto facto de anno 1618. cenſuit, & declarauit, licere Abbatibus Caſſinenſibus, quando ſolemniter celebrant (quod in tribus ad ſummum feſtiuitatibus facere eis permittitur) vti baldachino, ſine auro tamen, & pompa, & aliquibus etiam miniſtris paratis ſacris indumentis. Quia verò numerus horum miniſtrorum in aliquibus eorum monaſterijs erat valde exceſſiuus, vetuit, ac prohibuit, ne iidem Abbates ſolemniter, vt ſupra, celebrantes, alios poſſint habere miniſtros ſacris indumentis paratos, quàm duos Diaconos, & Presbyterum aſſiſtentes, Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Euangelio, & epiſtola, ac ſex ad ſummum alios, duos cum pluuialibus, duos cum planetis, & duos cum tunicellis coloris tempori conuenientes. Quò ad reliqua verò in dictis decretis de annis 1606. & 1617. emanatis contenta, S. Congregatio eadem decreta confirmauit, & quatenus opus ſit, innouauit, inhibens omnibus Abbatibus Caſſinenſ. ac ſeriò præcipiens, vt in reliquis omnibus ea ad vnguem inuiolabiliter obſeruent. Eorumque diſpoſitioni addidit, vt ſupradicti Abbates nullo modo debeant, nec poſſint habere, & tenere ſedem ſuam abbatialem fixam, & permanentem propè altare, vt ſedes epiſcopalis retineri conſueuit; minuſq; liceat ſupradictis ſex Monachis paratis, vt ſupra, ſedere in ſedibus choralibus, vt Canonicorum ſecularium mos eſt, ſedes pro Abbate ſolemniter celebrante retineatur in eccleſia ijs tantummodò tribus diebus, quibus ipſe Abbas ſolemniter celebrat, dictique ſex Monachi parati ſedere debeant loco congruo, iuxta eccleſiarum conuenientem ſitum, ſuper ſcabellis ad hunc effectum tunc appoſitis, panno laneo coopertis. Die 29. Ianuarij, 1628. Io. Baptiſta Card. Deтus. F. Fuluius Benignus Secretarius.

1 Nota circa hoc punctum duas conſtit. Vrbani VIII. quas habes tom. 4. bull. in eius conſt. 24. fol. 262. & aliam eiuſdem Vrbani pro Congregatione Oliuetana, quam habes eodem tom. 4. bull. in conſt. 97. folio 428. Et hoc decretum in ſpecie fuit confirmatum, inſerto tenore, ab Vrbano VIII. per ſuam conſtit. 101. Exponi nobis, quam habes tom. 4. bull. fol. 432.

Conſtitutio XX. aliàs 30.

Concedit, quòd Regulares non poſſint prohiberi aſſociare corpora defunctorum; & quòd Curati non poſſint cogere hæredes defunctorum celebrari facere miſſas in ſuis eccleſiis parochialibus.

VRBANVS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

§. 1. *NVper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum generalium Ordinum Prædicatorum, S. Franciſci, S. Auguſtini, & B. Mariæ de Monte Carmelo, Diſcalceatorum nuncupat., nobis expoſitum fuit, quòd aliàs à venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ſacris Ritibus præpoſitis, emanauit decretum, tenoris ſubſequentis, videlicet. Inſtantibus Procuratoribus generalibus Ordinum Prædicatorum S. Franciſci, S. Auguſtini, & Diſcalceatorum Carmelitarum, declarari. Primò, an liceat Curatis, ſaluis eorum iuribus parochialibus impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quaſuis eccleſias deferenda, vna cum Parochis, & Clericis, proceſſionaliter aſſocient? Et ad hoc ſacra Rituum Congregatio reſpondit, Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri. Secundò, an prædicti Curati poſſint cogere hæredes, ſeu executores teſtamentarios, vt pro defunctis, qui tumulantur in eccleſiis Regularium, in eccleſiis etiam parochialibus celebrari faciant officia, nouenalia, & anniuerſalia, prout celebrantur in eccleſiis Regularium, in quibus cadauera ſepeliuntur? Et ſacra Rituum Congregatio reſpondit, non poſſe cogere. Die vigeſima tertia Aprilis, 1633.* Refertur declaratio Congreg.

§. 2. *Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, dicti exponentes, decretum præinſertum apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent. Nos illos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum præinſertum apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus; illique inuiolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.* Concedit prout in ſũmario.

§. 3. *Decernentes, decretum præfatum, necnon literas præſentes valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore; ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari; ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatij apoſtolici Auditores iudicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Ita iudicari mandat, cum decreto irritante.

§. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 25. Iunij, 1633. Pontificatus noſtri anno 10.* Contrarijs derogat.

M. A. Maraldus.

Digitized by Google

Conſtitutio XXI. aliàs 31.

Quæ eſt decretum ſuper electione Sanctorum in Patronos à S. Rituum Congregatione de ordine S. D. N. Vrbani Papæ VIII. emanatum die 23. Martij, 1630.

SAcra Rituum Congregatio, annuente S. D. N. in electione Patronorum mandauit infraſcripta in poſterum ſeruari debere, declarans, quòd aliter facta electio nulla ſit ipſo iure.

1 *Quòd eligi poſſint in Patronos ij ſolùm, qui ab Eccleſia vniuerſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.*

2 *Quòd de Patrono ciuitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à populo, mediante concilio generali illius ciuitatis, vel loci; non autem ab officialibus ſolum. Et quòd accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius loci. Idemque ſeruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum ciuitatum Prouinciæ. Et quòd repræſentantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & vlterius interueniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum ciuitatum.*

3 *Quòd cauſa electionis nouorum Patronorum debeant in ſacra Congregatione deduci, & ab ea examinari; ac demum, cauſa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari. Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit allegari, eadem ſacra Rituum Congregatio ſupradictum decretum imprimi, & publicari mandauit. Ioannes Baptiſta Card. Detus.*

Loc. † ſigilli. T. Tegrimus Secretarius. Die, & anno ſupradicto affixum, & publicatum fuit ad valuas Curiæ Cameræ apoſtolicæ, ac alijs locis ſolitis, & conſuetis, & in acie campi Floræ, vt moris eſt, per me Andream Scalmannum, S. D. N. Papæ Curſorem.

1 Noto 1. quòd habent Fratres Minimi priuilegium celebrandi officium S. Franciſci de Paula cum octaua, etiamſi veniat in quadrageſima, conceſſum viuæ vocis oraculo à Gregorio XIII. vt conſtat ex c. generali Genuæ 4. celebrato, nu. 30. anno 1574. cui per reuocationem viuæ vocis oraculorum, factam ab Vrb. VIII. non eſt derogatum. Quia confirmatio noſtrorum priuileg. ex certa ſcientia facta fuit à dicto Gregorio anno 1575. vt conſtat ex eius conſt. 1. Et adde, quòd hoc priuilegium non ſolùm fuit conceſſum à Greg. XIII. viuæ vocis oraculo, ſed etiam à Leone X. per ſuam conſtit. 17. tom. 1. noſtr. priuil. & à Clem. VII. per ſuam conſt. 2. eadem 2. to. noſtr. priu. in quibus conſtitutionibus expreſsè conceditur, quòd poſſimus annuatim die 2. Aprilis celebrare feſtum S. Franciſci de Paula cum octaua niſi venerit in maiori hebdomada, vel octaua Paſchæ. Hæc autem exceptio firmat regulam in contrarium, vt probat Barb. axiom. 85. nu. 4. de axiom. iuriſ. Prædicta verò priuilegia fuerunt confirmata ex certa ſcientia ab Vrbano VIII. vt conſtat ex eius conſt. 1. to. 2. noſtr. priu. Quare, ſi dictum feſtum veniat in Dominica Paſſionis (quicquid dixerim in Rituali in not. ante feſtum B. Patris, notab. 5. quæ quidem notanda maiori indigent lima) poteſt de eo celebrari officium prædictum & miſſa. Solùm poteſt eſſe difficultas, an poſſit de eodem celebrari, ſi veniat in Dominica Palmarum? Et reſolutio poteſt pendere ab eo, an hebdomada incipiat à Dominica, vel à feria 2. de qua quicquid ſit, non puto poſſe in prædicta die celebrari dictum feſtum, propter ipſius maximam ſolemnitatem, in qua non decet Chriſti fideles priuare myſterijs redemptionis noſtræ; Et quia licèt exceptio regulam firmet in contrarium, non firmat tamen, quando contrarium non eſt veriſimile, vt limitat Barboſa loco proximè cit. num. 4.

2 Neque his obſtat, quòd confirmatio priuilegiorum facta ſit, quatenus ſunt in vſu, & non ſunt Trid. contraria. Nam & hoc priuilegium eſt in vſu, & non eſt contrarium Trid. Neque etiam obſtat bulla Pij V. & Clem. VIII. de refor. breuiarij, poſita initio breuiarij. Nam in primis ibi Papa non abrogat priuilegia particularia celebrandi aliquod feſtum Patroni cum maiori ſolemnitate, quàm præſcribant rubricæ breuiarij, vt conſtat, Deinde viuæ vocis oraculum Gregorij, & confirmatio Vrbani ex certa ſcientia ſunt poſt dictam conſt. Pij V. & Clemen. VIII. & priuilegia derogata, per nouam confirmationem ex certa ſcientia; quæ vim habet nouæ conceſſionis, reuiuiſcunt, vt probat Sigiſmundus de elect. dub. 76. nu. 7. & in additionibus ad dictum numerum, in fine libri. Item conſtitutio Pij ſolùm obligat ad recitandum officium ſecundùm formulam in communi ibi deſcriptam, non ſecundùm cæremonialia, iuxta opinionem, quam communem dicunt Azor tom. 1. libr. 10. cap. 10. qu. 2. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 37. num. 77. Vega 1. p. cap. 128. præſertim quando adeſt aliqua iuſta cauſa, vt hic, deuotio ſcilicet populi, affectio filiorum erga patrem, conſuetudo legitima. Quartò, quia raro, & ex iuſta cauſa mutare qualitatem officij, etiam ſecundùm opinionem illorum, qui dicunt, quòd in breuiario Pij V. præcipitur recitari officium non ſolùm ſecundùm formulam in communi ibi deſcriptam, ſed etiam ſecundùm omnem modum, & cæremonias ibi traditas, nullum peccatum eſt, neque veniale, vt probat cum alias Sanchez libr. 7. conſil. cap. 2. dub. 25. n. 2. Ergo etiam dato, quòd noſtra priuilegia eſſent reuocata, quod eſt falſiſſimum, poſſemus de octaua illo tempore celebrare, cum id ſolùm ſemel in anno fiat. Quintò, quia Papa ibi non abolet ritus particulares conſuetudine approbatos, ſed ſolùm breuiaria. Quare licèt aliqui ritus in aliqua eccleſia eſſent contra aliquem ritum dicti breuiarij, modò celebrarentur ſecundùm formam dicti breuiarij, per dictam bullam non improbantur. Sextò, quia priuilegium conceſſum Minoribus ab Innoc. IV. quòd ratione itineris, aut alterius iuſtæ cauſæ poſſint exiſtentes extra ſuos conuentus recitare officium non ſecúdùm breuiarium Romanum, non eſt reuocatum, per dictam bullam Pij V. quia licèt præcipiat Papa, quòd omnes recitent officium ſecundùm præſcriptum dicti breuiarij, non obſtante quocunque priuilegio in contrarium, hoc tamen debet intelligi de illis, qui omittunt dictum ritum pro ſemper, non verò quando id faciunt aliquando, vt docent Garcia de benef. par. 3. cap. 1. num. 179. A S. Fauſto de horis canon. lib. 2. qu. 122. qui addit, neque eſſe reuocatum per hanc bullam Pij priuilegium Martini V. conceſſum Regularibus ægrotis, & conualeſcentibus, quòd ſcilicet ſatisfaciant muneri recitandi officium diuinum, dicendo aliquos pſalmos. Neque etiam putat eſſe per hanc bullam Pij reuocatum priuilegium Leonis X. conceſſum Minoribus ægrotantibus, relinquens ſuorum Prælatorum diſpoſitioni, quid eo tempore debeant recitare ad ſatisfaciendum diuino officio. Et quod dico de prædicta bulla Pij, intellige etiam de bullis Clem. VIII. & Vrbani VIII. quia iſtæ ſolùm confirmant id, quod Pius ſtatuerat circa formam officij diuini recitandi. Si ergo prædictæ bullæ non derogant priuilegijs illis particularibus, quia ſolum ſunt pro aliquibus caſibus ſpecialibus, neque etiam derogabunt noſtro priuilegio de celebranda octaua S. Franciſci, quando venit in quadrageſima.

3 Neq; etiam obſtat nouum decretum Sacræ Congreg. Rituum, approbatum ab Vrbano VIII. & poſitum in principio breuiarij recogniti ab eodẽ Papa; vbi ſtatuitur, poſt dictam bullam Pij V. non licuiſſe, neque licere Epiſcopis, neque Regularibus addere calendarijs, etiam proprijs Sanctorum officia, neque mutare ritum in dicto breuiario, ſeu rubricis ſtatutum; Nam intelligitur, quòd id fieri non poſſit ſine licentia Papæ, & propria auctoritate, vt ibidem exprimitur. Noſtra autem Religio habet ad id priuilegia trium Pontificum, nimirum Leonis X. Clem. VII. & Greg. XIII.

quæ

Digitized by Google

quæ priuilegia neque in dicto decreto, neque alibi derogantur; Deinde ritus hic celebrandi feſtum B.P. cum octaua, quando venit in quadrageſima, eſt in noſtra Religione introductus. & omni ſerie temporum continuatus multo tempore ante bullam Pij V. Vnde, cum hoc decretum ſolùm loquatur de additione facta, vel facienda calendario Romano poſt bullam Pij V. clarè patet, quòd non loquitur in caſu noſtro. His omnibus adde, quòd longa, inueterata, continuata, ac legitimè præſcripta conſuetudo celebrandi dictum feſtum cum octaua, quando venit in quadrageſima, habet vim derogandi cuicumque legi, quando adeſſet in contrarium, nec illi derogari poteſt, niſi per ſpecialem conſtitutionem Pontificis, facientem expreſſam mentionem de ea, cum in facto conſiſtat, iuxta cap. 1. de conſt. in 6.

4 Neque etiam obſtat, quòd rubrica 7. de octauis, n. 1. expreſsè præcipiat, ne in quadrageſima fiat de octaua alicuius feſti. Nam etiam præcipit expreſsè, quòd feria 2. V.G. fiat de feria, quando nullum feſtum occurrit, & tamen Doctores citati dicunt, quòd poteſt officium aliquando mutari ex cauſa, abſque vllo peccato. Rubrica ergo intelligenda eſt, quod vniuerſaliter in quadrageſima non fiat de octaua, non verò, quòd non poſſit fieri de octaua in aliqua eccleſia particulari. Deinde intelligenda eſt, ſecluſo priuilegio, quod licèt ibi non explicetur, eſt tamen neceſſariò intelligendum. Tum ex eo quòd in rubrica 10. de transl. feſtorum, licèt expreſsè dicatur, quòd quando feſtum habens octauam transfertur poſt totam ſuam octauam, illo anno celebratur ſine octaua, additur tamen, ni ſi titularis eccleſiæ priuilegio aliter fieri oporteat. Ergo cum in rubrica 7. militet eadem ratio, debet militare idem ius. Tum ex eo quòd nemo dubitat, poſſe Papam auctorem dictarum rubricarum, illas omnino ceſſare, ac ſuper illis diſpenſare, & contra illas priuilegia concedere. At Minimi prætendimus habere priuilegium apoſtolicum, vt conſtat ex dictis, confirmatum ex certa ſcientia ab Vrbano VIII.

5 Noto 2. quòd iſte Pontifex Vrbanus VIII. multas alias fecit conſt. & præcipuè vnam, quæ incipit, Militantem Eccleſiam, datam Romæ 6. calend. Apr. anno 1624. anno 1. ſui Pontificatus; in qua Vrbis omnes eccleſias, & monaſteria tam regularia, quàm ſecularia viſitari mandauit. Et pro Ordine noſtro dedit quatuor alias conſt. Vnam, quæ incipit, Vt ſuſceptam, datam Romæ anno 1624. die 12. Ianuar. In qua dat auctoritatem Generali Aegidio Camart, vt inter viſitandam Religionem, ſtatuta perpetua condere poſſit, conformia tamen Regulæ & iuri communi. Alteram, quæ incipit, Militantis Eccleſiæ, datam Romæ die 28. Iunij anno 1628. in qua erigit Prouinciam Germaniæ. Alteram quæ incipit, Religionis zelus, datam Romæ anno 1626. die 31. Auguſti, in qua confirmat P. F. Deodatum Lomellinum in Vicarium generalem Italiæ. Et quartam, in qua concedit, quòd dictus Deodatus Zeloſus, non obſtante Regula Minimorum, poſſit habere vocem actiuam in capitulo generali. Omnes iſtæ conſtitutiones locales, & perſonales ſunt, nec tranſeunt ad hæredes, niſi in exemplum. Ideò eas ſufficit indicaſſe. Quarta autem, quia eſt prima (licèt alias etiam in cap. Bonon. 1. n. 2. ex cap. gratia Zeloſus in eo votauerit, & in c. Val. 5. n. 2. per viuæ vocis oraculum Papæ) quę per viam conſtitutionis ſit obtenta in illo caſu ab apoſtolica Sede: Et quia præſentia dicti Deodati Zeloſi multum profuit Religioni in illo capitulo, vt conſtare poteſt ex conſtit. 2. aliàs 12. huius Pontificis, ideò eam hic ad verbum inſerere non tædebit. Habet ergo vt infra.

VRBANVS PAPA VIII.

2 *Dilecte fili, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Religionis zelus, vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, vt te ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequamur. Cum itaque, ſicut nobis nuper exponi feciſti, capitulum generale iſtius Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula proximè futurum in Hiſpania celebrandum ſit, regularibus verò dicti Ordinis ſtatutis, apoſtolica auctoritate confirmatis, ac forſan etiam conſtitutionibus apoſtolicis, caueatur expreſsè, ne Zeloſi dicti Ordinis in illius capitulis generalibus, quæ extra almam Vrbem noſtram celebrantur, vocem actiuam habeant, ſed quòd ad ſolum Generalem, Vigiles, & Prouinciales, eorumque Socios, & Commiſſos Commiſſorum ſpectet electio ipſius Generalis, & quòd quidquam facto, vel ſcripto contra Regulam, & vitam nullus Regularis eiuſdem Ordinis impetrare, ſeu impetrari facere, aut vlla ſtatuta componere, vel innouare, ſiue etiam componi, aut innouari facere, quouis modo præſumat, cuius Regulæ, & ſtatutorum obſeruantiam expreſsè in profeſſione regulari per te emiſſa ſeruare promiſeris.*

Nos te, qui, vt aſſeris, dicti Ordinis Zeloſus, ac Prouinciarum Italiæ eiuſdem Ordinis Vicarius generalis exiſtis, & multa grauia ipſius Ordinis negotia in eodem capitulo proponenda habes, ſpecialis gratiæ fauore proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, necnon à vinculo obſeruantiæ prædictorum dicti Ordinis ſtatutorum, ad effectum infraſcriptum dumtaxat, pro hac vice te liberantes, & abſoluentes, ita quòd propterea nullam irregularitatem, ſeu pœnam incurras, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, quòd in capitulo generali proximè futuro huiuſmodi, in Hiſpania, vt præfertur, celebrando, vocem actiuam habere liberè, & licitè poſſis, & valeas, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Mandantes propterea omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus in capitulo huiuſmodi congregandis, & præſertim vocalibus, vt te in præfato capitulo voce actiua huiuſmodi vti, & gaudere permittant, & faciant.

Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac præfatis, & quibuſuis alijs dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & literis apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, et ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, et expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 7. Februarij, 1626. Pontificatus noſtri anno 6.

Caput XIII. De quibuſdam dubijs in materia electionis, facienda in caſu mortis Prouincialis.

1 CVm ſupradicta ſcripſiſſem, inopinatè contigit funeſta mors Reuerendi admodum P. F. Deodati Lomellini Prouincialis noſtræ Genuenſis Prouinciæ, quicum ſtrictiſſima habebam amicitiam, ab ineunte contractam ætate, nec vnquam interru-

ptam. Quæ mors occaſionem dedit infraſcripta ſcribendi. Notandum itaque, quòd in Ordine noſtro, mortuo Prouinciali, electio ſucceſſoris ſpectat ad Correctorem conuentus, in quo deceſſit, & ad ipſiuſmet defuncti Collegas. Ad primum autem Collegam ſecundùm Religionis antiquitatem pertinet recipere, & retinere ſigilla Prouinciæ, ac præſidere in electione facienda. Quæ quidem electio facienda eſt ad minus intra menſem. De quibus habentur ſtatuta in capitulo Paulitano, n. 38. & in c. Barcin. 3. ſeſſ. 4. habetur ſtatutum tenoris ſequentis. *In caſu mortis Prouincialis ſeruetur reſpectiuè forma electionis Generalis in caſu mortis ſupra approbata, ita quòd ſigilla Prouinciæ penes Collegam antiquiorem remaneant, geratq; ipſe vices Vicarij prouincialis, præſideatque in electione Vicarij prouincialis facienda ad minus intra menſem; nulla tamen auctoritate polleat, nec poſſit caſtigare, nec obedientiam dare ſubditis.* Quo ſtatuto ſtante, multa verſa ſunt in dubium, quæ quia poterunt poſteritati prodeſſe, volui hic apponere, vt deciſa, & practicata fuere.

2 Primò igitur quæritur, vtrum ille menſis incipiat electoribus currere à die, vel ab hora mortis?

2 An dicta electio poſſit vltra illud tempus differri?

3 An electores poſſint illud tempus abbreuiare?

4 An volentes tres electores propter bonum commune tempus illud abbreuiare, poſſint id facere, recuſante Præſidente in capitulo præſidere?

5 Ad quemnam ex illis quatuor pertineat congregare capitulum?

6 An ſi Præſes in capitulum non compareat die ſtatuta, in qua ſpirat electoribus terminus ad eligendum, poſſint alij electores electionem facere?

7 Quis in hoc caſu habebit in capitulo præſidere?

8 An quando terminus inſtat, neceſſaria ſit vocatio?

9 An tres electores præſentes poſſint vocare Præſidentem, vt die à iure præfixa ad electionem veniat?

10 An qui ſciunt mortem Prælati, quia fuerunt præſentes, vocari debeant?

11 An qui non venerit die præfixa hora mane conſueta, debeant expectari circa finem diei?

12 Quomodo procedendum ſit in caſu, quo Præſes, vel alius elector ex quatuor ad electionem non veniret?

13 Pro quanto tempore poſſint iſti electores eligere?

14 An dato, quòd hæc electio ad Generalem deuolueretur, pro quanto tempore poſſet ipſe Generalis eligere?

3 Ad primum ℞. quòd ille menſis cōputandus eſt ſecundùm ordinem calendarij, ita vt ſi mortuus ſit Prælatus die 20. Octobris (vt mortuus eſt dictus P. Lomellinus circa horam ſecundam noctis) die 20. Nouembris finiatur menſis; intra quem debet fieri electio. Ita Gloſſ. in cap. Quam ſit, verbo Menſem, de elect. in 6. Mandagot. de elect. p. 1. cap. tertio, Baldus, in cap. Ne pro defectu, de elec. num. 6. Boer. ad Mandagotum loc. cit. litt. F. vbi multos citat, P. Greg. de elect. ca. 13. num. 11. Et colligitur ex c. Licèt, de ſuppl. neglig. Præl. Nam cum duo ſemeſtria faciant vnum annum, vt ibi dicitur, & in anno non ſint niſi 365. dies, leg. Hæres, §. Stichus; ff. de ſtatu lib. excepto anno biſexti, in quo ſunt 366. vt notatur in c. Quæſiuit, de verb. ſignif. oportet neceſſariò, quòd ipſi menſes, ſecundùm quòd occurrunt in calendario, computentur: nam ſi 31. dies pro quolibet menſe computarentur, eſſent in anno 372. dies, ſi 30. eſſent 360. tantum, ſi 28. 336. ſed nulla iſtarum computationum ſtare poteſt. Ergo oportet, vt ſecundùm calendarium computatio fiat.

4 Imò dico, quòd iſta computatio eſt facienda non ſolùm de die ad diem, ſed etiam de momento ad momentum. Ita Mandag. loc. cit. vbi Boetius litter. M. Panor. in cap. Bonæ, el. 2. de elect. numer. 11. vbi Io. Andreas num. 19. & Innoc. numer. 3. Petrus Gregor. de elect. cap. 13. num. 5. & 10. Lauor. de elect. tit. 4. cap. 18. numer. 20. Et ratio eſt, quia hoc tempus eſt inductum in fauorem eccleſiarum, & odium eligere negligentium; & quia, mortuo Prælato, ſtatim ſoluta eſt eccleſia à lege ipſius, cum vacare non debeat eccleſia vltra menſem, niſi ſtatim, mortuo Prælato, fieret hæc computatio, vltra menſem vacare, diceretur. Et confirmatur auctoritate illorum DD. qui dicunt, quòd ætas requiſita ad hoc vt poſſit quis dignitates eccleſiaſticas obtinere, debet eſſe completa vſque ad vltimum momentum; hos refero tomo 2. noſtri Relig. qu. 2. capit. 1. nu. 22. Et vlteriùs auctoritate illorum, qui dicunt, quòd annus nouitiatus debet computari de momento ad momentum; hos refero loc. cit. qu. 3. cap. 1. numer. 96. Et item illorum, qui dicunt, quod ætas requiſita ad profitendum in aliqua Religione, debet eſſe completa vſque ad vltimum momentum; hos refero loc. cit. §. 5. num. 133.

5 Ad ſecundùm ℞. quòd dicta electio non poteſt vltra illud tempus differri, quando electores omnes ſunt præſentes in loco electionis, ſeu habent notitiam de vacatione; quòd ſi differatur, deuoluitur ad Generalem. Et eſt textus expreſſus in cap. Ne pro defectu. de elect. qui loquitur in noſtris terminis, vt docet ibi Gloſſa verb. Regulares, & Panor. num. 2. vbi etiam Innoc. numer. 2. & Hoſtien. in ſumm. de elect. numer. 19. Et ſtatutum noſtrum cauet expreſsè, dum dicit, quòd hæc electio facienda eſt ad minus intra menſem: nam dictio illa, intra, includit tempus, & diem termini, vt Barboſa de dict. dict. 149. & particula illa *ad minus*, excludit omne tempus maius expreſſo, ſecundum communem modum loquendi, qui in omni diſpoſitione ſemper præſeitur propriæ ſignificationi vocabuli, vt bene Panor. in cap. Ne pro defectu, de elect num. 2. & alij quos refert, & ſequitur Caſtrus Palaus in oper. mor. tom. 1. tract. 3. diſp. 5. §. 3. nu. 9. Vnde communiter, ſi præcipiat mihi Prælatus, vt ad minus intra horam dormitorium verram, inobediens cenſebor, ſi vltra illum terminum vertere diſtulero. Atque ita docent Mandagot. de elect. p. 1. cap. primo vbi Boer. lit. C. Gloſſa cap. Poſtquam, d. 50. verbo Tres menſes, Panor. in cap. Ne pro defectu, de elect. numer. tertio vbi alij Canoniſtæ. Et ratio eſt, quia omnia iura clamant; cap. Poſtquam, d. 50. capit. Obeuntibus, d. 63. capit. Cum inter vniuerſas, cap. Ne pro defectu, de elect. c. Quam ſit, eodem titul. in 6. electionem Paſtoris in eccleſia illo carente, non eſſe prolatandam abſque neceſſitate, propter periculum animarum ſpirituale, & etiam propter damnum temporale, quod illi imminet: neceſſitas autem in caſu noſtro nulla eſt, quia nullum adeſt electoribus impedimentum legitimum, quin poſſint ad electionem procedere, quod ſuppono ex facto. Et conſtat nam impedimenta legitima, quæ poſſent contingere electoribus, vt vltra terminum præfixum electionem prorogarent, ſunt ea, quæ affert Mandag. loc. cit. capit. 2. Primum ſcilicet, ſi ſint prohibiti à ſuo Superiore legitimè electioni intereſſe abſque eius licentia, & ipſi non fuerunt in mora eam petendi. Secundum, ſi ſint excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti, nec fuerunt in mora abſolutionem petendi. Tertium, ſi timent de vi ſibi inferenda in electionis negotio, iuxta cap. Bonæ, el. primo, iuncta Gloſſa, verbo Metuebant, de elect. Quartum, in Ordine noſtro etiam excuſarentur ab incurrendis pœnis, talibus non venientibus ad electiones inflictis, qui non poſſent venire propter pericula bellorum, graſſatorum, piratarum, peſtis, &c. Item qui timerent vim ſibi inferri in perſona; nam ſecundum ius naturæ hæc pericula vitant homines quantum poſſunt; nullum enim eſt maius bonum, quàm propria vita. Ita colligitur ex cap. Bonon. 1. numer. 7. Val. 2. num. 3. Genuen. 3. num. 19. Hæc autem omnia impedimenta intellige ſolùm excuſare, quando vitari non potuerunt; nam, ſi potuerunt vitari, nō excuſant, vt colligitur ex capit. fin. de elect. Ita Boer. ad capit. 2. Mandag. litt. C. verbo. Adde, quòd idem eſt. Sed nullum horum impedimentorum adeſt in caſu noſtro.

6 Neque his obſtat, quòd tempus ad eligendum à iure datum ſit trium menſium, quod tempus fuit

appro-

Digitized by Google

approbatum pro omnibus electionibus in Ordine noſtro in cap.Romano 6. num.14. dub.2. Nam ius commune non arctat electores ad tempus illud trium mẽſium expectandum, vnde illud abbreuiare poſſunt, vt conſtabit ex dicendis ad tertium; ſed ſolum prohibet, ne vltra illud tempus differatur; quare potuit optimè capitulum generale tempus illud trium menſium propter bonum publicum, quod ſemper damna patitur in longa vacatione eccleſiæ, coarctare, ſicut poſſunt illud coarctare electores ipſi; non poterat tamen capitulum generale tempus illud prorogare, quia canones citati prohibent vltra illud tempus electiones differri. Quæ doctrina deſumitur ex Suarez tom.4. de relig. tract.3. lib.2. cap.2.n.5. & eam magis explico ſupra, c.1.n.10.

7. Neque etiam his obſtat priuilegium Iulij II. quòd Mendicantibus in electionibus tempus à iure ſtatutum non currat, de quo dixi tom.1. priuileg.in conſtitut.2. Iulij II. §.3. Nam illud debet intelligi, vt ibi declaraui, numer.13. quando electores non ſunt præſentes, vt ex ipſo priuilegij tenore conſtat, ibi, *Cum eos frequenter de remotis partibus oporteat conuenire tempus ſuper hoc &c.* Et præterea ad abuſus tollendos potuit capitulum generale priuilegio illi cedere, vt ibi dixi, cum præſertim ſit primò, & principaliter conceſſum in fauorem Religionis, Item hoc priuilegium concedit, ne tempus illud currat, *cum frequenter &c.* non autem poſitiuè prohibet, ne currat. Quare potuit optime capitulum generale illi contraire, per doctrinam præfatam Suarez.

8 Ad tertium ℞. poſſe electores præſentes, duas ſcilicet tertias partes, tempus illud vnius menſis abbreuiare, ſi adſit cauſa, quæ tamen ſemper ſubeſt, dum volunt eccleſiæ viduatæ prouidere, vt Panorm.ait cum alijs in cap. Cum nobis, de elect. numero 9. & poſſe etiam per illos vocari abſentes, vt in termino ab eis aſſignato, & reſtricto veniant ad electionem faciendã: cap.Cum inter vniuerſas, de elect.vbi Panor.num. 3.& in cap.Cum nobis, eod.tit.num.9. vbi Butrius num.32. Anchar.num.4.verſ.Quærit, gloſſa 2. Zabarella qu. 4. Io. Andr.num.27. Innoc.num.5. Petrus de Baſio in direct.elect. part.3. cap.6.num.1. Caſtell. de elect. cap.6. num.5.& 14. P.Greg.de elect.cap.14.num.14. Et ratio eſt; nam terminus ille vnius menſis eſt conſtitutus fauore capituli. Ergo poteſt capitulum, quod repræſentatur in duabus partibus, illi renunciare, præſertim ſi videant, dilationem eſſe damnoſam eccleſię, vt ſemper eſt, vt dicitur in dicto cap.Inter vniuerſas, de elect.

9. Ad quartum ℞. quòd poſſunt duæ tertiæ partes electorum, ideſt, tres ex quatuor, ad vitanda damna communitati imminentia, tempus illud vnius menſis abbreuiare, etiam recuſante Præſidente capitulo intereſſe, & ſtatuta per ipſos die ad electionem procedere. Moueor: quia iam dixi hic ſupra, num.8. quòd poſſunt duæ partes tempus illud abbreuiare. Ergo hoc etiam poterunt facere, licèt ille ſolus, qui contradicit, ſit capituli Præſes. Conſequentia conſtat. Tum quia abſurdum eſt negotia communitatis particularium contumacia impediri, vt habet de Baſio de elect. p.3. cap.4.num.3. Abbas in cap.In cauſis, de elect.num.9. Tum quia non in fauorem ſingulorum electorum eſt tempus à iure ſtatutum, ſed in fauorem collegij, vt dicitur in ſimili in cap.Si diligenti, de foro comp. quod locum habet præſertim in electionibus, vbi mora eſt ſuſpecta, & damnoſa. At collegium in duabus tertijs partibus repreſentatur. Ergo poſſunt dictæ duæ partes dicto fauori renunciare. Ita Anchar.in cap. Cum nobis, de elect.quæſt.1. Tum quia Præſes capituli in negotio electionis nihil plus habet, ſublata præſidentia, quàm reliqui. Tum quia aliter poſſet malitioſè negotium electionis differre, interimq; per ſordes, vel laicæ poteſtatis abuſum, indigni electionem procurare. At hominum malitijs indulgendum non eſt, iuxta leg.In fundo, ff.de rei vendic.Et pro iſta reſolutione adduco omnes citatos num. præced., quatenus dicunt, quòd duæ partes præſentes repræſentant totum collegium, præſertim quando agitur de prouidendo bono communitatis. Et in ſpecie ſtat pro nobis expreſsè Abbas loc.cit.fine, quatenus habet, quòd quando collegium per ſe congregatur ad hoc vt poſſit contumaces conſtituere non venientes, debent adeſſe in dicto collegio duæ tertiæ partes, ad hoc vt electio ab illis facienda ſit valida quod etiam notauit Innoc.in cap.2.de noui op. nunc. num.2. Cum hic ergo adſint duæ tertiæ partes electorum, vnius malitia etiamſi Præſes ſit, non debet communitati obeſſe.

10. Ad 5.De iure antiquo congregare capitulum iſto caſu pertinebat ad Correctorem conuentus in quo Prouincialis deceſſerat, vt conſtat ex Formulario noſtro à Paſſat. confecto numero 4. & ex inueterata conſuetudine. Sed nunc, cum per nouum ſtatutum Barcin. ille modus, ſit immutatus, dubitari poteſt, à quonam debeat capitulum congregari, cum dictum ſtatutum Barcin. ſolùm dicat, quòd antiquior Collega debeat præſidere in capitulo, & de congregatione nihil ſtatuat. Cum ergo præſidere, & congregare ſint diuerſa, vt conſtat, quia Præſides capitulorũm de ordinario capitula non congregant, ſed id ſpectat ad Generalem, vel Prouincialem, aut Vicarios ab his inſtitutos, & à diuerſis non fiat illatio, vt ait Panor.in capit.Cum nobis, de elect.num.9. & de Bayſio p.3.de elect. capit.4. num.4. ad quod citant cap.Cum contingat, de decim. videtur, quòd congregare capitulum ad dictum Collegam non pertineat Addito præſertim, quod dictus Collega nulla pollet auctoritate, & congregare dicit iuriſdictionem, Quare videtur, quòd capitulum generale voluerit relinquere Correctori hanc iuriſdictionem congregand. capitulum: & quòd antiquiori Collegæ ſolùm ad ſimilitudinem Collegæ generalis, apud quem remanent ſigilla Generalis defuncti, voluerit concedere præſidentiam in capitulo. Addito etiam, quòd à iure antiquo non eſt recedendum, niſi quatenus per nouum eſt immutatum expreſsè, vt habent communiter Doctores. Sed ex alia parte, cum Collega generalis in morte Generalis non ſolùm habeat præſidere in capitulo, ſed etiam illud congregare, & in hoc ſtatuto Barcin. dicatur, quòd in morte Prouincialis ſeruetur reſpectiuè forma, quæ ſeruatur in morte Generalis, videtur concludendum, quòd collega prouincialis poſſit etiam capitulum congregare. Sed ad hoc poteſt reſponderi, quod Collega generalis non caret omnimoda iuriſdictione, ſicut Collega prouincialis, ac propterea non eſt mirum, quòd ille poſſit congregare capitulum, & quòd hoc iſti denegetur. Addito, quòd non dicit ſtatutum, quòd omninò ſeruetur illa forma, ſed reſpectiuè, ideſt, quatenus obſeruari poteſt, ſtante determinatione præfati ſtatuti, per quam antiquiori Collegæ nulla eſt attributa poteſtas. Et aduerte, quòd illud ſtatutum Barcin. factum eſt me præſente tãquam Commiſſo Genuæ, & eo fine ſic limitatè exijt, ne pręfatus antiquior Collega, ſeu gerens vices Vicarij ſuperbiens de retentione ſigillorum, & ambiens vocari Vicarius, electionem retardare ſtuderet, in præiudicium communitatis, in quem etiam finem abbreuiatũ eſt tempus illud trium menſium, quod conſtitutum erat in cap.Romano 6.

11. Ad ſextum ℞. quòd ſi Præſes die à iure ſtatuta non comparuerit, poſſunt electores præſentes electionem celebrare. Cuius rei habeo textum ſatis clarum in cap.Volumus, d.89. vbi Gloſſa verb.Clerus, & in cap. Cum ſimus, iuncta Gloſſa verb.Epiſcopis, 9. qu.3. & in capit.2. de conceſſ. præb.ibi. *Si autem Epiſcopus, vbi ad eum ſpectat conferre, diſtulerit, per capitulum ordinetur.* Ita Boer. ad Mandag. de elect. cap.1. lit. D. verſ. Ipſo iure Archid. in capit.Volumus, d.89. vbi Turrecr.numero 3. Innoc.in cap.Cum nobis, de elect.num.5. Et ratio eſt. Tum quia malitia, vel negligentia vnius non poteſt nocere alijs, vt habet quædam lex cit.a Zabar. in cap.Cum nobis de elect. q.4. ver. Secundò, quæ dicit, quòd Vitium alienæ ceſſationis ad diſpendium tuum pertinere, iuris ratio non patitur. Tum quia abſurdum

eſt,

eſt, in numero computare, qui vocati, vel à iure interpellati venire contempſerunt, vt dicit Zab. ibidem. Tum quia nolentes venire faciunt ſe alienos, vt ait Panor. in capit.In cauſis, de elect. num.9. Et habetur in cap.Cum ſicut, cap.Cum nobis olim, cap. Eccleſia veſtra, de elect. Tum quia quando capitula generalia dederunt auctoritatem iſtis quatuor eligendi, intenderunt illis hanc facultatem tribuere, vt Prouinciæ de Paſtore intra terminum ſaltem præfixum prouiderent. Ergo eo ipſo, quòd aliquis illorum ad eligendum non compareret in termino præfixo, cenſetur illi auctoritati eligendi renunciare. Imò cenſetur capitulum eo caſu talem poteſtatem ei denegare, & ſolis præſentibus, ac eligere paratis cōcedere. Tum quia certiſſimi iuris eſt, quòd electionem non impedit, qui in termino à iure præfixo ad eligendum non comparet; cap.Quod ſicut, de electioh. §.Si autem. Quod in tantùm eſt verum, vt ſi omnes ſint abſentes præter vnum, ille ſolus in die vltimi termini poteſt electionem facere. Et probat Innoc. quē alij ſequuntur, in cap.Cum nobis, de elect.num.6.vbi Abbas num.9. Zabar.num.5. & in cap.Gratum, eod.titul.num.3. Petrus Gregor.de elect.cap.14. nu.15. Cœpolla de caut.cap.226.cautela 79.vbi refert Zancredum dicentem ſe ita iudicati vidiſſe; De Bayſio de election. part.3.cap.6.nu.7. Et ratio eſt; nam non tenetur etiam vnus dimittere ius ſuum propter abſentiam aliorum. Idem dic, ſi omnes eſſent excōmunicati præter vnum; nam tunc electio ad illum ſolum ſpectaret, vt multis probat Boer.ad Mandag.de election. cap. 2. liter. D. verb.Excommunicati. Adde, quòd in Ordine noſtro tales non comparentes priuantur officijs, quæ habent. Ita ſtatuitur in cap. Valler.3.num.3. cap.Pariſ. num.15. vbi, vltra priuationem Officij, priuatur etiam Prouincialis, qui ad capitulum non acceſſerat, voce, actiua, & paſſiua per annum; cap.Malancon.num.10.cap.Bonon.num.7.quæ congruunt, cap.Non oportet, cap.Peruenit, cap.Epiſcopus, cap.Placuit, cap.Si quis autem, cum tribus ſequ.diſt.18.

12 Ad ſeptimum ℟. quòd tunc congregare capitulum, & in eo præſidere ſpectat ad Correctorem, qui eſt cæteris honorabilior, & maior dignitate. Colligitur ex cap.1.de maior.& obedien.vbi id expreſsè habet Innocen.num.1. & Butrius in cap. Cum nobis, de election.num.33. De Bayſio part.3.de election. cap.6. nu. 8. vbi ad hoc citat Io.Andr. Panormit. & Felin. in dict. cap.1. de maior.& obed. Colligitur etiam ex cap. Volumus, diſt.89.& ex cap.Cum ſimus, 9.quæſt.3.& ex cap. 2.de conceſſ.præb. In quibus cap.ſtatuitur, quòd Prælati negligentia ſuppleatur per capitulum. Ergo primus capitulantium in hoc caſu habebit capitulo præſidere; qua enim auctoritate de gradu ſuo deijciatur, nō apparet; pro quo etiam facit Gloſſa in cap.fin. de conſuet.lib.6. verbo Antiquiores.

13 Ad octauum ℟. quòd quando terminus interpellat, vocatio non eſt neceſſaria. Butrius in cap.Cum nobis, de electione num.33. vbi Anchar.num.4.verſ.Secundò quæro. Abbas num.10. Archidiac.in cap.Volumus, diſtinct.89.vbi Turrec. nu.3. & Gloſſa verb.Clerus; Petrus Gregor.de election. cap.14.num.15. Nam eo caſu dies ſtatuta interpellat, & ex lapſu temporis transfertur poteſtas ad præſentes. Et eſt expreſsè deciſum in cap.Potuit, de locat. & cond.

14 Ad nonum, patet ex num. præced. quòd non tenentur electores Præſidem vocare, vt in die ſtatuta ad eligendum veniat; poſſunt tamen, ſi volunt, ad abundantiorem cautelam eum monere. Atque ita videtur docere Zabar.in cap.Cum nobis; de elect.q.4.vbi Butrius num.34. Archid. loc.cit.

15 Neque obſtat, quòd inferior non poteſt Superiorem citare, ſeu etiam, quòd par in parem non habet imperium. Nam dico, quòd iſtæ non ſunt citationes, ſed ſimplices monitiones, ſeu requiſitiones, aut intimationes, quas poſſunt facere non ſolum pares, ſed etiam minores. Et habetur expreſsè in cap.fin.diſtinctione 65. Atque ita Innocen.in cap.Cum nobis, de elect. num.5.vbi Zabar. quæſt.4. in princip. Anchar. num.4. verſ.Quintò oppono, Butrius num.34. Abbas num.10. Et aduerte, quòd non ſunt neceſſariæ ſolemnitates peremptorijs, & trium citationum, ſicut in iudicijs, ſed poſtquam ſemel fuerit vocatus ex gratia, vt in termino à iure ſtatuto veniat ad eligendum, ſi non venerit, poſſunt electores electionem facere, vt dixi nu.11. Ita Innoc. Butrius, Abbas loc.cit. Zabar.q 5. Anchar.q.3. De Bayſio de elect.p.3.cap.15. nu.4.& 5. & dixi ſup.cap.9. num.14. Et ratio eſt; nam trina monitio, ſeu vna pro tribus cum termino peremptorio, eſt ſolùm neceſſaria in citationibus iudicialibus, vt in cap.De illicita, 24. q. 3.at verò in monitionibus, ſeu intimationibus vna ſolùm monitio requiritur, vt in cap. Si Epiſcopus, d.18.

16 Ad 10. Aliqui putant, quòd qui fuerunt præſentes morti Prælati, non debeant vocari. Ita Gloſſa in ſumma, cap.Cum inter vniuerſas, de election. de Bayſio part.3. de election.cap.4.num.6. & cap. 10.nu.2. Nam qui certus eſt, certiorari non debet, leg.1. ff. de act. empt.& vendic. Sed alij tutius putant, eſſe vocandos, ne videantur contemni, & vt ſciant diem, & horam electionis. Immò etiamſi diem, & horam ſciant. Nam decretalis Quia propter de election. vocari abſentes indiſtinctè mandat. Hoc tamen intellige, quando terminus non inſtat. Ita Gloſſa in dict.cap. Cum inter vniuerſas, ver.Cognouerunt, vbi Butrius num. 17. Anchar. num.5. Zabar.quæſt.3. Io. Andreas num.15. Abbas nu. 10. Barboſa num.8.

17 Ad vndecimum ℟. quòd non eſt neceſſe, eos expectare vſque ad finem diei, vt probaui ſupra, cap. 9. nu.13. & DD. ibi ad id adductis, adde Anchar.in cap. Cum nobis, de elect.in fine, vbi Butrius num. 35. Io. Andreas num.32. Caſtell.de election.cap.6.num.11. & 15. Conſulo tamen, vt expectentur circa finem diei, ita vt ſemper ſuperſit tempus, in quo poſſit electio celebrari de die, argum. cap.Conſulti, de offic.deleg.

18 Ad duodecimum ℟. quòd dubitant DD. an vbi ſunt tantùm tres in capitulo, vel duo ſeruanda ſit forma cap.Quia propter, de elect. De qua re videndus Sigiſmon.de election. dub.24. Et abſolutè dicendum eſt, quòd dicta forma poteſt, & debet ſeruari, vbi adſunt tres de capitulo, etiamſi electio debeat fieri de corpore ipſius capituli. Nam tunc ſemper remanet libertas electoribus, cum ſingulis liberum ſit alterum è duobus eligere. Secretudo autem à Triden. requiſita ſeſſion.25.cap.6. de reg. ac etiam illud, quòd eligentiū nomina nunquam publicentur, ſeruari non poſſunt. Cum enim nemo ſe ipſum eligere poſſit lege. Valet planè, ff.Quod cuiuſc. vniu. no.leg. Si mandauero, §. Tibi ff.Mandati, electione ſecuta, conſtabit euidenter, cuinam electus ſuffragatus fuerit, & cuinam alij; ſed tunc diſpoſitio Trid.non obligabit; lex enim non ſtringit, vbi de facto ſeruari non poteſt; cap.Erit autem lex, diſtinct.4. leg. fin.ff. Quæ ſentent. ſine app.reſci.& leg. Ita autem ff.de adminiſt.tutell. Addito præſertim, quòd illa ſecretudo, & nominum reticentia non ſunt de electionis eſſentia, ſed potiùs videntur adiecta ad vitandas diſſenſiones, quæ ſunt Religionum peſtes. Adde etiam nihil referre illam reticentiam, neque quidquā electioni obſtare, cum quotidie id fieri conſpiciamus in electionibus, quæ fiunt nemine diſcrepante; nam ſi electus ſit de corpore capituli, ſecuta electione, conſtat, cuinam ipſe fuerit ſuffragatus. Quando autem ait Trid. eligentium nomina nunquam publicentur, intelligi debet de electionibus factis in diſcordia. Neque item eo caſu in Ordine noſtro obligat ſtatutum Val.4.num.26. quòd ſcilicet Scriba eligatur de corpore capituli; quia ſeruari non poteſt.

19 Si verò adſint tantùm duo in capitulo, tunc non puto, poſſe illos de corpore capituli eligere, licet contrarium ſentiant aliqui apud Sigiſmund. loc.citato n.5. poſſunt tamen via ſcrutinij extra capitulum eligere, & ſeruare etiam requiſita a Trid.loco cit. Si autem in capitula non adſit niſi vnus V. G. quia alij venire contempſerunt, tunc ille ſolus electionem celebrare poterit,

rit, nominando coram teſtibus, & Notario, quem voluerit, vt dixi hic ſupra, num.11. non poterit tamen ſe ipſum eligere, vt dictum eſt num.18.

20 In ordine autem noſtro in caſu, quo electores non eſſent, niſi tres, poterit Præſidens capituli nominare in Scribam, quem voluerit ex illis duobus, per ſtatutum capituli Rom. 7. ſeſſ.11. non enim electio Scribæ apud nos æſtimatur canonica, cum fieri talis non poteſt. Vnde in cap. Genuen.6. num.26. ſtatuitur, quòd quando in electione Scribæ vota ſunt paria, poſſit Superior, quem ex illis voluerit nominare; & quando vota non ſunt paria, ille remanet electus, qui habet plura, ſecundùm ſtatutum cap.Barcin.3. ſeſſ.5. Quare tunc in caſu noſtro, in quo electores eligi non poſſunt, iuxta ſtatutum cap. Rom. 7. ſeſſ. 10. poterit ſequi electio maximè canonica, cum vota ſint libera, ſecreta, nec eligentium nomina ſint publicanda. Atque ita determinatum eſt in dicto cap.Rom.7. ſeſſ.11. Si autem in capitulo deſſent dumtaxat duo, tunc per decretum ſacræ Congreg. de anno 1628. die 26. Auguſti, quod refero tom.2. Prælati, quæſt.1. cap.4. num.159. debent illi duo, ſi voluerint electionem celebrare, vocare Notarium qui habeat facultatem faciendi acta in cauſis eccleſiaſticis, & coram illo ſua vota exprimere, & eligere, quem voluerint; & electio ſic ſecuta erit maximè canonica. Quod ſi vnus ſolus adeſſet, puto, quòd poſſet coram eodem Notario electionem facere.

21 Ad 13. ℞. electionem præfatam non poſſe fieri, niſi vſque ad capitulum definitorium, niſi capitulum generale citiùs eſſet celebrandum. Ita ſtatuitur de omnibus electionibus, ſiue cauſa mortis, ſiue depoſitionis, &c. in cap. Fori iul. num.19. in cap. Val.4. nu.19. & in cap. Rom.6. cap.4. dub.10. habetur ſtatutum tenoris ſequentis. *Dubitatum eſt decimò, quid faciendum eſſet circa electiones ratione mortis? Ad quod dictum eſt, quòd prouiſiones Prouincialium, & eorum Collegarum ratione mortis, aut priuationis, vel cuiuſcunque defectus, abſente Reuerendiſſ. fiant à quibus deputatum eſt in actis noſtris generalibus; tamen ſi Reuerendiſſimus ſit præſens in Prouincia, fiant huiuſmodi electiones à Reuerendiſſ. cum ſuis Collegis ſimul cum alijs ſupradictis electoribus, vſque ad proximum capitulum, ſiue prouinciale, ſiue intermedium. Et quando contingat vota eſſe æqualia, tunc Reuerendiſſ. poterit nominare, quem voluerit, tam ex illis nominatis, quam ex alijs.*

22 Ad 14. ℞. quòd Generalis non poteſt eligere, niſi vſque ad capitulum proximè venturum, ſiue id ſit generale, ſiue definitorium. Ita ſtatuitur in cap. Rom.6. num.præced. allato. Et in cap. Auenio. 2. num.14. habetur ſtatutum tenoris ſequentis: *Denique Commiſſus Franciæ huiuſmodi dubium exhibuit: Quando ſcilicet contingit, in electione Prouincialis voces eſſe æquales, vel propter aliquem defectum electionem eſſe nullam, & idcirco ad Generalem deuolui, vtrum poſsit Reuerendiſſ. P. Generalis prouidere pro toto triennio, cum textus capituli Forijul. contrarium videatur aſſerere? Reſponſio hæc fuit, nimirum, quòd cauſa mortis, aut priuationis Pater Generalis dumtaxat prouidere poſsit vſque ad capitulum proximum generale, vel prouinciale. Veruntamen propter electionis defectum, ſeu propter vocum paritatem, poterit prouidere pro toto triennio, cum electio ſemper deuoluatur cum ſuis qualitatibus.* Quæ reſponſio eſt omnino iuridica, iuxta ea, quæ dixi ſupra, cap.3. num.6.

23 Nota autem, quòd Superior, ad quem deuoluitur electio, tenetur illam facere intra menſem; quòd ſi illam non faciat, iuſto impedimento ceſſante, electio deuoluitur ad ſuum Superiorem, nimirum ad E. Protectorem, ſeu potiùs ad Papam. Verùm ſi ipſe eligat, & eius electio caſſetur propter aliquem defectum, deuoluitur ad primos electores. Colligitur ex cap. Ne pro defectu, §.Is verò, de elect. vbi Bald. num.12. Abbas num.6. Mandag. de elect. p.s. cap.1. vbi Boerius lit. D. verb. Ipſo iure, Caſtell. de elect. cap 6. num.7.

24 An autem Generalis poſſit eo caſu per ſe ipſum eligere, abſque conſilio, & aſſenſu ſuorum Collegarum, dubitari poteſt? ℞. quòd ſecundum ius commune poteſt prouidere, vel per viam electionis, vel per viam prouiſionis, prout maluerit, abſque conſenſu, non tamen abſque conſilio, Collegarum. Ita Gloſſa in cap. Ne pro defectu, de election. verb. Conſilij, vbi Abbas num.6. Butrius num.23. Anchar. num.5. Et in ſpecie, quòd detur optio Superiori prouidendi, prout maluerit, dicunt Anchar. quæſt.4. Butr. nu. 16. Zabar. dicto cap. Ne pro defectu, §.Is verò q. 2. vbi etiam Io. Andr. num.16. Baldus num.11. In Ordine noſtro prouidere per deuolutionem pertinet ad Generalem cum ſuis Collegis, & hoc per electionem via ſcrutinij.

25 Quæres etiam, an electores Vicarij prouincialis loco defuncti, poſſint eligi? ℞. quòd in capitulo Rom. 7. ſeſſ.10. decretum eſt, quòd non poſſet eligi, ſed quòd obſeruaretur id, quòd obſeruatur in electione Vicarij Generalis loco defuncti, quia eſt eadem vbique ratio. Electores autem dicti Vicarij generalis tum per capitulum Paulæ nu.37. eligi non poterant. Sed cùm poſtmodùm electio Vicarij Generalis loco defuncti variata ſit, & determinatum, quòd electores eligi poſſint, vt conſtat ex conſtit.5. Vrbani VIII. tom.2. priuil.§.20. dicẽdum videtur quòd etiam in electione Vicarij prouincialis poſſint electores eligi; Tum per rationem dicti ſtatuti Romani, quæ in his electionibus paritatem agnoſcit. Tum ex ſtatuto capituli Barcin. quod refero hoc cap. num.1. in quo dicitur, quòd *in caſu mortis Prouincialis ſeruetur reſpectiuè forma electionis Generalis in caſu mortis.* Tum quòd illud ſtatutum Romanum non videtur acceptatum à Religione, cum poſt illud aliqui ex dictis electoribus fuerint in Vicarios Generales electi, vt per mortem P. Bernardini Taraboti Prouincialis Venetiarum fuit electus P. F. Io. Antonius Geruaſius Collega prouincialis, qui votauit in capitulo generali Barcinon. 3. Hac occaſione.

26 Quæres 1. Vtrum electores alicuius conuentus poſſint conuenire, ne fiat electio in illo conuentu, ad hoc vt ea ad capitulum definitorium deuoluatur.

27 Quæres 2. An quando capitulum definitorium declarat, aliquem eſſe inhabilem ad aliquod officium, ea declaratio cenſenda ſit perpetua?

28 Quæres 3. An annullanda ſit electio facta in perſonam ſtudentis, ſeu Lectoris?

29 Ad primum non dubito, poſſe omnes electores alicuius conuentus conuenire ſecreto, ne fiat electio illius conuentus, ſic deuoluatur ad capitulum definitorium. Cum enim hoc poſſint facere in publico per compromiſſum, poſſunt etiam id facere in ſecreto, ideſt, abſq; ſcripturis publicis; taciti enim, & expreſſi eadem vis eſt, leg. Cum quid ff. de rebus cred. cap. 2. de reſcrip. Sed dubium eſt, an quando in vno conuentu non ſunt, niſi quatuor electores, poſſint duo ex ipſi conuenire, & impedire electionem, ſolùm ad hoc vt ea ad capitulum definitorium deuoluatur, vt in hoc morem gerant Prouinciali, qui eos hoc rogauit? Videtur enim quòd non. Nam ſic iniuriam faciunt communitatis illius conuentus, impediendo electionem, quæ ad illum, & alios duos electores de iure ſpectat. ℞. tamen, poſſe illos duos Fratres conuenire propter dictum finem. Moueor 1. Quia ius eligendi non eſt apud communitatem vt ſic, ſed apud ſingulos de communitate, vt conſtat. Tum quòd non omnes de communitate electionem ingrediuntur, ſed ſolùm Sacerdotes habiles; quòd ſi eſſet apud communitatem vt ſic, omnes tam Clerici, quàm Laici conſtituentes illam communitatem, deberent ad electionem ingredi. Tũ quòd, ſi eſſet apud communitatem, non poſſet quiuis elector iuri eligendi renunciare, quod eſt falſum, vt probo ſupra, cap.9. num.28. Secundò, quia ius eligendi poſitum eſt in libera poteſtate eligentium, præſertim ius eligendi Correctores in Ordine noſtro, vt conſtat ex Regula, num.39. ibi, *idem facere quiſquam valeat*; non eſſet autem in libera poteſtate, ſi cogerentur eligere. Tertio, quia ex hoc nullum damnum cauſatur communitati, cum illi æquebene, & quandoque melius,

Digitized by Google

lius, prouideatur per capitulum definitorium; quod ſeruant quamplurimæ Religiones. Ad rationem dubitandi ℞. communitati nullam in hoc irrogari iniuriam, cum hoc ius illi non competat vt ſic, ſed ſolùm competat aliquibus de corpore illius: neque damnum, cum illi optimè ſemper prouideatur de Prælato, & Paſtore per definitorium: neque alijs duobus Fratribus irrogatur directè, & per ſe iniuria, ſed ſolùm per accidens, cum id non intendant illi duo electores, vt ſuppono; imò neque etiam per accidens, nam qui vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam. Neque quidquam facit, quòd id fiat ad complacendum Prouinciali roganti, nam ſimpliciter complacere ſuo Prælato, non eſt malum in rebus licitis. Quando autem conſtaret his electoribus, quòd Prælatus ideò rogat, ne fiat electio illius conuentus, ad impediendam electionem digni, vt deinde faciat electionem indigni in capitulo definitorio, tunc puto, dictos duos Fratres peccare mortaliter, impediendo electionem conuentualem, non ratione conuẽtionis, ſed ratione cooperationis ad electionem indigni.

30 Ad ſecundum ℞. Si cauſa declarationis inhabilitatis eſt perpetua, V.G. ſi aliquis habens infirmitatem incurabilem impedientem exercitium alicuius dignitatis, declaretur inhabilis ad illam, tunc ea declaratio eſt perpetua; ſi autem cauſa eſt temporalis, tunc declaratio, ea ceſſante, ceſſat, eo modo, quo priuatus per duos annos V.G. voce actiua, & paſſiua, ijs finitis, eſt illico rehabilitatus abſque alia declaratione. Sic qui eſt declaratus inhabilis propter aliquam infirmitatem, euidenter recuperata ſanitate, ſtatim eſt habilis. Quòd ſi dubitetur de recuperatione dictę ſanitatis, debet probare ſe ſanum, vt probaui tom. 2. Religioſi, quæſt. 2. cap.4. num.3. fine.

31 Aduerte tamen, quòd talis declaratus inhabilis à capitulo prouinciali, poteſt appellare ad capitulum generale, ſeu etiam ad Generalem ipſum, vt docet Nau. lib.2. conſil. de appell. conſ.2. n.2. & habetur in cap. Licèt. el.1. de foro compet. Imo, ſi dubitat de iniuſtitia dicti capituli prouincialis, poteſt ipſum recuſare, vt docet Sanchez lib.6. conſil. cap.8. nu.10. & habetur in dicto cap. Licèt.

32 Ad tertium, Studentes in Ordine noſtro eligi non poſſunt in Correctores aut Vicarios ordinarios conuẽtus, neq; etiam in Prouinciales; carent enim voce paſſiua, per ſtatutum capituli Auenion.2. n.24. quod etiam præcepit tempore viſitationis Reuerendiſſimus P. F. Franciſcus à Longobardis Ordinis noſtri Generalis anno 1633. Quod ſi ad prædicta officia eligantur, electio eſt ipſo iure nulla, propter inhabilitatem perſonæ, cum careant pro illo tempore voce paſſiua.

33 Circa quòd ſtatutum aduerte tria. Primum, quòd ſtudentes carere voce paſſiua quò ad prædictas dignitates, nullum eſt illis dedecus, imò maximus honor, cum id factum ſit propter nobiliſſimum finem, nimirum, vt ſtudijs commodiùs incumbere poſſint, & cum ex fine menſurentur actiones humanæ, iuxta illud, Quicquid agant homines, intentio iudicat omnes, dicendum eſt, id reſultare in ſtudentium honorem. Quid enim ſcientia, & ſapientia nobilius?

34 II. Quòd ſtudentes poſſunt eligi in Definitores, Collegas Prouincialis, Diſcretos ad capitulum prouinciale, & Seniores; iſta enim officia ſtudium non impediunt; finis autem dicti ſtatuti in excludendo ſtudentes ab habendis illis dignitatibus, fuit, ne ſtudium impediretur. Ergo has dignitates habere, non eſt contra illud ſtatutum. Ergo, ſi alias ſunt idonei, eas habere poſſunt, cum nullum aliud ſtatutum reperiatur, quo ab his arceantur.

35 III. Quòd dictum ſtatutum debet intelligi de ſtudentibus, qui in ſtudijs faciunt profectum, non de illis, qui vel per inhabilitatem naturalem, vel negligentiam non poſſunt, vel nolunt facere profectum; nam iſti cum perdant tempus in ſtudijs, & occupent locum aliorum magis habilium, poſſunt, & debent à ſtudijs arceri iuxta decreta cap. Valent.1. n.22. & Paulæ nu.18. Et cum non debeant ex ſua inhabilitate, ſeu negligentia reportare commodum, poterunt à Superioribus, & Fratribus occupari in alijs negotijs minùs honoratis, & plus oneroſis, vt ſunt prædicta officia Correctoriatus, Vicariatus, &c.

36 Ad illud de Lectoribus dico, quòd in Ordine noſtro Lectores non poſſunt eligi in Correctores, iuxta capitulum Toloſanum, num.42. cuius finis fuit, ne propter Correctoris officium, cogerentur Lectores lecturas omittere. Quod æquiſſimum eſt; nam bonum priuatum cedere debet bono publico: at eſſe Correctorem eſt bonum priuatum illius ſolius conuentus, cuius eſt Corrector; legere verò, & iuuenes literis informare, eſt bonum publicum totius Religionis. Quòd ſi velimus dicere, quòd Correctoriatus, cum ſint dignitates, ſunt bonum habentis illas, adhuc tamen ſtatutum noſtrum æquiſſimum eſt, cum bonum illud, ſi bonum eſt, ſit valde tenue, & priuatum; bonum autem, quòd reſultat ſtudentibus ex Lectore, eſt maximum, & publicum, vt dixi. Quare non bene reprehendit illud ſtatutum Iſnardus in Codice Minimo, verbo Studentes, quòd ſit iuri valde diſſonum: cum omne ius tam diuinum, quàm naturale, & canonicum præcipiat bonum commune bono particulari eſſe anteponendum. Neq; hoc eſt eſſe Lectores deterioris conditionis; nam alioqui deterioris conditionis eſſe poteſt Zeloſus, quam alij quicunque Fratres inferiores, cum ille non poſſit eſſe Corrector, iſti ſic. Non poſſe itaque habere aliquod officium inferius propter occupationẽ in maiori negotio, non eſt eſſe deterioris conditionis, quàm illi, qui illud poſſunt, habere, etiamſi ſint inferiores, ſed melioris. Quòd verò Lectoris officium ſit maius, & nobilius, quàm officium Correctoris, conſtat. Tum ex maiori vtilitate, quam affert Religioni. Tum ex eo, quòd Lectoris officium verſatur circa actiones intellectus, correctoris circa actiones voluntatis; ſed actiones intellectus ſunt nobiliores, vt ſuppono ex Theologia, actionibus voluntatis.

37 Limitandum tamen putò dictum ſtatutum, propter eos, qui non bene capiunt iſtam doctrinam, vt ſolùm intelligatur habere locum in Correctoriatibus, in quibus non eſt ſtudium, non autem in conuentibus, in quibus eſt ſtudium; nam in iſtis Lectores poſſunt bene & legere, & Correctoris officio fungi: Nec hoc puto eſſe contra mentem dicti ſtatuti, quod ſolùm fuit factum ne ſtudium impediretur; at hoc caſu non impeditur: & ſic practicari video in Religione.

38 Ex his collige, quòd Lectorum, qui actu non legunt, ſi in Correctores aliquorum conuentuum, in quibus non ſit ſtudium, eligantur, poſſunt electiones licitè à definitorio caſſari, vt dicti Lectores electi lecturas actu proſequantur: quod non eſt in Lectorum præiudicium, ſed potiùs honorem, & ad præferendum commune bonum bono particulari.

39 Sed pone caſum, quòd quis ſit electus in Correctorem alicuius conuentus à Fratribus conuentualibus die 15. Septembris, & poſtmodùm confirmatus à definitorio, ſi poſt clauſum capitulum definitorium, ſubſcriptum, & ſigillatum, iſtè talis ante ſolemnem publicationem definitionis, quæ ſolet fieri coram omnibus Fratribus conuentualibus in illo conuentu, in quo celebratur capitulum definitorium, renunciet dicto Correctoriatui coram Definitoribus quæruntur duo.

40 I. Ad quemnam pertinebit electio noui Correctoris?

41 II. An dato, quòd pertineat ad definitorium ipſum, an hoc poſſit iam electum, & confirmatum in vno conuentu, eligere, & transferre in conuentum vacantem per renunciationem, & loco illius tranſlati alium eligere?

42 Ad primum ℞. quòd pertinet ad capitulum definitorium. Ita ſtatutum eſt in c. Barcin. 3. ſeſſ.5. n.12. facta eſt enim hæc renunciatio adhuc in capitulo intermedio, & non extra illud, cum facta ſit coram Prouin-

uinciali, & Definitoribus ante ſolemnem publicationem dicti capituli intermedij.

43 Ad ſecundum dico, capitulum poſſe illam tranſlationem facere, aliqua rationabili cauſa id ſuadente, præſertim ſi electus, & confirmatus in alio conuentu conſentiat tali tranſlationi. Atq; ita ad id extendo ſtatutum c.Rom.7. ſeſſ.8. Sicut enim capitulum poteſt electum in vno conuentu ad alium transferre, legitima cauſa interueniente, ante confirmationem, ita etiam eadem de cauſa poteſt iam confirmatum in vno conuentu ad alium transferre. Nam puto, quòd per electionem ius acquiratur electo ante confirmationem; & licèt maius, & perfectius ius acquiratur per confirmationem, id tamen non refert; nam magis, & minus non differunt ſpecie, præſertim electo conſentiente; nam tunc ei non fit iniuria. Atque ita hunc caſum audiui contigiſſe Matriti in Ordine noſtro anno 1633. Cum enim fuiſſet electus in Correctorem Matriti P. F. Franciſcus Manſilla, & fuiſſet in dicto officio confirmatus, ipſe dictæ electioni, ac officio poteſt clauſum definitorium ſed non publicatum ſolemniter coram Prouinciali, & Definitoribus renunciauit. Et cum controuerteretur, ad quemnam ſpectaret electio, an ſcilicet ad capitulum locale, an verò ad capitulum definitorium? Res fuit delata ad Illuſtriſſimum Nuncium pro S.D. Vrbano VIII. apud Regem catholicum, qui eo tempore erat Illuſtriſſ. D. Ceſar Montius Patriarcha Antiochenus, & Epiſcopus Mediolanenſis, qui, caſu diſcuſſo, cum ſuo Fiſco declarauit, dictam electionem, & tranſlationem à capitulo poſſe fieri, & ad abundantiorem cautelam, vt ita fieret conceſſit. Ita mihi retulit R.P.F. Hieronymus Trimarchi, qui eo tempore Matriti degebat.

44 Demum pone, quòd in aliquo conuentu tempore, quo celebrandum eſt capitulum prouinciale, non adſint niſi quatuor Fratres vocales, & quòd vnus ex his malitioſè ſe abſentet, ne poſſint fieri electiones neceſſariæ, & præſertim Diſcreti ad capitulum prouinciale deſtinandi, quid erit faciendum? Vt reſpondeam.

45 Not. 1. quòd in ordine noſtro illo tempore in quolibet conuentu fiunt tres electiones. Vna Correctoris, quæ non eſt neceſſe, quòd ſit de corpore capituli, ſed poteſt fieri extra illud. 2. Vicarij remanſuri in dicto conuentu per diſceſſum Correctoris ad capitulum prouinciale, quæ neceſſariò debet fieri de corpore capituli, & ante electionem Diſcreti. 3. Diſcreti deſtinandi ad capitulum prouinciale, quæ etiam debet eſſe de corpore capituli; Ita ex cap. Paulæ, num.25.

46 Noto 2. quòd abſentia illius, qui ſe abſentauit, etiamſi non dolo ſe abſentaſſet, ſed legitimo impedimento detentus eſſet, non poteſt neque debet nocere reliquis electoribus, vt probo ſupra hoc cap. num.11. & multò magis, quando malitioſè ſe abſentauit; nam fraus, & dolus nemini ſuffragari debet, & malitijs hominum indulgendum non eſt. Vnde in hoc caſu puto, quòd illi tres electores poſſent, eodem modo ſe gerere, ac ſi ille, qui ſe abſentauit, eſſet præſens, cum nondum ſit priuatus voce, nec fugitiuus declaratus. Poterit itaque tunc Corrector deputare in Scribam, quem voluerit ex illis duobus, iuxta ſtatutum cap. Rom.7. ſeſſ. 11. & deinde facere electionem futuri Correctoris; quæ cum poſſit fieri extra capitulum, non habet difficultatem. Tertiò poterit facere electionem Vicarij remanſuri per ſuum diſceſſum, quæ etiam poterit eſſe legitima, & canonica, cum cuilibet electori remaneant ſemper duo, quibus ſuffragari poſſit, & conſequenter liberè, computando abſentem, in quem poſſunt vota ſua electores dirigere, per dicta; non poterit tamen facere electionem Diſcreti; nam cum neq; Corrector, neq; Vicarius poſſint eligi ad tale munus, licèt iſti poſſint eligere cum libertate, reliqui tamen duo etiamſi eſſent præſentes, cogerentur ſibi inuicem ſuffragari, & ſic electio non eſſet canonica, quia coacta; & ſic ille ſolus, qui remanet in capitulo ex illis tribus, cogitur ſuffragari abſenti; quod non poteſt fieri, quia libertas eſt de electionis eſſentia. Quid igitur faciendum? Puto, quòd hoc caſu debeat omitti electio Vicarij, prouidendi deinde abſolutè per Correctorem, & quòd debeat fieri electio Diſcreti, iuxta id, quod dicit Paſſar. in ſchol. ex Auenion. in dubijs pro canonica elect. ad 12. quia electio Diſcreti eſt maioris importantiæ quàm electio Vicarij.

Caput XIV. Paralipomena ad ea, quæ de vita quadrageſimali alibi dixi.

1 NOta, quòd de vita quadrageſimali longam texui quæſtionem tom.1. Religioſi; quæ eſt quarta illius libri; Dixi etiam aliqua tom.2. priuil. in conſtitut.2. Clem.VIII. nu.18. & 19. & hoc eod. tom.3. ſupra, cap.9. à num.33. vſque ad num.62.

2 Dico primò, Votum vitæ quadrageſimalis eſt eſſentiale in Regula Minimorum, vt latè probaui tom.1. Relig. quæſt.1. cap.1. & præter DD. ad id ibi adductos, id docent Vigliega in vita S. Franciſci de Paula, Bonac. de clauſura, quæſt.2. p.12. §.3. num.4. Suarez tom. 4. de relig. tract.1. lib.3. cap.17. num.8. Probatur primò. Quia ſequeretur, quòd poſſet quis in Ordine noſtro profiteri, qui vitam quadrageſimalem obſeruare non poſſet; cenſent enim aliqui Doctores, quos refero, tom. 2. Relig. quæſt.3. cap.1. n.64. & 65. quòd poteſt ad Religionem admitti, qui ſola eſſentialia ſeruare poteſt; Sequeretur etiam, quòd poſſet in Religione introduci per conſuetudinem, quòd votum vitæ quadrageſimalis non obligaret, neque ad peccatum, neque ad pœnam: nam conſuetudo excuſat ab obligatione præceptorum Regulæ, etiam obligantium ad mortale, vt cũ alijs probo tom.1. priuil. conſtitut.4. Iulij II. nu. 21. Et patet; quia conſuetudo excuſat Minimos ab obſeruantia illius præcepti Regulæ, num.15. quo prohibebantur ſe obligare ad ſuffragia perpetua. Tertiò ſequeretur, quòd poſſent Prælati Ordinis diſpenſare cum aliquibus alia ex cauſa, quàm infirmitatis, ſuper voto vitæ quadrageſimalis; nam Prælatus poteſt diſpenſare ſuper omnibus præcepti Regulæ, etiam ad mortale obligantibus, modò ea præcepta non ſint eſſentialia, vt probaui tom.1. Relig. quæſt.1. cap.8. §.5. concl. 10. Sequeretur quartò, quod Epiſcopi, & eiecti à Religione non tenerentur ad vitam quadrageſimalem, quod eſt abſurdiſſimum, vt probaui tom.1. Relig. quæſt.4. cap. 2. & confirmabo hic concluſione ſequenti. Secundò probatur eadem concluſio. Quia refert Montoya in ſuis metaphoris ſuper Leuiticum, metaphora 4. §. 2. fine, quòd à ſuprema Inquiſitione Hiſpaniæ fuerunt prohibita quòdlibet à Lacerdæ, quouſque corrigantur, in eo, quod dixit, votum vitæ quadrageſimalis non eſſe eſſentiale in ordine Minimorum. Ex quo colligitur, quòd contrarium eſt falſum, & temerarium. Tertiò probatur. Quia ideo ſummi Pontifices Iulius II. & Leo X. vt dixi tom.1. Religioſi, quæſt.1. cap.24. §.1. in principio declararunt, Religionem Minimorum eſſe ſtrictiſſimam omnium aliarum Religionum; quia putarunt, arduiſſimum votum vitæ quadrageſimalis eſſe illi eſſentiale; ſi enim illi eſſentiale non eſſet illa, declaratio iure non ſubſiſteret, cum in eſſentialibus Religio noſtra non differet ab alijs. Quare ſententia, quæ diceret, votum vitæ quadrageſimalis non eſſet eſſentiale in Ordine noſtro, ſed tantùm ſubſtantiale, eſſet temeraria, & errori proxima, ac Religionis noſtræ deſtructiua. Et ideo ſi aliquis Frater Minimus illam excitare tentaret, eſſet puniendus, tanquam tentans Religionem deſtruere, ſi per ſubſtantiale intelligeret integrale, vt brachium, quod eſt ſubſtantiale integrale hominis; ſi autem per ſubſtantiale intelligeret eſſentiale, vt intelligit Suarez loc. cit. & dicunt communiter Philoſophi cum Ariſtotele in cap. de ſubſtantia, vbi inter alia habet, quòd *niſi primæ ſubſtantiæ ſint, cæterarum rerum nulla eſſe poteſt.* & habet expreſsè Trid. ſeſſ.25. de regul. c.1. tunc nihil diſſentiret à nobis, qui cenſemus,

quòd

quòd ſi deſtrueretur votum vitæ quadrageſimalis, non remaneret ampliùs Religio Minimorum, inſtituta à S.Franciſco de Paula.

3 Dico 2. Epiſcopus ex Religone Minimorum ad Epiſcopatum aſſumptus tenetur ad votum vitæ quadrageſimalis, vt probaui quæſt.4. Relig.ſubd.cap.2.& DD.ibi adductis adde Suarez tom.4. de relig. tract.1. lib.3. cap.17. num.8.& Caiet.2.2. quæſt.185. art.8.dub. 1. fine, quatenus habet, quòd Religioſus factus Epiſcopus, peccat mortaliter, comedens carnes feria 6. in die natalis Domini, ſi id illi erat per ſuam Regulam prohibitum. Ergo multo magis id dixiſſet de Rgligioſo Minimo qui id ſolemniter vouit. Adde etiam Gloſſam quatenus in cap.Carnem, de conſec.d.5.ver.Violauerit, cum H. ait Monachum factum Epiſcopum non debere carnes comedere. Imò huius ſententiæ eſt etiam D.Thom. loc.cit. corpore, quatenus habet, quòd Religioſus factus Epiſcopus tenetur obſeruare omnia ea, quæ valent ad perfectionis cuſtodiam, vt continentiam,paupertatem, &c. Nemo autem eſt, qui dubitet quadrageſimalem abſtinentiam eſſe vnicum remedium continentiæ ſeruandæ, vt probaui loc. cit. Relig.cap.7. Ita etiam tenuit Couarr.cap.1. de teſtam. nu.18. Contrarium tamen tenet cum aliis Diana tom. 3.tract.2. reſol.50. Quorum opinio mihi ſemper viſa eſt parum conſideratè prolata. Nihilominus probatur primò noſtra concluſio auctoritate trium Pontificum, qui in facti contingentia mecum ſenſerunt. Primus fuit Paulus V. qui Duci de Albuquerque eo tempore Legato Romæ pro Rege Hiſpaniarum,petendi diſpēſationem ſuper hoc voto pro Reuerendiſſ. P.F. Gondiſaulo de Angulo Ordinis noſtri Epiſcopo Valenſolæ in Indijs, reſpondit: Ego ſemper fui huius Religionis deuotiſſimus, & abſtinui a Fratribus dictæ Religionis in Epiſcopos promouendis, ne cogerer cum eis ſuper voto vitæ quadrageſimalis diſpenſare; & ſic diſpenſare recuſauit. Ita mihi retulit P. Trimarchi noſtri Ord. audiuiſſet ab ipſomet Duce Albuquerque, cum eſſet Prorex Siciliæ anno 1628. Secundus fuit Gregorius XV. qui noluit diſpenſare, quamuis multùm rogatus, ſuper dicto voto cum Reuerendiſſ. P. F. Franciſco à Mayda Ordinis noſtri Generali, & Epiſcopo Lauellenſi,qui etiam Epiſcopus eiuſdem opinionis erat; retulit enim ipſemet mihi Romæ, quòd cum quadam die fuiſſet inuitatus à quibuſdam Prælatis ad prandiū, parauerunt illi cibos paſchales, dicentes, Iam Domine Epiſcope potens nobiſcum cibos paſchales comedere. Qui reſpondit, Non equidem, nam teneor obſeruare dictum votum, ſicut antequam eſſem Epiſcopus; & erat hic Epiſcopus vir doctiſſimus,& eloquentiſſimus Concionator. Tertius Pontifex fuit Vrbanus VIII. qui in examine, quod fiebat coram ipſo, Reuerendiſſ.P.F.Franciſco Caſtellano Epiſcopo Capruliensi Ordinis noſtri, petijt ab eo, an teneretur ad votum vitæ quadrageſimalis? & cum ipſe Caſtellanus reſpondiſſet, non teneri, reſpondit Papa, Errasti; teneris enim, & parùm abfuit, quin ex hoc ſolùm arceretur à dicto Epiſcopatu conſequendo; nec voluit cum eo ſuper dicto voto diſpenſare. Secundò probatur eadem concluſio.Quia Minimi vouent obſeruare vitā quadrageſimalem toto tempore vitæ ſuæ, vt patet ex eorum profeſſione in Correctorio, num.18. Nec valet dicere, quòd illud, Toto tempore vitæ ſuæ,intelligitur,quamdiù in Religione permanſerint, nam eſt implicantia in terminis quòd quis profitendo intelligat perſeueranter viuere ſub voto quadrageſimalis vitæ, & id expreſsè dicat, & quòd deinde intelligat vitam quadrageſimalem obſeruare, quandiu tantùm in Religione ſteterit, ſi enim vult perſeueranter viuere toto tempore vitæ ſuæ in Religione, quomodò poteſt intelligi, quòd nolit ſe obligare ad ſeruandum votum vitæ quadrageſimalis, niſi quatenus in Religione ſteterit.

4 Ex his collige, quòd multo magis tenetur votum vitæ quadrageſimalis obſeruare Minimus, qui extra Religionem ſpeciali priuilegio Papæ obtinuit beneficium curatum; imò tenetur non ſolùm eſſentialia ſuæ Religionis obſeruare, ſed etiam accidentalia, quæ munus parochiale non impediunt, & hoc non ſolùm ex debito, & honeſtate morali, ſed etiam ex debito legali quamobrem excommunicationem contrahet, ſi habitum deponat. Ita Layman lib.4. tract 5. cap. 1. de ſtatu relig. num.9. An autem iſte,ſi delinqueret, deberet puniri ab Epiſcopo,vel a Prælato, eſt caſus dubius. Layman loc.cit. num.12. videtur dicere, quòd puniri debet à Prælato: Angelus,Roſella,Sylu.& alij apud ipſum. dicunt, quòd ab Epiſcopo,cui in omnibus ſubiectus eſt. Tu dic, quòd ſi delinquat in his, quæ concernunt ſtatutum Religionis, quam profeſſus eſt, debet puniri à Prælato Religionis; ſi verò delinquat in his, quæ concernunt munus parochiale, puniri debet ab Epiſcopo.

5 Dico tertiò. Eiecti tenentur ad obſeruantiam voti vitæ quadrageſimalis, vt probaui tom. 1. Relig. q.1. cap.25.§.1. concluſ.4. & q.4. cap.2.verſ. ad tertium; & tenet expreſsè, præter citatos dictis locis, Bonacina loquens de eiectis, tract.de clauſura, quæſt.2.puncto 12. §.3. num.4. Probatur. Quia ex malitia ſua nemo debet reportare commodum; leg.in fundo, ff. de rei vendic. cap.Cognoſcentes, de conſtit. cap.Sedes, cap.Plerumque,de reſcript.cap.Intelleximus,de iudic.Sed reſpondent qui contrariam opinionem tuentur, quòd reportare commodum directè, principaliter, & per ſe, eſt contra dictum iuris axioma; at verò minùs principaliter, indirectè, & per accidens, non eſt contra illud, vt limitat Barboſa in axiomat. iuris, axiom. 143. num.3. Et ſic eiecti ex ſua malitia non reportant commodum comeſtionis carnium per ſe, & principaliter, ſed ſolùm per accidens, & indirectè. At contra. Quia pone, quòd quis eo faciat delicta, propter quæ certus eſt, quòd eijcietur à Religione, & illa intentione faciat, vt eijciatur, & ſic poſſit carnes comedere. Certè iſte non per accidens, ſed principaliter, & per ſe carnes comedens commodum reportabit ex ſuis delictis, quia illa carnium comeſtio eſt primariò intenta. Sed taciti, & expreſſi idem eſt iudicium, leg. Cum quid, ff. ſi certum petatur, Barboſa loco cit.axiom.218.num.1.Ergo licèt aliquis, quando facit aliquod delictum dignum expulſione, expreſsè non intendat expulſionem ab Ordine,nec carnium comeſtionem; cum tamen dicta delicta, cui expulſio eſt annexa, ſcienter velit, & expulſio non fiat ſine dictorum actuum repetitione, dum ipſe ſcienter vult illa delicta, certè tacitè ſaltem vult per ſe expulſionem ab Ordine, & conſequenter vult etiam per ſe comeſtionem carnium; nam acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, l.Etiam, C. de iure dot.regul.Acceſſorium, de regul. iuris, in 6.prout dixi loc.cit. Religioſi ſubditi.Atque ita per ſe commodum reportabit ex ſua malitia.

6 Dices cum dicti eiecti poſſint à Prouincialibus, & Generalibus Ordinis noſtri licentiari ad alios Ordines, in quibus quadrageſimalis vita non obſeruatur, vt conſtat ex conſtitut.2. Iulij II. §.17. tom.1. noſtr. priuil. videtur, quòd ad dicti voti obſeruantiam non teneatur; Nam durum nimis eſſet, & oneroſum, & Ordinibus illos recipientibus, & rectis ipſis. R. quòd illa conſtitut.2. Iulij II.fuit deſumpta ex Mari magno Prædicatorum ad verbum à Paſſar. virtute illius priuilegij conceſſi ab eodem Iulio II. in eius conſtitut.1.§. 35. quòd poſſemus de omnibus priuilegijs Mendicātium participare, ac ſi nobis ipſis fuiſſent conceſſa, & illa nobis applicare, & tranſumptare, mutatis nominibus Pontificum, qui ea conceſſerunt, in nomen Iulij II.& nominibus Ordinum, quibus fuerunt conceſſa, in nomen Ordinis minimorum. A quocunque ſit tranſumptarum, multa certè in eo ſunt,quæ Ordini noſtro non poſſunt conuenire, vt noto ad dictam conſtitut.2.nu.4. Inter quæ etiam poteſt numerari hoc de danda licentia eiectis tranſeundi ad alium Ordinem. Nam noſtra Religio eſt omnium ſtrictiſſima, propter votum ſolemne vitæ quadrageſimalis, quod eſt illi eſſentiale.

Vnde

Digitized by Google

Vnde licèt ſecundùm aliquos poſſint Superiores Ordinum dare licentiam ſuis ſubditis tranſeundi ab Ordine ſtrictiori ad Ordinem minùs ſtrictum, (quod tamen eſt contra Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. de regul.) id tamen intelligitur de Ordine ſtrictiori ſecundùm accidentia, non ſecundùm eſſentiam. Et quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus per regul. In generali, de regul. iuris, in 6. præſumendum non eſt, quòd Papa intenderit dare licentiam Generali, vt poſſet licentiare fugitiuos, & eiectos ad alium Ordinem, & ſimul cum ipſis diſpenſare ſuper voto vitæ quadrageſimalis. Et cum obſeruatio voti ſit de iure diuino, & diſpenſatio non poſſit fieri ſine legitima cauſa, & quò maior eſt diſpenſatio, eò maior requiratur cauſa; & cum diſpenſatio ſuper votis eſſentialibus Religionum de ſtylo Curiæ Romanæ non ſoleat fieri, niſi propter grauiſſimam cauſam immediatè per Papam, ideò exiſtimo, quòd illud priuilegium, vel non poſſit Religioni adaptari, vel, ſi velimus contendere, quòd poſſit adaptari, dicendum ſit, quòd talis tranſlatus tenetur ad obſeruandam vitam quadrageſimalem, cum vix Pontifex ſuper votis ſolemnibus Religionis auctoritatem habeat, & ipſorum diſpenſatio ſit ipſi ſoli reſeruata Quòd ſi adhuc contendamus, quòd intenderit Pontifex dare licentiam Superioribus licentiandi ad alium Ordinem, & diſpenſandi ſuper voto ſolemni, quod in æternum non credam. Tum quia licentiare ad alium Ordinem, & diſpenſare ſuper voto, ſunt toto cœlo diuerſa, & à diuerſis non fit illatio. Tum quia res tanti momenti de ſtylo Curiæ nulli creditur, ſed ſoli ſummo Pontifici reſeruatur: Dico, quòd ille Pontifex noſtro Ordini conceſſit ſummum, & maximum omnium priuilegiorum, illud tament nunc vacat, propter citatum textum Tridentini. Et dato, quòd eſſet in ſuo robore, non liceret ex eo inferre, quòd eiectus non teneretur ad obſeruantiam dicti voti, ſi non eſſet ſuper illo diſpenſatus. Nam quod ſine diſpenſatione non poteſt fieri, ſimpliciter fieri non poteſt. Neque poteſt dici, quòd hoc caſu non ſit neceſſaria diſpenſatio, cum intelligatur eo ipſo quòd eiectus, & vagabundus licentiatur ad alium Ordinem. Nam, cum illa ſint toto cœlo diuerſa, vno poſito, non infertur aliud. Deinde diſpenſatio voti eſt res grauiſſima, licentia tranſeundi eſt res ordinaria, ſed minùs dignum nunquam trahit ad ſe magis dignum. Ergo.

7 Dico 4. Poſſunt Fratres Minimi ad præcauendas infirmitates ſe purgare, & purgationis tempore carnes comedere. Ita probaui tom. 1. Relig. quæſt. 4. cap. 3. per totum. Et præter ea, quæ ibi adduxi, probatur primo. Nam, exiſtente actu infirmitate, poteſt Frater Minimus de Medici conſilio, & Superioris licentia carnes comedere. Ergo poteſt etiam carnes comedere, dicta infirmitate exiſtente in potentia. Probatur conſequentia: Nam idem ius habet quis ad propulſandum damnum, quod actualiter patitur, atque ad propulſandum illud, quòd certò venturum putat, vel rationabiliter dubitat exoriundum: ſicut qui probabiliter dubitat, quòd in extremam neceſſitatem eueniet, ſi extremè indigenti ſubueniat, non tenetur ei ſubuenire.

8 Dices. In hoc caſu ius dubium vincit ius certum, quod eſt abſurdum. ℞. tamen, quod quamuis obligatio abſtinendi à carnibus ſit certa, & in poſſeſſione obligandi, tamen etiam ius ad conſeruandam vitam in homine certum eſt, & antiquius, & antiquior etiam poſſeſſio in illo ad conſeruandam ſuam vitam, & à ſtrictiori iure orta. Nam in homine non ſolùm eſt ius certum ad certò conſeruandam vitam, ſed etiam eſt illi ius certum ad nõ exponendam vitam periculo eam amittendi. Et quamuis eſſet dubium, an Frater Minimus, non ſe purgando, & abſtinendo à carnibus, eſſet detrimentum paſſurus in ſalute, non eſt tamen illi dubium, quòd ius habeat certum non ſe committendi tali dubio, vt docet Io. Sancius in ſelectis, diſp. 51. num. 9. Dices. Huic iuri renunciauit Frater Minimus, quando quadrageſimalem abſtinentiam vouit, cum modificatione, quòd ſolum tempore actualis infirmitatis poſſet comedere carnes. ℞. quòd Minimus per votum vitæ quadrageſimalis non renunciat iuri conſeruandi vitam, quantum poteſt, ſalua eſſentia voti quadrageſimalis; iſta autem eſſentia ſalua remanet, dum Minimus ad præcauendas infirmitates certò, ſeu etiam probabiliter venturas, ſe purgando comedit carnes. Tum quia, cum tunc iam ſentiat infirmitatis principia, infirmus actualiter eſt, quatenus differt ab eo, qui eſt ſimpliciter ſanus. Tum quia, quod parùm abeſt, adeſſe videtur. Tum quia nemo prudens, cum poteſt de facili morbo imminenti adhibere remedium, expectat ipſius morbi actualem aduentum. Tum quia videtur infirmitas intellectus, putare, quòd qui promiſit alicui ſtare ſub dio quouſque pluat, non poſſit, pluuia imminente, vel iam cadere incipiente, ſe domum recipere, ſed teneatur pluuiam expectare, & deinde bene madefactus domum petere.

9 Secundo probatur concluſio. Nam vota obligant eo modo, quo obligat præceptum eccleſiaſticum de eadem re, vt dicunt communiter Doctores, & dixi ſupra, capit. 9. nu. 34. Nemo autem dubitat, quòd ſi quis debeat ſe purgare tempore quadrageſimæ; ad præcauendam infirmitatem, & cibos paſchales comedere, non poſſit id facere. Ergo neque pariformiter dubitandum eſt, quod Minimi, ſtante voti obligatione, ſe poſſint purgare, & carnes comedere. Et confirmatur. Nam Minimi non vouent ſimpliciter abſtinentiam à carnibus, & lacticinijs, ſed vitam quadrageſimalem, & ad innuendum, quod tenemur toto tempore vitæ quadrageſimam obſeruare, eo modo, quo eam obſeruant fideles deſignato ab Eccleſia tempore.

10 Tertio probatur auctoritate illorum Doctorum, qui dicunt, quod qui habent experientiam antiquam, ſibi eſſe nociuum carnibus non vti in quadrageſima, non tenẽtur in futuris quadrageſimis abſtinere a carnibus, ad experiendum, an nocumentum exoriatur. Iſti ſunt Io. Sancius in ſelect. diſput. 51. nu. 23. Cruz in director. conſcientiæ, par. 1. præcept. 3. articul. 4. dub. 9. concluſ. 3. Diana tom. 3 tract. 5. Miſcell. reſolut. 70. Vnde collige, quod Frater Minimus, qui longa experientia probauit, ſibi nocere cibos quadrageſimales, non tenetur nouum experimentum facere, & cum communitate quadrageſimales cibos comedere, etiamſi ſibi videatur melius, ſeu etiam bene ſe habere. Quare poterat Iſnardus illam admirationem, quam facit conſilio 4. ſui Codicis, continere.

11 Dico 5. Vita quadrageſimalis non abbreuiat vitam, & probaui tom. 1. Relig. quæſt. 4 cap. 4. Quinimo nunc addo, quòd ſanitatem conſeruat, & vitam prolongat. Prima pars probatur experientia multorum ex noſtris ſenioribus, qui vel nunc viuunt, vel recenter mortui ſunt. Et primum locum habeat Soror noſtra Mater Agnes de Cruz in Prouincia Hiſpalenſi, vixit in aſperitate pęnitentis vitæ quadrageſimalis centum annos, vt refert Ximenez in ſuo M.S. P.F. Ioannes de Flumine frigido Prouinciæ Paulæ, qui adhuc viuit, eſt ætatis centum annorum, & Religionis 80. Dominicus de Tauromínio Meſſanenſis centeſimum prætergreſſus eſt annum. Marcus Lardia de Meſſana Meſſanenſis Prouinciæ mortus eſt anno 1633. ætatis ſuæ anno 95. Multi reperiuntur ſenes in Prouincia Caſtellæ ætatis annorum 80. & Religionis 60. Hi ſunt P. F. Marcus Yrizar, Martinus Peco Gutierez, Lucas Montoya Religionis ornamentum, Petrus Vaſquez, Petrus Gonzalez. Adſunt, & Ioſeph Cianus Meſſanenſis Prouinciæ, Elias Landech Meſſanenſis eiuſdem Prouinciæ, Auguſtinus de Maſſa Prouinciæ ſuperioris Calabriæ. In iſto noſtro Conuentu Genuenſi nuper mortuus eſt P.F. Ioannes Baptiſta Sermellus ætatis annorum 85. Religionis 56. P.F. Benedictus Bucis ætatis annorum 76. Religionis 55. Ex quibus conſtat, tantum abeſſe, vt quadrageſimalis cibus vitam abbreuiet, quin potiùs inter alia, quæ hominum vitam red-

reddunt breuiorem, non immeritò eſus carnium recenſeatur a Lelio Biſciola to.2.hor.ſubceſiu. lib.13.c.3.

12 Secunda pars concluſionis eſt Prophirij de carnium abſtinentia inter opera Ficini tom.2. qui eam ſic probat, *Vſus carnium ad ſanitatem minimè confert, ſed ſanitatem potius impedit, quoniam per quæ recuperatur autem per victum tenuiſſimum, & carnibus abſtinentem; quapropter, & hoc ſanitas conſeruatur. Quòd ſi ad Milonis robur animalium abſtinentia minus confert, certè neque roboris augmento opus eſt Philoſopho* (Minimo)*, ſi modo contemplaturus eſt, neque actionibus ſe ipſum, & incontinentia dediturus, conſeruare profectò ſanitatem decet; non mortis quidem metu, ſed potius ne a contemplatione proficiſcentibus arceamur. Conſeruat autem maximè ſanitatem imperturbatus animi ſtatus, cogitationiſque diſpoſitio ad ipſum; multum enim vigoris ad corpus inde redundat, quemadmodum experientia noſtri familiares comprobauerunt, adeò vt dolores iuncturarum, pedum ſimul, manuumque acerrimas, annoſque integros octo vectari ab alio compellentes ſimul expulerint, cum pecuniarum, rerumque incuria externarum, ſtudioque ad diuinitatem prorſus tacto, ſimul igitur pecunias, atque curas, morbumque corporis expulerunt, &c.* Quæ ibi habet ad hoc propoſitum Porphyrius. Quam doctrinam amplexus eſt Petrus Gregor.lib.15.ſyntag.cap.15. numer.11. Immò Plutarc. de eſu carnium, or.1. poſtquam dixit, quòd homo *ſpiritus ad concoctionem imbecillitate eſum carnium eiurat*, ſubdit, quòd *etiam ſuperatæ vi concoctionis carnes, cruditates tamen moleſtas gignunt.*

13 Dico 6. Quando quis frater Minimus eſſet in itinere, & non inueniret quidquam quadrageſimale, neque etiam panem, neque olera, aut alios fructus, poſſet carnes comedere; vt probaui tom.1. Religion. quæſt.4. cap.5. caſu 3. & dicunt Nauar. lib. 3. conſiliation. de obſer.ieiunij conſil.4. nu. 3. Fagund.in 4. præcep.eccleſ.lib.1. cap.2.num.8.vbi etiam affirmat, quòd Infirmarij noſtri prægustantes cibaria ad ea conuenienter paranda, non frangunt votum, quod etiam dicit ibid.cap.4. num.2. Et aduerte, quòd hoc caſu non diceretur Frater Minimus frangere votum vitæ quadrageſimalis, vt ait Nauar. loco citat. nu.2. Quia tunc votum non obligaret.

14 Dico 7. Religio Minimorum eſt perpetuo ieiunantium inſtitutum. Ita probabam tom. 1. Religion. quæſt.4. cap.6. verſ. Quæres 6. Et ad id probandum multum facit doctrina Paludan. in 4. diſt. 15. quæſt. 4. articul.4. concluſ.2. vbi ait, quòd grauiùs ſoluit ieiunium comeſtio carnium, quàm alias bina comeſtio. Hanc eadem doctrinam ſequitur Ægidius Trullench. in expoſit. Bullæ Cruciatæ lib.1.§.4. dub.2. num.6. vbi probat, quòd diſpenſatus ad comedendas carnes, non tenetur ieiunare; quia ſublata eſt pars magis præcipua, & magis principalis ieiunij, qua ſublata, remouetur etiam id, quod eſt minus, ſcilicet vnica comeſtio; quia magis præcipuum trahit ad ſe minùs præcipuum. Vide dictum Trullench num.5.

15 Dico 8. Non peccare Fratrem Minimum, dicentem, Comederem carnes niſi vouiſſem. Ita Layman in Theolog. moral. lib.1. tract.3. cap.6. num. 10. Sanchez in decalog. lib. 1. cap. 2. nu.23. Azor. tom.1. lib.4. cap.6. quæſt.10. Immò neque peccaret, qui diceret, Inimicum occiderem, vel fornicarer, ſi non eſſet malum. Nam quoties conditio ab actu aufert omnem deformitatem, excuſat à peccato. Ita Sayrus in claui reg.lib.8. cap.7. num.28. & 29. Salas 1.2.tract.13. diſp.16 ſect.27. Vaſquez ibid.diſp. 116. cap.2. num.4. Valent.tom.2. diſp.6. quæſt.4. p.4.

16 Dico 9. Frater Minimus, qui ſenſibili delectatione delectatur de eſu carnium mente concepto, ac ſi eas reipſa comederet, mortaliter non peccat, modo non delectetur de his, eo quia illi prohibitæ ſunt. Nam præceptum poſitiuum humanum, aut votum voluntarium per ſe non prohibet actus internos, ſed ſolùm externos, vndè nos non vouemus, non cogitare de carnibus, ſed non comedere. Atque ita docent Layman in theologia morali, lib.1. tract.3. cap.2. num.9. Villalobos in ſummæ part.1. tract.3. difficul.3. num.5. Malderus part.2. quæſt.74. art.10. Leſſius lib.4. cap.3. dub. 15. nu.114. Vaſquez 1.2. diſp.110. cap.1. Diana tomo 3. tract.5. reſol.5. quem etiam vide reſol.6. vbi reſoluit cum Sancio, quòd comedere, & bibere abſque neceſſitate, ad ſolam voluptatem captandam, nullum eſt peccatum, neque veniale, Sicut nullum eſt peccatum res aromaticas odorare, ob ſolam delectationem boni odoris capiendam. Nec res pulcras inſpicere ob ſolam delectationem, quam viſus capit videndo; Nec audirem muſicam ob ſolam delectationem auditus.

17 Dico 10. Vita quadrageſimalis multum iuuat ad paſſiones libidinis mortificandas, vt probaui tom.1. Relig. q.4. cap.7. Probatur 1. ex illo Gen. 6. vbi Deus deſtruxit aquis diluuij omnem carnem. *Ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli.* In qua deſtructione ideo non fuerunt comprehenſi piſces, cum tamen homines eo tempore maximè piſcibus veſcerentur. Quia diluuium venit propter vitium carnis, vt patet ex eodem cap.6. Geneſ. ibi, *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* & ibi, *Videntes filij Dei*, &c. cui animalia omnia cooperata ſunt, piſces autem minimè, imò cum potiùs illud extinguant propter frigiditatem, ideò ruinam illam euaſerunt. Secundò probatur ex Origene lib.5. contra Celſum, calumnia 8. fine, vbi ait. *Nos dum aliquid* (loquitur de abſtinentia Chriſtianorum comparatione abſtinentiæ Pythagoricorum) *tale facimus ſugillamus corpus noſtrum, & in ſeruitutem redigimus, extinguere volentes membra terrena, ſcortationem, impuritatem, laſciuiam, affectus prauos, & concupiſcentias, vt morti tradamus actiones corporeas.*

18 Quæres, cur Sanctus Pater voluerit obligare ſuos filios ad vitam quadrageſimalem? ℞. vt faciliùs, & perfectiùs vniri Deo poſſemus per contemplationem. Cum enim Deus ſit ſimpliciſſimus, oportet, vt qui eum eſt contemplaturus, & illi deſiderat per contemplationem vniri, conciliet ſibi, non tantùm verbo, ſed etiam bonis operibus puritatem, ſenſuſque emundet; hoc autem non poteſt meliùs fieri, quàm per carnium abſtinentiam, qua homo redditur habilior ad ſpiritualia contemplanda, vt ait D. Thom. in ep. ad Rom.cap.14. lect.4. carnes enim humorum abundantiam gignunt, craſſitiem, ac pinguedinem, pinguedo autem ſenſum tenuem non generat; nam exhalatio, quæ ex carnibus comeſtis aſcendit, cum ſit craſſior, & turbidior, offundit animæ tenebras, vnde videmus, quòd contemplatiui ſunt inter alia abſtinentiſſimi. Hanc rationem tradit Porphyr. de abſtinentia carnium: approbat Petrus Gregor. lib.15. ſyntag. cap. 15. nu.11.12.13. Atque hinc non illepide ſic olim luſit F.P. Franciſcus Maria de Aguilolijs, Genuenſis, Ordinis Minimorum S.T.L.

Nata eſt mens hominum ſublimia quærere cæli;
Ni valeat, carnes denſior eſca vetat.
Non vetat hoc piſcis. Turba ſic celſa petenti;
Sic Domino, & Socijs fercula piſcis erant.
Quid mirum aptari piſces ſublime volanti?
Sunt vna educti piſcis, & ales aqua.

19 Demum nota, quod in cap.7. verſ. Quæres 14. tom.1. Relig.q.4. dicebam, quòd in Ordine noſtro inualetudinarij non poterant eligi ad dignitates. Et tom. 2. Relig.q.2.cap.4 n.3. & 4. dicebam, quòd hoc debebat intelligi de illis inualetudinarijs, qui non poterant exercere Prælaturas, ad quas aſſumebantur. Quibus ſaluis, adhuc fui ſtimulatus à multis ex noſtris, vt meliùs declararem ſtatutum cap. Valent.4. nu.16. quod in hoc puncto maximam facit difficultatem, & præbet anſam multis litigijs propter terribilitatem, quam prætefert. Pro quo aduertendum, quòd illud ſtatutũ eſt odioſum valdè, cum priuet voce paſſiua inualetudinarios abſq; vlla culpa, & addat afflictionem afflictis, vndè ſtrictè debet interpretari. Ait igitur ſtatutum. *Declaramus*

eos

Digitized by Google

eos eſſe inualetudinarios, qui cibis quadrageſimalibus non valent ſuſtentari, ſed ex conſuetudine morbi, & imbecillitate naturæ coguntur per ſpatium trium annorum ſingulis ferme annis pluſquam ſex menſes agere, veſcentes carnibus, & choro intereſſe, horis matutinis, & communitati ſe conformare non valentes. Vnde patet, quod quinque conditiones requiruntur ad hoc, vt quis in Ordine noſtro ſit inualetudinarius, ad effectum vt non poſſit ad dignitates promoueri, quarum vna ſi deſit, non erit inualetudinarius cenſendus. Nam iſtæ omnes conditiones, vt patet, connectuntur per dictionem, Et, cuius natura eſt, vt ait Barboſ. de dictionibus. dict. 110. à nu. 3. copulare, & antecedentia ſequentibus iungere æqualiter, ita vt quod de vno copulatorum dicitur, de altero intelligatur; & ſic copulatorum omnium concurſum dicit. Prima eſt, quòd non poſſit vllo modo cibis quadrageſimalibus ſuſtentari. Secunda, quòd hoc proueniat ex morbo longo, & conſuetudinario, qui ita naturam debilitauerit, vt nequeat omnino cibis quadrageſimalibus ſuſtentari. Tertia, quòd plus, quàm ſex menſes, per tres annos continuos cogatur paſchalibus veſci, vt poſſit ſuſtentari. Quarta, quòd non poſſit choro intereſſe, neque de die, neque de nocte. Quinta, quòd communitati nullo modo ſe conformare valeat. Conformat autem ſe communitati ille, qui orationi, capitulis culparum, aliiſque capitulis pro negotijs conuentus intereſt. Si quis igitur haberet aliquam infirmitatem, quæ adhuc in conſuetudinem non fuiſſet conuerſa, neque ita naturam debilitaſſet, quin poſſet ſperari, vt ex ea conualeſceret aliquando, etiamſi per tres continuos annos coactus fuiſſet cibis paſchalibus veſci, poſſet ad dignitates eligi. Et ſimiliter poſſet eligi, qui licèt non poſſet horis matutinis intereſſe, poſſet tamen alijs horis diuinis. Et ſimiliter poſſet eligi, qui non poſſet communitati omnino ſe conformare, v. g. ſi quis legumina comedere non poſſet, propter ventoſitatem, vel cibos ſalſos, ſed indigeret cibis paſchalibus per ſex menſes in anno, & aliquanto etiam plus. Nam illa particula; Plus, tempus prorogat in fauorem infirmi: & leges morales, præſertim odioſæ, non debent mathematico circino commenſurari. Et ſimiliter poſſet eligi in Prælatum, Prouincialem, v. g. vel Generalem, aut etiam Correctorem, qui cogeretur paſchalibus veſci per totum annum, modò poſſet choro intereſſe, ſaltem de die, & alia Prælaturæ officia exercere. Nam tunc deeſſet ſaltem vna ex conditionibus neceſſariò requiſitis ad illum inhabitandum ratione valetudinis, nimirum inhabilitas aſſiſtendi choro de die.

20 Et aduerte, quòd hæc doctrina eſt multum conformis Regulæ noſtræ quæ præcipit in Correct. nu. 56. vt infirmi benignè ſupportentur, & tolerentur per aliquorum menſium ſpacium in infirmaria degere. Deinde non præcipit Regula, vt Superiores ſe omnino conforment communitati, ſed ſolùm iuxta poſſe, vt patet ex Regula, nu. 39. ideſt, iuxta exigentiam complexionis propriæ, & negotiorum, ſeu, vt declaratur in Correctorio, n. 65. quòd notabili ſingularitate, tam in victu, quàm in veſtitu, abſq; legitima cauſa non vtantur. Vnde contrafacit Regulæ Prælatus, qui ſanus in refectorio delicatiùs multùm, vel abundantiùs notabiliter comedit. Et ſimiliter qui infirmus, ſi infirmitas non poſtulet. Sed ſi Prælatus infirmus comedat ea, & aliquid plus, quæ alij infirmi, etiã ſi hec infirmitas duret per triennium, non facit contra Regulã in hoc puncto, ſed maximè iuxta illam operatur. Eſt etiam conformis hæc doctrina conſt. 10. Vrbani VIII. nu. 53. quam habes tom. 2. noſtr. priuil. in qua dicitur, quòd *ad Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint, & conſueuerint regulas ordinis, & conſtitutione obſeruare.* Nota illam particulam, *præcipuè*; nam ſolùm importat maiorem aliquam rationem, non autem importat aliquam excluſionem, vt ait Barboſa de dict. dict. 74. num. 2. Vnde licet debeant eligi, qui poſſunt, &c. ſi tamen aliqui eligantur, qui non omnia, ſed poſſint aliqua ſeruare iſtorum, electio ſuſtinetur.

21 Demum aduerte, quòd illud ſtatutum Valentinum, quomodocunque intelligatur, non debet tamen intelligi de viris benemeritis, & qui pro Religione laborando in infirmitates inciderunt, modò tamẽ quoad alia ſint idonei. Tum quòd in Regula nullum apparet veſtigium talis priuationis vocis paſſiuæ, imò contrarium colligitur ex dictis num. præced. Tum quia priuare viros benemeritos voce paſſiua ob infirmitatem receptam laborando pro Religione, barbarum, & inhumanum eſt, cum omnes nationes quantumuis barbaræ, & a politico viuendi modo alienæ, de ſe ipſis benemeritos recognoſcant, & poſtquam ad infirmitatem, ſeu ſenectutem deuenerunt, nutriant, alant, & honorent, quantum eorum vires patiuntur. Tum quòd iſti, licèt in præſentiarum non poſſint omnino eſſe conformes in laboribus ſubditorum, quæ eſt ratio illius ſtatuti, fuerunt tamen aliquando maximè illis conformes, imò & eos in multis ſuperauerunt; qui enim ſunt de Religione benemeriti, ideo tales ſunt quia pro Religione plus cœteris fecerunt; & laborauerunt; vnde licèt non ſint conformes in viribus corporeis, ſunt tamen maximè conformes in affectu, & diligentia, quæ iſtis ſufficere debet. Tum quòd iſti non excluduntur in conſtit. cit. Vrbani VIII. in qua ſolùm dicitur, quòd præcipuè eligantur ad dignitates, qui poſſint, & conſueuerint regulas ſeruare. Vnde, cum iſti conſueuerint, vt ſuppono, licèt modò non poſſint omnes, cum tamen poſſint aliquas, ſuſtineri debent. Tum denique quia Religio non viribus corporeis regitur, ſed viribus intellectus. Vnde ſemper melius regit vir prudens, & benemeritus, licèt carnibus egens præ infirmitate, quam ſanus, qui minus prudens ſit. Et tolerabilius eſt in Prælato, quòd præ infirmitate non poſſint aliquam conſtitutionem ſeruare, quam quod per imprudentiam, ſeu malitiam ſubditos vexet, & affligat. Et ita obſeruari video in Religione, & Superiores ita declarare, cum mouetur ſuper hoc caſu quæſtio.

22 Quæres etiam, an Medicus poſſit dare licentiam Superiori, vel alteri, in locis præſertim diſtantibus, vbi facilis præſentia Medici haberi non poteſt, vt poſſit licentiare Fratres ad comedẽdas carnes; R. non poſſe: Nam in hoc videtur electa induſtria perſonæ; vnde non poteſt hæc facultas alteri demandari, vt probat Barboſa in cap. Quoniam, de offic. Legat. nu. 3. Et aduerte, quòd quando dicitur in Regula num. 26. quòd infirmus *de Medici conſilio deducatur ad infirmariam exteriorem, & inibi de Correctoris iuſsione illi prouideatur de omnibus cibarijs pro ſanitate celerius reſtauranda.* Per conſilium ibi, intelligo conſenſum, ita vt abſque conſilio, & conſenſu dicti Medici non poſſit Superior quemquam ad infirmariam ordinariè mittere. Et aduerte etiam, quòd illud conſilium, ſeu conſenſum tenetur Superior ſequi, nec poteſt ab eo reſilire, cum illius non ſit iudicare, an infirmus egeat, necne. Puto tamen, quod circa nouitios poſſet Medicus facere facultatem alicui perito in arte, vt eos licentiaret in caſu infirmitatis ad comedendas carnes, cum iſti nondum votum vitæ quadrageſimalis emiſerint. Aduerte etiam quòd Medicus, qui poteſt hoc conſilium dare, debet eſſe Medicus ordinarius Conuentùs, nec ſufficit quilibet Medicus; analogo enim abſolutè ſumptum ſumitur pro famoſiori analogato, vt colligitur ex l. vltima, C. de his, qui veniam ætatis; & dicit Caſtrus Palaus tom. 1. op. moral. tract. 3. diſp. 5. §. 3. nu 7. Aduerte etiam, quòd iſte conſenſus, ſeu conſilium non eſt obtinendum ab infirmo abſq; licentia Superioris obtenta, alioquin non valet: vt iuxta laudabilem Religionis conſuetudinem, & innuit Regula loc. cit. ibi, *De Correctoris iuſsione.* Aduerte deniq; quòd ſi aliquis Medicus fieret Religioſus poſſet illi Medicus ordinarius Conuentus facere facultatẽ, vt in aliquibus caſibus licentiaret aliquos ad comedendas carnes. Nã tunc id non cẽſeretur ille facere tanquam priuatus Religioſus, ſed tãquam Medicus ſubſtitutus à Medico ordinario pro ſui abſentia. Quod non videtur contra mentem B. Patris.

23 Tandem vero pro huius capitis coronide, atque vt pateat, quànti ſemper fecerit noſtra Religio votum hoc, quod gemma illius & iubar eſt quàmque illud tueri ſtudeat, & conſtanter obſeruare, afferre lubet id, quod in Tridentino Concilio audiui contigiſſe. Nobilis ſiquidem, ac illuſtriſſimæ familiæ ciuis Neapolitanus D.Paulus Podericus, noſtri Ordinis deuotiſſimus, maxima erga nos miſeratione commotus, quòd tam auſteram in voto quadrageſimali vitam ageremus, conuenit ſecretò, nullo è noſtris id ſciente, vel cogitante, Eminentiſſ. Cardinalem Hieronymum Seripandum Neapolitanum, Concilij Tridentini Legatum Apoſtolicum, ex Ordine Eremitarum S.Auguſtini aſſumptum, eumque obnixè rogans compulit, & coegit, vt Patres omnes Concilij adiret ſigillatim, atque exinde coram toto Concilio proponeret de Ordinibus Carthuſienſium, & Minimorum ad mitiorem vitæ, abſtinentiæque rationem redigendis, ſtatuendo ſcilicet, vt Carthuſienſes ægritudinis tempore carnibus veſcerentur, ſicut Minimi; Minimi verò cum valent oua, ac lacticinia, quemadmodum Cartuſienſes, comederent. Re ipſa egit Cardinali, quod pollicitus fuerat, & coram tota Synodo negotium huiuſmodi propoſuit, Aſſurgens tunc Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. D.F.Gaſpar de Foſſo, noſtri Ordinis bis generalis, & Archiepiſcopus Rhegynus vir ſanctiſſimus, Patres omnes maiori, quo potuit, ſtudio exorauit ne rem hanc aggrederentur, ac decernerent, qua præcipuus totius Religionis ſplendor offunderetur; illudque addidit, ſanctiſſimi nimirum Patriarchæ noſtri Franciſci de Paula intentionem fuiſſe, vt votum eiuſmodi in ſua, quàm diuino afflatus ſpiritu dedit, Regula ſeriò præſcriptum, ab alumnis ſuis imposterum ad vnguem obſeruaretur. Eiuſdem Archiepiſcopi ſupplicationibus Patres morem gerentes, nil circa votum eiuſmodi, Deo ſic diſponente, cenſuerunt ſtatuendum. Ita mihi retulit inſignis Ordinis noſtri Theologus Adm.R.F. Ignatius à Neapoli Collega Generalis preteritus; quòd ſe olim à Reuerendiſſ.P.F.Valentino de Maſſa ex Prouincia Neapolis, & Religionis olim Generali, aſſeruit accepiſſe. Hac etiam quadrageſimali abſtinentia conterriti duo Summi Pontifices, ſi Religio vel minimum quid circa voti illius moderationem ſignificaſſet, libenter annuiſſent, ac diſpenſaſſent. Aduentante enim die Paſchæ, aulicus quidam Gregorio XIII. dixit, Pauperes Fratres Minimi, Beatiſſ. Pater, ſuam proſequentur quadrageſimalem abſtinentiam. Cui Pontifex vt audiui, Paſcha, inquit, nobiſcum & ipſi celebrabunt, atque ita paſchales cibos ad SS.Trinitatis Conuentum miſit, vt eis veſcerentur noſtri Religioſi, quos tamen, gratias agendo, conſtantiſſimè remiſerunt. Paulus verò V. à quodam rogatus vt cum Minimis ſuper vita quadrageſimali diſpenſaret, reſpondit, Ipſorum eſt nobis hoc innuere. Ita Romæ audiui. Et hæc ad Dei O. M. laudem, Virginiſque Deiparæ, Beatiq; P.Franciſci de Paula ſint dicta.

F I N I S.

Digitized by Google

CONSTITVTIONES

Sanctiſſimi Domini Noſtri

VRBANI PP. VIII.

ET SACRÆ CONGREGATIONIS DECRETA

Nouiſſimè huic Operi addita.

AMICO LECTORI

Fr. Angelus Vigus Minimus. S.

ACcinctum iam me ad ſecundam huius Priuilegiorum voluminis editionem, Romam meæ Genuenſis Prouinciæ negotia ſemel, & iterum proficiſci compulere. Et hæc potiſſima dilationis cauſa. Hanc tamen profectionem meam tibi prodeſſe cupiens Sanctiſs. D. N. Vrbani VIII. Conſtitutiones, & Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium Declarationes à multis retro annis, præſertim poſt huius operis editionem, pro Regularibus emanatas ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ habere curaui. Ex illis quæ huic operi magis videbantur congruere, eas hic tibi exhibeo prorſus fideliter, & prout in eadem Typographia impreſſæ ſunt, in ſubiunctis §§. locis dumtaxat Commentariorum P. Peyrinis, ad quos conducere exiſtimabam, indicatis. Nam commentationes proprias, vel alienas apponere Humano capiti fuerit ceruicem equinam iungere. Laborem hunc qualemcũq; meum in tui gratiam ſuſceptum, Lector humaniſſime, boni conſule, & vale.

CONSTITVTIO PRIMA.

Electo in Epiſcopum Guardien. Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D. Raphaele Pizzurno Ordinis Minimorum Correctore Generali, deputat Generalem Reuerendiſſ. P. F. Ioannem Baptiſtam Ronca.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Ioanni Baptiſtæ Ronca Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Franeiſci de Paula Profeſſori ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. 1. *CVm Eccleſia Guardieñ certo quem præſentibus haberi volumus pro expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtituta exiſtat, Nos ad illam Dilectum filium Raphaelem Pizzurnum Correctorem generalem Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Franciſci de Paula deſtinauimus, qui vti ad Eccleſiam huiuſmodi electus examini coram Nobis ſe ſubiecit, & approbatus fuit, Ne autem interim Ordo prædictus ob dilationem promotionis dicti Raphaelis ad Eccleſiam prædictam, aliquam in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta patiatur, officium Correctoris Generalis huiuſmodi per deſtinationem, ſeu electionem prædictam vacauiſſe, & vacare harũ ſerie decernimus, ac de tua prudentia, fide, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confiſi; Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaq. deliberatione noſtris, deq. Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine. Te Correctorem Generalem dicti Ordinis vſque ad nouam electionem Correctoris generalis in Capitulo generali iuxta ſtatuta, & Ordinationes eiuſdem Ordinis Apoſtolica auctoritate confirmata faciendam, cum poteſtate vniuerſum dictum Ordinem, regendi, moderandi, gubernandi, & alijs facultatibus, necnon omnibus, & ſingulis priuilegijs, honoribus, præeminentijs, & prærogatiuis, quibus alij, qui pro tempore fuerunt eiuſdem Ordinis Fratrum Minimorum Correctores generales vti, frui, & gaudere conſueuerunt teñ præſentium creamus, conſtituimus & deputamus.*

Elegit in Correctorem Generalem R. P. Io. Baptiſtam Ronca.

§. 2. *Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ illi, & illis, ad quos ſpectat, vt ſigilla Religionis Tibi ſtatim conſignent ſub pœna excommunicationis maioris eo ipſo incurreñ, ac ſub arbitrij noſtris pœnis. Omnibus & ſingulis Correctoribus, & alijs quocunque nomine nuncupatis dicti Ordinis Superioribus, & Fratribus, vt tibi in omnibus, quæ eis ordinanda, mandanda, & per eos exequeñ duxeris humiliter pareant & obediant, Tuaq. ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant reuerenter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam ſiue pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari.*

Mandat Sigilla religionis ei conſignanda, & ab omnibus illi obedientiam exhibere.

§. 3. *Non obſtañ Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & Fratribus ſub quibuſcunque teñ, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium teñ præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xxi. Martij M DC XXXIX. Pontificatus Noſtri anno Decimo ſexto.*

Derogat contrarijs.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO II.

Celebrationem Capituli Generalis Ordinis Minimorum, & Reuerendiſſ. Patris Io: Baptiſtæ Ronca munus Correctoris Generalis prorogat ad triennium.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

PAterna quam de viris religioſis, qui ſpretis mundi illecebris Deo ſub arctioris obſeruantiæ diſciplina ſe dedicarunt, cura, gerimus, facit, vt eorum commodis, & felici gubernio quantum cum Domino poſſumus conſulamus. Procœmiũ.

§. 1. *Cum itaque ob præſentes bellorum in Europa motus, Fratribus vocalibus Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula valde difficile foret pro celebrando in proxime futuro Pentecoſtes feſto iuxta regularia dicti Ordinis inſtituta generali Capitulo, conuenire, propterea Nos his, & alijs iuſtis cauſis adducti, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine celebrationem Capituli generalis huiuſmodi ad triennium à dicto proximè futuro Pentecoſtes feſto computandum, necnon* dilecto filio Ioanni Baptiſtæ Ronca Correctori generali dicti Ordinis, qui illum hactenus ſumma cum laude: & fructu gubernauit, *munus Correctoris generalis huiuſmodi, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritatibus, prærogatiuis, præeminentijs, honoribus, oneribus, gratijs, & indultis, quibus ratione muneris præfati hactenus vſus, & gauiſus fuit, ſeu vti, & gaudere potuit, ad triennium præfatum tenore præſentium prorogamus.*

Motiua.

Prorogat Generalem ad triennium.

§. 2.

Digitized by Google

Ita iudicari mandat cum decreto irritante. §. 2. *Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, ac dicto Ioanni Baptiſtæ pleniſſimè ſuffragari, ſicque per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ac quoſuis alios ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritumque, & inane ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Derogat contrarijs. §. 3. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, regulis, conſtitutionibus, vſibus, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.*

Tranſumptis fides adhibenda. §. 4. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus vbique fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die decimaquarta Nouembris Milleſimo ſexceenteſimo quadrageſimo, Pontificatus Noſtri anno decimo octauo.*

M. A. Maraldus.

§.

Cicero illud non ſemel vſurpat, quod Hector apud Næuium ait, Lætus ſum laudari me abs te, pater laudato viro. *Ea eſt enim profectò iucunda laus, quæ ab ijs proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt.* Quam igitur iucunda, & ſimul ſolida laus eſt, quæ proficiſcitur à Pontifice Maximo, nedum laudato viro, ſed laudis, ac poteſtatis ſimul in Orbe ſummo faſtigio?

CONSTITVTIO III.

Prorogat officia Collegarum Generalium Ordinis Minimorum RR. PP. FF. Franciſco Giurba, & Petro Guerret.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmiũ. *CVm Nos nuper celebrationem Capituli generalis Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, quæ in proximè futuro Pentecoſtes Feſto fieri debebat ad triennium à feſto huiuſmodi computandum, ac dilecto filio Ioanni Baptiſtæ Ronca Correctori generali eiuſdem Ordinis munus Correctoris generalis huiuſmodi ad idem triennium prorogauerimus, prout in noſtris in ſimili forma Breuis deſuper expeditis literis, quarum tenore præſentibus pro expreſſis haberi volumus vberius continetur.*

§. 1. *Hinc eſt quod Nos dilectos filios Franciſcum Giurba Collegam Italum, ac Petrum Guerret Fratres expreſsè profeſſos Ordinis huiuſmodi Collegam Gallum eiuſdem Ioannis Baptiſtæ Generalis, qui vt accepimus muneribus Collegarum huiuſmodi laudabiliter hactenus functi ſunt, & quos ſperamus illa de cætero non minus ex animi noſtri ſententia, quam e re dicti Ordinis adminiſtraturos ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, eoſque à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie habentes, & abſolutas fore cenſentes, eiſdem Franciſco Itali, & Petro Galli Collegarum Ioannis Baptiſtæ Correctoris generalis prædicti Officia vſque ad nouam electionem Collegarum huiuſmodi in dicto Capitulo generali faciendam cum omnibus, & ſingulis priuilegijs, honoribus, oneribus, & prærogatiuis, quibus ratione Officiorum huiuſmodi hactenus gauiſi ſunt, & gaudere potuerunt, ſeu debuerunt reſpectiuè Apoſtolica auctoritate tenore præſentium prorogamus.* Prorogat ad triennium Collegas Generalis.

§. 2. *Mandantes propterea eidem Ioanni Baptiſtæ Correctori generali, vt eoſdem Franciſcum, & Petrum in ſuis Collegarum huiuſmodi reſpectiuè officijs continuare permittat, cæteris verò eiuſdem Ordinis Fratribus, vt illos pro eiuſdem Ioannis Baptiſtæ Correctoris Italo, & Gallo reſpectiuè Collegis habeant, & recognoſcant, illiſque vti talibus pareant, faueant, & aſſiſtant.* Mandat recipi, & obediri.

§. 3. *Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictiſque Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 18. Aprilis MDCXXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo octauo.* Contrarijs derogat.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO IV.

Reuerendo P. Petro Vaſquez in officio Collegatus continuare nolente, eligit in Collegam Generalem Hiſpanum R. P. Paulum Torreno e Prouincia Hiſpalenſi: quem Religionis zelus, vita, ac morum honeſtas, ſingulariſque Doctrina, ad hunc Collegatus gradum vocarunt.

VRBA-

Digitized by Google

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Paulo Torreno Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula Profeſſori, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Proœmiũ. *RE ligionis zelus, vitæ, & morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio Nos inducunt, vt Tibi reddamur ad gratiam liberales. Nuper ſiquidem celebrationem Capituli generalis Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, quæ in proximè futuro Pentecoſtes Feſto fieri debebat ad triennium à feſto huiuſmodi computandum, ac dilecto filio Io. Baptiſtæ Roncæ Correctori generali eiuſdem Ordinis munus Correctoris generalis huiuſmodi ad idem triennium prorogauimus; prout in noſtris in ſimili formæ Breuis deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.*

Deputat Collegam Generalem Hiſpanũ. §. 1. *Cum autem ſicut accepimus dilectus filius Petrus Vaſquez Ordinis prædicti Profeſſor, & Collega Hiſpanus dicti Io. Baptiſtæ Correctoris generalis iuſtis ex cauſis animum ſuum mouentibus in officio Collegæ huiuſmodi continuare nolit. Idcirco Nos ſperantes te officium Collegæ Hiſpani huiuſmodi ſi ad illud aſſumaris ex animi noſtri ſententia ac è re dicti Ordinis adminiſtraturum, Teque ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, & a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq. Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes. Te Collegam Hiſpanum dicti Io. Baptiſtæ Correctoris generalis in locum eiuſdem Petri vſque ad electionem alterius Collegæ huiuſmodi in dicto Capitulo generali faciendam cum omnibus, & ſingulis priuilegiis, honoribus, oneribus, & prærogatiuis, quibus dictus Petrus, & alij, qui pro tempore fuerunt Collegæ Hiſpani Correctorum generalium Ordinis huiuſmodi vti frui, & gaudere conſueuerunt, & debuerunt Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus.*

Mandat re cipi, & obe dire. §. 2. *Mandantes propterea eidem Io. Baptiſtæ Correctori generali vt Te in ſuum Collegam Hiſpanum recipiat, & admittat, cæteris verò fratribus eiuſdem Ordinis, vt te pro Collega Hiſpano ipſius Io. Baptiſtæ Correctoris generalis huiuſmodi habeant, & agnoſcant, Tibique vti tali faueant, obediant, & aſſiſtant.*

Derogat contrariis. §. 3. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictiſque Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunq. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xviij. Aprilis MDC XXXXI. Pontificatus noſtri Anno Decimo Octauo.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO V.

Prorogat Zeloſatum, ſeu officium Procuratoris Generalis Ordinis Minimorum Reuerendo Admodum P. Fratri Laurentio de Spezano.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto filio Laurentio de Spezano Procuratori Generali Fratrum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RE ligionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia, probitatis, & virtutum merita; ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio. Nos inducunt, vt tibi reddamur ad gratiam liberales. Aliàs ſiquidem te Procuratorem generalem Zeloſum nuncupatum Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, in Officio Procuratoris generalis huiuſmodi, vſque ad nouam electionem Procuratoris generalis dicti Ordinis in Capitulo generali iuxta ipſius Ordinis Statuta, & ordinationes Apoſtolica authoritate confirmata faciendam confirmauimus prout in noſtris deſuper in ſimili forma Breuis expeditis literis, quarum tenore præſentibus, pro expreſſis haberi volumus, vberius continetur. Proœmiũ.

§. 1. *Cum autem Nos nuper celebrationem dicti Capituli generalis, quæ iuxta ſtatuta, & ordinationes huiuſmodi in proximè futuro Pentecoſtes feſto facienda erat, ad triennium à feſto huiuſmodi computañ, & Dilecto filio Ioanni Baptiſtæ Ronchæ Correctori generali dicti Ordinis officium Correctoris generalis huiuſmodi, ad idem triennium prorogauerimus. Hinc eſt quod Nos ſperantes Te munus Procuratoris generalis huiuſmodi, ex animi noſtri ſententia, & è re dicti Ordinis; prout hactenus exercuiſti, etiam de cætero exerciturum; Teque ſpecialis fauore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis; ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum præſentium dumtaxat conſequeñ, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes; ac primo dictas noſtras literas ad cautelam confirmantes. Tibi officium Procuratoris generalis huiuſmodi, cum auctoritate, facultatibus, honoribus, oneribus, priuilegiis, gratiis, & indultis, quibus Procuratores generales huiuſmodi, quomodolibet vti, potiri, & gaudere conſueuerunt; vſque ad nouam electionem Procuratoris generalis in Capitulo generali prædicto, faciendam, Apoſtolica authoritate tenore præſentium prorogamus.* Pro rogat Zeloſũ ad triennium.

§. 2. *Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, & aliis arbitrij noſtri pœnis, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus quomodolibet nuncupatis, & aliis quibuſuis,* Mandat re cipi, & obe dire.

ad

Digitized by Google

ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit; Vt te in officio Procuratoris generalis huiuſmodi omnis, & quacunque contradictione ceſſante, iuxta tenorem præſentium continuare permittant; ac in omnibus ad d. Procuratoris generalis officium ſpectantibus tibi reſpectiuè faueant, pareant, & aſſiſtant; Tuaque ſalubria monita ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent.

Contrarijs derogat. *§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate, roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & fratribus, ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs; aliſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium, præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus; cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xviij. Aprilis MDCXLI. Pontificatus noſtri Anno Decimo octauo.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO VI.

Concedit moderno Correctori generali, ac cæteris in perpetuum futuris Correctoribus Generalibus Ordinis Minimorum, vt poſt expletum Correctoris generalis officium votum conſultiuum, deciſiuum, & electiuum in omnibus capitulis Generalibus, Prouincialibus, & Intermedijs habere, necnon aliquem Conuentum, à quo non poſſint amoueri, ac vnum Fratrem Ordinis præfati oblatum, ſiue laicum arbitrio ſuo in ſuum ſocium eligere liberè poſſint, & licitè valeant.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiū. *CVm rationi conſentaneum eſſe cenſeamus, vt ij, qui ſupremi regularium Ordinum Gubernatores extitere, poſt expleta eorum officia dignitatis, quam geſſerunt, & laborum, quos exantlarunt, aliquibus ſuper cæteros eorundem Ordinum Profeſſores, præeminentijs, & prærogatiuis decorentur, & gaudeant; ne vilipendantur, & ab illis quibus ob rectè adminiſtratam Iuſtitiam minus quandoque ſatisfecerunt, malè tractentur.*

Concedit prout in ſūmario. *§. 1. Idcirco Dilectum filium modernum Correctorē Generalem Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, de Religionis zelo, vitæ munditia, & morum probitate, aliſq; virtutum meritis apud nos fide dignorum teſtimonio commendatū ſpetialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum foro cenſentes eidem moderno Correctori generali, ac cæteris in perpetuum futuris poſt eum eiuſdem ordinis Correctoribus Generalibus, vt poſt expletum eorum Correctoris generalis huiuſmodi reſpectiuè officium, quoad vixerint, votum conſultiuum deciſiuum, & electiuum in omnibus capitulis generalibus, Prouincialibus, & intermedijs dicti ordinis habere, nec non aliquam ex domibus regularibus eiuſdem Ordinis, in quam ſe recipiant, & in ea commorentur, & à qua amoueri nequeant, ac vnum fratrem Ordinis præfacti laicum, ſiue oblatum, moribus, & vita probatum arbitrio ſuo, ex quacunq; ipſius ordinis Prouincia in ſuū ſocium quo à nemine, quacunq. auctoritate fungente priuari poſſint, eligere liberè, & licitè valeāt apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ſicq; & nō aliter in præmiſſis per quoſcunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiā cauſarū Palatij Apoſtolici auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquā quauis auctoritate ſciēter, vel ignoranter cōtigerit attētari decernimus.*

§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis Regulis, ac etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq; Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 30. Maij 1642. Pontificatus noſtri 19. Contrarijs derogat.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO VII.

Confirmat decretum emanatum in fauorem Fratrum Laicorum Ordinis Minimorum, quod ipſi vnà cum Sacerdotibus poſſint ſuffragium ferre pro acceptatione ad profeſſionem Nouitiorum: Sancta Obedientia præceptoijs, ad quos ſpectat, & inſuper priuationis tum vocis actiuæ, & paſſiuæ, tum offitiorum ſuorum, ac perpetuò inhabilitatis ad illa pœnis appoſitis pro huiuſmodi Decreti obſeruantia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filij Fratres Laici, ſeu Conuerſi Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, quòd licet ipſi, Supplicatio.

etiam

Digitized by Google

etiam ab ipſo dicti Ordinis primordio, in pacifica ſemper poſſeſſione fuerint, nonnullis functionibus, & actibus capitularibus intereſſendi, præſertim verò in Capitulis, quæ pro Nouitiorum acceptatione, & ad profeſſionem regularem admiſſione fiunt, votum, ſiue ſuffragium ad inſtar aliorum Ordinis huiuſmodi vocalium, & Sacerdotum ferendi.

Referunt Statutum Cap. Gen. Maſſil. 2. n. 34. vide cor rect. 71. ca. ex eo, de elect. in 6.

§. 1. De anno tamen 1635. in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis in Ciuitate Maſſilieñ celebrato, Superiores, & alij vocales Sacerdotes prædicti, eoſdem Laicos, ſeu Conuerſos, ſuis huiuſmodi iure, & poſſeſſione priuare tentarunt, & deſuper inter alia per eos in eodem Capitulo Generali condita Conſtitutiones, & Statuta ſequens Decretum eorumdem Conſtitutionum, & Statutorum numero 34. ediderunt, videlicet. Nouitiorum acceptatio ad profeſſionem fiat per ſecreta ſuffragia, ſecus ſuo priuentur officio Superiores. In paritate autem vocum ſtetur Informatori. Ad quam acceptationem Clerici non habeant votum, niſi ſint in ſacris ordinibus conſtituti: Laici verò nequaquam, ſicut neque in alijs rebus ſpiritualibus.

Hic Pontifex alias cõfirmauit Statuta d. Cap. non tamen circa diſmembrationem Conuentus Orbitelli, & Laicorũ votum in acceptatione Nouitiorũ.

§. 2. Poſtmodum verò petita nomine Correctoris Generalis Ordinis huiuſmodi à Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, negotijs Regularium præpoſitis, eorundem Conſtitutionum, & Statutorum, præſertim quoad eam partem, qua diſponitur, quòd Laici, ſeu Conuerſi huiuſmodi in acceptatione Nouitiorum votum non habeant, confirmatione; licèt Nos de eorumdem Cardinalium conſilio Conſtitutiones, & Statuta huiuſmodi, exceptis tamen decimo Statuto circa diſmembrationem Conuentus Orbitelli, ac trigeſimoquarto circa Laicorum, ſeu Conuerſorum votum in acceptatione Nouitiorum, quæ omnino tolli, & aboleri voluimus, ita vt circa Conuentum prædictum, ac Laicorum votum in acceptatione Nouitiorum nihil omnino impoſterum eſſet, vel eſſe cenſeretur innouatum, ſed circa hæc, omnia remanere in ſtatu priſtino, Apoſtolica auctoritate confirmauerimus, aliaque fecerimus, vt in noſtris in ſimili forma Breuis deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus haberi volumus, vberiùs continetur.

Laici iterũ ſuper d. voto turbati recurrerũt ad Sacr. Congreg. quæ commiſit negotiũ Emin. D. Cardin. Protectori.

§. 3. Nihilominus tamen Sacerdotes, & alij Superiores locales Ordinis huiuſmodi, anno ſuperiori eoſdem Laicos, ſeu Conuerſos in ſuis huiuſmodi iure, & poſſeſſione de nouo turbare tentarunt. Vnde habito ab ipſis Exponentibus ad eoſdem Cardinales recurſu, præfati Cardinales inhærendo Decreto aliàs, vt præfertur, deſuper ab eis edito, audito priùs Procuratore Generali Ordinis huiuſmodi, Dilecto filio noſtro Antonio tituli Sanctorum Nerei, & Achillei presbytero Cardinali Sanctacrucio nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori commiſerunt, vt pro ſuo arbitrio, & prudentia in præmiſſis ſtatueret, & decerneret, quod pro debita eorumdem Exponentium ſatisfactione, & profitentium quiete in Domino conſpexiſſet ſalubriùs expedire.

Cardin. Protector declarat, vt in ſum. gl. in d. cap. ex eo.

§. 4. Qui Antonius Cardinalis in vim commiſſionis huiuſmodi, re maturè conſiderata, & audito eodem Correctore Generali, dixit, & declarauit licuiſſe, & licere dictis Fratribus Laicis, ſeu Conuerſis pro acceptatione, & admiſſione Nouitiorum ad profeſſionem ſuffragium ferre, ac vnà cum Sacerdotibus, & Superioribus Conuentuum, vbi dictas acceptationes, & admiſſiones fieri continget, votum præſtare: eoſq; propterea in eorum quaſi poſſeſſione fore, & eſſe manutenendos; & aliàs prout in eiuſdem Antonij Cardinali, Decreto deſuper emanato plenius continetur.

Confirmatur Decretũ Cardin. Protectoris, vt in ſum. & ſupplentur defectus.

§. 5. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, præfati Laici, ſeu Conuerſi, præmiſſa pro illorum validitate, & ſubſiſtentia firmioribus Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum, ſeu declarationem huiuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus. Ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.

Pœnæ contrafacientibus, & clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 7. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet in futurum ſpectabit, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon ſuorum officiorum priuationis, perpetuæque ad illa, & alia in poſterum obtinenda inhabilitatis, alijſq; arbitrij noſtris pœnis eo ipſo per contrafacientes abſq; vlla declaratione incurrendis, vt Decretum, ſeu declarationem huiuſmodi inuiolabiliter obſeruent, ac eoſdem Exponentes omnium, & ſingulorum in eiſdem Decreto, ſeu declaratione contentorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere ſinant, & faciant. Ac decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictiſq; Exponentibus in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 8. Sicq; per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæq; Sedis Nuncios, ac quoſuis alios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§. 9. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictis, & quibuſuis alijs d. Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis Statutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis eiuſdem Ordinis Superioribus,

ribus , Fratribus , & perſonis , ſub quibuſcumque verborum tenoribus , & formis , ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs , alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis , ac irritantibus , & alijs decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis , confirmatis , & innouatis . Quibus omnibus , & ſingulis , etiamſi de illis , eorumque totis tenoribus ſpecialis , ſpecifica , & expreſſa , ac de verbo ad verbum , non autem per clauſulas generales idem importantes , mentio , ſeu quæuis alia expreſſio habenda , aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret , illorum omnium , & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè , & ſufficienter expreſſis habentes , illis aliàs in ſuo robore permanſuris , ad effectum præmiſſum ſpecialiter , & expreſſè derogamus , cæteriſq; contrarijs quibuſcunque .

Tranſumptis fides adhibenda. §. 10. *Volumus autem , vt præſentium tranſumptis , etiam impreſſis , manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis , & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio , & extra adhibeatur , quæ præſentibus ipſis adhiberetur , ſi forent exhibitæ , vel oſtenſæ . Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris , die 22. Martij 1641. Pontificat. noſtri anno* 18. M. A. Maraldus .

CONSTITVTIO VIII.

VRBANVS VIII. PONTIFEX O. M.

In conſtitutionibus Vrbanis Fratrum Minorum Congreg. S. Franciſci à S. S. Anno Domini 1628. die 15. Maij editis , & confirmatis .

Excommunicat omnes , & ſingulos , qui vel dicunt Fratres conuentuales , viuentes iuxta Conſtitutiones Vrbanas non eſſe veros Regulæ S. Franciſci obſeruatores , vel dicunt , eoſdem viuentes iuxta Regulam declaratam , mitigatam , relaxatam à Summis Pontificibus non eſſe veros , ac germanos filios S. Franciſci , eiuſq; Sanctiſſimæ Regulæ Profeſſores , vt colligitur ex eiſdem Conſtitutionibus tit. 2. fol. 16. & infra per hæc verba .

Proœmiũ . §. 1. *Q Voniam Seraphica Regulæ Textus , his Conſtitutionibus iure præmiſſus , ex Originali , quod Aſſiſij in Sacro noſtræ Eccleſiæ Reliquiario pia veneratione ſeruatur , verbatim excerptus eſt , propterea ſi quis eum vllo vnquàm pacto immutare præſumpſerit , falſi pœnam ſtatim ſe ſubiturum ſciat . Prouideque ad tantum nefas vitandum , Miniſtris Prouincialibus , nec non Superioribus quibuſcumque , ad quos id negotij attinet , ſeu vllo vnquàm tempore ſpectabit , diſtrictè mandatur , firmiterque præcipitur , quatenus huius præſcripto cætera Regulæ exemplaria conformari quam diligentiſſimè curent .*

Excõmunicatos declarat aſſerentes minores Conuentuales non eſſe veros Regulæ S.Franciſci Obſeruatores. §. 2. *Ad eorum verò temeritatem coercendam , qui dicterijs , captioſiſque verbis ordinem inſequentes , Regulæ tranſgreſſores Conuentuales vocant , quòd non ad literam ſine Gloſa , ſed ad præſcriptum priuilegiorum , Apoſtolicarum vè Declarationum S. Franciſci inſtitutum obſeruent ; Monemus omnes , & ſingulos , quòd quiſquis , ſeù dictis , ſeu ſcriptis Fratres Minores Conuentuales , iuxtà has Conſtitutiones viuentes , non eſſe veros Regulæ Sancti Franciſci obſeruatores , auſus fuerit quoquomodo aſſerere , mox Apoſtolicæ Sedis excommunicationem ſe ſe incurrere ſciat .*

Ad quos pertineat Religionũ regulas declarare mitigare, & interpretare. §. 3. *Cum enim neminem aſtringere poſſit Sancti Franciſci Regula , niſi quia à Summis Pontificibus , & Apoſtolica Sede approbata , confirmata , & recepta , hanc ob rem ipſius Sanctiſſimæ Sedis arbitrio eſt , eam pro tempore ſic declarare , mitigare , interpretari , & quòd Fratres ſic declaratam firmiter , & fideliter obſeruantes , veri filij ſint , & Sancti Franciſci ſequaces , eiuſque ſanctiſſimæ Regulæ profeſſores , & ſeruatores ſtatuere ; Quare contra Conſtitutiones , & declarationes huiuſmodi , quidpiam attentare , ſine præſumere vnuſquiſque facilè intelliget , quàm temerarium ſit .*

§.

Facit ad notata ad Conſtitutionem Pyrrhi nu. 5. ad quos pertineat Religiones approbare .

CONSTITVTIO IX.

Confirmat decretum S. Congregationis , quod Laici profeſſi Capuccinorum , inter eundum , & ſedendum , & in publicis , & priuatis actionibus , ſemper , & vbique nouitijs Clericis , nondum profeſſis præcedere poſſint , & debeant .

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam .

Supplicatio. *N Vper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Narnienſis Vicarij Generalis , ac Franciſci Genuenſis Procuratoris generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum expoſitum fuit , quòd à Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negocijs Regularium Præpoſitis emanauit decretum tenore ſubſequentis , videlicet , Pater Frater Hieronymus Narnienſis Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum , ac Pater Frater Franciſcus Genuenſis eiuſdem Ordinis Procurator Generalis ſupplicant ſacræ Congregationi pro opportuna declaratione infraſcripti Dubij nuper ab aliquibus excitati , videlicet , An Laici profeſſi eiuſdem Religionis poſſint , ac debeant inter ſedendum , eundum , atque in omnibus locis , & in publicis , ac priuatis actionibus ſemper , & vbique præcedere Clericis nondum profeſſis .*

Ex Decreto Congr. Laici profeſſi Capuccinorum præcedere poſſunt vbique nouitios Clericos. §. 1. *Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Regularium præpoſita cenſuit , Laicos profeſſos vtique poſſe , ac debere Nouitijs etiam Clericis , nondum profeſſis , in omnibus locis , & actionibus , tàm publicis , quàm priuatis , vt ſupra , in dicta Religione præcedere .*

§. 2.

Digitized by Google

Dictum decretum cõfirmatur, & approbatur.

§. 2. *Cùm autem, Sicut eadem expoſitio ſubiungebat, Exponentes prædicti plurimum cupiant, Decretum præinſertum pro illius validitate, & ſubſiſtentia firmioribus Apoſtolicæ Noſtræ confirmationis robore communiri. Nos illos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant ad effectum præſentium dumtaxat conſequeñ harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Supplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes, illud, necnon præſentes litteras valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, inuiolabiliter obſeruari, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat quibuſcunque.

§. 3. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. volumus autem vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die vij. Maij MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Octauo.*

M. A. Maraldus.

§.

Roborat dicta in additamentis c. 2. ad Conſtitutionem Sixti IV. præſertim numer. 33. pag. 316. col. 2.

CONSTITVTIO X.

Declarat, & confirmat decreta edita circa proceſſus pro beatificatione, & canonizatione Sanctorum conficiendos.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CÆleſtis Hieruſalem Ciues, quorum Glorioſis Natalitijs, Sancta lætetur Mater Eccleſia, ſicut huius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ miniſterio à pijs vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Eccleſiæ, regimini diuina prouidentia præpoſitum, pro ſuo præcipuo, honoris Domus Dei zelo inuigilare; ne quid in perſonarum, cum ſanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defunctarum memoriam, ſiue cultum, inconſulta ſancta Sede prædicta innouetur.

§. 1. *Alias ſiquidem Nos ſolicitè animaduertentes abuſus, qui irrepſerant, & irrepere non ceſſabant in colendis quibuſdam cum ſanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti eſſent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in Oratorijs, atque in Eccleſijs, alijſq; locis publicis, atque etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, ſeu ſplendoribus proponebantur, miracula, & reuelationes, aliaque beneſitia à Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum, ab ipſis geſtarum enarrabantur, & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur.*

§. 2. *Volenteſque proinde huiuſmodi abuſibus pro debito officio paſtoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuerſa Republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus ab eadem Sede ſpecialiter deputatis communicata, & maturè conſiderata, ac diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio, ſub die 13. Martij 1625. declarauimus, ſtatuimus, & decreuimus nè quorumuis hominum cum ſanctitatis ſeu martirij fama (quantacunque illa eſſet) defunctorum imagines aliaque præfata, & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præſeferens, & indicans in Oratorijs, aut locis publicis, ſeu priuatis, vel Eccleſiis, tam ſæcularibus, quam Regularibus, cuiuſcunque Religionis, Ordinis, inſtituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, & (ſi quæ appoſita eſſent) amouerentur, prout eas ſtatim amoueri mandauimus: Ac pariter imprimi de cætero inhibuimus, libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, ſiue Martirij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauiſſent, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneſitia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoſcendis, Theologos, alioſq; pios, ac doctos viros in conſilium adhiberet; & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid noui, & inordinati in re tam graui committeretur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmitteret, eiuſque reſponſum expectaret; Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneſitia ſupradicta, quæ in libris horum hominum, vitam geſtaque continentibus eatenus ſine recognitione, atque approbatione huiuſmodi impreſſa erant, nullo modo approbata cenſeri voluimus, mandauimuſque. Ad horum hominum ſepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacunque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, ſeu affigi, & lampades, ſiue alia quæcunque lumina accendi, ſine recognitione ab Ordinario omnino, prout ſupra, facienda, ſediq. Apoſtolicæ referenda, ac probanda.*

§. 3.

Præiudicare non intendit, quos à longiſſimo tempore Apoſtolica Sedes, vel Ordinarij tollerarunt.

§. 3. *Declarantes quod per ſupraſcripta præiudicare in aliquo noluimus, neque intendimus ijs, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij celebrantur.*

Tabellas recipi, ac in loco extra Eccleſiam cuſtodiri mandat.

§. 4. *Cumque poſtea die 2. Octobris eiuſdem anni 1625. à quibuſdam reuocari in dubium accepiſſemus, an tabellas, & imagines, quas in poſterum offerri contingeret, recipere, & antea oblatas conſeruare liceret; Nos qui tantummodo voluimus occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam, ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam Diuinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare, re prius cum eiſdem Cardinalibus communicata de ſimili eorum conſilio declarauimus, quod ſicut nunquam prohibuimus, nec intentionis noſtræ fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum & imaginum huiuſmodi, itaut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, ſtatuimus, & decreuimus, vt quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locumue alium publicum ſæcularem, ſeù regularem tabellas, & imagines, aliudue ſimile quiſpiam deferret, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamuis cum Martirij, aut Sanctitatis fama, demortuorum optata ſe impetraniſſe diceret, liceret, Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumque prædictorum curæ præpoſitis, tabellas, & imagines, ſiue pictas, ſiue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia. Simul cum deferentis, aliorumque, qui conſcij fuiſſent atteſtationibus recipere, atque approbationibus Ordinarijs, ad quos referre ſtatim omnia tenerentur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidemque iam amota collocare, & aſſeruare, vt ſi quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, ſeu Canonizationis honore in terris decorare voluiſſet extarent huiuſmodi Sanctitatis qualeſcumque probationes Apoſtolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ.*

Inhibet formari proceſſus, formatoſque aperiri, niſi à ſpecialiter delegatis.

§. 5. *Demùm verò, vt eiuſmodi decreta obſeruarentur indubiè, ac omnimodam ſortirentur executionem, cum eiſdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem Conſilio præmiſſis addidimus, ſtatuimus, decreuimus, atque declarauimus, ne extunc deinceps quiſpiam Ordinariorum, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegatorum, ſuper alicuius, vtriuſque ſexus cum Sanctitatis, aut Martirij fama, vel opinione defuncti miraculis, reuelationibus, alijſque eiuſmodi Sanctitatem redolentes, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut proceſſum inſtrueret, vel hucuſq; receptas informationes, inſtructumue proceſſum vlterius proſequeretur, niſi poſtulator prius per legitimas iuridice ſuſceptas probationes, circa perſonam eius de cuius miraculis, reuelationibus, alijſue rebus geſtis Sanctitatem præſeferentibus, ageretur præſcriptam in præfato noſtro decreto formam omnino ſeruatam extitiſſe docuerit, & niſi poſtea ſucceſſiuè idem Ordinarius, aut ab Apoſtolica Sede ad hoc ſpecialiter delegatus diligenti prahabita diſquiſitione circa eandem perſonam, ſupracitato decreto nullatenus contrauentum eſſe, ritè pronunciauerit, vtique id inuiolabiliter obſeruetur, ſtatuimus inſuper, ac decreuimus ne tranſmiſſi ad Vrbem vndecunque huiuſmodi proceſſus à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minuſuè à ſanctæ fidei Promotore quomodolibet aperiantur, niſi prius in ipſa Sacrorum Rituum Congregatione, alio ſeiunctim oblato authentico proceſſu, ex eo Ordinarium, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegatum ritè, ac rectè vt præmittitur, cognouiſſe, ac pronunciaſſe prælibato decreto nequaquam contraitum eſſe plenè conſtiterit, ac deinde à Nobis iudicialiter aperiendi eos proceſſus facultas indulta fuiſſet.*

Declarat tempus ad Canonizationem neceſſarium eſſe 100. annorum.

§. 6. *Inſuper longiſſimum tempus, illiuſue immemorabilem curſum de quo in prædicto decreto, intelligi declarauimus eſſe tempus centum annorum metam excedens, deque his, atque infraſcriptis omnibus, quæ in his decretis diſpoſita, & ordinata ſunt, aliqua ſuboriente difficultate, Ordinarijs locorum, & delegatis Apoſtolicis quibuslibet omnem omnino, interpretandi facultatem ademimus, vtque Sedem Apoſtolicam deſuper conſulerent, ab eaque reſponſum expectarent, mandauimus eiſdem, & aliàs prout in decretis deſuper editis continetur.*

Mandat obſeruari prædicta & contrafacientibus pœnas apponit.

§. 7. *Quare inuiolabili decretorum prædictorum obſeruationi quantùm cum Domino poſſumus conſulere volentes Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, decreta prædicta, cum omnibus & ſingulis in eis contentis tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, omniaq; & ſingula decreta huiuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, obſeruari omnino præcipimus. ſub pœna nullitatis quarumcunque informationum, proceſſuum, ac interpretationis aliter, quàm præuia ſupraſcripta præcognitione inſtructorum, eorumq; admiſſionis, publicationis, ac interpretationis, itaut earumdem informationum receptiones, proceſſuumue inſtructiones, necnon eorum admiſſiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non inſtructis, non admiſſis, non publicatis, non interpretatis, eorumq; amplius ratio aliqua nullatenus alicubi vnquam haberi debeat.*

Clauſulæ præſeruatiuæ.

§. 8. *Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo quod quicunque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes ad præmiſſa vocati, & auditi, minuſque cauſæ propter quas eadem præſentes emanarint, adductę, verificatę, ſeu aliàs ſufficienter, aut etiam nullatenus iuſtificatę fuerint, nullo vnquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut inualiditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quouis defectu etiam quantumuis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſiue etiam ex eo quod in pręmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quęuis alia ſeruanda, & adimplenda, ſeruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quouis alio capite à iure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, aut quocunque alio colore etiam in corpore iuris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa, etiam quantumuis iuſta, rationabili,*

Digitized by Google

& priuilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra huiuſmodi, & alijs ſuperius expreſſis ſeu relatis nihil vllibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius vel controuerſiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduerſus illas reſtitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel iuſtitiæ, remedium impetrari, ſeu quomodolibet concedit, aut impetrato, vel conceſſo quempiam vti, ſeu ſe iuuare in iudicio, vel extra poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac per omnes, & ſingulos ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inuiolabiliter obſeruari.

Clauſula ſublata & decretum irritans.

§. 9. Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, & alios quouis auctoritate, & poteſtate fungentes in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat ordinarijs vt ſuper hoc inuigilent.

§. 10. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, necnon dilectis filijs noſtris & Apoſtolicæ Sedis Nuncijs, ac hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus vbilibet exiſtentibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt ſtatim atq; præſentes litteræ noſtræ ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam peruenerint, in ſua quiſque reſpectiuè diœceſi, vel prouincia ſedulò peruigilet, ne ſine approbationibus prædictis imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra ſuperius diſpoſita fiant, trangreſſores verò ſi regulares fuerint, priuationis ſuorum officiorum, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon ſuſpenſionis à diuinis, ſi verò Clerici ſæculares priuationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à diuinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, exequutioneque ſuorum ordinum reſpectiuè, alijſque arbitrio prædictorum Ordinariorum ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Libros imprimentibus, imagines pingentibus pœnas apponit.

§. 11. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo affixerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmiſſa qualitercunque delinquentes prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniarijs alijſque etiam corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem eorundem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, omni, & quacunque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis.

Derogat contrarijs & publicari mandat.

§. 12. Non obſtantibus quatenus opus ſit rec. me. Bonifacij Papę VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Vt autem præſentes, & in eis contenta quæcunque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, volumus pariter, & mandamus, quod eædem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ valuas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amouebuntur, earundem exempla in eiſdem locis affixa dimittantur, quæ ſic publicatæ, & affixæ poſt duos menſes à die publicationis computandos, omnes & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi vnicuique illorum perſonaliter intimata, & notificata fuiſſent.

Tranſumptis iubet fidem adhiberi.

§. 13. Quodque illarum tranſumptis impreſſis ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publicis ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die v. Iulij MDCXXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo.

M.A. Maraldus.

Anno Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto, Indictione ſecunda Pontificatus S. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papę VIII. die vero 5. Septemb. ſupradictę litterę, ſiue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Baſilicarum S. Ioannis in Laterano, & Principis Apoſtolorum Vrbis ac in acie Campi Florę, vt moris eſt per me Alexandrum Latinum prælibati S. D. N. Papę Curſ.

§.

Decretum datum 13. Martij 1625. & datum die 2. Octobris 1625. habentur in notis ad Conſtitutionem tertiam Leonis X. n. 1. vide Addi-tamenta cap. 4. num. 1. pag. 324. col. 1. Aliud decretum S. Congregationis rituum ſeruandum in recipiendis informationibus pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum Seruorum Dei, à Sanctitate ſua confirmatum habetur infra, & eſt ſextum in ordine inter decreta S. Congreg.

CONSTITVTIO XI.

Mandat vt inter fratres minores S. Franciſci reformatos nulli competat ius, præcedendi ſiue honoratioris loci niſi ſuperioribus actualibus, eorum tantum officio durante, & ijs, qui Miniſtri Generalis, vel Commiſſarij generalis Ciſmontanæ familiæ officio functi fuerint, qui immediate poſt ſuperiores actuales locum habeant.

VRBA-

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prœmiũ. *INter grauiſſimas, multipliceſque Apoſtolicæ ſeruitutis curas, in eam peculiari ſollicitudine incumbimus, vt Religioſi viri, qui obliti populum ſuum, & domum patris ſui, diuini Numinis obſequijs ſe manciparunt, vota ſua reddant Domino abundanter, in ſpiritu humilitatis, ac Sanctitate, & iuſtitiam coram ipſo.*

Declarat quibus cõpetat ius præcedendi. *§. 1. Hinc eſt, quod Nos fælici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, Reformatorum nuncupatorum, ſtatui quantùm cum Domino poſſumus conſulere volentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra harum ſerie ſtatuimus, atque præcipimus, & mandamus, quod de cætero inter eoſdem Fratres Minores S. Franciſci de Obſeruantia, Reformatos nuncupatos, nulli illorum ius præcedendi, ſiue honorationis loci competat, niſi Miniſtro, Commiſſario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Miniſtris Prouincialibus, Commiſſarijs, & Vicarijs Prouintialibus, ſi fuerint ex Reformatis, Cuſtodibus Reformationum, Commiſſarijs viſitatoribus, Guardianis, Præſidentibus, ſeu Commiſſarijs, & Vicarijs localibus, qui tamen, expletis eorum officijs, ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tam ij, qui iam habitum, per dictos Fratres Reformatos geſtari ſolitum, ſuſceperunt, & de cætero ſuſcipient, quàm ij, qui ſe à Fratribus de Obſeruantia ad Fratres Reformatos huiuſmodi canonicè tranſtulerunt, & transferent, exceptis tamen ijs, qui officio Miniſtri generalis, ſeu Commiſſarij generalis Ciſmontanæ familiæ functi ſunt, vel fungentur, qui poſt Superioris actuales immediatè locum habeant; Decernentes præſentes litteras ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat. *§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & alijs decretis in contrariũ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenor ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quauis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda, foret, illorum omnium, & ſingulorum tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Auguſti 1634. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.* M. A. Maraldus.

§.

Conducit ad notata in Additamentis cap. 2. n. 33. de præcedentia Religioſorum eiuſdem Ordinis, &c. pag. 316. col. 2.

CONSTITVTIO XII.

Prohibet ſub cenſuris, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis, Fratribus Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum ne viuant, ſeu maneant extra clauſtra locorum dicti Ordinis, abſque Sanctæ Sedis, & Superiorum eiuſdem Ordinis licentia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INiunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officium poſtulat, vt religioſorum quorumlibet fælici, proſperoque regimini, atque ſtatui iugiter conſulentes, ea libenter ſtatuamus, quæ ad regularis diſciplinæ obſeruantiam in dies magis promouendam pertinere dignoſcuntur. Prœmiũ.

§. 1. Cum itaque ſicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum nobis nuper exponi fecit, indecens admodum eſſe videatur, vt eiuſdem Ordinis fratres præſertim in partibus Indiarum extra domorum regularium clauſtra abſque ſuorum ſuperiorum licentia viuant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, vt ſuper præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Supplicatio.

§. 2. Nos igitur dicti Procuratoris Generalis votis quantùm cum Domino poſſumus, annuere, illumq; ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Ne de cætero dicti Ordinis fratres in partibus Indiarum exiſtentes extra Conuentuum, domorum, & aliorum dicti Ordinis locorum regularium clauſtra, abſque huius Sanctæ Sedis, & Superiorum eiuſdem Ordinis licentia viuant, ſeu maneant ſub cenſuris Eccleſiaſticis ac priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ pœnis per eoſdem fratres extra clauſtra huiuſmodi manentes, ſeu viuentes, vt præfertur, eo ipſo incurrendis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium prohibemus. Concedit prout in Sũmario.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Contrarijs derogat, & tranſumptis fidem adhiberi iubet.

perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Nouembris M. DC. XXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

§.

Concinnit Conſtitutioni Decimæ quintæ alias 25. Sanctitatis ſuæ, quæ habetur in Additamentis cap. 12. pag. 394. col. 2.

CONSTITVTIO XIII.

Declarat Clericos Regulares ſcholarum piarum non comprehendi in decretis generalibus editis à Clemente VIII. & à Sanctitate ſua confirmatis, quibus cæteri Clerici Regulares non comprehenduntur,

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ, *ROmanum decet Pontificem, ſi quæ circa conſtitutionum, ſeu decretorum Apoſtolicorum intelligentiam dubia oriuntur, declarationis ſuæ miniſterio de medio remouere.*

§. 1. Cum itaque, ſicut pro parte dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nobis expoſitum fuit, a nonnullis in dubium reuocetur, an dicti exponentes ſub decretis de Nouitijs nonniſi in certis monaſterijs, & locis à Sede Apoſtolica deſignatis recipiendis per fel. recor. Clem. PP. VIII. prædeceſſorem noſtrum editis, & à nobis confirmatis comprehendantur.

§. 2. Nos omnem in præmiſſis dubitandi materiam de medio tollere, Concedit pro vt in Summario. *dictoſque exponentes ſpiritualibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes. Supplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, dictos Clericos Regulares dictæ Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum non comprehendi in decretis præfatis dicti Clementis prædeceſſoris per nos approbatis, & innouatis, quemadmodum non comprehenduntur cæteri Clerici Regulares, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus.*

Decretum irritans, & *§. 3. Sicque obſeruari, & per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.* contrariorum derogatio. *Non obſtantibus præmiſſis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 17. Nouembris. 1634. Pontificatus noſtri anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

§.

Decreta de quibus hic fit mentio habentur ſupra in Conſtitutione X. Vrbani VIII. tom. 2.

CONSTITVTIO XIV.

Statuit quod Regulares, qui vltra vota ſolita etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate, per quamcumque eorum translationem, ſeu habitus priuationem aut dimiſſionem à voto huiuſmodi nullatenus liberantur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM, ſicut accepimus, diuerſorum Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum, ac etiam Societatis IESV perſonæ Regulares, vltra alia vota, etiam votum, promiſſionem, ſiue Iuramentum ſolemniter, ſiue ſimpliciter emittant, aut præſtent de non petenda, nec procuranda, minuſue acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua ſuperioritate extra eorum Religionem: Enarratio. *quoniam verò propter infirmitatem, ſeu aliam legitimam cauſam Sedes Apoſtolica aliquibus perſonis Regularibus licentiam aliquando impartitur, ſe de vna ad aliam Religionem, etiam ſpeciali nota, & expreſſione dignam, etiam laxioris obſeruantiæ transferendi, necnon aliqui etiam Religionum ſuprà expreſſarum, & cuiuslibet earum Generales, vel alij Superiores vigore, vt aſſerunt, facultatum ſibi per Sedem eamdem conceſſarum, translationem de vna ad aliam Religionem, aut ſtrictiorem, vel laxiorem Regularibus ſuis, ſiue per viam expulſionis, ſiue alio quouis modo concedunt, vel aliàs Regularibus ſuis huiuſmodi vt ſe transferant, occaſionem præbent, vel etiam ipſi Regulares ex aliquibus cauſis licentiam manendi extrà Clauſtra, etiam in habitu Clerici, vel Sacerdotis ſæcularis aliquando obtinere ſolent, ideò ne per præfatas, & quaſcumque alias translationes, expulſiones, & dimiſſiones habitus Regularis eorumdem Regularium, quauis authoritate, licentia, occaſione, ratione, & cauſa, quantumlibet rationabili, fauorabili, pia, & publica, etiam in corpore iuris clauſa, ſine ratione maioris boni, ac aliàs quomodolibet hactenus, & pro tempore factas, & faciendas, poſſint*

Regu-

Digitized by Google

Regulares huiuſmodi quandocumque, vt præfertur, tranſlati, expulſi, etiam poſt habitum Religionis dimiſſum prætendere ſe à dicto voto, promiſſione, ſiue iuramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, & de illam Motu proprio collatam non acceptando, fuiſſe, vel eſſe liberatos, quantum cum Domino poſſumus opportunè prouidere volentes, necnon voti, promiſſionis, ſeu Iuramenti, ac facultatum, licentiarum, expulſionum, & cauſarum, aliorumque etiam de neceſſitate exprimendorum veriores, & totos tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes.

Statuit pro vt in Summario. *§. 2. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, declaramus, & decernimus quoſcumque Regulares prædicto cuiuſuis Ordinis, Congregationis, & inſtituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis IESV, per quamcumque tranſlationem hactenus, & in poſterum quandocumque de ſua, ad aliam Religionem, vel Ordinem, vt præfertur, ſeu aliàs quomodolibet, etiam pluries, & per quamcumque expulſionem, habituſque Regularis dimiſſionem pro tempore factas, non eſſe, nec fore, minuſue dici, aut cenſeri poſſe, ſeu debere à præfato voto, promiſſione, ſeu Iuramento liberatos, ſed eos hactenus, & pro tempore, vt præfertur, tranſlatos, expulſos, ac à delatione habitus Regularis abſolutos, vel priuatos quarumcumque dignitatum huiuſmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia perinde ac ſi tranſlati, expulſi, ſeu à delatione habitus liberati, ſeu priuati non fuiſſent.*

Clauſulæ præſeruatiuæ. *§. 3. Præſentes verò literas, omniaq. & ſingula in eis contenta etiam ex eo quòd quicumquè in præmiſſis, ſeu eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, ad ea vocati, & auditi, minuſquè cauſæ propter quas eadem præſentes emanarint, adductæ, verificata, ſeu alias ſufficienter, aut etiam nullatenus iuſtificatæ fuerint, nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis ſeu nullitatis, aut inualiditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quouis defectu etiam quantumuis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſiue etiam ex eo, quòd in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quæuis alia ſeruanda, & adimplenda, ſeruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quouis alio Capite à Iure, vel facto, aut Statuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa etiam quantumuis iuſta, rationabili, & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuerſiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduerſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel conceſſo quempiam vti ſeu ſe iuuare in iudicio, vel extra poſſe, nequè ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet factis, & faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuòquè validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſquè plenarios, & integro effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inuiolabiliter obſeruari.*

§. 4. Sicquè, & non aliter in præmiſſis oneribus, & ſingulis, per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ac alios quauis auctoritate, & poteſtate fungentes, in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ita iudicari mandat.

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cancellariæ noſtræ Regulis, & quatenus opus fuerit, etiam illa de Iure quæſito non tollendos, ac cuiuſuis Ordinis, Congregationis, & inſtituti huiuſmodi, etiam Iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoquè, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſquè efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſquè, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie etiam motu ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis; etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumquè totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad prædictum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſquè contrarijs quibuſcumque. Contrariorum derogatio.

§. 6. Vt autem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, Volumus pariter, & mandamus, quod eadem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad Eccleſiæ Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ Valuas, ac in Acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum indè amouebuntur, earum exempla in eiſdem locis affixa dimittantur, quæ ſic publicatæ, & affixæ, omnes & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi vnicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent. Iubet has litteras publicari.

§. 7. Quodque illarum tranſumptis impreſſis ſigil-

Transumptis fidem adhibendam iubet. *lo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xxi. Maij MDCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.*

M. A. Maraldus.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, die verò vigeſima menſis Nouembris, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Bardum, & Iulium Marzitellum Sanctiſſ. D. N. PP. Curſ.

CONSTITVTIO XV.

Concedit licentiam Generali Ordinis Minorum Conuentualium ſupprimendi, & extinguendi Conuentus Pauperes.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecto Filio Miniſtro Generali Ordinis Minor. Conuent. S. Franciſci Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio. *CVm ſicut dilectus filius F. Blaſius à Cherſo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conuentualium nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, quod in eodem Ordine nonnulli parui Conuentus reperiantur, ac eis Fratrum numerus obſeruantiæ regulari ſufficiens nequaquam manuteneri poſſit, & propterea illos ſupprimi, eorumque res & bona, nec non onera eis incumbentia in maiores ipſius Ordinis Conuentus transferri poſſ: plurimum deſideret, Nobis idcirco humiliter ſupplicari fecit, vt ſibi de infradicta facultate prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Concedit prout in ſummario. *§. 1. Nos proſpero eiuſdem Ordinis illiuſque domorum ſtatui, regulariſque diſciplinæ incremento conſultum eſſe cupientes, ſupplicationibus eiuſdem F. Blaſii Procuratoris nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi paruos Conuentus prædictos illorumque ſtatum & eſſentiam regularem in eis auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuò ſupprimendi, & extinguendi, eorumque res & bona, ac onera quæcunque eis incumbentia in maiores eiuſdem Ordinis Conuentus etiam perpetuò transferendi facultatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur.*

Decretum irritans. *§. 2. Decernentes præſentes literas, & illarum vigore facientes ſuppreſſiones extinctiones & tranſlationes prædictas poſtquam factæ fuerint validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac maioribus Conuentibus huiuſmodi pleniſſimè in omnibus, & per omnia ſuffragari ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes iudicari & diffiniri debere, nec non irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quocumque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 3. Octobris M. DC. XXXV. Pontificatus Noſtri Anno Decimo tertio. Contrarijs derogat.

§.

Similis conceſſio facta eſt Generali noſtri Ordinis, & eſt Conſtitutio 14. alias 24. Sanctitatis ſuæ in additam. cap. 12. pag. 393. col. 1.

CONSTITVTIO XVI.

Confirmat Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quod nullus ex Fratribus eiuſdem Ordinis audeat tractare aliquod negotium per ſe, vel per alium in Romana Curia, niſi per Procuratorem Generalem Ordinis, vel de eius ſcitu.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Galaſſinus Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, quod licet per decreta Capitulorum generalium dicti Ordinis prohibeatur eiuſdem Ordinis Profeſſoribus ſub certis inibi expreſſis pœnis, ne per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio etiam prætextu procurationis vel commiſſionis ſibi datæ à propria Prouincia, vel domo Regulari, negotium aliquod, cuiuſcumque illud generis ſit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant niſi per pro tempore exiſtentem dicti Ordinis Procuratorem Generalem, vel de eius ſcitu, & expreſſa in ſcriptis licentia, & aliàs prout in dictis decretis latius continetur, tenore ſubſequent. videlicet. Supplicatio.

§. 1. Ex Actibus Capituli generalis Romæ 1612. Admonemus omnes ac ſingulos noſtri Ordinis Patres ac Fratres, cuiuſcumque gradus, ſtatus & conditionis exiſtant, eiſdemque iuſtis de cauſis, & ad tollenda, euitandaque incommoda multa quæ in dies oriri cognoſcimus, in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, & ſub formali præcepto, necnon ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, hac vna, pro trina Canonica monitione præmiſſa, à qua nonniſi per Magiſtrum Ordinis, vel eius Vicarium Generalem, præterquam in mortis articulo poſſint abſolui, & ſi Prælati fuerint, ſub pœna etiam abſolutionis à ſuis officijs ipſo facto incurrenda præcipimus & mandamus, ne in Romana Curia, negotium aliquod, cuiuſcumque illud generis ſit, per ſe, vel Referuntur Capitula Generalia Ord. Prædic. Romanum.

per

per alium, pro ſe, vel pro alio etiam prætextu procurationis, vel commiſſionis ſibi datæ à propria Prouincia vel Conuentu quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, niſi per prædictum admodum Reuerendum Patrem Procuratorem Ordinis, vel de eius ſcitu, & expreſſa licentia in ſcriptis; Reuocantes præſentium tenore omnes facultates, hactenus in contrarium datas, & ſi quas in poſterum his contrarias contingat. Ex actibus Capituli Generalis Bononiæ 1615. Confirmamus & renouamus ordinationem Romæ factam 1612. & ſub pœnis in eodem Capitulo taxatis, præcipimus omnibus & ſingulis noſtri Ordinis Patribus ac Fratribus, vt nemo ſiue per ſe, ſiue per alium, ſiue ſæcularis, ſiue noſtri Ordinis Frater fuerit, & cuiuſcumque gradus & conditionis exiſtat in Curia Romana quicquam ſine ſcitu Reuerendi admodum P. Procuratoris Ordinis tractare, vel procurare audeat.

Bononienſe.

Nullus ex ordine F. Prædicatorum poteſt agere negotium in Romana Curia inſcio P. Procuratore Ordinis prædicti.

§. 2. Nihilominus cum experientia compertum ſit, quod aut ſub prætextu ignorantiæ dictorum decretorum, aut quod illa non ſint in vſu, parum, aut nihil obſeruantur in graue dicti Ordinis præiudicium, necnon officij Procuratoris Generalis illius ſpretum; Idcirco ne prouiſio obſeruantiæ regularis adeo ſalutaris, & Ordini prædicto proficua, in deſuetudinem abeat, prædictus Franciſcus Procurator generalis, Nobis humiliter ſupplicari fecit, vt decreta huiuſmodi, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communire de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur dictum Franciſcum Procuratorem Generalem, ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; Decreta præinſerta cum omnibus & ſingulis in eis contentis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos tàm iuris quàm facti defectus ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes illa necnon præſentes literas, valida, firma, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obſeruari debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die iij. Decembris M. DC. XXXV. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

M. A. Maraldus.

§.

Facit ad robur ſimilium Decretorum, quæ pro noſtro Ordine Minimorum ſtatuta ſunt in Capit.Gen.I. num.5. & Paulæ numer. 24. de quibus in formulario Prælatorum littera Z.cap.2. num.4.

CONSTITVTIO XVII.

Confirmat decreta, & litteras à S. Congregatione Regularium negotijs præpoſita emanatas ſuper præcedentia inter Regulares diuerſarum Religionum.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. NVPER pro parte dilecti filij Blaſij à Cherſio Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conuentualium nuncupatorum, Nobis expoſitum fuit, quod dictus Ordo grauatur admodum litibus occaſione præcedentiæ cum alijs aliarum Religionum regularibus in proceſſionibus, ex quo etiam ſi aliàs à Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus negotijs Regularium præpoſitis diuerſis in præfata materia præcedentiæ litteris emanatis; vnam videlicet contra eiuſdem Ordinis de Obſeruantia nuncupatos Arben., aliam contra Seruorum B.M.Vir.Soanen., necnon duas litteras contra Prædicatorum reſpectiuè Ordinum Fratres Caſſanen., & Ferentinen. obtinuerit tenoris ſubſequentis, videlicet. Arbi. All' Arciueſcouo. Pare che ſia nata differenza della precedenza trà coteſti Frati di S.Franceſco Conuentuali, & Oſſeruanti, allegando ogn'vn di loro alcune ragioni, per le quali ſi perſuadono di douer precedere à gl'altri, lequali eſſendoſi diligentemente conſiderate nella Congregatione di queſti miei Illuſtriſſimi Signori Prepoſti da Noſtro Sign. ſopra le cauſe de Veſcoui, e regolari, s'è riſoluto etiam con il parere dell'Illuſtriſs. Protettori di tutte due le Religioni di far ſcriuere à V.Sig. che occorrendo più ſimili differenze le termini ſenza alcuna eccettione nell'iſteſſo modo, che quel Conuento tenga il primo, e più degno luogo, che è più antico nella Città ſecondo che s'è fatto ſin'hora, per quanto ſi preſuppone, imperciò che queſto mezzo vſato altroue è ſtato tale, che hà finito ogni controuerſia come ſi ſpera, che ſarà anche coſtì per mezzo della prudenza, e deſtrezza di V. Sig. e Dio, &c. Roma 6.Marzo 1582. Al Veſcouo di Soana, ò ſuo Vicario. Hauendo inteſo queſti miei Signori Illuſtriſſimi, che in coteſta Città ſono in diſparere di precedenza li Frati de' Serui con quelli di ſan Franceſco Conuentuali, hanno voluto, ch'io faccia ſapere à V. Sig. che nella precedenza di queſti Frati Mendicanti ſecondo il parere di Noſtro Signore, ſi attende ſolamente l'antichità de i loro conuenti, cioè, che precedino quelli, che prima hanno ottenuto li monaſterij ne i luoghi, oue è nata la differenza; & perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima ſono venuti ad habitare in coteſta Città, che ſarà apunto conforme à quello, che ſi è riſoluto, & oſſeruato

Adducuntur literæ, & decreta S Congregationis circa præcedentia.

in altri

Digitized by Google

altri luoghi, &c. Roma li 24. di Maggio 1583. Al Veſcouo di Caſſano. Fù dato in Congregatione vn Memoriale dal Procuratore Generale de Frati Conuentuali di S. Franceſco à nome del ſuo Monaſterio de Caſtronilari di coteſta Dioceſi, nel quale ſi doleua, che alcuni Padri di S. Domenico, che poco fà hanno pigliato luogo nella medeſima Terra, pretendeuano nell'attioni publiche di precedergli, non oſtante che già ſiano 350. anni, che quel Monaſterio di S. Franceſco è fondato: e ſapendoſi, che Noſtro Signore altre volse haueua dechiarato come ſi doueua procedere in ſimili caſi, queſti miei Signori Illuſtriſſimi volſero che ſe ne daſſe conto à Sua Beatitudine, la quale ha commeſſo, che ſi ſcriua à V. S. che faccia hauere la prerogatiua, oue naſcano queſte nouità alle Religioni, che ſono più antiche nel luogo, il che farà V. S. intendere à detti Padri di S. Domenico, & oprarà che così ſi eſſeguiſca. Roma li 14. Maggio 1583. Ferentino al Veſcouo. Nella differenza, che verte trà coteſti Frati di San Domenico, e quelli di S. Franceſco per conto della precedenza, la Sacra Congregatione vuole, che s'oſſerui per l'auuenire quello, ch'è ſtato oſſeruato trà loro per il paſſato, ſin tanto, che non ſia deſtinato altro, & inclina, che conforme al Moto proprio di Gregor. XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima hanno hauuto il luogo nella Città, & i decreti, che ſi allegano per parte de Frati di S. Domenico in contrario; non ſono ſtati fatti per derogare generalmente al Moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occaſioni militauano altre ragioni di quelle, che poſſano militare coſtì. Queſta è la mente di queſti Illuſtriſſimi miei Signori; & ella la douerà eſſeguire, e Dio &c. Roma il 1. Giugno 1604.

Declarat, quod præcedant, qui ſunt in poſſeſſione, aut antiquiores, ſi non conſtet de poſſeſſione, cum decreto irritante.

§. 2. Attamen in Caſibus occurrentibus eadem litteræ reputantur prouiſiones particulares, non autem declarationes generales, dictique Fratres Conuentuales noua ſemper iudicia iiſdem de rebus ſubire coguntur. Quare dictus Blaſius Procurator generalis Nobis humiliter ſupplicari fecit, vt circa prædictarum litterarũ obſeruantiam per aliquod opportunum declarationis noſtræ miniſterium prouidere, ac aliàs vt infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Blaſium Procuratorem generalem huiuſmodi ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſeriè abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. De Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium eiſdem Regularium negociis præpoſitorum conſilio, præinſertas litteras ab eiſdem Cardinalibus aliàs vtcunque in caſibus particularibus emanatas, cum innitantur Iuſtitia Motus proprii Gregorii Decimitertii hac de re editi, & ſint conformes declarationibus Sacrarum Tridentini Concilii, ac Rituum Congregationum, vt qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ præcedant: & vbi non probatur, aut non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controuerſiæ, eſſe generaliter obſeruandas vbicunque contigerit de eadem præcedentia dubitari. Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus. Decernentes irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quocunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoquè, indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumquè ſuperioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſcunquè verborum tenore, & formis, ac cum quibuſuis Eccleſiæ, decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expræſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expræſsè derogamus, cæteriſquè contrariis quibuſcunquè. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xviii. Decembris M. DC. XXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

M. A. Maraldus.

§.

Roborat ea, quæ de huiuſmodi præcedentia notantur, ad Conſtitutionem ſecundam Sixti quarti num. 58. T. 1. pag. 23. col. 1. & in additam. cap. 2. n. 27. pag. 315. col. 2.

CONSTITVTIO XVIII.

Confirmat decretum Sacræ Congregationis rituum, quod Imagines SS. Auguſtini, Nicolai de Tolentino, & aliorum SS. Ordinis Sancti Auguſtini à Fratribus Diſcalceatis impreſſæ, vel depictæ cum habitu, quo ipſi Diſcalceati vtuntur ſuſpendantur, & aboleantur, & talia amplius non peragantur.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis ſancti Auguſtini, quod cum ipſe Venerabilibus fratribus noſtris S. R. Eccl. Cardinalibus Sacris Ritibus præpoſitis expoſuiſſet, qualiter dilecti filii Patres Diſcalceati eiuſdem Ordinis tùm Romæ, tùm multis aliis in locis imprimebant, & depingebant Imagines Sanctorum Auguſtini, Nicolai Tolentinatis, & aliorum eiuſdem Ordinis Sanctorum cum habitu, quo ipſi Diſcalceati vtuntur, quodque id vergebat in maximum præiudicium eiuſdem Ordinis, & in dies dare poterat occaſionem plurium controuerſiarum, & ſcandalorum, dicti Cardinales hac ſuper re ediderunt Decretum tenoris ſubſequentis, videlicet.

§. 1.

Digitized by Google

Sacrę Congregationis decretum.

§. 1. *Referente Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinali Veroſpio petitionem ſupradictam, ad inſtantiam Procuratoris Generalis Ordinis S. Auguſtini, Sacra Rituum Congregatio citatis, & auditis partibus, cenſuit, Imagines S. Auguſtini, S. Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum eiuſdem Ordinis S. Auguſtini impreſſas, aut depictas à Fratribus Diſcalceatis eiuſdem Ordinis cum habitu, quo ipſi Diſcalceati vtuntur, ſuſpendendas, & abolendas eſſe, iniungendumque dictis Fratribus Diſcalceatis, ne ſub pœnis arbitrio huius Sacræ Congregationis talia amplius audeant peragere. Et ita omninò ſeruari mandauit. Die xix. Decembris 1637.*

Confirmatur & approbatur, ſuppleturque defectus.

§. 2. *Vt autem Decretum huiuſmodi firmius ſubſiſtat, exactiuſque ab omnibus, ad quos ſpectat, obſeruetur, Nobis idem Procurator humiliter ſupplicari fecit, quatenus illud Apoſtolicæ confirmationis robore communire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Procuratorem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum huiuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti, & ſolemnitatum quantumuis ſubſtantialium, & quoſuis alios defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, aut interueniſſe dici, vel cenſeri poſſint in eodem ſupplemus.*

Mandat obſeruari cum decretum irritãte.

§. 3. *Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis; ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, firmitèr, & inuiolabilitèr obſeruari, ſicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat.

§. 4. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, illiuſque Domorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ac quibuſuis alijs ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenore præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem adhibere iubet.

§. 5. *Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Generalis dicti Ordinis munitis eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ præſentibus ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 23. Ianuarij 1638. Pontificatus Noſtri Anno Decimo quinto.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XIX.

Statuit quæ obſeruanda ſint circa Iubilationem Lectorum in Ciſmontana familia Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſeruantia.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiua.

CVm ſicut accepimus, ex frequentiſſima, immeritaque Lectorum iubilatione in Ciſmontana familia Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum quamplures querelæ, multaque & grauia incommoda in eandem familiam redundarint, ac de remedio incommodis huiuſmodi adhibendo cum primùm illa ad dilecti filij noſtri Franciſci ſancti Laurentij in Damaſo Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarij noſtri ſecundum carnem ex fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, aures peruenerunt, tractatum fuerit. Nos qui Religioſorum Ordinum pacem & vnitatem ſinceris deſideramus affectibus, vt querelis, & incommodis huiuſmodi obuiam eatur.

Lectores vt Iubilati vocẽtur quot annos legiſſe neceſſe ſit.

§. 1. *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium ſtatuimus, vt Lectores iubilati iuxta præſcriptum literarum fæl. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, necnon generalium dicti Ordinis Conſtitutionum pluries renouatarum, ac poſtremò in Capitulo generali dicti Ordinis in Ciuitate Toletan. celebrato inſtituantur, ita quod nullus poſthac ad iubilationem admittatur, quin prius Logicam, & Philoſophiam tres annos, ac Theologiam decem abſque vlla intermiſſione edocuerit, vel ſi intermitti contigerit, duodecim annos Theologiæ Lector extiterit. Singulis quibuſque annis publica, & authentica atteſtatio à Guardiano, & diſcretis eorum manu propria, & iuramento firmata, Conuentuſque ſigillo obſignata conficiatur, & in publico Conuentus Archiuio ſeruetur, vbi cùm opus fuerit, reperiatur.*

Reſtringit numerum Lectorum Iubilatorũ in vnaquaque Prouincia Minorum de obſeruantia.

§. 2. *Vt Theologiæ lectio in ordine ad futuram iubilationem non introducatur, niſi vbi ſtudia formata viguerint, & generalia, atque à Capitulo, & Congregatione generalibus inſtituta. Quod Lectores, qui non interuenientibus prædictis conditionibus per Prouinciam, vel per Superiores generales ad iubilationem admiſſi reperientur, eo ipſo nulliter iubilati cenſeantur. Vt numerus Lectorum iubilatorum reſtringatur iuxta diſpoſitionem Capituli Generalis in Alma*

Vrbe

Digitized by Google

Vrbe anno M. DC. XII. celebrati pro Vltramontana familia, videlicet vt pro vnoquoque Studio generali in ſingulis Prouincijs exiſtenti, duo tantùm iubilati permittantur, & quolibet deficiente, loco ipſius alter ſuſſiciatur, qui lectionis curſum prius abſoluerit. Demùm pro ſeruanda in Prouincijs dicti Ordinis tranquillitate; reprimendiſq. querelis in hac Curia in dies exurgentibus & quod plurimi non probato legitimè lectionis tempore, & cum maiorum deceptione Superiorum, iubilationem obtinuerunt, ſtatuimus pariter, & ordinamus, vt præfato more informationes, & temporis ad lectionem conſtituti, atteſtationes per miniſtros Prouinciales de nouo conficiantur, & ad Generales ſuperiores firmatæ, ſigillatæq. remittantur, vt hac ratione relaxationibus & abuſibus obuiam eatur.

Pœnas infligit Contrauenientibus cum decreto irritante.

§. 3. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis dictæ Ciſmontanæ familiæ Ordinis huiuſmodi Superioribus, Fratribus, & perſonis quocunque nomine nuncupatis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis alijſq. arbitrij noſtri pœnis, ne circa prædictorum lectorum iubilationem quicquam aliàs quam in prædictis ſtatutis diſponitur, vllo vnquam tempore de cætero facere, vel attentare audeant, ſeu præſumant, ac decernentes ſtatuta huiuſmodi, necnon præſentes litteras valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſq. plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrarijs.

§. 4. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & Ciſmontanæ familiæ huiuſmodi etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis in genere; vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum ten. præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 5. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſecunda Martij M. DC. XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto. M. A. Maraldus.

§.

Decreta Clementis VIII. circa Lectorum exemptionem habentur ſupra in Conſt. X. Vrbani VIII. T. 2. §. 18. pag. 292. col. 2. & ibid. §. 33. pag. 293. col. 2. Vide quæ de lectorum Priuilegijs notantur in formulario Prælatorum litera L. cap. 1. num. 3. & in additament. c. 12. n. 3. pag. 372. col. 2.

CONSTITVTIO XX.

Mandat Ordinarijs locorum, vt decernant, ne Parochi plus percipere poſſint in Sepulturis, quæ fiunt in Eccleſijs Regularium, quam in eis, quæ fiunt in proprijs, ſeu aliorum Clericorum.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

CVm ſicut dilectus filius Blaſius Procurator Generalis Fr. Ord. Minorum Conuentualium ſancti Franciſci nuncupatorum. Nobis nuper exponi fecit, diuerſæ extorſiones exceſſiuæ à dilectis filijs Capitulo, & Canonicis ſecularis, & Collegiatæ loci de Veglię Brunduſinę Diœceſis, necnon etiam à diuerſis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis ſepulturę in Eccleſijs Ordinis huiuſmodi, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, vt de opportuno in præmiſſis remedio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Concedit prout in ſũmario.

§. 1. Nos igitur dictum exponentem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatus exiſtat ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluendum, & abſolutum fore cenſendum. Huiuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negocijs Regularium præpoſitorum conſilio, Ordinarijs locorum per præſentes committimus, vt prouideant omnino, ne diutius abuſus huiuſmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere poſſint in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſijs Regularium, quam in eis, quæ fiunt in proprijs, ſeu aliorum Clericorum.

Contrarijs derogat quibuſcumque.

§. 2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xi. Martij M DC XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo quinto.

M. A. Maraldus.

§.

Facit ad ea, quæ de libera electione ſepulturæ ſtatuit Iulius II. in Conſtitut. 2. T. 1. §. 21. pag. 61. col. 1. & quæ dicit Pater Peyrinis, ad eam Conſtitutionem ibid. n. 55. pag. 69. col. 2. & in additamenta cap. 4. num. 8. pag. 425. col. 1.

CONSTITVTIO XXI.

Declarat, & decernit quod Conuentus, ſeu Hoſpitalia Religionis B. Ioannis Dei, in quibus

quibus duodecim Religioſi non exiſtunt, non comprehendantur decreto à Sanctitate ſua edito ſubijciente huiuſmodi Conuentus omnimode iuriſdictioni ordinarij loci.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. *CVm ſicut dilectus filius Angelicus Rampulla Congregationis B. Ioannis Dei Procurator generalis Nobis nuper exponi fecit per quandam fel. record. Pauli V. prohibeatur expreſsè, ne plures ad habitum & profeſſionem per Fratres dictæ Congregationis ſuſcipi & emitti ſolitam admittantur, quam Infirmorum & miſerabilium perſonarum neceſſitas exigat, ac per aliam Conſtitutionem Pij etiam V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuatur, vt quicquid Congregationis huiuſmodi Fratres acquirunt, non ſibi, exceptis dumtaxat victu & veſtitu, ſed pauperibus Infirmis & hoſpitalibus, ad quorum ſeruitium particulari inſtituto, ac voto obſtringuntur, acquirant, indeque pateat dictam Congregationem non parùm ab alijs Religionibus circa libertatem & facultatem duodecim religioſos in ſingulis eius Conuentibus & hoſpitalibus deputandi differre, Nobis propterea dictus Angelicus humiliter ſupplicari fecit, vt prædictam Congregationem minimè comprehenſam eſſe ſub decreto auctoritate noſtra hac de re die xxi. Iunij M DC XXV. inter decreta de celebratione Miſſarum, §. deinceps edito declarare, ac aliàs vt infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Concedit prout in ſũmatio, & ſupplentur defectus. *§. 1. Nos igitur eumdem Angelicum Procuratorem generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. De Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negocijs Regularium Præpoſitorum conſilio Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus ac decernimus, vt quoad dictæ Congregationis Conuentus & hoſpitalia, in quibus erunt duodecim religioſi, Epiſcopi nullatenus ſe ingerant, & quoad illos Conuentus, ſeu hoſpitalia, in quibus erit minor Religioſorum numerus, iidem Epiſcopi poſſint inſimul cum Prouinciali, vel alio maiori eiuſdem Congregationis Superiore ad reuiſionem computorum adminiſtrationis eorumdem hoſpitalium procedere, ita tamen vt contra perſonas in nihilo prorſus ſe immiſceant.*

Contrarijs derogat. *§. 2. Non obſtantibus prædicto decreto, ac quibuſuis alijs Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis ſuper numero religioſorum in quolibet Monaſterio, aut Conuentu conſtituendo, ac quatenus opus ſit dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die ix. Iulij M DC XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.*

M. A. Maraldus.

§.

Decretum, à quo eximuntur, habetur in Conſtitutione nona Sanctitatis ſuæ T. 2. §. 8. pag. 287. col. 2.

CONSTITVTIO XXII.

Confirmat decretum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini interpretum, quod in Eccleſijs Parochialibus, quæ ſunt membra Monaſteriorum Congregationis Caſſinenſis, aut alias ab ipſis dependentes, cura animarum exerceri poſſit, etiam per Monachos ad nutum ſuorum Superiorum amouibiles.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

ALias à Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilij Tridentini interpretibus ſuper ſubinſerto ſupplici libello ſibi tunc porrecto emanauit decretum tenoris ſubſequentis, videlicet. Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine. Monaſterium Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis Ciuitatis Patauinæ habet nonnullas parochiales Eccleſias in eadem Diœceſi, quæ non ſunt vnita Monaſterio, ſed ſunt parochiales dependentes ab illo, in quibus dictus Epiſcopus Patauinus dicit, Monaſterium fuiſſe ſolitum deputare Preſbyteros ſæculares, qui prævio ipſius Epiſcopi examine, & approbatione curam animarum exercuerunt, ſed ab aliquot annis cœpiſſe deputari vnum Monachum, qui ſine Socio regulari, & cum ſolo famulo habitat in dicta parochiali, & curam adminiſtrat etiam ſine Epiſcopi approbatione. Vnde nunc quæritur, an in dictis Parochialibus ab ipſis Monaſterijs quoquomodo dependentibus, non autem vnitis debeat cura animarum exerceri per Monachum, vel per Presbyterum ſæcularem ab ipſis Monachis nominatum, & ab Epiſcopo approbatum. Enarratio.

Monachi Caſſinenſes poſſunt curam animarum in proprijs Eccleſijs, vel ab ipſis dependentibus exercere. *§. 1. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum partibus auditis, cenſuit, in Parochialibus, quæ ſunt membra monaſteriorum Congregationis Caſſinenſis, aut aliàs ab ipſis dependentes, curam animarum exerceri poſſe etiam per Monachos ad ſuorum Superiorum nutum amouibiles, ita tamen vt iidem prius examinentur, & approbentur ab Epiſcopo, eiuſque iuriſdictioni ſubijciantur in his, quæ ad ipſam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, & cum eo, qui ad eam exercendam fuerit pro tempore deputatus, habitet alius ſaltem Monachus eiuſdem Ordinis profeſſus ad præſcri-*

ſcriptum Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III, cap. 10.

Sanctiſſimus confirmat, & ſupplet defectus. §. 2. *Cum autem ſicut dilectus filius Procurator generalis dictæ Congregationibus Nobis nuper exponi fecit, ipſe decretum huiuſmodi pro illius firmiori ſubſiſtentia apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos eundem Procuratorem generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Decretum præinſertum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inuiolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.*

Mandat obſeruari cum decreto irritāte. §. 3. *Decernentes illud, necnon præſentes litteras valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari, ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat. §. 4. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die vi. Septembris M DC XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.*

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXIII.

Mandat locorum Ordinarijs, ac nuntijs Apoſtolicis, ne permittant quemquam deferre tunicam ſimplicem, oblongam, cum mantello, vel ſine mantello Fratrum Minorum de Obſeruantia, abſque licentia in ſcriptis Superiorum prædictæ Religionis; Habitum verò prædictum cum Capucio tunicæ, ſeu mantello conſuto, nec etiam cum licentia cuiuſuis Superiorum dicti Ordinis.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. CVm ſicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſeruantiæ Sancti Franciſci Nobis nuper exponi fecit quamplures abutentes habitu Fratrum Tertiariorum Ordinis eiuſdem Sancti Franciſci, vel ſimplicem Tunicam oblongam cum Mantello, vel ſine eo abſque Superiorum prædictæ Religionis licentia deferant, vel etiam eis caputium aut Tunicæ adiunctum, aut ipſi Mantello conſutum ſuperaddant, eorumq. nonnulli extra Clauſtra degentes tum ſcandaloſè, & inopportunè ſub ſpecie peregrinationis, aut alterius emendicati prætextus diuagentur, tum etiam aliquas Eccleſias ſeu Capellas adſcito ſibi Heremitarum nomine incolant, exindeq. maxima apud ſæculares ſcandali materia, & praua opinionis erga prædictam Religionem ingeratur, Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit vt tot incommodis & ſcandalis opportunum aliquod remedium adhibere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Concedit prout in ſūmario, & contrafacientibus pœnas apponit cum clauſula ſublata. §. 1. *Nos igitur eundem Procuratorem generalem ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Omnibus & ſingulis locorum Ordinarijs, ac noſtris & Sedis Apoſtolicæ Nuncijs vbiuis Terrarum conſtitutis & degentibus tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, ne de cætero, quemquam prædictam Tunicam oblongam, cum, vel ſine Mantello abſque Superiorum prædictæ Religionis Minorum de Obſeruantia & cuiuſuis inſtituti ſeu Congregationis Ordinis eiuſdem Sancti Franciſci licentia in ſcriptis obtenta quoquomodo deferre permittant, vtque ſi aliquem præmiſſorum tranſgreſſorem repererint illum carceri mancipandum, tali habitu exuendum, & arbitrarijs pœnis mulctandum irremiſſibiliter curent, & præterea nemini licitum faciant etiamſi prædictæ Religionis Minorum de Obſeruantia, & cuiuſuis Inſtituti ſeu Congregationis vniuerſi Ordinis huiuſmodi Superiorum ſcripta, ſeu quouis alio prætextu roborata licentia deſuper acceſſerit, vt habitum huiuſmodi cum prædicto Caputio, vel Tunicæ, ſeu Mantello, vt præfertur, conſuto deferant ſublata eiuſdem Ordinis Superioribus ipſiſq. locorum Ordinarijs, ac Nuncijs Apoſtolicis, & eorum cuilibet quauis auctoritate licentias huiuſmodi cuiquam concedendi, ac demum, earumdem tenore præſentium volumus & ordinamus vt ſi quiſpiam tale deferens Caputium, vel cum licentia, vel ſine ea inuentus fuerit carceris detentione, habitus priuatione, & alijs arbitrarijs pœnis ab eiſdem Ordinarijs & Nuncijs omnino puniatur.*

Derogat contrarijs. §. 2. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum omnino tenore præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad*

Digitized by Google

ris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 3. *Vt autem præſentes noſtræ litteræ ad omnium quos illæ concernunt notitiam facilius deueniant. Volumus autem quod illarum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem vbique fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die v. Octobris M DC XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.* M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXIV.

Statuit non ieiunandum in vigilia Sancti Ioannis Baptiſtæ, quando contingit in die Solemnitatis Corporis Chriſti.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1.

Motiua.

CVm euenire quandoque poſſit, vt Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ in diem feſtum Solemnitatis Sanctiſſimi Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti incidat. Nos attendentes diem feſtum huiuſmodi, quo tanti Sacramenti inſtitutio, ſumma totius populi Chriſtiani lætitia recolitur, è principalibus anni feſtiuitatibus exiſtere, propterea de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum conſilio deinceps perpetuis futuris temporibus quoties Vigiliam prædictam in dictum diem feſtum Solemnitatis Sanctiſſimi Corporis Domini Noſtri Ieſu Chriſti incidere contigerit, non eſſe ieiunandum, neque à carnibus abſtinendum in die feſto huiuſmodi, ſed anticipandum ieiunium die immediatè antecedenti, nempe feria quarta, prout ieiunaretur in ipſa Vigilia, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

§. 2. *Volumus autem vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xiij. Octobris M DC XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.* M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXV.

Confirmat decretum S. Congregationis Rituum, quod Monachi Caſſinenſes non ſunt vllo modo cogendi accedere, niſi ad proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti.

Addit. Nouiſſ. ad Peyrin. de Priuil.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

NVper pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis Congregationis Caſinenſis Ordinis S. Benedicti Nobis expoſitum fuit, quòd aliàs ſeù nuper à Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præpoſitis emanauit Decretum tenoris ſubſequentis videlicet. Pro Monachis S. Sixti Congregationis Caſſinenſis Placentiæ commorantibus narratum fuit, quòd ipſi Monaci, nunquam in eadem Ciuitate, nec alibi ſoliti ſunt accedere ad alias Proceſſiones, præterquàm ad Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti. Nunc verò Epiſcopus vult cogere, vt accedant etiam ad Proceſſiones, quæ fieri ſolent pro Rogationibus maioribus & minoribus ſingulis annis, ad quos antea nunquam acceſſerunt, & propterea petierunt non adſtringi, vltra eorum ſolitum et conſuetum.

Monachi Caſſinenſes nõ poſſunt cogi ab ordinarijs, niſi ad proceſſionem SS. Sacramenti.

§. 1. *Sacra rituum Congregatio reſpondit, Monachos prædictos non eſſe vllo modo cogendos accedere, niſi ad Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, iuxta eorum antiquam conſuetudinem, quam tàm dictis Monachis Placentiæ commorantibus, quam alijs eiuſdem Congregationis Caſſinenſis vbique conſeruandam eſſe cenſuit, & declarauit. Die 10. Iunij 1602. Datum hac die 9. Octobris 1638.*

Confirmatur, & ſupplentur defectus cum decreto irritante.

§. 2. *Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat dictus Procurator generalis Decretum huiuſmodi pro illius firmiori ſubſiſtentia apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummoperè deſideret. Nos eumdem Procuratorem generalem ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes. Supplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum cum omnibus & ſingulis in eo contentis apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus. Decernentes illud, necnon præſentes literas valida, firma, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet in futurum ſpectabit inuiolabiliter obſeruari, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.*

Mandat publicari Decretum, & committit nè amplius præfati Mona-

§. 3. *Quocirca dilecto filio noſtro, & Sedis Apoſtolicæ nunc & pro tempore exiſtenti in Regno Neapolis Nuncio, ac Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum per ſe vel alium, ſeu alios Decretum, & præſentes litteras*

Digitized by Google

chi moleſtentur cõtrafacientibus pœnas apponens. *huiuſmodi,& in eis contenta quæcunque vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte tam prædictorum Monaſterij Placentini, quàm aliorum quorumcumque eiuſdem Congregationis Monachorum requiſiti fuerint ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant illos auctoritate noſtra præmiſſorum omnium & ſingulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quauis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo; Inuocato etiam ad hoc ſi fuerit opus, auxilio brachij ſæcularis.*

Derogat contrarijs. §. 4. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſuis Congregationis, & Monaſteriorum huiuſmodi etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xvij. Nouembris M.DC.XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno 16.*

M.A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXVI.

Confirmat, & declarat literas pro bono regimine Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ Fratrum Diſcalceatorum de obſeruantia: & alia inſuper de nouo concedit.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemiũ. *CVm ea, quæ propter iuſtas, & rationabiles cauſas aliquando ſtabilita ſunt, ipſa rerum, & temporum experientia doceat prouide oportere moderari, & immutare; ſuperioribus verò annis per quaſdam noſtras in ſimili forma Breuis literas pro bono regimine Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ Fratrum Minorum Diſcalceatorum nuncupatorum Regularis Obſeruantiæ S. Franciſci in Hiſpania. quædam clauſulæ quarundam aliarum in eadem forma Breuis in fauorem eiuſdem Prouinciæ à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanatarum incipientium,* Ex iniuncto nobis Apoſtolici muneris debito, *ſub datum die 29. Nouembris 1599. declaratæ, & aliæ limitatæ fuerint, ex præfata verò limitatione, ſeu moderatione, nonnulla grauia inconuenientia, quæ nouis litibus, et inquietudinibus ianuam aperuerunt, in dies oriri videantur.*

Supplicatio. §. 1. *Nobis propterea dilecti filij Michael Teruel Miniſter Prouincialis, & Diffinitores dictæ Prouinciæ Fratrum eorundem per dilectum etiam filium Franciſcum Seguer dicti Ordinis profeſſorem eorum Procuratorem humiliter ſupplicari fecerunt, vt omnia, & ſingula gratias, & priuilegia in prædictis Clementis prædeceſſoris litteris, eidem S. Io. Baptiſtæ Prouinciæ aliàs conceſſa confirmare, & opportunè ſibi vt infra prouidere, & indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Concedit prout in sũmario, & ſupplet defectus. §. 2. *Nos igitur, qui perſonarum quarumlibet, præſertim ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantium quieti, & ſtatui quantum cum Domino poſſumus libenter conſulimus, omnem ſuper præmiſſis inconuenientium huiuſmodi materiam, & occaſionem è medio ſubmouere, ipſoſque exponentes ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatas Clementis prædeceſſoris litteras in fauorem Prouinciæ prædictę S. Ioannis Baptiſtę Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Diſcalceatorum huiuſmodi cum omnibus, & ſingulis in eis contentis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tàm iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.*

Concedit erigere poſſe Conuentus, & Eccleſias. §. 3. *Et inſuper moderniis eidem Michaeli, & pro tempore exiſtentibus Miniſtro Prouinciali, Cuſtodi, Diffinitoribus, Guardianis, & Fratribus d. Prouincię, vt quaſcunque Domos, ſiue Heremitoria, ſeu loca; ſi quę ſibi à pijs Chriſti fidelibus in Hiſpaniç partibus concedantur, recipere, & in illis Conuentus ſui Ordinis erigere, & fundare; ſeruata tamen aliàs Sacrorum Canonum, & Decretorum Sacri Concilij Tridentini forma, de ſola Ordinarij loci licentia, ac nullo quarumuis aliarum perſonarum cuiuſuis Ordinis, Congregationis, aut inſtituti Regularium deſuper requiſito conſenſu, ac in domos ſui Ordinis, & Prouinciç præfatę cum Eccleſia, Sacrario, Campana, ſeu Campanis humilibus, Cæmeterijs, Clauſtro, Refectorio, Cellis, Hortis, aliiſque officinis, & ędificijs neceſſarijs erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres ſui Ordinis Diſcalceatorum introducere, atque in ipſarum Domorum Eccleſijs poſtquam erectę, & fabricatæ fuerint, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum pro infirmis aſſeruare, ac diuina Officia celebrare, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, vt in ceteris Fratrum Diſcalceatorum eorundem Domibus fieri ſolet.*

Dat facultatem recipiendi nouitios. §. 4. *Ac eiuſdem Prouinciç nunc, & pro tempore exiſtentibus Miniſtris Prouincialibus, ſeu Guardianis, ſiue alio quouis nomine nuncupatis Prelatis, ad quod de iure, & iuxta regularia eiuſdem Ordinis ſtatuta Apoſtolica auctoritate confirmata ſpectat, & pertinet, vt quoſcunque prædictum Diſcalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet dictarum domorum erigendarum tàm Fratres profeſſi, quàm Nouitij numerum triginta non excedant, iuxta regularia eiuſdem Ordinis inſtituta ad habitum, & profeſſionem recipere, & admittere, ac cum alijs Religioſis profeſsis incorporare liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem perpetuò concedimus.*

Et eonden di ſtatuta, & eos exi- §. 5. *Preterea, quod Prouincia prefata, illiuſque Fratres, & Conuentus ſuis arctioribus Conſtitutionibus, & Statutis, quę in pleno Capitulo Prouinciali à maiori*

menſ à ſtatutis emanatis à fratribus de obſeruantia.

maiori parte Capituli recepta, & ſtabilita fuerint, gubernentur; nec ad obſeruanda Statuta generalia à Capitulis, vel Congregationibus generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum iam facta, vel pro tempore facienda, nec ad ſpecialia eiuſdem Ordinis Superiorum mandata, quæ Miniſtri Prouincialis, Cuſtodis, & Diffinitorum Prouinciæ iudicio, fuerint dd. Fratrum Diſcalceatorum reformationi, aut commodo diſſentanea teneantur.

Et congregationes celebrandi, ac eligendi ſibi Superiores.

§. 6. Quòd Miniſtri, ſeu Prælati Prouinciales, Congregationes particulares, quas Diffinitoriales vocant quando, & vbi commodius ſibi viſum fuerit, liberè, & licitè conuocare, & celebrare, ac in eis quaſlibet electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quaſcumque cauſas, ſiue ciuiles, ſiue Criminales & negotia ad eandem Prouinciam ſpectantia iuxta formam Sacrorum Canonum, & regularium Statutorum, & ſuarum Conſtitutionum prouincialium tractare, diffinire, & ſententiare poſſint; quodque Prælati Generales eiuſdem Ordinis huiuſmodi Congregationes particulares Diffinitoriales, aut earum electiones, ſeu diffinitiones, vel decreta, & ſententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.

Viſitatores aſſignat ex eodem Inſtituto.

§. 7. Quod d. Prouincia, eiuſque nunc, & pro tempore exiſtentes Conuentus, & Fratres, niſi per Fratres Viſitatores alicuius Prouinciæ Diſcalceatorum huiuſmodi; à Prælatis tamen generalibus deputandos, nullatenus viſitari, aut ſindicari poſſint; quodque huiuſmodi Viſitatores Diſcalceati in d. Prouinciam ingredi, aut in ea aliquam iuriſdictionem exercere non valeant, niſi tempore ſtatuto circa finem triennij Miniſtri Prouincialis, nempe poſt duos annos, & ſeptem menſes Prouincialatus cuiuslibet Miniſtri Prouincialis eiuſdem Prouinciæ tranſactos, & non antea, Tales autem Viſitatores omnia ſtatuta Prouincialia eiuſdem Prouinciæ obſeruare, & iuxta illorum tenorem, & præſcriptum Prouinciam viſitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eiſdem ſtatutis, niſi de conſenſu maioris partis Diffinitorij plenè diſpenſare valeant, quamuis hoc idem in litteris patentibus, & authenticis à Prælatis generalibus, aliyſue Superioribus ſpecialiter iiſdem indultum, & conceſſum fuerit.

Dat puniendi formã.

§. 8. Vt autem omnes ambitionis, & iniuſtitiæ occaſiones, quæ ſub ſimulato, ac apparentis correctionis, & reformationis zelo obrepere ſolent, è medio penitus euellantur, poſtquam prædicti Viſitatores Commiſſarij ſuam iuriſdictionem, & Viſitationem in Prouincia huiuſmodi cœperint exercere, nulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concurſus ad Capitulum proximè futurum de iure competit, poſſint ante ipſum celebratum Capitulum ob aliquam, ſeu aliquas cauſas ab officio remoueri, nec voce actiua, aut paſſiua priuari: Si autem in ipſa Viſitatione aliquibus delictis, & culpis quidam præfatorum reperiantur obnoxij, vel eorum punitio, & correctio poſt omnes electiones Capituli factas differatur, vel alijs Canonicis, & regularibus pœnis præter priuationem officij, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ arbitrio Superiorum puniri debeant.

Dicti Fratres nõ poſſunt mitti extra Prouincias ſuas nec extra clauſtra degere ſine licentia.

§. 9. Inſuper quod Fratres eiuſdem Prouinciæ Sancti Ioannis Baptiſtæ, ab ipſa ſua Prouincia per quoſcunque Superiores abſtrahi nequeant, vt ad Indos, vel alias partes, & Prouincias remittantur, niſi de conſenſu Capituli Prouincialis, vel Diffinitorij pleni eiuſdem Prouinciæ. Et quod huiuſmodi Superiores quicumque illi ſint, non poſſint Fratres Præfatos licentiare, vt in domibus ſæcularium, ſeu extrà clauſtra habitent, niſi ſeruata ad vnguem forma à Clemente prædeceſſore præfato præſcripta in Bulla, ſeu litteris de Reformatione Regularium incipien̄, Nullas omnino prætextu cuiuſcumque priuilegij, ſub anno 1599. nempe quod tales licentiæ niſi ex grauiſſima cauſa à Sede Apoſtolica approbanda nullatenus concedantur, quæ verò aliter conceſſæ ſint, ipſo facto irritæ, & nullæ cenſeantur, & Religioſi talibus licentijs vtentes ſtatim ad clauſtra reuocentur.

Dat facultatẽ libros extrahendi à Bibliothecis de licẽtia Prælati ſtudiorum cauſa, & communicat Priuilegia iam cõceſſa, & cõcedenda alijs Prouincijs Hiſpaniarum eiuſdem Ordinis.

§. 10. Quodque poſſint iidem Fratres Diſcalceati intra ſepta domus regularis ſuæ libros à bibliothecis de licentia Prælati abſtractos habere, & illis vti, dummodo poſtquam illis vſi fuerint eiſdem bibliothecis illos reſtituere procurent; Ac demum Miniſtro Prouinciali, Cuſtodi, necnon Guardianis, Conuentibus, Fratribus vniuerſis dictæ Prouinciæ nunc, & pro tempore exiſtentibus, vt omnibus, & ſingulis gratijs, indultis, & priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, fauoribus, indulgentijs, & litteris Apoſtolicis, tàm Prouincijs Sancti Ioſephi, & Sancti Pauli, quàm quibuſuis alijs eiuſdem Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Hiſpaniarum Prouincijs, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores, ac per Nos, & Sedem Apoſtolicam hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis æquè, ac ſi ipſemet Prouincia Sancti Ioannis Baptiſtæ nominatim conceſſa fuiſſent, frui, potiri, & gaudere perpetuò poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis pariter perpetuò concedimus, & indulgemus.

Pœnæ contrafacientibus, & clauſulæ præſeruatiuæ mãdat etiam publicari.

§. 11. Volumuſque, ſtatuimus, & ordinamus reſpectiuè, & inſuper præcipimus Miniſtro, & Commiſſario generalibus Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ, & quibuſuis Commiſſarijs, & Viſitatoribus ad dictam Prouinciam S. Ioannis Baptiſtæ deſtinatis, cæteriſque tàm Prælatis, quàm ſubditis ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, ac priuationis quorumcumque officiorum, & dignitatum eo ipſo abſque alia declaratione incurren̄, nè in præmiſſis Fratres præfatos Diſcalceatos Prouinciæ S. Ioannis Baptiſtæ huiuſmodi litibus grauari, aut quouis modo moleſtari permittant; quinimò præfata omnia priuilegia, & indulta alijs inuiolabiliter obſeruent, & obſeruari faciant, ac per ſuas proprias litteras, quoties pro parte præfatorum Fratrum Diſcalceatorum fuerint requiſiti faueant, & aſſiſtant; Et nihilominus Venerabilibus fratribus Valentin̄, & Granaten̄ Archiepiſcopis, necnon Carthaginen̄, Guadicen̄, Oriolen̄, Dertuſen̄, & Illerden̄ Epiſcopis, eorumque Vicarijs generalibus, ſeu Prouiſoribus, ac dilecto filio Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe vel alium,

ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum Diſcalceatorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicent illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, faciantque auctoritate noſtra eos præmiſſis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere; Non permittentes eos deſuper per Prælatos generales, & Viſitatores præfatos quomodolibet moleſtari Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas præfatas illos incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Decretum irritans.

§. 12. *Decernentes præſentes litteras nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo quod præmiſſis intereſſe habentes, vel Fratres de Obſeruantia præfati, aut quicumque alij vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in ius, vel controuerſiam reuocari, ſed ſemper, & perpetuo validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

Contrarijs derogat.

§. 13. *Non obſtan. fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri, per quam cauetur expreſſe, ne profeſſores Ordinum Mendicantium loca ad habendum abſque dictæ ſedis licentia ſpeciali, & de prohibitione huiuſmodi expreſſam mentionem facien. recipiant, & de vna, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur, alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac noſtris litteris, quæ incipiunt.* In Cathedra B. Petri Apoſtolorum Principis, *de anno 1626. emanatis, ac quibuſuis eiuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam per Fratres Diſcalceatos huiuſmodi acceptatis, præſertim* Capitulorum, *ſeu* Congreg. *generalium, quibus cauetur expreſsè, nè Fratres Diſcalceati huiuſmodi, domum aliquam dicti eorum Ordinis abſq; expreſſa licentia* Capituli *Generalis, aut infra quinque leucas à domo eorundem Fratrum Minorum erigere audeant priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, illiuſq; Superioribus, & quibuſuis Religioſis particularibus, alijſque perſonis ſub quibuſuis tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & roboratis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Aut ſi miniſtro, &* Commiſſario *generalibus, aut Fratribus dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia, ſeu quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.*

§. 14. *Cæterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca vbi neceſſe fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumptis earundem præſentium etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die decima quinta Iunij milleſimi ſexceteſimi trigeſimi noni. Pontificatus Noſtri Anno Decimo ſexto.* Tranſumptis fidem adhiberi iubet.

CONSTITVTIO XXVII.

Concedit fratribus Conuentualibus Ordinis Minorum, vt in Conuentibus, in quibus non eſt facta reductio Miſſarum, fieri poſſit in primo Capitulo talis reductio ad rationem 60. ſcutorum pro qualibet Miſſa quotidiana.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. C*Vm Nos aliàs confirmantes & approbantes Conſtitutiones Vrbanas nuncupatas, Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci Conuentualium nuncupatorum eiſdem fratribus indulſerimus, vt ipſi in primo eorum Capitulo ſeu Congregatione Capitulari in omnibus eorum Conuentibus Miſſas reducere, & pro qualibet Miſſa quotidiana annuam eleemoſynam ſexaginta ſcutorum aſſignare poſſent, & ſicut dilectus filius Procurator generalis eorumdem fratrum Nobis nuper exponi fecit in nonnullis Poloniæ, & aliarum partium Conuentibus Ordinis huiuſmodi, dicta Miſſarum reductio in primo Capitulo, ſeu Congregatione Capitulari iuxta earundem Conſtitutionum diſpoſitionem facta non fuerit, Nobis propterea dictus Procurator generalis humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.* Conceſſionem à ſe iam factã memorat.

§. 2. *Nos igitur eundem Procuratorem generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſquè Eccleſiaſticis ſententijs,* Concedit prout in ſũmario.

cenſu-

cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit; ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati. Quod in Conuentibus prædictis in quibus dicta reductio facta non fuit, vt præfertur, illa ad rationem annuæ eleemoſynæ ſexaginta ſcutorum pro qualibet Miſſa quotidiana, & alias iuxta Conſtitutionum prædictarum diſpoſitionem in primo proximo Capitulo, ſeu Congregatione Capitulari fieri poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Contrarijs derogat.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictiſquè Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Quibus omnibus & ſingulis illorum omnium tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad effectum præmiſſorum ſpecialiter derogamus, cæteriſquè contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die vi. Auguſti M.DC.XXXIX. Pontificatus Noſtri Anno decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

§.

Vide aliam ſimilem Conſtitutionem eiuſdem Summi Pontificis .to. 2. priuil. conſtit. 5. §. 2. pag. 278. col. 2. in qua Miſſæ pro Minimis reducuntur ad rationem quinquaginta ſcutorum Monetæ Papalis.

CONSTITVTIO XXVIII.

Decernit, quod Miniſterium Redemptionis Captiuorum in omnibus ſpectet Fratribus Calceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede dumtaxat, & nullatenus ad Diſcalceatos.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi nobis nuper fecit, dilectus filius Ioannes Perez de Munebrega, Procurator Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, quod alias inter fratres Calceatos dicti Ordinis ex vna; & fratres eiuſdem Ordinis Congregationis Diſcalceatorum nuncupatorum ex altera, partibus, occaſione ſeparationis, ac totalis diſmembrationis fratrum Diſcalceatorum à fratribus Calceatis huiuſmodi; inita fuit quædam Concordia, inter cuius Capitula, extat vnum, tenoris ſequentis videlicet. Item quod miniſterium Redemptionis ſolum ſpectet Religioſis Calceatis; & quod Patres Recollecti, non ſe intromittant, in recipiendis legatis à Chriſti fidelibus relictis ad dictum effectum; nec poſſint petere in ſuis monaſterijs, nec extra, pro redimendis Captiuis, nec habere cippos, nec capſas, nec aliquid aliud pro eleemoſynas petenda hac de cauſa; quia totum hoc debet mandari curæ, & ſollicitudini Patrum Calceatorum dumtaxat; ſicut vſque nunc fuit in conſuetudine. Quæ quidem Concordia à felicis recordationis Gregorio Papa Decimo quinto Prædeceſſore noſtro: ac etiam à Nobis cum clauſula, citra diſpenſationem à quarto Voto, confirmata fuit.

Concedit prout in ſũmario.

§. 1. Poſtmodum vero, dictis Fratribus Diſcalceatis prætendentibus vigore prædictæ clauſulæ, citra diſpenſationem à quarto Voto; miniſterium Redemptionis Captiuorum fratribus Calceatis huiuſmodi in dicta Concordia illiuſque confirmationibus dumtaxat reſeruatum, à Se quoque exerceri poſſe, etiam vigore ſuarum particularium Conſtitutionum, alias à nobis confirmatarum; Venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales negotijs Regularium præpoſiti decreuerunt, vigore dictæ clauſulæ, citra diſpenſationem ſuper quarto voto huiuſmodi, & aliarum in dicta Concordia, & illius confirmationibus Apoſtolicis contentarum, non fuiſſe, nec eſſe ius aliquod de nouo quæſitum fratribus Diſcalceatis præfatis ad miniſterium Redemptionis Captiuorum exercendum, ſub directione, & ſuperioritate eorum Vicarij Generalis; ſed omnia, circa miniſterium dictæ Redemptionis Captiuorum, remanſiſſe, & remanere in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperiebantur ante dictam Concordiam; Itaut præfati Fratres Diſcalceati, quo ad dictum opus Redemptionis Captiuorum, aut alia ad id Miniſterium quomodolibet ſpectantia remaneant, & remanere debeant, ſub Directione, Cura, Obedientia, & Superioritate Eiuſdem dilecti Filij Magiſtri Generalis Calceatorum; ac in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus erant, ſeu exiſtebant ante dictam Concordiam, & Confirmationes prædictas; Noſque decretum Cardinalium huiuſmodi, confirmauimus; & ſubinde nonnullis ex Fratribus Diſcalceatis, huiuſmodi decreto præfato, Noſtriſque litteris, illius confirmatorijs, parere detrectantibus: Nos omnibus, & ſingulis Fratribus Diſcalceatis, ſeu Recollectis Ordinis præfati, nunc, & pro tempore exiſtentibus, quacumque auctoritate, & officio fungentibus ſub priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, ac quorumcumque dicti Ordinis officiorum per Eos detentorum pœnis, ipſo facto, abſque alia declaratione per Contrauenientes, incurrendis; Præcipimus, vt dicto Magiſtro Generali in omnibus ab eo commiſſis, & præfatum Redemptionis Captiuorum opus, ſeu miniſterium, quomodolibet concernentibus irrefragabiliter obedirent, & alias prout in Gregorij Prædeceſſoris prædicti, ac noſtris ſuper præmiſſis, in ſimili forma Breuis, expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, haberi volumus, plenius continetur.

Legata particularia diſpoſitiones, & donationes etiã inter viuos.

§. 2. Cum autem ſicut Eadem Expoſitio ſubiungebat Fratres Diſcalceati prædicti prætendant Legata particularia relicta, ac Diſpoſitiones quaſcumque, etiam Donationes inter viuos factas, & pro tempore faciendas, per Quoſcumque pro Redemptione Captiuorum, Eccleſijs, ſeu Domibus, aut Perſonis ipſorum Diſcalceatorum, cum electio-

Digitized by Google

ac alia ad fratres Calceatos ſpectent.

ne Induſtriæ Earum; ſub concordia, & Litteris prædictis minime comprehendi. Nobis propterea Idem Procurator Generalis, humiliter ſupplicari fecit; vt in præmiſſis opportunæ declarationis miniſterio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur negotio mature, ac Ambabus Partibus pluries in facto, & iure informantibus, & auditis per Congregationem Prælatorum à Nobis, ad id, deputatorum; Eorundem Prælatorum reſolutione, in fauorem Fratrum Calceatorum, Eorumque Procuratoris Generalis, facta, Nobis relata, eiuſdem Procuratoris Generalis, & Fratrum Calceatorum, prædictorum votis huiuſmodi, annuere volentes, ac ſingulares eorum perſonas, à quibuſuis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis; ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum; harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; Concordiam prædictam, ac dicti Gregorij prædeceſſoris, & noſtras deſuper expeditas litteras prædictas, comprehendiſſe, & comprehendere etiam legata particularia, ac diſpoſitiones, & donationes etiam inter viuos particulariter, aliaſque quomodolibet facta, & factas, ac pro tempore perpetuis futuris temporibus, pro Captiuorum redemptione, per Quoſcumque faciendas, etiam in fauorem Quorumcumque prædictorum Diſcalceatorum, eorumque Vicarij Generalis, ac Conuentuum, & Domorum ipſorum Diſcalceatorum, & in quibus Eorum induſtria, ſit vel erit electa; & præſertim legatum, ſiue diſpoſitionem, & donationem quondam Eluiræ Manrrique, factam Conuentui Sanctæ Barbaræ Matriti Toletanæ Diœceſis non facta expreſſione; ita vt in miniſterio Redemptionis Captiuorum attributo, ſeu conceſſo per Concordiam, & litteras Apoſtolicas prædictas Magiſtro Generali dictorum fratrum Calceatorum comprehenſa, & comprehenſa ſint, & comprehendantur Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus, Eiſdemque Fratribus Diſcalceatis, Eorum Conuentibus, & Vicario Generali Perpetuum Silentium Imponimus.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 3. Sicque ab omnibus cenſeri, & per Quoſcumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata Eis, & Eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Præſcribit modum expendendi legata.

§. 4. Volumus tamen, quod Idem Magiſter Generalis Calceatorum, debeat integrè Relicta, Donationes, & Diſpoſitiones prædictas, in prædictum opus Redemptionis expendere, abſque eo quod aliquam illorum partem pro ſe, Conuentibus, aut ſua Religione Calceatorum huiuſmodi, nec alias vnquam retinere poſſit.

Derogat contrarijs.

§. 5. Non obſtantibus quorumuis Teſtatorum, & Teſtatricum, etiam vltimis voluntatibus, ac donationum, diſpoſitionibus, quas in, & quoad præmiſſa, quatenus foret opus ſufficienter, & expreſſè commutamus; necnon Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Conſtitutionibus Diſcalceatorum auctoritate Apoſtolica confirmatis, & præcipuè Earum Capitulis vigeſimo, vigeſimoprimo, & vigeſimo ſecundo primæ diſtinctionis, ac omnibus illis, quæ in prædictis litteris Apoſtolicis dictus Gregorius Prædeceſſor voluit, & Nos voluimus non obſtare; Cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die decima quinta Februarij Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, Pontificatus Noſtri Anno 17.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXIX.

Statuit nonnulla pro reſtituendo, ac conſeruando in Ordine fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia diſciplinæ regularis candore.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmiũ.

Militantis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus inſcrutabili diuinæ prouidentiæ voluntate præſidentes, quid pro fœlici Chriſti fidelium quorumlibet, & præſertim regularium perſonarum, quæ abiectis mundi vanitatibus Deo ſub ſuaui religionis iugo ſe totas deuouerunt, ſtatui conferat, diligenter proſpicimus, ac quæ ipſis per emiſſorum votorum ſemitas ad perfectionis apicem contendentibus offendiculo eſſe poſſunt, remouere ſtudemus prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Motiua.

§. 1. Cum igitur ſicut accepimus in Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſeruantia nuncupatorum ob minus accuratam aliquorum præceptorum regulæ eorumdem Fratrum Obſeruantiam, nonnulloſque abuſus, qui in Ordine prędicto contra apoſtolicarum Conſtitutionum, pręcipuè fæl. rec. Clementis Papę VIII. prędeceſſoris noſtri decretorum pro reformatione Regularium editorum pręſcriptum pacem, mentiſque quietem turbari, religionis candorem minui, ac fidelibus nonpaucorum ſcandalorum occaſione pręberi contingat.

Tollis quaſdam introductas diſuetudines, & pœnas apponit contrauenientibus.

§. 2. Hinc eſt quòd Nos eiuſdem Clementis decretis, dictique Ordinis ſtatutis per Sedem Apoſtolicam confirmatis inhærendo Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione confirmantes, quæ, aliàs à Nobis circa Patrum priuilegiatorum abrogationem ſub die xxiij. Iulij anni MDCXXXIX. ſancita fuere, Patrum ex electione factorum, ſiue ij Procuratores, & Commiſſarij Generales Curiæ, ſiue Diffinitores generales Ordinis, ſiue Miniſtri Prouinciarum, ſiue earumdem Cuſtodes, & Diffinitores

à qui-

à quibus ob maiorem multitudinem maiora etiam in eiſdem oriuntur incommoda, quos vltra numerum in Statutis Ordinis præſcriptum minimè augeri poteſt ſine diſpenſatione decernimus, ſiue Prouincialium gratijs & priuilegijs ex Ordinis conceſſione gaudentes extiterint, vel exiſtant, relicta tantummodò præcedentia, ac antelatione, ac ſocio eiſdem per Ordinis ſtatuta reſpectiuè conceſſis, omnes exemptiones, immunitates, licentias, conſuetudines, quæ potius abuſus dici poſſunt, quoquo modo in dicto Ordine obtenta, inducta, intruſaque in perpetuum caſſamus, tollimus, abolemus & abrogamus, ac caſſata, ablata, abolita, & abrogata eſſe, & cenſeri debere, nicumque in poſterum tales exemptiones & priuilegia concedendi facultate penitus interdicta ſub priuationis vocis actiuæ, nec non excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendis pœnis decernimus & ordinamus.

Dat facultatem Superioribus liberè exercendi munus ſuum.

§. 3. Declarantes ex officijs quibus functi fuerint, nullum aliud in ipſis remanſiſſe, vel remanere, aut eos prætendere poſſe ius, arbitrium, ſuperintendentiam, intelligentiam, vel quocunque alio nomine nuncupetur præeminentiam in Prouincijs, Conuentibus, Fratrum collocationibus, alijſque diſpoſitionibus, itaut liberum omnino ſit Prouincialibus, & Diffinitoribus, nullo ad prædictos Patres habito reſpectu, de Conuentibus diſponere, Guardianos inſtituere, Fratres collocare, aliaque exequi, ſicuti communi Prouinciarum bono viderint expedire. Necnon Ordinis huiuſmodi apud Nos & Sedem apoſtolicam Cardinali Protectori, Miniſtro, ac Commiſſario Generalibus pro tempore exiſtentibus contrauenientes Prouinciales & Guardianos taliter electos obtentis officijs eorum arbitrio priuandi, Patres verò præfatos, qui præteritorum officiorum per eos obtentorum prætextu aliquid contra præſentis Conſtitutionis tenorem moliri, innouare, vel attentare præſumpſerint, ad maiorem tranquillitatem, & pacem eorumdem Protectoris, & Generalium arbitrio, etiam ſi opus fuerit, in alienas Prouincias transferendi, & tranſmittendi facultatem concedimus, & impartimur.

Mandat quod Prædicatores eleemoſynas pro prędicationis munere acquiſitas integras Superiori Prouinciali ſignificent, & pœnas appoint.

§. 4. Ne autem in dicto Ordine recipiendi pro concionibus pecuniarias eleemoſynas, deque illis ad Concionatorum arbitrium diſponendi, neve nimius equitandi abuſus vlterius inualeſcant, grauiſſimiſque regulæ Beati Franciſci voto, & præcepto paſſim contrauenatur, Omnibus & ſinguli prædictis Ordinis Concionatoribus vltra pœnas in proprietarios, per eiuſdem Ordinis ſtatuta fulminatas in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub priuatione officiorum quæ obtinent, ac perpetua inhabilitate ad quæcumque officia, gradus, & dignitates in poſterum ipſo facto incurrendis præcipimus & mandamus, vt de prædictis eleemoſynis per ſe nullo modo diſponant, nec eas ab offerentium manibus in ſuas recipiant, vel in Procuratoris, ſiue alterius cuiuslibet depoſit faciant, ſed eaſdem integras Superiori Prouinciali ſignificent, qui de illis iuxta Regulæ præſcriptum diſponat, quibus etiam pœnis eo ipſo ſubijcimus, omnes eiuſdem Ordinis Fratres, qui ſine manifeſta, vera, grauique neceſſitate, aut infirmitate, & abſque licentia Prouincialis, vel in caſu vrgenti, Superioris localis de conſilio, & iudicio trium Diſcretorum Conuentus ſcriptis obtenta equitare auſi fuerint, eaſdem pœnas ſolis Miniſtro, & Commiſſario generalibus aliquando, & ex rationabili cauſa remittendis facultate relicta.

Dat normam equitandi.

§. 5. Quos cum Prouincialibus Prouinciarum, Commiſſarijs & ad vrgentiora negotia deſtinatis paternè monemus, vt in caſu vrgenti, ac per regulam permiſſo memores ſint paupertatis, humilitatis, & patientiæ Chriſti Domini Saluatoris noſtri, ad cuius vitæ exemplum B. Franciſcus, & conuerſationem inſtituit, & Ordinem ſuum fundauit, vilioribus deſpectiſque iumentis contenti ſint, & Comitatu, qui ſæculares diuites decet, relicto, maiori qua fieri poterit modeſtia gradiantur, exemploque cæteros præeuntes ſciant in conceſſis tantum caſibus equitandi licentiam indulgere, ſuper quo Superiorum omnium ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, conſcientiam oneramus, Concedentes Prouincialibus, & Prouinciarum Commiſſarijs vt vno, eoque humili iumento pro ſe tantum, non autem pro ſocijs in neceſſitatis articulo vti poſſint, aliàs ſi contrafecerint, ſuis officijs eo ipſo deſtituti remaneant.

Obſeruari mandat Conſt. Clemen VIII. pœnas apponit: mandat etiam publicari.

§. 6. Ad hæc vt prædicti Clementis Octaui prædeceſſoris noſtri decreta inuiolabiliter obſeruentur, omnes Fratres præcipuè nominatos Ordinis, & Prouinciarum Patres legitimè non impeditos ad Chori ſeruitium, & ad faciendam hebdomadam, aliaſque eccleſiaſticas functiones, ad veſtitum, & Cellarum ſupellectilem eorum ſtatui conuenientes, ad communem menſam cum eiſdem pane, vino, obſonio nihil cuiquam ſingularitatis conceſſo, ad egreſſum de Conuentibus cum licentia & ſocio qualibet vice à Superioribus obtinendis, benedictioniſque receptione poſt regreſſum, ad cubitum ſingulorum in ſingulis lectis, ad orationis mentalis ſtudium, à qua nullus cuiuſcunque conditionis exiſtat, exemptus cenſeatur, ad ſilentij cuſtodiam, ad culparum Capitula, ad virtutum exercitium, ad collocutiones & ſermones ſingulis ſaltem hebdomadis de regulari diſciplina, ſpiritualique profectu tractantes teneri volumus & obligamus nedum ſub pœnis in iiſdem decretis contentis, verum etiam ſub priuatione officiorum, & perpetua inhabilitate in poſterum ipſo facto incurrendis, Guardianis, Prouincialibus, & Generalibus reſpectiuè, qui ſine legitima cauſa prædictorum tranſgreſſionem permiſerint, & notabiliter negligentes, ac tranſgreſſores non legitimè impeditos voce actiua & paſſiua non priuauerint, & in poſterum ad alia non inhabilitauerint, prout Nos hac noſtra Conſtitutione, quam in ſola Ciſmontana familia valere, ſtatimque poſt eiuſdem notitiam a prædictis Superioribus ſub fulminatis pœnis in quolibet Conuentu pro fælici executione publicari, ac in ſtatutis Ordinis inſeri, & cum illis bis ſaltem in anno publicè in Communitate Fratrum legi ſub deſtitutione ipſo facto Superiorum localium negligentium volumus, priuamus, & inhabilitamus, ac tanquam candoris Ordinis obſcuratores, diſciplinæque regularis relaxatores priuatos eſſe volumus & declaramus.

§. 7. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis inuiola-

Decretum irritans.

niolabiliter obſeruari, & per quoſcumque Iudices Ordinarios & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarijs derogat.

§. 8. Non obſtantibus apoſtolicis, ac in Concilijs vniuerſalibus, prouincialibuſque & ſynodalibus editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, dictique Ordinis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoquo indultis, & litteris apoſtolicis, eidem Ordini, illiuſque Superioribus & Fratribus, ac quibuſuis alijs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innouatis, Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenor. ſpecialiter ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quauis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſas habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcat. die prima Iunij 1640. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

CONSTITVTIO XXX.

Confirmat declarationem Conſtitutionis Clementis PP. VIII. de largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdita.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I.

Declaratio Cõſtitutionis Clem. VIII. quomodo munerum largitio, & ex quibus cauſis licita ſit.

NVper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio noſtro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, maiori Pœnitentiario, ac noſtro in alma Vrbe Prouicario in ſpiritualibus generali, & noſtro ſecundum carnem fratre germano à Nobis deputata, emanauit declaratio tenoris ſubſequentis videlicet. Cum circa interpretationem Conſtitutionis fel. rec. Clementis VIII. ſub dat. xiij. Kal. Iulij Pontificatus ſui anno III. de Largitione munerum Regularibus vtriuſque ſexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates ſint exortæ; Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo D. Noſtro Vrbano Diuina Prouidentia Papa VIII. coram Eminentiſſimo Cardinali S. Onuphrij maiori Pœnitentiario, ac Vrbis Prouicario deputata, auctoritate ſibi attributa declarauit, & declarat, munera à Religioſis vtriuſque ſexus tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis, conciliationis beneuolentiæ, eiuſque conſeruationis erga ipſam Religionem, vel Conuentum, alijſuè cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſtè tamen, ac diſcretè, & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu maioris partis cõuentus, ſi talis conſenſus de iure, vel ex conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cuiuſque Religionis reſpectiuè, in huiuſmodi caſibus requiratur. Conſenſum verò Conuentus in §. 2. eiuſdem Conſtitutionis ad leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem, & religioſitatem pertinentia munuſcula largienda &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu aliàs de iure requiſito, & vbi concurrit ambitionis ſuſpicio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis in §. 4. eiuſdem Bullæ requiſitam, ſed ſufficere licentiam, etiam oretenus eiſdem conceſſam, declarat. Comeſſationes autem, computationes, & conuiuia in excipiendis præſertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. eiuſdem Conſtitutionis, cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentiæ ſtatus regularis aduerſentur. Reſtitutionem vero receptorum Conuentibus faciendam, de qua in §. 10. ibidem cautum eſt, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data, donata, ſeu miſſa de iure pertinent, ſi id commodè fieri poteſt, aliàs Conuentui eiuſdem Religionis viciniori loco, vbi petita fuit abſolutio, reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui huc uſque aduerſus ſupradictæ Conſtitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuſcumque in eadem Conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere à proprijs Confeſſarijs abſolui in foro conſcientiæ, etiam non facta prius huiuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum grauiori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori Pœnitentiario, vt de præteritis vſque ad diem datæ præſentium in foro conſcientiæ abſoluat, diſpenſet, & condonet, ſeu abſolui, diſpenſari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit.

Conſtit. Clement. VIII. ſemel in anno legi mãdatur pena contrafaciẽtibus appoſita, & ſublata interpretandi facultate.

§. 2. Etnè prædicta Clementis VIII. Conſtitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuſcunque Monaſterij, Conuentus, Domus, ac Collegij Regularis ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo iure incurren. efficere teneantur, vt in perpetuum ſingulis annis menſe Ianuario, non ſolum prædicta Conſtitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas, omninò obſeruari iubet, & quatenus opus ſit innouat, quemcumque prætenſum non vſum, aut prætenſum vſum, ſeu prætenſam conſuetudinem, damnando, & irritando) verùm etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltem in publica menſa perlegantur. Omnibus tàm Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus, quàm

Laicis

Lucis cuiuſcumque ſint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non comprehenderentur, prædictam Clementis Conſtitutionem contra præſentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate pœnitus interdicta, ſuper quibus Sanctiſſimus mandauit expediri Breue. Datum Romæ die decimaquinta Septembris, 1640.

Prædictam declarationem confirmat, & approbat, ſuppletque defectus. §. 3. *Qua propter vt præmiſſa firmiùs ſubſiſtant, & inuiolabiliter obſeruentur, quantùm cum Domino poſſumus, prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, declarationem præinſertam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos, tàm iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus, illaque inuiolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſeruari.*

Clauſula ſublata, & decretum irritans. §. 4. *Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quoſuis alios quacumque auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

Derogat contrarijs. §. 5. *Non obſtant. quoad ea, quæ declarationi prædicta, & præſentibus ſunt contraria, vel diuerſa, Conſtitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris Noſtri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Conſtitutione huiuſmodi voluit non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xvi. Octobris M. DC. XXXX. Pontificatus Noſtri Anno Decimo octauo.*

M. A. Maraldus.

In nomine, & à Natiuitate Domini Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, Indictione octaua, die vero trigeſima menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia PP. Octaui, anno decimo octauo, Retroſcripta litteræ publicata & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, & alijs locis publicis & conſuetis, per nos Hieronymum Maſcellam, & Andream Caſtruccium eiuſdem S. D. N. Curſorem.

Ita eſt Hieronymus Maſcella D. N. PP. Curſor Pro D. Magiſtro.

Ita eſt Andreas Caſtruccius S. D. N. PP. Curſor.

CLEMENS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Omnis, & quæcumq; munerum largitio R*Eligioſæ Congregationes, ab inſigni ſanctitate viris Spiritus Sancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices Prædeceſſoris noſtri, magno iure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio, & natura; vt etiam, quæ optimè fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis aſtutia, paulatim deficiant, ac niſi cura peruigili ſuſtententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum diſciplina, aut labefactata in priſtinum reſtitueretur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum Nos veſtigijs pro eodem Officij munere inſiſtere, & Paſtoralem illorum ſollicitudinem (quantū poſſumus) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari.*

§. 1. *Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ profeſſoribus, ex Chriſti patrimonio, quibuſuis hominibus quauis ex cauſa ſæpe tribuuntur, grauia incommoda, & mala, etiam boni ſpecie exiſtant, præcauere ſtudentes, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione vniuerſis, & ſingulis cuiuſcumq; Ordinis mendicantium, vel non mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentium, ſeu cuiuſuis Congregationis, Societatis, & inſtituti (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis vtriuslibet ſexus omnem, & quamcumq. largitionem, & miſſionem munerum, penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia & ſingula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tàm ſingulorum Conuentuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuſlibet Prouinciæ, ſiue vniuerſi Ordinis, Societatis, aut inſtituti eorumque, vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quoſcumque Officiales, & ſingulares perſonas; Ipſos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiuſmodi Superiores qualicumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpoſitos, Præceptores, etiam maiores Guardianos, Miniſtros, Rectores, atque Abbatiſſas, Priorиſſas, & alio quouis titulo Præſidentes, tàm ipſis Regularibus, quàm locorum Ordinarijs, ſeu quibuſuis Superioribus ſubiectas vtriuslibet ſexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeò, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palam, vel occultè, tàm communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quouis Statuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque cauſa niſi in Generali Capitulo aut alia Generali Congreg. re maturè diſcuſſa vnanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu cauſa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.* omnibus vtriuſque ſexus religioſis (etiam mendicantibus) etiam ſuperioribus, & capitulis prohibita.

§. 2. *Id autem ità abſolute, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, ſiue eleemoſynis, aut ſubſidijs certis, vel incertis, ordinarijs, ſeu extraordinarijs, menſæ, ſeu maſſæ communis, vel cuiuſ-* Ex omnibus omnino bonis exceptis tamen eſculentis, & poculentis, & ad

Digitized by Google

cuiuſuis Fabricæ, & Sacriſtiæ, quorum bona communiter, vt præfertur, adminiſtrantur, ſeu quæ rationibus reddendis ſunt obnoxia, quàm ex pecunijs etiam, quæ à ſingulis quouis modo acquiſitæ in commune conferendæ omnino ſunt. Nec ſi per viam voluntariæ contributionis in commune congesantur. Nec ſi forſan priuatim, & nominatim cuilibet Religioſo à ſuis Superioribus, vel à proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pijs Chriſti fidelibus, etiam eleemoſynæ, aut charitatis, & illius propriæ perſonæ intuitu attributæ, ſeu quoquomodo per quemlibet religioſum ſuo Monaſterio, Domui, aut Loco acquiſitæ, eique vt ad libitum de eis diſponat, per Superiores conceſſæ fuerint: Præterquam leuiora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuſcula communi tantùm, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori de conſenſu Conuentus videbitur) tradenda.

deuotionē pertinentibus munuſculis, iiſque nomine cōmoni tantum.

§. 3. Sed & huiuſmodi miſſiones munerum ipſis Religioſis vtriuſlibet ſexus non ſolùm per ſe verùm etiam per alios, tàm directè, quàm indirectè probibitas, declaramus.

Etiam per ſe, & per alios directè, & indirectè facta.

§. 4. Neque verò quiſpiam ab hac generali probibitione ſe excuſare valeat, etiam ſi munera miſerit cuius perſonæ Laicæ, vel Eccleſiaſticæ cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quauis non ſolùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verumetiam Eccleſiaſtica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex cauſa, & occaſione benedictionis, vel ſuſceptionis habitus Regularis, tonſuræ, aut Profeſſionis Monialium, tàm ſibi ſubditarum, quàm non ſubditarum, aut ipſi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiuſuis Monaſterij, Prioratus, domus, aut cuiuſlibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicumque etiam ſimplici, & particulari Religioſo. Itaut inter ipſos quoque Religioſos (ne praua ambitione impulſi pro conſequendis in ſua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum (niſi rerum minimarum, de licentia expreſſa, & in ſcriptis Superiorum) ſit pœnitus interdicta.

Facta quibuſcunque perſonis, ſiue intra ordinē ſuperioribus & non ſuperiorib. ſiue extra ordinem etiam quacūque dignitate fungētibus.

§. 5. Inſuper prohibemus, ne vnquam eiſdem Regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occaſione tranſitus, vel primi ingreſſus, aut ad Beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi teſtificationem, ſeu pro prædictis perſonis quauis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, ſeu pro quibuſuis conuiuijs eiſdem, aut cuiuis alteri quacunque occaſione, vel cauſa exhibendis, vel pro commeſſationibus, aut computationibus quibuſuis perſonis, tam eiuſdem Ordinis, Congregationis, Monaſterij, domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis ſpectaculis, etiam pijs intra Eccleſias, Monaſteria, & domos ſacras, ſeu pias, vel extra eas, in quibuſuis publicis, aut priuatis ſacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè geſtæ, etiam in memoriam Paſſionis Dominicæ populis ſpectandæ proponuntur, aut aliàs in prædictis, ſiue in quibuſuis rebus ſuperuacaneis ad pompam, & oſtentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus, Niſi re ipſa pro diuino cultu, & veris Chriſti pauperum indigentijs, ſeruato in hoc charitatis Ordine, & habita neceſſitatis ratione de conſilio, & conſenſu Superiorum ſubleuandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Prouinciale non probibitis, vel Taxam ibi forſan præſcriptam non excedentibus, ſumptus huiuſmodi fiant.

Probibita etiam omnis pecuniæ erogatio in alterius cuiuſcunque etiam Protectoris honorem quacumq; occaſione & tranſitus facta Omnis item ſumptus in reb. quibuſcūq; ſuperuacaneis; & ad Dei cultū, & pauperū indigētias ſubleuādas non neceſſarijs.

§. 6. Declarantes tamen per hæc laudabilem & Apoſtolica doctrina, ſacriſq. Canonibus commendatam hoſpitalitatem præſertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut probiberi. Quinimo ſi qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex inſtitutis, ſtatutis, aut conſuetudinibus aliquorum Monaſteriorum, Ordinum, aut regularium huiuſmodi locorum, aut ex teſtatorum, vel donantium voluntatibus, ſiue aliàs applicati, aut donati ſunt, eos omninò (vt decet) integrè in vſus pios hoſpitalitatis huiuſmodi erogandos eſſe; & præſertim in Monaſterijs, ſeu locis deſertis, & ab laicorum ædibus longiùs remotis, vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Hoſpitalitas tamen non prohibita, ſed cōmendata, in quam fideliter expendendū quicquid in cū finē relictū eſt.

§. 7. Si quos vero ditiores occaſione tranſitus, ſiue aliàs ex deuotionis, aut neceſſitatis cauſa eò diuertere contigerit, eos ſanè decerat Reſectorio communi cum Religioſis, menſaque & ferculis communibus, nequaquam à cæteris diſtinctis contentos eſſe. Verùm omnino ipſi regulares in hoſpitibus huiuſmodi potentioribus excipiendis ita ſe gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religioſa prorſus eluceat.

Ditiores in refectorio, & frugaliter recipiēdi.

§. 8. Pari etiam ratione diſtrictè inhibemus, ne quiſpiam ex prædictis Laicus aliàs, quam vt ſuperiùs dictum eſt, vel Clericus ſæcularis, vel regularis quocunque honore, præminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Prouincialis, aut Monaſterij, Domus, vel loci cuiuslibet ſuperior, eorumuè affines, propinqui, familiares, aut Miniſtri vtriuslibet ſexus, quicquam contra hanc ſuperiùs expreſſam probibitionem recipiant.

Nulli prorſus regulari, vel ſeculari, quacunque dignitate inſigni licet quicquā à religioſis contra prędictam formam recipere.

§. 9. Quod ſi, vel ab aliquo particulari Religioſo, vel à ſuperiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione; ſiue ab vniuerſo Ordine, & Religione quicquam receperint; id quod acceperint ſuum non faciant. Verùm ipſo facto abſque aliqua monitione Iudicis, decreto, ſententia, aut declaratione, ad illius reſtitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeo vt reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in foro conſcientiæ abſolui poſſint.

Recipiens in neutro foro nequit abſolui ante factā reſtitutionē.

§. 10. Hanc autem reſtitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioſo, qui donauit, ſed ei Monaſterio, Domui, vel alteri loco de cuius bonis facta eſt largitio, vel ſi non de eius bonis donatum eſt, in quo idem Religioſus donans Profeſſionem emiſit; vel ſi nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuerſi Ordmis, ſeu Religionis donatio facta extiterit,

Quæ facienda eſt monaſterio de cuius bonis facta eſt largitio.

pariter

Digitized by Google

pariter communi menſæ aut maſſæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera reſtituantur; ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui reſtitutio facienda eſt, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione reſtituendi eximere, vel vt in Pauperes eroget concedere, quoquomodo poſſit.

§. 11. *Quod ſi quis ex ſupradictis Regularibus vtriuslibet ſexus cuiuſcunque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbilibet locorum exiſtentibus coniunctim, cum cæteris, ſeu diuiſim noſtrarum huiuſmodi prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, iuſſionum, decretorum, mandatorum tranſgreſſor fuerit, ſtatuimus, vt omnibus, & ſingulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipſo priuatus, ac ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus exiſtat. Et prætera priuationẽ vocis actiuæ, & paſſiuæ, abſque vllo Superioris decreto, aut miniſterio, ipſo facto incurrat: necnon, vltra huiuſmodi pęnas, etiam tanquam contra furti, & ſimoniæ criminum reum, tàm per viam denunciationis, accuſationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condigniſque ſupplicijs affici debeat.*

§. 12. *Pœnis alijs à iure ſtatutis, ac per alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Monaſterij, Domus aut loci, ſtatuta, vel conſuetudines contra perſonas aliquid præmiſſorum committentes, forſan decretis, & inflictis, nihilominus in ſuo robore permanſuris.*

§. 13. *Quocirca vniuerſis, & ſingulis modernis, & pro tempore exiſtentibus locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs, & Officialibus, necnon quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monaſteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, ſeu Prouincialibus, cæteriſque ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus ipſi, & eorum ſinguli, quantum ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate, & vigilantia, præſentem Conſtitutionem firmiter, & inuiolatè obſeruari, & contra inobedientes, vel tranſgreſſores condignis pœnis animaduerti. Eoſdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis.*

§. 14. *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis dictorumque Monaſteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum, necnon Ordinum, Congregationum, Collegiorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis quorumcumque tenorũ exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus præſentis noſtræ Conſtitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Quæ omnia quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, prorſus tollimus, & abrogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

§. 15. *Volumus autem, vt præſentes literæ in Valuis S. Io. Lateranen. & Principis Apoſtolorũ de Vrbe Baſilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earũ exemplis, & dimiſſis. Quodq; earum exempla, ſeu illorum compendia in libris quorumcumq; Statutorum prædictorũ Monaſteriorum, Prioratuũ, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiuſque Regionis ſermonem verſa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, ſubſcripta inſerantur; & ſaltem quotannis in Capitulis, ſiue Congregationibus cuiuſque earum alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus poſt ſexaginta dies à die publicationis (vt præfertur) in Rom. Curia facienda, vnumquemq; citra montes, vltra montes verò poſt quatuor menſes, perinde arctent, & afficiant, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, & per eos iuratæ fuiſſent.*

§. 16. *Quodq; earum tranſumptis etiã impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, ſtatuti, mandati, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, Tertiodecimo Kal. Iulij, Pontificatus noſtri anno III.*

L. Card. Prodat.

M. Veſtrius Barbianus.

A. de Alexijs.

Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.

In nomine, & à Natiuitate Domini, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, Indict. 7. die vero ſecunda Menſis Iulij, Pontif. Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis diuina Prouidentia Papæ VIII. Anno Tertio. Retroſcriptæ litterę publicatę, & affixę fuerunt in Acie Cãpi Florę, & alijs locis publicis, & conſuetis per nos Proſperum Spada, & Franc. de Bonis eiuſdem S. D.N. Curſ. Ita Franc. de Bonis, S. D. N. PP. Curſ. Gabriel Sauarellus Curſorum Magiſter.

CONSTITVTIO XXXI.

Prohibet omnibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſumptionem Tabacchi in Eccleſijs, earumque atrijs, & ambitu ciuitatis, & Diœceſis Hiſpalenſis.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM Eccleſię Diuino cultui dicatę Domus ſint orationis, eaſque propterea omnis ſanctitudo deceat, merito Nos quibus cunctarum per Orbem vniuerſum Eccleſiarum cura à Deo commiſſa eſt, aduigilare conuenit, vt ab eiſdem Eccleſiis quicunque actus profani, & indecentes procul arceantur. Proœmiũ.

§. 1 *Ita-*

Digitized by Google

Motiua.

§. 1. *Itaque enim ſicuti pro parte dilectorum filiorum Decani, & Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalen. Nobis nuper expoſitum fuit prauus in illis partibus ſu nendiore, vel naribus Tabaccum vulgò nuncupatum vſus adeo inualuerit, vt vtriuſque ſexus perſonæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici, tàm ſæculares, quam regulares clericalis honeſtatis immemores, illud paſſim in Ciuitatis, & Diœceſis Hiſpalen. Eccleſijs, ac quod referre pudet, etiam ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrando ſumere, linteaq; ſacra ſedis, quæ Tabaccbum huiuſmodi prolicit excrementis conſpurcare, Eccleſiaſque prædictas tetro odore inficere magno cum proborum ſcandalo, rerumque ſacrarum irreuerentia non reformident.*

Excōmunicat contrarium facientes.

§. 2. *Hinc eſt, quod Nos, vt abuſus tàm ſcandaloſus ab Eccleſijs huiuſmodi prorſus eliminetur, pro paſtorali noſtra ſollicitudine prouidere, ac Decanum, & Capitulum præfatos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijs eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus ipſorum Decani, & Capituli Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis vtriuſq; ſexus perſonis tàm ſæcularibus, quàm eccleſiaſticis, etiam cuiuſuis Ordinis, Inſtituti, ac Militiarum etiam hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumlibet priuilegiatis, & exemptis etiam ſpeciali nota, & expreſſione dignis, ne de cætero in quibuſuis Ciuitatis, & Diœceſis prædictarum Eccleſijs, earumque atrijs, & ambitu Tabaccum, ſiue ſolidum, ſiue in fruſtra conciſum, aut in puluerem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & alias quomodolibet ſumere audeant, vel præſumant ſub excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo abſque aliqua declaratione per contrafacientes incurrenda pœna, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium interdicimus, & probibemus.*

Mandat publicari, & pœnas contra rebelles infligi.

§. 3. *Quo circa Venerabili Fratri Archiepiſcopo Damiaten. moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio per præſentes committimus, & mandamus quatenus per ſe vel alium, ſeù alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando opus fuerit ſolemniter publicare faciat, illas, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat inuiolabiliter obſeruari; contradictores quoslibet, & rebelles, ac prohibitioni huiuſmodi non parentes per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.*

Derogat contrarijs.

§. 4. *Non obſtantibus fælicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui Prædeceſſoris noſtri de vna, & in conſilio generali edita, de duabus dictis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in iudicium non trahatur, alijſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam Conciliaribus, necnon eccleſiarum prædictarum, ac quorumuis ordinum, congregationum, & inſtitutorum regularium, ac militiarum etiam Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, vſibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis illarum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore manſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

Tranſumptis fidem iubet adhiberi.

§. 5. *Aut ſi aliquibus vel alicui coniunctim, vel diuiſim ſit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem; Volumus autem, vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus adhibeatur fides quę adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 30. Ianuarij. M. DC. XLII. Pontiſ. noſtri Anno Decimonono.*

M. A. Maraldus.

Loco † Annuli Piſcatoris.

DECRETA SACRÆ CONGREGATIONIS

Eminentiſſimorum Cardinalium.

DECRETVM PRIMVM.

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

Incorrigibiles intrà annum è carceribus fugientes, ob fugam puniendi, & carceribus detinendi. Nec Commiſſi impediti Procuratorem valeant conſtituere.

Eminentiſs. e Reuerendiſs. Signori.

IL Generale de Minimi eſpone all'Eminenze Voſtre come hauendo nelle ſue viſite ritrouato alcuni Frati incorrigibili, & hauendone per vltimo rimedio conforme à li ordini di N.Sig.e dell'Eminenze Voſtre condannato alcuni ad vn'anno di Carcere formale, trà il detto anno ſe ne ſogliono fuggire, e vanno vagando.

Supplica perciò l'Eminenze Voſtre ſi degnino dichiarare ſe in queſto caſo queſti tali ſi poſſano dichiarare, & cacciare dal Grembio della ſua Religione come incorrigibili.

In oltre ſe ſecondo li Sacri Canoni, & alcune dichiarationi di coteſta Sacra Congregatione, le quali ſi ſono viſte, gl'elettori poſſano conſtituire vn Procuratore de Corpore Capituli cum generali mandato ad eligendum.

Il che ſi oſſerua nella detta Religione de Minimi quanto alli Superiori, li quali quando ſono impediti mandano vn Vicario etiam non de corpore Capituli, il che è ſtato approuato da coteſta Sacra Congregatione.

In quanto poi alli Commiſſi, e Diſcreti non ſi è mai poſto in eſſecutione, ma quando ſono impediti ſi ſcuſano, e reſtano, però non vi è Regola, ne Conſtitutione, che prohibiſca farlo, ma ſolo non ſi fà, perche non vi è vſo. E però l'Oratore ſupplica l'Eminenze Voſtre reſtino ſeruite dichiarare ſe poſſono li detti Commiſſi, e Diſcreti non oſtante queſto non vſo, conſtituire Procuratore come ſopra, che il tutto, &c.

Nullus è Religione eijci poteſt, niſi poſt annum integrum carceratis, etiam ſi intra dictum annũ

Die 13. Nouembris 1632. Sacra Congr. Cardinalium Concilij Trid. Interpretum. Ad primum Reſpondit legitimè profeſſos non poſſe è Religione eijci, niſi poſtquam per annum integrum in carceribus, in ieiunio, & pœnitentia detenti, & probati fuerint, & eo elapſo non reſipuerint, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuera-

Peyrin. de Priuil. Decr. Nouiſ.

uerint. Fugientes verò vt ſupra è carceribus, etiam pro huiuſmodi fugæ delicto eſſe puniendos, & poſſe ferrea cuſtodia in carceribus detineri. Ad ſecundum Diſcretos, & Commiſſos legitimè impeditos non poſſe conſtituere Vicarium, vel Procuratorem cum generali Mandato ad eligendum, niſi ex inſtitutis, & decretis ſuæ Religionis, hoc eis ſit permiſſum.

è carcere fugiat.

Commiſſi ſiue Diſcreti legitimè impediti nō poſſunt conſtituere Procuratorem cum generali mandato.

Robertus Cardinalis Vbaldinus.

Fr. Paulutius S.Congreg. Concilij Sec.

§.

Pro primo Sacræ Congregationis reſponſo vide Conſtitutionem X. Vrbani VIII. to. 2. §. 4. pag. 290. col. 2. pro 2. vide acta Capituli 3. Barchin. ſeſſ. 1. in fine. & ſeſſ. 5. num. 12. & Paſſarel. in ſcholijs ex cap. Auinionen. de elect. ad 13. pag. 140.

DECRETVM II.

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

Generalis Minimorum Romæ pro eijciendis incorrigibilibus vltra tres Collegas, loco Prouincialis, & duorum huius antiquiorum Collegarum, poteſt aſſumere Zeloſum, ac Superiorem, & primum Seniorem Conuentus.

Eminentiſs. & Reuerendiſſimi DD.

COrrector Generalis Ordinis Minimorum exponit humillimè VV. EE. qualiter iuxta decretum iſtius S.Cong. 21. Septemb. anno 1624. ex ſpeciali facultate Sanctiſſimi emanatum, quo cauetur, Religioſos incorrigibiles à Generali tantum de conſilio, & aſſenſu ſex Fratrum ex grauioribus religionis in ſingulis Capitulis Generalibus eligendis, eijci poſſe, nuper in Capitulo Generali eiuſdem Ordinis Maſſiliæ anno 1635. celebrato, & ab eodem Sanctiſſimo ex certa ſcientia confirmato, ad eum finem, vltrà Generalem deputati fuiſſe tres eius Collegę P. Prouincialis, & duo ipſius antiquiores Collegæ eiuſdem Prouinciæ, in quâ ferenda eſt ſententia. Cum autem ſæpè contingat Generalem adeſſe Romæ, vbi Religio Minimorũ, nec Prouinciam, nec Prouincialem habet, ſed Cõuentus Generali dumtaxat

 imme-

Digitized by Google

immediatè ſubiectos, ideò ſupplicat EE.VV. quatenus ſi ſic ipſis expedire viſum fuerit, decernere, ſeu declarare benignè dignentur, vt in ſupradicto caſu vltra tres ſuos Collegas poſſit ad id, loco Prouincialis, & duorum eius antiquiorum Collegarum aſſumere Superiorem illius Conuentus Romani, in quo ferenda erit ſententia, Zeloſum, ſeu Procuratorem Generalem Ordinis, & primum Seniorem, ſiue Socium prædicti Superioris, vt Deus, &c.

Generalis Minimorũ Romę cum tribus ſuis collegis, Zeloſo, Superiore Conuentus, Romani ſocio eius ſeniori poteſt incorrigibiles eijcere.

Die 19. Iunij 1638. S. Congregatio EE. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, attentis narratis benignè annuit petitioni Correctoris Generalis, vt ſi verè non adſit aliqua Prouincia Romana, & Conuentus Vrbis eidem Correctori Generali tantummodò immediatè ſubiecti exiſtant, poſſit vltra tres ſuos Collegas loco Prouincialis, & duorum eius antiquorum Collegarum ſibi aſſumere Procuratorem Generalem Ordinis nec non Superiorem Conuentus Romani, eiuſque Socium Seniorem.

I. B. Cardinalis Pamphilius.

Franciſcus Paulutius S.C.C.Sec.

DECRETVM III.

Sacræ Congregationis Regularium.

Concedit facultatem Correctori Generali Ordinis Minimorum diſpenſandi ſuper ſtatuto eiuſdem Ordinis Maſsiliæ celebrato 1635. ad ordinem Presbiteratus ſuſcipiendum cum illis Clericis tantùm, qui triennium in ſtudijs abſoluerint.

Eminentiſs. & Reuerendiſſimi DD.

IN Capitulo Generali Ordinis Minimorum Maſſiliæ anno 1635. celebrato, & à Sanctiſſimo toto inſerto tenore anno 1636. confirmato, ſtatutum eſt, quod Clerici aſſignati in Studentes ad Ordinem Presbiteratus nullo modo mittantur antequam ſex annos in ſtudijs conſumpſerint. Verum cum plures Ordinis Prouinciæ ob inopiam, & Miſſarum onera præfatum ſtatutum incommodum experiantur, dicti Ordinis Zeloſus ſupplicat humillimè VV. EE. quatenus concedere benignè dignentur, vt liceat eiuſdem Ordinis Correctori Generali vbi, & quoties ob prædictas cauſas expedire iudicauerit ſuper eodem ſtatuto diſpenſare cum ijs ſtudentibus, qui in ætate ad Sacerdotium requiſita ſunt, vel pro tempore fuerint conſtituti, etiam ſi dictum ſexennium minimè compleuerint. Vt Deus, &c.

Domino Falconerio Ord. Vice Protect. pro informatione.

Attenta Monaſteriorum paupertate, ob quam non poſſunt Fratres oneribus Miſſarum ſatiſfacere, poſſet ſi ità S. Congregationi videbitur opportunum concedi ipſi Correctori Generali facultas diſpenſandi cum illis tantum, qui triennium in ſtudijs abſoluerint.

L. Archiepiſcopus Thebarum.

Generalis Minimorũ poteſt cum ijs qui triẽnniũ in ſtudijs abſoluerint diſpenſare vt ordine presbiteratus initientur.

Sacra Congregatio Cardinalium Negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſita attentis narratis, cenſuit Correctori Generali Ordinis prædicti concedendum eſſe, prout præſentis decreti virtute concedit, vt vbi, & quoties ex præ narratis cauſis pro ſua conſcientia ita expedire iudicauerit ſuper dicto ſtatuto cum ijs tantum Clericis ſtudentibus diſpenſare valeat, qui iuxta votum præfati Archiepiſcopi Thebani Vice Protectoris triennium in ſtudijs abſoluerint, dummodo tamen in eis cætera requiſita concurrant ad præſcriptum Sacri Concilij Tridentini, & Ordinis prædicti conſtitutionum. Romæ die 10. Decembris 1638.

F. Antonius Cardinalis S. Honufr.

Cæſar Fachenetus Secr.

DECRETVM IV.

Sacræ Congregationis Regularium.

Quod nouus Conuentus Rhegij Fratrum Reformatorum de Obſeruantia S. Franciſci ad formam hoſpitij reducatur. Prout infrà; videlicet.

IN controuerſia nuper exorta in Ciuitate Regien. inter Fratres Reformatos de Obſeruantia Sancti Franciſci ex vna, & Fratribus Ordinis Minimorum partibus ex altera, ſuper noua erectione Conuentus, quam prædicti Patres de Obſeruantia, ſub prætextu conſtruendi locum pro curandis Infirmis, facere intendebant ſolita inibi exercitia, & functiones, quæ in Conuentibus formalibus explentur in maximum cæterorum Regularium præiudicium exercentes.

Locus pro curãdis Infirmis a Patribus de Obſeruantia conſtructus, & ab

Sacra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præpoſita facti ſeriem à Vicario Capitulari eiuſdem Ciuitatis edocta, auditis partibus, & negotio ad relationem Eminentiſſimi Bichij maturè diſcuſſo, cenſuit locum prædictum, à Fratribus de Obſeruantia, vt ſuprà extructum reducendum fore, & eſſe ad for-

Digitized by Google

formam hoſpitij,ità vt in eo,non niſi Fratres Infirmi,& Conualeſcentes,& qui pro eorum ſeruitio tantum ſunt verè neceſſarij, permanere, nec vllas in eo functiones ; aut exercitia peragere poſſint, & valeant, quam quæ in ſimplici hoſpicio expleri ſolent, atque ad exequendum, & iugiter obſeruandum per Ordinarium Regien. pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis ſibi benè viſis compelli poſſe, & debere contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. Romæ die 14. Iuuij 1641.

ijs in Conuentum formalem reuerſus in præiudiciũ aliorum regularium ad hoſpitiũ iterum reduci mandatur.

Fr.Ant.Card.S.Honuph.
L.Archiepiſc. Theb. Secr.

DECRETVM V.

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

De Poteſtate Epiſcopi circa clauſuram Monialium.

Die 26. Iunij 1627.

Epiſcopus in monaſterijs ſibi ſubiectis ad cuſtodiendam clauſuram ſo eſt imponere excommunicationem ſibi reſeruatam,

IN vna Viterbien.quæſitum fuit,An Epiſcopus ob clauſuram cuſtodiendam, etiam in Monaſterijs Regularibus ſubiectis poſſit excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſibi reſeruatæ, imponere, circa aperitionem hoſtij clauſuræ extrà caſus indigentiæ,nec non circa acceſſus,& colloquia cum Monialibus, dictaque excommunicatio liget nedum Regulares accedentes, verũ etiam Moniales, tacta de illis mentione, adeò vt Superior Regularis ab huiuſmodi excommunicatione abſoluere nequeat.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum reſpondit, Epiſcopum poſſe.
F.Card.Veroſpius.
Franciſcus Paulutius S.C.C.Secr.

§.

Vide Additamen. cap. 11. ad conſtitutionem Gregorij XV.nu.1.pag.368.col.1.

DECRETVM VI.

Sacræ Congregationis Rituum.

Statuit modum ſeruandum in recipiendis Informationibus pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum ſeruorum Dei.

Prohibetur omnibus ne informationes ſuper ſanctitate alicuius defuncti capere præſumant.

CVm in tota Eccleſiæ gubernatione nihil maius,nihil ſit auguſtius Beatificatione,& Canonizatione Sanctorum, vtpotè homines iam demortuos etiam cum fama ſanctitatis, & miraculorum declarare pro ſanctis, eoſque vti tales colendos,& venerandos decernere.

Peyrin. de Priuil. Decr. Nouiſ.

Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè ampliſſima, atque grauiſſima ritè, ſanctèque conficiatur, prohibet omnibus;& ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſecularibus,quam Regularibus,etiam S.Ioannis Hierorolymitani,Societatis Ieſu, vel aliorum quantumuis ſpeciali nota dignorum ne audeant ipſi per ſe, aut per alios capere Informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere,atque obtinere ad hunc effectum extraiudiciales teſtificationes, aut ſubſcriptiones,ſub pœnis arbitrio Sacr. Congregationis infligendis. Quod ſi Superiori Sacriſtæ ſeu alteri officiali illius Eccleſiæ, in qua requieſcit corpus ipſiuſmet defuncti, vel alterius etiam Eccleſiæ,fuerint reuelata aliqua miracula, ſiue prophetiæ dona, poſſint ea recipere ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tantũ relatoribus,in quorum gratiam contigiſſe narrabitur;teneantur tamen quam primum commodè poterunt eadem deferre, vel obſignata tranſmittere Epiſcopo loci, cum expreſſa declaratione, quod reuelationes ſic, vt ſupra receptæ non faciant aliquem probationis gradum etiam cuiuſuis longiſſimi temporis curſu.

Is vero cui miraculum aliquod narrabitur ſub ſigillo ſecreti recipiat, & ſecreto ad Epiſcopum loci trãſmittat ſ.

Quod decretum cum fuerit ad notitiam S. D. N. Vrbani Papæ VIII. deductum,Sanctitas ſua illud approbauit, ac imprimi, & vbique publicari mandauit. Die 12.Martij 1631.

E. Epiſcopus Portuen. Card.Pius.
T.Tegrimius Epiſc.Aſſiſien.Secr.

Die, & anno ſupradicto affixum, & publicatum fuit ſupradictum decretum ad Valuas Curiæ, ac in acie Campi Floræ, ac alijs locis ſolitis,& conſuetis,vt moris eſt,per me Andream Scalmanum S.D.N.Papæ Curſor.

§.

Vide quæ dicuntur ad Conſtitutionem tertiam Leonis X. T. 1. pag. 111. & 112. col. 1. & Conititutionem 10. Vrbani VIII. ex nouiſſimè additis.pag.420.col.1.

DECRETVM VII.

S.Congreg. Concilij Tridentini.

Circa declarationes eiuſdem S.Congregationis.

Declarationibus S. Congregationis ſolito ſigillo, & ſubſcriptione E. Cardinalis Præfecti, & Secretarij

CVm Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum ſæpius, & nouiſſimè ſub die 29.Aprilis 1621.inhærendo Conſtitutioni fœl. recor. Pij Quarti, quæ incipit Benedictus Deus, &c. decreuerit Indici librorum prohibitorum addendas eſſe omnes, & quaſcumque declarationes, interpretationes,ſeu deciſiones ſub nomine eiuſdem Congregationis Cõcilij abſque illius autoritate impreſſas, & imprimendas; cumq; ad illius notitiam peruenerit,

Digitized by Google

eiuſdẽ Cõgregationis nõ munitis nulla fides habenda.

quamplures ex declarationibus, interpretationibus, ſeu deciſionibus iuxta contingentiam caſuum, illorumque qualitates, & circunſtantias à ſe diuerſis temporibus factis ſecundum ea, quæ proponebantur, fuiſſe alteratas, immutatas, diminutas, ac forſan aliàs mentito Sacræ Congregationis nomine confictas, nulloque propterea authentico ſigillo munitas, iſtaſq; per Tribunalia tam in Vrbe, quàm per Orbem circumferri, & imprimi, conſideranſque quantum detrimenti recipi poſſit, ſi aliqua fides illis adhiberetur. Ex ſpeciali Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. iuſſu mandat, & præcipit huiuſmodi declarationibus, tam impreſſis, & imprimendis, quam manuſcripris nullam fidem eſſe in Iudicio, vel extra à quoquam adhibendam, ſed tantum illis, quæ in authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri, ac typis mandari iuſſimus. Datum Romæ die a. Auguſti 1631.

R. Card. Vbaldinus.

Franciſcus Paulutius S. Cong. C. Secr.

§.

Facit ad ea, quæ de huiuſmodi declarationibus traduntur tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. cap. 25. ad finem.

DECRETVM VIII.

Sacræ Congregationis Rituum.

Pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus ſolemniter in Pontificali cum Baldachino celebrantibus.

Prælatis Congregationis Canonicorum Lateranenſium in tribus ad ſummum Feſtiuitatibus anni concedi poſſe vti Baldachino & certo numero miniſtrorum, non tamen Sedem Abbatialem inſtar Epiſcoporum prope altare permanentem tenere.

REferente Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo Dom. Cardinali Cæſarino petitionem Reuerend. P. D. Marci Antonij Gentilis de Bononia Abbatis Monaſterij B. Mariæ de Pace, & totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Procuratoris Generalis circa vſum Baldachini pro Prælatis ſuæ Congregationis habentibus vſum Mitræ, & baculi, quãdo ſolemniter celebrant in eorum proprijs Eccleſiis: Sacra Rituum Congregatio cenſuit, licere Prælatis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium habentibus vſum Mitræ, & baculi, quando ſolemniter celebrantur vti Pontificalibus cum Baldachino, & numero Miniſtrorum inſeruientium hoc modo, & forma: Vt in tribus ad ſummum anni Feſtiuitatibus in poſterum, ſolemniter celebrare poſſint in Pontificalibus, cum Baldachino, ſine auro tamen, & pompa, nec alios poſſint habere Miniſtros ſacris Indumẽtis paratos, quam duos Diaconos, & Presbyterum aſſiſtentes, vltra Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis euangelio, & Epiſtola; ac ſex alios Canonicos propriæ Congregationis, nempe duos cum Pluuialibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis, coloris tempori conuenientis: Item, quod non poſſint ijdem Prelati vllo modo tenere Sedem Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, vt Sedes Epiſcopalis retineri ſolet; Minuſq; liceat dictis ſex Canonicis vt ſupra paratis ſedere in ſedibus Choralibus, vt ſæcularium Canonicorum mos eſt, ſed ſedes pro Prælatis ſolemniter celebrantibus retineatur in Eccleſia, ijs tantummodo diebus, quibus ipſi Prælati ſolemniter celebrant; Dictiq; ſex Canonici vt ſupra parati, ſedere debeant loco congruo, iuxta Eccleſiarum conuenientem ſitum ſuper ſcabellis ad hũc effectum tunc appoſitis, panno laneo coopertis. Die 15. Ian. 1633.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius.

Iulius Roſpiglioſius Secr.

DECRETVM IX.

Sacræ Congregationis Rituum.

Toletana de Baraxas.

Circa Sepulturam in Eccleſijs Regularium.

QVæſitum fuit, an Rectores Parochialium Eccleſiarum loci de Baraxas, habeant, aut prætendere poſſint ius ſepeliendi cadauera Defunctorum in Eccleſijs Conuentus Conceptionis dicti loci, abſque vlla deſuper licentia Superioris Conuentus.

T O L E T A N A.

Sacra Rituum Congregatio in caſu propoſito reſpondit, Non licere Curatis ſepelire Cadauera Defunctorum, nec officia facere in Eccleſijs Regularium abſque expreſſa licentia Guardiani, aut Superioris Eccleſiarum ipſorum Regulariũ, non obſtante contraria conſuetudine. Die 19. Iulij 1636.

Sepelire Cadauera, & facere officia in Eccleſijs Regularium abſque expreſſa licẽtia Superioris earum Rectoribus & Curatis non licet.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius.

Cæſar Fachenettus Secretarius.

§.

Vide Additament. cap. 3. ad Conſtitut. Iulij 2. num. 19. pag. 320. col. 2. Item Decretum ſequens.

Digitized by Google

DECRETVM X.

Sacræ Congregationis Rituum.

Pro Sepultura Defunctorum.

Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Domini.

Regulares Terræ Motelicæ Camerinen. Diœc. proponunt Eminentijs veſtris infraſcripta dubia, eaque petunt humiliter declarari.

1. An poſſint hæredes defunctorum vocare numerum Religioſorum ſibi bene viſum, in deferendis cadaueribus ad Eccleſias.

2. An cadauera efferri, ſeu tolli poſſint ab alijs etiam Regularibus, & quibuſcumque non vocato, nec expectato Parocho, niſi ipſe Parochus aliud permiſerit, vel adeſſe recuſauerit.

Numerum religioſorū ſibi bene viſum in deferendis cadaueribus vocare licitum eſt heredibus defunctorum.

Cadauera efferre non vocato, aut non expectato Parocho, niſi is permittat vel recuſet adeſſe omnibus interdicitur.

3. An cadauera quotiescumque ad Eccleſias Fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium officia mortuorum, & reliqua munia, quæ in huiuſmodi miniſteria adhiberi ſolent, fieri debeant à Canonicis, & Clero, vel ab ipſiſmet Regularibus ipſius Eccleſiæ, vbi cadauer ſepelitur.

4. An Crux Parochialis deferri etiam debeat, quando cadauer defertur ad Eccleſiam Regularem attenta conſuetudine, & ſemper dilata fuit tantum vna Crux illius Eccleſiæ, ad quam corpora fuerint delata.

CAMERINENSIS.

Ab ipſis regularib. nō a canonicis alijſue officia ſuper cadauerib. peragi debēt.

Vbi vnica tātum crux deferri ſolet in cadauerib. efferendis, deferēda eſt tantū crux Eccleſiæ, ad quā corpus defertur.

Sacra Rituum Congregatio ſupradictis dubijs ſic reſpondendum cenſuit: Ad primum poſſe hæredes Defunctorum vocare numerum Religioſorum ſibi bene viſum: Ad ſecundum negatiuè: Ad tertium, Non à Canonicis, nec alijs ſed ab ipſiſmet Regularibus in proprijs eorū Eccleſijs officia ſuper cadaueribus peragi debere: Ad quartum Vnicam tantum Crucem in cadaueribus efferendis eſſe deferendam, & illam eſſe debere illius Eccleſiæ, ad quam Corpus defuncti defertur.

Die 21. Nouembris 1637.
C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius.
C. Fachenetus Sec.

DECRETVM XI.

Sacræ Congregation. Apoſtolicæ Viſitationis.

Contra Religioſos, & Eccleſiaſticos quoſcumq; quæſtuoſas artes in Vrbe, eiuſque diſtrictu exercentes pro ſecularibus.

Cvm non deceat eos, qui diuino miniſterio adſcripti ſunt, in ſecularibus negotijs nimium eſſe implicatos quæſtuoſas artes exercendo Sacra Congregatio Apoſtolicæ Viſitationis ad tollendos varios abuſus, qui in diuerſis Vrbis, eiuſque diſtrictus Monaſterijs irrepſerunt, dum ipſorum Religioſi per ſe, vel à Communitatibus, aut alijs ſecularibus requiſiti diuerſas Mechanicas, ſeu venales artes exercere ſtudent, quod omninò ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum eſſe debet, cum præſertim in graue hoc artium, & pauperum Artificum, eorumque familiarum in Vrbe, eiuſque diſtrictu exiſtentium præiudicium cedat.

Statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit omnibus, tàm ſuperioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium in Vrbe, eiuſque diſtrictu exiſtentium; quàm particularibus Religioſis, & Eccleſiaſticis quibuſcumque, impoſterum, ſiue Religionis nomine, ſiue particulari audeant, & præſumant per ſe, vel alios exercere in ſuis Conuentibus, aut alibi in quocumque loco vllam venalem artem, ſiue Aromatariam Piſtoriam, Lanificium textrinum, aut aliam quamlibet præterquàm pro ſuis Religioſorum, aut Alumnorum vſibus, nec vllo modo ſecularibus, aut alijs Religioſis, & Eccleſiaſticis, pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocumque elaborata, & ornata vendere etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, abſque ſpeciali licentia in ſcriptis obtinenda etiam ab ijs Religioſis, quibus ex particulari ſuæ Religionis inſtituto id aliàs liceret.

Religioſis, & Eccleſiaſticis quibuſcumque Romæ, & in diſtrictu vrbis, vllā artem mechanicam, præterquā pro ipſorū vſib. exercere, Pharmaca item, & alia quæuis opificia abſque licentia vēdere prohibetur.

Si quis verò ipſorum aliquid contra hoc decretum quoquomodo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam ſuſpenſionis à diuinis, priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ abſque alia declaratione incurrat.

Pœna contrafacientibus apponitur.

Et nihilominus contra eos Generalis Theſaurarius procedat tanquam contra illicitos negotiatores, confiſcando omnia lucra, & capitale, ad dictas artes, & opificia ſpectantia.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſenti decreto contenta, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumq; perſonarum, atque Ordinum, ſiue Congregationis Caſinenſis, Fratrum Prædicatorum, Societatis Ieſu, Minimorum, aut aliorum quorumcumque, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cuiuſlibet alterius inſtituti, etiam neceſſariò, ac in indiuiduo exprimendi Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & cōſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, quibus quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis ſuæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, ceteriſque contrarijs quibuſcunque.

Et

Digitized by Google

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt præſentes ordinationes in Valuis Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ, vt moris eſt affixæ, omnes ad quos pertinet ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuiquè perſonaliter intimatæ fuiſſent. Vtquè earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 29. Auguſti 1637.

I. B. Epiſc. Cam. Viceſg. & Secret.

Odoardus Tibaldeſcus eiuſdem Viſitationis Apoſtolicæ Not.

Die, & Anno ſupradictis affixum, & publicatum fuit ſupradictum decretum ad Valuas Cam. Apoſt. & in Acie Campi Floræ, & alijs locis ſoliris, & conſuetis, vt mos eſt, per me Petrum Paulum Deſiderium Apoſt. Curſorem.

DECRETVM XII.

Sacræ Congregat. Regularium.

Super forma ab Ordinarijs locorum obſeruanda in procedendo contra Religioſos B. Io: Dei; ſi quando aliquis intra Clauſtra degens, extra ea ita notoriè delinquat, vt populo ſcandalo ſit.

Fratres B. Io. Dei habēdi pro veris Religioſis; & eis extra clauſtra delinquentes ſolū iuxta formā Decreti Clem. VIII Ordinarijs punire licet

SAcra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpoſita cenſuit, Fratres Religionis B. Ioannis Dei habendos eſſe pro veris Religioſis: proindeque locorum Ordinarios, volentes procedere contra aliquem illorum intra clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo ſcandalo ſit, teneri obſeruare formam Decreti San. mem. Clem. VIII. hac de re editi; prout eadem S. Congregatio tenore præſentium mandat inuiolabiliter obſeruari. Romæ die 2. Octobris 1637.

F. Antonius Cardinalis S. Honuphrij.

C. Fachenetus Sec.

§.

Decretum Clementis VIII. de quo hic fit mentio habetur in notis ad Conſtitutionem Secundam Sixti IV. num. 68. tom. 1. pag. 24. col. 2. Vide quæ dicuntur ibi à num. 61. ad 70. incluſiuè. Et in Additamentis ad Conſtitutionem Sixti IV. c. 2. à num. 30. ad 32. pag. 316. col. 1.

DECRETVM XIII.

Sacræ Congregationis Sanctæ Inquiſitionis.

De tempore legendi Conſtitutionem Vrbani VIII. circa publicationem decretorum ad S. Officium ſpectantium. Feria V. die Vndecima Februarij 1638.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coràm Sanctiſſimo D. Noſtro D. Vrbano Diuina prouidētia Papa VIII. ac Eminentiſſim. & Reuerendiſs. Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Tempus legendi Conſtitut. Apoſto ic. determinatus pro feria 6 poſt feſtum Aſſumptionis extendit ad totum reſiduum mēſis Auguſti.

Lecto Memoriali Procuratoris generalis Canonicorum Regularium Laterañ peteñ extenſionem diei præfixi in Conſtitutione Sanctiſſimi emanata anno 1633. circa publicationem faciēdam Conſtitutionum Apoſtolicorum & Decretorum ad S. Officium ſpectañ. Sanctiſſimus tempus in dicta Conſtitutione determinatum pro feria ſexta poſt feſtum Aſſumptionis Sanctiſſimę Virginis extendit per totum reſiduum menſis Auguſti, quam gratiam omnibus Regularibus ſuffragari voluit.

Io. Anton. Tomaſius Sanctæ Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis Not.

§.

Conſtitutio de qua hic, eſt Conſtitutio XIII. aliàs XXIII. eiuſdem Sanctiſſimi in Additamentis cap. 12. pag. 392. col. 1.

DECRETVM XIV.

Sacræ Congregat. Regularium.

De tempore legendi Conſtitutionem de celebratione Miſſarum.

PRocurator Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſupplicauerat à S. Congregatione benignè condonari pœnas ijs Superioribus, qui die præfixo lectioni Conſtitutionis Sanctiſſimi de celebratione Miſſarum per obliuionem, vel inaduertentiam legi non feciſſent; & ſimul prorogari terminum præfixum dictæ lectioni: & S. Congregatio reſpondit, vt infrà.

Cōſtitutio de celebratione miſſarum legi poteſt ipſa die in Conſtitutione præſcripta, vel infrà terminum decem dierū immediatè ſequētium.

Sacra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præpoſita præfacti precibus benignè annuendo, gratioſè condonauit ſupradictis Superioribus localibus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini omnes, & quaſcumque pœnas de præterito incurſas ob inobſeruantiam decretis de publican-

blicandis Ordinationibus Sacræ Congregationis Cardinalium Conc. Tridentini interpretum, de celebratione Miſſarum: Et ijſdem Superioribus permiſit, vt in poſterum facere poſſint dictas Ordinationes perlegi, vel die in ipſis Ordinationibus præſcripta, vel infra terminum decem dierum immediatè ſubſequentium. Romæ die 21. Martij 1638.

F. Antonius Cardinalis S. Honuphrij.

C. Fachenetus Secr.

Similiter Procurator Generalis Congregationis Lateranenſis idem ſupplicauerat à S. Congregatione pro Superioribus ſua Congregationis, qua tempus magis ampliauit, vt infra.

Conſtitutio de celebratione Miſſarum legi poteſt infrà terminum vnius menſis ſubſequentis à die in ipſa conſtitutione præſcripta.

SAcra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpoſita præfatis precibus benignè annuendo gratioſè condonauit ſupradictis Superioribus localibus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſis Ordinis S. Auguſtini omnes, & qualcumque pœnas de præterito incurſas ob inobſeruantiam decreti de publicandis Ordinationibus S. Cõgregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum de celebratione Miſſarum, & ijſdem Superioribus permiſit, vt in poſterum facere poſſint dictas ordinationes perlegi, vel in die in ipſis ordinationibus præſcripta, vel infra terminum vnius menſis immediatè ſubſequentis. Romæ die 16. April. 1638.

Fr. Ant. Card. S. Honuphrij.

C. Fachenettus.

§.

Conſtitutio de celebratione Miſſarum habetur ſupra in Vrb. VIII. Conſt. IX. T. 2. pag. 285. Hiſce verò Sacræ Congregationis decretis confirmantur valdè, quæ de huiuſmodi tempore habet P. Peyrinis in Additam. ad dictam Conſtitutionem IX. cap. 12. num. 4. pag. 388. col. 1.

DECRETVM XV.

Sacræ Congregationis Regularium.

De Confeſſionibus Superiorum Congregationis Somaſchæ.

Prælati Somaſchę Cõgregationis poſſunt ſibi inuicē gradu in ordine ſeruato facultatem impertiri confitendi extra ordinē; quā ſemel petere ſuffi cit.

PEculiari Somaſchenſium Religioſorum conſtitutione iubetur, ne vllus ex eiuſdem Congregationis Patribus, abſque ſuorum Superiorum facultate poſſit propria peccata ritè confiteri alicui Sacerdoti, qui ſit extra eorundem Patrum numerum, ac profeſſionem; quo fit, vt priuilegium hoc, commodumque ſpiritale, quo ſubditi gaudent, Superioribus à prædicta conſtitutione denegatum ſit, atque ita eorum confeſſiones irritæ euadant, quod facultatem eiuſmodi ſibi ipſis concedere nequeant. Ne igitur huiuſce commodi Superiores expertes ſint, hoc decreto ſanxerunt Eminentiſſimi Patres negotijs Regularium Præfecti, vt Superiores (gradum ordine ſeruato) ſibi inuicem hanc facultatem impertiri poſſint; hoc eſt locorum Præſides à Prouincialibus, ſeu Viſitatoribus hanc impetrare poterunt facultatem. Prouincialis verò, ſeu Viſitatores, Generaliſque Procurator a totius Religionis Generali Præpoſito, qui tandem Generalis Præpoſitus ab eo Patrum numero, qui Congregationem Generalem repræſentant, eandem obtinere debebit facultatem. Quæ omnia ita intelligenda ſunt, vt non propterea obligentur ijdem Patres Superiores ad hanc facultatem petendam toties, quoties ea nominatim indiguerint, ſed ſufficit eam ſemel petere, cum onera ſibi iniuncta aggredientur, eaque generatim vti poterunt quouſque munera ijs impoſita abſoluerint. Intereà hac facultate is, qui nunc Præpoſiti generalis munere fungitur, perfruatur. Romæ Die 25. Iunij 1638.

Fr. Antonius Card. S. Honuph.

C. Fachenettus Secr.

§.

Regulares cum de licentia Superiorum itinerantur, vel ſunt extrà Conuentum poſſunt confiteri alijs Sacerdotibus Secularibus, vel Regularibus ex conceſſione Sixti IV. ſuprà in conſtit. eius 6. tom. 1. §. 2. pag. 36. col. 2. Vide etiam, quæ habentur ad conſtitutionem 2. Iulij II. à nu. 62. ibid. pag. 70. col. 1.

DECRETVM XVI.

Sacræ Congregationis Concilij Tridentini.

De Poteſtate Epiſcopi circa electionem Abbatiſſæ.

Epiſcopus in electione abbatiſſæ monialium ſubiectarum regularibus non poteſt earum vota excipere.

DIe decima Septembris 1639. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit, Epiſcopum in electione Abbatiſſæ Monaſterij Monialium Regularibus ſubiectarum non poſſe exquirere, ſeu recipere Vota Monialium, ſed illa exquiri, & recipi debere à Superiore Regulari,

lari, ſciente tamen, & audiente eodem Epiſcopo.

I. B. Card. Pamphilius.

Franciſcus Paulutius S. C. C. Secr.

§.

Vide Conſtitutionem 2. Gregorij XV. §. 7. Tom. 2. pag. 258. col. 2.

DECRETVM XVII.

Sacræ Congregationis Regularium.

De electione Sepulturæ liberè facienda pro filijs à parentibus.

Parentibus licitum eſt eligere ſepulturam filijs minoribus etiã inuitis Parochis.

SAcra Congregatio Cardinalium Negotijs Regularium præpoſita ſæpius cenſuit, licere parentibus, in quacumque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, eorum filijs Minoribus, qui ad annos pubertatis nondum peruenerunt, eligere ſepulturam; nec à Parochis locorum impediri poſſe, aut debere; præſertim verò ſi in dictis Regularium Eccleſijs ſepeliri conſueuerint, vel in eis habeant ſepulchrum maiorum. Romæ 20. Ianuarij 1640.

Fr. Anton. Cardinalis S. Honuphr.

L. A. Epiſcopus Theb. Sec.

§.

Vide Conſtitutionem 2. Iulij II. §. 21. Tom. 1. pag. 61. col. 1.

DECRETVM XVIII.

S. Congregat. Controuerſiarum Iuriſdictionalium.

De exemptione bonorum per Eccleſiaſticos poſſeſſorum.

Bona ab Eccleſiaſticis poſſeſſa gaudent exemptione ab onerib. non copulatiuè certis, realibus, & inuariabilibus; & à cameralib. ubi non ſoluendi libertatem præſcripſerint.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Controuerſijs Iuriſdictionalibus Præpoſitorum aliàs cenſuit, bona per Eccleſiaſticos poſſeſſa gaudere exemptionibus à quibuſcumque impoſitionibus, & oneribus, quæ non ſint copulatiuè certa, realia, & inuariabilia iuxta deciſionem in Brunduſina Gabellæ coram bon. memoriæ Penia, & concordañ; necnon ab impoſitionibus Cameralibus etiam compræhenſiuis Eccleſiaſticorum, quando Eccleſiaſtici libertatem ea non ſoluendi præſcripſerint iuxta decretum anno 1600. tempore ſa. mem. Clementis Octaui editum.

Datum hac die 21. Aprilis 1640.

I. B. Card. Pamphilius.

Franc. Paulutius S. Congr. Secr.

§.

Vide quæ de huiuſmodi exemptione Eccleſiaſticorum dicuntur ad Conſtitutionem ſecundam Iulij II. à num. 135. Tom. 1. pag. 78. col. 2.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM, AC VERBORVM NOTABILIVM

Quæ in hoc volumine continentur.

Litera T. 1. tomum primum, T. 2. tomum ſecundum, T. 3. tomum tertium, ſeu additamenta indicant.

Abbates Caſinenſes vti poſſunt Baldachino in aliquibus feſtiuitatibus anni, T. 3. Conſt. 19. Vrbani VIII. pag. 399. c. 1.

Abſoluere poſſunt Prælati ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ, T. 3. n. 35. 36. 37. & 38. p. 316. col. 2. & T. 1. § 8. p. 2. c. 1. & ibid. nu. 10. p. 32. c. 1. Item ab excommunicationibus contra ipſos nominatim latis, T. 3. n. 12. p. 320. c. 1. & T. 1. n. 28. p. 66. c. 2. Non poſſunt abſoluere à ſimonia commiſſa in ordinum ſuſceptione, T. 1. n. 88. p. 73. c. 2. poſſunt tamen per confirmationes obtentas poſtea à Clem. VIII. & Paulo V. T. 3. n. 31. pag. 323. col. 1. abſoluere etiam poſſunt ſuos ſubditos ſi percuſſiſſent Clericum ſæcularem, vel regularem alterius Ordinis. T. 1. nu. 33. pag. 323. col. 1. Non tamen Clericum ſecularem, aut laicum, qui ſuum ſubditum percuſſiſſet, T. 3. ibidem.

Abſoluere poſſunt Prælati regulares non ſolum profeſſos, ſed etiam Nouitios, T. 1. n. 30. p. 67. c. 1.

Abſoluere poteſt Prælatus regularis ſuum ſubditum, qui monaſteria Monialium ingreſſus eſt ad malum finem, T. 2. n. 42. p. 203. col. 2.

Abſoluere non poſſunt Confeſſores regulares ſeculares à ſententiis ab homine latis, etiam ſatisfacta parte, T. 1. nu. 11 12. p. 149. c. 1. ſi autem non habuerint vnde ſoluant, abſoluere poſſunt, T 1. nu. 43. p. 152. c. 2.

Abſoluere non poſſunt Confeſſores regulares in vim Cruciatæ à crimine hæreſis, T 1. n. 45. p. 8. c. 1.

Abſoluere poterant Minimi ab omnibus caſibus, & cenſuris à iure, vel ab homine Epiſcopis reſeruatis, T. 1. n. 61. pag. 53. c. 2. & ibidem §. 2. pag. 111. col. 1. & eſt probabile, quod poſſint etiam nunc in diebus indulgentiarum, T. 2. num. 6. p. 177. c. 2.

Abſoluere non poſſunt Confeſſores regulares ſimpliciter vigore ſuorum priuilegiorum à cenſuris Epiſcopis reſeruatis, T. 1. n. 63. p 54. c. 1.

Abſoluere poſſunt Confeſſores regulares pugnãtes in duello modo non ſit ſecutus effectus, T. 1. n. 64. ibid. & etiam à pœnis abortus fœtus animati, ibidem n. 65.

Abſoluere rapientes bona naufragantium poſſunt Generales Ordinum, T. 1. nu. 66. p. 54. c. 2.

Abſoluere ab omnibus cenſuris, à quibus abſoluunt Epiſcopi poſſunt Confeſſores regulares, T. 1. n. 67. p. 54. c. 2. & qui ſint caſus, à quibus iure communi abſoluunt Epiſcopi, ibid. à nu. 68. ad 76. ibid.

Abſolui poſſunt Regulares à ſuis Prælatis à caſu hæreſis, T. 1. n. 20. p. 32. c. 1. & alijs quibuſcunque, quantumuis grauiſſimis, ibid. nu. 22. Prælati verò qui poſſunt hoc facere ſunt Generales, Prouinciales. ac eorum Vicarij, & Correctores, ibid. n. 25. ibid c. 2. Poteſt id etiam Vicarius relictus à Correctore, qui debet adeſſe per vnum diem naturalem, ibid. n. 26. Non autem ſi eadē die ſit reuerſurus, ib.

Abſolui poſſunt Prælati regulares à Confeſſarijs ſibi electis ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt dicti Prælati ſuos ſubditos abſoluere, T. 1. §. 9. p. 59. c. 2. & ibi. n. 29. p. 67. c. 1.

Abſolui non poſſunt Regulares, etiam de Prælati licentia à caſibus reſeruatis per Regulam à Confeſſarijs, qui ſui Ordinis non ſint, T. 1. n. 63. p. 70. c. 2.

Abſolui non poſſunt à confeſſarijs qui ſui Ordinis non ſint Regulares abſque licentia Prælati, T. 1. nu. 62. p. 70. c. 1.

Abſolutiones & diſpenſationes generales, quæ fiũt à Prælatus tempore reconciliationis, quid proſint, T. 1. nu. 42. pag. 51. c. 2. abſolutiones à cenſuris, quæ fiunt ab Epiſcopis ante ordinationes proſunt etiã Regularibus, ib. n. 43.

Accuſatus de aliquo delicto an ſit eligibilis ad dignitates, T. 3. n. 25. p. 345. c. 1.

Acta in vno Capitulo generali in alio approbari, vel reprobari poſſunt, T. 1. §. 4. p. 95. c. 1. quid? quando primum Capitulum fuit confirmatum à Papa, ibidem n. 3.

Adminiſtratio quid ſit, T. 1. n. 97. p. 74. c. 1.

Agi de delictis in iudicio poteſt tribus modis Ciuiliter, Criminaliter, & mixtè, & quid vtrumque ſit, T. 2. nu. 43. pag. 271. col. 2.

Agnos Dei tangere non licet niſi ſubdiaconis, T. 1. nu. 5. p. 114. col. 1. Contra miniantes autem adeſt excommunicatio, ibidem.

Alexander VI. mutauit nomen Eremitarum, in nomen Minimorum, T. 1. §. 2. p. 38. c. 2. n. 3. & ibid §. 7. p. 41. c. 1.

Alienare bona Religionis nemo poteſt, T. 1. §. 4. p. 86. c. 1. & T. 1. §. 1. p. 285. c. 1. Poſſunt Regulares inconſulto Pontifice in tribus caſibus, T. 1. nu. 5. p. 97 c. 2. Caſus à iure permiſſi, in quibus licitum eſt alienare ſunt quatuor, pag. 98. num. 6. Ad alienandum requiritur cauſa iuſta, & ſolemnitas iuris, quæ ſolemnitas requirit quatuor, ibidem num. 7. Minor pars Conuentus, quę alienationi non conſenſit, an teneatur ſubſcribere alienationi determinatæ à maiori parte, ibid. nu. 8. Qui non vult alienationi à toto Capitulo factæ conſentire tenetur expreſsè contradicere, ibidem nu. 9. col. 2.

Alienari poſſunt fructus, & bona, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, & quæ iſta ſint, T. 1. n. 10. p. 98 c. 2. Pecunia an ſit de his, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, ibidem n. 11.

Alienari nō poſſunt bona mobilia pretioſa, & quæ iſta ſint, T. 1. nu. 12. p. 125. c. 2.

Alienari prohibita, prohibita ſunt etiam pignorari, T. 1. nu. 13. p. 98. col. 2.

Alienari poſsunt res exiguæ, & quæ iſtæ ſint, T. 1. nu. 15 p. 99. col. 1.

Alienandi priuilegium, an fuerit immediatè Minimis conceſſum, T. 1. n. 2. p. 97. c. 1. Contra alienantes, quæ ſint conſtitutæ pœnæ, ibid. n. 4. c. 2.

Alienandi facultatem faciebant Prælati Regulares, T. 1. §. 3. p. 96. c. 1. & ibid. §. 1. p. 143. c. 2. & §. 2. p. 162. c. 2.

Alienationum commiſſiones cui, & per quos fiant, T. 1. n. 1. pag. 96. col. 1.

Altare viaticum quid ſit, T. 1. n. 35. p. 7. c. 1.

Altaria Regularium Epiſcopi viſitare non poſſunt, T. 2. ad 1. p. 25? c. 2.

Altaria priuilegiata non communicantur, T. 2. n. 2. p. 184. c. 2.

Altaris paramenta, an poſſint fieri ex veſtibus alicuius Dominæ, T. 3. n. 2. p. 318. c. 1.

Ambitus Minimis prohibetur, T. 2. p. 241 c. 1. n. 1. & 2.

Angaria quid ſit, T. 1. n. 136. p. 79. c. 1.

Apoſtatæ à fide ad fidem reuertentes, tenentur abiurare apoſtaſiam coram fidelibus, non tamen eſt neceſſe abiurare coram infidelibus cum periculo vitæ, T. 3. n. 26. pag. 330. col. 1. Dicti Apoſtatæ poſſunt habitum nationis diſcretiuum deferre, modo non ſit proteſtatiuus falſæ Religionis, ibid. n. 27. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum dictis Apoſtatis in articulo mortis conſtitutis, ibidem n. 28.

Apoſtatas, & gyrouagos poſſunt Superiores Regulares vbique capere, T. 1. §. 38. p. 46. col. 1. & ibid. nu. 95. p. 58. c. 1.

& ibidem §.15.p.21.c.2.& §.7.p.160.c.1. & §.2 p.126.c.2. & nu.7.p.127.c.2. Et propria auctoritate, T.2.n.20. pag. 212. col.2.

Apoſtatas non ſe ſinentes pacificè duci poſſunt pugnis, & calcibus vrgeri, atque etiam vulnerari, T.1.n.95.p.58.c.1.

Apoſtatas retinẽtes poſſunt excommunicari, T.1.§.13.p.60. c.2.& ibi.n.47.p.68.c.2. Imò ſunt ipſo facto excommunicati, ibidem nu.8. p. 127. c.2. Non tamen ſi eos recipiant tanquam amicos, & familiares, ibid.n.49.p.69.c.1.

Apoſtatæ poſſunt à Superioribus Regularibus licentiari ad ingrediendũ aliũ determinatũ Ordinẽ, T.1.n.52.p.69.c.1.

Apoſtata eſt ille, qui vagatur etiam cum habitu, animo ad Religionem non reuertendi, T.1.nu.5.p. 127. c.2. Secus autem ſi animo ad Religionem reuertendi, ibi.n.6.

Apoſtatæ, & fugitiui debent priuari libris, & alijs rebus ſuo vſui conceſſis, T.1.n.9.p.127.c.1.

Apoſtatæ ad Religionem redire volentes non ſunt recipiẽdi omnes, T.2.§.2.p.186.c.1. Apoſtatæ redeuntes cogendi ſunt renunciare litteris Apoſtolicis, ibi. Et iurare quod talia amplius non attentabunt, ibid. §.4. Probandi ſunt etiam in humilitate, ibid.§.5.c.2. Et remanent priuati voce actiua, & paſſiua, &c. ibidem §.6.

Apoſtatæ ab Ordinarijs capiantur, ſuis Superioribus conſignandi, T.2.§.4.p.290.c.2.

Apoſtoli fuerunt Monachi, & Monachorum Patres, T. 2. n.3.p.193.c.2.

Appellare poſſunt Regulares à ſententijs ſuorum Prælatorum, T.3.n.13.p.327.c.2. Quomodo poſſint, T.1.n.134.pa. 78.c.2.& ibidem §.2.p.104.c.1.&§.32. pag.62.c. 2.& §. 2. pag. 142.col.2.

Appellare poſſunt immediatè ad Sedẽ Apoſtolicam omiſſis medijs, T.3.n.14.& 15.p.327.c.2. Leuis appellatio, quæ, ibi.n.16. Item poſſunt appellare ad Protectorem omiſſo Generali, ſi illum habent ſuſpectum, p.328.n.18. Appellatio à priuatione dignitatum de iure communi ſuſpendit executionem, non tamen in Ordine noſtro, ibid.nu.19. Tridentinum prohibens appellationes in cauſis correctionis, quomodo intelligendum, ibid.20.

Appellare ad Tribunalia ſecularia, vel alios ad ea trahere non poſſunt Regulares ſub pena excommunicationis ipſo facto, T.1.n.3.p.143.c.1.& T.2.§.3.p.220.c.1.

Appellare ad Tribunalia Eccleſiaſtica, quibus non ſubduntur, non poſſunt Regulares ſub pœna excommunicationis ipſo facto. T.2.n.19.p.199.c.2.

Arbores incidere an, & quando ſit alienare, T.1.à nu.17. ad 23.pag.90. c.1.

Arma tenentes in ſuis Eccleſijs, vel Conuentibus Regulares habitantes in Statu Mediolanenſi, ſunt ipſo facto excommunicati, T.2.n.9.p.235.c.2.& T.3.nu.77.p.353.c.2. Quid ſi ad modicum tempus conſeruandum, T.3.ibid. de quibus armis intelligatur, ibid. An cultellus panis veniat appellatione armorum, ibid.

Aſtrologia iudiciaria prohibetur ſub grauiſſimis pęnis, T.3. conſt.17.Vrb.VIII.p. 396. c.1.

Aſtrologi proteſtantes ſe certo non affirmare, quæ dicunt, an in foro conſcientię ligentur pœnis contra eos inflictis in Conſtit.Sixti V.T.2.n.24.p.256.c.1.

Auroræ nomine quid intelligatur, quando dicitur, quod ante auroram Miſſa celebrari non poteſt, T.1.n.21.p.5.c.1.

B

BAnnitos, neque fallitos poſſunt Regulares in ſuis Conuentibus retinere, T.2.nu.5.p.235.c.1. Quod limita in caſu, ibid. n.8.c.2.

Bannitos facinoroſos eijcere à ſuis Eccleſijs tenentur Prælati Regulares ſub pęna priuationis ſuorum officiorum, T.3.n.75.p.353.c.1. In Regno Neapolitano ſunt excommunicati viarum graſſatores recipientes, ibid. Tres caſus quibus dictæ pęnæ nõ incurruntur, ibid. Neq; etiã incurruntur dictæ pœnæ in caſu neceſſitatis, ib. n.76.p.353.c.1.

Beatificatio quid ſit, T.1 n.1.p.137.c.1.

Benedicere ornamenta Eccleſiæ poſſunt Generales, & Prouinciales, T.1.§.19.p.43.c.1. Et etiam Correctores locales ibid.n.44.p.51.c.2.& §.3.p.139.c.1.& §.3.p.101.c.1.

Benedicere poſſunt Prælati Regulares Eccleſias, cęmeteria, &c. T. 1.§.22.p.43.c.2. & §.3.p. 139.c.1.

Beneficium Principis latiſſime interpretandum eſt, T.1.nu. 30.p.67.c.1.

P.F. Bernardus Buil Ordinis noſtri, fuit primus noui orbis Apoſtolus Indiarum Patriarcha, & Vicarius Summi Pontificis, T.3.n.24.p.328.c.2.

Bigamia triplex eſt, & cum qua Prælatus regularis diſpenſet, T.1.n.120.p.77.c.1.

Blaſphemia hæreticalis quæ, T.2.n.16.p.255.c.2.

Bona omnia piè elargita recipere, & retinere poſſunt Minimi, T.1.§.12.p.41.c.2. Non poſſunt tamen ſuper his in iudicio contendere, ibid.& n.6.p.48.c.1.

Bona ſuperflua, quando diſtribuenda, T.1.n.8.p.48.c.1. Bonorum Eccleſiaſticorum ius ſupremum eſt apud Papã, ibi. n.3.p.47.c.2. Bonorum temporalium plus purus vſus facti, conceſſus eſt Minimis, ibidem n.5.

Bona incerta ad Ordinem venientia poſſunt Regulares Prælati in pios vſus conuertere, T.1.§.20.p.61.c.1.

Bona immobilia, ſeu mobilia pretioſa an poſſint Prælati regulares de vno in alium Conuentum commutare, T. 1. n.76.p.71.c.2. Bona aliqua immobilia poteſt Prouincialis cum conſenſu Capituli transferre de vno Conuentu in alium, T.3.n.20.p.320.c.2. Poſſunt etiam Superiores inter ſe aliquod immobile commutare, ibid.n.22. p.321.

Bona Regularium extra Religionem decedentium ad Religionem pertinebant, T.2.§.22.p.207. c.2. Sed nunc ad Cameram Apoſtolicam, ibid.n.22.p.212.c.2.

Bona Chriſtianorum à piratis rapta, poſſunt fideles emere abſque mortali, & onere reſtitutionis, T.3. n.30. p.330. c.2. Etiamſi piratæ ea rapiant illa ſpe vendendi, alias fortè non rapturi, ibidem n.31.

Brachium ſuum tenentur poteſtates ſæculares impendere iudici Eccleſiaſtico ordinatè petenti, & renuendo poſſent peccare mortaliter, T.2.n.20.p.199.c.2. & T.3.n.3.p. 335.col.1. Magiſtratus verò ſæculares ad id teneutur ſub pœna excommunicationis, T.2.n.20.p.199. c.2. Et Eccleſiaſticus tenetur ſuum brachium iudici ſæculari poſtulanti concedere, T.3.n.3.p.335.c.1. Qui poſſunt dictum brachium implorare, ibid. Stante appellatione ritè interpoſita, non tenetur iudex ſæcularis brachium ſuum imploratum præſtare, ibid.nu.4. Nec tenetur brachium præſtare, quando illi conſtaret de nullitate ſententiæ, ibid. n.5. Nec item quando iudex implorans eſt incompetens, ibid.n.6.c.2. Inter brachium, & accommodationem familiæ, quænam ſit differentia, ib.n.7. Poteſt iudex ſæcularis antequam præſtet brachium ſuum velle cognoſcere de iuſtitia ſententiæ, ibid.n.5.

Brindare non debent Religioſi, neque brindantibus reſpõdere, T.2.n.5.p.242.c.2.

Bullas Pontificias publicari vetantes, incurrunt excommunicationem, T.3.n.74.p.352.c.2.

Bulla Cruciatæ ſanctæ non prodeſt Regularibus quoad Sacramentũ pęnitẽtiæ, T.3.conſt.8.Vrb.VIII.p.497.c.1. Nec ea poſsũt vti quoad electionẽ Confeſſarij, T.2.§.2.p.217.c.2.

Bullæ Cœnæ publicatio non derogat priuilegijs expreſsè concedentibus abſolutionem à caſibus in ea contentis, T.1.§.2.p.103.c.2.& ibid.n.1.p.104.c.1.

C

CAlabri Patres Ordinis noſtri habitantes in Conuentu S.Franciſci de Paula Romæ poſſunt permittere, vt in dicto Conuentu habitent Fratres aliarum nationũ, T.3.n. 1.p.372.c.2. Potuit fundator dicti Conuentu obligare Religione, ne in dicto Cõuentu habitarent Fratres aliarum nationum, ibi.n.2. Generalis non poteſt in dicto Conuentu conſtituere localem Lectorem non Calabrum, ibi.n.3.

Campanas pulſare poſſunt omni tempore Regulares, T.2. §.24.p.208.col.1. præterquam in die Sabbati Sancti ante Cathedralem, T.1.§.15.p.146.c.2.& n.32.p.181.c.2.

Canonica portione ſoluere non tenemur, T.1.§.26.p.61.c.2.

Canonizare Sanctos pro ſua Diœceſi olim poterant Epiſcopi, T.1.n.5.p.3.c.1.& ibidem nu.4. p.137. c.1. At nunc ad ſolum Papam. ibidem.

Canonizatio S.P.N.Franciſci, T.1.p.131.c.1.

Canonizatio quid ſit, T.1.nu.1.p.137.c.1. Honores, qui debentur Sanctis Canonizatis ab Eccleſia ſunt ſeptem, ibi. n.2. Per Canonizationem non acquiritur Sanctis maior gloria eſſentialis, ibi.n. 3. Ad Canonizandum aliquẽ Sanctum requiruntur merita, & miracula, ibi.n.5.c. 2. Sancti Canonizati merita, quomodo probentur, ibid.n.6. Miracula quæ requiruntur ad Canonizandum aliquem Sanctum debent habere quatuor conditiones, ibid.n.7. Merita ſine miraculis, nec hęc ſine illis ad aliquẽ Canonizãdũ ſufficiunt,

Digitized by Google

ſufficiunt,ibid.n.8.Errare non poteſt Eccleſia in Canonizatione Sanctorum,ibid.n.9.

Capitula generalia, & intermedia Ordinis Minimorum per quos celebranda,T.2.p.187.c.1.

Capitulum generale Paulæ,Ord.Minim.confirmatur, T.2. p.179.c.1.& eſt confirmatio ex certa ſcientia, ibi.nu.11. p.181 col.2.

Capitulum generale Minimorum,quod in die Aſcenſionis celebrabatur, celebrari mãdatur in die Pentecoſtes.T.2. §.2.p.225.c.2.

Capitulum Thuronenſe Ord.Minim.confirmatur. T.1.§.2. p.94.col.2.

Capitula prouincialia poterant olim in Ord. Minimorum anticipari, & differri, T.1.§.4.p.115.c.1.Secus nunc T.2. §.4. p.179. c.1.

Capitulum Generale, quomodo poſſit renunciare priuilegiis Papæ, T.3.n.10.p.319.c.1.

Capitulum Prouinciale,vel Diffinitorium cum declarat aliquem eſſe inhabilem ad aliquam dignitatem, quantum duret dicta inhabilitas, T.3.n.30. p.406. c.1. Sic declaratus inhabilis, poteſt appellare,ibid.n.31.

Capitulum Diffinitorium poteſt Correctorem electum, & confirmatum in aliquo Conuentu in alium cum cauſa, transferre,T.3.n.43.p.407.Quid faciendũ,quando in Capitulo locali non ſunt,niſi tria vota, & debent fieri tres electiones, ibid.nu.44.

Captiui fideles poſſunt bona quorumcunq; infideliũ iure cõpenſationis ſurripere,T.3.n.29.p.332.c.1.Non peccant exercẽtes aliquã arte gratia lucri ad fauorem Turcarũ,ib. n.32.p.330.c.2.Quid dici debeat de captiuis remigãtibus alios concaptiuos ad remigandũ hortantibus, ibid.n.34.

Captiui Sacerdotes à nullo Ordinario approbati,an validè concaptiuos abſoluant, T.3.nu.33.p.431.c.1.Et an validè matrimoniis aſſiſtant inter concaptiuos celebratis, ibid. n.35.p.331.c.1.An dicti poſſint Sacramentum Baptiſmi ſolemniter miniſtrare, ibid.n.36.

Captiui fideles cauponam exercentes, an poſſint locare cubicula ſecretiora infidelibus quos credunt iis vſuros ad ſodomiam exercẽdam,T.3.n.331.p.33. c.1.Captiui fideles in miniſterium cauponæ aſciti,an poſſint aliquid ſurripere ab infidelibus,ibid.n 38.An fideles captiui prepoſiti aliis concaptiuis poſſint hos accuſare apud Dominos de negligentia,& aliis meliora veſtimenta, & cibos abũdantius tribuere,ibid.n.39.c.2. Fideles captiui quomodo debeant reſpondere infidelibus malè dicentibus de noſtra fide,ibid.n.40.Vide pro his caſibus captiuorum,ibid. à n.41.vſque ad 46.p 332.c.1.

Cardinalibus in præiudicium tertii non eredendum, T.3. n.2.p.368.c.1.& T.2.n.3.p.261.c.2. Etiamſi dicant habere viuæ vocis oraculum, T.2.ibi. Secus autem vbi non agitur de præiudicio tertii,ibid.n.4.Nec poteſt Papa facere, vt vni Cardinali in præiudicium tertii credatur,ibid.n.5.

Carolus Rex Francorum particularem geſsit deuotionis affectum ad Ordinem Minimorum,T.1.n.2.p.38.c.2.

Charitas incipit à ſeipſo, T.3.n.8.p.305.c.1.

Charitatiuum ſubſidium quid ſit, T.1.0.86.p.73.c.1.

Caſeus habet nutrimentum exile, T.3.n.51.p.349.c.1.

Caſus reſeruandi poteſtas eſt in Eccleſia.T.1.nu.37.p.7. c.1.

Caſus à iure Epiſcopis reſeruati,qui ſint,ibi.n.38 1.c.2.

Cenſus quid ſit, T.1.n.136.p.79 c.1.

Cenſuras publicare, quomodo teneantur in ſuis Eccleſiis Regulares, T.1.§16.p.146.c.2.

Cinguli noſtri indulgẽtię quo iure nitãtur,T.3.n.5.p.325.c.1.

Clauſula, *Quòd à nullo poſsit excommunicari, &c.* quomodo intelligenda,T.3.0.18.p.320.c.2.

Clauſula, *In foro conſcientiæ*,quid ſignificet,T.1.n.43.p.8.c.1.

Clauſula, *Sine Parochia præiudicio*,T.1.n.32.p.6.c.2.

Clauſula, *Dicitur plenius contineri*, T.1.n.2.p.11.c.2.

Clauſula, *Vocatis,qui fuerint vocandi*,T.1.n.4.p.12.c.1.

Clauſula *Si tibi de præmiſsis*, T.1.n.5.p 12.c.1.

Clauſula, *Supplẽs omnes, & ſingulos defectus*,T.1.n.8.p.12.c.1.

Clauſula, *Non obſtantibus*,T.1.n.11.p.12.c.2.

Clauſula Generalis ſequens ea, quæ ſpecialiter ſunt præmiſſa, reſtringitur generaliter ad ea, quæ ſunt ſimilia expreſſis,T.1.n.1.p.15.c.2.

Clauſula, *Prorſus eximimus, & totaliter liberamus*. T. 1.nu. 10.p.17.c.1.

Clauſula, *Nobis, & ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus*, T.1.n.11.p.17.c.1.Pro iſta clauſula vide cap.*Alienationes* 12.q.2.& c.*Ego N.*de iur.iur.& c.*Hæc ergo* de conſecr.d.1.

Clauſula, *Indignationem omnipotentis Dei*, T.1.n.19.p.28.c.1.

Clauſula, *Canonica monitione præmiſſa*, ſignificat quod canonica monitio fit ter.Per aliquot dierum competentia interualla,ſeu fit vna ſola monitio pro tribus aſſignatis dictis dierũ interuallis pro 1.2. & 3. monitione,ita habetur in c.*Conſt.§.Statuimus* de ſen.excom.in 6.T.1.n.6.p.26.c.1.

Clauſula, *Motu proprio*,T.1.n.1.& 2.p.30.c.1.

Clauſula, *Quorum tenorem*, T.1.n.1.p.30.c.2.

Clauſula, *Quoties expediens fuerit*,T.1 n.1.p.37.c.2.

Clauſula, *Contradictores*.T.1.n.2.p.37.c.2.ibi.n.3.

Clauſula, *Abſoluentes à quibuſuis*,T.1.à n.54.ad 59.p.53.c.1.

Clauſula, *Pro potiori cautela*, T.1.n.59.p.53.c.2.

Clauſula, *Inuocantes*. T.1.n.96.p.58.c.1.

Clauſula, *Nulli ergo*, T.1.n.98.p.58.c.2.

Clauſula, *Gratiam, & Communionem*, T.1.n.24 p.66.c.2.

Clauſula, *Obſeruata forma canonica*, T.1.n.31.p.67,c.1.

Clauſula, *Quoties opus fuerit*. T.1.n 3.p.85.c. 2.

Clauſula, *In omnibus, & per omnia*,ibid n.4.

Clauſula, *Super omnes, & ſingulos*,T.1.n 4.p.87.c.1.

Clauſula, *Quatenus ipſi,vel alter eorum*, T.1.n.2.p.94. c.1.

Clauſula, *Appellatione remota*, T.1.n. 3. p.94.c.1.

Clauſula, *Quatenus ſunt in vſu*,T.1.n.1.p. 104 c.2.& T.2.n.2. pag.119 col.1.

Clauſula, *Prout conſcientiæ*, T.1.n.1.& 2.p.139.c.2.

Clauſula, *Non obſtantibus, quibuſcumque conſuetudinibus*, T.1 n.3.p.142.c.1.

Clauſula, *Sic per quoſcumque*,ſublata,T.1.0.4.p.143.c.2.

Clauſula, *Irritum, & inane*, T.1.n.5. p.143.c.2.

Clauſula, *Super quo prudentiam veſtram requirimus*, T. 1.n. 1. p.144.c.1.

Clauſula, *Aut ſi alicui*. T.2.§.34 p.209.c.1.

Clauſula, *Et ſacris Canonibus*, T.2.n.2.p 219.c.2.

Clauſula, *Et Decretis*,T.2.n.3.p.219.c.2.

Clauſula, *Confirmamus, & innouamus*, T.2.n.1.p.228.c.2.

Clauſula. *Suſcipimus*,T.2.n. 1.p.185.c.2.

Clauſula, *Salua moderatione*, T.2.n.2.p.185.c.2.

Clauſula, *Si, & prout de iure*. T 1.n.16 p.84.c.2.

Clauſura Monialibus indicitur, T.2.§.1.p.194.c.2. renuentes compellantur,ibid.§.2.c. 1. Tertiariæ etiamſi ſolemne votum emiſerint, ibid.§.3. volentes ſine clauſura viuere non poſſunt alias recipere,ibid.§.4.

Clauſura, vt ſeruetur, curare tenentur ordinarii, T.2.n.2.p. 196.c. 1. a clauſura non poſſunt Moniales exire, niſi in certis caſibus, ibid. nu.3. c.2. pro clauſura adſunt aliquæ Conſt.Pontif.ibid.n.4.Ad clauſuram an poſſint Moniales à Papa obligari,ibid.n.12.p. 198. c.2. Ad egrediendum è clauſura Monialibus exemptis quis poſſit facultatem concedere,ibidem n.22.p.200.c.1.

Clauſuræ locus quis ſit,T.1.nu.21.p.200. c.1. Iuſta cauſa licentiæ concedendæ Moniali ad egrediendum è clauſura, quæ ſit, ibid. nu.23. Iuſta cauſa egrediendi è clauſura eſt morbus ita periculoſus,vt ſalus Monialis de conſilio Medici deſperetur ea non egreſſa, ibidem nu. 24. *Sed quid ſi hoc caſu Superior,ad quem ſpectat,licentiam dare nolit,poterit ne Monialis egredi,ea petita,licet non obtenta? Reſpondetur, hanc quæſtionem tractat ex profeſſo Penna leg.1. C.de comm. lib.12.& quod poſsit multis probat, quod videtur valde rationabile,nam tunc irrationabiliter talis licentia denegatur, & vita hominis æſtimari non poteſt.ff.de donat.l.pen.in fin.& ad eam conſeruandam iure naturæ tenemur. Immo addit dictus Penna,quod poſſet dicta Monialis inuita extra clauſtra trahi, quod poſſet eſſe verum.*Iuſta cauſa etiam egrediendi è clauſura eſt imminentis belli periculum ſiue à fidelibus, ſiue infidelibus, vel Hæreticis bellum fiat, T.2.nu.25. p.200. c.2.Erit etiam cauſa iuſta electio Monialis in Abbatiſſam alterius Conuentus,ibid.n.26.p.201.c.1.

Clauſura egrediens Monialis abſque iuſta cauſa, quas pœnas incurrat, T.2.n.27.p.201.c.1. Et ſimiliter quas pœnas incurrant Moniales aliquem intra clauſuram admittentes,ibid.n.29.p.203.c.2.Clauſuram violantes ad duos paſſus non incurrunt pœnas, ibid. nu.40. Clauſura egreſſam Monialem quis abſoluet, ibidem n.41.

Clerici ſæculares quare tanto odio proſequantur Regulares,T.3.n.8.p.326.c.1.

Clerici coniugati quomodo gaudeant priuilegiis Clericorum,T.1.n.143.p.80.c.1.

Digitized by Google

Clerici negotiari prohibentur cauſa lucri, T.1.n.45.p.80.c.1.

Clerici auariſſimi ſunt, & auaritia obcæcantur, T.1.§.1.p.123.c.1.

Clerici peregrini quomodo poſſint admitti ad celebrandũ in Eccleſijs Regularium, T.1.n.5.p.141.c.1.

Clericorum tonſura quid ſignificet, T.2.n.3.p.193.c.2.

Clericus venator, ſi hominem occidat, non ideo eſt irregularis, T.1.n.109.p.76.c.2.

Collectæ valebant pro Miſſis, T.1.§.5.p.76.c.1.& ibi.§.3.p.108.c.1. Vide aliud ampliſſimum priuilegium in hac materia, ibid.n.4.c.2.

Collega Generalis aſſumptus in Ordine noſtro ſecundum Correctorium in morte Generalis poteſt ſumere ſigilla, & fungi officio Vicarij Generalis, ac votare in electione facienda de Vicario Generali, T.3.n.4.p.377.c.1. *An autem veniente Collega, in cuius locum fuit aſſumptus teneatur ei renunciare dicta ſigilla, & Vicariatum Generalē ibi non diſcutio, nec hic adeſt locus.* Collegæ aſſumpti habent eandem poteſtatem, quam alij, ibid. Collegæ ſubſtitutio poteſt fieri in Ordine noſtro non ſolum ſi Collega ſit abſens cauſa viſitationis, ſed etiam ſi ſit abſens ex alia quacunque cauſa. ibid. n.5.c.2.

Collegæ Generalis, aut Prouincialis non poſſunt eſſe conſanguinei, & quare, T.3.n.66.p.351.c.1. & T.2.§.7.& 9.p.230.c.1. Et quare etiā vſq; ad ſecundum gradum, T.3.n.67.p.352.c.1. Neque etiam poſſunt eſſe adhærentes ipſorum, ibid.n.68.

Collegæ ſi recuſentur in viſitatione, quid faciendum, ibi n.84.p.354.c.2. Et quid quando Collega infirmatur, & non poteſt adeſſe viſitationi, ibi.n.85. Viſitationes Conuentuum paruulorum poſſunt remitti Collegis, ibi.n.86.

Collegæ Generalis tenentur ſemper ire cum Generali, T.2.§.8.p.230.c.1.

Collegæ Superiorum an ſint comparticipes officij, T.2.n.21.p.232.c.2.

Collegæ ſunt exempti à iuriſdictione Correctorum, T.3.n.6.p.377.c.2. p.378.c.1.

Collega reconuentus tenetur reſpondere Correctori eũ iuridicè interroganti, ibid.n.7. Collega delinquens in Conuentu an poſſit a Correctore puniri, ibid.n.8. Et an ſi delinquat notoriè, ibid.

Collega nolens parere Correctori in caſu ſibi permiſſo, poteſt ab eo puniri, T.3.n.9.p.378.c.1. Correctores tentantes punire Collegas in caſibus ſibi non permiſſis debent puniri à Prouincialibus, ibid.n.10.c.2. Collegæ tenentur exhibere Correctori ius reuerentiale, & in quo illi conſiſtat, ibid.n.11. Collegæ an teneantur ſtare Capitulis culparum? ibid.n.12. An poſſint intereſſe Capitulis localibus in quibus agitur de negotijs Cõuentus, ibid.n.13. An ſint locales in quolibet Conuentu ſuæ Prouinciæ? ibid. n.14.p.379.c.1. Poſſunt cogi à Correctore aſſiſtere diuinis officijs, ibid.n.15.& 16. An, & quando Corrector poſſit punire Collegam relaxatè viuentem? ibid.nu.17. Collegæ tempore Viſitationis præcedunt Correctores, ibid. n.18.c.2. Tenentur obſeruare Correctoris ſtatuta in bonum commune edita, ibid.n.19. Non poſſunt cogi à Correctore ad teſtimonium ferendum, ibid n.20. An teneantur iurare ad mentem Correctoris, ſi iniuſtè cogantur? ibid.n.21. Si Collega iuret falſum in caſu licito, poteſt à Correctore puniri, ibid.nn.22.p.380.c.1. An poſſit aliquo caſu cogi iurare? ibid.n.23.

Color habitus Minimorum poteſt eſſe magis, vel minus niger, iuxta vſum Prouinciarum, T.2.n.17.p.243.c.2.

Coloris fului laudes, T.2.n.2.p.318.c.1.& n.16.p.243.c.2.

Coloni Regularium ſunt exempti à ſolutione decimarum, T.1.n.132.p.78.c.2. Non tenentur ſoluere gabellas, ibid. n.142.p.79.c.2.

Commiſſus in Ordine Minimorum non poteſt eligi, qui nõ fuerit localis per tres annos continuos immediatè antecedentes in Prouincia, in qua eſt eligendus, T.3.conſt.2. Greg.XV. p.371.c.2. Id tamen non intelligitur de naturalibus Prouinciæ, ibid.n.1.p.372.c.1. Collega Prouincialis, & Corrector renunciantes ſuis officijs, poſſunt eligi in Commiſſos, ibid.n.2.

Communicatio priuilegiorum quomodo intelligenda, T.1.§.1.p.101.c.1.& n.1.p.102.c.1.

Communicatio priuilegiorum inter Mendicantes, T.1.§.1.p.144.c.1.

Communitas eſt dignior perſona particulari, T.3.nu.15.p.356.c.1.

Confeſſiones audiendi facultatem habent Regulares à Papa mediante approbatione Epiſcopi, T.3.n.20.p.313.c.2. Approbatio ad confeſſiones data Epiſcopis Regularibus non poteſt ab eiſdem reuocari, & ſi reuocetur, poſſunt nihilominus dicti Regulares confeſſiones audire, ibi. Regularis approbatus ad dictas confeſſiones audiendas ſi exeat è loco, cum reuertitur non indiget noua approbatione, ibid. & T.1.n.45.p.21.c.2. Quid ſentiendum de approbationibus datis ad certum locum, vel pro certis perſonis, T.1 n.21.p.314.c.1. Et de datis ad certum tempus, an ſcilicet eo tranſacto, poſſint confeſſiones audire? ibid. n.22. Quid ſi Epiſcopus approbet pro proprijs Eccleſiis, & pro alijs de licentia Parochorum, an contradicentibus Parochis poſſint Regulares in dictis Eccleſiis confeſſiones audire? ibid.nu.23.p.314.c.2. Approbatio ad dictas confeſſiones audiendas non eſt munus gratuitum, ſed eſt opus iuſtitiæ, vnde tenentur Epiſcopi idoneos Regulares ſub mortali approbare, ibid.n.14. Quam malè faciant Epiſcopi, qui dicto examine abutuntur ad proprias iniurias vlciſcendas, ibid.

Confeſſor, qui eſt idoneus pro Prælato, non cenſetur per hoc idoneus pro aliis, T.3.nu.39.p.317.c.2. Confeſſor audiēs cõfeſſiones ſine licentia qua pœna puniatur? ib.n.40.

Confeſſor eligendus à ſubdito vigore Priuilegiorum debet eſſe approbatus à Superiore, T.1.n.27.p.32.c.2.

Confeſſorum Fratrum approbatio ad quos pertineat in Ordine Minimorum, T.1.n.28.p.34.c.1.

Confeſſores Congregationis Oratorij approbati Romæ vbique confeſſiones audiunt, T.1.n.80.p.55.c.2.

Confeſſores ſæculares ab Ordinariis approbantur, T.1.§.6.p.146.c.1. Indebitè recuſati, nihilominus confeſſiones audiunt, ibi.n.7.p.148.c.2. Examen eis faciendum eſt ſolum circa doctrinam, ibid.n.8.

Confeſſores Regulares poſſunt audire confeſſiones omniū vndecunque venientium, T.1.n.9.p.149.c.1. & Minimi, ibid.§.32.p.46.c.1.& §.7.p.146.c.2. poſſunt vota forenſium commutare, & diſpenſare, ibid.n.10.

Confeſſores Regulares poſſunt confeſſiones ſæcularium infirmorum in propriis domibus audire, T.1.n.14.p.149.c.2.& T.2.§.4.p.206.c.1.

Confeſſores Monialium tam ordinarii, quam extraordinarii ab Epiſcopis approbari debent, T.1.nu.47.p.22.c.1. & T.2.§.4.p.258.c.1. Antea non erat neceſſe, T.2.§.5.p.206.c.1. Et generaliter approbati ad audiendas ſæcularium confeſſiones non audiunt confeſſiones Monialium, ibid, ad 9.p.260.c.1. Nec approbati ad audiendas confeſſiones vnius Monaſterii, poſſunt audire confeſſiones Monialium alterius, ibid. ad 10. Nec approbati pro vna vice poſſunt pluries Monialiũ confeſſiones audire, ib.ad 11.p.260.c.1.

Confeſſores tenentur monere pœnitentes ſollicitatos de obligatione denunciandi, T.2.§.9.p.263.c.1.

Confeſſores Regulares ſemel ab Epiſcopo examinati ab eodem amplius examinari non poſſunt, T.1.n.41.p.21.c.1.& T.2.n.8.p.210.c.2. & qui generaliter reperti ſunt idonei generaliter etiam debent approbari, T.1.n.42.p.21.c.1. admiſſus ad beneplacitum abſque limitatione intelligitur generaliter admiſſus, ib.nu.33. c.2. Nec admiſſus ad beneplacitum poteſt ad libitum Epiſcopi reuocari, ibid. n.44. *Quia Mendicantes poſt approbationem Epiſcopi ſtatim ad id delegantur à Sede Apoſtolica, vt Gloſſa in c. Si Epiſcopus de pœniten. & remiſſ. in 6. verb. Item tertio præſuppono.*

Confeſſores Regulares liberè ab Epiſcopis approbati ad cõfeſſiones audiendas nõ poſſunt ab eiſdē reprobari abſq; noua cauſa ad cõfeſſiones pertinente, T.1.n.45.p.21.c.2.

Confeſſores Regulares vnius Conuentus non poſſunt omnes ſimul ſuſpendi, T.1.n.45.p.21.c.2. Quod ſi Epiſcopi contrariū faciant, non tenentur Regulares obedire, ib. *Et colligitur ex conſt.16.Leon.X.§.6. vbi confitentes Regularibus indebitè recuſatis ſatisfaciunt præcepto c. Omnis vtriuſq; ſexus.*

Confeſſores Regulares indebitè approbati ad confeſſiones audiendas, mortuo Epiſcopo non ſuſpenduntur, T.1.nu.46.p.22.c.1.

Confeſſionalia ſine conſenſu Superiorum non valent, T.1.§.2.p.102.c.2. etiamſi in dictis confeſſionalibus libera licentia vtendi illis ſubditis concedatur, ibi.n.3.p.103.c.1.

Confirmans Religionem caput illius eſt, T.1.n.9.p.3.c.2.

Con-

Digitized by Google

Confirmatę Religiones antiquitus ad Epiſcopos pertinebat, T.1.n.2.p.2.c.2. Quæ poteſtas longo vſu, & conſuetudine ſublata eſt, ibid.n.4.p.3.c.1.

Confirmatio in forma communi, & ex certa ſcientia quomodo differant, T.1.n.4.p.16.c.1.

Confirmatio priuilegiorum ex certa ſcientia habet vim reſtituendi priuilegia reuocata, T.1.n.11.p.84.col.1. Confirmatis priuilegijs ex certa ſcientia alicuius Religionis an cenſeantur confirmata pro omnibus, ibid. n.12.c.2.

Confraternitates ſæculares quomodo inſtituendæ, T.3.n.78. p.353. c.2.

Coniux habens votum caſtitatis, ſi alter coniux fiat adulter, tenetur votum ſeruare, T.1.n.11.p.64.c.2.

Conſeruator non poteſt cognoſcere, niſi de iniurijs notorijs, T.3.n.10.p.369.c.2.& T.2.n.34.p.270.c.2. poteſt Tribunal mutare, T.3.n.11.p.369.c.2. poteſt cenſuris cohibere Ordinarium iuriſdictionem exercentem in Regulares, ibi.n.12. poteſt etiam brachium ſæculare implorare, quod Iudex dare tenetur, ibid. Non poteſt tamen dare licentiam extrahendi aliquem ex loco Sacro, ibi.n.13. p. 370.c.1. Poteſt procedere contra eos, qui extraherent violenter confugientes ad Eccleſias Regularium, ibi. Poteſt à cenſuris à ſe latis abſoluere, ibi.p. Non poteſt exigere ſalarium, nec munera accipere, ibid. n.14. Si ſe Religioſi duarum Religionum inuicem notoriè iniurient quiſnam ex eorum Conſeruatoribus procedet? ibi.n.15.c.2. Si Cõſeruator excedat à quo puniatur, ibid.n.16. Si excedat in ſuo officio ſuſpenditur per annum ab officio Conſeruatoris, T. 2.§.8.p.267.c.2.& ibi.n.62.p.273.c.2. Quid requiratur ad incurrendam hanc pœnam, ib.n.63. Epiſcopi, & eorum Vicarij poſſunt eligi in Conſeruatores, T.3. n.17. p.370.c.2 Conſeruator poteſt procedere in cauſa bonorum Monaſterij extra Diœceſim exiſtentium, ibid.

Conſeruatoribus ſemel in vita, & in articulo mortis conceditur indulgentia plenaria, & dicendo quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam in diebus Stationum lucrantur omnes indulgentias, quas actualiter viſitantes Eccleſias intus, & extra Vrbem, T.1. §.39.p.47.c.1. Quolibet triennio eis poteſt Generalis Minimorum indulgentiam plenariam concedere. ib. §.1.p. 164.c.2.& electionẽ Cõfeſſoris, ib.§.2.p.265.c.1. & ib.n.2.

Conſeruatores participant de omnibus bonis, quæ fiunt in Religione. T.1.§.5.p.82.col.2. Conſeruatores excommunicant moleſtantes, & inquietantes Regulares, ibid. §.20. p.43.c.1.& n.45. p.52.c.1.

Conſeruator Minimis conceditur. T.1. §.27. p.44. c.1. cum eligendi ipſis traditur poteſtas. ibid.§.6.p.83.c.1.

Conſeruatores tenentur ſub mortali Regularibus, quorum ſunt Conſeruatores, aſſiſtere, & non permittere eos moleſtari, T.1.n.30.p 89 c.2. Conſeruatores Regularium nõ poſſunt ſuſcipere querelas ipſorum contra alios Regulares. ibid.§.3. p. 142.c. 2.

Conſeruatores Regularibus conceduntur, T.1. §.18. p.146. c.2. Conſeruatorum poteſtas ſecundum priuilegia, ibid. §.2.p.159.c.1. Conſeruatores Minimorum habent auctoritatem capiendi, & reducendi apoſtatas, ibid.

Conſeruatores debent eſſe in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, & Iudices ſynodales, T.2.§.2.p.267. c.1. Regulares poſtquam eos elegerint debent id notificare actuario ordinarij, ibid.§.5.p.267.& n.30.& 31.p.270.c.2. Coram Cõſeruatoribus, poſſunt conueniri Regulares, non autem alios conuenire, ibid.§ 6. p.267. c. 2. ſed pro manifeſtis iniurijs poſſunt etiam alios conuenire, ibid.n.39. p.271. c.1. ea vtendo indagine, quæ in manifeſtis adhiberi ſolet, ibid.n.40. controuerſiæ inter Conſeruatores, & Ordinarios per arbitros decidantur, T.2.§.7.p.261.c. 2.

Conſeruator quid ſit ſecundum ius commune, & quid ſecundum priuilegia, T.2.n.2. p.268. c.1. Conſeruatorem nullus poteſt dare præter Papam, ibi.n.3. & de facto Regularibus à Papa dati ſunt, ibi.n.4.c.2. Conſeruator fratrũ poteſt alium ſubdelegare, ibid.n.5.

Conſeruator non eſt neceſſe, quod habeat dignitatem, vel perſonatum in Eccleſia Cathedrali, T.2.n.9 p.269.c.1. de iure cõmuni Canonici non poſſunt eſſe Conſeruatores, ib.n.10. In Conſeruatores, qui poſſint eligi ib.à n.11.ad 18.

Conſeruatores electi non poſſunt per quinquennium mutari, T.2.n.32.p.270.c. 2.

Conſeruatores defendunt Regulares à manifeſtis iniurijs non ſolum illatis, ſed etiam inferendis, T.2.n.41. p.271. c.2.& non ſolum contra clericos, ſed etiam contra laicos, ibid.n.42. quando eliguntur à Regularibus tenentur ſub mortali acceptare, ibid n.68.p.274 c.1.

Conſeruator quomodo procedat ciuiliter, criminaliter, an mixtè, T.2.n.43.44.& 45.p.271.c.2. Coram Conſeruatoribus ſtando in iure communi poſſunt Regulares tanquam Rectores reos trahere. ibid.n.46 p. 272. & etiam ſecundũ conſt.Greg.XV.n.50.p.272 c.2.

Conſeruator in omnibus cauſis ſemper debet pronunciare delictum eſſe notorium, T.2.n.47.p.272.c.1. Conſeruator ſecundum priuilegia quid poſſit, ibid.n.48. an poſſit, vt ſuſpectus recuſari, ibid.n.59.& 60.p.373.c.1. à Conſeruatore an poſſit appellari, ibid.n.61.col.2.

Conſtitutiones Apoſtolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & officium Sanctæ Inquiſitionis omnes Regulares quantumuis priuilegiatos comprehendunt. T.3. conſt.10.Vrbani VIII. pag.499.c.1.

Conſtitutiones extrauagantes ſunt eiuſdem auctoritatis, quam illæ, quæ ſunt in corpore iuris communis inſertæ, T.2. n.11.p.198.c.2.

Conſtitutionibus ſynodalibus quomodo ſubiacent Regulares, T. 1.n.67.p.71.c.1.

Conſuetudo legitimè præſcripta excuſat ab obſeruantia præceptorum Regulæ, T.1.n.21.p.85.c.1. Conſuetudo declarat leges naturales, & diuinas, & etiam ab illis excuſat, T.3.n.56.p.350.c.1.

Cõuentus, & Eccleſias recipere poſſunt Regulares, & quomodo, T.1.§.9.p 2.c.1. etiam Parochias, ibid.§.1. p.100.c.2. etiam abſque alicuius Ordinarij licentia, ibid.§.20. p.43. c.1.& §.27.p.44.c.2 & n.72.p.91.c.1. Vide n 48.p.8.c.1. In Conuentibus is tantum numerus Religioſorum conſtituatur, qui commodè poſſit ſuſtentari, ibid.n.49.p.9.c.1.& T.2.§.7.p.286.c.2.& ibid.§.2.p 274.c.2.& §.8.p.287.c.2.

Conuentus noui non ſunt ſumendi, niſi ad formam Conſt. Clement.VIII. & Greg.XV.T.3. Conſtit 3, Vrban.VIII. §.2.p.381.c.2. pœnæ contrafacientibus imponuntur, ibid. §.3. p.383.c.1. iſtę prohibitiones non comprehendunt hoſpicia, ibid.n.3. p.383. c.1. In iſto negotio Epiſcopi non habent arbitrium, ibid.n.2.

Conuentus dimittere poſſunt Regulares aſportatis bonis in alium Conuentum, T.1.§.27.p.62. c.1. & hoc propria auctoritate, ibid.n.79. p.74. c.1. Hoc tamen non poſſunt facere Prouinciales ſine licentia Generalis, ibid. n.80.p. 72. c. 2. poſſunt etiam Generales duos Conuentus in vnum vnire, ibid.

Conuentus, qui habent fundatores, ſi deſerantur, an poſſint vendi, ibid.n.82.p.72.c.1.

Conuentus pauperis an poſſint Regulares ius patronatus alicui concedere, T. 1.n.83.p.72.c.2.

Conuentus poſſunt ſumere Minimi etiam non diſtantes ab alijs per 140.cannas, T.1.§.3.p.94.c.1. Sed non eſt amplius in vſu, ibid.n.1.p. 94.c.1.

Conuentus conſtruendi licentias Ordinarij denegare non poſſunt, niſi ex legitima cauſa, T.2.§.25.p.208.c.1.

Conuentus SS. Trinitatis de Vrbe habitatur à Fratribus Gallis, T.2.§.2.p.244.c.1. Nec in eo poſſunt eſſe Superiores, neque locales fratres aliarum nationum, ibid. §.4. p. 312.c.1. an poſſint id permittere Fratres Galli, ibi.n.12.p. 244.c.2. Galli non ſubditi Regi Galliarum an poſſint eſſe locales in dicto Conuentu, ibid.n.17.p.246.c.2. iſte Conuentus Generali immediate ſubijcitur, ibid.§.6.p.179.c.2.

Conuentus S.Patris Franciſci de Vrbe, regitur per Fratres Calabros, T.2.§.2.p.279.c.2. qui tamen tenentur recipere hoſpites, ibid. n.1.p.282.c.2.& poſſunt permittere vt etiã alij ibi inhabitent, ibid.n.2 p.283.c.1.

Conuentus nouus quãdo dicatur acquiri, T.2.n.1.p.275.c.1.

Conuentus, qui 12. Fratres alere non poſſunt, dimitti mandantur, T.2.§.14.p.230.c.2.

Correctores in Ordine Minimorum, quomodo poſſint exire Conuentu, T.1.§.6.p.106.c.1.

Correctores in Ordine Minimorum deputant Confeſſores in diebus indulgentiarum, qui abſoluant etiam à caſibus Epiſcopalibus, T.1.§.2.p.110.c.2. & ibid. n.3. p.111. c.1.& §.3 p.120.c.1.& §.3.p.160.c.1 & T.2. §.5.p 176. c.2. & ibid.n.2.p.177.c.2. & eſt probabile, quod etiam nunc abſoluant à caſibus Epiſcopalibus, T.2.. 6. p. 77.c.2. & T.3.n.1.p. 334.c.2. poſſunt deputare non ſolũ Sacerdotes

Digitized by Google

proſeſſos, ſed etiam Nouitios, T.2.n.7.p.178.c.1.

Corrector SS. Trinitatis de Vrbe Ordinis noſtri tempore Capituli Generalis non poteſt præcedere Prouinciales, T.2.n.3.p.245.c.1.& T.3.n.15.p.357.c.2. In Correctorem dicti Conuentus, & S. Andreæ de Frattis poteſt eligi ab Vrbe abſens, & in dictis Conuentibus non localis, T.2. n.18.p.246 c.2.& T.3.n. 31. p.360.c.2. Vicarius nullus ad proceſſiones à Correctore SS. Trinitatis præcedit Correctorem S. Andreæ. T.3.n.32.p.360.c.2. Quo iure inhabitetur à Gallis dictus Conuentus SS. Trinitatis: ibid. à n.34. p.361.c.1. vſque ad n.52.p.365.c.1. vbi ponuntur rationes pro Italis.

Correctores in ordine Minimorum poſſunt ſibi eligere Confeſſorem T.1.n.28.p.32.c.2.

Corrector Ciuitatis præcedit Correctorem, qui eſt extrà Ciuitatem, licet modernior ſit Conuentus eius, T.3. n. 33.p.361.c.1. Correctoris iuriſdictio quomodo à Prouinciali dependeat, ibid.n.55. p.360. c.1. Corrector poteſt exercere iuriſdictionem ſuã corã Prouinciali, ib.n.56.c.2.

Corrector qui debet intereſſe electioni Generalis loco defuncti eſt ille, qui eſt in officio tempore dictæ electionis, ibid.n.2.p.377. c.1. ſi Generalis moriatur in aliquo Conuentu, qui regatur per Vicarium, an ille Vicarius habeat votum in dicta electione, ibid.

Correctoribus an poſſint prohibere Prouinciales ſui officij exercitium & in ſpecie bona Conuentuum miniſtrare, & fratre foras mittere, T.2.n.23.p.247.c.1.

Correctorium Minimorum habet tantam auctoritatem quantam Regula ipſorum, T.1 §.2.p.153. c.2. Nec contra illud poteſt aliquid ſtatuere Capitulum Generale, ibi. Nec poteſt corrigi, aut emendari, ibid.§.3. p.154.c.1. Nec quiſquam contra illud recalcitrare, ibid.§.5.

Corrigere ſuos ſubditos de iure communi, ad proprios Prælatos pertinet, T.1.n. 134 p.78.c.2.

Crux, quæ defertur ante funus defuncti, quid ſignificet, T. 1.n.18.p.80.c.1.

Curati non poſſunt impedire quin ſæculares cum habitu fratrum ſepeliantur. T.1.§.3.p.26.c.1.

Curati Regulares tenentur Synodis intereſſe, T.1. n.64. p. 70.c.2.& poſſunt ad id compelli per cenſuras, ibid.n.65.

Curati præſumentes auertere fideles ne in Eccleſijs mendicantium ſuas eligant ſepulturas, poſſunt excommunicari. T.1.§.2.p.123.c.2. Curati perſuadẽtes hæredibus defunctorum, ne vocent Regulares ad ſociandum corpora ad ſepulturam, poſſunt à Conſeruatoribus cenſuris Eccleſiaſticis coerceri, ibi.n.1.p.124.c.1. Vide conſt.7.Pij V. §.26.& §.1.grau.20.& expreſsè grau.38. & §.17. p.208.c.1.

Curati nolentes leuare corpora defunctorum, niſi vocentur tot clerici, quot Regulares, an peccent, T.1.n.2.p.124.c.1. Vide Conſt.7.Pij V. grauam.38.T.2.p.207.c.1.

Curati Minimorum quomodo Correctoribus ſubijciantur, T.1.n. 4.p.148.c.1.

D

Ebitis grauati ad Religionem recipi non debent, T.1. n.32.p.67.c.1.

Decimas minimè ſoluere tenentur Minimi, T.1.§.33. pag. 46 c.1.& §.19.p.61.c.1. Neque etiam Papales ibid.§.30. p. 61.c.1.& T.2.§.1.p.191.c.2. & ibid.§.3.p.192.c.1.

Decimas ſoluere non tenentur Regulares ex prædijs, quæ habent in Emphyteuſim, ſeu locata. T.1.n.133.p.78.c.1.

Decima quid ſit, & quo iure debeatur, T.1.n.122. & 123. p. 77.c.2. decimarum ſolutionem ſuadere tenentur Regulares. ibid.§.17.p.46.c.2.& n.39.p.132.c.1.

Declarare dubietates ortas circa conſtitutiones Pontificias ad Papam pertinet. T.1.§ 3.p.89.c.1. & T.2.§.2.p.205. c.2. & ibid.n.6.p.210.c.1.

Decreta de celebratione Miſſarum bis in anno legi debent ſtatutis diebus, ſed quid ſi Prælatus dictis diebus obliuiſcatur, poterit ne facere legi in ſequentes dies abſque pœnarum incurſione. T.3.n.4.p.372.c.2.

Decretum irritans ligat etiam ignorantes, & quomodo. T. 3.n.23.p.345.c.1.

Defunctorum corpora in Eccleſijs Regularium ſepelienda non debent prius deferri ad Eccleſias Parochiales. T.1.n. 19.p 19.c.1.

Defunctorum corpora leuare poſſunt Regulares, ſi Parochus omnino recuſet, T.1.n.20.p.150.c.2.

Defunctorum officia in Eccleſijs Regularũ ſepultorũ agere ad ipſos Regulares pertinet, T.1.n.57.p.69 c.2.

Delicti ratione quis ſortitur forum. T.3.n.8.p.378.c.1. delictane maneant impunita multum Religioni intereſt, ib.

Delinquens in Monaſterijs Regularium non incurrit pœnas contra tales ab Epiſcopo impoſitas propter loci exẽptionem, T.1.n.9.p.17.c.1. *Et ſtatuitur in cap. vt animarum de conſt. in 6. quod tamen limitat Probus dicto cap. nu.14. niſi Epiſcopus declaret ſe intendere ligare delinquentem etiam extra territorium, vel in loco exempto, nam tunc ratione obedientiæ tenerentur ſeruare ſua ſtatuta etiam extra territorium modo domicilium mutare non intenderent. Poſſet nihilominus Epiſcopus dictos delinquentes in dictis monaſterijs etiam extra limitationẽ dictũ punire. Ita Azor.p.2.inſt. mor.lib.5.c.33.q.6.*

Denunciare hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, ſeu incurſum in aliquem caſum pertinẽtem ad S. Officiũ quomodo, & quando quis teneatur, T.2.n.25.26.& 27.p.256.c.1.

Pater F. Deodatus Lomellinus habet vocem actiuã in Capitulo generali tanquam Zeloſus, T.3.n.5.p.402.c.2.

Deſcendentes ex genere Iudæorum, & Hæreticorum debent ad Religionem recipi, & ad dignitates admitti, T.2. §.2.p.121.c.2. Non tamen ex relapſis ibid. §.3.

Dictio *commode* quid ſignificet, T.1.n.49.p.9.c.1.

Dictio *competenter*, T.1.n.49.p.9.c.1.

Dictio *legitimè*, T.1.n.6.p.12.c.1.

Dictiones *omnimodè, & plenè*, T.1.n.27. p.19. c.1.

Dictio *nullatenus*, T.1 n.11.p.149.c.1.

Dictio dumtaxat, T.1 n.8.p.142.c.2.

Dictio *&*, ſæpe eſt diſiunctiua. T.2.n.4.p.177.c.2.

Dictio *inſuper* importat diuerſitatem. T.2.n.2.p.220.c.2.

Dictiones *accumulatiuè, & priuatiuè*. T.2.n. 20 p.265 c.1.

Dictio *etiã* eſt implicatiua, & ampliatiua, T.1.n.4.p.129.c.1.

F. Didacus de Sylua Epiſcopus Eſſilienſis Ordinis Minimorum primus Commiſſarius Generalis in Regnis Portugaliæ. T 1.n.46.p.68.c.2.

Dignitas quid ſit. T.2.nu.8.p.269. c.1. dignitates gradatim conferendæ eſſent, ibid.n.5.p.231.c.1.

Dignitates cum agnoſcitur Dei voluntas non ſunt pertinaciter recuſandæ, T.1.n.1.p.87.c.1.

Dignitates non ſunt conferendæ à Prælatis Regularibus ad inſtantiam perſonarum exiſtentium extra ordinem, T.3. n.1.p.341.c.2. Per Prælatos non intelliguntur Diffinitores, aut Collegæ, ibid. non teneretur pœnis Prælatus, qui daret dignitatem intuitu ſæcularis, ibid.n.2. nec ſimiliter qui roganti ſæculari concederet. ibid. Nec qui iam deſtinauerat dignitatem tribuere, ſi deinde illi fiat inſtantia, ibid. nec qui dignitatem conferret propter merita Religioſi principaliter, & minus principaliter propter inſtantiam ſæcularium, ib. An autem teneretur his pœnis Prælatus, qui reciperet munera à ſæculari prætendente cum his dignitatem cum aliquo Religioſo, ibid. per perſonas exiſtentes extra Ordinem in hoc caſu an intelligantur Moniales eiuſdem Religionis: ibid. n.3. Non teneretur pœnis Prælatus, qui daret dignitatem ad inſtantiam Epiſcopi eiuſdem Religionis, ibid.n.4 Papa & Protectores Ordinum non poſſunt dici perſonæ extra Ordinem ad hũc effectum, ibid.n.5.p.342 c.1. neque tenetur pœnis Prælatus dans dignitatem ſubdito extra ordinem ad inſtantiã ſæcularis, ibid.n.6. quæ ſint pœnæ, quas Prælatus incurrit dans dignitatem ſubdito ad inſtantiam perſonæ exiſtentis extra ordinem, ibid.n.7. His pœnis tenẽtur etiam ſubditi dictos fauores etiam ſponte oblatos acceptantes, ibi. n.8.c.2. quomodo his pœnis teneatur, qui munera tribuit ad hunc effectum, ibid.n.9.

Diſpenſare in priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, quando pœna eſt incurſa propter tranſgreſſionem alicuius conſtitut. Papalis, quis poſſit. T.1.n.23.24.& 25.p.99.c.2.

Diſpenſare poſſunt Prælati Regulares ſuper irregularitate occulta procedente ex mutilatione membrorum, T.3.n. 32.p.313.c.1. Item cum lunatico, furioſo, &c. ibid.

Doctor in legendo plus proficit, quam ſimpliciter Curatus in Sacramentis miniſtrandis, T.2.n.24.p.233.c.2. Doctorum dicta intelligenda ſunt ſecundum leges, quas allegant. T.3.n.4. p.381.c.1.

Dominium rerum Eccleſiaſticarum eſt ſolius Dei. T.1.n.2. p.42.c.2.

E

Ccleſiæ nomine veniunt etiam Religioſorum clauſtra, T.1.n.31.p.6.c.2.

Eccle-

Eccleſias Regularium quilibet Epiſcopus cōſecrare poterat recuſante Epiſcopo loci. T.1. § 21. p.41. c. 2. & §.2. p. 138.c.2.& §.13.p.146. c.2.quod nunc ceſſat, ibid.nu.46.& 47.p.52.c. 1.

Eccleſias benedicere poſſunt Prælati Regulares,& pollutas reconciliare. T.1.§.22.p.138.c.2.& §.3.p.143. c.2.

Eccleſia quotidie orat pro litigantibus. T.1.n.5.p.107. c.1.

Eccleſiæ dirutæ ligna in quos vſus conſumenda ſint? quid de veteribus imaginibus ſanctorum. T.3.n.2.p 318.c.1.

Electiones in ordine Minimorum ſiue cauſa mortis, ſiue priuationis &c. an debeant fieri intra tres menſes. T.1.n. 8.p.64.c.1.& nu.13.c.2. *Et ſi quæras an dicti electores poſſint reijcere totum negotium electionis (quod a me fuit nouiter petitum) in Superiorem. Dico quod ſic. Tum quia poſſunt non eligere pro illa vice, & ſic linquere vt electio deuoluatur, ergo & conuenire vt electio in Superiorem reijciatur. Tum quia poſſunt compromittere per cap. quia propter de elect. in alio inferiorem, ergo & in Superiorem, atque ita docet Abbas in cap.bona mem.el.1. num.8. de poteſt. Præl. Gulielmus Bened. in quæſt. de Epiſc.à num.49.*

Electiones factę in capitulis generalibus Minimorum à deputatis valent. T.2.§ 2.p.225.c.1.ab ipſis tamen non poſſunt fieri per communem inſpirationem,ibid.n.1. c.2.

Electiones in Ordine Minimorum quomodo faciēdæ. T.2. §.1.p.229.c.2.In electionibus qui vocem habeant. ib.§.2.

Electio, cui aliquis renunciauit, ad quos pertineat? T.3.n. 10.p.343. c.1. Mortuo, vel non comparente præſidente Capituli, ſeù primo electorum ad antiquiorem ſpectat congregare Capitulum, ibid.n.12.& n.15.p.344.c.1.n.11. p.403.c.2. ad reſtringendum, vel prolungandum terminum electionis requiruntur duæ tertiæ partes Capituli, ibid.n.12.p.343.c.2. & n.16.p.344.c.1 & n.8.p.403.c.1.ſtatuta die electionis, ſi aliqui non compareant hora ſolita, poſſunt, qui adſunt, electionem facere, ibid.num.13. p. 343.c.2. Inuocatione abſentium non requiritur trina monitio, ſed ſufficit vna, ibi.n.14. & n.15.p.404.c.1. Electionem ingredi volentes extranei poſſunt violenter expelli, ibid.n.30.p.346.c.1.

Electio non poteſt coarctari per inferiorem Papa ad tres, vel quatuor perſonas cum aliorum excluſione. T.3. n.31. p.346. c.1. Procurare ſuffragia in electionibus quomodo liceat, ibid.n. 10. p.356. c.2. Ad effectum electionis quiſnam dignior ſit æſtimandus, qui nunquam peccauit, an qui aliquando malus fuit? ibid. n.13. p.357.c.1. quænam ſint quæ in Religione faciunt vnum Religioſum digniorem alio, ibid.n.14. Indigenæ an ſint præferendi extranei, ibid.n.22.p.345.c.1.

Electio Generalis Ordinis noſtri in caſu mortis quomodo facienda? T.3.conſt.1.Vrbani VIII. p.371. c.1.In prędicta morte ad antiquiorem collegam ſpectat monere Electores, & procurare, vt illis literæ tradantur in præſentia teſtium,ib.n.15.p344.c.1.Terminus pro electione facienda in caſu mortis computandus eſt de momento in momētū,ib.n.17.& n.3.& 4.p.402.c.1.Prouinciales non poſſunt eligi in Commiſſos pro prædicta electione, ib.n.1.p.376. c.2.& antiquior Collega remanet Vicarius Generalis,ibi. Electio Collegæ, vel Zeloſi electi in Generalem in dicta electione pertinet ad dictum Capitulum, ibid.n.3.p.377. c.1.Vicarius electus per mortem Generalis nō poteſt reeligi ibid.Conſt.2.Vrbanus VIII. §.2. p.380.c.2. Si aliqui electorum in caſu mortis non vocati compareant in Capitulū facto,& publicato ſcrutinio, retractari debent omnia, quæ facta ſunt,niſi ea velint rata habere, ibid.n.18.p. 344.c.2.Opponēti ſe alicui electioni apud Regulares debentur expenſæ, ibid.n.19.p.344. c.2. Electiones Generalis,& Collegarū annullantur à Papa.ibid.Conſt.2.Vrbani VIII.p.380.c.2.Electus tenetur conſentire intra menſem, ſed ſi infirmetur non currit ei tempus, niſi à die quo cōmodè conſentire poteſt, ibid.nu.21.p.344.c.2.

Electio Prouincialis in caſu mortis quomodo in Ordine noſtro facienda,T.3.n.1.p.401.c.2. Non poteſt vltra tēpus determinatum differri, ibid.n.5. p.402.c.2. Quæ impedimenta poſſint excuſare electores ad non comparendū intra illud tempus,ibid.ad quemnam pertineat congregare Capitulum. ib.n.10.p.403.c.2. Si vnus ſolus eſſet in Capitulo die ſtatuta,ille ſolus poſſet electionem facere.ib.n.11. Modo quo dicitur,ib.n.19.p.404.c.2.Pręſide non comparente, quis præſidere debeat,ibid.n.12.p.404.c.1.Quando tempus electionis inſtat electores nō ſunt neceſſario vocandi, ibid.n.13.Poſſunt tamen vocari,ib.n.14. An debeat vocari, qui fuit præſens morti Prælati, ibid. n. 16. c.2. An omnes electores ſint expectandi vſque ad finem diei? ib. n.17.Quomodo procedendum quando in capitulo ſunt tantum tres, ibid.n.18.& quomodo ſi adſint tantum duo, vel vnus, ibid.nu.19.& 20. p.404.& 405.c.1. Hæc electio non poteſt fieri, niſi vſque ad Capitulum Diffinitorium, ibid.n.21.Etiamſi fiat à Generali iure deuoluto,ibid.n.22. qui etiam tenetur dictam electionem facere intra menſem,ib.n.23. *computandum à die, & hora ſcientia dictæ deuolutionis.* Generalis eo caſu an teneatur eligere cum cōſenſu Collegarum, ibid.n.24. Electores in iſta electione non carent voce paſſiua, ibid.n.25. c. 2.

Electionis dies quando eſt determinata ea elapſa electio deuoluitur ad ſuperiorem. T.3.n.5.p.318.c.2. Poſſunt electores totum electionis negotium in ſuperiorem reiicere, ibid.n.8.p.319.c.1.Nec poſſunt ante prouiſionem mādatum reuocare, ibid. n.9. Si autem Superior intra tempus præfixum electionem non faciat, electio deuoluitur ad Superiorem illius, ibid.ſi verò ipſe Superior eligat indignum, electio deuoluitur ad primos electores, ibid.

Electiones per compromiſſum in Ordine noſtro ſunt in vſu in Capitulis Generalibus. T.3. n.16. p.340.c.1. Si vnus de Capitulo non conſentiret in tales electiones,fieri nō poſſent,ib.n.17.c.2.Electio per cōmunem inſpirationem,vel quaſi quomodo facienda,ibi.n.18. Electio ſymoniaca eſt nulla,etiamſi vnus ſolùm electorū ſit ſymoniacus.ibi.n.7. p.342.c.1.Quando eligendus promittit alicui officiū,ſi illi ſuffragetur electio eſt ſymoniaca,ib.Praxis in hoc aliquarum Religionum ſuſtinetur ibid Tractatus cōſultorius in electione per ſcrutinium neceſſarius,ib. Itē quando datur pecunia ab eligendo committitur ſymonia, etiamſi electores eum eſſent aliàs electuri,ibid.n.8.c.2. An Religioſi ſupranumerarij habeant votum in electionibus,ibid. n.9.

Electores tenentur facere diligentiam,vt cognoſcant perſonam eligendam.T.3.n.21.p.344.c.2. Electores ſuum votū publicantes reddunt electionem nullam ibid.n.13.p 345. c.1 Et puniri poſſunt,ibid. Duo electores in Couentu vbi ſunt tantum quatuor, poſſunt electionem impedire eo ſolo fine,vt ad Superiorē deuoluatur ibid.n. 29.p.405.c.2.

Electoribus Generalis &c.tempus à iure ſtatutum nō currit T.1.§.3.p.59.c.1. & ibid.n.5.& 6.p.63.c.2.

Electus ad aliquam dignitatem, ſi ante confirmationem exerceat aliquem actum ad eam ſpectantem,eſt ipſo iure priuatus. T.1.n.1. p.63.c.2.

Eleemoſinas quærere non poſſunt prohiberi Mendicantes T.1 §.8.p.28. c.2.& T.2.§.17. p.207.c.2.& ibid.n.17.p.212. c.1. Et prohibentes ſunt ipſo facto excommunicati. T.1. n.40.p.34.c.1. Immo poſſunt etiam in terris excommunicatorum eleemoſinas petere, ibid. & §.8.p.59.c.1. Et blada colligere etiam antequam Rector Parochialis collegerit. T.2.n.12.ad 13.p.211.c.1.

Eleemoſinas quęrere omnino poſſunt Mendicantes abſque Epiſcoporum,& Curatorum licentia. T.1.n.43. p.34.c.2. Tenentur tamen quæſtuantes ordinarijs oſtēdere litteras ſuorum Superiorum, ibid.Eleemoſinas repetere in iudicio quomodo poſſint Minimi. T.1.§.2. p.106.c.2.

Eleemoſinæ pro Monialibus per conuerſas colligantur. T. 2.§.5. p.195. c.2. Salubrius remedium adhibuit Gregor. XIII. ibid.n.15. p.199 c.1.

Eligere Prælatum ſpectat ad ſubditos, quibus præponendus eſt. T.3.n.1. p.341.c.2. Electione inualida non eſt ad nouam deueniendum, niſi caſſata prima, ibid.nu.2.Princeps ſæcularis poteſt ſe opponere electioni Prælati etiā Regularis ſibi ſuſpecti, immo poteſt electum nō admittere, ſi tamen perſequatur electores, eſt excommunicatus, ibid.n.3.Electio indigni facta præſente Confirmatore ſi caſſetur, ad eos, qui non conſenſerunt deuoluitur, ibid.n.4. Indignus quis ſit cenſendus, ibid.n.5.p.342.c.1. Papa mandante, vt electio fiat cum conſilio alicuius, eo non adhibito, electio non valet, ibid. n.6.

Emere, vel vendere quomodo poſſint Minimi. T.1. §.8. p. 106. c.2.

Epiſcopi loco Apoſtolorū ſucceſſerunt. T.1.n.2.p.2.c.2.Epiſcopus contra ius cōmune nō poteſt priuilegiū concedere,poteſt tamen ſuper illo diſpēſare,ib.n.6.p.3.c.1.Epiſcopi quā auctoritatē habeant abſoluendi à caſibus reſeruatis

Papæ

Digitized by Google

Papæ, ibid.n.41.p.7.c.2. Epiſcopi an poſſint abſoluere à caſibus Bullæ Cenæ, ibid.n.44.p.8.c.1. Non poſſunt in totum eximere Eccleſiam à ſua iuriſdictione, ibid.n.53.p.10.c.1. & T.3.n.30.p.310.c.1. In Regulares nullam habent iuriſdictionem T.1.n.8.p.16.c.2. Sententiæ, quas cõtra eos ferrent ſunt omnino nullæ, ibid.n.12. p.17.c.1. An poſſint declarare Regulares excommunicatos à iure, ib. n.13.c.2. Non poſſunt declarare excommunicatos Regulares prohibitos aliquid facere per edictum publicum, ibid.num.14.

Epiſcopus citans Regularem citatio eſt ipſo iure nulla, nec cenſura ligatur, ſi non compareat. T.1.n.15.p.17.c.2 Non poteſt cognoſcere de iure priuilegij Regularium ad vitandum illius iudicium producti, ibid.

Epiſcopi olim Regulares viſitabant, T.1.num.16 p.17.c.2. Non viſitant neque Monaſteria, nec Eccleſias Regularium exemptorum, ibid.n.17. Etiam quod prætendant eſſe in quaſi poſſeſſione. ibid.n.18.p.18 c.1.

Epiſcopus prætendens viſitare Eccleſiam Regularem tenetur oſtendere litteras ſuæ commiſſionis. T.3. n.6.p.311.c.1. Si autem prætendat viſitare Parochiam monaſterio annexam, & illi Regulares reſiſtant appellando, quid faciet? ibid.n.7. Quid ſi prætendat viſitare iure poſſeſſionis? ibid. Viſitans Parochias Regularibus ſubiectas debet id facere abſque inſolito grauamine Monaſterii. T.1.n.24. p.19. c.1. & ibid. §.3. p.146. c.1.

Epiſcopi, ſeu Curati moleſtantes Regulares in ſuis priuilegiis mortaliter peccant. T.1. n.19.p.18. c.1. Et aliis grauibus ſubiacent pœnis, ibid. Et T.2.§.3.p.19.c.1.

Epiſcopus ſecundum antiquos Canones Regularem curã animarum exercentem delinquentem non puniebat, ſed puniendum tradebat ſuo Superiori. T.1. n.25. p.19.c.1. Modo punit Regulares delinquentes circa curam animarum, ibid. nu.27. Non poteſt punire Regularem Parochum delinquentem in aliquo ad Parochiam non pertinente. T.3.n 18. p.313.c.2.

Epiſcopus non viſitat Clericum ſæcularem exercentem curam animarum in Monaſterio, in quo degit Generalis Ordinis. T.1.n.26. p.19.c.1. Ad Epiſcopum pertinet diſpenſare Regularem ſuper temporum interſtitiis, ibid. nu.35. p.20. c.2.

Epiſcopus non poteſt prohibere, quin Regulares eleemoſinas quærant, poteſt tamen velle videre licentias ſuorum Superiorum in locis, in quibus non ſunt Conuentus. T.3. n.41.p.317.c.2.

Epiſcopi retinentes apoſtatas Regulares, ſi moniti non eiiciant, ſunt excommunicati. T.3.n.17.p.320.c.2. Epiſcopi Italiæ non poſſunt ordinare vltramontanos abſquè literis dimiſſoriis ſui ordinarij recognitis à Vicario Papæ, ibid. conſt.5. Vrbani VIII p.383.c.1. Non intelligitur tamen de his, qui in Italia acquiſierunt domicilium, nequè de Italis ordinatis ab vltramontanis, & vltra montes, ibid.n.1. p.384. c.1.

Epiſcopus non poteſt nec per ſe, nec per alios procedere ad capturam Regularium, etiam Nouitiorum, T.1. n.62. p. 23. c.2. niſi Nouitius ob delictum factum in ſæculo præſumatur in fraudem Religionem intraſſe, ibid. quod ſi capiat, in excommunicationem incidit, ibid. In quam incidunt etiam capientes, ibid. quomodo ſe gerat cum Regularibus notoriè delinquentibus, ibid.n.63. & T.2.§. 18. p.207.c.2. volens Regulares punire ſuper delicto notorio debet prius probare ipſos notoriè deliquiſſe. T.3. n.30.p. 316.c.1. Et habita notitia delicti poteſt informationem capere, & ad Superiorem Regularem mittere, ibid.nu.31. Sufficit autem quod Epiſcopus ſemel dicto Superiori inſtet quod ſuum ſubditum, qui notoriè deliquit, puniat, ibid. quomodo Superior teneatur Epiſcopum certiorem facere de punitione, ibid. dicitur Regularis extra Clauſtra delinquere quando notorie, & cum ſcandalo deliquit in Eccleſia, ibid. Prælatus Regularis an poſſit punire ſubditum, qui notoriè deliquit cum ſolo proceſſu fabricato ab Epiſcopo, ibi.n.32.

Epiſcopus poteſt capere Regularem enormiter delinquentem ſi ſit ſuſpectus de fuga, & ſtatim ad ſuum Superiorẽ remittere. T.1. n 64.p.24.c.1.

Epiſcopi ſeù alii Prælati Eccleſiaſtici in negotiis Regulariũ non ſe impediant. T.1.§.25.p.61.c.2. & T.2.n.18.p.212.c.2.

Epiſcopi poſſunt compellere remediis opportunis Regulares ad habendũ in ſuis Conuentibus Lectores ſacræ ſcripturæ. T.1.n.16. p 65.c.2. Et quæ ſint iſta remedia opportuna, ibid.n.17. Ab Epiſcopo procedente tanquam delegato Sedis Apoſtolicæ non poteſt appellari niſi ad Papam, ibid.n.18.

Epiſcopi non poſſunt excommunicari niſi id expreſſe concedatur. T.1.n.47 p.68.c. 1. *cap. Sedes Apoſtolica de reſcr. colligitur ex Trid. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 5. nec valet quod dicatur etiamſi excommunicari non poſſint per literas, non facientes expreſſam mentionem, nam hoc priuilegium Epiſcopis conceſſum notorium eſt, vnde non ſufficit ad illud derogandum clauſula generalis, ſed debet eſſe particularis, & ſpecificè expreſſa, vt eam poſuit Pius V. in conſt. eius 7. infra tom. 2.* §.34. *p.209.* c.1.

Epiſcopi non poſſunt compellere Regulares acedere ad ſynodos. T.1.n.64.p.70.c.1. Si præcipiant Regularibus annunciare feſta in ſuis Eccleſiis, hi obedire tenentur, ibid. nu.68 p.71.c 1.

Epiſcopi non poſſunt in Eccleſiis Regularium Capitula celebrare nequè obedientiam à Superioribus exigere, nec de electione vel depoſitione ſe intromittere. T.1.n.69.70. & 71. p.71.c.1. & 2.

Epiſcopi poſſunt regulari habitu incedentes, ſi obedientias ſuorum Superiorum non habeant, vel noti non fuerint, incarcerare. T.1.n.3 p.127.c.1.

Epiſcopus non poteſt pœnis cogere populum ad audiendã Miſſam & concionem in Eccleſia Parochiali. T.1. n.1.p. 141.c.1. Epiſcoporum dignitas nullis poteſt comparationibus adæquari ibid.§.1.p.131.c.1.

Epiſcopi debent benignè tractare Regulares. T. 1. §.24. p. 143.c.1. Epiſcopos priuarunt Pontifices iuriſdictione Regularium in pœnam grauaminum ibid.n.3.p.148.c.1. Epiſcopos venerari debent Regulares ſub mortali ibid.n.44. p.152.c.2. Epiſcopos debent reuerenter recipere Regulares, quando veniunt ad celebrandum in eorum Eccleſiis, & quæ poſſint dicti Epiſcopi in Eccleſiis Regularium facere ibid.n.45 46. & 47. p.152.c.2. & 153.c.1.

Epiſcopi multa grauamina Regularibus inferrebant. T 2.p. 248.c.1. & T.1.n.3.p.104.c.1.

Epiſcopi in Moniales Regularibus ſubiectas non ſe impediebant T.2.§.7.p.206.c.1.

Epiſcopi examen Puellarum Deo dicandarum quomodo debeant facere. T.2.§.8.p.206.c.2. & ibid.n.10.p.212.c.2.

Epiſcopi Regulares extra clauſtra degentes ſub ſua protectione non debent recipere. T.2 §.21.p.207.c.2.

Epiſcopus poteſt per ſe, vel per alium electioni Abbatiſſarum intereſſe. T.2.§.7.p.258.c.2.

Epiſcopus ſolus inconſulta ſynodo Conſtitutiones facit, & ſolus confirmat ſynodalia decreta, & ſolus ſynodum ſubſcribit. T.3.n.26.p.415.c.1.

Epiſcopus ex Religione Minimorum aſſumptus tenetur ad obſeruantiam vitæ quadrageſimalis. T.3.n.3.p.428.c.1.

Euchariſtiæ Sacramentum poſſunt Regulares in eorum Eccleſiis quoties opus fuerit peregrinus, & tranſeuntibus miniſtrare. T.1.§.37.p.46. c.2.

Euchariſtiam recipere tenetur quilibet fidelis ſemel in anno ſaltem in Paſcha. T.1.n.81.p.55.c.2.

Euchariſtiam miniſtrare in die Paſchæ prohibentur Regulares. T.1.n.83.p.56.c.1. & T.2.§.6.p.256.c.1. Euchariſtiam ſumpturus in die Paſchæ in Eccleſijs Regularium ſufficit quod dicat ſe habere licentiam à proprio Parocho, licet eam non habeat in ſcriptis. T.1.n.84.p.56.c.1.

Euchariſtiam omni tẽpore præterquam in die Paſchæ poſſunt Regulares miniſtrare. T.1.n.85.p.56.c.1. & per diem Paſchæ intelligitur communio Paſchalis, ibid. n.86. Euchariſtiam etiam in ipſo die Paſchę an poſſint Regulares miniſtrare, ibid.n.88.p.57.c.1. Euchariſtiam etiam in cõmunione Paſchali poſſunt Regulares miniſtrare mercatoribus, curialibus, & peregrinis, ibid.

Euchariſtiam in articulo mortis abſente, vel nolente Parocho poſſunt Regulares cuilibet miniſtrare. T.1.n.91.p.57. c.1. & ibid.n. 15. p.49.c.2.

Examinatores Epiſcoporum peccant mortaliter tam ſi admittant ad confeſſiones audiendas perſonas nõ idoneas, quàm ſi idoneas reiiciant. T.3.nu.25. p. 314. c.2. Peccant item mortaliter ſi examinandos præmoneant de punctis, quod tamen fallit in vno caſu, ibid. Peccant item examinatores etiam illis modis, quibus Iudices Eccleſiaſtici, ibid.

Digitized by Google

ibi. Tenentur in concurſu beneficiorum proponere Epiſcopo digniores, ibid. n. 26 p. 315. c. 1. Quantum duret eorũ officium, ibid. Examinatoribus mortuis poteſt Epiſcopus alios facere, ibid. Poſſunt in Examinatores eligi Regulares tale officium habentes, ibid. Examinatores debent eſſe doctores, ibid. Debent eſſe probati à media parte ſynodi, ibid. Synodo autem ex odio nolente euidenter idoneum ab Epiſcopo propoſitum approbare, poteſt approbare Epiſcopus per ſe ipſum. ibid. p. 315. c. 1.

Exemptus in quibus caſibus ſubijciatur Ordinario remiſſiuè. T. 3. n. 4. p. 311. c. 1. Exemptus ab Ordinario citatus an comparere teneatur, ibid. nu. 5. Exempti iure communi ſunt ſpeciali honore digni, ibid. n. 6. p. 377. c. 2.

Exemptio triplex eſt. T. 1. n. 8. p. 16. c. 2. Exemptionis priuilegio non poſſunt exempti renunciare, ibid. n. 6. Exemptus à iuriſdictione non eſt exemptus à reuerentia, ibid. n. 44. p. 152. c. 2.

Exempti omnes circa Sacramentorum adminiſtrationem Ordinarijs ſubiiciuntur. T. 2. §. 2. p. 258. c. 1.

Exempti omnes ſi delinquant circa Moniales, & eorum bona ab ordinarijs puniuntur. T. 2. §. 3. p. 258. c. 1.

Eximere Regulares à iuriſdictione Ordinariorum ad ſolũ Papam pertinet. T. 1. n. 5. p. 16. c. 1.

Expelli poſſunt à Religione qui diffamati ſcandaloſis delictis, & moniti in profeſſione, ea tacuerunt. T. 1. § 2. p. 139. c. 2. Expelli à Religione quomodo poſſint incorrigibiles. T. 2. §. 4. p. 290. c. 2.

Expulſi à Religione ſi humiliter petierint debent ad Religionem recipi. T. 1. n. 51. p. 69. c. 1 & T. 2. §. 3. p. 290. c. 1. & ibid. §. 7. c. 2.

Expulſis non poſſunt Superiores concedere literas ad Sedem Apoſtolicam, nec mandare, vt talem Religionem ingrediantur. T. 2 §. 5. p. 290. c. 2. Vide T. 1. §. 17. p. 61. c. 1.

Expulſi extra Religionem degentes ſunt perpetuo ſuſpenſi ab ordinum executione. T. 2. §. 6. p. 290. c. 1. Expulſi ſingulis annis requirendi, ib. § 7. c. 2. Non poſſunt docere, neq; prædicare, neque confeſſiones audire. T. 1. § 16. p. 60. c. 2.

Extremam Vnctionem poſſunt Regulares miniſtrare ægrotis abſente vel nolente Parocho. T. 1. n. 15. p. 149. c. 2.

F

Familiares qui ſint. T. 1. n. 15. p. 48. c. 2.

Familiares fratrum Mendicantium poſſunt abſolui à Confeſſarijs approbatis dumtaxat à ſuis Superioribus. T. 3. n. 1. p. 318. c. 1. & T. 1. n. 12. p. 48. c. 2.

Famuli, qui in Monaſterijs Regularium viuunt non ſubiacent ſententijs excommunicationis, & interdicti, quibus afficitur locus, in quo eſt Conuentus. T. 1. p. 39. c. 2. & ibi, nu. 13. p. 48. c. 2.

Famuli Regularium habitum eorum portãtes, & in eorum Eccleſijs ſepulturam eligentes gaudent priuilegijs fratrum. T. 1. §. 15. p. 43. c. 1.

Famulis in habitu ſæculari in noſtris domibus ſeruientibus poſſumus Euchariſtiam miniſtrare etiá in die Paſchæ, & in articulo mortis. T. 1. num. 11. p. 48. c. 1. & ibid. §. 3. p. 114. c. 2.

Famuli Regularium ſunt in duplici differentia. T. 1. nu. 12. p. 48. c. 2.

Famuli prædicti poſſunt à dictis Confeſſarijs abſolui à caſibus Epiſcopis reſeruatis. T. 1. n. 14. p. 48. c. 2. Fruuntur dictis priuilegijs etiamſi ſeruiant pro ſalario, ibid. n. 16. Tẽpore interdicti poſſunt intereſſe diuinis. ibid. n. 17.

Fauores humani regularẽ diſciplinam funditus conuellunt, T. 2. n. 2. p. 240. c. 1.

Fauori ſuo nemo poteſt renunciare, quando eſt inductus ob publicam vtilitatem. T. 3. n. 18. p. 357. c. 2.

Fautores qui dicantur. T. 2. n. 3. p. 220. c. 2. Fautor non ſecuto effectu an incidat in pœnas contra fautores. ibid. nu. 4. p. 221. c. 1.

Feſta diœceſana ſeruare tenentur Regulares quo ad Cõciones, & Lectiones habendas ad populũ: T. 1. n. 2. p. 155. c. 2.

Feſta, quæ Epiſcopus ſeruari mandauit, ſeruare etiam tenentur Regulares. T. 3. n. 54. p. 333. c. 2.

Feſtum S. P. Franciſci celebratur ſub ritu duplicis. T. 1. p. 138. c. 2. & T. 2 §. 3. p. 225. c. 1. & ibid. § 1. p. 237. c. 2. In orationibus, & inuocationibus dicti Sancti non eſt neceſſe addere *de Paula* T. 1. nu. 2. p. 138. c. 1. Celebratur cum octaua etiamſi venerit in quadrageſima. T. 3. n. 1. p. 400. c. 1.

P. F. Franciſci à Longobardis Miſſionarij Tuneti laudes, & dotes. T. 3. n. 24. p. 328 c. 2. facultates, quas habuit à Summo Pontifice, ibid. n. 25. p. 329. c. 1.

P. F Franciſcus à Mayda continuat officium Generalatus vſquè ad Capitulum Generale. T. 3. conſt. 1. Greg. XV. p. 371. c. 1.

S. P. Franciſcus adhuc viuens vt Sanctus prædicatur. T. 1. §. 2. p. 1. c. 2. Eligitur in Superiorem, ibid. § 3. & §. 10. p. 40. & 41. & dicitur fideliſſimus imitator Patrum Priſcorum, ibi. & eſt falſum quod fuerit literarum expers. T. 2. nu. 24. p. 233. c. 1.

Fundatrices, & Tutrices gaudent priuilegijs Ordinis. T. 1. §. 24. p. 44. c. 1. Fundatrices quæ ſint, ibid. n. 50. & 51. p. 52. c. 2. Earum priuilegia, ibid. n. 52. c. 2. Poſſunt ingredi in Conuentus Minimorum, ib. n. 6. p. 90. c. 1. Cum ſua comitiua, ibid. n. 7. c. 2. Earum filiæ ſuccedunt per capita, neptes per ſtirpes. ibid n. 3. p. 163. c. 2. poſſunt ingredi omnes Conuentus Religionis, ibid. n. 4.

Fundatores vnius Conuentus poſſunt eſſe tres, ſcilicet dans fundum, dotem, & ædificans. T. 1. §. 3. p. 162. c 2. & ib. n. 84. p. 72. c. 1. Et fundi V. G. poſſunt eſſe plures ibid. c. 2.

Fundatores participant de omnibus bonis, quæ fiunt in Religione. T. 1. §. 5. p. 82. c. 2. Semel in vita, ac in morte eis conceditur Indulgentia plenaria, & dicendo quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam in diebus Stationum, lucrantur omnes Indulgentias, quas actualiter viſitantes Eccleſias intus, & extra Vrbem. T. 1. §. 39. p. 47. c. 1.

Fundator, & illius hæredes tenentur Eccleſiam, & Conuentum à ſe fundatum defendere expenſis tamen Eccleſiæ, quod ſi non faciant, poſſunt priuari priuilegijs fundatorum. T. 3. n. 25. p. 321. c. 2. Monaſterium tenetur alere fundatorem ad paupertatem redactum, ac eius filios &c. Etiã ex reditibus neceſſarijs. ibid. n. 26. Quod ſi fundatores ſint plures omnes tenetur Monaſterium alere, ibid. nu. 27. p. 322. c. 1. Etiamſi fundatores alteri ius fundationis donaſſent, ibid. Iura fundationis, & ſepulturæ vendi non poſſunt ad inſtantiam creditorum. ibid. n. 28. c. 2. Fundatori, qui, & quot honores debeantur, ibid. n. 29. & 30. Fundatoris arma amoueri non poſſunt etiam à nouo hærede Fundatoris, ibid. n. 47. p. 332. c. 2.

G

Gabellas, & impoſitiones quaſcumque ſoluere non tenentur Regulares. T. 1 §. 33. p. 63. c. 1. Imponentes, vel ab eis exigentes ſunt excommunicati. ibid. n. 138. p. 79. c. 1. quod tamẽ non procedit quando eſſet facienda aliqua contributio pro aliquo extraordinario, ibid. nu 141. c. 2. Tenentur etiam ſoluere quando ſoluuntur pro communi damno vitando, ibid.

Gabellarum emptores poſſunt exigere ab Eccleſiaſticis iuramentum quod res tranſeuntes per duanam ſunt ipſorũ, & hi tenentur iurare ad mentem ipſorum emptorum. T. 1. n. 150. p. 80. c. 2. & T. 3. n. 36. p. 324. c. 2. Regulares an iure diuino, vel humano ſint exempti à ſolutione Gabellarũ T 1. n. 137. p. 79. c. 1

Gallicæ nationis nomine quænam gens intelligatur. T. 3. n. 29. p. 361. c. 1.

Generales Minimorum ſtatim electi ſuum officium liberè exercere poſſunt. T. 1. §. 1. p. 58. c. 2. & ibid. n. 1. p. 63. c. 1. & T. 2. §. 5. p. 179. c. 2. Vide ibid. n. 10. p. 181. c. 1.

Generalis à quibus poſſit amoueri à ſuo officio. T. 1. §. 2. p. 59. c. 1.

Generalis Minimorum durante ſuo officio, non viſitatur. T. 1. n. 2. p. 63. c. 2. poteſt tamen in tribus caſibus amoueri ibid. n. 3. à quibus deponendus, ibid. n. 4.

Generalis habet plenariam auctoritatem ſuper ſuos ſubditos. T. 1. §. 3. p. 82. c. 1. Quæ ſit iuriſdictio plenaria ibid. n. 3. p. 83. c. 2. Si res exigit poteſt ſuos ſubditos torturæ ſubiicere, ibid. n. 3. *Et id etiam poſſe abſque priuilegio in caſibus, in quibus torquentur laici ad eruendam veritatem docent Archidiaconus in cap. Quia viſta §. presbiteri. 15. q. 6. Penna in leg. omnes iudices Cod. de decur. li. 10. colum. 4.*

Generali præcipienti contra Regulam obedire non tenemur. T. 1. n. 5 p. 83. c. 2.

Generales, vel Prouinciales non poſſunt eximere in totum ſubditum ab obedientia ſuperioris immediati. T. 1. nu. 6. p. 83. & ibid. n. 1. p. 104. c. 2.

Generalis poteſt in quacumque irregularitate cum ſuis fratribus diſpenſare. T. 1. n. 9. p. 87. c. 2.

Gene-

Digitized by Google

Generalis tempore viſitationis reducebat Miſſas ita vt nouem collectæ valerent pro nouem Miſſis. T. 1. n. 10. p. 87. c. 2. Quam facultatem poterat etiam committere ſuo Viſitatori Generali, ibid n. 13. p. 88. c. 1. & hoc priuilegium valebat etiam pro Miſſis futuris, ibid. n. 14.
Generalis Minimorum præſidet Capitulo Generali vſque ad electionem Noui Generalis. T. 1. §. 3. p. 95. c. 1.
Generales poſſunt priuilegia, & conſtitutiones Pontificias declarare. T. 1. §. 1. p. 102. c. 1. Et iuridicè, ibid. n. 2. p. 101. c. 2. cum tamen res eſt dubia, ibid
Generalis Prædicatorum poteſt eximere Conuentus à iuriſdictione Prouincialium. T. 1. §. 3. p. 104. c. 2. Non autem Generalis Minimorum, ibid. n. 1. p. 104. c. 1.
Generalis ſemel viſitata aliqua prouincia, non poteſt ad libitum eam iterum viſitare. T. 1. n. 2. p. 129. c. 1.
Generalis Minimorum poteſt quolibet triennio Tertiarijs fratribus & Sororibus, Conſeruatoribus, & Procuratoribus Indulgentiam plenariam concedere. T. 1. §. p. 164. c. 2. & etiam electionem Confeſſarij, ibid §. 2. p. 165. c. 1. & n. 2.
Generalis Minimorum tenetur viſitare perſonaliter Conuentus principaliores Religionis. T. 2 § 6. p. 229 c. 2. Examinat rehabilitationes fratrum obtentas à Congregatione, & à Papa ibid. §. 2. p. 234. c. 1. Durat per ſex annos, ibi. §. 2. p. 238. c. 2.
Generalis Religionum in quibus caſibus deponi poſſit. T. 2. n. 4. p. 318. c. 2.
Generalis quando debet eligere iure deuoluto Prouincialem an teneatur eligere de corpore Prouinciæ, & pro quanto tempore poſſit eligere in Religione noſtra. T. 3. n. 6 p. 318. c. 2. Si autem electio facta à Generali dicto caſu ſuum non ſortiatur effectum, deuoluitur electio ad primos electores, ibid. nu. 7. p. 319. c. 1. Generalis poteſt duos paruos Conuentus in vnum vnire etiam abſque cõſenſu Fundatoris, ibid. n. 23. p. 321. c. 1.
Generalis Minimorum poteſt mittere quoſcumque Viſitatores ſuper quoſcumque Prouinciales. T. 3. n. 1. p. 337. c. 1. Generalis factus Epiſcopus non eſt expediens, quod continuet in officio Generalatus, ibid. n. 1. p. 371. c. 2.
Generalis Minimorum poteſt ſupprimere Conuentus tenues, eorumque bona in Conuentus maiores transferre. T. 3. Conſtitutio. 14. Vrbani VIII. p. 393. c. 1. An poſſit hanc facultatem ſuo Vicario committere, ibid. nu. 1. p. 393. c. 1. Non poteſt tamen dimittere Conuentus, qui de breui futuri ſunt pingues, ibid. n. 2. Profanatio Eccleſiarum dictorum Conuentuum ad quem pertineat ibid. n. 3. Applicatio dictarum Eccleſiarum locis pijs à quo eſt facienda, ib. n. 4. c. 2. A quonam ſint transferenda onera dictorum Cõuentuum, ibid. n. 5. Hoc priuilegium eſt reale, ibid. nu. 6. de forma vtendi hoc priuilegio, ibid n. 7.
Gratia morte concedentis non expirat. T. 1. nu. 14. p. 4. c. 1. Gratiæ ab vno Prælato conceſſæ alicui Fratri particulari durant etiam Prælato concedente vita functo, vel officio finito, ibid. Gratia à Generali, vel Prouinciali, aut Epiſcopo conceſſa abſoluendi à caſibus reſeruatis durat etiamſi vita, vel officijs functi ſint ibid n. 15. Gratiæ factæ à Prælatis ſubditis tempore Viſitationis durant etiam poſtquã concedentes fuerint officio functi, ibid. n. 16. c. 2. Gratijs, ſeù priuilegijs conceſſis ſubdito non debet Prælatus ſucceſſor eum priuare, ibid. num. 17. Gratia, ſeu priuilegio ſtudendi per ſeptem annos non poteſt quis ante illud tẽpus ſine cauſa priuari, ibid.
Grauamina à Prælato ſubditis impoſita non per diffinitiuam ſententiam ipſo officio functo non durant. T. 1. n. 18. p 4. c. 2.

H

HAbitum Minimorum, cuique venienti dare poſſumus. T. 1. §. 10. p. 2. c. 2. & ibid. n. 50. p. 9. c. 1.
Habitum ſimilem habitui Minimorum nullus ferre poteſt T. 1 §. 18. p. 61. c. 1. & ibid. n. 53 p. 69. c. 2. & §. 3. p. 123. c. 1. & T. 2. p. 241. c. 1. & T. 3. n. 11. p. 356. c. 2. Nec fratres extra ordinem degentes poſſunt Caputium noſtro ſimile deferre. T. 2. § 2 p. 176. c. 1. Color noſtri habitus eſt color veſtis talaris Chriſti, & B. M. V. ac Apoſtolorum. T. 3. nu. 12. p. 356. c. 2.
Habitum Regularium oſculantibus indulgentiæ conceduntur. T. 1. n. 5. p. 26. c. 2.
Habitus non facit Monachum. T. 1. n. 5. p. 127. c. 2.
Hæreticorum libri apud aliquem reperti reddunt illum de hæreſi ſuſpectum. T. 3. n. 61. p. 367. c. 1. Quid ſi ſcripta ibi. num. 62.
Homicida voluntarius per aſſaſſinium eſt irregularis quò ad Ordines, & exercitium illorum, & quo ad dignitates. T. 1. n. 102. p. 75. c. 1. Nec cũ iſto poſſunt Prælati Regulares diſpenſare, ibid. n. 103. Hanc autem irregularitatem non incurrit is, qui mandauit homicidium in perſonam vnius, quod poſtea fuit cõmiſſum in perſonã alterius, ibi.
Homicida voluntarius in rixa eſt irregularis, ſed cum illo diſpenſat Prælatus Regularis, ſi ſit occultus T. 1. nu. 104. p. 75. c. 1.
Homicida per ſententiam nimirũ Iudex irregularis eſt, ſed cum eo diſpenſat Prelatus Regularis. T. 1. n. 105. p. 75. c. 2.
Homicidium caſuale duplex eſt. T. 1. n. 106. p. 75. c. 2. Quomodo, & quando ſit peccatum. ibid. à n. 106. ad 112. Quis poſſit cum eo diſpenſare, ibid. n. 112. p. 76. c. 2.
Homicidium ob propriam defenſionem, vel Patris, ſeu Prælati cum moderamine inculpatæ tutelæ nullam inducit irregularitatem. T. 1. nu. 113. p 76. c. 2. Secùs autem ſi excedat mortaliter in defenſione, ibid. 114. Quando autem per fugam poteſt vitari periculum an irregularitas incurratur, ibid. nu. 115. In iſta tamen irregularitate diſpenſat Epiſcopus, vel Prælatus Regularis, ſi ſit occulta, ibid. n. 116. p. 77. c. 1.
Hoſpitalitas nemini deneganda. T. 2. n. 1. p. 282. c. 2. laudatur, ibid. Hoſpites hilariter recipiendi, ibid. Hoſpitari renuens, cogendus, ibid. Receptus liberaliter tractandus, ibid. Hoſpitibus pedes lauandi, ibid Hoſpitales qui non ſunt, non debent ad dignitates promoueri, ibid. Hoſpitibus ſecularibus in Conuentibus Regularium infirmantibus poſſunt dicti Regulares Euchariſtiam miniſtrare T. 1. nu. 92. p. 57 c. 2. Et etiam extremam Vnctionem, ibid. nu. 93. Et ſi decedant Sepulturæ tradere, ibid. n. 94. p. 58. c. 1.
Humilitati non repugnat, quod aliquis ſeruus Dei dicat, ego maiora miracula patraui, quàm ille, nec ſimiliter ego melius ſtudui, natus ſum &c. T. 3. n. 12. p. 317. c. 1. An poſſint ſerui Dei abſque mendacio dicere, ego ſum peior aſſaſſino ibid. p. 327.

I

IEiunia indita ab Epiſcopo an teneantur Regulares obſeruare T. 3. n. 55. p. 333. c. 2.
Ignorantia eſt mater omnium delictorum. T. 2. n. 22. p. 232. c. 2.
Ignorantia craſſa quæ ſit. T. 1. n. 17 p. 92. c. 1.
Illegitimus per profeſſionem in Religione approbata habilitatur ad ordines ſacros ſuſcipiendos. T. 1. n. 89. p. 73. c. 2.
Illegitimus per profeſſionem, non legitimatur ad dignitates ſui Ordinis. T. 1. n. 90. p. 73. c. 2.
Illegitimus, quæ officia poſſit in Religione habere. T. 1. nu. 91. p. 73. c. 2. Cum illegitimis diſpenſare ad dignitates Ordinis nunc etiam poteſt Generalis cum voto ſuorum Collegarum, & de conſenſu illius etiam Prouinciales, ibid. n. 95. & 96. p. 74. c. 1. *Quod etiam conceſſit Clemens VIII. Clericis Regularibus de Somaſca in ſua Conſtitut. 22. §. 3. apud Cherub. quæ incipit, Decet. fol 29. vbi dat facultatem Generali, vt cum ſuis Collegis poſſit diſpenſare cum illegitimis ad recipiendum, retinendum, & exercendum adminiſtrationes, officia, & dignitates.*
Illegitimus diſpenſatus ad dignitates intra Ordinem non eas habere extra illum. T. 1. n. 98. p. 74 c. 2. Diſpenſatus ad dignitatem inferiorem non eſt diſpenſatus ad maiorem. ibid. n. 99 Tenetur in conſcientia diſpenſationem petere, nec poteſt ante eam obtentam dignitates acceptare. ib. n. 100. Quod ſi ſit omnino occultus, nec poſſit ſine infamia diſpenſationem petere, poteſt dignitatem retinere, ibid.
Imagines eorum, qui cum ſanctitatis fama deceſſerunt pingi non poſſunt cum ſignis venerationem indicantibus. T. 1. nu. 1 p. 112. c. 1. Nec imprimi libri dictorum miracula continentes, ibidem. Nec ad dictorum ſepulchra appendi tabellæ, neque accendi lampades, ibid. Tabellæ autem dictis viris oblatæ, vel offerendæ aſſeruari debent, ibid. p. 113. c. 1. Licet tamen eos priuatim colere, ibi. n. 2. Et illis exhibere aliquos ex honoribus, qui Sanctis Canonizatis deferuntur, ibid. n. 3.
Imprimere tractatus in materia de auxilijs nullus poteſt. T. 1. n. 20. p. 65. c. 2.
Incorrigibilis quis ſit cenſendus. T. 2. §. 4. p. 292. c. 2.
Indefinita æquipollet vniuerſali. T. 1. n. 9. p 87. c. 2.
Indulgentias conceſſit Iulius II. Minimis. T. 1. §. 11. p. 41. c. 2.

c.2.& §.6.p.87.c.1.& Leo X. ibid.§.1.p.110.c.2 Quæ ſunt in ſuo robore, ibid.n.1. Et confirmantur, ibid.§.2. p. 118. c.2.Nec reuocantur per Bullam Cruciatæ.ibid.§.3.Et poſſumus non obſtantibus quibuſcunque liberè eas publicare,ibid.§.4.& n.5.p.119 c.1. Iis tamen non gaudent alij Mendicantes, ibid.n.2.p.111.c.1.

Indulgentias conceſſit Xiſtus IV. T.1. §.4. p.27. c.2. ſed vacant, ibid. n.4.p.30.c.2.

Indulgentiæ non plenariæ non ſuſpenduntur per Bullam Iubilæi. T.1.n.1.p.119. c.1. Et plenariæ non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ, ibid.n.2.

Indulgentiæ, & priuilegia anno Iubilæi ſuſpenduntur quo ad quinque. T.1.n.2.p.153.c.1. Indulgentiæ etiam plenariæ pro articulo mortis non ſuſpenduntur anno Iubilæi, ibid. nu.3. Nec etiam ſuſpenduntur anno Iubilæi, indulgentiæ plenariæ pro articulo mortis conceſſæ medalijs, coronis, &c. ibid.Nec ſuſpenduntur indulgentiæ pro defunctis anno Iubilæi, ibid. n.4. p.119.c.1. *Hic nota quod tempore iubilæi poſſunt omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab ordinario ad audiendas confeſſiones, etiamſi ſui Ordinis non ſint; in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audiunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium, & ita declarauit Gregorius XIII. vt refert Rodriq.in ſuo Bullar. viua vocis oraculis dicti Gregorij, & ſic vidi practicari Romæ.*

Indulgentia plenaria conceditur viſitantibus Eccleſias Minimorum in Dominicis quadrageſimæ,& alijs diebus.T. 1.§.1.p.117.c.2. Ad indulgentiam lucrandam requiritur ſtatus gratiæ, ibid.n.1.p.119.c.1. Quo tempore requiratur gratia, ibid.nu.2.Indulgentia an ſuum ſortiatur effectum recedente fictione, ibid.n.3. Illa verba *verè pœnitentibus, & confeſſis*, poſita in indulgentijs actualem confeſſionem requirunt, ibid.n.4. p.119. c.1. ad indulgentiam lucrandam poteſt Papa actualem confeſſionem venialium præcipere, ibid. Illa verba *deuotè viſitauerint*, in indulgentijs poſita quid ſignificent, ibid.n.7.

Indulgentia eſt duplex, plenaria, & limitata. T.1. nu.12. p. 121.c.2. Limitata eſt multiplex in num.ſeq vſque ad n.17. Plenaria remittit non ſolum pœnam temporalem à Confeſſario impoſitam, ſed etiam, quæ luenda eſſet in purgatorio, ibid.n.18.p.122.c.1.

Indulgentiæ communes inter fratres non ſunt communes cum ſæcularibus.T.1.§.2.p.144.c.2.Vide n.1.p.145.c.1.

Indulgentiæ centum dierum conceduntur viſitantibus Eccleſias Minimorum ſingulis quibuſque ſextis ferijs. T.1. §.1.p.161.c.2. Et ſeptem annorum, & totidem quadragenarum. T.2.§.4.p.237.c.2. & ibid §.2. p.277. c.1. Et indulgentia plenaria quibuſlibet primis ſextis ferijs cuiuſlibet menſis, ibid.§.1.p.237.c.2.& ibid.§.1.p.277.c.2.

Indulgentia plenaria, & aliæ temporales conceduntur viſitantibus Capellam S. Franciſci de Paula in quibuſdam diebus.T.2.§.4.p.176. c.2.Vide n.4.p.177.c.2.

Indulgentia per ſe non remittit vllum peccatum. T.2. nu.2. p.177.c.1. Quid intelligatur quando dicitur in aliquibus conceſſionibus Indulgentiarum *peccatorum remiſſiones*, ibid.Indulgentia per modum ſuffragij quid ſit, ibid. n.3. Indulgentia in forma Iubilei quid ſignificet, ibid. nu.6. p.177. c.2.

Indulgentia plenaria conceditur viſitantibus Eccleſias Minimorum in die S.P.Franciſci. T.2. §.1. p.222. c. 1. & eſt toties quoties, ibid.n.5.p.223.c.1. Et quomodo id intelligatur, ibid.& T.3.à n.2.vſque ad 15.& à p.435. vſque ad p.436. Et transfertur cum feſto. T.2.n.8.p.223.c.1.& T.3. n.15. p.344.c.1.

Indulgentiæ tantum valent quantum ſonant. T.2. n.1.p.222. c.1.Ad Indulgentias concedendas quid requiratur, ibid. nu.2. Qui eodem die pluries facit actum, per quem conceditur Indulgentia, an pluries Indulgentiam conſequatur, ibid.n.3.c.2.

Indulgentias omnes Regularibus conceſſas reuocauit Paulus V. & alias de nouo conceſſit. T.2. p.250. c. 1. Indulgentijs à Paulo V. Regularibus conceſſis fruuntur etiam extra conuentus commorantes, ibid.n.1. p.251.c.2.

Indulgentiæ conceſſæ Regularibus pro defunctis non reuocantur per Bullam Pauli V. T.2.n.5 p.252. c.1. Quæ ſint iſtæ indulgentiæ ibidem n.6.7.8.& 9. Neque reuocantur per dictam Bullam Indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis n.10. Neque conceſſæ alicui Eccleſiæ particulari in die eius feſti, ibid. n.11.c.2. Neque conceſſæ medalijs vel coronis, ibid.Indulgentiæ conceſſæ Eccleſijs Regularium pro ſæcularibus non ſunt reuocatæ per bullam Pauli V.T.3.n.82. p.354.c.1.Neque ſunt reuocatæ Indulgentiæ, quas Prædicatores Mendicantes eorum Prædicationibus finitis poſſunt concedere ſuis auditoribus. ibi. n.57. p.366. c.2. Neque eſt reuocata Indulgentia conceſſa audientibus Miſſam in Eccleſijs Regularium, ibidem Neque item ſunt reuocatæ Indulgentiæ conceſſæ morientibus cum habitu dictorum Mendicantium, ibidem Neque item eſt reuocata Indulgentia conceſſa ſalutantibus quaſcumque perſonas his verbis *laudetur Ieſus Chriſtus*. Nec ſimiliter Indulgentia conceſſa inuocantibus tempore mortis ore vel corde nomen *Ieſu*, ibidem n.58. p.366. c.2. Paulus V. conceſſit fratribus recitantibus coronam Beatæ Mariæ Indulgentiam plenariam, ibidem nu.59.p. 367.c.1. & Vrbanus VIII. conceſſit Fratribus quæſtuantibus pro amore Dei, quo die id fecerint indulgentiam 40.dierum, ibidem n.62.

Infames infamia iuris poſſunt diſpenſari à Prælatis Regularium. T.3. n.1.p.310.c.2.

Infamiæ maculam poſſunt Regularium Superiores abolere. T.1.n.10.p.12.c.2.

Infami munus docendi an ſit committendum. T.2.num.5. p.299.c.2.

Infirmaria in Conuentibus Minimorum vbi non poteſt commodè conſtrui locetur in aliqua parte Conuentus.T. 1.§.3. p.166. c.1. Infirmis qui debeant deſeruire ibidem §.4.Infirmi veſcentes carnibus in Ordine Minimorum è Conuentu non egrediuntur. T.2. §.5. p.229. c.2. Poſſunt tamen egredi conualeſcentes ex longa infirmitate, ibid. n.18.p.232. c.2. Et prædicantes actualiter, ſi infirmitate corripiantur, ibidem. Item itinerantes, ibidem nu.19. Et item Superiores quicumque, ibidem. Infirmi qui non poſſunt ire ad Eccleſiam ad lucrandas Indulgentias, eas conſequi poſſunt in ſuo lecto ibid.n.2.p.251.c.1.

Iniuria quid ſit. T.2.n.35.p.270.c.2.Quot modis fiat ib n.36.

Inquiſitores Hæreticæ prauitatis quomodo ſubſint correctioni ſuorum Superiorum.T.1.§.11.p.29.c.1. & ibid. nu. 49.p.35.c.2.& §.12.p.60.c.1. & n.46 p.65.c.2.

Inquiſitores contra Generales Ordinum quomodo procedant. T.2.n.2.p.254.c.1. Inquiſitores, de quibus cauſis cognoſcant, ibidem à n.3. ad 23. p.254.c.1. Non procedunt contra Confeſſarios inceſtum cum filiabus ſpiritualibus committentes, ibid.n.18.p.255. c.2. Quæ cenſenda ſit filia ſpiritualis, ibid.n.19.

Inquiſitores, & locorum ordinarij procedunt contra ſollicitantes fœminas, vel pueros in Confeſſionibus. T.2.n 20. p.255. c.2.

Inquiſitores procedunt contra Confeſſarios allicientes pœnitentes ad inhoneſta non ſolum verbis expreſſis, ſed etiamſi ſolum tacitis. T.2.n.21.p.255.c.2.

Inſignia illius, qui habet Capellam in aliqua Eccleſia ſi ipſe propter proditionem à Ciuitate expellatur, deleri non poſſunt. Tomo 1.n.24.p.151.c.1.

Interdicta à Regularibus ſeruari debent.T.1.n.49. p.22. c.1. & ibidem n.31.p.151.c.2.non tamen in diebus feſtiuis ſuarum Religionum ibidem nu.51.p.22.c.1 & T.2.§.6.p. 206.c.1.Nec in aliquibus feſtis ſolemnibus.T.1.n.52.p.22. c.2. poſſunt item dicto tempore admittere ad diuina ſex, immo quindecim perſonas ibidem nu.53. Quæ conceduntur Mendicantibus tempore interdicti generalis, conceduntur etiam tempore interdicti ſpecialis, ibid. nu.54. p.23. c.1. Interdicti tempore ianuis clauſis, & ſubmiſſa voce poſſunt diuina celebrari, ibid. n.55.& §.23. p.61.c.1. & §.2.p.125.c.2. Interdicti tempore ordinaria auctoritate appoſiti poterant Minimi ianuis apertis diuina celebrare, ibid.§ 2. p.125.c.2.Interdicti tempore etiam auctoritate Apoſtolica appoſiti poſſunt Regulares in proprijs & alienis Eccleſijs, & etiam in oratorijs ianuis clauſis admiſſis ſocijs diuina celebrare, ibid.§.2.p.125.c.2.

Interpretatio legis duplex.T 1.n.1. p. 102.c.2. & T.2. n.6. & 7. p.299. c.2.

Inualitudinarij in ordine Noſtro quo ad effectum non habendi Dignitates quinam cenſendi ſint. T.3.n.19.p.410.c.2

Inueſtituræ bonorum iuriſdictionalium fieri prohibentur. T.2.§.2.p.283. c.1.

Irregularitas incurritur ſine culpa, non tamen ſine voluntate

Digitized by Google

tate T.1. nu.107. p. 76. c.1. Irregularitas ex mutilatione membrorum proueniens diſpenſatur ab Epiſcopo, & Prælato Regulari, ibid.n.117.p.77.c.1. Nomine mutilationis membrorum intelligitur omnimoda truncatio illius, ibid. Irregularitas omnis tribus exceptis, diſpenſatur à Prælatis Regularibus, ibidem §.29. p.62. c.1.

Itali, qui ab alieno Epiſcopo cum falſis dimiſſorijs promoueri ſe faciunt poſt declarationē iudicis Eccleſiaſtici non gaudent priuil.fori.T.3.Conſt.5.Vrb.VIII.§ 3.p.383.c.2.

Iubilei tempore poſſunt omnes Regulares confiteri Sacerdotibus approbatis ab ordinario etiamſi ſui ordinis non ſint.T.3.n.3. p.324. c.2. eodem tempore poſſunt Moniales eligere ſibi Confeſſarium a ſolo Prælato dicti Confeſſarij approbatum cuiuſcumque ordinis ſit, ibid. nu.4. p.325 c. 1.

Iudices ſæculares tenentur ſuum brachium Eccleſiaſticis præſtare. T.1.nu.97. p.58.c.1. Iudices Eccleſiaſtici vel ſæculares non poſſunt ſuſcipere quærelas fratrum contra fratres, ibid.§.3.p.142.c.1.

Iudex quando dicatur datus ad vniuerſitatem cauſarum. T. 2.n.2. p.268. c.2.

Iudex Synodalis eſſe non poteſt Canonicus Collegiatæ qui ſit doctor. T.2.n.19.p.270. c.1. Nec qui dignitatem dimiſit, ibid. nu.20.

Iudices Synodales quot creandi. T.2.n.21.& 22. p. 270. c. 1. Si moriatur aliquis Iudex Synodalis alium ſubſtituit Epiſcopus cum conſilio Capituli, ibid.n.21. quod conſilium non poteſt omitti, ibid.n.23. vide plura nu.ſeq.

Iudex Eccleſiaſticus moleſtus vaſſallis Regis, & pacis turbator, an poſſit expelli à Regno.T.3.n.16.p.370.c.2. Iudex ſæcularis volens inquirere, an malefactor occultetur in Eccleſijs, vel monaſterijs Regularium, poteſt abſque periculo incurrendi excommunicationem effringere portas, ſi Regulares id prohibeant, ibid.n.13.p.370. c.1.

Iulius II.confirmauit Correctorium Minimorum.T.1.§.25. p.44.c.1. Item tres Regulares editas à S.P.N. ibid. §.26. eidem Iulio II. prædixit S. P. N. F. Papatum ibid. nu.1. p.47. c.2.

Iuriſdictio plenaria quæ ſit. T.1. nu. 3. p. 87. c.1. Iuriſdictio perpetuò competens dignitati priuilegio Principis ordinaria eſt, ibid.n.14.p.4.c.1.

L

LEctores in Conuentibus Regularium poſſunt legere abſque alicuius licentia. T.1.§.5.p.59. c.1. & ibid. n.15. p.65. c.1. Lectio ſacræ ſcripturæ in omnibus Conuentibus Regularium habenda, ibid.n.16 c.2.

Lectores non gaudent immunitatibus niſi actu legant, dicuntur autem actu legere tempore vacationum, & quando ſunt deſtinati ad de breui legendū. T.1.n.21.p.66 c.1.

Lectores in fauorabilibus veniunt nomine ſtudentium.T.3. n.3.p.368.c.1. An poſſint in ordine noſtro eſſe Correctores ibid.n.36.p.406.c.2.

Legatus, & Nuncius Papæ venit nomine Ordinarij. T. 1. n.41.p.67.c.2. An dictis Legatis teneamur contra noſtra priuilegia obedire, ibid.n.42. p.68.c.1. Legatis Papæ in præiudicium tertij non creditur niſi literas legationis oſtendant. T.3.nu.14.p.320.c.1. Quid ſi habeant priuilegium, vt non teneantur oſtendere, ibid. Si Legatus aliquem citet, debet in citatione inſerere literas Legationis, ibid.n.16.c.2.

Legata pia ſeù oblationes non ſoluentes Eccleſijs, debent excommunicari. T.1.n.127. p.78.c.1.

Legatum rei alicuius immobilis an poſſit repudiari à ſolo Prælato. T.1.n.16. p.99 c.1.

Leges iuſtæ nimia ſeueritate ſeruatæ ſunt damnoſæ bonis, & malis. T.2.n.3.p.230.c.2.

Lex poteſt tripliciter interpretari.T.2.n.4.p.231. c.1. ex duabus partibus conſtat, verbis ſcilicet, & intellectu, ſed hic potior eſt.T.3.nu.2.p.303. c.1. Hæc tripliciter ſe habent adinuicem, ibid.n.3. legis verba duo plerumque ſignificant, ibid.n.4. legis pœnam non effugit, qui in fraudem legis committit, ibid.nu.5. multis modis cognoſcitur in lege plus eſſe intellectum, quàm dictum, ibid. nu.6.c.2. multiſquè etiam modis cognoſcitur eſſe minus in ea cōprehenſum, quàm verba ſonent, ibid.n.7. p.304.c.1. Lex vna quot modis alteri legi præualeat, ibid. n.8.p.305. c.1. Lex dubia in quem ſenſum eſt interpretanda, ibid. nu.9. c.2. Sine lege loqui legiſtis erubeſcibile, ibid.n.10.p.306. c.1. Lex eadem ſub diuerſis reſpectibus poteſt ſtrictè interpretari, & largè, ibid.n.3. p.355.c.2. Lex, quæ præcipiat inferiorem præcedere Superiorem fieri non poteſt. ibid.n.18.p.357 c.2. Legem humanam tranſgrediens putans ſe habere iuſtam cauſam non peccat. ibid. nu. 4. p. 372. c.2.

Libros Hæreticorum ad oppugnandum poſſunt legere Regulares de licentia Generalis. T.2.n.9. p.254.c.2. Libros ſuſpenſos poſſunt emendare Regulares per ſe ipſos cum licentia Prouincialis, ibid.n.10.

Librorum Cenſores debent eſſe maximè prudentes. T.3.n. 63. p.367.c.2. Libri Auctorum commorantium in ſtatu Eccleſiaſtico non poſſunt imprimi extra illum abſque licentia Vicarij Papæ, & Magiſtri Sacri Palatij, ibid. n.64. Licentiæ legendi libros prohibitos reuocantur, ibidem Conſt.9. Vrbani VIII. p.419.c.2.

Libri ex Bibliotheca Genuenſi Ordinis Minimorum extrahi non poſſunt. T.2.§.1.p.278.c.1.

Linguarum ſtudia mandantur Superioribus Regularibus ſub grauiſſimis pœnis.T.3.n.11. p.320.c.2.

Literis papæ non parere, nefas, minimè autem de illis probabiliter dubitare. T.3.n.15.p.320.c.2. Litterarum Apoſtolicarum dubia præter Papam, vel Commiſſarium eius nullus cognoſcit ibid.n.69 p.352.c. 1.

Litigare eſt inuentum diaboli. T.1.n. 5.p.107.c.1.

Loca, & bona Regularium occupantes ſunt ipſo facto excommunicati. T. 1.nu.33.p.6.c.2. Eoſque ſimiliter moleſtantes, ibidem §.17. p.43.c.1.& §.36. p 46.c.2.

Locari vltra triennium poſſunt prædia, quæ alternis tantum annis fructificant T.1.n.24. p 99. c.2. Immo etiamſi ſingulis annis fructificent, ibid.n. 25.p.100.c.1.

Locationes ad ſex, vel nouem annos cum clauſula quod tot ſint locationes quot triennia fieri non poſſunt. T.1. n. 26. p.100.c.1. Quod ſi fiant, locatio pro primo triennio erit valida, ibid. vbi non eſt recepta Bulla Pauli II. Poſſunt fieri locationes vltra triennium, ibid.

Ludere prohibitus Clericus à ſuo Epiſcopo poteſt ludere in domibus Regularium exemptis T.3.n.2. p. 310. c.2 An autem ludere poſſit, ſi Epiſcopus declaret intendere ſe ligare etiam ludentes in loco exempto, vel abſentes, ib.n.3.

M

MAior cedit Minori, dum eſt in domo *Minoris*. T.3. n.19.p.358.c.1.

Mali non debent eſſe melioris conditionis, quàm boni, aut ſtulti, quàm ſapientes. T.3.n.7.p.324.c.1.

Manifeſtum quid ſit. T. 2.n.38. p.271.c.1.

Maſculinum in pœnis non comprehendit fœmininum. T.3. n.3.p.355.c.2.

Matrimonia non poſſunt ſolemnizare Regulares ſine licētia Parochi. T 1.nu.26. p.151.c.2. Quæ licentia debet eſſe expreſſa, ibid.n.28. non eſt tamen neceſſe quod ſit in ſcriptis, ibid.

Medicus fratrum Minimorum an poſſit dare Generalem licentiam Superiori vt licentiet per ſe ipſum fratres ad comedēdas carnes.T.3.n.22. p.411.c.2. Vbi alia de Medico.

Mendicantes fruuntur priuilegijs etiam non mendicantibus conceſſis. T.1.n.81. p.72.c.1.

Mendicantium ordines qui ſint.T.2. §.2. p.192. c.1. & ibid. nu.1.p.193.c.1.

Mendicantes non tenentur ad aliquorum onerum contributionem.T.2.§. 16. p.207.c.1. & ibid.n.16. p.212. c. 1. In Eccleſia Dei portant pondus diei, & æſtus. T.1.n.2.p.147. c.2.& T.2. §.2.p.205 c.2. & n. 5. p.210.c. 1.

Mendicantes non poſſunt prohiberi aſſociare mortuorum corpora ad ſepulturam. T.2.§.24. p.208.c.1.

Minimi fruuntur priuilegiis non ſolum conceſſis, ſed etiam concedendis omnibus Regularibus. T.1.nu.33. p.50. c.2. & ibid.§.14.p.48.c.2.

Minimi non poſſunt cogi ad colligendas pecunias, nec ad habendam curam Monialium &c. T.1. §. 10. p. 59. c.2. Vide, ibidem à nu.36. ad 41. p.67. c.2.

Minimi obligati non poterant ad ſuffragia particularia, niſi per quinquaginta annos. T.1.§.2. p.81. c. 1. & §.4. p. 84.c.2. Nunc autem poſſunt ad perpetua, ibidem n.27. p.85. c.2. & §.2.p 222.c.2.& T.2.§.2.p. 184 c.2. & ibid.§.3.p.277.c.1.

Minimi non poſſunt tranſire ad alium quantumuis priuilegiatum ordinem. T.1.§.4.p.86.c.1.& §.3.p.117.c.2. An poſſint in aliquo caſu cū licentia Generalis, ibi.n.7.p.87.c.2.

Mini-

Minimi de feſtis principalibus non obſtante proprio Kalendario tenebantur celebrare ſaltem vnam Miſſam, T.1.§.1.pag.153.col.1.

Minimi in celebrando officio Conceptionis ſe conſuetudini Prouinciæ conformabant, T.1.§.2.p.154.c.2.

Minimi degentes extra Ordinem in locis, in quibus non ſunt Conuentus non poſſunt portare Capucium ſimile alijs, T.2.§.2.p.178.c.1.

Minimi ad Capucinos tranſire non poſſunt, T.2.§.2.p.189.c.1.& ibi.n.1.Minimorũ ordo inter Mendicantes numeratur, T.2.§.2.p.190.c.1.Ex ſua primæua inſtitutione Euãgelicam paupertatem profitetur, ibid.num.1.p.191.col.1.

Minimi poſſunt habere Cippum in ſuis Eccleſijs ad eleemoſinas quotidianas colligendas, T.1.§.12.pag.41.c.2.& nu.9.pag.48.col.1.

Minimi an tempore infirmitatis poſſint comedere carnem ſuillam, & caſeum.T.3.n.34.p.346.c.2.vſque ad nu.59.p.350.c.1.diffuſè tractatur iſta quæſtio,& quod poſſint, ibi.n.52.p.349.c.1.Minimus,qui cibos comedit eo fine,vt infirmetur,& poſſit comedere carnes,ſi comedat,facit contra votum, ibid.nu.59.p.350.c.1. Licet alij etiam negent, ibid.qui in fraudem voti comedit ea, vnde fuit infirmatus, toties peccat, quoties carnes comedit, ibidem nu.60.pag.350. col.2.

Minimi comedentes cibos Paſchales an poſſint Conuentus exire, T.3.n.90.p.354.c.2.Superiores non ſunt comprehenſi illo ſtatuto de non exeundo Conuentu tempore infirmitatis, ibid.n.92.p.354.c.2.

Minimi ad præcauendas infirmitates poſſunt ſe purgare, & carnes comedere, T.3.n.7.p.409.c.1.Per votum vitæ quadrageſimalis non renunciant iuri conſeruandi vitam, quantum fieri poteſt,ſalua eſſentia voti, ibid.nu.8.ſi nihil aliud reperiant niſi carnes poſſunt ad conſeruandam vitam illas comedere, ibid.n.14.p.410.c.1.

Minimorum Religio eſt perpetuò ieiunantium inſtitutum, T.3.nu.14.p.410.c.2.

Minimus qui dicit, *comederem carnes,niſi vouiſſem*, non peccat,T.3.n.15.p.410.c.1. Non peccat mortaliter Minimus qui delectatur de eſu carnium,ibid.n.16.

Miſerabiles perſonæ,quæ dicantur,T.1.n.31.p.19.c.2.

Miſſas ante diem celebrare poterant Minimi, T.1.§.7.p.2.c.1.Sed reuocatur per Tridentinum, ibid.nu.19.p.4.c.2.Verum denuò reſtituitur,ibid.n.20.p.5.c.1.

Miſſæ debent celebrari iuxta ritum Miſſalis Romani, & nullo modo veſpertino tempore,T.1.n.19.p.4.c.2.poſſunt dici à Regularibus per duas horas cum dimidia ante ortum Solis,ibid. nu. 21.p.5. c.1. Miſſæ Natiuitatis poſſunt omnes tres celebrari ante auroram, ibid.n.22.

Miſſa debet inchoari,vel abſolui meridie, T.1.n.23.p.5.c.1.excipe ſolemne aliquod feſtum, & ſi ratione itineris neceſſe ſit die aliquo feſto horam poſt meridiem celebrare,ibidem n.24.c.2.

Miſſam feria quinta hebdomadæ ſanctæ omnibus Sacerdotibus abſque populi frequentia celebrare licet,feria 6. nemini, Sabbato poſt Paſchale officium ob cauſam licet,T.1.n.25.p.5.c.2.

Miſſa poteſt celebrari à Regularibus in diebus feſtis etiam antequam Rector Parochialis celebrauerit, T.1. nu.26.p.5.c.2.& T.2.§.10.pag.206.c.2. & ibidem num. 13. pag.211.c.2.ad 5.

Miſſam cum altari portatili celebrare poterant Regulares, T.1.§.7.p.2.c.1.&§.7.p.59.c.1.Sed antiquatur per Tridentinum n.27. pag.5. col.2. innouatur vero per Gregorium XIII. ibidem n. 28.

Miſſæ poſſunt dici à regularibus in priuato Oratorio approbato à Prouinciali, T.1.n.29.p.6.c.1. Et etiam in Monaſteriorum infirmarijs, & alijs locis honeſtis cum altari portatili, ibid.poſſunt etiam dici in Oratorijs conſtructis in grangijs Monaſteriorum,ib.n.30.

Miſſam poſſunt celebrare Regulares cum Altari portatili in Cellis infirmorum nequeuntium è lecto ſurgere,& eis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, T.1.n.34. p.7.c.1.

Miſſa propter neceſſitatem poteſt celebrari ſub dio,T.1.nu.35.p.7. col.1. Nunquam tamen licet ſupra mare vel flumen,ibidem nu.36.

Miſſæ fructus meritorius, & ſatisfactorius tantum valet ex condigno ſingulis,cum pro multis offertur, ac ſi vni tantum applicaretur,T.1.n.15.p.88.c.2.

Miſſa de Sancto an ſeruiat pro vna Miſſa de Requiem,T.1.nu.1.p.126.c.1. Cum vna Miſſa ſatisfaciebant Regulares omnibus eleemoſinis acceptis pro pluribus celebrandis ſi hæ ſummam vnius iulij Papalis non excederent, ibid.§.2.pag.140.c.1.

Miſſam audiendo fideles in Eccleſiis Regularium ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, T.1.p.141.c.1.& T.2.§.10.p.206.c.2.In Eccleſiis Regularium quicumque Clerici poſſunt Miſſas celebrare,T.1.§.4.p.146.c.1.

Miſſam priuilegiatam pro defunctis ſingulis 2. & 4. feriis dicunt omnes Superiores, & primi eorum ſocii Ordinis Minimorum, T.1.p.165.c.1.Item omnes Sacerdotes cõuentuales in Conuentu Sanctæ Trinitatis de Vrbe, ibid. etiam hoſpites,ibidem n.3. p.165.c.2.Item Vicarii Generales,& Conuentuales,ibid.num.6. Item ſocii P. Zeloſi, ibidem num. 7. Item ſocius Vicarii Generalis Hiſpaniæ, ibid.num.8.p.166.col.1.

Miſſam celebrantes Regulares pro anima parentum, vel fratrum aut habentium litteras fraternitatis,eam liberant à pœnis purgatorii,T.2.§.1.p.234.c.1.

Miſſæ pro Minimis reducuntur ad rationem quinquaginta ſcutorum monetæ Papalis,T.2.§.2.p.278.c.2.

Miſſarum onera non poſſunt reduci niſi ab Apoſtolica Sede, T.2.§.1.pag.286.col.1.

Miſſæ tot celebrari debent, quot fuerunt recepta ſtipendia, T.2.§.2.p.286.c.1.Priuilegia ſatisfaciendi miſſis cum anniuerſariis,vel collectis reuocata ſunt, ibid.§.3. Qui certam pecuniam pro Miſſa celebranda ſumpſit non poteſt Minorem alteri dare, ibid.§.4. c.2. pecuniæ recipiendæ cum onere perpetuo Miſſarum conuerti debent in bona immobilia, ibidem § 5. Miſſarum onera perpetua recipi non poſſunt ſine Epiſcopi, vel Generalis, aut Prouincialis licentia, ibid.§. 6.c.2. Miſſarum manualium eleemoſinæ recipiantur, quando oneribus impoſitis fuerit ſatisfactum,ibid.

Miſſas nouas celebrantes an poſſint oblationes recipere, T.3.n.14.pag. 307.c.1.Miſſa votiua poteſt in feſto duplici dici,ibidem n.15.An poſſit dici in feſto de præcepto, ibidem.in Eccleſiis collegiatis quotidie eſt dicenda Miſſa, ibid.n.16.p.307.c.1.An in dictis tempore quadrageſimæ ſint cãtandæ duæ Miſſæ,ibid.nu.17 Quæ Eccleſiæ dicantur Collegiatæ, ibidem num. 18.col. 2. Eccleſiæ Regularium an dicantur Collegiatæ ad effectum cantandi in illis duas Miſſas, ibidem num.19 In dictis Eccleſiis ſufficit pro Miſſa Conuentuali cantare Miſſam defunctorum vbi adeſt conſuetudo, ibidem num.20. In eiſdem Eccleſiis, in quibus adſunt tres Sacerdotes quotidie eſt dicenda Miſſa ſub mortali correſpondens officio, ibidem nu.20. Quæ Miſſa Conuentualis applicari poteſt, ibidem. Miſſæ ſolemnis omiſſio etiam in diebus feſtis non eſt peccatum mortale, ibid.

Miſſas ſibi celebrari facere poteſt quilibet dum viuit, T. 3. nu.21.p.308. c.2. Sacerdos liber ab obligatione dicendo Miſſam in eam poſſit applicare pro illo, qui primo ſtipem dederit,ibid.n.22. Vacare quomodo poſſit Sacerdos obligatus ad quotidie Miſſandum,ibid.nu 23.c.2. pauper Sacerdos poteſt tempore vacationis pro ſeipſo, vel amico celebrare, ibid.num.23. An poſſit applicare alteri accepta ſtipe valorem Miſſæ ſibi competentem,ibidem nu.25.pag.309 col.1.An poſſit pauper Sacerdos minus accipere pro Miſſis celebrandis, & deinde ad rationem iuſti pretii Miſſas celebrare,ibidem num.26. An poſſit Sacerdos vti iure compenſationis in Miſſis celebrandis, ibid. num.27. col. 2. Sacerdos promittens alicui Miſſam abſque ſtipendio an teneatur eam dicere, ibidem num. 28. An ſi aliquod nunc remedium minuendi numerum Miſſarum,ibid.n.29.

Monachus dicitur eſſe in Monaſterio quando eſt in quocunque loco de ſuperioris mandato, T.1. num. 22. pag. 18. col. 2.

Monachorum nomine in fauorabilibus veniunt omnes Regulares, T.1.n.2.p.102.c.1.

Monachus vagus non poteſt eſſe bonus,T.3.n.32.p.346.c.1 Et hic ſolus defectus eſt ſufficiens ad excludendum aliquem à dignitatibus, ibid. Et de Monacho vago omnia mala præſumi poſſunt, ibid.

Monaſterii nomine quid intelligatur, quando ingreſſus in illud interdicitur,T.1.nu.12.p.91.c.1.

Digitized by Google

Monaſteria Monialium ingrediendi licentiam quis dare poſſit, & quomodo. T.2.n.4.5.& 6. p.180. c. 2. & ibidem n.29.p.201. c.2.
Monaſteria Monialium ingrediens cum Superioris licentia non tamen ex iuſta cauſa conceſſa, an incurrat pœnas. T. 2 n.7. p.181.c.1.
Monaſteria Monialium tertij ordinis poſſunt erigere Minimi. T.2.§.2. p.184. c.1.
Monaſteria Monialium ex iuſta cauſa ingredientes, finito negotio, an ſtatim exire teneantur. T.2.n.32. p. 202.c.1.
Monaſteria monialium abſque licentia ingrediens quas pœnas incurrat. T.2.n.33.p.202. c.2. & n.35.
Monaſteria Monialium ingrediens bona fide fœmina abſque licentia animo profitendi non incurrit pœnas. T. 2. n.34. p.202.c.2.
Monaſteria Monialium adire Regulares ad colloquendum prohibentur. T.2.n.6.p.197.c.1. Et eſt mortale peccatum, ibid.n.36. p.203. c.1. Conceditur tamen quater in anno conſanguineis, ibid.n.7.p.197.c.2.
Monaſteria Monialium Regularibus ſubiectarum adeundi ad colloquendum ſæcularibus licentia quis concedere poſſit. T.2.n.38. p.203.c.2.
Monaſteria Monialium ingredientes à quo poſſint abſolui. T.2.n.41. p.203.c.2.
Monaſteria Monialium ingrediendi facultates quomodo intelligantur. T.2 n.5.p.196.c.2.
Monaſteria Monialium ingrediendi habent iuſtam cauſam Confeſſarij pro audiendis Cõfeſſionibus Monialium infirmarum Medici, Cirurgi, Fabri, Baiuli. T.2.n.30.p. 210. c.2. Et eſt etiam iuſta cauſa vt ferratur capitium S. P. N. Franciſci alicui Moniali infirmæ cum vehementer deſideranti, ibid. vt aliquando factum eſt.
Monaſteria Monialium Minimorum poterat ingredi Generalis tempore Viſitationis. T.1. §.3. p.164. c. 1. Modo non. T.2.§.4. p.179.c.2. & nu. 2. p.180. c. 1. Poteſt tamen Confeſſarius, & Medicus, & alij artifices. T.1.§.5.p.164. c.2.& T.2. n.3.p.180.c.2.
Monaſteria intrare poſſunt Regulares cum cauſa abſque licentia Ordinarij. T.3.n.18.p.371.c.1.
Monetas aureas, vel argenteas tondentes, fabricantes, vel colorantes etiamſi Regulares ſint, degradari debent, & Curiæ ſæculari tradi, & de hoc delicto nõ poſſunt Prælati Regulares cognoſcere. T.3.conſtit.12.Vrbani VIII.p.390, col.1.
Moneta tripliciter adulteratur. T. 3. nu.1. p.391. c.1. pœnis contra Monetarios inflictis non tenetur qui ſolum tentauit monetam falſam fabricare, ſi non perfecerit, ibid.n.2. Qui priuata auctoritate bonam monetam cudit, an teneatur iis pœnis, ibid.n.4.c.2. Falſam monetam ſcienter expendens, iiſdem pœnis tenetur, ibid.n.3. Si in domo alicuius reperiantur ſtampæ falſæ monetæ, eſt indiciũ, quod ſit monetarius, ibid.n.5. Adiuuantes ad monetam falſam fabricandam, traſportandam, &c. ad triremes per decennium damnantur, ibid.n.6. Qui monetam rebrobatam à Principe expenderet, non teneretur pœnis monetariorũ, ibid.n.7. Iſta conſtitutio non obligat extra Italiam, neque in inſulis Italiæ adiacentibus, ibid.n.8.
Moniales fruuntur omnibus priuilegijs conceſſis fratribus, T.1 §.7.p.28. c.1.& n.30.p.33.c. 1. & §.40.p.47.c.1.
Moniales Confeſſionalibus vti non poſſunt. T.1. num.3. p. 103.c.1.
Moniales Minimorum poſſunt in Miſſis alta voce reſpondere. T.1.§.2.p.164.c.1.
Moniales non plures recipiantur quàm poſſint ſuſtentari, T.2.§.8.p.195.c.2. & ibid.n.1.& n.13.p.199.c.2.
Monialium numero expleto poſſunt aliquæ ſupernumerariæ recipi. T.2.n.9. p.198.c.1. In Monialium Monaſteriis poſſunt recipi educandæ puellæ. T.2. nu.10.c.2. Et etiam aliæ honeſtæ fœminæ, ibidem Moniales in Monaſteriis conuerſas recipiunt. T.2.n.17.p.199.c.2.
Monialis iuſta de cauſa è monaſterio egreſſa an poſſit ingredi aliud Monialium Monaſterium. T.2. num.28. p. 201.c.1.
Moniales an poſſint admittere famulas ad monialibus inſeruiendum, ſi Conuerſæ non adſint. T.2.n.31.p.202. c.1. *Et hoc modo intellige ſtatutum factum in Cap. Romano* 6. *Ordinis Minim.* nu.14. dub.9.
Moniales nouitiæ in articulo mortis conſtitutæ poſſunt facere profeſſionem ante annum probationis expletum, modo ſint in ætate legitima. T.2.§.2. p.213.c.2.
Monialium bona adminiſtrantes tenentur Epiſcopis rationem reddere. T.2.§.5. p.258.c.2.
Moniales viſitandi licentia extenditur ad ſocium. T.3. n.1. p.334.c.2 Hæc licentia valet pro vna ſola vice, ibid. n.2. p.335. c.1. Ex quo deducuntur multa, ibid. Iuſta cauſa, vt Monialis exire poſſit è Monaſterio, eſt infirmitas, quæ in Monaſterio curari nõ poſſit, quam licentiam ſi Superior dare nollet, poſſet Monialis ea ſolum petita exire, ibid. num.8.p.335. c.2.
Monialis abſque licentia Papæ non poteſt vllo caſu de Monaſterio in Monaſterio transferri. T.3.n.9.p.335.c.2. Quãdo conceditur alicui licentia ingrediendi Monaſterium Monialium de conſenſu ipſarum hic conſenſus præſtandus eſt Capitulariter per vota ſecreta ibid.num.10.p.335. col.2.
Mulieres in Conuentus Minimorum non poſſunt ingredi. T.1.§.3.p.89.c.1. & nu.3. c.2. & §. 2. pag.163. col. 1. Nec etiam in Conuentus aliorum Regularium, ibid. num. 4. p.90. c.1.& T.1. §.2. p.194. col.1. Poſſunt tamen ingredi tempore proceſſionum, prædicationum &c. T.1. num.5. p.90. c.1. Non tamen ijs temporibus in Conuentus Minimorum, ibid.n.8. pag.90.col.2. In Conuentus autem, qui fabricantur, poſſunt ingredi, ibidem num. 9. pag. 91. col. 1.
Mulieres licitè ingrediuntur Clauſtra Regularium tempore proceſſionis de induſtria factæ. T.1.n.13.p.91.c.2.
Mulieres poſſunt dicta Monaſteria ingredi quando datur habitus Nouitijs, vel fit pedum lotio. T.1.nu.14. p.91.c.2.
Mulieres ingredientes dicta Monaſteria, & Religioſi admittentes, quas pœnas incurrant. T.1.n.15. p.92. c.1.
Muliere bona fide admiſſa in Conuentus Regulariũ ſi quis abiiceretur, non incurreret pœnas T.1.n.18. p.92.c.1.
Mulieres ingreſſæ in Conuentus Regularium, ſi delictum ſit occultum, abſoluuntur ab Epiſcopo, & Confeſſoribus Regularibus. T.1.n. 21.p.92.c.2. Et etiã in foro contentioſo quo ad culpam, ibid. Regulares autem admittentes abſoluit Prælatus, ibid. n.22.
Munus quid ſit. T.1.n.136. p.79.c.1.
Mutare fratres ante tres menſes diei electionis an poſſint Superiores in ordine Minimorum. T.2. n.7. p.231.c. 1. Et vide plura in ſequent. de iſta mutatione.

N

NOtarios poſſunt Superiores Regulares in qualibet Prouincia conſtituere. T.2.§.2. p.215.c.1. & T.3.n.17.p. 336. c.2. Et non ſolum pro negotijs communibus, ſed etiam pro particularibus. T.2.nu.3. p.216. c.2. Et poſſunt dicti Notarij facere informationes pro nouitijs recipiendis, ibid.n.4. Et autenticare priuilegia Apoſtolica, ibid. n.5. Et ſeruire Prælatis in omnibus cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus ibid.n.6.
Notarius quid ſit. T.2 n.7.p. 216.c.2. Monachus non poteſt eſſe de iure communi Notarius, ibid. Neque baſtardus vide n.8. p.217. c.1. forma creandi iſtos Notarios ibid. n.9. Forma iuramenti à Notario præſtandi, ibid.
Nouitiatuum deputatio in Italia facta à Sacra Congregatione. T.3.n.2. p. 386. c.1.
Nouitii habentes conditiones requiſitas à Tridentino poſſunt ſumere ordines ab Epiſcopo, in cuius diœceſi ſunt cum dimiſſoriis proprii Epiſcopi. T.1. num.37. pag. 20. col.2.
Nouitii profeſſionem poteſt Superior prolongare per ſex menſes. T.1. num.81. p.25. c.2. Immo ad ſuum libitum, ibid.n. 82.
Nouitii abſoluti à cenſuris intuitu ingrediendi Religionem ſi ſtatim non ingrediantur, vel poſt quam fuerint ingreſſi ſponte egrediantur, in eas relabuntur. T.1. num.31. p. 67. col.1.
Nouitius propter morbum expulſus paratus ad redeundum an reincidat. T.1. num. 34.p.67.c.1 Impediens, ne quis Religionem ingrediatur, vel etiam iam nouitium ab ea extrahens, vel iniuriam irrogans recipientibus poſt monitionem eſt ipſo facto excommunicatus. T.1. pag.100. col. 1.
Nouitii in articulo mortis conſtituti poſſunt profeſſionem emittere etiam non completo anno nouitiatus, modo habeant ætatem legitimam. T.2. n.3.p.214.c.2.

Digitized by Google

Nouitij habentes animum perſeuerandi in articulo mortis conſtituti poſſunt eligere Confeſſorem, qui eos ab omnibus caſibus abſoluat, & Indulgentiam plenariam largiatur. T.2.n.4.p.214.c.2. Vide n.5.

Nouitiorum ad Religionem recipiendorum conditiones remiſſiuè. T.2.n.6.p.227.c.1. Nouitios ad Religionem recipere ad quos pertineat, ib.n.7. Nouitij profeſſi ſtent ſub cura Magiſtri per duos, aut tres annos. ibid.§.12.p.233.c.1. & nu.25. p.233. c.2. ad habitum non recipiantur, niſi in Conuentibus deſignatis. ibid.§ 11.& 12. p.291.c.2.

Nouitij nondum habitu Religionis induti breui tamen induendi, ſi decedant, poſſunt abſque Parochorum conſenſu in noſtris Monaſterijs ſepeliri, & gaudent omnibus priuilegijs fratrum T.3.n.3. p.318.c.2. Poſſunt abſolui ab omnibus caſibus, à quibus alij Religioſi, ibid.n.13.p.320. c.1. impedientes, & moleſtantes volentes Religionem ingredi, ſunt excommunicati, ibid.n.40.p.324.c.1. Rapiens Nouitium à Monaſterio capite punitur, ibid. Sed hæc intelligi debent de nouitijs habilibus, ibid. An qui impedit precibus importunis incurrat, ibid. quàm male faciant parentes, qui impediunt ſuos filios, ne Religionem ingrediantur, monſtratur duobus exemplis, ibid.nu.41. Et hanc cenſuram incurrunt non ſolum moleſtantes induendo ipſos, ſed etiam minitantes Superioribus, vel eius amicis &c. dictos recipi volentibus, ibid.n.43.c.2.

Nouitios ad Religionem recipere in Ordine noſtro poteſt Prouincialis cum tribus ſocijs per conſtit. Sixti V. T.3.p.341.c.1. Modo tamen tales receptiones referantur in Capitulo Prouinciali vel generali, ibid.§.3. An Correctores Vrbis poſſint Nouitios recipere, ibid.n.30.p.360.c.1. Nouitiorum profeſſio regiſtranda eſt in aliquo libro, & quã fidem faciat dictus liber, ibid.n.8. p.374. c.2.

Nouitia Monialis infirma ad mortem poteſt profeſſionem facere per priuilegium Pij V. etiam non expleto anno Nouitiatus. T.3.nu.12. p.336.c.1. Quod priuilegium non eſt reuocatum, ibid. nu.13. Quæ profeſſio ſic facta valet, etiamſi nouitia non decedat, ibid. n.14. Et Monaſterium ſuccedit Nouitiæ ſic profeſſæ inteſtatæ decedenti, ibidem nu.15. Quo priuilegio fruuntur etiam Nouitij Regulares ibidem n.16.c.2.

Nuncij Papæ non poſſunt concedere priuilegia fratribus particularibus. T.3. n.3.p.395.c.1.

O

OBedientia eſt præcipuum Religionis fundamentum. T.1. n.1. p.129.c.1.

Oblatio quid ſit. T.1.nu.125. p.77.c.2. ex quibus cauſis debeatur, ibid.n.126.p.78.c.1. Reditio eius ſub mortali obligat, ibid.num.127. Oblationem facere prætermittens in Miſſa ſine ſcandalo non peccat, ibid.nu.128. Oblationes ſoluere recuſans poteſt puniri, ibid. Oblationes tripliciter recipiuntur à Religioſis, ibid.nu.130. p.78.c.1. Iiſque poſſunt trifariam vti, ibid.n.131.c.2.

Oblati qui ſe, & ſua Religioni obtulerunt, quibus priuilegiis fruantur. T.3.nu.34. p.323. c.1. Oblati noſtri ordinis ſunt teſtes idonei in quacumque cauſa, ſi ſint virtuoſi, ibi. n.5. p.381. c.1.

Occultum quid ſignificet. T.1. n.42. p.7. c.2.

Officium P.N. Franciſci celebrandi, & imaginem eius pingendi facultas conceditur. T.1. §.4. p.111. c.2.& ibid.§. 3. p.160. c.2.

Officium diuinum an poſſit dici mentaliter. T.1.n.4.p.155. c.2. An poſſit dici Matutinum ſequentis diei antequam ſit omnino perſolutum officium præſentis diei, ibidem n.5. p.156 c.1. An in Officijs diuinis celebrandis poſſint ſe Regulares conformare Eccleſiæ Matrici, ibid.nu.6. & T.3.n.56. p.333. c.2. Pro ſupplendis defectibus commiſſis in Officio diuino habent Regulares aliqua priuilegia. T.1.n.7.p.156. c.1.

Officium diuinum recitantibus indulgentiæ conceduntur. T.1.n.8 p.156. c.2. Ab Officij diuini recitatione quando excuſentur Regulares, ibid.n.9. c. 2. Decretum Congregationis Rituum circa recitationem diuini Officij. T. 3. n.56. p.333.c.2. Prędicatores infirmi, & alij poſſunt aliquo caſu ſupplere recitationem diuini Officij recitando aliquos pſalmos de licentia Superioris, ibid.n.57. p.334.c.1. Infirmi cum ſola Medici licentia poſſunt abſtinere à recitatione diuini Officij, ibid. Poteſt Prælatus Regularis præcipere fratribus imperitis, qui non valent cum alijs officium recitare, vt ab illo recitando abſtineant, & loco illius dicant officium Laicorum, ibid n.58.

Officia mortuorum non poſſunt Parochi in Eccleſijs Regularium facere contra illorũ voluntatẽ. T.2.§.17. p.208.c.1.

Officia diuina canere non poſſunt Minimi, ſed recitare. T. 1.§.3.p.89. c.1. & ibid. n.2. c.1.

Officiales Conuentus in ordine Minimorum quomodo poſſint fieri à Prælatis T.1. §.5.p.106.c.1.

Officiorum nomine quid intelligatur. T.1.n.97.p.74. c.1.

Opinio quæ potius eligenda. T.3.n.10.p.306. c.1.

Oracula viuæ vocis etiam à Cardinalibus ſubſcripta reuocantur. T.3. conſt.18. Vrbani VIII. p.397. c.2. de quibus oraculis intelligatur, ibid.nu.1. p. 398. c. 2. Indulgentiæ non comprehenduntur ſub iſta reuocatione, ibid. Neque oracula, communicantia aliquod priuilegium iam per Apoſtolicum diploma conceſſum, ibid.n.2. Neque oracula declarantia aliquod priuilegium, ibid.n.3. Neque ea quæ iam ſortita ſunt effectum ibid.n.4.

Ordo Minimorum eximitur à iuriſdictione Ordinariorum. T.1.§.7.p.15 c.1. Et ſententiæ contra talem exemptionem datæ nullę ſunt, ibid.§.10. p.15.c.2.

Ordines ſuſcipere à quocumque Epiſcopo poterant Regulares. T.1.§.6.p.59.c.1.& ibid.n.22.p.66. c.1.& T.2. §.9. p. 206.c.2. Nunc non niſi à diœceſano. T.1.n.33.p.20.c.2. Ipſo autem abſente, & concedente alij Epiſcopo ordinationes celebrare non tenentur Regulares ab ipſo ordines ſuſcipere, ibid.n.34. Et habitantes in locis nullius diœceſis tenentur recipere Ordines à viciniori, ibid.n.36.

Ordines ſuſcipiens ante determinatum tempus incurrit pœnam ſuſpenſionis ipſo facto. T.1. n.20. p.63.c.2. Quæ ſuſpenſio, cum ad ætatem legitimam peruenerit, ceſſat, ibid.n.22. p.49.c.1. Ordinem Præsbyteratus ſumens ante legitimam ætatem non fit irregularis, eo quia cum Epiſcopo celebrat, ibid.nu.23. c. 2. Ordinem Præsbyteratus olim Minimi anno 22. ſuæ ætatis ſumere poterant, ibid. §.16. p.43. c.1.

Ordinari non poſſunt ſacris ordinibus Regulares non profeſſi. T 1.n.37. p.20. c.2. Ordinari poſſunt Religioſi ſocietatis Ieſu extra tempora in tribus Dominicis, vel feſtis ad ſacros etiam Præsbyteratus Ordines, ibid. nu.38.p.21. c.1. Ordinari poteſt etiam ad Præsbyteratum Regularis minus literatus, modo ſciat legere, & cantare in Choro cum alijs, ibid. nu. 25. p.151.c.1.

Ordinarij iuriſdictio latè eſt interpretanda. T.3. num.25. p. 380.c.1.

Oordinatus ordine Præsbyteratus ante tempus non fit irregularis exercentes actus ſolis Sacerdotibus conuenientes. T.1.n.24.p.49.c.2. Ordinatus ante tempus non fit irregularis exercens ordines riiè ſuſceptos, ibid.n.25. Ordinatus ante tempus ad Sacerdotiũ fit irregularis, ſi dicat ſolemniter collectam in Choro, ibid.n.26. Similiter ſi benedicat menſam, ibid. Ordinatus ante tempus bona fide non incurrit pœnam ſuſpenſionis ibid. n.27. Nec etiam ſi deinde mala fides adueniat, ibid. n.29. p.50. c.1. peccat tamen quoties celebrat, ibid.n.30.

Ordinatum ante tempus in foro conſcientiæ abſoluit Prælatus Regularis. T.1.n.31. p.50.c.1.& ibid. nu. 34. c.2. Et etiam ſuper irregularitate diſpenſare poteſt, ſi celebrauerit, ibid. Non ſolum in malè ſuſceptis miniſtret, ſed etiam vt ad alios promoueatur, ibid. in foro autem contentioſo non poſſunt, ibid.n.36.p.51. c.1. excommunicationem, quam fert Epiſcopus, ne quis ad ordines accedat, niſi habilis, incurrunt etiam Regulares, ibid.n.39. à qua tamen abſoluit Prælatus Regularis, ibid. n.40.c.2. ab iſta autem excommunicatione ferenda abſtinere deberent Epiſcopi, ibid.n.41. Literas dimiſſorias ad Ordines Regularibus dat illorum Prælatus, ibid.nu.13.p.66. c.1. Et valent etiam Prælato vita, vel officio functo ibi. Sed non durant niſi ab vna ordinatione ad aliam, ibid. Regulares ordinandi ſolum de grammatica, & doctrina examinari debent, ibid.§ 12. p.146. c.2. *& declarauit Sacra Congregatio tempore Xyſti V. immo ipſe Xyſtus, vt refert Rodriquez in ſuo bull. in viuæ vocis oraculo Gregorij XIII. pag. mihi 505.*

Ordinationes plurimas pro Regularium reformatione vidè T.2.§.18.p.292.c.2. Ordinationes pro Nouitiorum educatione, ibid. §.79. p.296.c.2.

Ordinibus ſacris non inſignitus celebrans, aut Confeſſiones audiens degradari debet, & Curiæ ſæculari tradi pu-

Digitized by Google

niendus, etiamſi annum 25. non attigerit, modo 22. compleuerit. T. 3. conſtit. 6. Vrbani VIII. p. 384. c. 1.

P

PActa, quæ non ſunt confirmata à Generali, vel Capitulo Generali non valent. T. 1. §. 3. p. 82. c. 1. Vide §. 9. p. 146. c. 1. & n. 8. p. 83. c. 2.

Papa poteſt concedere vt pro vna Miſſa recipiantur plura ſtipendia. T. 1. n. 1. p. 140. c. 2.

Papa eſt omnium Religionum proprius Generalis. T. 1. n. 9. p. 3. c. 2.

Papa quando dicatur Canonicè intrare in Papatum. T. 3. nu. 4. p. 311. c. 1. Si conferat alicui beneficium manuale, quod cõſueuerit prouideri per Abbatem, ſi ille delictum committat, poterit ab Abbate priuari, ibid. n. 70. p. 352. c. 2. Si concedat alicui Religioſo priuilegium, an & quando poſſit illud à Prælato reuocari, ibid. nu. 71. quando eligit Generalem V. G. iure deuolutionis, vel motu proprio electus ſubiacet omnibus legibus, quibus ſubiacent alij Generales, ibid. n. 72. Si ſimpliciter diuidat, vel vniat, vel erigat aliquam Prouinciam, an poſſit Capitulum Generale de illa aliter diſponere, ibid. n. 73. Papæ decreta quomodo interpretanda, ibid. n. 91. p. 354. c. 2.

Parochi non poſſunt facere officia defunctorum, qui deferuntur ad Eccleſias Mendicantium, ipſis inuitis. T. 3. nu. 19. p. 320. c. 2. Parochi, qui nolunt leuare corpora defunctorum, niſi tot vocentur Clerici, quot Regulares, Vide verbo ſtatutum. Parochi, qui plus exigunt ab his, qui volunt ſepeliri in Eccleſijs Regularium, quàm ſi ſepeliantur in alijs, ſunt excommunicati, ibid. n. 8. p. 326. c. 1. Parochos aſſignare qui abſque approbatione Epiſcopi poſſint Confeſſiones audire, non poſſunt Prælati Regulares, ib. n. 21. p. 328. c. 2. Parochus Regularis approbatus ab Epiſcopo, ſi amoueatur a ſuo Prælato, poterit Confeſſiones audire, & ſi deinde reſtituatur, non indigebit noua Epiſcopi approbatione, ibid. nu. 22. Poteſt dictus Parochus Regularis ſuas oues confratri commendare, non tamen vt eas in confeſſione audiat abſque approbatione Epiſcopi, ibid. nu. 23. Parochi non poſſunt congere hæredes defunctorum, vt faciant celebrare Miſſas in ſuis Eccleſijs Parochialibus, ibid. conſt. 20. Vrbani VIII. p. 399. c. 2.

Paſchatis nomine quid intelligatur, quando dicitur, quod quilibet tenetur ſemel in anno in paſchate Euchariſtiam ſumere. T. 1. n. 82. p. 55. c. 2.

SS. Patroni Ciuitatum quomodo eligendi à populis. T. 3. conſtit. 21. Vrbani VIII. p. 400. c. 1.

Pauperes Mendicantes non permittantur in Eccleſijs eleemoſinas petere. T. 1. n. 2. p. 83. c. 1.

Penſio quid ſit. T. 1. n. 136. p. 79. c. 1.

Perſonatus nomine quid intelligatur. T. 1. n. 97. p. 74. c. 1. & T. 2. n. 8. p. 269. c. 1.

Peſtis tempore poſſunt fratres Minimi comedere carnes ſiue peſtis proueniat ab infectione aeris, ſiue à contactu. T. 3. n. 61. p. 350. c. 2. Peſtis tempore tenentur Mendicantes Sacramenta fidelibus miniſtrare, & ſubditi tenentur ſuis Superioribus id præcipientibus obedire, ibid. nu. 62. Intellige tamen in defectu Parochorum, ibid. n. 63. p. 351. c. 1. Item tenetur Prælatus mittere ſuos ſubditos ad loca diœceſis vicina peſte infecta pro dicta adminiſtratione, ibid. n. 64. Prudentia vti debet Prælatus in iſtis miſſionibus, ibid. n. 65. Prælatus an teneatur inuiſere ſubditum peſte infectum cum periculo vitę ibid. Subditus recuſans obedire Prælato in ſupradictis caſibus, poteſt violentia cogi, ibid. De his, qui decedunt inſeruiendo peſte infectis facit commemorationem Eccleſia tanquam de Martyribus, ibid. Peſtis tempore tranſacto decreuit Vrbanus VIII. Quod in ſtatu Mediolanenſi Regulares habitum Nouitijs non tribuerent, ibid.

Pœna priuationis non obligat in conſcientia. T. 1. nu. 19. p. 216. c. 2. *Pro quo facit optimus textus in C. de homic. in 6. fine.*

Pœna ſuſpenſionis, & excommunicationis incurritur ipſo facto. T. 1. n. 20. p. 92. c. 2.

Pœnitentiæ ſalutares, quæ ſint. T. 2. n. 30. p. 257. c. 2.

Portio canonica non ſoluitur à Regularibus. T. 1. n. 73. p. 71. c. 1. Quid ſit portio Canonica, ibidem.

Præcedentia inter Regulares, quomodo ſit conſtituenda. T. 3. n. 27. p. 315. c. 2. Quomodo ea intelligatur inter Religioſos eiuſdem Religionis, ibid. nu. 28.

Prædicatores, ſeu Dominicani cęteris Mendicantibus præferuntur, & quare. T. 2. n. 2. p. 191. c. 1.

Prædicare poſſunt in ſuis Eccleſijs ad libitum ſuum Mendicantes. T. 2. §. 3. p. 205. c. 2. Sed vide ibid. n. 7. p. 210. c. 2. & §. 8. p. 258. c. 2.

Prædicare in Eccleſijs, quæ ſui Ordinis non ſunt, non poſſunt Regulares ſine licentia Ordinarij, in Eccleſijs vero ſui Ordinis ſine benedictione petita ſaltem, licet non obtenta. T. 1. n. 20. & 21. p. 22. c. 2. & T. 3. n. 9. p. 312. c. 1. *Faciunt Capitul. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & rem. ibi, Poſtulet, & obtineat, & cap. ſuper Cathedram, §. in Eccleſiis extrau. de ſepulch. quando enim licentia debet obtineri expreſsè ponitur verbum obtinere, vel aliud æquiualens,* Alioquin poſſunt puniri. T. 1. n. 21. p. 18. c. 1. Immo etiam poſſunt contradicente, & prohibente Epiſcopo. T. 3. n. 9. p. 312. c. 1. An dictam benedictionem teneantur Regulares perſonaliter recipere. ibid. n. 11. c. 2. Quid ſi Epiſcopus ſe abſenter, vel dare nolit, aut diſtrahat. ibid. n. 12. n. 13.

Prædicatores Regulares non poſſunt examinari ab Epiſcopis. T. 3. n. 10. p. 312. c. 1. Aſſignare Prædicatorem in quacunque Eccleſia poteſt Epiſcopus. ibid. nu. 14. p. 313. c. 1. Cuius expenſis conducendus ſit Prædicator. ib. Parochus ſi nolit vt prædicetur aliquo feſto in ſua Eccleſia, velit autem poteſtas ſæcularis, cui obediẽdum, ib. n. 15. Apoſtatæ, & fugitiui non ſunt admittẽdi ad prædicandũ, ib. n. 16.

Prælati Regulares poſſunt ſibi caſus reſeruare. T. 1. n. 37. p. 7. c. 1. Habent eamdem auctoritatem in ſibi ſubditos, quam Epiſcopi in ſuos, ibid. n. 46. p. 8. c. 1. & T. 2. §. 3. p. 217. c. 2.

Prælati Regulares inſtante Epiſcopo tenentur punire ſubditos delinquentes cũ ſcandalo. T. 1. n. 68. p. 24. c. 2. Poſſunt abſoluere ſuos fratres etiam Nouitios, & ad eos diuertentes à caſibus, & cenſuris generaliter latis, & ſuper irregularitatibus diſpenſare, ibid. §. 9. p. 59. c. 2. exceptis quatuor, ibid. §. 29. p. 62. c. 1. Et etiam à particulariter latis, ibi. n. 27. p. 66. c. 2. Immo nominatim excommunicatos, ibid. n. 28.

Prælati Regulares procedunt non ſeruatis apicibus iuris. T. 1. §. 32. p. 66. c. 2.

Prælati Regulares in duobus caſibus poſſunt ſubditorũ confeſſiones audire. T. 1. n. 59. p. 70. c. 1. Tenentur dare licentiã Confeſſori petenti facultatem abſoluendi aliquem Religioſum à caſu aliquo reſeruato, ſi Confeſſarius idoneus eſt, ibid. Quod ſi negauerint, poteſt nihilominus Confeſſarius pro illa vice abſoluere. T. 2. §. 76. p. 295. c. 2. Non tenentur concedere ſubdito habenti reſeruatos, vt poſſit confiteri cuicunque voluerit. T. 1. num 60. p. 70. c. 1. Poſſunt commutare legata ad vnum in alium vſum, ibidem n. 74. p. 71. c. 2.

Prælati Regulares poſſunt damnare fratres ſcandaloſos ad triremes. T. 1. §. 2. p. 162. c. 2. Non poſſunt cognoſcere de cauſis ſpectantibus ad Sanctum Officium Inquiſitionis. T. 2. §. 2. p. 253. c. 1. Tenentur ſub mortali præbere ſubditis facultatem abſoluendi à reſeruatis. ibid. §. 2. p. 217. c. 2. & nu. 15. p. 300. c. 2.

Prælati omnes Eccleſiaſtici poſſunt examinare literas quomodocunque exeuntium ab Ordine ſuo, & non verificatis cauſis in eis allegatis inſtantibus ordinis Superioribus eas nullas declarare. T. 2. n. 3. p. 178. c. 2.

Prælati Regulares poſſunt ſuos ſubditos torturæ ſubijcere, tortura tamen debet eſſe vſitata in Religione. T. 3. nu. 38. p. 324. c. 2. Et id per laicos, ibid n. 39. Non poſſunt aliquid præcipere ſub pœna excommunicationis, & abſolutionem ſibi reſeruare, ibid. n. 5. p. 373. c. 1. Qui petit à Prælato facultatem abſoluẽdi à reſeruatis pro vna perſona, poteſt dicta facultate vti pro ſua perſona, ibid. n. 6. c. 2. Tenentur ſingulis annis feria 6. poſt octauam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & in ſingulis Capitulis legi facere conſtitutiones Apoſtolicas concernentes Officium Sãctæ Inquiſitionis, ibid. Conſt. 13. Vrbani VIII. p. 392. c. 1.

Prælatus cum Conuentu iure communi poteſt ſe obligare ad ſuffragia perpetua. T. 1. n. 20. p. 85. c. 1.

Præmium ſtrenuè certantibus debetur. T. 1. n. 2. p. 150. c. 2.

Præſidens Capituli non poteſt præcipere ſcrutatoribus, ne recipiant vota pro aliquibus perſonis, niſi ad certum numerum. T. 3. n. 20. p. 144. c. 2. Nec item poteſt Præſidens, aut aliquis alius Superior dicere nolle ſe, vt talis eligatur propter cauſam ſibi in conſcientia notam, ibidem.

Præſumptio ſi requiratur ad incurrendam aliquam pœnam ignorantia etiam craſſa ab ea excuſat. T. 1. num. 16. p. 92. c. 1.

Digitized by Google

Primitia quid ſit. T.1.n.124.p.77.c.2.

Primogenitura fratrum quomodo attendenda. T.3.nu.33.p.376.c.2. Si regularis Epiſcopus Epiſcopatui renunciet, & ad Religionem reuertatur, debet immediatè ſedere poſt Prælatum Religionis, & tempus, quo in Epiſcopatu ſtetit computandum eſt in eius profeſſione. ibid. n.34.

Priuilegia Mendicantium communicantur Minimis. T.1. §.11. p.2.c.2. & §.14. p.42.c.2.& §.35. p.46.c.2. & §. 4. p. 82.c.2.

Priuilegia concedere poteſt, qui poteſt legem ferre. T.1. n. 6.p.3.c.1. Non eſt neceſſe, quod ſemper ſint contra ius commune, ibid.n.7.c.2. Priuilegia ab inferiori conceſſa, & à Superiore ex certa ſcientia confirmata, non poſſunt ab illo amplius reuocari, ibid.n.8.& n.2.p.15.c.2.

Priuilegium ad inſtar quid ſit. T.1.n.52.p.9.c.2.

Priuilegium per communicationem quid ſit, ibi. Si priuilegium communicationem prohibeat, illa non conceditur per confirmationem ſequentis Pontificis cum ſolis clauſulis generalibus, ibidem nu.52.p.9.c.2.

Priuilegia Petri de Piſis Minimis communicantur. T.1.§.3. p.11.c.2. & ibid.n.10.p.12.c.2.

Priuilegia confirmantur in forma cõmuni, & ex certa ſcientia. T.1 n.3.p.16.c.1. Priuilegijs poſſunt Regulares abſque alicuius licentia frui, ibid. §.8. p.15.c.1. Et impedientes grauiſſimis afficiuntur pœnis, ibid.§.14.p.29.c.2.

Priuilegia Minimorum confirmantur. T.1.§.4. p.14.c.1. & §.6. p.15.c.1. & p.36.c.1.& p.38.c.1. & p.114.c.1. & T.2. p.171.c.1. & ibidem p.185.c.1.& p.218.c.1. & p.227. c. 2. & p.228. c. 1. & p.236. c.1. & p.257. c.1. & p. 275.c.1.

Priuilegia vni domui Regularium conceſſa intelliguntur conceſſa omnibus. T.1. §.18. p.43. c.1. & § 30. p.46.c.1. & §.7. p.83. c.1. & §.1. p.144.c.1. & §.2.p.161. c.1. & T.2. § 16.p.175.c.2.

Priuilegia data Minimis ſub nomine Eremitarum declarãtur eſſe data eiſdem ſub nomine Minimorum. T.1. §. 34. p.46. c.2.

Priuilegia abſolutè loquentia in vtroque foro intelliguntur, T.1.nu.36.p.51.c.1. & num.21. p.92. c. 2. Priuilegiorum communicatio extenditur ad viuæ vocis oracula ibidem nu.12. p.48.c.1.

Priuilegia poſſunt à Capitulis Prouincialibus, & Generalibus tolli. T.1.nu.9.p.64.c.1. Priuilegio ſuo poteſt quilibet renunciare, fallit in duobus caſibus, ibid.n.10.

Priuilegia quomodo poſſint reuocari. T.1.nu.135. p.78.c.2. Quomodo per non vſum perdantur, ibid.n.1.p.104.c.2.

Priuilegium quandoque conceditur pro foro interno, quandoque pro foro externo. T.1.n.14.p.84.c.2. Priuilegium conditionatum conditione non ſeruata, non valet, ibid. n.1.p.144.c.1.

Priuilegia ſunt duplicis generis. T.1.nu. 10.p.166.c.1. Poſſunt duobus modis renunciari, ibid.n.12.& p.64.c.2.

Priuilegia Mendicantium fuerunt moderata in Concilio Lateranenſi. T.1. §.2. p.145.c.2.

Priuilegia, quæ ſunt puri fauores latè interpretantur, ſecus, quæ iuri cõmuni, vel tertij præiudicãt. T.1.n. 10.p.166.c.1.

Priuilegia motu proprio conceſſa latè ſemper interpretantur. T.1.nu.11. p.166. c.1. Similiter, quæ ſunt in fauorem cauſæ piæ, ibid.n.12. Quæ verò inferunt præiudicium tertiæ perſonæ contra ius iam acquiſitum ſtrictè interpretantur, ibid.n.13. c.2. Priuilegia dubia poſſunt à Regularibus interpretari in fauorem animarum iuris rigore relicto, ibid. n.15.

Priuilegia ſemper ſunt interpretanda, vt aliquid de nouo concedant. T.2.n.4.p.177.c.2. Priuilegia per modum contractus non reuocantur per clauſulas generales, ibidem nu.1.p.189.c.1.

Priuilegia omnia Mendicantium confirmauit Pius V. T. 2. §.13. p.208.c.2.

Priuilegium cauſa finali ceſſante ceſſat, & quomodo dicta cauſa debeat ceſſare. T.2.n.2.p.226.c.2. Priuilegium ſine limitatione ad certum locum valet vbique, ibidem nu.4. Et ſimiliter priuilegium conceſſum ſine limitatione temporis cenſetur perpetuum, ibid.

Priuilegiatus poteſt in duobus caſibus obligari ad vtẽdum ſuo priuilegio etiam contra ſeipſum. T.1.n.11. p.64. c.2.

Priuilegia fuerunt Regularibus conceſſa in præmium laborum, quos paſſi ſunt pro Catholica Eccleſia. T.3.nu.24.p.328.c.2. Priuilegium allegans debet illud probare, ibid.n.

24.p.359.c.2. Priuilegia conceſſa fratribus particularibus in Hiſpania reuocantur, ibid. Conſt. 15. Vrb. VIII. p.394 c.2. De quibus priuilegiis intelligatur, ibid.n.1. & 2.c.2.

Priuilegia audiendi confeſſiones abſque examine, & approbatione Ordinarij reuocantur. T.3. Conſt.16. Vrban. VIII. p.395. c.2. Decet conſeruari priuilegia Regularium, ibid. n.1.p.398.c.2.

Probationes contra Prælatos debent eſſe maiores, quam cõtra alios. T.3.n.8.p.381.c.2.

Proceſſiones publicę, quę ſint. T.1.n. 59.p.23 c.1.& T.2.§.29. p.208.c.2. Controuerſias circa præcedentiam tollit Epiſcopus. T.1.n.59.p.23.c.1. Proceſſionibus publicis intereſſe compelli poſſunt Regulares ab Epiſcopis, ibid.n.57.& n.66.p.70.c.2.& §.5.p.146.c.1. Non tamen cenſuris Eccleſiaſticis, ibid.nu.60. p.23.c.2. Et vocari debent perſonaliter, ibid.n.57. p.23. c.1. Quæ ſint proceſſiones, ad quas ſolas compelli poſſunt. T.2.n.25.p.213.c.1.

Proceſſio Roſarij poteſt fieri per totam Ciuitatem. T.2. p. 211.c.1. Vide ſub reſponſ. ad 8.

Procurationes, vel ſubſidia nemini ſoluere tenentur Regulares. T.1.§.28.p.62.c.1. Procurationes, qui ſint, ibidem n.86. p.73.c.2.

Procuratores, & Tutores Ordinis Minimorum participant de omnibus bonis, quæ fiunt in Religione. T.1. §. 5. p. 82.c.2.

Procuratores an ſubiaceant cenſuris Epiſcoporum. T. 1. §. 20.p.146.c.2.

Profana cauſa, quæ ſit. T.2.n.67.p.274.c.1.

Profeſſio facta à Nouitijs in articulo mortis cõſtitutis etiam ſi non decedant, valida eſt. T.2. n.1.p.214.c.1.

Profiteri volentes in Ordinibus Mendicantium, ſi excommunicati ſint, vel de intereſſe tertij agatur, an poſſint abſolui. T.1.§.19. p.146.c.2.

Prohibitus conuerſari cum aliqua muliere, poteſt eam alloqui in caſu neceſſitatis, & ad bonum finem, idem de prohibito alloqui carceratum. T.3.n.76.p.353.c.1.

Promittens non facere aliquid cum iuramento, poteſt facere actũ laudabilem. Itẽ promittens velle conueniri in aliquo loco, reſtringitur ad locũ tutum. Et promittens non offendere, intelligitur ad terminos iuris. T.3.n 76.p.353. c.1.

Propoſitio dubia intelligenda eſt in eo ſenſu, quem illi dat eius auctor. T.3.n.3. p.381. c.1.

Propoſitio hæretica de hæreſi ſuſpecta, ſcandaloſa, temeraria, &c. Quid ſint remiſſiuè. T.2.n.19.p.255. c. 2.

Proprietatis vitium extirpatur, ſi Religioſis neceſſaria tribuantur. T.2.n.17. p.232.c.1.

Proteſtatio, quam faciunt Doctores, ſubmittendo omnia ſua ſcripta cenſuræ Sedis Apoſtolicæ quid valeat. T.3.n. 62. verſu 9. p.367. c.2.

Prouinciales in diebus Indulgentiarum poſſunt deputare Confeſſores in noſtris Eccleſijs. T.1.n.4.p.111.c.1.

Prouinciales poſt electionem poſſunt liberè ſuum officium exercere. T.1.§.4.p.59.c.1. & nu.14. p.65. c.1.

Prouincias diuidere, & diuiſas vnire poteſt Generale Capitulum. T.3. n.24.p.321.c.1. Immo aliquando diuidere tenetur, ibidem.

Pyrrhus Archiepiſcopus Conſentinus Religionem Minimorum primò approbauit, & confirmauit. T.1.nu.1. p.2. c.2. *Aduerte hic, quòd approbare, & confirmare aliquando differunt, ita ſcilicet, vt confirmatio fiat auctoritate Superiorũ, approbatio verò priuatorum, vel inferiorum. Ita Baldus in leg. Barbarius, ff. de officio Prat. & colligitur ex leg. immunitates. Cod. de agric. & cenſ. lib. 11. Ita Azorius tom.2. inſtitut. mor. lib. 10. cap. 5. q.1. quo pacto nulla eſſet difficultas circa approbationem noſtræ Religionis actam à Pyrrho. Potuit enim iure ab ipſo approbari, ſed non intelligebatur confirmata quouſque per Romanum Pontificem, tanquam legitimum Superiorem confirmaretur. Sed melius tene quod dixi.*

Q

Quadrageſimale votum, quod faciunt Minimi, eſt ſecũdum quid conditionatum. T.3.n.46.p.348.c.1. Strictè eſt interpretandum, ibidem n.50.p 349.c.1. Et eſſentiale Ordine noſtro, ibid.n.2. p.407.c.2. Ad illud tenetur quicunque extra Religionem viuunt ſpeciali priuilegio Papæ, ibid.n.4. p.408.c.1. Tenentur etiam ad illud eiecti, ibid.n.5.c.2. Et Epiſcopi, ibidem.n.3.c.1. Votum prædictum non abbreuiat vitam, ibidem n. 11.p.409.c.2. Immo ſanitatem conſeruat, & vitam prolungat, ibid. Dicti voti

obſeruantia multum iuuat ad paſſiones libidinis domandas, ibid.nu.17.p.410.c.2. Quare B. P. voluerit obligare ſuos filios ad dictum votum. ibid.n.18.

Quarta Legatorum debetur Epiſcopis iure communi, T. 1. n.54.p.10.c.1. Sed Regulares à ſolutione illius, & omniũ aliarum quartarum liberati ſunt, ibid.§.33.p.46.c.1.& §.2. p.123.c.2.& T.2.§.2.p.182.c.2. & ibidem §.13.p.207. c. 1. & §.14. & n.34.p.212.c.1.

Quæ dicuntur cauſa exempli nõ reſtringunt diſpoſitionem generalem. T.1.n.2.p.102.c.1.

R

RAtæ non debentur Superioribus, niſi actu viſitent, T.1, n.10.p.130.c.1.

Rationes efficaciores in moralibus, quæ dicantur. T.3. n. 10. p.306. c.1.

Recipi ad Religionem Minimorum non poſſunt neq; Capuccini. T.2.§.2.p.189 c.1. Neque Minores. T.1.n. 50.p.9. c.1.& §.2. p.105.c.1. Poſſunt tamen ex omnibus Religionibus. T.1.§.31.p.46.c.1. & n.60.p.53.c.2.

Recurſus Regularibus conceditur. T.2.§.4.p.220.c.1. Et poteſt eſſe immediatus ad Papam, ibid. n.1.c.2.

Regula prima Minimorum approbatur ab Alexandro VI. T.1.§.2. p.38.c.1. Item ſecunda, & tertia ab eodem. ibid. §.8.& 9. p.41.c.2.

Regula Minimorũ eſt omnium ſtrictior. T.1.§.4 p.86.c.1. & ibid.n.50.p.69.c.2. & §.2.p.111.c.2.& §.1.p.116.c.2.

Regulares a iuriſdictione Legati de latere exempti nõ ſunt. T.1.n.8. p.16.c.2.

Regulares extra Monaſterium degentes, abſque Prælati licentia ſi delinquant, poſſunt ab Ordinariis puniri. T.1. n.22.p.18 c.2.

Regulares animarum curam exercentes ſubduntur viſitationi Epiſcopi. T.1.n.23.p.19.c.1.

Regulares extra clauſtra degentes in quibus caſibus poſſint coram Ordinario conueniri. T.1. nu.29. p.19. c. 2. Et qui dicantur extra clauſtra degere, ibidem Intra clauſtra degentes in nullo caſu poſſunt coram Ordinariis conueniri, ibid.n.30.p.19.c.2. & ibid n.32.p.20.c.1. & T.3. nu 19. p. 313.c.2.

Regularis abſque licentia ſui Superioris non poteſt ſe obſequio alicuius mancipare. T.1.n.48. p.21.c.1.

Regulares intra clauſtra degens, & extra ea ita notoriè delinquens, vt populo ſcandalo ſit Epiſcopo inſtante à ſuo Superiore puniri debet. T.1.n.61.p.22.c.1.

Regularis in flagranti crimine vbi timeretur de fuga, & nõ eſſe Iudex Eccleſiaſticus, poſſet capi à Iudice ſæculari. T. 1.n.66. p.24. c.2. Si ducatur captus per officiales Iudicis ſæcularis extra caſum permiſſum, poteſt ab eis impune auferri, ibidem n.67.

Regulares poſſunt ſemel in vita, immo quater in anno eligere ſibi Confeſſarium, qui eos abſoluat ab omnibus caſibus. T.1.§.5. p.28.c.1.& n.5.p.30. c.2.

Regulares habilitati ad obtinenda beneficia extra Ordinẽ non gaudent priuilegiis Ordinis, niſi de Prelatorum conſenſu. T.1.§.10.p.28.c.2.& n.44 p.35. c.1. Nec ad ea poſſunt admitti, etiamſi dicta beneficia dimiſerint, abſque Generalis licentia, ibid.n.44. p.68.c.2.

Regulares non ſunt capaces abſque diſpẽſatione Papæ beneficii curati ſæcularis in titulum. T.1.n.45.p.35.c.1. Neq; beneficii ſimplicis, ibid.n.46.c.2. Neque penſionis, ibid.n. 47.c.2. Nec poſſunt eſſe Vicarii Epiſcoporum, ibid. n.48.

Regulares in itinere poſſunt confiteri cuicumque Sacerdoti ſæculari, vel Regulari alterius ordinis. T.1.§.2. p.36.c.2.

Regulares ad aliquam dignitatem aſſumpti extra Ordinem tenentur conſignare omnia, quæ habent Superiori. T.1. p.39.c.1.

Regularem ab Ordine ſuo diſcedentem nemo poteſt retinere. T.1.§ 13.p.60.c.2.

Regulares, qui obtinuerunt licentiam tranſeundi ad alium Ordinem debent intra duos, vel tres menſes ad illum trãſire. T.1.§.14. p.60.c.2.

Regulares ſuis Prælatis confiteantur. T.1.§.24.p.62.c.1. Vide ibid.n.58.p.70.c.1.

Regulares deputati ſeruitiis alicuius Prælati Eccleſiaſtici, poſſunt à propriis Prælatis reuocari. T.1.§.11. p.60. c.1. & nu.43.p.68.c.1.

Regulares, & alii Eccleſiaſtici poſſunt vendere ſua blada abſque ſolutione gabellæ. T.1.n.144.p.80.c.1.

Regulares, quomodo poſſint compelli ad teſtimonium ferendum. T.1.nu.147.p. 80.c.2. Sunt idonei teſtes in cauſis ſuorum Monaſteriorum, ibid. n.148. Non poſſunt inuiti compelli iurare, ibid.n.149. Tenentur ſeruare leges ciuiles in communem vtilitatem Reipublicæ inditas ibid. n. 151. Prohibentur iure communi forenſia negotia tractare, ibid.n.5.p.107. c.1.

Regularis non grauatus iniuſtè, ſi fugam arripiat, mortaliter peccat. T.1.n.3. p.127.c.1.

Regulares fratres ignotos ſine obedientia recipere nõ poſſunt. T.1.n.3. p.127.c.1.

Regulares non poſſunt quemquam ex ſuis fratribus coram Iudice, qui de ordine ſuo non ſit, conuenire. T. 1. §. 2. p. 142. c.2.

Regulares Mendicantes non minora fecerunt pro Eccleſia Dei, quàm Epiſcopi. T.1.§.1. p.45.c.2. Nec faciunt nunc minora, quàm fecerint antiquitus, ibid n.2.p.147.c.2.

Regulares poſſunt admitti ad curam animarum ſuis Conuentibus annexam. T.2.§ 12. p.207.c.1. Vide ibid §.23. p. 208.c.1.& n.23. p.212.c.1.

Regulares confugientes ad Epiſcopos, poſſunt illorum Prælati punire. T.2 §.20.p.208. c.2.

Regulares poſſunt in ſuis Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere. T.2.§.14. ad 9. p.211. c.2. Poſſunt etiam in ſuis Eccleſiis annunciare feſta, & ieiunia ib. §.13. ad 1.p.211. c.2. Et etiam in Miſſa facere oblationes, & dare pacem populo, ibid. ad 2. Vocati ad ſepulturas mortuorum, vbi eſt conſuetudo, accedere debent ad Eccleſiam prius Parochialem, ibid.ad 4. Non poſſunt in ſuis Eccleſiis matrimonia publicare, ibi.ad 6. Nec poſſunt facere proceſſiones extra ambitum ſuarum Eccleſiarum, ib. ad 8. Poſſunt tamen in ſuis Eccleſiis prædicare, etiam quando prædicatur in Eccleſia Parochiali, ibid. ad 7 Non poſſunt in ſuis Eccleſiis admittere ad celebrandum Preſbyteros ſæculares contra prohibitionem Epiſcoporũ, ibi. ad 12. extra ſuos Conuentus decedentes poſſunt ad eos deferri Parochis inconſultis, ibid.ad 10. Poſſunt colligere granum, vinum, &c. antequam colligat Parochus, ibid. ad 13. Non poſſunt benedicere domos in hebdomada ſancta, ibid.ad 14.

Regulares delinquentes extra loca, in quibus degunt, an ligentur excommunicationibus ſuorum Prælatorum. T.2. n.21.p.212. c.2.

Regulares recurrentes ad ſanctum Officium, vt in eo teſtimonium perhibeant, nõ poſſunt à ſuis Superioribus grauari. T.2.nu.28. p.256. c.2. Pœnitentiati à ſancto Officio ſunt inhabiles ad dignitates, etiamſi pœnitentias compleuerint, ibid.n.29.p.256.c.2.& T.3. n.65.p.368.c.1.

Regulares non poſſunt pecunias mutuò, vel ad cambium recipere, & lucrum ceſſans, & damnum emergens ſoluere. T.2.n.1. & 2.p.285.c.2.

Regulares extra Conuentum degentes ad Religionem reuertantur, nec in poſterum tales licentiæ amplius concedantur. T.2 §.49.p.294.c.1.

Regulares ſponſos benedicere non poſſunt, abſque Curatorum conſenſu. T.1 §.14.p.146.c.2.

Regulares ſunt exempti à quarta funeralium. T.3. nu.32.p. 310.c.2. Non poſſunt cogi accedere ad proceſſiones inconſuetas. ibid.nu.29 p.315.c.2. Sunt magis ſubditi ſuis Prælatis, quàm clerici ſæculares ſuis Epiſcopis, ibi. n.11. p.336.c.1. Accedentes ad Monaſteria Monialium etiam Regularibus ſubiectarum colloquii cauſa, puniri poſſunt ab Epiſcopis, ibid.n.1. p.368. c.1. Poſſunt in aliquo caſu ſubiicere ſe Epiſcopis pro alicuius caſus abſolutione, ibi. n.12.p.369. c.2. Non poſſunt prohiberi aſſociare corpora defunctorum, ibid. Conſtit.20. Vrbani VIII. p.399.c.2.

Reipublicæ intereſt ſcelera puniri eo loco, vbi fuerunt perpetrata. T. 1.n.9. p.149. c.1.

Religio Minimorum eximitur à iuriſdictione Pyrrhi. T. 1. §.12.p.4.c.1. Obſeruat in diuinis Officiis celebrandis Kalendarium Romanum, ibidem n. 3.p.155.c.2.

Religiones quo ad dominium rerum temporalium ſunt in duplici differentia, T.1.n.4.p.47.c.2.

Religiones approbare antiquitus ad Epiſcopos pertinebat. T.3. n.11.p.306.c.2.

Religioſus priuatus poteſt ſe Ordinario ſubiicere, vt abſoluatur ab aliquo caſu. T. 1.n.7.p.16.c.2.

Religioſi diuiduntur in quatuor ſpecies. T.2.n.2. p.193. c.1.

Religioſus fictione iuris ſemper eſt in clauſtro. T.2. nu. 21. p.212. c.2.

Religioſi tenentur obſeruare leges ciuiles in bonum publicum inductas, T.3.n.36.p.323.c.2.

Religioſus dans aliquam ſummam pecuniæ Protectori, vel eius Secretario pro obtinenda dignitate, eſt ſimoniacus, & proprietarius, & incurrit pœnas contra largientes munera, T.3.n.27.p.345.c. 2.

Religioſus factus Epiſcopus non poteſt ſecus quidquam deferre ex his, quæ in Religione habebat. T.3.n.2.p.371. col. 2. Si Religio velit illi aliquid commodare debet id facere per inuentarium factum ab aliquo Notario publico, ibidem.

Religioſi, qui non fecerunt profeſſionem in locis deſignatis, debent profeſſionem de nouo facere, T. 3. Conſt. 7. Vrbani VIII. pag. 385. c. 1. Quomodo hæc Conſtitutio ſit intelligenda, ibid. n. 1. p. 387. c. 1. & n. 3. c. 2.

Reliquiæ antiquæ extra capſam non oſtendendæ, T. 1. nu. 5. p. 125. c. 2 Reliquias furari etiam paruas, etiam vt honorabilius collocentur, non licet, ibid. Reliquias tangens, qui non eſt in ſacris, vel etiam laicus, modo id reuerenter agat, non peccat, ibid.

Reliquias illius, qui deceſſit cum opinione ſanctitatis poſſumus priuatim colere, T. 3. n. 1. p. 324. col. 2. Quid ſit cultus publicus, ibid. Reliquias oſtendere ob lucrum non eſt mortale, mortale tamen eſt reliquias falſas diſpenſare, ſicut etiam miracula falſa publicare, etiam ad bonum finem, ibid, n. 2. Fornicari cum reliquijs appenſis collo irreuerentia eſt; non tamen ſpecialiter dicenda in confeſſione, ibidem n. 2.

Renunciatio quando, & quomodo debeat fieri à Nouitijs, T. 1. n. 71. pag. 25. c. 1. Facta à Nouitio ante ingreſſum Religionis intuitu tamen illius valet, ibid, n. 73. Renunciationis nomine quid intelligatur, ibid. n. 74. & 75. Renunciatio facta à Nouitio intra duos menſes ante profeſſionem, ſi interim moriatur non valet, ibid. n. 76. c. 2. Facta à Nouitio vicino morti profitente per priuilegium ante annum, ſi decedat, valet, ibid. nu. 77. Renunciatio ſi profeſſio, quę ſequitur inualida eſt, non valet, ibid. n. 78. Facta à Nouitio cum debitis ſolemnitatibus non poteſt à volente perſeuerare in Religione reuocari, ibid. n. 79.

Renunciare voci actiuæ an poſſint electores Generalis, & Prouincialis, aut Correctoris, T. 3. n. 28. p. 345. c. 2. Qui renunciauit, & eum ante electionem pœnituit, debet omnino admitti, ibid. nu. 29. Renunciatione facta in Capitulo Diffinitorio de aliquo Correctoriatu ad ipſum Diffinitorium ſpectat de alio Correctore prouidere, ibidem nu. 39. pag 406. c. 2.

Reſcriptum quid, & quotuplex ſit, T. 1. nu. 1. p. 11. c. 2. Reſcripta commiſſa alicui nomine dignitatis, ipſo mortuo ad ſucceſſorem tranſeunt, ibid. nu. 3. p. 12. c. 1. reſcriptum prohibens cauſæ cognitionem eſt de falſitate ſuſpectum, ibid. n. 7. Reſcriptum propter cauſam impulſiuam falſam non vitiatur, ibid. n. 3. p. 125. c. 1.

Rex Chriſtianiſſimus ſemper fuit Patronus noſtræ Religionis. T. 3. n. 54. pag. 366 c. 1.

Romam ire prohibentur Regulares abſque licentia in ſcriptis Generalis, vel Protectoris, T. 2. §. 39. & 40. p. 293. c 2. cum licentia tamen Prouincialis ex cauſa communi Prouinciæ, poſſunt etiam, ibid §. 60. p. 295. c. 1. Poſſunt tamen ingredi ſine licentia verè grauati, qui ad ſanctam Sedem recurrunt, T. 3. n. 57. p. 328. c. 1. Roma eſt communis omnium Patria, ibid. n. 16 p. 357. c. 2.

S

SAcerdos proprius, quando dicatur contemptus, T. 1. n. 2. pag. 141. col. 2.

Sacerdotes obligati celebrare ratione beneficij, vel Capellæ non poſſunt recipere eleemoſynas pro Miſſis votiuis, T. 2. ad 4. p. 289. c. 1.

Scriba, ſeu ſcrutatores reuelantes ſuffragium alicuius peccant mortaliter, & dubiam reddunt electionem, T. 3. nu. 24. pag. 345. c. 2. Etiam de iure communi debent eſſe de corpore Capituli, ibid. n. 26. pag. 345. c. 2. An poſſit vnus Scriba eligi pro tota viſitatione Generali, ibi. n. 89. p. 354. c. 2. Scriba quando à ſolo Superiore nominari poſſit ibid. n. 20. p. 405. col. 1.

Scripta apud aliquem reperta an, & quomodo ei nocere poſſint, T. 3. n. 62. p. 367. c. 1. Scripturæ ordo quando ſit attendendus, ibid, num. 28. pag. 360. col. 1.

Senes à vino abſtinere debent, T. 2. n. 4. p. 242. col. 1. Senum qualitates, ibi. Senes debent eſſe graues, ibid. nu. 9. p. 242. c. 2. Et prudentes, ibid. n. 10. Et conſtantes, ibid. n. 11. Vt Superiores honorandi, ibi. n. 12 p. 243. c. 1. Debent eſſe taciturni, ibid. n. 14. Non tamen ſemper, ibid n. 15.

Sententia Principis facit ius, etiamſi ſolum ſit de caſu particulari, T. 3. n. 37. p. 324. c. 1.

Sepeliri eligentes cum habitu Regularium multas Indulgentias lucrantur, T. 1. nu 2. p. 26 col. 2. Quem tamen habitum recipere tenentur à Superiore, ibid. nu. 3. & §. 9. p. 28. c. 2. Poſſunt eligere ſepulturam vbicunque voluerint, ibidem §. 11. p. 146. c. 1.

Sepeliri in Eccleſijs Regularium nullus poteſt illis inuitis, T. 1. §. 22. pag. 61. c. 1. In eis ſepeliri mandantes multas lucrantur Indulgentias, ibid. n. 56. p. 69. c. 2.

Sepelire non poſſunt ſuper terram corpora defunctorum, T. 1. n. 1. p. 83. c. 1.

Sepelire aliquem in alieno ſepulchro an poſſit Prælatus, T. 1. n. 21. p 151. c. 1.

Sepulturam eligere in Eccleſijs Regularium omnibus liberum eſt, T. 1. §. 28. p. 45. c. 1. & §. 21. p. 61. c. 1. Sepultura in Eccleſijs Regularium libera eſt, ibid. n. 55. p 69. c. 2. & T. 2 §. 15. p. 207. c. 1. & ibid. n. 15. p. 212. c. 1. Et quid per illud *libera* intelligatur, T. 1. n. 16. p. 149. c. 2.

Sepultura defunctorum ſubtus Altaria, vel Bradellas fieri prohibentur, T. 1. n. 1. p. 83. c. 1. Sepulturæ locus in Eccleſia vendi poteſt, ibid. n. 21. p. 151. c. 1.

Sepulturæ locum in Eccleſia emens, non acquirit dominiū illius, ſed tantum vſum, T. 3. n. 46. p. 332. c. 2. In dictis ſepulturis non poſſunt ſepeliri, niſi hæredes ſanguinis, ibi n. 48. Conuentus non poteſt ſepulturam, aut Capellam conceſſam alicui, illi auferre, ibid. n. 49. Mortuo tamen emptore, & eius deſcendentibus bene poteſt Conuentus alijs concedere, ibid. An in ſepulchro alicui conceſſo poſſit ipſo inuito aliquis ſepeliri, ibid. In Eccleſia patronata poteſt inuito Patrono ſepulchrum, ſeu Capella conſtrui, ibidem n. 50. p. 333. c. 1. *Modo in limine fundat ones non ſit aliter cautum*. Quando aliquis eſt ſepeliendus apud Regulares ad hos pertinet declarare qua via ducendus ſit, nec eſt neceſſe, vt prius defunctus deferratur ad Eccleſiam Parochialem, ibid. n. 51. & n. 53. ad 4. Sepulturæ electio probatur per teſtamentum, vel per ſcripturam ſubſcriptam manu propria, ibid. n. 52. p. 333. c. 1. Qui ſepulturam ſibi fabricauit, licet inteſtatus decedat, cenſetur eam ſibi elegiſſe, ibid. Probatur etiam per teſtes, ibid. & n. 53. p. 333. c. 1. ad 3.

Sepulti in alieno ſepulchro exhumari non debent, T. 1. nu. 23. pag. 151. c. 1.

Sollicitantes in Confeſſionibus ſunt ſuſpecti de hæreſi, T. 2 §. 3. pag. 262 col. 1. & ibid. num. 6 pag. 360. col. 2. Sollicitantes qui dicendi ſint, ibid § 5. pag 262. c. 2. Contra iſtos procedunt Inquiſitores, & locorum Ordinarij, ibid. §. 6. Ad huius delicti probationem admittuntur teſtes ſingulares, ibid. 6. 7. & n. 22. p. 265. c. 1. Quot autem teſtes requirantur, ibid. n. 23. c. 2.

Sollicitare quid ſit, T. 2. n. 2. p. 263. c. 1. An dictum vnius mulieris ſollicitatæ ſufficiat ad capturam ſollicitantis, ibid. n. 4. p. 263. c. 2. & T. 3. n. 4. p. 368. c. 2.

Sollicitans ad alia peccata non carnalia non incurrit pœnas, T. 2. n. 7. p. 263. c. 2. Mulieres ſollicitantes Confeſſarios non incurrunt has pœnas, ibid. Nec Cōfeſſarius cōſentiēs mulieri ſollicitanti, ib. n. 9. p. 264. c. 1. Mulier cōſentiens Confeſſario ſollicitanti tenetur eum denunciare, non tamen proprium conſenſum manifeſtare, ibid. n. 12. Sollicitantes ante, vel poſt Confeſſionem immediatè incurrunt pœnas, ibi n. 13. Sollicitatio ante, vel poſt confeſſionem immediatè, quæ ſit, T. 3. n. 9. p. 369. c. 1.

Sollicitantes pueros incurrunt pœnas. T. 2. n. 14. p. 264. col. 1.

Sollicitans fęminam in loco ſolito audiendi confeſſiones, etiāſi eas non audiat, incurrit pęnas, T. 2. n. 15. p. 264. col. 2. quas etiam incurrit ſollicitans pro ſe, vel pro alijs, ibid n. 16 Non tamen incurrit ſollicitans mulierem in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, ib. n 17.

Sollicitare mandans Confeſſarius fœminam, an incurrat pęnas Gregorij XV. T. 3 n. 3. p. 368. c. 1. Confeſſarius iuriſdictione carens, an ſollicitando in confeſſione incurrat dictas pœnas, ibid. Poſſunt dari aliquæ cauſæ excuſantes

à de-

à denunciando ſollicitantem, ibidem n.5.c.2. Hoc vitium correctionem fraternam admittit, ibid. Confeſſarius ſollicitans pœnitentem ad actus ſolum venialiter inhoneſtos, an incurrat has pœnas, ibid.n.6.p.369.c. 1. Confeſſarius dans pœnitenti epiſtolam aperiendam ſolum poſt regreſſum in domum propriam, non incurrit has pœnas, ibid.nu.7. Confeſſarius ſollicitatus à pœnitente an ſit denunciandus, ſi ſolum tactibus conſenſit, ibid.n.8.

Sollicitati tenentur denunciare ſollicitantes, T.2.nu.24. p. 265 c.2. Nec aliter poſſunt abſolui, ibid. Confeſſarius verò ſollicitans ab omnibus abſolui poteſt, ibid.n.25. Sollicitati an teneantur ſollicitantes fraternè corrigere, ibid. nu.26. An poſſit dari caſus, in quo mulier ſollicitata non ſtatim denunciare teneatur, ibid.n.28.p.266.c.1.

Sollicitatori pro vitandis pœnis remedium, T.2.n.33.p.265. c.2. Ordinarium actu admittendi aliquem ad confeſſiones ſæcularium audiendas, tenentur eis legere Conſtitutionem Gregorij XV. ibid.n.34.

Statuta facere quomodo poſſint Minimi, T.1.§.4. p.2. col.1. & nu.10.p.3.c.2. & §.13.p.42.col.2. & §.7.p.126.c.2. & §.4. p.154 col.1. Nec licet multum Minimis in ſtatutis abundare, ibidem §.5.

Statuta facta in vno Capitulo Generali confirmato à Papa, an poſſint mutari in alio, T.1.n.3.p.95.c.1.

Statuta ſemel facta non debent facile mutari, T.1.n.2.pag. 95.c.1. *Dicitur enim leg.in reb.ff.de conſtit. Princ. antiqui mores non ſunt mutandi ſine maxima, & euidenti neceſſitate, & Nicolaus Papa relatus in cap.ridiculum d. 12. ait ridiculum eſt vt traditiones, quas antiquitus à Patribus accepimus infringi patiamur. & D.Thomas 1.2.q.97. art.2. definit legem etiam humanam non eſſe mutandam propter quamlibet vtilitatem, ſed propter maximam quæ ſuperet damnum, quod mutatio adducit.*

Statuta duobus modis dicuntur eſſe contra ius commune, T.3.n.12.p.306.c.2. Statuta, quod deſcendentes ex genere Iudæorum non admittantur ad Religionem, & quod in aliena Religione profeſſi non præficiantur in noſtra, an ſit contra ius commune, ibid. Statutum illud quo Curati nolunt leuare corpora defunctorum, niſi vocentur tot Clerici, quot Regulares, ſapit monopolium, ibid.nu.7. p. 315.col.2. Eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, ibid. Eſt contra ius naturale, ibid. & ſimoniacum, ibid Statutum de non renunciandis officijs in Ordine noſtro quomodo intelligatur, ibid.n.3.p.372.c.1.

Studentes in Ordine noſtro non poſſunt eligi in Superiores, T.3.nu.32.p.406.c.1. Hoc tamen in illorum dedecus non redundat, ibid.n 33. Poſſunt tamen eligi in Diffinitores, Collegas, Diſcretos, & Seniores, ibid.n.34. De quibus Studentibus id intelligatur, ibidem n.35.

Studia linguarum inſtitui in ſingulis Conuentibus mandauit Paulus V. T.1.nu.19.p.65.c.2. Studia in qualibet Prouincia erigenda, T.2.§.10.p.230.c.1. Tanquam neceſſaria pro Religionum reformatione, ibid.n.22 p.232. c.2. Studiorum cauſa occupati, qui cenſeantur, ibid.nu.3. & 4.p. 393.c.1. Studia negligentes Prælati, quàm malè faciant, ibid.n.23.p.133.c.1.

Superflua diſtribuere, quando teneantur Minimi, T.1.§.9.p. 106.col.2.

Superiores habent auctoritatem ſuper fratres, T.1.§.5.p.2. col.1. Poſſunt delinquentes punire, ibid.§.6. Hæc poteſtas ordinaria eſt, ibid.nu.11.pag.4. col.1. Non ſolum quo ad profeſſos, ſed etiam, quo ad Nouitios, ibid. num. 12. Et non ſolum ad cauſas regulares, ſed etiam ad extraneas, ibidem n. 13.

Superiores Regulares, quos caſus ſibi reſeruare poſſint, T.2.§.61.p.295.c.1. Poſſunt reſeruare ſibi caſus etiam pro Nouitijs, ibid.n.9.pag.304.c.1. An poſſint præcipere ſub pœna excommunicationis, & abſolutionem ſibi reſeruare, ibidem n.10.

Superiores gladio excommunicationis parcè vtantur, T.2. n.11.pag.300.col.1. Et præcipiendo ab excommunicatione non incipiant, ibid.

Superiores debent ſuis ſubditis neceſſaria tribuere, vt eis vagandi tollatur occaſio, T.3.n.32.p.346.c.1.

Stylus Curiæ Romanæ, quid poſſit, T.1.n.38.p. 51.c.1.

T

TAllia quid ſit, T.1.n.136.p.79. c.1.

Tertiarij ſunt in multiplici differẽtia, T.1.n.31.p.33.c.1.

Tertiariæ non poſſunt confiteri, niſi Sacerdotibus approbatis ab Ordinario, T. 1.nu.39 n.34 c.1. Nec in Paſchate communicare, ibid. Licet ante ſit, ibid.§.1.p.39.c.1.

Tertiarij cum clauſtralibus habitantes gaudent priuilegijs fratrum, T.1.n.39.p.34.c.1.

Tertiariæ poſſunt emittere tria vota Religionis, T.1. §.3.p. 102.col.2. Obedientiam præſtant Generali, ibidem §. 3. pag.103.col.2.

Tertiariorum profeſſionis forma, T.1.§.2 pag.108. c.1. Per quam tamen nec noua obligatio; nec votum inducitur, ibid.n.2.p. 108. c.2.

Tertiarij gaudebant immunitate, T.1.§ 3.p.109.c.2. Tertiarij in proprijs domibus habitantes tanquam laici cenſentur, ibid.§.21. p.146. c.2. Tertiariorum vota collegialiter viuentium ſolemnia ſunt, T 2.§.3.p.182.c.1.

Tertiariæ vouentes ſimplicem continentiam gaudent priuilegijs fratrum, T.1 §.2.p.144.c.2. Tertiariæ ſecundum Conſt.Pij V. Quomodo ad clauſuram teneantur, T. 2.nu. 13.pag.199.c.1.

Tertiarij an ſint ſepeliendi in Eccleſijs fratrum, T.3.nu.53. p.333.col.1.

Teſtes quicunque non ſunt admittendi contra Prælatos, T.3.n.3.p.380.c.2. Sed debet prius inquiri de eorum vita, ibid.n.7.p.381.c.1. & n.9.

Teſtimonium ferre in cauſis ciuilibus non poſſunt Regulares abſque licentia ſuorum Prælatorum, T. 3.n.35.pag. 323. c.2. Qui Prælati non debent eſſe faciles in dicta licentia concedenda, ibid. Si Religioſus abſque dicta licentia teſtimonium ferat, an valeat, ibi. Poteſt Religioſus cum dicta licentia teſtificari pro liberatione alicuius à morte, etiamſi aliqua pœna calumniatori ex hoc veniat, ibidem.

Teſtudines comedere poſſunt Minimi, T.1.p.157 c.1. Quas prius non audebant comedere, ibi.n.1.c.2. Teſtudines an ſint, piſcis, vel caro, ibidem n.2. 3. & 4. Teſtudinum quatuor ſunt ſpecies, ibidem nu.5. Teſtudinum virtutes in medicaminibus, ibid. Teſtudinum tegumentis vtebantur antiqui ad ornandos lectos, ibid.n.6. Teſtudo prudentię, ſilentij, & pigritiæ ſymbolo, ibidem nu.7. Teſtudinum pes dexter ſi inferatur nauigio, id ire tardius creditur, ibid. Teſtudines varijs modis parantur ad comedendum, ibid.n.8.p.158.

D.Thomas omnibus præferendus in moralibus, & Scholaſticis, T.3.n.12.p.306.c.2. Qui Thomiſtæ alijs Thomiſtis præferendi, ibid.

Tonſuræ forma à Minimis gerenda, T.1.§.1.p.107.

Tranſactio quid ſit, T.1.n.7.p.83.c.2. Tranſactio cum conſenſu Generalis, vel Capituli Generalis fieri poteſt, ibid. n.6. Tranſactiones, conuentiones, & pacta facta à Conuentibus, & Capitulis, abſque Generalis conſenſu non valent, ibi.n.8. & nu.13. p 84. c.2. Non prohibetur tamen amicabilis compoſitio, ibid.n.15.

Tranſire ad ſtrictiorem Religionem quomodo liceat, T.2. §. 1.p.290.c.1.

Tributum quid ſit, T. 1.n.136.p.79.c.1.

Trinitarii reformati ad nullam Religionem præter Carthuſiam tranſire poſſunt ſub grauiſſimis pœnis, T.3.Conſt.11. Vrbani VIII. p.380. c.1. Poſſunt tamen ad Religionem Minimorum, ibid.n.1 p 390.c.1.

Triremium Capitanei tenentur ſub mortali Regulares ad eas damnatos recipere, & retinere, T.1.§.3.p.163. col.1. Triremium Gubernatores poſſunt ad illas condemnatum liberare, quando illis conſtat de iniuſtitia, T.3. n.5. pag.335.col.2.

Tutrices quæ ſint, T.1.n.49.p.52.c.1.

V

VAgus Monachus ex hoc ſolum à Prælaturis excludendus, T.3.n.32.p.346.c.1.

Vectigal quid ſit, T.1.n.136.p.59.c.1.

Verbum *inſtare*, plures flagitationes ſignificat, T. 1. nu.70. pag.25.col.1.

Verbum *tenere*, aliquando honeſtatem dicit, T. 1. num.1. pag.141.col.1.

Verbum *ſancio*, quid ſignificet, T. 2.n.7 p.269.c.1.

Verbum *moneo*, aliquando interpretatur pro *præcipio*, T. 2.n. 22.pag.270.c.1.

Vicarium Generalem Ordinarium poteſt conſtituere Generalis Minimorum, T.1. nu.4. pag.129. col.1. Vicarius Gene-

Generalis ordinarius, an perſeueret mortuo inſtitutore, T.3.n.11.p.327. c.1.
ViceRegens ſtudiorum eſt eodem honore afficiendus, quo Regens, T.3.n.33.p.361.c.1.
Vigiles in Ordine Minimorum acceptari mandauit Iulius II.T.1.§.4.p.89 c.1.Sed in deſuetudinem abierunt, & nullus vnquam fuit in Religione Vigil, niſi P.F. Hieronymus à Ponte Genuenſis, ibid n.26.p.93 c.1.
Vinolentia conſuetudinaria in Ordine Minimorum punienda, T.1.§.10.p.106.c.2.
Vinum temperare debent Religioſi, T.2.n.5.p.242.c.2.
Vinum bonũ poſſunt ſibi velle dari Religioſi à ſuis Superioribus, T.2.n.6.p.242.c.2. Vinum nouum quando potari incipiat, ibid.n.7. Vini boni qualitates, ibid.n. 8.
Violentia quid, & quotuplex ſit, T. 2.num. 37. & 38. pag. 271.col.1.
Vir grauis quid dicatur, T.1.n.4.p.127.c.2.
Viſitare Religionem ad Prælatos ordinarios ſpectat, T. 1. n.5.pag.125.col.1.
Viſitare Prouinciam an poſſit Prouincialis poſtquam eam viſitauit Generalis, T.3.n.9.p.326.c.2.
Viſitatores quoſcunque poteſt deputare Generalis, T.1.§.2. pag.120.c.1.& T.2.§.2. p. 228.c.1. Debent cauere à munerum receptione, T.1.num.7.pag. 129. col. 2. Non debent nimis grauare viſitatos, ibid. num.8. pag.130. col.1. Debent auocare fratres è Conuentibus pauperioribus, in pinguiores, ibid. nu 8. Debent ſe expedire quàm citius poſſunt, ibid.nu.9.
Viſitatores viſitatione abſoluta poſſunt concedere Religioſis indulgentiam plenariam, T.1.n. 12 p.130.c.2 Viſitatori tenentur facere expenſas viſitati, ibid.n.6.p.129.c.2.
Viſitator an poſſit in viſitatione procedere mortuo eo, qui illum inſtituerat, T.3.n.10.p.326.c.2.
Viſitatores, quomodo inſtituẽdi, T.3.n.88.& 89.& p.354.c.2.
Viuæ vocis oracula habent eandem vim, quàm aliæ Conſtitutiones, T.1.n.26.p.85. c.1.& n.1.p.106.c.2. *Innoc.in cap. Conſtitutus nu.2.de reſcript.Felinus conſil.6. nu.1.* Et priuilegiis derogatis non derogantur, ibid.n.26.p.85.c.1.& n.3. pag.107.c.1.
Viuæ vocis oracula, de quibus in ſcriptis teſtimonium non fert aliquis Cardinalis, non valent, T.2.§.1.p.260. c.2. vide n.1.p.261.c.2.& T.2.n.2.p.107.c.1.
Vota obedientiæ, & vitæ quadrageſimalis in Religione Minimorum an ſint caſus reſeruati, T.2. n.12. p.300.c.2. & T.3.n.7. p.373.c.2.
Voti quadrageſimalis cuſtodia Minimis ſemper fuit maximæ curæ, T.3. nu.23.p.412 col.1. Vbi aduerte quod dictus Paulus Podericus tantum ſupplicauit pro Ordine noſtro. Quæ ibi dicuntur de Carthuſianis ex ſe ſubiunxit Seripandus.

Index rerum in nouiſsimis additionibus contentarum.

A

ARS *Mechanica*, Vide Religioſi.

B

Baldachinus.

PRælatis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium conceditur, poſſe vti Baldachino, & certo numero Miniſtrorum, non tamen Sedem Abbatialem, inſtar Epiſcoporum prope Altare permanentem tenere, pag.448. col.1.

Bona.

Bona ab Eccleſiaſticis poſſeſſa gaudẽt exemptione ab oneribus, non copulatiuè certis, realibus, & inuariabilibus, & à Cameralibus, vbi non ſoluendi libertatem præſcripſerint, pag.452.col.2.

C

Canonizatio.

INhibetur formari proceſſus illorum, qui in fama ſanctitatis deceſſerunt: formatoſq; aperiri, niſi à ſpecialiter delegatis.§. 5.pag.421.col.1.
Tempus ad Canonizationem eorundem neceſſarium eſſe centum annorum.§.6.p.421.col. 2.
Prohibetur omnibus, ne informationes ſuper ſanctitate alicuius defuncti capere præſumant: is verò cui miraculum aliquod narrabitur ſub ſigillo ſecreti recipiat, & ſecretò ad Epiſcopum loci tranſmittat.pag.447.col.1.

Capitulum.

Capitulum Generale Ordinis Minimorum prorogatur ad triennium.pag.414.col.2.

Commiſſi.

Commiſſi, ſiue diſcreti, legitimè impediti, non poſſunt ſubſtituere Procuratorem cum Generali mandato, p.445.c.2.

Collega.

Collegis Italo, & Gallo Minimorum prorogatur officium ad triennium, §.1.pag.415.col.2.
In Collegam Hiſpanum eligitur à Pontifice R. P. Paulus Toreno, §.1.p.416.col.1.

Confeſſio.

Prælati Congregationis Somaſchæ poſſunt ſibi inuicem, graduum ordine ſeruato, facultatem impertiri confitendi extra Ordinem; quam ſemel petere ſufficit, p.451.c.2.

S. Congregatio.

Declarationibus Sacræ Congregationis, ſolito ſigillo: & ſubſcriptione Em. Card. Præfecti, & Secretarij eiuſdem Congreg. non munitis, nulla fides adhibenda, p.447.c.2.

Conſtitutiones.

Tempus legendi Conſtitutiones Apoſtolicas determinatũ pro feria ſexta poſt feſtum Aſſumptionis, extenditur ad totum reſiduum menſis Auguſti, p. 450.c.2.
Conſtitutio de celebratione Miſſarum legi poteſt, vel in ipſa die in Conſtitutione præſcripta, vel infra terminum decem dierum immediatè ſequentium, p.450.c.2.
Conſtitutio eadem legi poteſt infra terminum vnius mẽſis ſubſequentis à die in ipſa Conſtit. præſcripta, p.450.c 2.

Conuentus.

Conuentus, ſeu Hoſpitalia B. Io. Dei, in quibus duodecim Religioſi non exiſtunt, non ſubijciuntur iuriſdictioni Ordinarij loci, pag.430.c.2.
Locus pro curandis infirmis à Patribus de Obſeruantia cõſtructus, & ab ijs in Conuentum formalem Conuerſus in præiudicium aliorum Regularium, ad hoſpitium iterum reduci mandatur, p.446.c.2.

Cura animarum.

Monachi Caſſinenſes poſſunt curã animarũ in proprijs Eccleſijs, vel ab ipſis dependentibus exercere.§.1. p.446.c.2.

E

Epiſcopus.

EPiſcopus in Monaſterijs ſibi ſubiectis ad cuſtodiendã clauſuram poteſt imponere excommunicationem ſibi reſeruatam, pag.447.c.1.
Epiſcopus in electione Abbatiſſæ Monialium ſubiectarum Regularibus, non poteſt earum vota excipere, p.451.c.2.

F

Fratres.

FRatres Ordinis Prædicatorum in partibus Indiarum ex Conſt.Vrb.VIII. non poſſunt viuere, aut manere extra clauſtra ſui Ordinis ſine Superiorũ licentia, §.2.p.423.c.2.
Non poſſunt agere negotium in Romana Curia inſcio P. Procuratore ſuo Generali, §.2.p.427.c.1.
Fratres calceati S.Mariæ de Mercede tantum habent miniſterium redimendi captiuos, §.1.p.437.c.1.
Fratres S.Io.Dei habendi pro veris Religioſis, & eos extra clauſtra delinquẽtes ſolum iuxta formam Decreti Clem. VIII. Ordinarijs punire licet, p.450.c. 1.
Confirmantur, & declarantur litteræ pro bono regimine Prouinciæ S.Io.Baptiſtæ fratrum diſcalceatorum de Obſeruantia, §.2.p.434. c.2.
Conceditur eis erigere poſſe Conuentus, ibid.§.3. Et datur facultas recipiendi Nouitios, ibid.§.4.c.2. Et condendi ſtatuta. Eximuntur à ſtatutis emanatis à ſtatribus de Obſeruantia, ibid.§.5.c.2. Et datur eis facultas libros extrahendi ſtudiorum cauſa à Bibliotheca de licentia Prælati, §.10. p.435.c.2. Et non poſſunt emitti extra Prouincias ſuas, nec extra clauſtra degere ſine licentia.ibid.§.9.
Fratres Minores. Excommunicati declarantur aſſerentes Minores

nores Conuentuales non eſſe veros Regulæ S. Franciſci obſeruatores, §.2.pag.419.c.1.

Minores de Obſeruantia abſque licentia in ſcriptis ſuorum Superiorum non deferant tunicam ſimplicem cum mãtello: habitum verò prædictum cum Capucio tunicæ, ſeu mantello conſutum, nec cum ſui Superioris licentia. Aliter ſubijciuntur correctioni Ordinarij loci, §.1.p.415.c.1.

In Religione Sancti Franciſci de Obſeruantia quibuſnam competat ius præcedendi, §.1.p.415.c.1.

Tolluntur quædam introductæ diſſuetudines in Ordine Fratrum Minorum de Obſeruantia. §.2.p.438.c.2. Datur facultas Superioribus eiuſdem Ordinis liberè exercendi munus ſuum.§.3.pag.439.c.1.

Prædicatores eiuſdem Ordinis eleemoſinas in concionãdo acquiſitas ſuis Prouincialibus tenentur ſignificare, ib.§.4.

Fratres Minores Conuentuales in Conuentibus, vbi nõ eſt facta reductio Miſſarum, poſſunt eam facere ad rationẽ 60.ſcutorum pro qualibet Miſſa quotidiana, p.436.col.2.

Generalis.

IN Generalem Minimorum eligitur à Papa Reuerendiſs. Pater Io:Baptiſta Ronca, §.1. pag.414.c.1. Prorogatur, & confirmatur illi officium ad triennium, § 1.p.415.c.1.

Generalibus Minimorum in poſterũ, expleto Generalatus officio, cõceditur habere vota conſultiua, deciſiua, & electiua in Capitulis Generalibus, Prouincialibus, & intermedijs, §.1.p.417.c.1. Et quod poſſint ſibi eligere Cõuẽtũ à quo nõ poſſit amoueri. Et vnũ fratrẽ, qui ſibi inſeruiat, ib.

Generalis Minimorum poteſt cum ijs, qui triennium in ſtudijs abſoluerint diſpenſare vt Ordine Presbyteratus inicientur, pag.446.c.2.

Generalis Minorum Conuentualium poteſt extinguere Conuentus pauperes.§.1.pag.426.c.1. Et etiam Generalis Minimorum, paulo infra.

Hoſpitalitas. Vide *Largitio munerum.*

Ieiunium.

NOn ieiunandum in vigilia S.Io.Baptiſtæ quando contingit in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, p.433.c.1.

Imagines.

Imaginibus defunctorum, qui in bona ſanctitatis fama deceſſerunt, non poſſunt apponi aureolæ.§ 1.p.420.c.2. Nec imprimi geſta, miracula, & reuelationes eorundem ſine recognitione, & approbatione Ordinarij, nec etiam apponi tabellæ ad eorũ ſepulcra, ac lãpades accendi, ib.§.2. Excipiuntur ij, quos à longiſſimo tẽpore Apoſtolica Sedes vel Ordinarij tolerarunt, ibi.§.3. c.2. Tabellæ tamẽ recipi poſſunt, ac in locũ extra Eccleſiam cuſtodiẽdę ſunt.ib.§.4.

Imagines SS.Auguſtini, Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum ordinis S. Auguſtini à fratribus diſcalceatis impreſſæ vel depictę, cum habitu, quo ipſi vtuntur prohibentur.pag.428.col.2.

Incorrigibilis.

Generalis Minimorum Romæ cum tribus ſuis Collegis, Zeloſo, Superiore Conuentus Romani, & ſocio eius ſeniori, poteſt incorrigibiles eijcere.p.446.c.1.

Nullus è Religione eijci poteſt, niſi poſt annum integrum carceris: & ſi intra dictũ annũ è carcere fugiat. p.445.c.1.

Laici.

LAici Minimorum habent votum in acceptatione Nouitiorum, pag.417.c.2.

Laici Capucinorum ex Congreg. Decreto debent præcedere vbique Nouitios Clericos, §.1. p.419.c.2.

Largitio munerum.

Declaratio Conſtit.Clem.Papæ VIII.de largit.munerũ Regularib.vtriuſq; ſexus interdicta cõfirmatur, §.1.p.440.c.1.

Omnis, & quæcunque munerum largitio omnibus vtriuſq; ſexus Religioſis (præterquam militaribus) etiam Superioribus, & Capitulis prohibita, §.1.p.441.c.1.

Ex omnibus omnino bonis: exceptis tamen exculentis, & poculentis, & ad deuotionem pertinentibus munuſculis, ijſque nomine communitatum, §.2.p.442. c.1. Etiam per ſe, & per alios directè, & indirectè facta, ibid §.3.

Facta quibuſcunque perſonis, ſiue intra ordinem Superioribus, & non Superioribus: ſiue extra ordinem, etiam quacunque dignitate fungentibus, ibid.§.4.

Prohibita etiam omnis pecuniæ erogatio in alterius cuiuſcunque, etiam Protectoris honorem, quacunq; occaſione etiam tranſitus facta: omnis item ſumptus in rebus quibuſcunque ſuperuacaneis, & ad Dei cultum, & pauperũ indigentias ſubleuandas non neceſſarijs, ibid.§.5.

Nulli prorſus Regulari, vel ſæculari quacunque dignitate inſigni, licet quicquam à Religioſis contra prædictam formam recipere, ibid.§.8.c.2.

Recipiens in neutro foro nequit abſolui ante factam reſtitutionem, quæ facienda eſt Monaſterio, de cuius bonis facta eſt largitio, §.9.p.442.c.2.

Lectores.

Lectores vt Iubilati vocentur quot annos legiſſe neceſſe eſt, §.1.p.429.col.2.

Numerus Lectorum Iubilatorum in vnaquaque Prouincia Minorum de Obſeruantia reſtringitur, ibid.§.2.

MInores. Vide *Fratres Minores.*

Miſſa.

Reductio Miſſarum. Vide *Fratres Minores.*

Monachus.

Monachi Caſinenſes nõ poſſunt cogi ab Ordinarijs, niſi ad proceſſionem Corporis Chriſti, §.1. p.433. c.1.

Non poſſunt moleſtari circa hoc, ibid. §.3.c.2.

Præcedentia.

IN Religione Fratrum S. Franciſci de Obſeruantia, quibuſnam competat ius præcedendi, §.1.p.423.c.1.

Declaratio præcedentię inter Regulares diuerſarum Religionum, p.427.c.2.

Præcedant, qui ſunt antiquiores, aut in poſſeſſione, §. 2. p. 428. col.2.

Laici Capucinorum ex Congreg. Decreto debent pręcedere vbique Nouitios Clericos, §.1.p.419.c. 2.

Prædicatores.

Prædicatores Ordinis Minorum de Obſeruantia eleemoſinas in concionando acquiſitas, ſuis Prouincialibus tenentur ſignificare, §.4.p.439.c.1.

Proceſſio. Vide *Monachi.* *Proceſſus.* Vide *Canonizatio.*

Regula.

AD quos ſpectet Religionum Regulas declarare, mitigare, & interpretari, §.3.p.419.c.2.

Regulares.

Regulares, qui vltra vota ſolita etiam votum emittunt de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate per quamcumque eorum tranſlationem, aut habitus priuationem, à voto huiuſmodi nullatenus liberantur, pag. 424.c.2.& §.2. p.425.c.1.

Religioſi.

Religioſis, & Eccleſiaſticis quibuſcumque Romæ, & in diſtrictu Vrbis vllam artem mechanicam, præterquam pro ipſorum vſibus exercere: Pharmaca item, & alia quæuis opificia abſque licentia vendere prohibetur, p. 449. c. 2. pęna contrafacientibus apponitur, ibid.

Schola pia.

CLerici Regulares Scholarum piarum non comprehenduntur in Decretis Generalibus editis à Clem. VIII. quibus cæteri Clerici Regulares non comprehenduntur, §.2.p.424.c.1.

Sepultura.

Ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis non à Canonicis, aliiſue officia ſuper cadaueribus defunctorum peragi debent, pag.449.c.1.

Vbi vnica tantum Crux deferri ſolet in cadaueribus efferendis, deferenda eſt tantum Crux Eccleſiæ ad quam corpus defertur, ibid.

Parochi plus præcipere non poſſunt in ſepulturis, quę fiunt in Eccleſiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, §.1.p.430.c.2.

Parentibus licitum eſt eligere ſepulturam filiis Minoribus etiam inuitis Parochis, p.452.c. 1.

Sepelire cadauera, & facere officia in Eccleſiis Regularium abſque expreſſa licentia Superioris earum Rectoribus, & Curatis non licet, p.448.c.2.

Sigilla.

Sigilla mandantur conſignari Generali Minimorum recens electo, §.2.p.414.c.1.

Tabaccum.

TAbachi ſumptio prohibetur ſub pena excommunicationis latæ ſententiæ in Eccleſiis Ciuitatis, & Diœceſis Hiſpalenſis, earumq; atriis, & ambitu, pag.443.c.2.

Zeloſus.

ZEloſo à Papa prorogatur officium ad triennium, pag. 416.col.1.

F I N I S.

ANT 1317344

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XVI
F 36

Digitized by Google